

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/ysamabertiavreli0000vari



59682

NICOLAI

YSAMBERTI

AVRELIANENSIS,

DOCTORIS ET SOCII

SORBONICI,

ET IN ACADEMIA PARISIENSI REGII

THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

DISPVTATIONVM

IN TERTIAM PARTEM S. THOMÆ

TOMVS PRIMVS.

DE MYSTERIO INCARNATIONIS.



1615

LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus DIONYSII DE LA NOÜE, viâ Iacobæâ, sub signo Nominis IESV.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO ET APPROBATIONE.

EMINENTISSIMO

S. R. E. CARDINALI

ARMANDO

IOANNI

DVCI

DE RICHELIEV

FRANCIAE PARI,

SORBONÆ PROVISORI

MVNIFICENTISSIMO.

QVEM ipſa ſibi Theologia, ſi primùm in terris videretur, patronum vltrò deligeret, EMINENTISSIME CARDINALIS, non eſt profectò mirum operis huiuſce Te vindicem atque protectorem ſumma veneratione nuncupari. Cùm enim immenſa illa ſolicitudo qua bono-

rum omnium in rem publicam confluentium copiam procuras, nullam literaturæ melioris partem ſibi non obnoxiam habeat; quem inter alias ſacra diſciplina vendicat, eundem in tuis beneficiis illuſtrem ac principem locum obtinere conſpicitur. Nimirùm id præſtas non ſolùm generoſa in virtutem propenſione ex illuſtriſſimæ proſapiæ indole exempliſque deriuata, verùm etiam inſtitutione ac iudicio certiſſimo quo ſublimis illius doctrinæ rationem vniuerſam ſupra omnium captum exploratam habes. Docuerunt ipſi Te labores Tui incredibiles, aſsiduæ vigiliæ ac meditationes ab ineunti ætate ſuſceptæ, quanti facienda eſſet ſcientiæ diuinæ poſſeſsio, quæ tanta animi contentione, tantiſque ſudoribus, nec ſic demum abſque gratia & ope Numinis ſingulari comparari poſſet. Quo

factum est vt rebus Theologicis tanquam acerrima dimicatione conquisitis & partis pretium summum scires imponere. Quæ certè res non mediocrem affert mihi difficultatem; dum enim præsidium Tuum ambio, iudicium reformido. Eminentiæ namque Tuæ magnitudini non solùm parum assurgens & congruum munus, si industriam attendas, verùm etiam excelsioris ingenii, veberiorisque eruditionis præstantia multò inferius obtulisse ne arguar, id imprimis summoperè vereor. Atque adeò planè ab incœpto deterrerer, nisi præter argumenti excellentiam, quæ Tibi gratissima futura est, laboris per quinque & triginta annos in docendi prouincia exantlati fructus, si minùs locupletes, at forsan haud immaturos exhiberem. Neque verò solam hic operam meam ac, si

qua eſt, induſtriam Tuæ Eminentiæ offero, verùm etiam innumeras ac egregias tot Auditorum palmas, qui huius qualiſcumque tandem doctrinæ ſtudiis imbuti Sorbonam Tuam ſacrorum certaminum palæſtram nobilitarunt. Quin etiam vniuerſæ Academiæ Tibi dilectiſsimæ ſuffragio tueri ac illuſtrare poſsem hoc opus, cuius expectatione diuturna, vt in lucem aliquando prodiret, plurimorúmque votis, etſi merito meo planè nullo, non obſcurè ac diſsimulanter expetitum eſt. Quare conduplicandus fuit labor, vrgendáque & concitanda ſtudia domi foriſque, vt aiunt, dimicanti, circa illam præſertim materiam arduam, quæ vtriuſque Theologiæ poſitiuæ nimirùm & ſcholaſticæ veluti confinium eſt, de Verbi Incarnati Oeconomia, eiúſque Sacramentis. Quam

profectò partem eo Tibi acceptiorem fore confido, quòd illa controuersias omnium nobilissimas ac plurimas cum Hæreticis, quos verbis ac scriptis priusquam armis debellasti, ventilari solitas, diligenti perspicuáque methodo discussas ac enucleatas complectatur. Sic eueniet, vt muneris Regia munificentia, Tuóque fauore mihi impositi rationem aliquam Eminentiæ Tuæ reddere videar, ac simul gratiarum immortalium quas beneficiis Tuis locupletissimis semper debebo, primordia saltem quædam libare. Hoc enim erat in votis antiquissimum, vt aliqua publica grati animi significatione, Tibi, cui Gallia iam vniuersa quà propugnata, quà amplificata ac illustrata, se tanta debere profitetur, deuinctissimum esse me non paucis nominibus æuo sempiterno testatum relinque-

rem. Neque profectò me parem esse sentio: patieris itaque, CARDINALIS EMINENTISSIME, *vt Sorbona tota consurgat, meaque obsequia occupet: Sorbona inquam illa quam è parietinis excitatam, renouatam, exædificatam, Academiæ ac Ecclesiæ restituisti. Illius vocem audies cui vitam reddidisti; illius vota gratulationésque suscipies cuius famam nominis Tui immortalitate consecrasti. Excipies verò humanitate qua soles doctiorū ingenia, ac studia nouo genere laudis inflammabis: Ego verò beneuolentiæ Tuæ, vt confido, sereniori aspectu recreatus, quicquid viriúmve ætatis superest, Dei gloriæ, Ecclesiæ ornamento, publicæ vtilitati auspiciis Tuis dicaturus viuam*

EMINENTIÆ TVÆ,

Humillimus, obsequentissimus, addictissimus,
NICOLAVS YSAMBERTVS.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Christianissimi LVDOVICI XIII. priuilegio cautum est, ne quis *Disputationes in summam Theologicam sancti Thomæ, auctore* NICOL. YSAMBERTO *Aurelio, Doctore ac Socio Sorbonico, & regio sacræ Theologiæ in Academia Parisiensi Professore* : quouis charactere, aut formâ excudere, aut alibi excusum vendere, alióue quolibet modo compendioso distrahere vel exponere possit, intra viginti annos computandos à die absolutæ primæ editionis: præter Dionysium de la Nouë Bibliopolam Parisiensem, sub pœna confiscationis librorum, & mulctæ trium mille librarum turonensium, aliarúmque contra eiusmodi fraudatores definitarum in fusiore diplomate eiusdem Christianissimæ Maiestatis. Dato Parisiis decimâ sextâ die Martij, anno salutis 1638. Et regni ipsius inuictissimi Regis 28. Subsignato, DENISOT.

Prima editio Disputationum in Quæstiones sancti Thomæ de Verbi diuini Incarnatione absoluta 26. Martij 1639.

APPROBATIO.

NOs, qui subscripsimus in sacrâ Theologiæ facultate Doctores Sorbonici, testamur *Disputationes in summam Theologicam sancti Thomæ, Auctore* NICOL. YSAMBERTO *Aurelio, Doctore Sorbonico,* nobis accuratè perlectas nihil ab orthodoxâ fide, Christianisque moribus alienum complecti, omnia verò sublimioris sapientiæ studiosis perutilia exhibere : Datum Parisiis anno Domini millesimo sexcentesimo tricesimo octauo, die septima Martij.

HABERT. LE MOYNE.

INDEX QVÆSTIONVM, DISPVTATIONVM, ET ARTICVLORVM.

AD QVÆSTIONEM I.

DISPVTATIO I.

De conuenientia & necessitate Incarnationis.

Art. I. VTRVM *conueniens fuerit Deum incarnari.* 2

Art. II. *Vtrùm Incarnatio fuerit necessaria ad reparandum genus humanum.* 4

Art. III. *Vtrùm medium omnium conuenientius pro reparatione humani generis, sit ipsa Incarnatio Verbi diuini.* 5

Art. IV. *Obiectiones contrariæ soluuntur.* 6

DISPVTATIO II.

De satisfactione.

Artic. I. *Quid sit satisfactio.* 8

Artic. II. *Soluitur dubium circa hanc prædictæ definitionis particulam*, non debitis. 9

Art. III. *Quotuplex sit satisfactio.* 11

DISPVTATIO III.

De valore bonorum operum.

Artic. I. *Quid sit valor in opere satisfactorio siue meritorio.* 11

Art. II. *Penes quid valor ille attendatur.* 13

DISPVTATIO IV.

De satisfactione puri hominis.

Artic. I. *Vtrùm aliquis purus homo potuisset satisfacere Deo, ex perfecta iustitia, pro lapsu totius humani generis.* 14

Art. II. *Obiectiones contra rationem propositionis præcedentis articuli soluuntur.* 16

Art. III. *Fundamentum Aureoli soluitur.* 18

Art. IV. *Vtrùm purus homo potuerit satisfacere ex imperfecta iustitia.* 19

DISPVTATIO V.

De speciali valore operum Christi Domini.

Art. I. *Sub qua ratione persona Christi Domini det valorem suo actui satisfactorio & meritorio.* 19

Art. II. *Qua proportione dignitas personæ augeat valorem boni & honesti operis.* 21

Art. III. *Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.* 22

Art. IV. *Vtrùm valor operum Christi Domini sit ab eius personalitate vt condistincta à diuina essentia.* 23

Art. V. *Quotuplex sit valor bonorum operum Christi Domini.* ibid.

Art. VI. *Vtrùm valor satisfactionis & meritorum Christi Domini sit infinitus.* 24

Art. VII. *Infinitas valoris meritorum Christi Domini probatur ratione.* 25

Art. VIII. *Soluuntur argumenta prioris sententiæ, quæ Scoto tribuitur.* 26

Art. IX. *Soluuntur incommoda quæ videntur ex nostra doctrina.* 28

DISPVTATIO VI.

De satisfactione Christi Domini.

Artic. I. *Vtrùm in satisfactione Christi Domini plusquam æquiualens fuerit redditum.* 32

Art. II. *Vtrùm satisfactio Christi Domini fuerit ex propriis.* 34

Art. III. *Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.* 36

Art. IV. *Vtrùm satisfactio Christi Domini sit ex indebitis.* 39

Art. V. *Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.* 40

Art. VI. *Vtrùm satisfactio Christi Domini sit sufficienter ad alterum vt censeatur actus iustitiæ propriè sumptæ.* 42

Art. VII. *Soluuntur argumenta prioris sententiæ.* 45

Art. VIII. *Vtrùm inter Deum & Christum fuerit pactio de acceptanda eius satisfactione pro nobis.* 45

Art. IX. *Vtrùm Deus secluso pacto de acceptanda Christi Domini satisfactione, potuerit illam non acceptare.* ibid.

Art. X. *Soluuntur argumenta prioris sententiæ.* 46

Art. XI. *Vtrùm pactum Dei cum Christo de acceptanda eius satisfactione pro nobis, minuerit in illa ratione stricte iustitiæ.* 49

Art. XII. *Vtrùm satisfactio Christi fuerit ex iustitia propriè dicta.* 51
Art. XIII. *Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.* 53
Art. XIV. *Cuius iustitiæ actus sit ipsa satisfactio Christi Domini.* 55

DISPVTATIO VII.

De causa finali Incarnationis Verbi diuini.

Vtrùm si homo non peccasset, Verbum diuinum fuisset incarnandum.
Art. I. *Præmittuntur quædam monita.* 58
Art. II. *Proponuntur sententiæ, & affirmans asseritur.* 59
Art. III. *Probatur propositio affirmans ex sacris scripturis asserentibus Christum esse efficaciter intentum ante omnes creaturas.* 60
Art. IV. *Probatur propositio nostra ex scripturis quatenus asserunt Christum esse caput Angelorum & hominum etiam quoad influxum gratiæ & gloriæ.* 61
Art. V. *Probatur nostra propositio ex sacris scripturis asserentibus Christum esse finalem causam iustificationis hominum.* 64
Art. VI. *Soluuntur fundamenta posterioris sententiæ.* 66
Art. VII. & vltimus. *Propter quæ peccata delenda Christus venerit, & venisset in carne passibili.* 73

AD II. QVÆSTIONEM de vnione.

DISPVTATIO PRIMA.

De modo vnionis Verbi incarnati.

Art. I. *Vtrùm per Incarnationem vna natura fuerit conuersa in alteram.* 75
Art. II. *Vtrùm in Christo sint duæ naturæ integræ.* 77
Art. III. *Soluuntur fundamenta Eutychetis.* ibid.
Art. IV. *Explicatur & refellitur hæresis Nestorij, de modo vnionis Verbi cum humanitate.* 78
Art. V. *Vtrùm in Christo vna tantùm sit persona, & quæ.* ibid.

DISPVTATIO II.

De eo quod personalitas seu subsistentia creata addit supra naturam creatam.

Art. I. *Refellitur opinio negans subsistentiam addere aliquid reale supra substantiam.* 85
Art. II. *Refellitur opinio asserens reale illud, quod subsistentia creata addit suæ substantiæ esse vnum vel plura accidentia, vel etiam aliquam substantiam.* 87
Art. III. *Refellitur sententia asserens illud reale, quod subsistentia creata addit suæ substantiæ esse substantialem eius existentiam.* 88
Art. IV. *Illud quod creata subsistentia addit suæ substantiæ esse modum substantialem.* ibid.
Art. V. *Obiectiones cõtrariæ soluuntur.* 89
Art. VI. *Vtrùm ille prædictus modus substantialis distinguatur à sua substantia, & quam in illa conditionem habeat.* 91
Art. VII. *Quisnam sit proprius effectus prædicti modi in sua substantia.* 93
Art. VIII. *Soluuntur obiectiones præcedentis articuli.* 94
Art. IX. *Corollaria quædam.* 95

DISPVTATIO III.

De multiplici vnione quæ est in Christo.

Art. I. *Vtrùm vnio Incarnationis sit per modum vnionis substantiæ creatæ cum sua subsistentia.* 97
Art. II. *Duo dubia soluuntur.* 98
Art. III. *Qua ratione Verbum diuinum per sui incarnationem non est mutatũ.* 99
Art. IV. *Vtrùm in Christo Domino detur aliqua vnio diuinitatis cum humanitate.* 100
Art. V. *Vtrùm in Christo facta sit aliqua vnio animæ & corporis.* 101
Art. VI. *Duo consectaria ex doctrina præcedentis articuli.* 102
Art. VII. *Vtrùm tres explicatæ vniones in Christo sint substantiales.* 103

DISPVTATIO IV.

De appetitu humanitatis Christi Domini ad propriam suam subsistentiam.

Art. I. *Præmittuntur quædam monita, & status quæstionis aperitur.* 103
Art. II. *Vtrùm humanitas Christi habeat innatum appetitum per modum desiderij ad suam propriam subsistentiam.* 104

DISPVTATIO V.

De variis substantialibus compositionibus quæ sunt in Christo.

Art. I. *Præmittuntur monita, & status difficultatis aperitur.* 108
Art. II. *Vtrùm immediata vnio humanitatis cum Verbo sit quædam compositio ratione cuius persona Christi Domini sit composita.* 109
Art. III. *Tria dubia soluuntur.* 111
Art. IV. *Soluuntur rationes sententiæ negantis.* 112
Art. V. *Vtrùm mediata vnio diuinitatis cum humanitate, in persona Verbi, sit quædam compositio.* 113
Art. VI. *Fundamenta negantis sententiæ soluuntur.* ibid.
Art. VII. *Vtrùm vnio animæ & corporis in Christo Domino sit compositio.* 115

DISPVTATIO VI.
De termino actionis vnitiuæ humanitatis cum Verbo.
Art. I. *Vtrùm aliquis terminus detur.* 115
Art. II. *Variæ responsiones ad fundamentum nostræ præcedentis sententiæ refelluntur.* 116
Art. III. *Soluuntur argumenta prioris sententiæ negantis aliquem dari terminum huius actionis vnitiuæ.* 118
Art. IV. *Terminum huius actionis vnitiuæ non esse aliquam qualitatem.* 121
Art. V. *Terminum huius vnitiuæ actionis non esse aliquam relationem.* 122
Art. VI. *Soluuntur fundamẽta Scoti.* ibid.
Art. VII. *Quid sit ille terminus huius actionis vnitiuæ.* 123
Art. VIII. *Obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli soluuntur.* 125
Art. IX. *Quid sit terminus à quo prædictæ actionis vnitiuæ, quis totalis terminus ad quem, & an sit aliquid creatum.* ibid.
Art. X. *Vtrùm sit realis aliqua relatio humanitatis, & quodnam sit fundamentum illius.* 127
DISPVTATIO VII.
De speciali influxu reali Verbi diuini in humanitatem assumptam.
Art. I. *Status quæstionis, & sententia affirmans explicatur.* 127
Art. II. *Sententia negans probatur ex sacris Scripturis.* 128
Art. III. *Eadem sententia negans probatur ex Patribus.* 129
Art. IV. *Eadem negans sententia probatur ratione.* 130
Art. V. *Vtrùm humanitas Christi Domini dependeat à Verbo in genere causæ formalis.* 133
Art. VI. *Soluuntur fundamenta affirmantis sententiæ articulo primo explicata.* ibid.
DISPVTATIO VIII.
De perfectione vnionis Verbi diuini cum humanitate.
Art. I. *Vtrùm vnio tam diuinæ naturæ quàm Verbi diuini cum humanitate sit quoad identitatem extremorum maxima vnionum.* 135
Art. II. *Vtrùm vnio Verbi cũ humanitate sit penes suam tendentiam & indissolubilitatem maxima omnium vnionum.* 136
Art. III. *Vtrùm vnio Verbi cum humanitate sit quoad dignitatem omnium maxima.* 137
Art. IV. *Obiectiones contra doctrinã præcedentis articuli soluuntur.* 138
Art. V. *Vtrùm vnio Incarnationis sit facta per gratiam.* 140
Art. VI. *Vtrùm hypostatica vnio fuerit naturalis Christo Domino.* ibid.

AD III. QVÆSTIONEM
De modo vnionis ex parte assumentis.
DISPVTATIO I.
De assũptione seu terminatione naturæ per alienam subsistentiam creatam.
Art. I. *Vtrùm persona creata possit absoluta Dei potentia immediatè terminare alienam naturam creatam.* 141
Art. II. *Soluuntur responsiones ad rationem doctrinæ præcedentis articuli.* 143.
Art. III. *Ex solutione obiectionum nonnulla colliguntur.* 145
Art. IV. *Veritas doctrinæ præcedentis probatur solvendo contra prætensas contradictiones primæ sententiæ.* ibid.
Art. V. *Soluitur obiectio contra doctrinam primi articuli.* 147
Art. VI. *Vtrùm aliqua persona creata possit virtute diuina assumere mediatè aliquam substantiam alienam.* 148
DISPVTATIO II.
De terminatione humanitatis à Verbo.
Art. I. *Quænam sit ratio formalis Verbo terminandi humanam naturam.* 149
Art. II. *Veritas præcedentis articuli probatur secunda ratione.* 151
Art. III. *Respondetur argumentis, quibus vtraque ratio duorum præcedentium articulorum impugnatur.* 152
Art. IV. *Tria collliguntur ex dictis.* 153
DISPVTATIO III.
De assumptione seu terminatione per aliquid quod in Deo est absolutum.
Art. I. *Vtrùm si subsistentia communis daretur in diuinis, vnio hypostatica posset immediatè fieri in illa.* 154
Art. II. *Soluuntur obiectiones contra propositionem articuli præcedentis.* 155
Art. III. *Ex doctrina tradita vnum colligitur consectarium.* 156
Art. IV. *Vtrùm natura diuina possit immediatè & substantialiter sibi vnire aliquam naturam creatam.* 157
Art. V. *Soluuntur argumenta contraria.* 158
DISPVTATIO IV.
De assumptione vnius vel plurium naturarum creatarum per vnam, vel plures diuinas personas.
Art. I. *Vtrùm vna vel quælibet persona diuina possit assumere naturam creatam sine alia persona.* 159
Art. II. *Vtrùm plures diuinæ personæ possint vnam numero naturam assumere.* 160
Art. III. *Argumenta prioris sententiæ soluuntur.* 161
Art. IV. *Vtrùm vna persona diuina possit assumere duas naturas, vel etiã plures.* 164

Art. V. *Quædam dubia soluuntur.* 165

AD QVÆSTIONEM IV.
De modo vnionis ex parte naturæ assumptæ.

DISPVTATIO PRIMA.
De natura seu rebus creatis, quæ possunt hypostaticè assumi ab aliqua persona diuina.

Art. I. *Vtrùm qualibet perfecta creatura rationalis possit assumi hypostaticè ab aliqua persona diuina.* 166
Art. II. *Obiectiones soluuntur.* 167
Art. III. *Vtrùm quælibet perfecta creatura irrationalis siue sensibilis, siue sensu expers, possit diuina virtute assumi ab aliqua diuina persona.* 168
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 169
Art. V. *Vtrùm partes naturæ creatæ, siue substantiales, & essentiales, siue integrantes, possint virtute diuina assumi ac aliqua ex personis diuinis.* 170
Art. VI. *Vtrùm accidens aliquod possit assumi ab aliqua ex personis diuinis.* 172
Art. VII. *Fundamenta contraria soluuntur.* 173

DISPVTATIO II.
De naturis integris, quas de facto Verbum diuinum assumpsit.

Art. I. *Vtrùm filius Dei assumpserit naturam humanam ab omnibus suis indiuiduis abstractam, aut in illis omnibus existentem.* 175
Art. II. *Vtrùm filius Dei assumpserit personam.* 176
Art. III. *Vtrùm substantia creata terminata propria sua subsistentia possit, retinendo illam, assumi hypostaticè per absolutam potentiam Dei.* ibid.
Art. IV. *Soluuntur obiectiones.* 177

AD QVÆSTIONEM V.
DISPVTATIO VNICA.
De modo vnionis ex parte partium naturæ humanæ.

Art. I. *Quod & quale corpus Filius Dei assumpserit.* 178
Art. II. *Argumenta contraria soluuntur.* 179
Art. III. *Vtrùm Filius Dei assumpserit immediatè sanguinem.* 180
Art. IV. *Argumenta contraria soluuntur.* 183
Art. V. *Vtrùm tres reliqui humores, & spiritus, siue animales, siue vitales immediatè à Verbo diuino sint assumpti.* 186
Art. VI. *Vtrùm dentes, capilli, & barba fuerint immediatè assumpta à Verbo diuino.* ibid.
Art. vltimus. *Vtrùm Verbum diuinum assumpserit animam & intellectum.* 187

AD QVÆSTIONEM VI.
DISPVTATIO I.
De modo assumptionis, quantum ad ordinem.

Art. I. *Vtrùm caro prius tempore fuerit assumpta, quam anima, vel econtrà, an verò vtraque simul fuerit assumpta.* 189
Art. II. *Vtrùm corpus Christi Domini fuerit eodem instanti temporis conceptum, & Verbo diuino vnitum.* 190
Art. III. *Vtrùm congregatio sanguinis ad locum generationis & organisatio corporis Christi Domini facta sit in instanti per motum localem.* 192
Art. IV. *Vtrùm prædicta congregatio sanguinis facta fuerit per mutationem instantaneam.* 193
Art. V. *Argumenta prioris sententiæ soluuntur.* 194
Art. VI. *Quòd prædicta congregatio sanguinis fuerit facta in tempore.* 195
Art. VII. *Quo ordine dignitatis & congruitatis partes humanitatis, & quæ in illa sunt, assumptæ sint à Verbo diuino.* 196
Art. VIII. *Vtrùm priùs natura, siue ordine intentionis, siue executionis, anima sit assumpta à Verbo, quàm corpus, vel econtrà.* 197
Art. IX. *Vtrùm anima & corpus sint assumpta à Verbo diuino priùs naturâ, quàm vnita sint inter se.* 198
Art. X. *Soluuntur obiectiones.* 199
Art. XI. *Vtrùm anima & corpus sint assumpta quàm humanitas.* 200
Art. XII. *Vtrùm præter vnionem ad partes humanitatis, sit alia vnio distincta Verbi diuini, ad totam humanitatem Christi Domini.* 201
Art. XIII. *Duo consectaria colliguntur, & tria dubia soluuntur.* 204
Art. XIV. *Vtrùm partes humanitatis sint priùs assumptæ à Verbo diuino, quàm accidentibus informatur.* 205
Art. XV. *Soluuntur fundamenta affirmantis sententiæ articulo præcedenti relatæ.* 206

DISPVTATIO II.
De gratia habituali vt medio ad vnionem hypostaticam.

Art. I. *Vtrùm gratia habitualis fuerit, aut esse potuerit medium necessitatis ad vnionem hypostaticam.* 208
Art. II. *Soluitur fundamentum sententiæ contrariæ.* 209

Art. III. *Vtrùm gratia habitualis fuerit medium morale ad vnionem hypostaticam.* 210
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* ibid.
Art. V. *Vtrùm gratia habitualis potuerit esse medium morale ad vnionem hypostaticam.* 211
Art. VI. *Vtrùm habitualis gratia potuerit esse medium morale exornans humanitatem, & ei conferens proportionem aliquo modo maiorem cum vnione hypostatica.* 212
Art. VII. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentium duorum articulorum.* 213

DISPVTATIO III.

De merito Patrum veteris Testamenti tanquam medio Incarnationis.

Art. I. *Vtrùm Patres antiqui meruerint Incarnationem de condigno.* 214
Art. II. *Vtrùm meruerint de congruo.* 216
Art. III. *Vtrùm prædicti Patres meruerint aliquas circunstantias huius mysterij.* 217
Art. IV. *Solvitur dubium.* 218

DISPVTATIO IV.

De merito beatissimæ Virginis circa maternitatem Dei.

Art. I. *Quædam monita præmittuntur.* 219
Art. II. *Vtrùm beatissima Virgo promeruerit gradum illum sanctitatis, quo facta est decens mater Christi.* ibid.
Art. III. *Vtrùm beatissima Virgo promeruerit de facto maternitatem Dei.* 220
Art. IV. *Soluuntur obiectiones.* 221
Art. V. *Vtrùm beatissima Virgo potuerit promereri maternitatem.* 222

AD QVÆSTIONEM VII.

DISPVTATIO I.

De sanctificatione humanitatis per ea quæ ipsi Verbo diuino vnito competunt.

Art. I. *Vtrùm humanitas Christi Domini vi solius vnionis hypostaticæ sit singulariter sancta.* 223
Art. II. *Soluuntur fundamenta negantis sententiæ.* 224
Art. III. *Quædam monita præmittuntur ad proximum articulum, & status difficultatis aperitur.* 226
Art. IV. *Vtrùm personalitas Verbi diuini, vt condistincta virtualiter ab essentia diuina, sanctificet humanitatem Christi Domini.* ibid.
Art. V. *Soluuntur fundamenta negantis sententiæ.* 228
Art. VI. *Vtrùm diuina essentia & attributum eius sanctitas humanitatem Christi Domini sanctificent.* 230

DISPVTATIO II.

De habituali gratia Christi Domini.

Art. I. *Vtrùm habitualis gratia fuerit in anima Christi Domini.* 231
Art. II. *Solutio obiectionum prioris sententiæ.* 233
Art. III. *Vtrùm habitualis gratia Christi sit eiusdem speciei cum nostra.* ibid.
Art. IV. *Vtrùm sit de fide gratiam esse in Christo, eámque habitualem.* 234
Art. V. *Obiectionum solutio.* 235

DISPVTATIO III.

De necessitate gratiæ respectu animæ Christi Domini.

Art. I. *Vtrùm habitualis gratia fuerit animæ Christi Domini necessaria ad exercendos actus supernaturales.* ibid.
Art. II. *Ad quid habitualis & actualis gratia, siue excitans, siue adiuuans, fuerit animæ Christi Domini necessaria.* 237
Art. III. *Dubium quoddam soluitur.* 238
Art. IV. *Fundamenta prioris sententiæ, articulo primo explicatæ, soluuntur.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De perfectione & magnitudine gratiæ habitualis animæ Christi Domini.

Art. I. *Vtrùm plenitudo gratiæ habitualis fuerit in Christo.* 239
Art. II. *Quæ plenitudo gratiæ habitualis fuerit Christo Domino propria.* 241
Art. III. *Vtrùm habitualis gratia animæ Christi fuerit physicè aliquo modo infinita, vel ratione alicuius effectus.* 242
Art. IV. *Quo sensu habitualis gratia Christi sit infinita.* 243
Art. V. *Soluuntur tria dubia.* 244
Art. VI. *Vtrùm habitualis gratia Christi Domini potuerit augeri.* 245
Art. VII. *Vtrùm habitualis gratia animæ Christi, per absolutam Dei potentiam, augeri potuerit.* 246
Art. VIII. *Soluuntur fundamenta sententiæ negantis articulo præcedenti relata.* 248

DISPVTATIO V.

De fide & spe Theologicis virtutibus in ordine ad animam Christi Domini.

Art. I. *Vtrùm fides fuerit in Christo.* 249
Art. II. *Vtrùm pia affectio voluntatis circa res creditas fuerit in Christo.* 250
Art. III. *Fundamenta affirmantis sententiæ præcedenti articulo relata soluuntur.* ibid.
Art. IV. *Vtrùm spes fuerit in Christo.* ibid.
Art. V. *Soluuntur obiectiones.* 251

DISPVTATIO VI.
De virtutibus moralibus.
Art. I. *Vtrùm omnes virtutes morales infusæ per se fuerint in Christo.* 253
Art. II. *Vtrùm virtutes morales, quæ naturæ viribus acquiri possunt, fuerint in Christo.* 254
Art. III. *Soluuntur fundamenta sententiæ negantis, præcedenti articulo relata.* 255

DISPVTATIO VII.
De donis Spiritus sancti, & gratiis gratis datis animæ Christi.
Art. I. *Quædam monita præmittuntur.* 256
Art. II. *Vtrùm dona Spiritus sancti fuerint in Christo Domino.* ibid.
Art. III. *Soluuntur fundamenta negantis sententiæ.* 258
Art. IV. *Vtrùm donum timoris fuerit in Christo Domino.* 259
Art. V. *Vtrùm gratiæ gratis datæ fuerint in Christo Domino.* 260
Art. VI. *Soluuntur obiectiones, & incidens dubium soluitur.* 262
Art. VII. *Quando Christus acceperit gratiam & dona Spiritus sancti.* 263
Art. VIII. *Quomodo Christus Dominus acceperit gratiam habitualem & alia dona supernaturalia.* ibid.
Art. IX. *Quando Christus habuerit virtutes morales.* 265

AD QVÆSTIONEM VIII.
De gratia Christi Domini, seu secundùm quod est caput Ecclesiæ.

DISPVTATIO I.
De Christo Domino, tamquam capite totius Ecclesiæ, hominum & Angelorum.
Art. I. *Vtrùm Christus Dominus sit caput Ecclesiæ.* 265
Art. II. *Vtrùm Christus Dominus sit caput omnium hominum.* 266
Art. III. *Soluuntur duo dubia.* 268
Art. IV. *Vtrùm Christus Dominus sit caput Angelorum.* ibid.
Art. V. *Argumenta contraria sententiæ & dubium incidens soluuntur.* 271

DISPVTATIO II.
Quid sit gratia capitis, per quid Christus illam habuerit, & an illi soli.
Art. I. *Vtrùm gratia vnionis sit gratia capitis.* 271
Art. II. *Soluuntur obiectiones.* 272
Art. III. *Vtrùm habitualis gratia Christi, sit gratia capitis.* 273
Art. IV. *Quid tandem sit gratia capitis.* 274
Art. V. *Per quid Christus Dominus fuerit idoneus, qui acciperet gratiam capitis, & eius actus exerceret.* 275
Art. VI. *Vtrùm esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo Domino.* 276
Art. VII. *Vtrùm diabolus sit caput omnium malorum.* 277
Art. vltimus. *Vtrùm Antichristus possit dici caput omnium malorum.* ibid.

AD QVÆSTIONEM IX.
De multiplici scientia Christi Domini in communi.

DISPVTATIO PRIMA.
De scientia creata & increata Christi Domini.
Art. I. *Vtrùm aliqua scientia creata, seu intellectio fuerit in Christo Domino, & quando fuerit in illo.* 278
Art. II. *Vtrùm anima Christi Domini cognouerit per increatam scientiam Dei.* 279
Art. III. *Vtrùm anima Christi Domini potuerit cognoscere per increatam scientiam Dei.* 280
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 281
Art. V. *Soluitur dubium.* 283

DISPVTATIO II.
De scientia beatifica Christi Domini.
Art. I. *Vtrùm anima Christi Domini habuerit scientiam beatificam.* 283
Art. II. *Soluuntur obiectiones.* 285
Art. III. *Quo iure anima Christi Domini habeat scientiam beatificam.* 287
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ* 289
Art. V. *Quo tempore vitæ suæ mortalis Christus Dominus acceperit visionem.* 292
Art. VI. *Vtrùm sit de fide Christum adhuc mortalem habuisse beatificam visionem.* 292

DISPVTATIO III.
De scientia infusa, & acquisita, Christi Domini.
Art. I. *Vtrùm Christus Dominus habuerit scientiam infusam seu inditam.* 294
Art. II. *Argumenta contraria sententia soluuntur.* 295
Art. III. *Vtrùm Christus Dominus habuerit aliquam scientiam acquisitam.* 297
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contraria sententiæ.* 299

Art. V. *Tria dubia soluuntur.* 299
Art. vltimus. *Vtrùm experimentalis scientia fuerit in Christo Domino.* ibid.

AD QVÆSTIONEM X.

DISPVTATIO VNICA.

De scientia beata animæ Christi Domini.

Artic. I. *Vtrùm anima Christi Domini videat in Verbo quæ fuerunt, sunt, vel futura sunt in aliqua temporis differentia.* 300
Art. II. *Vtrùm anima Christi Domini viderit prædicta in Verbo à primo instanti suæ beatitudinis.* 301
Art. III. *Vtrùm anima Christi Domini cognoscat in Verbo res omnes possibiles.* 302
Art. IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 303
Art. V. *Tria dubia soluuntur.* 305
Art. VI. & vltimus. *Vtrùm anima Christi Domini videat clarius diuinam essentiam, quolibet alio intellectu creato.* ibid.

AD QVÆSTIONEM XI.

De scientia infusa per se animæ Christi Domini.

DISPVTATIO PRIMA.

De lumine requisito in anima Christi Domini.

Art. I. *Vtrùm anima Christi Domini vltra suam naturalem potentiam intelligendi, & species representantes obiecta huius scientiæ, opus habuerit aliquo lumine.* 306
Art. II. *Soluuntur fundamenta sententiæ præcedenti articulo relatæ.* 307
Art. III. *Vtrùm detur lumen seu quædam qualitas complens intellectum animæ Christi Domini pro ferendo iudicio circa obiecta huius scientiæ.* 308
Art. IV. *Duo dubia soluuntur.* 309
Art. V. *Vtrùm hoc lumen sit distinctum ab ipsa scientia infusa per se.* ibid.
Art. VI. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ præcedenti articulo relatæ.* 310
Art. VII. *Vtrùm hoc prædictum lumen scientiæ per se infusæ sit vnum.* 311
Art. VIII. *Soluuntur fundamenta prioris sententiæ præcedenti articulo relatæ.* 312
Art. IX. *Vtrùm lumen seu habitus scientiæ per se infusæ animæ Christi sit distinctus à lumine gloriæ.* 314
Art. X. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ articulo præcedenti relatæ.* 315

DISPVTATIO II.

De speciebus requisitis ad scientiam infusam per se.

Art. I. *Vtrùm species huius scientiæ sint supernaturales.* 318
Art. II. *Soluuntur fundamenta prioris sententiæ articulo præcedenti relatæ.* 319
Art. III. *Vtrùm species huius scientiæ sint vna, vel plures.* ibid.
Art. IV. *Soluuntur fundamenta sententiæ Marsilij relatæ præcedenti articulo.* 320
Art. V. *Vtrùm species huius scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini sint vniuersaliores speciebus Angelorum.* 322
Art. VI. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ præcedenti articulo relatæ.* 323

DISPVTATIO III.

De rebus naturalibus vt obiectis scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini.

Artic. I. *Vtrùm anima Christi Domini per hanc scientiam per se infusam cognouerit omnes species rerum naturalium, quas Angeli cognoscunt naturaliter.* 324
Art. II. *Vtrùm anima Christi Domini per hanc scientiam inditam cognouerit omnia individua, tàm materialia, quàm immaterialia ordinis naturalis suo tempore existentia.* ibid.
Art. III. *Vtrùm cognouerit omnia individua præterita & futura.* 325
Art. IV. *Vtrùm anima Christi Domini per scientiam infusam per se cognouerit omnia possibilia naturalis ordinis.* 326
Art. V. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam quatuor præcedentium articulorum.*

DISPVTATIO IV.

De rebus creatis merè liberis, vt obiectis scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini.

Art. I. *Vtrùm anima Christi Domini per scientiam infusam per se cognouerit cogitationes cordium.* 328
Art. II. *Soluitur dubium.* 329
Art. III. *Soluuntur fundamenta prioris sententiæ sexto articulo relatæ.* ibid.
Art. IV. *Vtrùm anima Christi Domini per hanc scientiam cognouerit futura contingentia quæ pendent à libertate voluntatis creatæ.* 330

Art. V. *Quomodo anima Christi Domini cognoscat futura contingentia.* 331
Art. VI. *Soluuntur tria alia dubia.* 334

DISPVTATIO V.

De rebus creatis supernaturalibus, vt obiectis scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini.

Artic. I. *Vtrùm anima Christi Domini per scientiam infusam per se cognouerit res creatas supernaturales, quæ ordinem habitualem important ad diuinam essentiam.* 334
Art. II. *Quâ cognitione anima Christi Domini cognoscat prædictas res supernaturales.* 335
Art. III. *Vtrùm anima Christi Domini per scientiam infusam per se cognoscat visionem beatificam & modum substantialem, quo humanitas vnitur Verbo, & quâ cognitione distinctâ.* 336
Art. IV. *Corollarium præcedentis explicatur, & aliquod dubium soluitur.* 337
Art. V. *Vtrùm anima Christi Domini per scientiam per se infusam cognoscat res supernaturales possibiles.* ibid.

DISPVTATIO VI.

De mysteriis diuinitatis, vt supernaturalibus obiectis scientiæ per se infusæ Christi Domini.

Art. I. *Quædam monita præmittuntur, & sensus difficultatis explicandæ aperitur.* 338
Art. II. *Vtrùm anima Christi Domini cognouerit per hanc scientiam per se infusam, Deum esse vnum & trinum.* ibid.
Art. III. *Quo medio anima Christi Domini cognouerit per scientiam per se infusam Deum esse vnum & trinum.* 339
Art. IV. *Soluitur dubium.* 340
Art. V. *Soluitur obiectio.* 341
Art. VI. *Fundamenta negantis sententiæ artic. secundo relatæ soluuntur.* ibid.

DISPVTATIO VII.

De modo & vsu scientiæ per se infusæ.

Art. I. *Vtrùm hæc scientia animæ Christi Domini sit discursiua.* 343
Art. II. *Vtrùm anima Christi Domini potuerit discurrere per scientiam per se infusam.* 344
Art. III. *Soluuntur fundamenta prioris sententia relatæ præcedenti articulo.* 346
Art. IV. *Vtrùm anima Christi Domini debuerit vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata.* 348
Art. V. *Vtrùm anima Christi Domini potuerit pro sua libertate vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata.* 349
Art. VI. *Vtrùm anima Christi Domini sit semper in aliquo actu secundo huius scientiæ.* 351
Art. VII. *Vtrùm anima Christi possit habere vnicum actum toti huic scientiæ adæquatum.* 352
Art. VIII. *Tria dubia soluuntur.* 353

AD QVÆSTIONEM XII.

DISPVTATIO VNICA.

De scientia acquisita animæ Christi Domini.

Art. I. *Quomodo & quando anima Christi Domini habuerit scientias acquisitas.* 354
Art. II. *Soluuntur fundamenta prioris sententiæ articulo præcedenti relatæ.* 356
Art. III. *Duo corollaria colliguntur.* 357

AD QVÆSTIONEM XIII.

De potentia animæ Christi Domini.

DISPVTATIO I.

Artic. I. *Vtrùm humanitas sit omnipotens.* 358
Art. II. *Soluuntur duæ obiectiones contrariationes præcedentis articuli.* ibid.
Art. III. *Soluuntur fundamenta Lutheranæ hæresis articulo primo relatæ.* 359
Art. IV. *Vtrùm Christus vt homo habuerit potestatem faciendi miracula.* 360
Art. V. *Quando & qualem potestatem faciendi miracula Christus acceperit.* 361
Artic. VI. *Soluuntur tria dubia.* 362
Art. VII. *Colliguntur tria corollaria.* ibid.

DISPVTATIO II.

De modo quo humanitas Christi Domini operatur miracula: Vtrùm duntaxat moraliter, an etiam physicè.

Artic. I. *Duæ sententiæ contrariæ proponuntur, & quæ asserit physicam efficientiam præfertur, & ostenditur esse sancti Thomæ.* 363
Art. II. *Nostra sententia probatur ex variis curationibus miraculosis, & præsertim hæmorrhoissæ.* 364
Art. III. *Eadem sententia probatur ex curatione leprosi.* 365
Art. IV. *Hæc eadem sententia probatur ex resuscitatione filij viduæ.* 366
Art. V. *Probatur hæc nostra sententia ex restitutione visus cæco nato.* ibid.
Art. VI. *Nostra sententia probatur etiam ratione.* ibid.

Art. VII. *Primum fundamentum sententiæ contrariæ desumptum ab authoritate Patrum soluitur.* 367
Art. VIII. *Soluitur secundum fundamentum huius sententiæ.* 368
Art. IX. *Soluitur tertium fundamentum contrariæ sententiæ.* 369
Art. vltimus. *Fundamentum quartum huius sententiæ soluitur.* 370

AD QVÆSTIONEM XIV.

Disputatio vnica.

De defectibus corporis à Filio Dei assumptis.

Art. I. *Vtrùm corporales defectus consequentes totam naturam humanam, fuerint in Christo.* ibid.
Art. II. *Soluuntur fundamenta hæresis art. primo relata.* 372
Art. III. *Vtrùm Christus assumpserit pœnas Purgatorij, vel etiam inferni.* 373
Art. IV. *Soluuntur fundamenta Caluini.* ibid.
Art. V. *Vtrùm Filius Dei assumpserit defectus corporales, qui consequuntur causas particulares.* 374
Art. VI. *Soluuntur tria dubia.* ibid.

AD QVÆSTIONEM XV.

De defectibus animæ assumptis à Christo Domino.

Disputatio I.

De impeccabilitate Christi Domini.

Artic. I. *Vtrùm aliquod peccatum fuerit in Christo Domino.* 376
Art. II. *Præmittuntur quædam monita ad intelligentiam impeccabilitatis Christi Domini, & variæ de illa sententiæ proponuntur.* 377
Art. III. *Affirmans sententia præfertur & probatur.* 378
Art. IV. *Refelluntur variæ opiniones de ratione impeccabilitatis.* 379
Art. V. *Præmittuntur quædam monita ad veram rationem impeccabilitatis.* 380
Art. VI. *Vtrùm vnio hypostatica habeat moralem repugnantiam cum peccato.* 381
Art. VII. *Vtrùm vnio hypostatica habeat physicam repugnantiam cum peccato.* ibid.
Art. VIII. *Quæ sit proxima ratio impeccabilitatis.* 382
Art. IX. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.* 383
Art. X. *Colliguntur quatuor corollaria.* 385
Art. XI. *Soluuntur fundamenta sententiæ negantis Christum vi vnionis hypostaticæ esse impeccabilem.* 386

Disputatio II.

De fomite peccati.

Art. I. *Vtrùm fomes peccati fuerit in anima Christi Domini.* 388
Art. II. *Soluuntur obiectiones.* 389
Art. III. *Quomodo sit extinctus fomes peccati in anima Christi.* 390
Art. IV. *Dubium soluitur.* ibid.
Art. V. *Vtrùm fomes iste potuerit esse in Christo.* 391
Art. VI. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ præcedenti articulo relatæ.* ibid.

Disputatio III.

De ignorantia.

Art. I. *Præmittuntur quædam monita de ignorantia.* 392
Art. II. *Vtrùm ignorantia practica potuerit esse in Christo.* 393
Art. III. *Vtrùm ignorantia speculatiua potuerit esse in Christo.* ibid.
Art. IV. *Soluuntur fundamenta Vasquesij.* 394
Art. V. *Soluuntur duo dubia.* 395

Disputatio IV.

De passionibus & admiratione in Christo existentibus.

Art. I. *Vtrùm & qua ratione passiones fuerint in Christo Domino.* 395
Art. II. *Vtrùm passiones appetitus concupiscibilis fuerint in Christo.* 396
Art. III. *Vtrùm passiones appetitus irascibilis fuerint in Christo.* 397
Art. vltimus. *Vtrùm admiratio fuerit in Christo Domino.* 398

AD QVÆSTIONEM XVI.

De consequentibus vnionem hypostaticam.

Disputatio prima.

De communicatione idiomatum ratione Verbi incarnati præcisa & secundum se considerata.

Art. I. *Quid & quotuplex sit communicatio idiomatum, & an aliqua detur in Christo Domino ratione huius mysterij.* 399
Art. II. *Vtrùm hæc communicatio consistat in communicatione naturæ diuinæ, & attributorum eius factæ humanitati Christi Domini.* 400
Art. III. *Vtrùm communicatio idiomatũ sequatur ad vnionem hypostaticam.* 401
Art. IV. *Vtrùm attributum diuinæ immensitatis fuerit communicatum humanitati Christi Domini.* 403
Art. V. *Soluuntur fundamenta Lutheranorum asserentium vnionem hypostaticam consistere in communicatione idiomatum.* 404

Art. VI. *Soluuntur fundamenta Vbiquistarum.* 405
Art. VII. *In quo idiomatum communicatio ratione huius mysterij verè & propriè consistat.* 406

DISPVTATIO II.

De mutua prædicatione absoluta duarum naturarum Christi Domini.

Artic. I. *Vtrùm natura & proprietates prædicentur de se inuicem in abstracto.* 407
Art. II. *Soluitur dubium.* ibid.
Art. III. *Vtrùm naturæ & proprietates prædicentur de se inuicem in concreto.* 408
Art. IV. *Colliguntur duæ regulæ.* 409
Art. V. *Vtrùm vna natura prædicetur de alia denominatiuè.* 410

DISPVTATIO III.

De mutua prædicatione cum aliqua nota duarum naturarum Christi Domini.

Artic. I. *Vtrùm prædicata diuina, vel humana possint dici de Christo Domino cum aliqua nota reduplicationis.* 412
Art. II. *Colliguntur quinque corollaria.* ibid.
Art. III. *Quænam prædicata dicantur reduplicatiuè, vel specificatiuè de Christo Domino.* 413

DISPVTATIO IV.

De conditione, & materia enuntiationum quæ formantur de Christo ratione communicationis idiomatum.

Artic. I. *Vtrum hæc propositio, Deus est homo, sit propria.* 415
Art. II. *Soluuntur fundamenta Durandi.* 416
Art. III. *Quædam præmittuntur ad intelligentiam necessitatis, vel contingentiæ huius propositionis, Deus est homo.* 417
Art. IV. *Vtrùm hæc propositio, Deus est homo, sit in materia contingenti vel necessaria.* 418
Art. V. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ articulo tertio relatæ.* 419

DISPVTATIO V.

De qualitate propositionum, quæ ratione communicationis idiomatum formantur de Christo.

Artic. I. *Vtrùm hæc propositio, Deus factus est homo, sit vera.* 420
Artic. II. *Vtrùm hæc propositio, Homo factus est Deus, sit vera.* 421
Art. III. *Vtrùm Christus Dominus possit dici creatura.* ibid.
Art. IV. *Soluuntur fundamenta cõtrariæ sententiæ præcedenti articulo relatæ.* 423
Art. V. *Vtrùm hæ propositiones, Christus incepit esse, & hic homo, demonstrato Christo, incepit esse, sint veræ & propriæ.* 425
Art. VI. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ præcedenti articulo relatæ.* 426

AD QVÆSTIONEM XVII.

DISPVTATIO VNICA.

De pertinentibus ad vnitatem in Christo Domino quantum ad esse.

Art. I. *Vtrùm Christus Dominus sit vnus, & vnum, ita vt nulla ratione sit duo, vel aliud, & aliud.* 428
Art. II. *Vtrùm in Christo Domino sint plura esse existentiæ, seu an humanitas eius habeat suam propriam creatam existentiam, an verò tantùm existat existentia Verbi diuini.* 429
Art. III. *Soluuntur contrariæ sententiæ fundamenta.* 431

AD QVÆSTIONEM XVIII.

De pertinentibus ad vnitatem quantùm ad voluntatem Christi Domini.

DISPVTATIO I.

Art. I. *Refertur opinio Monothelitarum de vnica Christi voluntate, & quædam præmittuntur.* 433
Art. II. *Vtrùm in Christo Domino sint duæ voluntates.* 434
Art. III. *Soluuntur fundamenta Monothelitarum.* 435
Art. IV. *Vtrùm voluntas humana efficax Christi Domini fuerit omninò conformis diuinæ voluntati.* 436
Art. V. *Vtrùm voluntas humana inefficax Christi Domini fuerit conformis diuinæ voluntati.* 437
Art. VI. *Quinque consectaria traduntur.* ibid.

DISPVTATIO II.

De libertate Christi Domini.

Art. I. *Vtrùm humana voluntas Christi Domini sit libera.* 438
Art. II. *Quâ libertate anima Christi Domini fuerit libera.* 439
Art. III. *Vtrùm Christus Dominus fuerit liber in obseruatione præceptorum, & quomodo eius libertas stet cum impeccabilitate, & statu difficultatis aperitur.* 440
Art. IV. *Sex modi explicandi hanc doctrinam referuntur, & refelluntur.* ibid.
Art. V. *Alius modus explicandi hanc do-*

ctrinam refertur, & refellitur. 442
Art. VI. *Refertur verus modus, & ad eius intelligentiam quædam præmittuntur.* 444
Art. VII. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.* 446
Art. vltimus. *Verus ille modus probatur ratione.* 447

AD QVÆSTIONEM XIX.

De operatione & merito Christi Domini.

Disputatio I.

De operatione Christi Domini.

Art. vnicus. *Vtrùm vna vel duplex operatio fuerit in Christo Domino.* 448

Disputatio II.

De merito in vniuersum, & de tempore quo Christus meruit.

Art. I. *Vtrùm aliqua operatio Christi Domini fuerit meritoria.* ibid.
Art. II. *Quo tempore Christus Dominus meruerit.* 449

Disputatio III.

De actibus, per quos Christus Dominus meruit.

Art. I. *Quibus actibus Christus Dominus meruit.* 450
Art. II. *Vtrùm Christus Dominus meruerit per aliquem actum amoris.* 451
Art. III. *Vtrùm Christus Dominus per aliquem actum amoris beatifici meruerit.* ibid.
Art. IV. *Vtrùm Christus Dominus meruerit per actus amoris consequentis scientiam per se infusam.* 452
Art. V. *Obiectiones contrarias soluuntur.* 454
Art. VI. *Vtrùm Christus meruit per actus amoris correspondentis charitati viæ, & per actus amoris naturalis, & liberos actus aliarum virtutum.* 455

Disputatio IV.

Quid sibi Christus meruerit.

Art. I. *Vtrùm Christus sibi meruerit de facto suam Incarnationem.* 457
Art. II. *Soluitur dubium.* 458
Art. III. *Vtrùm de absoluta Dei potentia humanitas Christi Domini potuerit sibi mereri vnionem hypostaticam.* ibid.
Art. IV. *Soluitur obiectio.* 459
Art. V. *Soluitur dubium.* 460
Art. VI. *Vtrùm de absoluta Dei potentia Christus Dominus potuerit, peracto iam mysterio Incarnationis, mereri illud per merita subsequentia.* ibid.
Art. VII. *Soluuntur fundamenta primæ sententiæ.* 462
Art. VIII. *Soluuntur duo dubia.* 464
Art. IX. *Vtrùm Christus sibi mereri potuerit de absoluta Dei potentia gratiam sanctificantem, bona animæ, & alios supernaturales habitus sibi infusos.* ibid.
Art. X. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.* 465
Art. XI. *Vtrùm Christus Dominus sibi meruerit gloriam corporis.* 466
Art. XII. *Soluuntur duo dubia.* 467
Art. XIII. *Vtrùm Christus Dominus meruerit Ascensionem suam in cœlos.* 468
Art. XIV. *Vtrùm Christus Dominus meruerit exaltationem nominis sui.* ibid.
Art. XV. *Vtrùm Christus Dominus meruerit dignitatem sacerdotij, dominij & iudiciariæ potestatis.* 469
Art. XVI. *Soluuntur obiectiones contra doctrinam superioris articuli.* 470
Art. vltimus. *Soluuntur fundamenta Caluini contra doctrinam præcedentium articulorum.* ibid.

Disputatio V.

Quid Christus Angelis meruerit vtrùm Christus Dominus meruerit illis gratiam & gloriam.

Artic. I. *Proponuntur sententiæ, & affirmans asseritur.* 472
Art. II. *Probatur nostra sententia ex loco Apostoli ad Ephesios cap. primo.* ibid.
Art. III. *Probatur eadem sententia ex eodem Apostolo cap. primo ad Colossenses.* 473
Art. IV. *Probatur nostra sententia ex Patribus.* ibid.
Art. V. *Probatur nostra sententia ratione.* 474
Art. VI. *Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ petitum ex Scriptura sacra.* 475
Art. VII. *Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ petitum ex Patribus.* ibid.
Art. VIII. *Soluitur fundamentum petitum a ratione.* 476
Art. IX. *Secunda ratio soluitur.* ibid.
Art. vltimus. *Soluitur vltima ratio.* 478

Disputatio VI.

Quid Christus meruerit hominibus.

Artic. I. *Vtrùm Christus Dominus meruerit hominibus remissionem debiti carendi omnibus auxiliis supernaturalibus.* 479
Art. II. *Vtrùm Christus meruerit hominibus omnes gratias actuales, quæ antecedunt iustificationem.* ibid.
Art. III. *Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ petitum ex sacra Scriptura.* 480
Art. IV. *Soluitur fundamentum contra-*

rię sententię petitum ex Patribus. 481
Art. V. *Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ desumptum ex multiplici ratione.* 482
Art. VI. *Vtrùm Christus Dominus nobis promeruerit remissionem peccatorum.* ibid.
Art. VII. *Vtrùm Christus Dominus meruerit hominibus remissionem omnium pœnarum.* 483
Art. VIII. *Vtrùm Christus Dominus meruerit hominibus gratiam iustificantem.* ibid.
Art. IX. *Soluuntur obiectiones quæ militant aduersus tres præcedentes articulos.* 484
Art. X. *Soluitur dubium.* 485
Art. XI. *Vtrùm Christus Dominus promeruerit ea dona, quæ dantur hominibus post iustificationem,* ibid.
Art. XII. *Soluuntur obiectiones.* 486
Art. vltimus. *Vtrùm Christus nobis promeruerit efficacem suorum meritorum applicationem.* 488

AD QVÆSTIONEM XX.

DISPVTATIO VNICA.
De subiectione Christi.

Art. I. *Vtrùm Christus quatenus homo fuerit subiectus Deo Patri.* 491
Art. II. *Soluuntur obiectiones.* 492
Art. III. *Quibus legibus Christus fuerit subiectus.* 493
Art. IV. *Vtrùm Christus quatenus homo sit seruus Dei.* 494
Art. V. *Soluuntur obiectiones Vasquesij.* 495

AD QVÆSTIONEM XXI.

DISPVTATIO VNICA.
De oratione Christi Domini.

Art. I. *Vtrùm competat Christo orare.* 496
Art. II. *An Christus vt homo orauerit ex necessitate.* 497
Art. III. *Vtrùm Christus existens in cœlo post suam resurrectionem oret.* 499
Art. IV. *Soluuntur duæ obiectiones.* 501
Art. V. *Soluuntur fundamenta Vasquesij.* 502
Art. VI. *Vtrùm Christo conueniat orare secundùm sensualitatem, item orare pro se, & an omnis eius oratio semper fuerit exaudita.* 503

AD QVÆSTIONEM XXII.

DISPVTATIO I.
De sacerdotio Christi.

Art. I. *Vtrùm conueniat Christo esse Sacerdotem.* 504
Art. II. *Soluitur prima obiectio.* 505
Art. III. *Soluitur secunda obiectio.* 506
Art. IV. *Soluitur tertia obiectio.* ibid.
Art. V. *Soluitur vltima obiectio.* 507
Art. VI. *Qua ratione dignitas Sacerdotis competat Christo Domino.* 508
Art. VII. *Soluitur primum argumentum sententiæ contrariæ.* 509
Art. VIII. *Soluuntur reliqua fundamenta eiusdem sententiæ.* ibid.
Art. IX. *Quomodo Christus sit factus Sacerdos? sensus difficultatis aperitur, & oppositæ sententiæ refelluntur.* 510
Art. X. *Probatur nostra sententia ex Apostolo ad Hebræos nono.* 511
Art. XI. *Nostra sententia probatur ratione.* 512
Art. XII. *Soluitur primum fundamentum contrariæ sententiæ.* 513
Art. XIII. *Soluitur secundum fundamentum contrariæ sententiæ.* 515
Art. XIV. *Soluuntur reliqua fundamenta eiusdem sententiæ.* ibid.
Art. XV. *Respondetur ad duo corollaria eiusdem sententiæ articulo nono propositæ.* 516
Art. XVI. *Vtrùm Christus simul fuerit sacerdos, & hostia, & quæ ara & templum eius sacrificij.* ibid.
Art. XVII. *Vtrùm effectus Sacerdotij Christi Domini sit expiatio peccatorum, & an effectus Sacerdotij Christi non solùm ad alios pertinuerit, sed etiam ad se ipsum.* 517
Art. XVIII. *Soluuntur obiectiones.* ibid

DISPVTATIO II.
De conditione & excellentia Sacerdotij Christi Domini.

Art. I. *Vtrùm Sacerdotium Christi Domini fuerit Aaronicum, & an illo perfectius.* 518
Art. II. *Vtrùm Sacerdotium Christi fuerit legis naturæ & an illo perfectius.* 519
Art. III. *Vtrùm Sacerdotium Christi fuerit secundùm ordinem Melchisedech, & quomodo.* ibid.
Art. IV. *In quo consistat repræsentatio Sacerdotij Christi cum Sacerdotio Melchisedecis.* 520
Art. V. *Vtrùm ratione Sacerdotij Christus sit dignitate superior beatis Angelis.* 521
Art. VI. *Soluuntur dubia.* ibid.

DISPVTATIO III.
De Regno Christi.

Artic. I. *Quædam monita præmittuntur, & status quæstionis aperitur.* 522
Art. II. *Vtrùm Christus Dominus vt homo habuerit aliquod dominium vulgare.* 523
Art. III. *Vtrùm Christus habuerit dominium altum tam quoad proprietatem, quàm quoad iurisdictionem.* 524
Art. IV. *Nostra sententia probatur ratione.* 525
Art. V. *Nostra sententia probatur ex Patribus, & cuidam tacitæ obiectioni occurritur.* 526
Art. VI. *Soluuntur fundamenta sententiæ contrariæ.* 527

AD QVÆSTIONEM XXIII.

DISPVTATIO VNICA.
De adoptione Christi.

Artic. I. *Vtrùm Deo conueniat adoptare.* 528
Art. II. *Duo soluuntur dubia.* 529
Art. III. *Cuinam competat adoptare.* ibid.
Art. IV. *Vtrùm Christus Dominus sit filius naturalis, vel adoptiuus Dei, etiam in quantum est homo.* 530
Art. V. *Soluuntur obiectiones.* 531
Art. VI. *Vtrùm Christus, quatenus homo, fuerit propriè Filius Dei.* 533
Art. VII. *Soluuntur obiectiones.* 534

AD QVÆSTIONEM XXIV.

DISPVTATIO VNICA.
De prædestinatione Christi.

Artic. I. *Vtrùm Christo conueniat prædestinatum esse.* 535
Art. II. *Vtrùm Christus sit prædestinatus ad filiationem diuinam.* 536
Art. III. *Obiectio & dubium soluitur.* 538
Art. IV. *Vtrum prædestinatio Christi sit nostræ prædestinationis causa & exemplar.* 539

AD QVÆSTIONEM XXV.

DISPVTATIO I.
De adoratione in genere.

Art. I. *Quid sit adoratio.* 540
Art. II. *Vtrum, & quomodo adoratio propriè dicta distinguatur à laude, gloria, & honore.* 541
Art. III. *Cuius virtutis ipsa adoratio sit actus.* 542
Art. IV. *Quædam colliguntur ex dictis.* 543
Art. V. *Vtrùm signum externum in adoratione requisitum debeat esse necessariò corporeum.* 544
Art. VI. *Quomodo adoratio diuidatur.* 545
Art. VII. *Qualis sit prædicta adorationis diuisio, vniuoca, an analoga.* 546
Art. VIII. *Vtrùm res per tres illas adorationis species importata detur.* ibid.
Art. IX. *Vtrùm hæc nomina, latria, dulia, & hyperdulia sint conuenienter imposita prædictis speciebus adorationis.* 548
Art. X. *Soluuntur obiectiones hæreticorum contra doctrinam præcedentium articulorum.* ibid.

DISPVTATIO II.
De adoratione Christi.

Art. I. *Vtrùm vna & eadem adoratione sit adoranda diuinitas Christi, & eius humanitas.* 550
Art. II. *Soluuntur quatuor dubia.* 552
Art. III. *Soluuntur obiectiones.* 554
Art. IV. *Vtrùm humanitas Christi, secluso omni eius ordine ad suppositum Verbi diuini adoranda sit adoratione latriæ.* ibid.
Art. V. *Vtrùm humanitas Christi vnita quidem Verbo, sit capax adorationis, non tamen sic apprehensa.* 555
Art. VI. *Vtrùm humanitas Christi Domini nudè apprehensa decenter adoretur.* 558
Art. VII. *Soluuntur obiectiones contra hos duos præcedentes articulos.* ibid.

DISPVTATIO III.
De Imaginibus, & earum cultu.

Art. I. *Vtrùm nomina hæc, imago, idolum, & simulachrum, idem significent.* 560
Art. II. *Soluuntur obiectiones.* 561
Art. III. *Vtrùm vsus imaginum Dei sit honestus & licitus.* 562
Art. IV. *Nostra sententia probatur ratione.* 563
Art. V. *Vtrùm vsus imaginum Dei aliquam eius perfectionem repræsentantium per analogiam ad quasdam creaturas sit honestus & licitus.* 564
Art. VI. *Soluitur dubium.* 565
Art. VII. *Soluuntur obiectiones hæreticorum.* ibid.
Art. VIII. *Vtrùm in Templis imagines rectè collocentur.* 567
Art. IX. *Soluuntur obiectiones hæreticorum.* 568
Art. X. *Vtrùm imagines sint adorandæ.* 570
Art. XI. *Nostra sententia probatur ratione.* 571

Art. XII. *Soluitur dubium.* 573
Art. XIII. *Soluuntur obiectiones hæreticorum ex Scripturis & Conciliis.* ibid.
Art. XIV. *Soluitur obiectio hæreticorum petita ex Patribus.* 574
Art. XV. *Soluuntur obiectiones hæreticorum à ratione petita.* 575

DISPVTATIO IV.
De modo adorandi imagines.

Art. I. *Vtrùm sacræ imagines possint adorari vt quo, vel etiam simul cum prototypis.* 576
Art. II. *Soluuntur obiectiones.* 577
Art. III. *Vtrùm adoratio possit terminari ad imaginem.* 578
Art. IV. *Soluuntur obiectiones.* 579

DISPVTATIO V.
De Crucis adoratione.

Art. I. *Vtrùm Crux, cui Christus pro nobis fuit appensus, sit colenda, & quo cultu.* 580
Art. II. *Soluuntur fundamenta hæreticorum contra adorationem veræ Crucis.* 581
Art. III. *Vtrùm imago veræ Crucis, item & signum crucis sint adoranda.* 583

DISPVTATIO VI.
De adoratione Deiparæ Virginis.

Artic. I. *Vtrùm Mater Christi sit adoranda.* 584
Art. II. *Quam ob rationem sit adoranda Beatissima Virgo Deipara, & qua specie adorationis.* ibid.
Art. III. *Tria dubia soluuntur.* 585

DISPVTATIO VII.
De adoratione & cultu reliquiarum.

Art. I. *Vtrùm Reliquiæ Sanctorum sint adorandæ.* 586
Art. II. *Soluuntur argumenta hæreticorum.* 587

AD QVÆSTIONEM XXVI.
De Christo Domino mediatore.

AD QVÆSTIONEM XXVII.
DISPVTATIO VNICA.
De sanctificatione Beatissimæ Virginis.

Art. I. *Vtrùm beatissima Virgo concepta fuerit in peccato originali.* 588
Art. II. *Soluitur dubium.* 591
Art. III. *Soluuntur argumenta sententiæ prioris.* 592

DE MYSTERIO

INCARNATIONIS VERBI DIVINI

AD TERTIAM PARTEM SANCTI THOMÆ.

DE NOMINE INCARNATIONIS, & ordine disputationis.

I. AVGVSTISSIMVM illud & amplissimæ significationis enunciatum *Verbum caro factum est*, quo dilectus Christo discipulus initio sui Euangelij totum Dominicæ Incarnationis mysteriũ quatuor vocibus exprimit, docet hæc duo *secundam Trinitatis personam incarnari, & secundam Trinitatis personam fieri hominem*, in vnam conuenire sententiam, idémque sonare apud omnes orthodoxos: *Cùm enim* (ait S. August. lib. 13. de Trinit. cap. 19.) *lego Verbum caro factum est, in Verbo, intelligo verum Dei Filium, in carne agnosco verum hominis filium, & vtrumque simul in vna persona Dei & hominis, ineffabili gratiæ largitate coniunctum.*

II. Quare nomine *Incarnationis* nihil aliud apud Patres & Theologos intelligitur, quàm assumptio totius naturæ humanæ in vnitatem suppositi, seu personæ, quatenus hoc nomen *caro* iuxta modum loquendi satis communem in sacra Scriptura, sumitur synecdochicos pro tota humanitate, vt Gen. 6. cap. *Omnis caro corruperat viam suam*, id est omnis homo, & alibi passim vt obseruat S. Augustinus lib. 83. quæstionum quæstione 80. iuxta quam locutionem ait illud III. *Verbum caro factum est*, nihil aliud significare, quàm Verbum homo factum est.

Neque his obstat, quòd aliqui Patrum primitiuæ Ecclesiæ reformidauerunt hoc nomen *Incarnatio* pro explicando præsenti mysterio: id enim faciebant quatenus sumitur strictè, & propriè, scilicet pro illa tantùm altera ignobiliori parte hominis, & quatenùs vnio Verbi diuini significatur facta tantùm cum corpore, & non cum anima, sicut contendebat Apollinaris contra quem infrà disputabimus: at communis vsus Ecclesiæ, penes quem est regula loquendi de mysteriis nostræ fidei, innixus citatis Scripturæ locis accommodauit hoc nomen *Incarnatio* significandæ assumptioni totius humanitatis in vnitatem suppositi. A

Et licèt hoc nomen *anima* quod alteram partem hominis significat, sumatur etiam interdum in sacris litteris per synecdochen pro tota humanitate, vt Genes. 12. quando dicitur de Abraham, *Tulit animas quas fecerant in Aran*, id est homines quos genuerant, & quando Gen. 14. Rex Sodomorum dixit Abrahæ redeunti de prælio, *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, id est, redde mihi homines ciues meos: ab hoc tamen nomine præsens mysterium non potest vocari *animatio*, sicut à carne *incarnatio:* quia hoc nomen *animatio* ita importat vnionem ad corpus, vt tamen significet illud à quo tanquam formali principio, est talis animatio, esse, loquèndo propriè formam informantem illius subiecti quod animat. vnde cùm Verbum diuinum in hoc mysterio non informet corpus (quia Christus Dominus habet veram & propriè dictam animam rationalem, vt docebimus disputando contra prædictum Apollinarem) nec item natura humana Christi Domini, vel aliqua eius pars, sit propriè loquendo forma informans Verbum diuinum, fit vt hoc mysteriũ non possit citra hæresim appellari *animatio* Verbi diuini. B

IV. V. VI.

Porrò in explicatione tanti mysterij accuratam methodum Doctoris Angelici sequemur, & quemadmodum is hac in parte censuit sibi esse abstinendum ab istis duabus quæstionibus, scilicet *an mysterium Incarnationis possit ratione naturali, eáque euidenti cognosci esse possibile, & an sit de facto peractum*, sed quamprimùm exorditur ab eius conuenientia & necessitate, ita & nos, nec immeritò. Nam prima parte quæstione prima ex professo docuimus possibilitatem mysteriorum nostræ fidei nulla ratione naturali posse demonstrari *positiuè*, id est afferendo medium quo intrinseca aptitudo existentiæ C

illorum ostendatur, cùm quodlibet talis demonstrationis medium debeat contineri intra limites puræ naturæ, quos tamen omnes hæc nostra mysteria transcendunt. Vnde cùm Incarnatio sit vnum ex præcipuis mysteriis nostræ fidei, idem de illo censetur ibi esse probatum: Adde, quod & eadem parte quæst. 57. art. 5. ostendimus hoc mysterium, etiam postquam peractum est, latuisse Angelos secundùm suam naturalem vim intelligendi consideratos, & proinde à fortiori ipsos homines: quare ne actum agamus, &, quod S. Thomas existimauit huic loco intempestiuum, & omninò indemonstrabile, suscipiamus, omittimus, hoc vno contenti, quòd ad imitationem illius, omnes siue Gentiles, siue aliorum quorumcunque rationes quæ possibilitatem huius mysterij, vel substantiam eius, aut proprietates videbuntur impugnare, propriis suis locis, prout requiret occasio, dissoluemus.

Similiter omittimus probare contra Iudæos hoc mysterium iam à longo tempore esse reipsâ peractum, quia tota huiusce rei probatio maximè petitur ex variis Prophetarum vaticiniis è veteri Testamento repetitis, quorum discussio magis spectat ad Expositores sacræ Scripturæ, quàm ad Scholasticos, vt suo de hac quæstione silentio S. Thomas significat; quare cum illo à conuenientia & necessitate huius mysterij exordiemur.

AD I. QVÆSTIONEM

PRIMA DISPVTATIO.

De conuenientia & necessitate Incarnationis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari.

VIA mysterium Incarnationis visum est Gentilibus stultitia, 1. ad Corinth. 1. eius decentia priùs est explicanda, quàm necessitas, & hanc S. Thom. primo huius quæst. articulo inuestigat; sensus enim eius est iste, an aliqua peculiaris ratio detur propter quam fuerit maximè congruum & decens Deum incarnari. Ad cuius maiorem explicationem,

Notandum primò est, in operibus Dei *duplicem posse distingui conuenientiam*, externam vnam, internam alteram. *Externa* ea est, quâ aliquid dicitur conueniens præcisè ex eo quòd sit factum à Deo cuius sola voluntas potest esse sufficiens regula conuenientiæ, cùm non possit agere nisi sapienter: & hæc conuenientia vocatur *externa*, quia desumitur per ordinem ad diuinam voluntatem, vt causam efficientem, quæ est semper externa suo effectui. *Interna* conuenientia ea dicitur, quâ aliquod opus faciendum, vel factum dicitur esse conueniens ob speciales aliquot rationes sibi inexistétes in ordine ad consequendum finem aliquem particularem: & hæc conuenientia ad distinctionem prioris vocatur *interna*, quia tota attenditur penes ea quæ obiecto, seu effectui producendo, vel producto insunt. De priori conuenientia nulla hîc mouetur difficultas; eo enim ipso quo Incarnatio apprehenditur tanquam aliquod opus Dei, statim intelligitur esse conueniens isto priori modo, sed difficultas procedit tantùm de posteriori.

Notandum secundò, hanc particulam tituli *Deus* non supponere hîc pro determinata persona Filij, sed sumi indeterminatè pro aliqua persona ex diuinis, siue in Deo sit vnica tantum persona, vt Ethnici imaginantur, siue tres, vt nos profitemur: præsens enim articulus est distinctus ab octauo sequentis tertiæ quæstionis, quo S. Thomas quærit an conuenientius fuerit personam Filij assumere naturam humanam, quàm personam Patris, aut Spiritus sancti.

Notandum vltimò est, cùm Incarnatio sit aliquod opus ad extra, hanc internam conuenientiam quam inuestigamus posse attendi penès *tria*. *Primò*, penès Deum, non quidem præcisè in ordine ad eius voluntatem, sed in ordine ad alia eius attributa, verbi gratiâ, bonitatem, iustitiam, & alia eiusmodi. *Secundò*, penès humanitatem. *Tertiò*, penès ipsum vniuersum. S. Thomas hîc explicat solummodò primum caput, quia erat difficilius, & Gentiles totam ferè indecentiam quam apprehendebant in hoc mysterio, repetebant ex parte Dei & perfectionum eius, vt intelligitur ex epistola Volusiani ad S. Augustinum, & S. Augustini ad Volusianum quæ est tertia: vnde & rationes quibus S. Thomas probat suam conclusionem præcisè spectatam, probant tantùm conuenientiam vnionis hypostaticæ cum qualibet creatura intellectuali, non autem præcisè cum humana, ratione cuius vocatur *Incarnatio*, sed tantùm ex consequenti. Addidi hanc particulam *præcisè*, quia licèt in argumento *Sed contrà*, probet hanc conuenientiam ex bonitate, iustitia, & sapientia Dei quæ relucent in vnione hypostatica, vt factâ cum natura humana; attamen rota ista ratio etiam reluxisset, si hæc vnio fuisset facta cum natura Angelica ad redimendos aliquos Angelos ex iis qui lapsi sunt, vt ex ipsa eius applicatione facilè innotesceret; ideóque hæc conuenientia Incarnationis vt sic fundata in istis diuinis attributis, probatur tantùm ex aliquo præsupposito, quòd scilicet Deus voluerit solum hominem, & non lapsos Angelos, redimere; nos verò explicabimus conuenientiam huius mysterij quoad singula tria capita superiùs enumerata.

Sit itaque prima propositio. *Mysterium Incarnationis fuit conuenientissimum Deo.* Ita S. Thomas hîc, omnes eius Interpretes, & Patres communiter homilis quas habent de hoc mysterio. Probatur duplici ratione S. Thomæ, prima in argumento *Sed contrà* quæ est eiusmodi, illud opus est conuenientissimum Deo, per quod inuisibilia eius, seu attributa diuina & perfectiones manifestantur, ex Apostolo ad Romanos 1. quia quicquid Deus facit ad extra, facit ad manifestationem suæ diuinitatis & perfectionum: atqui mysterium Incarnationis est quoddam opus Dei, ex illo S. Ioannis 1. capite *Verbum caro factum est.* & hoc opus maximè manifestat attributa Dei, vt primò, bonitatem, quia Deus sese incarnando non despexit hominem lapsum, sed benignè ei manum porrexit ad sese subleuandum. Secundò, iustitiam, quia ratione huius mysterij factum est vt Deo satisfieret ad rigorem iuris pro peccatis omnium homi-

I. num, vt fusiùs infrà dicetur. Tertiò, sapientiam, quia per hoc mysterium, inuentum est modus decens, & plusquam sufficiens pretium grauissimi debiti, pro quo soluendo ad rigorem nulla pura creatura, quantumuis perfecta, poterat esse sufficiens, vt infrà explicabitur. Quartò, potentiam, cùm nihil maius possit dari ad extra, quàm eleuare naturam humanam ad esse personale Dei, itaut ratione talis vnionis, per communicationem idiomatum, homo sit & dicatur Deus, & è contrà, quod vtrumque euenit per hoc mysterium, vt explicabitur infrà, & sic de reliquis perfectionibus diuinis: quod totum Patres, suis libris & homiliis de hoc mysterio, fusiùs persequuntur: igitur ipsum opus Dominicæ Incarnationis fuit Deo conuenientissimum.

Altera ratio D. Thomæ contenta in corpore primi sui articuli, fundatur in solo attributo diuinæ bonitatis, & est eiusmodi. Maximè decet

II. summum bonum sese communicare summo modo creaturæ, quia ex D. Dionysio cap. 4. de diuinis nominibus, bonum est diffusiuum, seu communicatiuum sui: atqui Deus est summum bonum, quia est infinitus in omni genere, & proinde in genere bonitatis: & summus modus, quo Deus potest communicari creaturæ, est per Incarnationem, seu vnionem hypostaticam, quia per illam communicat suum esse substantiale personale, quo nihil maius aut melius potest excogitari, non quidem ipsa æterna beatitudo, seu visio beatifica; Primò, quia per visionem beatificam inducitur tantùm accidentalis quædam vnio, cùm in beatitudine diuina essentia vniatur tantùm intellectui beatorum, ad instar speciei impressæ, ratione cuius vnionis Deus

III. non prædicatur de intellectu beati: at per hoc præsens mysterium inducitur substantialis vnio, ratione cuius Deus prædicatur de homine, nam rectè dicitur homo est Deus. Secundò, quia per visionem beatificam bonum solummodò creatum communicatur, scilicet esse supernaturale gloriæ, at per hoc mysterium esse increatum, scilicet esse personale diuinum. Tertiò, quia visio beatifica sequitur vnionem hypostaticam, quando illa fit cum creatura intellectuali.

Nec item maius bonum communicaretur creaturæ, si omnes & singulæ diuinæ personæ incarnarentur, quàm nunc communicetur, quando vna tantùm persona ex diuinis incarnatur; quia maius bonum debet attendi & diiudicari penès quantitatem, & perfectionem suæ virtutis, seu intensionem eius, non autem penès nudam extensionem eius, quatenus scilicet idem

IV. vel simile bonum confertur à pluribus: at quando vnica persona ex diuinis incarnatur, tunc tantum bonum intensiuè sumptum confertur naturæ assumptæ, quantum ei conferretur, si tres diuinæ personæ illam assumerent, quia vna persona diuina est intensiuè tam perfecta, quàm sint aliæ duæ simul sumptæ, cùm quicquid est in vna, sit etiam in alia, & è contrà, vt ostendimus agendo de mysterio sanctissimæ Trinitatis: igitur per mysterium Incarnationis, Deus ita summo modo communicatur creaturæ, vt amplius non possit ei communicari.

Vbi notandum est totam hanc secundam rationem procedere tantùm de communicatione ad extra, seu quæ fiat creaturæ, vt patet ex toto processu illius: certum enim est communicationem illam, quâ Deus Pater generando Filium communicat ei suam eandem numero essentiam

A cum omnibus suis attributis, non qua Pater & Filius spirando Spiritum sanctum idem præstant ei esse, hoc enim non tantùm quia sunt simpliciter & absolutè necessariæ, nec subiacent libertati Patris & Filij, sed etiam quia tales communicationes faciunt personam, cui diuina essentia sic communicatur, esse naturaliter, & essentialiter vnum & eundem Deum cum ipso communicante eâ identitate, quâ maior nulla dari potest, vt ostendimus agendo de mysterio Trinitatis: quam tamen communicationem essentiæ, fieri beneficio mysterij Incarnationis, ostendemus esse impossibile sequenti quæstione, docendo hanc vnionem non potuisse fieri in natura.

Quæres, cùm hoc mysterium fuerit ita conueniens Deo, an etiam fuerit ei vtile, & aliquam ei perfectionẽ attulerit. Respondetur negatiuè, Primò, quia Deus nullâ re creatâ eget, aliàs non esset Deus, Psalm. 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* Secundò, quia hæc conuenientia tantùm procedit de actuali communicatione ad extra per transeuntem actionem vnitiuam: at actionem transeuntem nullam addere perfectionem Deo docent communiter omnes Theologi prima parte, quæstione 19. vltimo, quia si quam perfectionem acciperet, maximè illam quæ inest humanitati, cui vnitur hypostaticè: at Deus ex naturali & intrinseca sua conditione habet ab æterno in seipso omnes omnium rerum perfectiones, saltem eminenter, vt docent Theologi 1. parte, quæst. 4. art. 2. ergo Deus per mysterium Incarnationis nihil vtilitatis, vel perfectionis accepit.

C Secunda propositio. Mysterium Incarnationis, licèt non fuerit conueniens humanitati secundùm suæ naturæ conditionem consideratæ, ei tamen consideratæ secùndùm potentiam suam obedientialem, fuit conueniens & valdè vtile; imò licèt toti ipsi vniuerso, secundùm purum ordinem naturæ spectato, non sit conueniens, ei tamen considerato iuxta supernaturalem ordinem, est valdè conueniens & vtile.

Probatur propositio quoad singulas partes. Prima de humanitate est expressa D. Thom. hic in solutione ad secundum: vnde quando sequenti quæst. art. 1. ait naturam humanam habere congruentiam, vt à Verbo assumatur, qua omnes naturæ irrationales carent, loquitur de congruentia, non quidem naturali, sed obedientiali, & tantùm per comparationem ad aliquem

D particularem finem, qui repugnat naturæ irrationali, cuiusmodi est clara Dei visio, & amor beatificus, item reparatio à peccato originali, vt patet ex ipso eius textu: & hæc prima pars probatur simul cum alia simili de vniuerso. Illud tantùm conuenit humanitati, vel toti vniuerso, secundùm purum ordinem naturæ consideratis, ad quod habent naturalem inclinationem, & quo si careant, aliquid censetur, tanquam illis debitum provt constituuntur in tali ordine, deficere, quia bonum, seu conueniens correspondet appetitui, vt patet inductione facta per omnes res: atqui nec humanitas habet naturalem inclinationem, vt subsistat per subsistentiam Verbi diuini, cùm hæc sit alterius longè ordinis & conditionis, sed tantùm ad propriam suam creatam subsistentiam, nec item ipsum vniuersum habet naturalem inclinationem ad hoc vt gradus diuinæ vnionis hypostaticæ ei in-

V. VI. VII. VIII.

I. sit, quia talis gradus est intrinsecè & entitatiuè supernaturalis, & si eo careret, nullo tamen careret sibi requisito, seu debito iuxta ordinem naturæ, secundùm quem Aristoteles & alij Philosophi agnouerunt vniuersum esse perfectum, licèt hunc gradum vnionis hypostaticæ penitùs ignorarint: igitur hoc mysterium Incarnationis non est conueniens humanitati, vel vniuerso, secundùm conditionem puræ naturæ suæ consideratis.

Altera etiam pars propositionis, scilicet de conuenientia, iuxta potentiam obedientialem, probatur, & primò tam de ipsa humanitate, quam Deus singulariter assumpsit, quàm de tota natura humana: de priori quidem, quia per hoc mysterium hic homo, id est hanc habens numero humanitatem, in tali supposito est Deus, item est infiniti meriti, caput Angelorum & hominum, habétque plures alias prærogatiuas supra quamlibet creaturam, vt patebit infrà agendo de illis sigillatim.

II. Idem probatur de humanitate iuxta specificam suam rationem consideratâ, quia totum hoc mysterium ita fuit in bonum humanitatis assumptæ à verbo, vt tamen esset etiam in bonum totius humanæ naturæ, iuxta illud Apostoli loquentis de Incarnatione, primæ ad Corinthios 2. *Quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram*, id est quam Deus ab æterno decreuit, exequendam tamen in tempore, vt nos adduceret ad gloriam filiorum adoptionis. Nam & Christi meritis innixi, veniam & remissionem peccatorum, quamlibet gratiam in præsenti vita, & in alterâ gloriam consequimur, vt ipsemet Christus Dominus Ioannis 15. significat quando dicit, *Sine me nihil potestis facere.* Et quando sese comparat viti, & nos palmitibus: tum etiam quia tota natura humana ratione huius mysterij est tantoperè eleuata, vt quò attollatur altiùs non habeat, quemadmodum expressè ait D. Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum capite 15. & cùm gratia perficiat naturam, tota natura humana habet, ratione huius mysterij, vt longè meliùs & magis expeditè exerceat morales actiones ordinis etiam naturalis, quemadmodum etiam docent Theologi 1. 2. quæst. 109. agendo de necessitate gratiæ.

III. Tandem eadem pars propositionis probatur de ipso vniuerso iuxta eandem obedientialem suam potentiam spectato. Primùm, quia per hoc mysterium euenit, vt ipsum vniuersum vltra ordinem naturæ, haberet & ordinem vnionis hypostaticæ, quem totale mysterium dicit intrinsecè, item ordinem gratiæ & gloriæ, cùm hic vterque ordo innitatur Christo Domino, tanquam nostro Redemptori, capiti, mediatori, & fonti omnis & cuiuscumque gratiæ & gloriæ hominibus à Deo concessæ, & concedendæ: tum etiam quia habuit per illud, vt cùm omnes homines generentur ex viro & muliere, vnus tamen homo sine vllius alterius hominis opera nasceretur ex integerrima Virgine: item vt homo Deus speciali, eóque nobilissimo dominio, imperaret huic vniuerso, vt patebit ex dicendis de regno Christi Domini.

IV. Cæterùm rationes quæ videntur aliquo modo impugnare hanc conuenientiam, cùm petantur, vel ex parte eorum quæ persona diuina assumpsit, vel pro nobis sustulit, conuenientio-

A ri loco dissoluentur infrà, vbi de istis omnibus agetur in particulari. V.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Incarnatio fuerit necessaria ad reparandum genus humanum.

CONVENIENTIA Incarnationis absolutè spectatæ, & sine ordine ad aliquem determinatum finem in particulari explicata fuit articulo primo: nunc Incarnatio personæ diuinæ consideratur in ordine ad determinatum finem, scilicet humanæ reparationis: vbi supponendum est ex communi doctrina Ecclesiæ, quam tradunt Apostolus ad Romanos quinto, Concilium Tridentinum sessione quinta, capite primo, & omnes Theologi primâ

B secundæ, genus humanum fuisse deperditum VI. per peccatum primi parentis, quo præsupposito, quæritur hîc an Incarnatio personæ diuinæ fuerit necessaria ad humani generis sic deperditi reparationem, seu ad liberationem hominum à peccato originali, & malis quæ per illud incurrunt: pro cuius explicatione repetendum est ex Philosophis cum S. Thoma hîc, aliquid posse duobus modis dici *necessarium*, in ordine ad aliquem finem: Primò, *simpliciter & absolutè*, quando scilicet finis non potest obtineri sine illo, quâ ratione cibus est necessarius ad conseruationem vitæ: altero modo *secundùm quid*, quando scilicet finis potest absolutè obtineri sine eo, sed vel non ita commodè, aut conuenienter, quâ ratione equus dicitur esse necessarius forti & valido homini ad iter agendum.

C Hoc prænotato, sit prima propositio: Incar- VII. natio personæ diuinæ non fuit simpliciter & absolutè necessaria ad reparationem humani generis: ita D. Thomas hîc, & omnes communiter; & hæc propositio est tam certa, vt D. Augustinus libro de Agone Christiano capite 11. dicat eos esse stultos qui eam negant, *Sunt stulti*, inquit, *qui dicunt, non poterat aliter sapientia Dei hominem liberare, nisi suscipiendo hominem, & nasceretur ex femina & a peccatoribus illa omnia pateretur.* Probatur autem authoritate: primò, Patrum qui eam expressè tradunt, vt D. August. cit. lib. cap. 10. D. Athanas. orat. 3. contra Arium, D. Leo ser. 2. de Natuit. cap. 3. D. Bern. epist. 190. paulò ante finem.

Probatur secundò, explicando aliquot alios modos, quibus Deus potuit hominem lapsum reparare. Primus est, remittendo omninò gratis

D ex purâ putâ misericordia, absque aliqua satis- VIII. factione totum peccatum istud, tam quoad totam pœnam, quàm quoad culpam, siue vt erat primum primi parentis, siue vt erat etiam reliquorum hominum in illo, tanquam in suo capite contentorum, & descendentium ab illo. Nam modus iste ex nullo capite implicat, non quidem ex parte diuinæ voluntatis, quia cùm hoc sit aliquis effectus ad extra, & Deus sit maximè liber circa ea quæ sunt ad extra, non repugnat ex parte illius: non item repugnat ex parte iustitiæ diuinæ, quasi aliàs fieret ei iniutia, si vindictam non sumeret de peccatis, nec satisfactionem postularet. Primò, quia in tali hypothesi Deus solummodò condonaret peccatum volens; at ex omnibus Philosophis volenti non fit iniuria. Secundò, quia Deus est

I. supremus Dominus omnium, & Princeps; hæc autem est conditio supremi Principis, penes quam distinguitur ab inferioribus iusticibus, quòd possit remittere peccatum in se commissum absque insictione alicuius pœnæ: item modus iste non implicat ex parte humani generis, vel ipsius vniuersi, quia tota hæc condonatio omninò gratuita cederet in bonum illius vtriusque: non denique ex parte diaboli. Licèt enim totum genus humanum esset sub captiuitate diaboli, de cuius etiam inuiti potestate tunc Deus eriperet hominem; attamen totum istud iustè faceret, quatenus diabolus dolo tantùm & iniuriosè hominem scilicet decipiendo, & malitiosè alliciendo ad consensum in peccatum, eum detinet vinctum, & tandiu solummodò, quandiu Deus illi permiserit: vnde cùm Deus tunc nollet hominem esse ampliùs
II. sub iugo diaboli, sed eum ab illo eximeret, remittendo ei peccatum tam quoad totam pœnam, quàm quoad culpam, tunc nulla fieret iniuria diabolo, sicut nec Rex facit iniuriam tortori, si homicidam adiudicatum morti, & ei iam traditum liberet ex abundanti sua misericordia.

Neque est quòd quis dicat hunc modum videri impossibilem, ex eo quòd repugnet peccatum mortale, cuiusmodi est hoc, de quo nunc agimus, remitti sine aliqua conuersione in Deum per actum doloris de peccato: nam primò non habet locum in remissione peccati originalis, de cuius tamen remissione præsens difficultas procedit, vt videre est in infantibus, quibus remittitur in baptismo sine tali actu: imò nec in adultis. Nam si quis adultus cum solo tantùm peccato originali, & nullo actuali
III. infectus, acciperet baptismum cum proposito, & intentione seruandi legem Christi Domini, absque aliquo dolore de peccato originali, reciperet gratiam Baptismi, & ex consequenti remissionem totius sui peccati originalis, quia pœnitentia tantùm requiritur de peccatis propria voluntate commissis, cuiusmodi non est originale, vt docent Theologi hac tertia parte ad quæstionem 69. tandem non repugnare absolutæ potentiæ Dei remittere peccatum mortale etiam actuale per puram condonationem, sine vera & supernaturali potentia docent plures Theologi satis communiter hac parte agendo de sacramento Pœnitentiæ.

Secundus modus, quo Deus sine hoc mysterio Incarnationis potest reparare hominem lapsum, est, exigendo tantùm ab illo aliquam satisfactionem, quæ licèt spectata secundùm
IV. suum valorem, esset insufficiens & inæqualis malitiæ & grauitatis peccati, attamen ex gratuita & liberali acceptatione Dei, esset sufficiens, quia scilicet eâ esset contentus, sicut plerumque contingit in rebus humanis, venditorem minori solutione esse contentum, quàm ferat iustum & rigorosum pretium rei, quam vendit emptori.

Tertius modus est, sicut Deus de facto constituit primum parentem caput omnium hominum, quo manente in iustitia originali, omnes ab illo descendentes eam reciperent, & quo peccante etiam peccarent, & prædictam gratiam amitterent, ita etiam potuit aliquem putum hominem sic constituere caput omnium hominum, vt illo bene operante ex gratiâ sanctificante, & suum meritum ordinante ad re-

A missionem peccatorum omnium, & singulorum hominum, tale meritum acceptaret, tanquam sufficiens, quod applicatum singulis per aliquod signum externum illis peccata de facto remitteret, maximè cùm Theologi communiter doceant cum D. Thoma hac parte, quæstione 64. articulo 4. non repugnare Deum dare alicui puro homini potentiam instituendi quædam Sacramenta: possunt plures & alij modi excogitari, sed quia isti sufficienter probant nostram propositionem, illis erimus contenti. V.

Neque veritati huius propositionis obstat, quòd nonnulli Patrum, vt D. Anselmus libro primo *cur Deus homo*, capite quinto, dicant hominem non potuisse aliter liberari, quàm per mysterium Incarnationis. Nam non loquuntur simpliciter & absolutè, sed tantùm ex
B aliqua suppositione: verbi gratiâ, ne homo, VI.
qui redimitur subiiciatur alteri puro homini illum redimenti, cùm tamen in prima sua conditione homo nulli alteri homini esset subiectus, ad quam indecentiam impediendam necessum fuit ipsum eius redemptorem non esse purum hominem, sed Deum hominem: ita D. Anselmus loco nunc citato, vt intelligitur ex ipsomet eius textu. Vel Patres illi loquuntur ex suppositione quòd Deus vellet sibi satisfieri secundùm rigorem iuris, cui sic satisfacere nulla pura creatura, quantacumque gratiâ habituali ornata, poterat, vt patebit ex dicendis sequenti articulo: vel Patres illi loquuntur ex suppositione decreti, quo Deus iam decreuerat hoc mysterium, vt idem D. Anselmus libro secundo, *cur Deus homo*, capite 6.
vel loquuntur ex necessitate alicuius tantùm
C decentiæ & honestatis, quæ tamen nullo mo- VII.
do tollit libertatem, sic idem D. Anselmus eodem libro 2. capite 5. At suppositâ tantum nudâ voluntate Dei saluandi hominem, Deum fuisse necessitate quadam compulsum ad volendum Incarnationem, nemo Patrum simpliciter & absolutè dixit.

Secunda propositio: Incarnatio personæ diuinæ fuit valdè conueniens, seu necessaria secundùm quid ad reparationem totius humani generis: ita D. Thomas, & probat in corpore huius articuli decem rationibus, quarum quinque prioribus explicat bona quæ contigerunt nobis ex hoc mysterio, aliis autem quinque rationibus exponit mala à quibus per mysterium fumus liberati, quarum omnium explicatio facilis est apud D. Thomam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm medium omnium conuenientius pro reparatione humani generis, sit ipsa Incarnatio Verbi diuini.

QVIA articulo præcedenti multa media recensuimus, quibus ipse Deus potuit reparare genus humanum, lapsu primi parentis deperditum, quæritur quodnam illorum omnium sit conuenientius, pro cuius rei explicatione sit hæc nostra propositio. *Incarnatio vt nunc facta, est medium omnium conuenientius pro reparando genere humano.* Probatur primùm authoritate D. Augustini capite 10. libro de Agone Christiano, vbi loquens de Incarnatione in ordine ad reparandum hominem, ita ait, *Hæc medicina*

D VIII.

I. *tanta est, quanta non potest cogitari.* & libro 13. de Trinitate cap. 18. vbi expressè facit comparationem Incarnationis cum aliis modis, quibus Deus potuit reparare hominem, & ita pro Incarnatione concludit. *Sed melius iudicauit* (Deus scilicet) *vt de ipso, quod victum fuerat genere, assumeret hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum.* Item authoritate D. Bernardi epistola 190. vbi, sicut & D. Augustinus suprà, probat hanc nostram propositionem, inductione factâ per omnes virtutes. Cui eorum probationi hîc aliquo modo similem possumus efformare pro hac nostra propositione. Illud medium est pro reparando genere humano omnium conuenientius, in quo plures plurium virtutum actu. exercentur, tam ex parte satisfacientis, II. quàm ex parte eius cui satisfit, & per quod etiam illi, pro quo fit satisfactio, datur occasio exercendi actus plurium virtutum, quia quò aliquid plus participat de virtute & eius bonitate, eò etiam censetur esse melius: atqui in Incarnatione, provt est facta in ordine ad reparandum hominem, plures plurium virtutum actus exercentur, siue ex parte Dei, cui fit satisfactio, siue ex parte Christi Domini satisfacientis, quàm modis aliis suprà enumeratis. Item nobis, pro quibus Christus Dominus satisfecit, datur occasio exercendi plures plurium virtutum actus, quàm per quælibet alia media superiùs recensita, vel etiam excogitanda: igitur Incarnatio, provt nunc facta, est medium conuenientius quolibet alio, pro reparando homine. Maior satis patet tam ex se, quàm ex ratione in eius confirmationem ibi addita. Minor probatur, quæ quia tres habet partes, quarum prima procedit de Deo, secunda de Christo, tertia de nobis,

III. Probatur quoad primam. Nam in primis, licèt in modis propositione assignatis Deus actum charitatis & misericordiæ exercuisset, scilicet condonando simpliciter totum peccatum, actus tamen illi non fuissent tam nobiles, quàm nunc sunt, cùm nulla possit maior charitas excogitari Dei erga homines, quàm Deum dare puræ creaturæ ipsummet suum esse personale, & vt homo ex illo & humanitate resultans, tanquam verum quoddam compositum, moriatur pro suis inimicis, quod in hoc mysterio contigit, vt etiam notauit D. Paulus. Non item datur maior misericordia, quàm pro subleuando aliquo à miseria, eius miseriam assumere, quod etiam hîc contigit. Verbum enim ita assumpsit nostram naturam, vt eius etiam infirmitates, peccato & ignorantia exceptis, assumpserit: at in aliis remediis hoc vtrumque deficit, vt per se constat. Deinde in primo modo nullus fuisset actus iustitiæ, sed IV. puræ liberalitatis: & licèt in secundo & tertio aliquis actus iustitiæ reperiretur, ille tamen fuisset tantùm imperfectæ iustitiæ, & non ex rigore iuris; at nunc est actus rigorosæ iustitiæ ex parte Dei, quatenùs tantum exigit & accipit satisfactionis à Christo Domino, quantum est sibi illatum iniuriæ ab omnibus & singulis hominibus, sicque in Incarnatione *Misericordia & iustitia obtinuerunt sibi*, vt fusiùs ostendit S. Bernardus sermone 1. de Natiuitate: fuit etiam actus sapientiæ diuinæ, vt docuimus suprà, fuit & liberalitas, quatenùs Deus Pater, cùm posset relinquere totum genus humanum in massa perditionis, sicut & Angelos peccatores. Nam (vt rectè Sapiens ait Deo capite 12. Sapientiæ) *Quis tibi imputabit si perierint nationes quas tu* A *fecisti?* Ita tamen dedit gratuitò & liberaliter naturæ humanæ ipsum esse personale Filij sui vnigeniti, vt ordinauerit totum istud donum in nostrum bonũ, & in bonũ vsum gratiæ per illum nobis concessæ, quemadmodum passim vrgent Apostoli in suis epistolis. Nam vt rectè notat D. Thomas secunda secundæ quæst. 118. & 3. in resp. ad 2. propriùm liberalitatis non est simpliciter dare, quia & hoc est commune prodigalitati, sed ita dare, vt qui dat ordinet bonum in bonum finem, & præparet opportunitates, seu occasiones ad benè vtendum illo; atqui Deus ita ordinauit Incarnationem in nostram redemptionem, vt etiam nobis præparet occasiones benè vtendi illa, quatenùs nos præuenit primâ gratiâ, nobis cooperatur per gratiam adiuuantem, & per subsequentem corroborat, vt ex B professo docent Theologi prima secundæ quæstione 109. Quòd item actus perfectissimi diuinæ iustitiæ, & omnipotentiæ ita reperiantur in Incarnatione, vt in aliis modis reparandi hominem non ita reluceant, patet ex dictis præcedenti articulo. VI.

Eadem Minor probatur quoad secundam sui partem, quæ est de Christo Domino, quòd scilicet in illo modo, quo genus humanum reparatur per Incarnationem Verbi, plures actus plurium virtutum reperiantur exerciti. De iustitia patebit infrà examinando rigorem satisfactionis Christi Domini, ratione cuius passim in sacris litteris vocatur, *Iustitia nostra, redemptio nostra,* eius sanguis *pretium.* vt ad Rom. 3. primæ ad Timoth. 2. de obedientia patet ad Rom. 5. vbi per vnius Christi obedientiam multi dicuntur constituti iusti: de humilitate ad Philippenses 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad* C *mortem.* De charitate & fortitudine probatur, VII. quia Christus Dominus generosè & fortiter sese exposuit morti ad saluandum nos, & sic discurrendo per singulas virtutes earúmque actus, facile cuilibet est notare illos, occasione huius mysterij, fuisse à Christo Domino exercitos, & in tanto numero, vt non possint perfectè à nostro intellectu percipi, quemadmodum D. Bernardus citata epistola 190. & D. Thomas lib. 4. contra Gentes cap. 54. animaduertunt. Vltima tandem pars eiusdem Minoris probatur satis clarè à D. Thoma in corpore huius articuli, scilicet per hoc mysterium nobis dari occasionem exercendi similes actus similium virtutum, & aliarum, cuius rationes apud eum videri possunt.

ARTICVLVS IV.

Obiectiones contrariæ soluuntur. D VIII.

PRIMA obiectio. Modus ille quo peccatum, tam quoad omnem pœnam, quàm quoad culpam remittitur, nullâ etiam minimâ satisfactione petitâ, est nobilior & conuenientior pro facienda reconciliatione, quàm sit modus ille, quo peccatum remittitur quidem, sed non nisi satisfactione condignâ offensæ petitâ & obtentâ: nam *qui plus remittit, plus diligit,* vt Christus Dominus significat cap. 7. S. Lucæ: Atqui modus ille quo mysterium Incarnationis peractum est pro reconciliatione totius humani generis facienda cum Deo, est talis, vt omnia & singula hominum peccata remittantur quidem per illum, sed tamen non nisi petitâ & ob-

I. modo pro aliquo tempore, vt ibi est explicatum, non tamen ita perfectè, ac in modo qui est per Incarnationem: nam iustitia Dei vindicatiua ibi aliquando cessasset, quatenus pœnæ damnatorum habuissent aliquem finem: item multis data fuisset occasio peccandi liberiùs & negligédi omnia Dei & Ecclesiæ præcepta, quippe qui magis ducuntur præsentibus, quàm futuris, & in tali hypothesi scimussent se tandem aliquando esse saluandos, sicque totam illam pœnam temporalem, quam aliquando debuissent sustinere apud inferos, parui fecissent: at metus gehennæ æternæ multos continet in officio, & à peccatis commissis reuocat.

Quarta obiectio: iuxta modum quo reparatio humani generis est facta maius bonũ (quod est Christus, seu Verbum incarnatum) ordinatur ad minus bonum, quod est redemptio hominum, ac est contra prudentiam maius bonum

II. ordinare ad minus. Respondetur, maius bonum posse duobus modis referri ad minus: Primò, tanquam ad vltimum suum finem, quatenus maius istud bonum nec se nec minus ordinat vlteriùs ad bonum illud, quod est omnium vltimum. Secundò, sicut causam ad suum effectum, quatenus scilicet maius bonum est causa minoris boni, quod tamen ordinat tam ad proprium suum bonum, quàm ad vltimum finem omnium, quomodo anima & eius potentiæ, quæ propriis suis actibus sunt nobiliores, ad eos tamen ordinantur sicut ad aliquod suum bonum, quos tamen anima ad gloriam ipsius Dei, tanquam ad vltimum suum & illorum finem ordinat. Iam ordinare maius bonum ad minus prioris modo non licet, nam ordo iste, quo minùs

III. perfecta præferuntur perfectioribus est contra rectam rationem, quæ iudicat de rebus vt sunt: at posteriori modo licet, vt patet exemplo ibi allato: Christus autem Dominus ita ordinatur ad redemptionem humani generis, vt tamen causet illam. Est enim loquendo propriè noster Redemptor, & totam hanc redemptionem ordinat tam in suum bonum, quatenus hoc facit ad exaltationem sui nominis, quàm ad gloriam Dei, vt vltimum finem rerum omnium creatarum.

DISPVTATIO II.

DE SATISFACTIONE.

ARTICVLVS I.

IV. *Quid sit satisfactio.*

QVIA præcedenti disputatione insinuauimus, factâ suppositione, quòd Deus vellet sibi per aliquem hominem satisfieri ex rigore iuris, mysterium Incarnationis fuisse simpliciter necessarium; vt sufficientia huius satisfactionis excludatur ab aliquo puro homine, priùs videndum est, quid sit satisfactio, quotuplex, & quas conditiones postulet. Itaque pro explicatione primæ difficultatis notãdum est ex Scoto in 4. sent. dist. 15. quæst. 1. art. 1. nomen hoc *satisfactio* posse duobus modis sumi: Primò, in amplissima significatione, minus tamen propria, nimirum pro compensatione cuiuscumque debiti, siue debitum istud sit alicuius rei, seu

A subst antiæ per furtum, vel per aliquem alium iniustum titulum ablatæ, vel retentæ, vt quando pecunia siue suppellex alicui surripitur, vel fundus aliquis terræ inuaditur & occupatur iniustè, siue etiam debitum istud sit alicuius famæ, honoris, vel reuerentiæ, per aliquem actum indebitum, vel saltem omissum ablatæ, vt quando aliquis læsit famam proximi, illam ei verbo restituit, & quando eum quem inhonorauit tali prosequitur obsequio, vt iniuriam ei allatam reforciat. Deinde satisfactio sumitur *in strictiori significatione*, nimirum pro compensatione iniuriæ illatæ contra honorem & reuerentiam alicui debitam, iuxta quam strictam acceptionem, satisfactio non se extendit ad res, sed ad actiones tantùm, prout apud Theologos, morales Philosophos, & Iurisconsultos, res & actiones distinguuntur: ad quas tamen res, vt sic condistinctas ab actionibus, satisfactio sumpta generali modo etiam se extendit. Et quanquam hac tota disputatione non sit nobis futura quæstio de satisfactione sumpta generalissimè, secundùm primam acceptionem, sed tantùm de illa in posteriori significatione nunc assignata, quia tamen definitio satisfactionis priori modo sumptæ confert ad intelligentiam satisfactionis posteriori modo vsurpatæ: ideò vtriusque definitionem assignabimus.

Sit igitur prima propositio: satisfactio primo & generali modo sumpta rectè definitur *redditio voluntaria æquiualentis, aliàs indebiti*, seu (vt plures maioris explicationis gratia dicunt) *ex propriis, & aliàs non debitis*. Ita Scotus loco citato, vbi singulas eius partes explicat, & omnes eius discipuli ibi & 3. sent. dist. 20. S. etiam Thomæ discipuli probant hanc definitionem, vt

C Soto lib. 3. de natura & gratia cap. 26. & alij eius Interpretes ad præsentem quæstionem. Imprimis autem dicitur *redditio*, quia est actus iustitiæ, & ad alterum: nemo enim, loquendo propriè, sibi reddit aliquid. Deinde quia est alicuius debiti propriè sumpti, & dicit ordinem ad aliquid præteritum quod debet reparari, quâ particulâ satisfactio distinguitur à pura & simplici gratuita donatione, quâ aliquid datur merè gratuitò. Secundo loco dicitur *voluntaria*. Primò, quia est actus virtutis iustitiæ, qui quatenus talis, debet esse liber, vt docet Aristoteles lib. 5. Ethic. Deinde quia redditio inuoluntaria, propriè loquẽdo, non tam est satisfactio, quàm satispassio, cùm is, qui coactè reddit alteri quod suum est, non tam habeat se actiuè saltem moraliter, quàm passiuè: & penes hanc conditionem satisfactio distinguitur ab illa satisfactione,

D quam reus aliquis sustinet per sententiam Iudicis, quæ non postulat vt sit voluntaria & libera, sed sufficit quòd sit talis in ipso Iudice sumente vindictam, quemadmodum notat Gabrielis supplementum dist. 25. quæst. 12. art. 1. in solutione ad 2. post Scotum loco superiùs citato.

Tertia particula huius definitionis est, *æquiualentis*, quia satisfactio est actus iustitiæ, cuius proprium est non tantùm reddere alteri debitum, sed iustè, & cum adæquatione eius quod redditur, ad illud quod debebatur: munus enim iustitiæ est ponere æqualitatem, vt docent Philosophi cum Arist. lib. 5. Ethic. Deinde dicitur potius *æquiualentis*, quàm *æqualis*, quia in satisfactione non requiritur absolutè æqualitas entitatis, sed sufficit quòd illa sit valoris, seu secundùm æstimationem & appretiationem pru-

V. VI. VII. VIII

I. dentis iudicij: & cùm debitum possit alicui refundi duobus modis ad æqualitatem, pro duplici illa æqualitate, quam Philosophi cum Aristotele distinguunt, scilicet ad æqualitatem arithmeticam, quod tunc contingit, quando tantum redditur, quantum debetur, itavt qui debet centum, soluat centum: alio modo ad æqualitatem geometricam, vt cùm quis soluit iuxta suas facultates, licèt remissiùs quàm debeat, vel secundùm acceptationem creditoris, qui est contentus minori solutione: hæc prædicta particula *æquivalentis* in hac definitione debet sumi priori modo, seu intelligi de æqualitate arithmetica, cùm posterior minuat æqualitatem, quæ hîc debet esse rei ad rem, & non ad facultates debitoris, vel voluntatem creditoris remittentis aliquid.

II. Quartò, additur *ex propriis*, quia si fiat ex bonis ipsius creditoris, vel alterius, qui istorum dominium non transtulerit in ipsum satisfacientem, non est satisfactio, cùm tunc non ponatur æqualitas, quin potiùs noua quædam inæqualitas fiat, & aliquis det ibi alteri quod nullo modo est suum: quòd si contingat creditorem dare aliquid debitori, vt sibi satisfaciat, adhuc non censetur esse satisfactio propriè dicta, sed potiùs virtualis quædam & tacita remissio totius debiti, vel alicuius partis eius, & talis solutio dicitur tantùm imperfecta satisfactio, cùm ibi interueniat quædam gratia ipsi pretio & solutioni intrinseca, quæ tamen gratia derogat iustitiæ propriè sumptæ.

III. Addidi inter explicandum hanc conditionem particulam istam, *vt sibi satisfaciat*. Nam si creditor det aliquid suo debitori, non eo fine, tam implicitè quàm explicitè, vt soluat sibi debitum, vel aliquam eius partem, sed istud donum ex ipsa intentione donantis sese habeat omninò per accidens ad ipsum debitum, & eius solutionem, tunc licèt debitor soluat suo creditori debitum, pecuniâ dono ab illo acceptâ, non desinit satisfacere ei ex perfecta iustitia, quia ad satisfactionem propriè dictam sufficit, quantum requiritur per conditionem importatam hac particula *propriis*, quod fiat ex iis bonis, quorum totum dominium ipse debitor habet, quæque carent tam virtuali, quàm explicita remissione gratuita debiti, quod hîc contingit; multò magis satisfactio erit perfecta ex ista parte, si fiat per aliquid labore & industria debitoris comparatum ex re ipsi debitori donata: verbi gratiâ, si debitor vineam dono acquisitam excolat, ex eâq; magnam vini copiâ colligat, & venditione istius vini satisfaciat suo creditori, quia habet

IV. integrum & perfectum dominium istius vini, cùm sit fructus aliquis proprio eius labore acquisitus. Vltimò, hæc particula, *& aliàs non debitis*, additur in hac definitione. Si enim fieret satisfactio *ex aliàs debitis*, cùm ipse debitor nihil habeat in bonis, nisi deducto priùs ære alieno, tunc illa fieret potiùs ex alieno, quàm ex propriis, nec tam esset vera satisfactio, quàm nouæ cuiusdam iniuriæ irrogatio.

Secunda propositio. Satisfactio strictè sumpta, seu pro compensatione iniuriæ, rectè definitur, *Voluntaria redditio honoris & reuerentiæ æquivalentis ex propriis, & aliàs non debitis, ad compensandam iniuriam alicui per peccatum illatam.* Hæc definitio colligitur esse legitima, tam ex nunc dictis pro prima propositione, quàm ex supplemento S. Thomæ quæst. 12. art. 2. & iis

A omnibus quæ Theologi tradant de satisfactione, agendo de pœnitentia. V.

Deinde probatur explicatione singularum eius partium: & primùm quia tot ratio generis debet reperiri in qualibet sua specie: omnes conditiones satisfactionis acceptæ ampliori modo, præcedenti propositione explicatæ insunt illi, vt vnusquisque potest facilè animaduertere, discurrendo singillatim per illas. Addimus, *hanc compensationem debere esse voluntariam*, non tantùm quia est actus virtutis, sed etiam ex speciali ratione scilicet, quòd, vt docet Aristoteles in Ethicis, honos sit in honorante: nam importat aliquam honorantis submissionem ad alterum, quem vel honorat, vel anteà offendit: & vera submissio importat aliquem verum actum liberum voluntatis, vt patet in omnibus veris actibus religionis; vnde cùm honos sit sub dominie ipsius honorantis, tanquam proprius eius actus, sit vt satisfactio strictè sumpta, debeat etiam esse voluntaria ex hac parte. VI.

Additur, *ad recompensandam iniuriam per peccatum alicui illatam*, vt distinguatur à *restitutione*, quæ satisfactionem importat, sed rei ablatæ, vel retentæ, provt res condistinguitur ab actione & passione apud Philosophos, Iurisconsultos, & Theologos: hæc enim specialis satisfactio versatur in impendendo tantum honoris, quantum fuit illatum iniuriæ per offensam, quæ maximè consistit in actione.

Per hanc eandem particulam satisfactio propriè dicta distinguitur à *merito*, quòd meritum dicat ordinem ad præmium & mercedem, respiciat bonum aliquod ipsius merentis, vel alterius cui meretur, faciatque eum apud quem meretur debitorem meriti pro ratione & conditione sui meriti: vnde quia vna & eadem actio C potest esse à persona Deo grata, & ordinari ad aliquod bonum accipiendum sibi vel alteri, simúlque potest esse laboriosa, & facta ad compensandam iniuriam illatam Deo per peccatum, illa etiam eadem actio poterit, pro diuerso illo respectu, esse simul satisfactoria, & meritoria, vt fusiùs docent Theologi prima secundæ, agendo de merito bonorum operum. VII.

ARTICVLVS II.

Soluitur dubium circa hanc prædictæ definitionis particulam, non debitis.

CVM præter debitum iustitiæ plura alia distinguantur debita: exempli gratiâ, gratitudinis, charitatis, honestatis, & plurium aliarum id genus virtutum, quæri potest, an ad hoc vt satisfactio sit perfecta, quantùm requiritur ex parte conditionis per hanc prædictam vltimam particulam (importatæ) oporteat id quod sic datur, nullo alio titulo, siue gratitudinis, siue charitatis, siue cuiusuis alterius virtutis, esse debitum. Duæ sunt hac de re sententiæ: vna negans, melior tamen est affirmans, quam Caietanus tradit hac quæstione, articulo 8. §. ad 3. dubium, & videtur esse S. Thomæ in 4. sententiarum, distinctione 15. quæstione 1. articulo 2. ad 3. quando ait, ideò hominem non posse satisfacere ad æqualitatem pro offensa, quia totum quod potest, debet Deo in gratiarum actionem. VIII.

Probatur primò. Quando aliquid debetur totum & totaliter ratione vnius & specialis debiti, & obligationis, tunc si vel totum illud, vel

I. etiam aliquid eius applicetur soluendo alteri debito & obligationi, illud, quod sic applicatur, subtrahitur alteri debito & obligationi, & in tanta quantitate, in quanta alteri applicatur; sed in præsenti casu plura occurrunt debita; Primum iustitiæ, secundum charitatis, tertium gratitudinis, & aliquot alia. Et quod offertur, & datur personæ ab ipso satisfaciente in compensationem iniuriæ ei illatæ, est totum & totaliter debitum pro compensanda tali iniuria, quia ex hypothesi eius dignitas non excedit grauitatem iniuriæ: igitur si quod offertur & datur in satisfactionem, ordinetur adhuc ab ipso satisfaciente in solutionem alicuius alterius debiti, putà charitatis, vel cuiusuis à prædicto debito iustitiæ distincti, subtrahitur ei, & ex consequenti erit ei inæquale, & ad solutionem eius insufficiens.

II. Probatur secundò. Si quis debeat Ecclesiæ centũ aureos ex voto, & alios cẽtum aureos ratione furti à se circa bona ciusdem Ecclesiæ commissi, non satisfaciet huic vtrique debito, si reddat tantùm centum aureos, quia hæc duo debita sunt planè distincta, quorum vtrique hæc summa, semel tantùm numerata, & soluta huic Ecclesiæ, non correspondet, sed vt satisfaciat debet ducentos aureos ipsi tradere, vt omnes facilè iudicant. Ergo pari iure, si quis debeat titulo gratitudinis, vel charitatis aliquid ei quem offendit, non ei satisfaciet ex rigore iustitiæ, illud idem secundùm eundem sui valorem offerendo in satisfactionem huius debiti.

Sed authores prioris sententiæ obiiciunt primò, vnicâ solutione vnius & eiusdem pretij posse duobus, vel pluribus specie distinctis debitis

III. satisfieri; Nam si quis, exempli gratiâ, debeat suo proximo centum aureos post biennium duntaxat soluendos, interim vicinus ille creditor incidat in summam egestatem, ratione cuius debitor, non tanquam debitor ex contractu iustitiæ, sed tanquam proximus, teneatur ei subuenire ex lege charitatis: tunc si tempore huius egestatis, biennio nondum completo, sed longè antè, soluat isti suo creditori prædictos centum aureos, censetur hac vnâ numero solutione adimpleuisse duo præcepta, vnum iustitiæ, soluendo debitum, alterum charitatis, nempe anticipando tempus solutionis, ad quod non tenebatur ex iustitia.

Respondetur in isto casu, debitorem illum nõ satisfacere propriè duplici debito, charitatis nimirum & iustitiæ, sed vni duntaxat: cùm enim tunc teneatur subuenire proximo in tali necessitate constituto, eique duplex modus subueniendi occurrat, quorum prior est, soluere isti suo

IV. creditori illos centum aureos ex iustitia debitos; posterior est, illi dare gratuitò & ex charitate aliquid, eligit priorem modum. Et quia hæc solutio istius debiti ex iustitia ponit istum creditorem extra statum necessitatis, obligatio subueniendi ei ex charitate, vel honestate cessat; sicque tali solutione nulli alij debito, quàm iustitiæ satisfacit.

Secundò obiiciunt. Constitutus in sacris Ordinibus, qui habet pingue beneficium, tenetur duplici titulo ad recitationem Breuiarij, vno iustitiæ propter beneficium: nam si illud omittat, tenetur ad restitutionem: altero sacræ ordinationis, putà Diaconatus, vel Presbyteratus; &

A tamen vnicâ tantùm recitatione Breuiarij, vnaquaque de causâ, satisfacit huic vtrique debito. Ergo, ex eo quòd aliquid debetur titulo alicuius alterius virtutis, non desinit posse dari in satisfactionem sufficientem ex iustitia. Respondetur concesso Antecedente, negatur Consequentia: est enim hæc argumentatio ab vno genere minimè perfecto in ratione obligationis, ad aliud genus perfectæ obligationis, & ex eo quòd aliqua sufficiunt pro saluanda obligatione minimè perfectâ, infert ea pari modo sufficere pro satisfactione obligationis magis perfectæ; quod argumentandi genus secundùm omnes Dialecticos est vitiosum: omnis enim comparatio debet fieri inter paria. Et vt hæc responsio intelligatur, sciendum est, quantum spectat ad rem præsentem, obligationes ad reddendum aliquid esse in duplici differentia: nam aliæ oriuntur proximè & immediatè ex ipsa rerum natura, quatenùs pro tali re postulant ex se talem reddi solutionem, de hoc genere obligationis, est redditio rei per furtum ablatæ: item redditio depositi, in quibus tantum debet reddi domino quantum ei fuit ablatum, & totum quod ille deposuit apud depositarium, alias esset specialis quædam fraus, & aliqua species furti. Aliæ item dantur obligationes, quæ licèt supponant in ipsis rebus aliquam decentiam & honestatem, spectatæ tamen in præcisa ratione obligationis oriuntur proximè & immediatè ex sola constitutione humana, per quam, iuxta prudens iudicium hominum ad id statuendum potestatem habentium, sunt decretæ. Et de hoc genere est obligatio insumendi pecuniam, seu monetam pro hoc tantùm pretio, & non pro

C maiori: licèt enim recta ratio dictauerit esse valdè conueniens ad facilitandam negotiationem inter homines, vti pecuniâ, seu monetâ loco rerum, quarum commutatione ipsa negotiatio fiebat antiquitùs: attamen constitutio monetarum, & determinati illarum pretij impositio, & vt ita dicam, taxatio, est ex sola hominum institutione: similiter & obligatio dandi illam in tale pretium. Est autem inter has duas obligationes discrimen istud, quòd quæ sunt primi generis, sunt stricti iuris: quæ verò sunt posterioris, tantum duntaxat obligent quantum voluit, qui illarum sufficienti authoritate instructus induxit. Quare (vt hæc adaptemus solutioni huius secundi argumenti) cùm obligatio soluendi quotidianum pensum Horarum Canonicarum, sit tantùm de posteriori genere obligationum, solo nimirùm iure ecclesiastico introducta, sicut Ecclesiæ consuetudo potuit astringere Beneficiarios ad quotidianam recitationem officij Ec-

D clesiastici: sic etiam potuit & de facto voluit esse contenta in istis casibus, vnâ tantum recitatione prædicti officij singulis diebus persoluendâ, & pro illo suo iure quod Ecclesia habet in singula bona opera suorum membrorum, fructum huius vnicæ recitationis extendere ad plures fundatores plurium beneficiorum, absque aliqua iniuria illis irrogata: quippe qui bona à seipsis legata liberæ dispositioni Ecclesiæ reliquerunt. Item, quia initiari sacris ordinibus sunt in eo honoris gradu constituti, qui specialiùs Deo inseruiant, voluit, vt hæc eadem recitatio etiam faceret aliquam partem illius pensi, quod ratione sui ordinis debent Deo soluere.

V. VI. VII. VIII.

I.

Articvlvs III.

Quotuplex sit satisfactio.

PROPOSITIO. Satisfactio est duplex, vna perfecta, altera imperfecta: Perfecta est, *quæ habet omnes conditiones superiùs explicatas: imperfecta quæ vnâ vel pluribus illarum caret.* Tota propositio est per se facilis: nam in tantum vnumquodque censetur perfectum, in quantum habet omnes & singulas perfectiones ad sui integritatem requisitas, & è contra, in tantum est imperfectum, in quantum vnâ vel pluribus illarum caret; iuxta illud vulgare, bonum ex integra causa, malum autem, seu imperfectum ex quocumque defectu; igitur satisfactio illa, in genere satisfactionis, est perfecta quæ complectitur in se omnes & singulas perfectiones ad
II. illam requisitas, & illa imperfecta, quæ vnâ, aut pluribus eiusmodi conditionibus caret, vt si satisfactio fiat ex bonis ipsius creditoris ab ipso datis in hunc finem, suo debitori est imperfecta, quemadmodum intelligitur ex prima propositione, circa istam particulam *ex propriis*. Secundò, si actio satisfactoria non respondeat quoad dignitatem, honori ablato per iniuriam, nihilominùs is, cui fit talis satisfactio, sit contentus tali actione, tunc satisfactio erit etiam imperfecta, vt colligitur ex ibidem dictis circa hanc particulam; sic enim acceptat minus quàm sibi debeatur.

Dices, solum & nudum pactum emptoris & venditoris non minuit rationem perfectæ iustitiæ, quando præter pactum illud, datur aliquod
III. pretium pro re vendita & empta; aliàs nunquam perfecta iustitia reperiretur in vllo contractu venditionis, & emptionis, cùm semper ibi interueniat pactum; ergo à pari, cùm præter hoc pactum in ista satisfactione, interueniat actio quædam satisfactoria, semper hæc satisfactio erit perfecta.

Respondetur. Sicut in contractu venditionis & emptionis *duplex pactum* potest aliquando interuenire, ita & in satisfactione; *Vnum duntaxat extrinsecum ipsi solutioni & satisfactioni*; Quod solùm importat puram, simplicem & absolutam conuentionem emptoris & venditoris, de vendendo & emendo, modò iustum detur pretium, & de offerenda & acceptanda satisfactione, quæ tamen sit æquiualens & iusta. Alterum *pactum intrinsecum ipsi pretio solutionis, & satisfactionis*; quod tunc est, quando id quod datur in pretium rei emptæ, vel in satisfactio-
IV. nem iniuriæ, non habet in se tantum valorem, quantum res empta, vel honor ablatus per iniuriam, sed sola æstimatio acceptantis complet & perficit istam æqualitatem; prius, dicitur *extrinsecum*, quia est omnimodè extra ipsum pretium, cùm, sublato tali pacto, prerium hoc semper sit æquale rei diuendendæ, vel iniuriæ resarciendæ. Posterius dicitur *intrinsecum* (moraliter loquendo) ipsi pretio, quia illud complet in ratione talis pretij, & perficit eius æqualitatem, vel in ordine ad contractum venditionis & emptionis, vel in ordine ad satisfaciendum: est autem distinctio hæc inter vtrumque pactum, quod prius, non magis minuat rationem perfectæ satisfactionis, quàm quotidiana illa conuentio hominum de vendendo, & emendo, tollat rationem veræ & ex iustitiâ perfectæ solu-

A tionis ab actu venditionis & emptionis, vel V.
etiam commutationis, quando pretium, quæ emitur, datur tantum, quantum illa valet iusto pretio, seu quando interuenit æqualitas rei ad rem, in quibus tamen contractibus omnes Theologi, Philosophi, & Iurisconsulti agnoscunt veram rationem perfectæ iustitiæ: neque quoad hoc potest aliquod discrimen afferri inter contractus venditionis, emptionis, cõmutationis & ipsius satisfactionis, cùm vnusquisq; seruatâ proportione tam bene sit dominus sui operis satisfactorij, & honoris sibi per iniuriâ ablati, quàm mercator sit dominus rei quam vendit vel commutat, aut suæ illius pecuniæ quâ emit aliquid: ideóque sicut prius illud pactum in prædictis illis contractibus non minuit per se & ex sua natura rationem veræ & perfectæ iustitiæ; sic nec in satisfactione propriè & strictè sumpta: at
B posterius pactum, quemadmodum in vero con- VI.
tractu venditionis, minuit rationem perfectæ & strictæ iustitiæ, (quia dicit specialem gratiam à venditore factam emptori, & aliquam relaxationem seu remissionem de iusto & æquali pretio, vt omnes homines communiter intelligunt,) sic etiam quando in resarciendâ iniuriâ admittitur, significat aliquid deesse satisfactioni, ratione cuius non censetur, hac ex parte, esse actus perfectæ iustitiæ.

DISPVTATIO III.

DE VALORE BONORVM OPERVM.

Articvlvs I.

C *Quid sit valor in opere satisfactorio, siue* VII.
meritorio.

NOTANDVM est, quòd *valor* sumptus in amplissima significatione, nihil est aliud in genere moris quàm *ea dignitas & perfectio, qua res est apta vt, vel tanquam pretium, vel tanquam compensatio faciat aliquod iustum.* Verbi gratiâ, aurum, argentum, & alia id genus, quia, ratione perfectionis fundatæ in suâ excellentiâ, vel raritate, aut aliquo alio simili, habent aliquam aptitudinem, vt possint dari in compensationem, vel pretium aliarum rerum, quas nobis volumus comparare, dicuntur communiter esse huius, aut istius valoris, æquare vel excedere
D iustum pretium aliarum rerũ; sicque, valor præ- VIII.
cisè cõsideratus, habet locum duntaxat in iis rebus & actibus quæ possunt esse materia alicuius actus iustitiæ: illa autem dignitas & perfectio, quæ ita reperitur in aliis rebus, vt tamen non sint aptæ facere prædictum iustum, non appellatur valor, sed solùm nomen dignitatis, perfectionis & excellentiæ sibi retinet: vt patet ex illa communi hominum loquendi formulâ quâ dicunt hæc & illa esse tantæ & tam eminentis perfectionis, vt nullam sui patiantur commutationem cum aliis rebus, nec ex consequenti vllum admittant sui pretium. Quare cùm iustum habeat locum tam in satisfactione quàm in merito, valor in illis nihil erit aliud quàm moralis quædam dignitas, qua vt sunt tales, & tali modo exercentur, habent quod sint condignæ ad compensandum tantam iniuriam Deo illatam,

I. vel ad tantum bonum ab illo ex aliqua iustitia obtinendum.

Sed difficultas est, quidnam sit ille valor, an aliquod ens duntaxat rationis, vel mera quædam denominatio extrinseca, vel aliquod ens reale. Prima opinio censet esse aliquam relationem rationis. Verùm contra hanc opinionem sit hæc prima nostra propositio. Valor propriè sumptus non est quædam relatio rationis. Probatur, relatio rationis sumpta propriè & præcisè habet totum suum esse ab actu intellectus, & illo omni sublato desinit esse: est enim ens rationis propriè sumptum, id, cuius totum esse, est obiici intellectui, seu esse obiectuè in intellectu: sed opus bonum factum in gratia & modo libero, præcisa qualibet cogitatione intellectus comparantis illud, vel ad personam, à qua exercetur, vel ad obiectum circa quod est, vel ad

II. eius circumstantias; est vt sic alicuius valoris, habet enim vt sic aliquã dignitatem, qua sit aptum facere aliquod iustum: ergo valor in bonis operibus non est tantùm mera quædam relatio rationis.

Deinde, eodem modo philosophandum est de hoc valore, seruatâ proportione, ac de valore aliarum rerum (omnes enim valores debent conuenire in vna aliqua ratione communi:) at in auro, argento, & in aliis id genus, præcisa omni relatione intellectus, datur aliquis valor, quem sibi vendicant ex ipsa suæ entitatis excellentia, quatenùs ratione illius habent aliquam aptitudinem, vt dentur pro quibusdam aliis rebus in precium, igitur valor in bonis operibus, non est mera quædam relatio rationis.

III. Obiiciunt authores prioris sententiæ, valorem nihil esse aliud quàm dignitatẽ: at dignitas in operibus nihil est aliud quàm respectus quidam rationis prouenientis in illis ex conditione personæ illa exercentis, vel ex conditione obiecti, aut circunstantiarum eius pro qualitate valoris. Respondetur aliud esse explicare fundamentum valoris & eius radicem, & aliud, formalem eius causam assignare: conditio personæ, obiecti, & circunstantiarum sunt quidem fundamentum & radix, vnde valor ille prouenit, quod hic non quæritur: (nam explicabitur infra) sed formalem eius causam hic quærimus, quæ cùm suo modo existat, licèt de facto non obiiciatur alicui intellectui, illud modo explicato comparantis, non erit propriè quædam relatio rationis.

IV. Secunda opinio vult, hunc valorem esse tantùm quandam denominationem extrinsecam à personâ operante, obiecto & circunstantiis ipsius boni operis prouenientem. Sic Albertinus in suis corollariis corollario 18. numero 48. & aliqui recentiores. Sed contra hanc opinionem sit hæc secunda nostra propositio, hîc valor non est denominatio extrinseca. Probatur: illud cuius totum esse, sumptum præcisè & formaliter, est pura quædam denominatio extrinseca, est simpliciter tale in eo genere, qualis est extrinseca forma quæ sic denominat illud extrinsecè, & eadem certitudine, qua hæc forma denominans cognoscitur esse talis, & in tali gradu perfectionis, eadem certitudine ipsum eius denominatum cognoscitur esse tale, & in tali gradu perfectionis istius formæ; quia forma sese totam illi communicat: atqui, iuxta opinionem quam hîc reselimus, totum esse valoris bonorum operum Christi Domini, nihil est aliud quàm pura quædam denominatio extrinseca prouenions à Christi Domini personâ tunc operante, ab obiecto, & circunstantiis istorum bonorum eius operum; præcipua autem forma denominans & in ratione valoris est persona, cuius dignitas secundùm fidem est simpliciter infinita: ergo si valor iste sit tantùm quædam denominatio extrinseca, oportebit vt secundùm fidem Catholicam bona opera Christi Domini sint valoris infiniti, quod tamen absolutè loquendo nondum est de fide, quia vt videbimus, Scotus id negat, nec tamen damnatur vt hæreticus: ergo signum est valorem bonorum operum loquendo præcisè & formaliter non consistere in aliqua denominatione extrinseca.

Tertia propositio. *Valor bonorum operum, siue meritoriorum, siue satisfactoriorum est ens aliquod reale, non quidem physicum, sed morale duntaxat.*

V. Vt autem id intelligatur, & probetur, notandum est *ens reale* sumi duobus modis: vno *stricte*, & tunc significat entitatem realiter, seu physicè positiuam, quæ vel reipsâ, aut saltem aptitudine, habet actualem existentiam positiuè superadditam ipsi suæ essentiæ, & tale ens vocatur *reale physicum*. Deinde sumitur *in ampla significatione*, quatenùs significat ens illud, quòd licèt careat illâ tam aptitudinali, quàm actuali existentiâ isto priori modo explicatâ, tamen modo longè inferiori, & suæ naturæ proportionato, existit independenter à quacunque operatione intellectus, ratione cuius independentiæ vocatur *ens reale*, vt sic condistinguatur ab ente rationis propriè dicto, & dicitur *reale tantùm*, seu *reale non physicum*, ad distinctionem entis physici realis, sicque est aliquid medium inter istud & ens rationis: communiter autem & propriè

VI. vocatur *morale*, quia totum eius esse formaliter consistit in quadam aptitudinali conuenientia ad perficiendum actum aliquem liberæ voluntatis, vt illa subordinatur rectæ rationi. Pro exemplo entis realis priori modo sumpti sunt Angelus, homo, & id genus cætera: pro exemplo entis realis posteriori modo accepti sunt honestas, quæ reperitur in obiecto alicuius actus moraliter boni & honesti: item illa fundamentalis bonitas, quam Philosophi in Ethicis, & Theologi primâ secundæ quæst. 18. agnoscunt esse in ipsis actibus moraliter bonis, independenter à quacunque operatione intellectus, antequam illi de facto exerceantur.

VII. Hoc præmisso notabili, Prior pars nostræ propositionis procedens de ente reali physico probatur. Omnis effectus ex stricta & vera entitate physicus postulat aliquam causam sui physicè realem, quia causa & effectus sibi correspondent, & nihil, propriè loquendo, seipsum producit: sed nulla potest assignari vera & physicè realis causa efficiens valoris moralis, qui reperitur in bonis actibus liberis, siue meritoriis, siue satisfactoriis: nam si quæ daretur, oporteret vel illam esse id, à quo valor ille desumeretur, putà obiectum horum actuum, vel illorum circunstantias, vel personam operantem. At nihil horum agit physicè, non obiectum, quia vt proponitur ab intellectu voluntati, est extra illam, & sicut intellectus extra se nihil physicum producit physicè, ita nec obiectum quod existit in illo potest aliquid physicum reale producere in actu siue interiori, siue exteriori meritorio, aut satisfactorio: similiter, & ob eandem rationem ipsæ circunstantiæ bonorum operum non sunt

VIII. causa

I. causa physica istius valoris : non item persona operans, quia personalitas non est aliquod principium operandi actiones, vel aliquid illarum, sed ipsæ potentiæ, quibus natura quam sustentat est prædita : igitur valor ille bonorum operum, siue meritoriorum, siue satisfactoriorum, non est aliquid reale physicum.

Deinde valor ille, vel erit entitas bonorum istorum actuum, vel aliquis modus illis superadditus : non primum, quia actu libero secundùm entitatem manente inuariato, valor eius potest variari, si quædam varietas contingat, vel in personalitate, vel in aliqua eius circunstantiarum : nam & omnes Christi actiones secundùm physicam suam rationem sunt eiusdem speciei cum nostris : non sunt tamen eiusdem valoris. Non est item aliquis physicus modus ei superadditus, quia nullâ mutatione physicâ, II. etiam modali factâ in eius entitate, sed tantùm in personalitate, valor ille est alius, maior, vel minor, vt patebit inferiùs : igitur valor bonorum operum, siue meritoriorum, siue satisfactoriorum non est aliquid reale physicum. Tandem omnis effectus realis physicus habet locum in aliqua categoria, saltem reductitè : sunt enim categoriæ apud Philosophos pro omnibus veris & physicis effectibus, in certa aliqua serie reponendis : at nulla categoria potest assignari, in qua valor ille reponatur, vt patebit discurrendo per singulas.

Posterior pars nostræ propositionis, quæ procedit de entè reali duntaxat morali, probatur : illud quod ita existit indepêdenter à quacumque operatione intellectus, vt totum eius esse consistat in quadam aptitudinali conuenientia ad perficiendum aliquem actum liberę voluntatis, pro- III. vt illa subditur rectæ rationi, est ens quoddam morale, vt explicatum est in præmisso notabili; sed valor ille bonorum operum, siue meritoriorum, siue satisfactoriorum existit suo modo independenter à quacunque operatione intellectus, vt probatum est contra primam sententiam, & totum eius esse consistit formaliter ad perficiendum actum liberæ voluntatis pro aliquo iusto faciendo, vt patet ex ipsa eius ratione initio præsentis articuli expositæ : igitur valor in bonis operibus, siue meritoris, siue satisfactoriis, est aliquid reale quidem, sed duntaxat morale ; quas autem causas habeat, suo esse proportionatas, patebit inferiùs.

ARTICVLVS II.

Penes quid valor ille attendatur.

IV. NOTANDVM est, bonos actus meritorios, & satisfactorios posse dupliciter considerari. Primò, *per ordinem ad proprium suum subiectum*, à quo, ex communi doctrina Philosophorum in Ethicis, ac Theologorum 1. 2. actiones morales accipiunt intrinseca bonitatem, cui pro dignitate, & excellêtia obiecti valor aliquis correspondet. Secundò, possunt considerari *per ordinem ad personam & suppositum naturæ exercentis illas*. Quia verò præsens consideratio suscipitur disputatione, vt posteà explicemus singularem valorem operum Christi Domini in ordine ad satisfaciendum, & promerendum, & hæc singularitas valoris attenditur in illis, prôvt comparantur ad suppositum : ideò hîc tantùm agemus de isto valore per comparationem ad suppositum.

A Communis hominum consensus habet, in opere satisfactorio præter valorem illum, qui oritur ex parte sui obiecti, aliquem alium ei aduenire ex dignitate personæ satisfacientis : ita docet praxis in qualibet Republica benè constituta ; & Arist. expresè notat lib. 5. Ethic. vbi agens de iure talionis, dicit illud non habere locum in satisfactione & vindicatione iniuriæ, & offensæ, quando persona offensa & offendens sunt inæqualis dignitatis, *Si quis*, inquit, *Magistratum gerens, aliquem pulsauerit, non est referiendus, & si quis eum qui magistratum gerit pulsauerit, non modò verberandus, sed etiam castigandus est.* Quibus verbis indicat valorem & magnitudinem satisfactionis attendi penes dignitatem personæ satisfacientis : cuius communis principij hæc est optima ratio, quòd persona alteri satisfaciens, non tantùm ei suam actionem præcisè & quasi in abstracto consideratam, sed & ipsummet satisfacientem (in quo ipsa eius personalitas in- B VI. cluditur) submittat in obsequium illius ; sicque persona satisfaciens est quasi aliqua pars in genere moris, intrinseca satisfactionis, quatenùs satisfactio est, quam promde vt sic, pro ratione, & conditione nobilitatis suæ & dignitatis, reddidit nobiliorem, & digniorem. Atque hanc rationem Apostolus passim in suis epistolis insinuat, dum vult exprimere condignitatem satisfactionis Christi Domini ad hominũ redemptionem, ait eum *sese humiliasse vsque ad mortem*, includendo in tali humiliatione personã Verbi diuini, vt terminantem naturam humanam Christi Domini, & eius etiam actionẽ eo modo quo illa dependet à supposito, sic cap. 2. ad Philipp. *Humiliauit semet ipsum factus obediens vsque ad mortem.* Ad Titum cap. 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* ad Hebr. C VII. cap. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhauriehda peccata.* Pari etiam modo, quia actus meritorius est in ordine ad præmium, & in distributione præmiorum, non tantùm habetur ratio operis, sed & personæ operantis, vt patet in distributione spoliorum post victoriã in bello obtentam : ideò hr, vt opus meritorium aliquid etiam valoris accipiat à dignitate personæ, quæ exercet illud : imò quia etiam actus meritorius, vt ex iustitia commutatiua remunerandus, facit vt persona illum exercens sese in obsequium Dei subiiciat, cùmque non suo duntaxat actu, nudè & præcisè sumpto, sed & ipsâ suâ propriâ personalitate honoret, eodem iure aliquid valoris ex eius dignitate sibi vendicabit.

At contrarium omninò euenit in grauitate peccatorum, & iniuria per peccatum illata : hæc D VIII. enim in primis, vt docent Aristoteles libro 5. Ethic. cap. 5. S. Thomas prima secundæ quæst. 73. art. 9. & omnes eorum Interpretes ibi, crescit ex dignitate personæ, in quam peccatum committitur ; non quidem hoc sensu, quasi sit tantum malitiæ in peccato, vel iniuria, quantum dignitatis & perfectionis reperitur in obiecto, seu persona offensa : (hoc enim esse falsum omnes ibidem docent, ex eo quòd actus specificentur à modo quo tendunt in obiecta, & quo illa attingunt : peccatum autem, licèt tendat in Deum, non tamen vt infinitum, & modo infinito ;) sed hoc tantùm sensu, quòd secundùm quandam proportionem offensa & iniuria censeatur esse maior & grauior, pro maiori dignitate personæ quæ offenditur, licèt ex aliis suis partibus, nimirùm ex qualitate actionis, & ex modo quo

committitur, & fit iniuria, possit diminui, vt patet in peccato veniali contra Deum commisso, quòd propter hæc duo non censetur continere in se grauitatem & iniuriam aliquo modo infinitam, sicut ipsum peccatum mortale, & proinde cùm Deus, persona mortaliter offensa, sit longè perfectioris dignitatis, imò & altioris ordinis, peccatum mortale contra illum commissum est etiam maioris grauitatis & iniuriæ: ratione cuius augmenti dicitur à S. Thoma hîc articulo secundo in solutione ad secundum, habere quandam infinitatem: quo loci addendo hanc particulam diminuentem *quandam*, significat talem grauitatem non esse simpliciter infinitam, sed tantùm secundùm quid, scilicet comparatione factâ ad omnia alia obiecta, in quæ peccatum potest committi.

I.

Ratio autem cur pro dignitate personæ offensæ malitia etiam peccati crescat, est hæc, quòd scilicet quò aliqua persona est dignior, eò maior reuerentia, & amplior honos debentur ei, & proinde cùm ista eius dignitas & honos debitus lædantur, deprimantur, & violentur per peccatum contra illam commissum, fit, vt quò honos iste est maior, eò etiam grauior censeatur esse iniuria, per quam talis honos læditur, deprimitur, & violatur.

II.

Secundò, grauitas peccatorum crescit ex notabili vilitate personæ grauiter offendentis, comparatæ ad magnam & eminentem dignitatem personæ offensæ, cuius rei hæc est ratio, quòd quò vilior est persona offendens, eò magis censeatur deprimi dignitas personæ offensæ. Tertiò, crescit peccatorum grauitas ex speciali ingratitudine personæ grauiter offendentis erga personam offensam, vt intelligitur ex illo Psalmistæ, Psalmo 54. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, & si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu verò homo vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

III.

DISPVTATIO IV.

De satisfactione puri hominis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm aliquis purus homo potuisset satisfacere Deo, ex perfecta iustitia, pro lapsu totius humani generis.

NOTANDVM est, duplicem hîc à S. Thoma & aliis Theologis hominem distingui, *vnum purum, alterum non purum*. Homo non purus hoc loco dicitur, qui ita est homo, vt etiam simul sit Deus, qualis est solus Christus: purus autem homo dicitur, qui ita est homo, vt tamen non sit Deus, siue homo ille sit ornatus gratiâ sanctificante, & aliis eiusmodi donis supernaturalibus gratiæ, siue solummodò habeat perfectiones spectantes ad ordinem naturæ. Vnde sensus præsentis articuli est, an aliquis purus homo, id est qui simul non sit Deus, siue ille sit in gratia sanctificante constitutus, siue non, potuerit de potentia etiam Dei absoluta satisfacere Deo ex perfecta iustitia, pro lapsu totius generis humani.

IV.

Quod spectat ad purum hominem, solis naturæ donis quantumlibet perfectissimis exornatum, certum omninò est eum non posse sic satisfacere Deo, etiam pro peccato suo mortali, multò minùs pro alieno: non quidem pro suo, cùm, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio eum non possit pœnitere peccati, sicut oportet, vt gratia iustificationis conferatur ei, quemadmodum definit Concilium Tridentinum sessione 6. canone 3. & omnia Concilia contra Pelagium congregata statuunt, vt Theologi docent ex professo primâ secundæ, quæstione 109. articulo 6.

V.

Non item pro alieno, quia talis satisfactio importaret quoddam meritum de condigno apud Deum, tanquam debitorem, non ex sola acceptatione, sed ex condignitate rei ad rem, vt patet explicatione præmissâ perfectæ satisfactionis: at nullus purus homo potest de condigno promereri alteri primam gratiam, vt docent Scholastici, primâ secundæ, agendo de merito: nec homo purus, solis naturæ donis exornatus, potest vllum opus exercere condignum tali remissioni peccatorum, cùm hæc sit aliquod bonum supernaturale, vt ipsa fides docet, opus autem ab illo exercitum, quantumuis perfectissimum, semper remaneat ordinis tantùm naturalis. Atque hoc totum etiam procedit de absoluta potentia Dei, cùm fundetur in defectu condignitatis, qui est intrinsecus operi talis ordinis, & tali modo exerciti, & impliceret rem in inferiori ordine remanentem, nullo alio sibi superaddito, quo eleuetur, æquari rei superioris ordinis. Solùm igitur restat difficultas de homine constituto in gratia habituali, etiam perfectissima, & operante ex illa modo quantùm potest perfectissimo, an talis posset satisfacere Deo ex perfecta iustitia pro lapsu hominum.

VI.

Prima sententia tribuitur Aureolo in quartum sententiarum distinctione 15. articulo 2. affirmans posse dari hominem in gratia constitutum, qui pro suo mortali peccato satisfaciat Deo ex perfecta iustitia. Secunda sententia est negans S. Thomæ hac in articulo secundo, in solutione ad secundum, & lib. 4. contra Gentes cap. 54. & communis omnium ferè Theologorum, quam sequimur, & pro cuius explicatione sit hæc

VII.

Propositio nostra, *Nullus purus homo quantacunque gratiâ habituali exornatus, & quantumcunque perfectè operans ex illa, potuit Deo satisfacere ex perfecta iustitia pro lapsu humani generis.* Probatur primùm ex Patribus, qui agentes de necessitate Incarnationis pro reparando homine, expressè dicunt oportuisse eiusmodi redemptorem esse Deum: qui loquendi modus potest tantùm esse verus ad sensum nostræ propositionis: sic S. Basilius in illud Psalmi 49. *Frater non redimit, redimet homo? non*, inquit, *homo nudus, sed homo-Deus, Iesus-Christus, quia nullus alius poterat afferre condignum pretium.* Sanctus item Leo sermone primo de Natiuitate, dum ita de Christo Domino ait, *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium, nisi esset verus homo, non præberet exemplum.* Proclus Cyzici Episcopus homiliâ illâ, quam habuit Constantinopoli, præsente Nestorio, & refertur in Concilio Ephesino tom. 6. cap. 7. *Homo*, inquit, *quod peccati debito subiaceret, saluare se non poterat, Angelus verò, quod tantum redemptionis ipsi non suppeteret, humanum genus redimere nequibat: supererat igitur, vt ille pro omnium peccatis moreretur, qui nulli peccato obnoxius erat, atque vnica hæc restabat*

VIII.

L *mali solutio.* Idem asserit sanctus Anselmus libro secundo *cur Deus homo*, capite sexto, sic loquens de satisfactione pro toto genere humano, *hoc fieri nequit, nisi sit, qui solvat Deo pro peccato hominum aliquid maius quàm omne, quod Deus non est.* Et ibidem quando concludit, eum qui satisfacit Deo pro nobis debere esse Deum-hominem.

Probatur etiam ratione fundatâ in doctrina Concilij Tridentini sessione 14. capite 8. in tantum satisfactio puri hominis, etiam in gratia constituti, est condigna pro peccato mortali, in quantum fundatur in meritis Christi Domini Dei-hominis, quia Concilium ibi ait expresè, omnem nostram satisfaciendi sufficientiam pro peccatis nostris esse à Christo: atqui in eo casu quo purus homo in gratia sanctificante constitutus, quantumcunque perfecta operaretur, eius satisfactio non esset fundata in meritis
II. Christi Domini Dei & hominis: igitur tunc B non esset sufficiens ad satisfaciendum pro lapsu totius humani generis.

Neque est quòd quis respondeat Concilium Tridentinum ibi loqui tantùm de nostra satisfactione, vt nunc sit de facto per gratiam nobis concessam ex Christi Domini meritis, non autem de ea, vt potest aliter fieri, de quo tamen hîc disputamus: nam licèt tantùm loquatur de nostra satisfactione, ita tamen loquitur, vt eius loquendi modus significet omnem sufficientiam puri hominis ad satisfaciendum Deo ex perfecta iustitia, esse à Deo homine, non tantùm in genere causæ meritoriæ, sed etiam in genere causæ formalis, hoc sensu, quòd ipse Deus-homo det valorem & sufficientiam nostræ iustificationi, & quod nostra satisfactio solùm habet
III. hanc sufficientiam, provt innititur eius merito C & satisfactioni, à quibus si separaretur, iam esset absolutè & simpliciter insufficiens: hunc enim sensum indicat Concilium paulò pòst, dum ita ait, *In quo*, scilicet Christo, *satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent.* Quæ postrema particula denotat causam formalem tantæ sufficientiæ & valoris esse ipsam Christi Dei-hominis satisfactionem, vt coniunctam *in esse moris* nostræ satisfactioni. Ergo, cùm in præsenti hypothesi satisfactio puri hominis nullo modo inniteretur satisfactioni & merito Dei-hominis, careret etiam sufficientia ad satisfaciendum Deo ex perfecta iustitia, sicque nullus purus homo quantumcunque perfectus in gratia, & quantumcunque perfectè operans ex illa, poterit Deo satisfacere ex perfecta iustitia, pro suo mortali peccato, vel etiam alieno.

IV. Deinde propositio nostra probatur discurrendo per singulas conditiones perfectæ satisfactionis: & primò quòd in tali satisfactione *æquivalens* non daretur, probatur sic: quando aliqua duo ita sese habent ad inuicem, vt vnum sit ordinis inferioris omnimodè finiti, secundùm quamlibet sui considerationem, & alterum superioris aliquo modo infiniti, tunc quantumcunque istud simpliciter finitum ordinis inferioris crescat in perfectione, intra suum ordinem contenta, nunquam æquabitur alteri, quod est ordinis superioris secundùm quid infiniti, quia finiti ad infinitum nunquam potest esse æqualitas perfectionis: atqui actus satisfactorij cuiuscumque puri hominis procedentes ex gratia habituali quæ potest dari perfectissima, & offensa in Deum commissa sunt duo, quæ ita se habent ad inuicem, vt offensa, & eius grauitas sunt secundùm quid infinitæ, & ordinis superioris, quia grauitas offensæ sequitur ordinem, & conditionem personæ offensæ, quæ hîc est Deus constituens ordinem dignitatis longè superiorem quouis ordine cuiuscumque creaturæ; opus verò satisfactorium sequitur conditionem personæ satisfacientis, quæ hîc est pura creatura: igitur actus satisfactorij puri hominis ex quacunque gratia, & cum quacunque perfectione exerciti, nunquam poterunt æquari offensæ, & grauitati peccati mortalis in Deum commissi, nec proinde talis purus homo poterit Deo satisfacere pro suo peccato mortali, vel alieno, reddendo ipsi Deo æquivalens. V.

Secundo loco: talis satisfactio puri hominis probatur non fieri *ex propriis* sic: res illa, per quam debitor ex perfecta iustitia satisfacit creditori, ita debet esse sub & in dominio satisfacientis, vt tota sit illius, nec sit communis creditori & debitori, neque ita sit debitoris, vt iustitiâ remanente illæsâ, creditor possit eam tollere à debitore, vsúmque eius impedire quotiescumque ei placuerit: hæc enim arguunt tunc debitorem non esse propriè & perfectè dominum talis rei: atqui actus satisfactorij, quos purus homo in præsenti casu constitutus in perfectissima gratia offerret Deo, ita essent puri istius hominis ratione suæ libertatis, vt tamen, etiam vt sic, & sub alia quacumque consideratione spectati, essent sub & in dominio ipsius Dei, quia essent quædam entia creata, & proinde sub tali dominio Dei, quo Deus non potest seipsum spoliare, & ratione cuius potest absque violatione alicuius iuris, seu iustitiæ omnes istos actus impedire, vel tollere quotiescumque illi placuerit: igitur VI. talis satisfactio puri hominis non esset, loquèndo in rigore, *ex propriis* ipsius debitoris. Confirmatur hæc Minor vltima ex sacris litteris, & Patribus, qui passim docent omnia nostra esse ipsius Dei, vt capite 29. libri primi Paralipomenon. Item, quando dicunt Deum coronare sua opera & dona, dum nostra præmiat, vt sanctus Basilius in Psalmum 123. Sanctus Augustinus libro de gratia & libero arbitrio capite 6. & 7. & plures alij.

Addidi huic rationi hanc particulam, *quotiescumque illi*, scilicet creditori, *placuerit*, vt occurrerem tacitè obiectioni, quæ potest desumi ex dominio quod vnusquisque ciuis habet in sua bona, per quod potest etiam ex perfecta iustitia satisfacere Reipublicæ, licèt hæc habeat speciale quoddam dominium in singula bona suorum ciuium: & vt simul ostenderem esse disparem rationem huius dominij, à dominio quod Deus
D habet in quamlibet actionem suæ creaturæ: quia VIII. enim Respublica non habet plenum, & absolutum dominium in bona suorum ciuium, itavt pro suo libito absque vlla iniuria possit de illis disponere, sed habet solummodò semiplenum, quatenùs scilicet potest, vbi & quando fuerit necessarium propter bonum Reipublicæ, vti illis, seruatâ tamen iustitiâ distributiuâ rideò cessante hac necessitate, quilibet ciuis manet dominus suæ rei, potéstque liberè & ex perfecta iustitia etiam ex illis satisfacere Reipublicæ, si quid ei debeat.

Contrà verò, quia dominium illud quod Deus habet in singulas nostras actiones est plenissimum, & absolutissimum, fit, vt per illas purus homo non possit ex perfecta iustitia ei satis-

I. facere, cùm quælibet nostra actio, secundùm quamcunque rationem dominij considerata, sit semper illius, tanquam nostri creditoris & domini, quippe quæ semper importet aliquam entitatem creatam, quæ Dei dominium nullo modo potest effugere.

Articvlvs II.

Obiectiones contra rationem propositionis præcedentis articuli soluuntur.

PRIMA est, inde sequi iustum hominem purum non posse Deo satisfacere ex perfecta iustitia, etiam pro suo peccato veniali. Primò, quia actio illa, quâ iustus satisfacit pro suo veniali, est semper in, & sub dominio ipsius Dei, sicut & prædicta actio satisfactoria puri hominis
II. in gratia sanctificante creati. Secundò, quia peccatum veniale habet similiter Deum pro obiecto, qui est persona offensa in se infinita: ergo sicut purus homo, quia est finitæ tantùm dignitatis, non potest pro mortali peccato satisfacere ex perfecta iustitia, Deo personæ offensæ infinitæ, ita nec iustus poterit nunc sic satisfacere pro suo veniali, cùm eundem Deum, vt personam offensam habeat pro obiecto: at dicere hominem iustum non posse satisfacere Deo ex perfecta iustitia pro suo veniali, derogat perfectioni gratiæ sanctificantis, & peccatum illud, quod ex se, & sua natura est, & dicitur ab omnibus leue, facit grauius quàm par sit.

Quòd si respondeatur, disparem esse rationem venialis à mortali, quòd nimirum malitia venialis non ita crescat, quin potiùs minuitur ex qualitate ipsius actionis, & modo quo peccatum venia-
III. le committitur, scilicet non destruendo amicitiam, sed illam tantùm leuiter offendendo: vnde cùm grauitas peccati venialis nullo modo sit infinita, ratione istius diminutionis, iustus potest satisfacere pro veniali à se cõmisso: mortale autem semper retinere suam grauitatem infinitam secundùm quid, ratione cuius purus homo, quantumuis iustus, ob finitatem suæ dignitatis non potest æquari. Obiicitur, omnia videri paria, nam sicut malitia peccati venialis minuitur ex prædictis duobus capitibus, ita etiam potest dari opus aliquod perfectissimum hominis in gratia sanctificate creati, quod crescat ex intensione ipsius actus satisfactorij, & dignitate gratiæ sãctificãtis, à qua proficiscitur, cùm hæc omnia possint per absolutã Dei potentiã esse maiora, quàm de facto fuerint in Christo Domino, & peccatum illud mortale, de cuius satisfactione agitur, possit
IV. supponi esse infimum in genere mortalium: potestque id confirmari exemplo argenti & auri, licèt enim hæc duo sint talis conditionis, vt argentum, quatenus metallum est, nunquam possit æquari auro, attamen potest poni in tanta copia, vt illi cœquetur, imò eius valorem superet, quemadmodum docet experientia: ergo pari iure, esto persona puri hominis in gratia sanctificante creati, & in ea perseuerantis, nunquam possit æquari dignitati Dei, personæ offensæ, & grauitati peccati mortalis, attamen cùm hæc infinitas grauitatis sit tantùm secundùm quid, illa poterit compensari illis aliis perfectionibus, quæ tali satisfactione prouenient, tam ex intensione actus, quàm ex frequenti illius iteratione, vel aliis similibus.

Confirmatur secundò, grauitas illa infinita

A peccati mortalis, cùm sit solummodò secundùm quid, non postulat personam satisfacientem esse absolutè & simpliciter infinitam, sed tantùm infinitam secundùm quid, nam æqualitas personæ satisfacientis ad personam offensam, vt offensa est, sufficit hac ex parte ad perfectam satisfactionem: at persona puri hominis iusti in maxima, quæ potest fingi, gratia iustificante constituti, habet aliquam dignitatem secundùm quid infinitam, similiter actus, quoad intensionem respondens eiusmodi gratiæ, habet aliquam infinitatem secundùm quid: ergo aliquis purus homo constitutus in gratia maximè perfecta, ex illáque exercens actum satisfactorium pro peccato mortali, remittendo alteri, poterit Deo satisfacere ex perfecta iustitia.

Tertiò confirmatur, quia aliàs sequitur malitiam peccati mortalis esse absolutè & simpliciter
B infinitam, nam peccatum illud est purè, & simpliciter infinitum in ratione grauitatis, ad quod ex perfecta iustitia remittendum, nulla persona finita, quantumcunque aliunde perfecta, est sufficiens, sed absolutè requiritur persona aliqua diuina, quæ purè & simpliciter est infinita: atqui grauitas cuiuscumque peccati mortalis est eiusmodi, quemadmodum tam nostra propositio, quàm singulæ eius rationes intẽdunt.

Sed ad hæc omnia respondetur, nos libenter admittere, hominem iustum non posse satisfacere Deo ex perfecta iustitia pro peccato veniali à se commisso in statu gratiæ, idque defectu conditionis ad eiusmodi satisfactionem requisitæ per istam particulam definitionis *ex propriis*: est enim quoad hoc, par ratio actus satisfactorij, tam pro veniali, quàm pro mortali, vt rectè vrget obiectio, & facilè probat ratio nostræ pro-
C positionis fundata in particula *ex propriis*: neque hoc derogat quicquam perfectioni tanti actus, ex maxima etiam gratia sanctificante elicti: hæc enim nullo modo consistit in eximendo aliquo ente à dominio Dei, cùm id repugnet, sed potiùs in augenda eius perfectione: vnde sicut non est imperfectio gratiæ sanctificantis, vel actus eius, vel etiam nostri status supernaturalis, quòd hæc sint quædam entia creata, dependentia absolutè & simpliciter à Deo, tam in esse, quàm in conseruatione nec istis derogabit, quòd non possint Deo exhiberi, tanquam aliquid ab eo independens, & positum extra quodcumque eius dominium, quod tamen esset necessaria absolutè, vt aliqua puri hominis satisfactio daretur ex perfecta iustitia etiam peccati venialis, vt contra Deum commissi.

Dixi inter respondendum (defectu conditio-
D nis requisitæ per istam particulam *ex propriis*) quia iustus in satisfactione prædicti sui venialis potest offerre Deo actum perfectæ contritionis, qui non solùm in entitate, sed etiam in valore sit paris, vel etiam maioris dignitatis, quàm prædictum veniale. Nec item talis satisfactio impeditur ex ipsa infinitate secundùm quid, quam suprà diximus esse in Deo, provt offenditur per mortale, tum ob rationem tam præcedenti articulo allatam, quàm præsenti obiectioni appositam, quatenùs scilicet persona in quam peccatur, non aggrauat peccatum secundùm proportionem suæ nobilitatis, provt tale obiectum, vel persona consideratur solitariè, quia aliàs nullum vnquam posset admitti peccatum veniale contra Deum, quod est contra omnium sententiam: sed vt dignitas personæ aggrauet

V. VI. VII. VIII.

I. peccatum, illa debet considerari comunctim cum malitia, sub qua peccatum tendit in illam, itavt iuxta proportionem istius malitiæ, vt tendentis in tale & tantum obiectum, vel personam, ipsa persona, vel obiectum aggrauet peccatum; & proinde cum malitia sub qua veniale tendit in Deum, sit leuis, & ratione illius peccatum istud non sit nisi valdè impropriè contra Deum, cùm non importet perfectam auersionem à Deo, vt docent Theologi cum S. Thoma primâ secundæ quæst. 87. art. 4. fit, vt licèt Deus venialiter offensus sit infinitæ dignitatis, attamen peccatum veniale nullam inde accipiat infinitatem, etiam secundùm quid: contrà verò, quia malitia sub qua peccatum mortale tendit in Deum, est enormis, repugnans amicitiæ Dei, eámque dissoluens, fit, vt ratione dignitatis personæ, accipiat à Deo, vt offenso, aliquam infinitatem secundùm quid.

II. Ad id verò quod obiicitur in contrarium, scilicet, *Quemadmodum malitia in peccato veniali ex præditis minuitur, ita etiam à contrario bonitas actus satisfactorij poterit augeri ex eius intensione & dignitate gratiæ sanctificantis.* Respondetur, id quidem esse verum, inde tamen nihil sequi contra nos, quia quantumcunque bonitas actus satisfactorij crescat ex hoc vtroque capite, nunquam tamen æquabitur infinitati secùdùm quid, quæ inest malitiæ peccati mortalis, etiam infimi, cùm hæc vtraque bonitas quantumcunque crescat, sit semper finita; malitia verò peccati mortalis infinita secundùm quid; imò si gratia sanctificans istius hominis iusti supponeretur per impossibile infinita, eius tamen infinitas adhuc esset improportionata ei infinitati secundùm

III. quid, quæ est in malitia peccati mortalis: hæc enim attenditur penes Deum, ens increatum, independens, & proinde est in eodem quasi ordine cum illo: at bonitas actus satisfactorij, & infinitas illa gratiæ esset semper aliquid creatum & dependens à Deo, ideóque secundùm ordinem illi disproportionata ad exemplum sumptum ab auro & argento, Respondetur non esse ad rem, nam licèt *aurum & argentum in genere metalli* sint diuersi ordinis, attamen vt considerantur *quoad valorem & æstimationem in ordine ad vsus humanos*, sunt eiusdem planè ordinis, & tantùm distinguuntur sicut magis & minùs: ideóque valor auri potest compensari additione argenti in magna copia: at res quæ in nostra præsenti difficultate comparantur inter se, sunt diuersi & disproportionati ordinis, provt spectantur quoad suum valorem, & dignitatem: nam vel comparantur inter se, persona satisfaciens, & persona

IV. offensa, & sic, vt probauimus, dignitas puri hominis satisfacientis nunquam potest pertenire ad dignitatē Dei, vt personæ mortaliter offensæ, vel actus satisfactorius; imò totum (quod homo purus constitutus in gratia infinita, & suppositum ex illo operans) comparatur cum malitia peccati mortalis, & tunc quia hoc totum est quid creatum à Deo dependens, semper est ordinis inferioris ad malitiam peccati mortalis, cuius grauitas & ordo attenditur penes Deū offensum, qui est obiectum, & res aliquo modo infinita, vt sic: vnde exemplum magis accōmodatum desumitur à vita, honore, & diuitiis; nam quemadmodum vita & fama (quia *in esse moris* sunt superioris ordinis quàm sint diuitiæ) nullo modo possunt per illas quantascumque compensari ad æqualitatem, ità nec iniuria facta Deo, quia est in aliquo superiori ordine, potest compensari ad æqualitatem per quamcunque satisfactionem puræ alicuius creaturæ, etiam perfectissimæ, cùm hæc sit semper inferioris ordinis. V.

Ad Maiorem 2. confirmationis respondetur 2. modis intelligi personam infinitam esse necessariam ad satisfaciendum Deo ex perfecta iustitia pro peccato mortali: Primùm, hoc sensu, quòd talis satisfactio per se & formaliter requirat personam purè, absolutè, & simpliciter infinitam. Secundò, quòd tantùm ex aliquo cōsequenti, & veluti per accidens requirat talem personam, quatenùs nimirū illa infinitas personæ sufficiens tali compensationi faciendæ, non potest reperiri de facto, nisi in aliqua persona, quæ sit simpliciter & absolutè infinitæ dignitatis. Iam, loquēdo in rigore, satisfactio pro peccato mortali ex perfecta iustitia formaliter & per se non postulat, vt

B persona satisfaciens sit absolutè & simpliciter infinitæ dignitatis, quemadmodum hæc secunda confirmatio bene probat, sed tantùm secundo modo, seu ex consequenti, & quasi per accidens: vt enim hæc infinitas secundùm quid reperitur in obiecto, seu persona mortaliter offensa, ex eo quòd est simpliciter infinita, & quasi ab illa resultat in iniuriam illi illatam, ita etiam infinitas secundùm quid requisita in persona satisfaciente, non potest resultare, nisi in ea persona, quæ sit purè & simpliciter infinita; sícque quasi ex aliquo consequenti, & veluti per accidens, persona purè & simpliciter quoad valorem infinita requiritur ad satisfaciendum Deo ex perfecta iustitia pro peccato mortali, vt in illum commisso. Ex quo etiam patet solutio ad tertiam confirmationem. VI.

Secunda obiectio. Si nobilitas & dignitas

C personæ moraliter offensæ ita aggrauat peccatum, vt persona dignitate longè inferior non possit satisfacere tali nobili personæ propter disproportionem personæ satisfacientis ad personam læsam, nunquam qui est de infima plebe poterit ex perfecta iustitia satisfacere nobili, putà Principi, quem læsit: at hoc videtur repugnare communi sensui prudentum, & etiam praxi. Igitur pari modo rationes superiùs allatæ non videntur probare nostram propositionem. Respondetur, negando eius consequentiam, & quoad hoc, dispar est ratio personæ nobilis, vt comparatæ ad hominem plebeium, ab ipso Deo, vt comparato ad creaturas rationales, quòd nulla persona creata, quantumcunque nobilis, habeat aliquam infinitatem etiam secundùm quid: vnde hac ex parte dignitas eius est finita, sicut & persona plebei cuiuscumque VII.

D hominis, sícque excessus ille nobilitatis non ita excederet, quin homo ille infimæ conditionis posset refarcire iniuriam illatam nobili per opus aliquod insigne, putà si nobilem illum ab euidentissimo mortis periculo eriperet, etiam cum aliquo discrimine propriæ suæ vitæ, vel patiendo aliquid in suis bonis, ad superiorem ordinem spectantibus: verbi gratiâ, in corpore, vel vita, sícque vilitatem suæ personæ compensare, quod non potest habere locum respectu Dei, cùm nihil creatum possit æquari infinitati illi secundùm quid, quàm malitia peccati mortalis accipit ab illo: non tamen negamus posse aliquando contingere, vt iniuria nobili illata per hominem infimæ conditionis, nullo bonorum eiusmodi vilis personæ genere, possit cum digna satisfactione compensari, quia licèt VIII.

I. nobilitas personę creatę habeat dignitatem tantùm finitam, attamen eius excessus potest esse nimius supra quamlibet conditionem, & facultatem vilis istius hominis, à qua prędicta nobilis persona grauissimam accepit iniuriam, vt patet in parricidio contra Regem commisso, & in internecione Principum Regni.

A habere locum in aliqua satisfactione puri hominis in summa gratia sanctificante constituti, & ex illa modo sibi possibili, quam perfectissimo operantis, nimirum quòd *sit voluntaria*, quòd *sit ex indebitis*, & quòd *in ea detur pactum* aliquod Dei cum isto homine propter rationes in tali fundamento positas: quia tamen bonum est ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu, & duæ aliæ conditiones perfectæ satisfactionis importatæ his duabus particulis, *æquiualentis*, *ex propriis*, non possunt habere locum in vlla satisfactione puri hominis, cuiuscumque sit ille dignitatis, quoad gratiam sanctificantem: ideò rectè eius fundamentum negamus. V.

Articvlvs III.

Fundamentum Aureoli soluitur.

VT probet Aureolus posse dari purum hominem, qui cõstitutus in sanctificante gratia Deo ex perfecta iustitia satisfaciat pro suo mortali peccato, vrget singulas partes perfectæ satisfactionis secundà disputatione expositas, illi

II. conuenire. Nam primò esset *voluntaria redditio*, quia esset actus liberè elicitus, & directus in finem satisfaciendi. Secundò, esset *æquiualentis*, quia talis homo instructus maiori gratiâ habituali, quàm de facto fuerit Christus Dominus, posset etiam cum maiori intentione operari ex illa, quàm fuerit intensio peccati à se commissi. Item, posset tantum bonum sibi de condigno promereri, quãto priuauit seipsum: vt enim peccando priuauit se visione beatifica, ita bene operando ex gratia habituali, sibi illam & eius augmentum promereretur, & actus ille impetratorius esset ordinis supernaturalis, sicut & præmiũ: nec huic merito obstaret infinitas peccati, cùm illa sit tantùm secundùm quid, & non simpliciter, vt suprà docuimus. Tertiò, hæc satisfactio esset *ex propriis*, quia homo ille in gratia constitutus esset dominus bonorum actuum, quos tũc eliceret ex gratia illa habituali, ratione liberi

III. sui arbitrij, à quibus tamen exercendis posset continere seipsũ. Quartò, denique esset *ex indebitis*, quia esset per opera supererogationis, quæque titulo iustitiæ, vel alterius virtutis, tũc quando exercentur non debentur Deo, cuiusmodi etiam pleraque in nobis reperiuntur. Ergo talis satisfactio esset ex perfecta iustitia.

Quod verò ex consequenti purus homo in tali gratia constitutus, posset etiam satisfacere Deo pro peccato alieno, probatur, quia ad hoc sufficit pactum Dei, quo talem purum hominem constituat caput cæterorum hominum: & præterea quòd actus satisfactorij talis hominis æquiualeant peccatis aliorum hominum, & ab illo dirigantur in finem talis satisfactionis; hinc enim fit quòd Christus Dominus nos redemerit ex perfecta iustitia: atqui Deus potuit ex pacto (quod esset merè extrinsecum, nec proinde minueret valorem pretij oblati) constituere ali-

IV. quem purum hominem caput omnium aliorum, pro accipienda gratia sanctificante, sicut constituerat primum parentem caput nostrum, pro accipienda per illum iustitia originali, & insuper dare ei tantam gratiam, imò maiorem, quàm de facto dederit Christo Domino, vt patebit infrà quæstione 7. Item posset homo ille exercere actus meritorios cum maiori intensione, & cùm diutissimè viueret multos eiusmodi actus exercere, sicque satisfacere de condigno, & ex perfecta iustitia pro lapsu totius humani generis, vel saltem plurium hominum.

Respondetur, nos quidem admittere tres istas conditiones perfectæ satisfactionis posse

Et primùm quod spectat ad illam partem rationis, quà conatur probare *æquiualens* ibi reperiri, respondetur, posse quidem tantam gratiam habitualem, imò maiorem dari à Deo alicui puræ creaturæ rationali, quàm Christus Do-

B minus de facto habuerit, hàneque creaturam posse absolutâ Dei potentiâ actum aliquem ex tali gratia intensiorem producere, quàm fuerint actus satisfactorij Christi Domini; sed licèt hæc omnia sint ordinis supernaturalis, quia tamen sunt creata, semper fore ordinis inferioris à diuina persona per peccatum mortale offensa, sicque nunquam dabitur æquialens in tali satisfactione: nam non ex eo præcisè aliquis habet, vt sit aptior ad satisfaciendum Deo ex perfecta iustitia, quòd habeat maiorem gratiam sanctificantem, vel quòd exerceat intensiores actus, cùm hæc ita sint eius satisfacientis puri hominis, vt etiam sint ipsius Dei creditoris; sed ex eo quòd sit minus, vel nullatenùs subiectus Deo, quemadmodum patet ex dictis, quod

C nulli puræ creaturæ competit. Nec iuuat quòd pura creatura possit per aliquem actum heroicum acquirere maiorem gradum gratiæ, vel gloriæ, quam de facto deperderit per peccatum mortale: est enim alia ratio meriti & satisfactionis: in merito maximè habetur ratio operis & modi, quo procedit à voluntate, quemadmodum intelligitur ex illo quarto capite Geneseos, *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*. & ex eleemosyna viduæ illius, quæ Sancti Marci 12. capite, & Sancti Lucæ 21. à Christo Domino dicitur plus misisse in gazophylacium, quàm diuites, licèt hæc vidua miserit tantùm duo minuta, illi verò multa munera. At in satisfactione magis attenditur conditio personæ, cùm hæc consistat in eo, vt qui satisfacit non tantùm suam actionem, sed & personam

D suam subiiciat ei quem offendit: vnde quò persona satisfaciens est magis sui iuris, vel nullo modo subdita alteri, eò etiam est aptior ad satisfaciendum, modò reliquæ conditiones concurrant: è contrà verò in restitutione, vt conditinguitur à satisfactione, habetur tantùm ratio æqualitatis rei ad rem. VI. VII. VIII.

Similiter quod spectat ad illam aliam rationem, quâ nititur ostendere conditionem importatam hac particulâ, *ex propriis*, falsitas illius satis intelligitur ex iis quæ diximus hac disputatione, articulo primo: nam ibi ostendimus nostram liberratem non eximere actiones nostras liberas ab omni dominio Dei, sicque purum hominem non posse per illas satisfacere Deo tanquam ex propriis.

I. Christo Deo-homine, & videndum vnde actiones eius propriæ specialem suum valorem accipiant, quotuplex ille sit, quæ eius magnitudo, & quantitas; his enim probè cognitis, non erit valdè laboriosum diiudicare, vtrùm Christus Dominus pro nobis satisfaciens, obtulerit Deo Patri pretium aliquod iniuriæ, illi per singula omnium hominum peccata, tam committenda vsque ad consummationem sæculi, quàm hucusque commissa irrogatæ, vel irrogandæ, correspondens ad amussim strictæ iustitiæ.

Vt autem à proximâ & immediatâ radice valoris operum exordiamur, præmittendum est personalitatem posse duobus modis se habere ad ali quam actionem satisfactoriam, primò, vt est *specialis tantùm quædam illius circunstantia*, quam Theologi primâ secundæ quæstione septima articulo tertio explicant hac particula II. *quæ*, iuxta quam considerationem persona non includitur in ipsa sua actione, quemadmodum nec ipsæ circunstantiæ actionis humanæ, in ipsa eius substantia, sed est tantùm specialis quædam illius conditio: exempli gratiâ, quod sit Regis, Principis, Senatoris, nobilis, plebei, & sic de aliis; iuxta quem modum personalitas Christi Domini sese habuit ad multiplicationem quinque panum & duorum piscium, item ad resuscitationem Lazari, filij viduæ, ad curationem socrus Simonis, & ad cæteras id genus transeuntes actiones quas liberè exercuit; quarùm personalitas Christi Domini, etiam loquendo moraliter, non est pars aliqua nec in ipsis, vt sic consideratis inclusa, sed mera tantùm conditio & qualitas suppositi illas exercentis.

Secundò, personalitas potest sese habere ad suas actiones tamquam *aliquid in illis moraliter consideratis inclusum*, quatenùs ex illis & ex ipsa III. personalitate operantis totum quoddam morale coalescit, quod offertur vel datur in pretium, vel satisfactionem, & hæ actiones ad distinctionem aliarum, quæ priori membro huius notabilis explicantur, appellantur *reflexiuæ*, eo quòd reflectant se suprà dignitatem sui suppositi, id est, non tantùm importent oblationem vel submissionem ipsius suæ entitatis, quatenùs est præcisè actio; sed simul oblationem & submissionè suppositi cum sua dignitate à quo exercetur. Quo modo personalitas est istis actionibus vt sic consideratis, aliquid intrinsecù, & aliqua veluti pars eius totius, quod offertur in satisfactionem, vel pretium, quæ tamen personalitas, actionibus prioti membro explicatis est aliquid extrinsecum. actiones huius secundi generis IV. sunt ipsa *humiliatio Christi, ipsa sui oblatio in mortem pro nobis*: nam Christus Dominus istâ humiliatione non tantùm submisit Deo actionem illam, quam tunc exercebat, sed & simul cum illa propriam suam personam, vt expresè significat Apostolus, sic de illo dicens cap. 2. ad Philippenses, *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem.* Et ad Hebræos cap. 9. *Qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo*, & ibidem in fine capitis, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*: in quibus locis istæ particulæ *semetipsum, oblatus*, important ipsum etiam suppositum, & non nudam tantùm actionem. Hoc ita prænotato sensus præsentis articuli est quonam ex ipsis duobus modis persona Christi Domini det valorem suis actionibus liberis.

De posteriori modo, non est difficultas, quia actus moralis accipit valorem à morali forma sibi intrinseca, sicut omne compositum à sua forma: sed persona Christi Domini est moralis forma significans, in genere moris, & intrinseca istis actionibus reflexiuis: igitur actus illi accipiunt valorem ab eius persona.

Circa priorem modum, imprimis certum est personam Verbi non ideò dare valorem istis actionibus liberis Christi Domini, quòd sit illarum principium efficiens, in genere causæ efficientis propriè sumptæ; nam præterquam quod diuinæ personalitates nullam habent *ad extra* efficientiam propriè dictam, sed illa omnis & tota est ab essentia & omnipotentia Dei, omnibus personis diuinis communi, vt habet receptissimum inter sanctos Patres axioma, *actiones Trinitatis ad extra sunt indiuisæ*, etiam in rebus creatis, suppositum est duntaxat certa quædam conditio prærequisita in subsistantiis naturalibus, vt illæ suis principiis seu facultatibus naturalibus ad efficienter operandum instructæ, sunt in statu accommodato ad agendum; quo tantum sensu actiones dicuntur esse suppositorum. Secundò, certum est personam Christi Domini non ideò etiam dare illis valorem, quod eas immediatè sustentet & terminet; nam immediata sustentatio & terminatio diuini Verbi in hoc mysterio, est ad humanitatem & partes eius tantùm, & non ad accidentia, vt ex professo docebimus, de quorum tamen genere sunt illæ actiones de quibus loquimur. Tertiò certum est, istas etiam actiones Christi Domini non ideò esse huius aut istius valoris, quòd fuerint quasi elicitæ à diuinâ voluntate: nam inferius, disputando contra Monothelitas ostendemus, istas fuisse à sola voluntate humana, duas quidem fuisse voluntates in Christo Domino; diuinam & humanam; sed & illas fuisse impermixtas, illarum actus etiam distinctos, nec creatam volitionem posse esse à diuina voluntate tanquam principio eliciente. Illud igitur vocatur in dubium, an scilicet persona Christi præcisè considerata purè & simpliciter in prædicta ratione circunstantiæ tribuat eis valorem, vel etiam quatenus illas, mediante humanitate cui vnitur, sustentat.

Quidam ex recentioribus tantùm fundant totum valorem satisfactoriarum & meritoriarum actionum Christi Domini in eius persona, provt illæ eius actiones sunt reflexiuæ, & de iis potissimum intelligunt commune istud dictum, *quò persona est dignior, eò etiam satisfactio per illam facta est maioris valoris.* Quare consequenter volunt actiones eius, aut nullum, aut valde exiguum valorem accipere ab eius persona, vt hæc VIII. consideratur in præsenti difficultate, tanquam mera quædam circunstantia illarum.

Contrariæ sententiæ videtur nobis melior, & illam loco propositionis ponimus, quæ probatur primò ex illo 4. cap. Gen. *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius*, vbi dignitas oblationis non solùm attenditur penes excellentiam rei oblatæ, sed etiam penes conditionem, & dignitatem Abelis offerentis, qui licèt esset minor natu fratre suo Cain, quia tamen ratione suæ fidei (vt Apostolus significat ad Hebr. 11.) erat perfectior, item quia, ratione suæ innocentiæ & simplicitatis, vt Tertullianus explicat lib. contra Iudæos cap. 2. erat dignior, eius sacrificium gratius Deo fuit, & acceptius.

Secundò, quidquid confert ad bonitatem

I. & honestatem operis satisfactorij & meritorij, illud confert etiam ad eius valorem, quia moralis valor est quædam proprietas consequens tales actus: atqui dignitas personæ seu operantis confert ad bonitatem & honestatem actus meritorij & satisfactorij; hæc enim est quædam eius circunstantia, vt expresè docet Aristoteles in Ethicis, & sanctus Thomas 1.2. actus autem moralis humanus, & bonus accipit etiam à suis circunstantiis aliquam bonitatem, vt omnes Theologi communiter docent cum S. Thoma 1. 2.

Tertiò meritum, & præmium seu merces operis, vel eius distributio sunt correlata, similiter actus satisfactionis, & relaxatio iniuriæ; sed iusta distributio præmij fit etiam pro dignitate personæ, licèt labor sit æqualis, vt patet in bello, vbi fit distributio præmiorum vel mercedis, plus enim accipit nobilis, quàm simplex aliquis miles.

II. Quartò singulæ speciales circunstantiæ actuũ moralium augent illorum bonitatem & malitiam, ex S. Thoma 1. 2. quæst. 7. artic. 2. item quæst. 18. artic. 10. & 11. item quæst. 73. artic. 7. sed dignitas personæ, humano & morali modo operantis, est quædam specialis circunstantia humanæ & moralis suæ actionis, vt idem sanctus Thomas expresè docet citata quæstione septimâ articulo tertio: ergo dignitas personæ operantis auget bonitatem & valorem suæ moralis honestæ actionis.

Confirmatur, eadem est ratio conditionis personæ, quatenùs est specialis circunstantia actuum bonorum meritoriorum & satisfactoriorum, quæ est illius eiusdem conditionis, quatenùs est specialis circunstantia actuum peccaminosorum, quia hæc est æqualiter circunstantia vtrorumque actuum: sed conditio seu dignitas personæ, tamquam specialis circunstantia actus peccaminosi, auget eius malitiam, vt sanctus Thomas expresè docet citata quæst. 73. artic. 10. (vnde quæst. 103. sequenti art. 3. notat in lege veteri sacrificia pro expiatione peccatorum Principis, Sacerdotis, fuisse specialia & distincta à sacrificio pro expiatione peccatorum priuatæ personæ) igitur & conditio seu dignitas personæ, quatenùs illa est specialis circunstantia actus honesti, meritorij & satisfactorij, auget etiam eius bonitatem & valorem.

III.

Articvlvs II.

Quâ proportione dignitas personæ augeat valorem boni & honesti operis.

IV. Hæc difficultas procedit de persona vt articulo præcedenti considerata in præcisa ratione specialis circunstantiæ alicuius actus honesti: vt autem ei respondeatur, notandum est duplicem posse distingui personalem dignitatem, vnam verè & propriè *substantialem* intrinsecam ipsi supposito operanti, eo modo quo actiones communiter dicuntur esse suppositorum: huius generis est ipsa dignitas Verbi diuini, vniti hypostaticè humanitati assumptæ, quam suprà docuimus esse ipsammet personalitatem Verbi diuini: alteram *accidentalem*, huius generis est illa dignitas, quæ nobis aduenit per infusionem & inhabitationé grat e sanctificantis, hæc enim nobis integrè substantialiter remanentibus deperditur per peccatum mortale: est etiam huius generis omnis illa mortalis dignitas, quæ aduenit hominibus ex humana eorum deputatione ad quædam eminentiora officia reipublicæ. A

Secundò notandum est, proportionem istam augmenti valoris aduenientis operi meritorio ex ipsa dignitate personæ, posse cõsiderari 2. modis: Primò per comparationem *ad dignitatem personæ in se*. & secundùm se spectatam, itavt persona dignificet in tanto gradu suã actionem, in quãto gradu est eius dignitas. Deinde potest hæc proportio attendi per comparationem *ad iudicium viri prudentis*, quatenùs scilicet actio huius personæ, est tantæ æstimationis & valoris in ordine ad præmium, quanti vir prudens potest & debet illam æstimare. Vel etiam tertiò potest considerari in ordine *ad diuinam prouidentiam*, quatenùs nimirum Deus, iustus distributor præmiorum, determinauit singulis bonis operibus suam mercedem & præmium, illorum bonitate, tam accidentali, quàm substantiali, exactè perpensâ. V. VI.

B Ex his prænotatis respondetur ad dubium propositum, accidentalem dignitatẽ conferre operi satisfactorio vel meritorio valorẽ eũ tantùm proportione, quæ est per ordinem seu comparationem ad iudicium viri prudentis, & ad ordinem prouidentiæ diuinæ: substantialem verò dignitatem conferre operi satisfactorio vel meritorio valorem proportione sibi correspondente. Ratio prioris partis nostræ responsionis est hæc. accidentalis dignitas, in causando augmento valoris alicuius boni operis, ad obtinendum præmium, ita supponit substantialem bonitatem operis vt illam relinquat intra suam speciem nec inde illam extrahat, sed tantùm accidentaliter perficiat, seu augeat in ordine ad præmium, quia habet meram rationem puri & simplicis cuiusdam accidentis: sed hæc est propria conditio honesti, meritorij, & satisfactorij operis secundùm bonitatem suam substantialem & specificam spectati, vt eius valor proportionetur huic vel isti præmio provt vir prudens æstimauerit: similiter valor actuum meritoriorum ordinis supernaturalis proportionatur præmio illis assignato, ex sapienti ordinatione Dei, tanquam supernaturalis prouisoris & summi distributoris præmiorum alterius vitæ, quemadmodum sacræ scripturæ passim docent, dum agunt de distributiua eius iustitia: igitur accidentalis dignitas auget valorẽ proprij sui actus meritorij vel satisfactorij eâ proportione quæ est ad iudicium viri prudentis, & ad ordinationem Dei iuxta suauem & sapientem eius prouidentiam. Confirmatur, primo existis duobus modis soletin republica temporali haberi ratio conditionis laborantium in distributione præmiorum, vt ipsa communis hominum experientia docet. C VII. VIII.

D Ratio autem nostræ Responsionis quoad posteriorem partem est hæc, quando dignitas identificatur entitati substantiali, eáque sese communicat alicui apto facere aliquod iustum, tunc simul etiam ei communicat necessariò valorem sibi quoad fieri potest correspondentem, quia ex ipsa sui communicatione seu coniunctione ad eiusmodi aptum valor necessariò resultat in illud tanquam effectus ad positionem suæ causæ in subiecto idoneo: est enim dignitas vt tali subiecto coniuncta, causa eius valoris; atqui in re præsenti dignitas identificatur entitati substantiali, quia nihil est aliud quàm ipsa personalitas, & hæc sese communicat immediatè humanitati quam terminando sustentat, mediatè verò liberis & honestis eius actionibus, quę sunt aptæ facere

I. aliquod iustum, igitur substantialis dignitas communicat necessariò liberis & honestis actionibus suæ naturæ valorem quantùm fieri potest sibi correspondentem.

Articvlvs III.

Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.

PRIMVM fundamentũ est. Actiones transeuntes Christi Domini, exempli gratiâ, resuscitatio Lazari & id genus aliæ, sunt etiam iuxta hunc modum ab eius supposito seu persona Verbi vnita humanitati, nec tamen habent valorem, igitur suppositum seu persona quatenùs est circunstantia actus non confert ei aliquem valorem. Respondetur quosdam velle nostram sententiam esse tantùm veram de iis actionibus, quæ aliquo modo sunt immanentes, seu quæ recipiuntur in ipso operante, non autem de transeuntibus, cuiusmodi sunt creatio mundi respectu Dei, resuscitatio Lazari, respectu Christi, quæ recipiuntur & insunt ipsi patienti: cuius disparitatis rationem volunt hanc esse, quòd suppositum significet quidquid est in persona in concreto sumptâ, & cum quo facit aliquod vnum, non autem quod est ei omninò extrinsecum: actiones autem immanentes, vt ipsum earum nomen importat, sunt & recipiuntur tantùm in ipso operante & ex illis & supposito vnum operans constituitur: at actiones transeuntes sunt ipsi operanti extrinsecæ, cum in illo non recipiantur, sed in patiente, nec cùm illo faciunt aliquod vnum, sed vt sic considerantur in abstracto & extra personam, à quâ proinde non dignificantur, aut saltem longè minùs quàm illæ quæ sunt immanentes.

II.

III. Verùm meliùs respondetur, actiones transeuntes posse considerari duobus modis. Primo *per habitudinem ad suam causam efficientem*, seu vt ab illa egrediuntur. Secundo, *per habitudinem ad ipsum patiens* in quo recipiuntur, illas iuxta posteriorem habitudinem consideratas, non dignificari à supposito operantis, ob rationem præcedenti solutione allatam; consideratas verò iuxta priorem, dignificari à supposito producente principio illarum & aliquem valorem accipere, si modò habeant conditiones ad iustum aliquod faciendum requisitas; cuius posterioris partis ratio hæc est, quòd actio egrediens à sua causa sequitur propriã eius conditionẽ & modũ: atqui suppositum eius qui operatur meritoriè & satisfactoriè est causa qua actus illi meritorij & satisfactorij egrediũtur, & dignitas ei inexistens, est propria eius cõditio & modus operandi; ergo

IV. illi actus boni & honesti, etiamsi sint transeuntes, non desinent accipere aliquem valorem suæ honestatis à supposito à quo exercentur. sic creatio totius vniuersi est maximæ cuiusdam dignitatis in ratione beneficij, cui tamen quia est à solo Deo, repugnat quòd sit meritoria vel satisfactoria, Deus enim, vt Deus, non potest vel mereri vel satisfacere: similiter & ipsa Lazari resuscitatio est infiniti valoris in genere beneficij, quæ tamen si à Christo Domino ordinata fuisset ad merendum, & satisfaciendum, vt poterat, habuisset etiam & valorem in tali genere meriti, & satisfactionis, correspondentem dignitati personæ Christi Domini.

Secundum fundamentum est. Si per impossibile Christus peccasset mortaliter humanitate eius remanente vnitâ Verbo diuino, persona eius

A semper remansisset infinitè digna, actus tamen illi, aliàs ex obiecto moraliter boni, quos exercuisset in statu peccati mortalis, nullum habuissent valorem ad satisfaciendum vel promerendum aliquid ex condigno, quia status peccati mortalis impedit tale meritum & satisfactionẽ. V.

Confirmatur, vbi aliquid habet veluti rationem causæ & est applicatum, tunc effectus ei correspondens ponitur: atqui dignitas personæ Verbi est in ratione suppositi applicata actionibus moralibus exercitis in statu peccati mortalis, iuxta hypothesim nunc factam, nec tamen valor ad condignè satisfaciendum & merendum ponitur in illis, in hac eadem hypothesi, propter peccatum mortale. igitur persona vt sic præcisè non est causa alicuius valoris in moralibus actionibus Christi Domini. Respondetur 1. fuisse impossibile Christum peccare, & admisso vno impossibili

B non debere videri absurdum, si aliud impossibile sequatur. Deinde respondetur, posito isto impossibili, personam Christi futuram quidem infinitè dignam in se & secundùm se, datâ tamen ista hypothesi, liberas actiones Christi per creatam eius voluntatem exercitas, tunc non futuras alicuius valoris ad satisfaciendum vel promerẽdum coram Deo, defectu honestatis prærequisitæ in libera actione humana, ad hoc vt coram Deo sit meritoria vel satisfactoria; sicut si Verbum diuinum assumpsisset naturam irrationalem, exempli gratiâ, naturam leonis vel ouis, actiones eius essent à supposito infinitè digno, quia tamẽ non essent humanæ & liberæ, & proinde improportionatæ ad faciẽdum aliquod iustum, siue in ratione præmij & mercedis, siue in ratione satisfactionis, nullum, loquendo propriè & strictè, habuissent valorem in isto genere. VI.

C Tertium fundamentum. Si dignitas personæ sic præcisè considerata det valorem istis bonis actibus, actus charitatis elicitus cum minori intensione ab aliquo iusto existente in statu gratiæ, vt præcisè est actio, erit maioris valoris, quàm sit actus bonus longè intensior circa idem obiectum elicitus ab alio homine constituto in minori gratia habituali; item actus boni à Rege vel Principe exerciti in statu gratiæ, erunt meriti & satisfactionis longè maioris apud Deum, quàm sint iidem actus boni exerciti in statu gratiæ à plebeis vel rusticis, quæ duo videntur esse falsa. Respondetur, admittendo id quod ibi infertur, intellectum tamen conformiter ad responsionẽ, quam dedimus dubio à nobis proposito articulo secundo huius disputationis. VII.

D Vltimum fundamentum. Eadem est proportio dignitatis in persona offensa ad dandam grauitatem peccato, quæ est personæ satisfacientis & promerentis ad dandum valorem suis bonis actibus satisfactoriis & meritoriis, quia, iuxta hanc considerationem, persona est vtrobique aliquid ipsis actionibus extrinsecum: sed falsum est dignitatem personæ offensæ eo maiorem dare grauitatem peccato contra illam commisso, quo illa dignior est: nam peccatum veniale, (cùm loquendo propriè sit contra Deum, quia est peccatum propriè dictum, & Deus est infinitè dignus,) deberet habere grauitatem aliquo modo infinitam, quod tamen est contra communem Theologorum sententiam, qui illud vocant veniale, & leue peccatum: igitur persona operans, considerata præcisè vt est circunstantia, non dat valorem bonis actibus, vel si quem illis communicat, non tam in proportionatè ad suam VIII.

I. dignitatem. Respondetur, Maiorem eius, iuxta sensum quem præ se fert, esse simpliciter & absolutè falsam: licèt enim dignitas personæ offensæ det aliquam grauitatem peccato, illam tamen ei non confert eadem proportione, quâ dignitas operantis illam communicat suæ actioni meritoriæ & satisfactoriæ, sed in aliquo gradu longè inferiori: cùm enim actiones humanæ & liberæ soleant specificari, non tantùm ab obiecto, cuius conditionem sortitur persona offensa respectu actus peccaminosi, sed etiam à modo quo tenduntur in illud, dignitas personæ offensæ dabit peccato grauitatem, duntaxat secundùm proportionem eius malitiæ & tendentiæ in personam, contra quam peccatur. Quare si malitia peccati vel eius tendentia in illum qui læditur, sit tantùm aliquid leue, vt contingit in peccato veniali, tunc non mortalem secundùm quid infinitam,

II. sed finitam tantùm & venialem grauitatem, ísti B eius malitiæ, & tẽdentiæ correspondentẽ, dabit: at è contrà quoniam actio satisfactoria & meritoria, vt à suo supposito egrediens, sequitur eius conditionem, fit vt hæc talis actio, sit maioris vel minoris æstimationis & valoris pro dignitate personæ exercentis illam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum valor operum Christi Domini sit ab eius personalitate, vt condistincta à diuina essentia.

SENSVS articuli est, an valor ille proueniat tantùm ab essentia diuina, ita vt eius personalitas sit tantùm ratio, seu quædam duntaxat conditio requisita, vt ille deriuetur ad humanitatem assumptam, & ad prædicta bona eius opera: sícque nullus valor proueniat ab ipsa Verbi

III. personalitate, sumpta præcisè, vt virtualiter C condistinguitur ab essentia diuina.

Vasquezius hac parte, disputatione 41. cap. 4. cum nonnullis recentioribus tuentur partem affirmantem. Melior tamen est aliorum sententia, quam hac 1. nostra propositione explicamus, *bona opera Christi Domini etiam accipiunt valorem ab ipsa personalitate Verbi vt condistincta ab essentia diuina.* Probatur, primò ex ipsa Extrauaganti Clementis VI. quæ incipit *Vnigenitus*, titulo de pœnitentia & remissione. Vbi sum mus Pontifex infinitatem valoris actionum Christi Domini satisfactoriarum & meritoriarum repetit ab ipsa vnione hypostatica, quæ soli Verbo, vt ab essentia diuina virtualiter condistincto, cõuenit.

Secundò probatur. Inde humanæ actiones Christi Domini accipiunt aliquem valorem, vnde eius humanitas habet aliquam specialem sanctitatem, & eius operationes liberæ aliquã con-

IV. dignitatem ad promerendum coram Deo, quia D vis & efficacia ad id fundatur in istis duobus: sed Christi Domini humanitas habet à personalitate Verbi diuini sibi vnita, vt etiam condistincta virtualiter à diuina essentia, specialem aliquam sanctitatem, à qua liberæ eius actiones, tam præcisâ diuinâ essentia quàm seclusâ gratiâ sanctificante, habent condignitatem ad promerẽdum corã Deo, vt ex professo infrà ostẽdemus ad quæst. 7. huius partis. Igitur liberæ actiones Christi Domini accipiunt aliquẽ valorem à personalitate Verbi diuini vt cõdistincta virtualiter ab essentia diuina. Atque ex hac ratione soluitur fundamẽtum Vasquezii, quo dicit suppositum Verbi diuini præcisè sumptũ nullam habere sanctitatem, sed solam essentiam diuinam mediante A personalitate Verbi vnitam humanitati illam & eius opera infinitè sanctificare, cuius fundamenti falsitas patebit ampliùs citata quæstione 7. V.

Secunda propositio. *Præter hunc valorem, adhuc alius deriuatur à diuina natura, vt mediatè vnita humanitati in prædictos actus Christi Domini.* Probatur, valor moralis fundatur in dignitate, sed actus illi habent aliquam dignitatem ex eo quod exerceãtur à natura humana vt diuinæ naturæ vnita: ergo aliquem inde accipiunt valorẽ. Maior patet ex dictis suprà de valore. Minor probatur: apud omnes homines, quo aliqui sunt Regi, Principibus, Magnatibus, speciali quadam propinquitate coniunctiores, eo digniores habentur, vt indicat maior honos, qui ideò eis defertur ab aliis, & honesti illorum actus plus æstimantur, & pro gradu, quo coniunguntur istis Magnatibus, prædicti illorũ actus hunc vel illum

VI. valorem accipiunt, vt docet experientia, sic enim honesti actus filij Regis præferũtur actibus Principum, actus Principum, actibus purè & simpliciter Nobilium, & sic de cæteris, seruata proportione: atqui in Christo Domino natura humana habet coniunctionem ita specialem cum diuina, vt inter duas totales naturas nulla intimior, nulla etiam nobilior dari possit, vt infrà ex professo docebimus: igitur honesti actus exerciti à natura humana Christi Domini sic coniuncta diuinę, accipiunt specialem aliquã dignitatem, & ex cõsequenti valorẽ suæ dignitati correspondentem.

ARTICVLVS V.

Quotuplex sit valor bonorum operum Christi Domini.

EX hactenus dictis sequitur liberas actiones honestas Christi Domini, vt consideratas VII. per habitudinem ad suum suppositum, habere C valorem ex triplici titulo. *Primus titulus est*, quo illæ sunt reflexiuæ, & in ipsa re, quàm Deo subiiciunt, vel offerunt in pretium, & satisfactionem includunt ipsam personam Verbi diuini, velut partem huius totalis pretij. *Secundus titulus est*, quo actiones illæ vel res Deo in obsequiũ subiectę, sũt à persona, quatenùs persona habet rationẽ specialis alicuius circunstantiæ in actibus humanis, vt articulo 1. huius disputationis est explicatum. *Tertius titulus est*, quo illę eædem actiones, sunt quidem à supposito Verbi ita sustentãte naturam humanã, quæ est illarum principium efficiens, vt tamen simul & in eadem sua personalitate etiam sustentet naturam diuinam, quæ est mediatè vnita humanitati. Et quod omnes isti tituli sint aliquo modo à se inuicem distincti, pa-

D tet, quia sicut dari potest honesta quædam actio, VIII. quæ non sit reflexiua, sic & valor ei correspondens, potest dari non includẽs ipsam personam, tanquam partem rei oblatæ in pretium & satisfactionem. Item si per impossibile, diuina natura esset realiter distincta à personalitate Verbi diuini, nec proinde me diatè vnita humanitati, tunc honestæ actiones Christi Domini carerẽt ista dignitate sibi per talẽ vnionem mediatã prouenientę, & ex consequenti valore correspondenti tali suæ dignitati, sed soli duo alij valores remanerẽt.

Secundò sequitur, istos tres valores esse à se inuicem specie morali distinctos. Et in primis, quòd duo priores sic distinguantur, probatur; quia sunt pretia specie morali distincta; nam primus illorũ includit intrinsecè & formaliter ipsum diuini Verbi suppositum, velut aliquam partẽ totalis pretij, posterior verò minimè. Deinde,

I. duæ illæ actiones distinguuntur specie morali *in esse valoris*, quæ talis sunt conditionis, quòd earum vni valor prouenit ab aliquo sibi extrinseco, & alteri ab aliquo sibi intrinseco, quia intrinsecũ & extrinsecum opponuntur, & intrinsecũ magis significat quàm extrinsecum: atqui valor actionum reflexiuarum prouenit à diuina personalitate Verbi, vt inclusa in toto illo quod hic offertur in pretium; est enim pars quædam pretij totalis & partes sunt intrinsecæ ipsi suo toti, quatenùs est totum: alius verò actionibus non reflexiuis valor ille prouenit quidem ab ipsa eadem personalitate, sed quatenùs habet duntaxat rationem illius circunstantiæ, quàm Philosophi, & Theologi agendo de circunstantiis actionum humanarum explicant hac particula, *quis*; omnes autem eiusmodi circunstantiæ sunt ipsis suis actionibus extrinsecæ, vt iidem omnes docent ibi: igitur duo priores illi valores, ad se inuicem comparati, distinguuntur specie morali. Quòd item tertius ille valor, prouenies à natura diuina mediatè vnita humanitati, sit etiam morali specie distinctus à duobus reliquis, probatur. Diuersa specie propinquitas & coniunctio inter aliquas res, facit in moralibus diuersas specie morali dignitates, & ex consequenti valores in illis fundatos, vt patet ex dictis hîc secundâ nostrâ propositione: atqui illa vnio mediata naturæ diuinę cum humana in Christo Domino est alia specie ab vnione immediata personalitatis Verbi cum humanitate (vt ipsa fides docet, & ostẽdemus infrà) imò etiam in genere doni (& proinde in genere moris & dignitatis) vt explicabitur quæstione sequẽti: igitur & tertius ille valor, resultans ex tali mediata vnione in liberas actiones Christi D. erit etiã specie distinctus ab aliis duobus prædictis.

II.

III. Tertiò, sequitur istos tres valores actionum Christi Domini hunc inter se seruare ordinem, quòd ille, qui competit actionibus reflexiuis, sit primus secundum ordinẽ rationis, alij verò duo subsequantur, & ad illum sese habeant velut fructus ad radicem, ideóq; posse, ad distinctionem istorũ duorũ, appellari *personalem* & *radicalem*; duos verò reliquos posse appellari *derivatos*. Ratio primæ partis huius corollarij est, quòd valor ille nihil sit aliud quàm summa illa dignitas personæ Verbi diuini; quæ ex sui vnione ad humanã naturam, (cui propriũ est exercere has actiones liberas) vt inclusa modo explicato in actionibus reflexiuis euadit apta & idonea facere iustũ pretium pro aliqua alia re acquirenda aut compensanda, ita vt ipsa coniunctio personæ ad creaturam rationalem bonos actus exercentem & ipsa eius inclusio tanquã aliquius partis pretij totalis sit conditio requisita in tali dignitate, vt hæc sit

IV. morale aliquod principium proximè aptum satisfacere & mereri: appellatur autem *personalis*, quia formaliter nihil aliud est, quàm ipsamet dignitas Verbi diuini provt importat hunc duplicem respectum nunc explicatũ scilicet ad naturã humanã & liberas eius actiones; appellatur etiã *radicalis*, quia est radix & occasio, vnde alius vterq; valor prouenit & resultat in actiones liberas, ab humanitate per Verbum terminata exercitas. Ex quo patet ratio 2. partis huius corollarij, nã duo isti valores cùm nõ sint aliquod ens in rigore philosophico reale, sed dũtaxat morale, talis sunt cõditionis, vt prior habeat personalitatẽ Verbi vt causam suam productiuã, posteriorverò diuinã quidem essentiã vt talem causam, ipsam tamen Verbi personalitatẽ vt occasionẽ & conditionẽ suæ resultantię, quatenùs mediãte Verbi vnione cũ humanitate posterior hîc valor resultat in liberas eius actiones. Pro causa verò materiali seu subiecta hîc vterq; valor habet ipsam entitatẽ actionũ liberarũ humanę volũtatis Christi D. & pro causa formali ipsã illarum dignitatẽ vt aptam facere aliquod iustum in ratione pretij vel compensationis rei quæ per istas actiones, vt illa dignitate informatas, possit acquiri: tandem pro finali causa extrinseca, habet ostensionẽ seu manifestationem attributorũ Dei, bonitatis, sapientiæ, omnipotẽtia & aliorũ eiusmodi: & pro finali causa intrinseca, supernaturale bonũ ipsius creaturæ rationalis, cui Christus Dominus est à Deo datus in caput, in doctorem, in legislatorẽ, in mediatorem, & in redemptorẽ, ad quod bonum prædictæ creaturæ, talis compensatio ex se est apta ordinari, imò, vt res nunc se habent, de

B facto ordinatur. quæ omnia arguũt 1. hûc vtrumque valorem esse, quoad suum essendi modum, *aliquid supernaturale*, non quòd postulet gratiã, vel quòd illã in se formaliter contineat, sed quòd ex propria sua cõditione eueniat liberas actiones humanæ naturæ Christi Domini ad ordinem supernaturalem, nec vlli entitati, ordinis purè naturalis, sit debitus; sed illas omnes excedat, & singulæ eius habitudines respiciãt aliquid supernaturale. 2. arguunt, illum resultare necessariò, quia implicat omnes & singulas causas alicuius effectus poni in actu secundo, & proprium effectum illarum non poni; nam causa in actu secundo & effectus illius sunt correlata: atqui omnes illæ causę nunc enumeratę huius vtriusq; valoris derivati sunt in actu secundo, positâ vnione hypostaticâ Verbi diuini cum natura humana, vt intelligitur ex dictis: ergo & ille vterque valor derivatus necessariò resultat in illas.

C

ARTICVLVS VI.

Vtrùm valor satisfactionis & meritorum Christi Domini sit infinitus.

FACILE conueniunt omnes Theologi hunc valorem esse aliquâ ratione infinitum, quia modus, quo sacra Scriptura & SS. Patres loquũtur, de illo satis istud indicant: sed cõtrouertitur inter illos, an sit intrinsecè seu ex se ipso infinitus, an verò ex solâ tantùm acceptatione Dei, qui illũ habet gratum & acceptũ pro satisfactione, non tãtum omniũ peccatorum hominũ quæ cõmissa fuerunt, vel de facto committentur, sed etiã pro remittendis illis omnibus quæ possent cõmitti.

D Scotus lib. 3. sent. dist. 19. quæst. vnicâ, vt illum explicant & sequuntur eius discipuli, de Pethigranico ad dist. 20. prædicti lib. sent. de Radâ lib. suo controu. ad 3. lib. sent. controu. 13. art. 2. & plures alij, vult valorem hunc satisfactionis, & actionũ Christi Domini fuisse solũmodo extrinsecè infinitũ, seu ex sola acceptatione Dei. Similiter Durandus eadẽ dist. 19. & 20. & aliqui alij.

Melior tamẽ est cõtraria sentẽtia, cum qua hac propositione concludimus. *Valor satisfactionis Christi Domini [illegible] meriti illius est ex seipso, & intrinsecè infinitus.* Ita S. Thomas hac quæst. art. 2. in solutione ad 2. & infrà quæst. 48. art. 2. in solutione ad 2. & 3. vbi ait Passionem Christi Domini habuisse infinitã dignitatem, & ante illũ Altisiodorensis lib. 3. sũæ summæ tract. 1. cap. 8. Alensis 3. parte, quæst. 17. membro 3. & omnes S. Thomæ interpretes hîc, & alij cõmuniter ad citatam dist. 19. & 20. lib. 3. sent. vbi Scotus etiam videtur illam asserere, nam dist. 19. ita

V.

VI.

VII.

VIII.

loquitur

I. Ioquitur de merito Christi Domini, vt expresè dicat illud ex circunstantiâ suppositi habuisse quandâ infinitatē. Verba eius sunt. *Tamen de circunstantiâ suppositi, & de congrua ratione suppositi, habuit quandâ rationem extrinsecam, quare Deus potuit acceptare illud in infinitum, scilicet extensiue pro infinitis.* & in fine distinctionis vigesimæ, ait Iudæos crucifigentes Christum Dominum, licèt id fecissent scientes illum verè Filium Dei, non potuisse habere tantâ malitiâ in actu sui peccati, quātum bonitatis habuit actus ille, quo Christus Dominus voluit pati. notatque hanc dignitatem aliquo modo prouenire à personâ Christi Domini. Vnde quādo videtur negare infinitum valorē satisfactoriū merito Christi Domini, intelligendus est de valore illo, qui petitur ex parte obiecti, & reperitur in actu morali secū ūm pro priam suā rationē, quā præcisè est actus moralis.

II. Probatur autem nostra propositio, primùm ex sacris litteris, quæ, dum loquuntur de satisfactione Christi Domini, significant illam fuisse valoris infiniti, vt primæ ad Corinthios 5. vers. 20. *Empti estis pretio magno*, id est inæstimabili, & proinde infinito. Item primæ S. Petri capite primo, *non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*. & pluribus aliis infrà citandis, quibus ostendemus satisfactionē Christi Domini habuisse plus valoris, quàm peccata omnium hominum possint habere malitiæ, & grauitatis. Vnde cùm vnumquodque mortale habeat aliquam infinitatem, ex dictis suprà, & peccata numero infinita habeant infinitas etiam malitiæ infinitates, ad hoc vt infinitas valoris

III. actionum satisfactoriarū & meritoriarum Christi Domini dicatur illas excedere, ad modum quo sacræ litteræ & Patres inferiùs citandi declarant, oportet valorem illarum esse in tali genere simpliciter infinitum.

Dixi *ad modum quo sacræ litteræ & Patres declarant*, quia dicunt oportuisse illas actiones *esse à Deo-homine adplenè satisfaciendum pro nobis.* Cùm enim quidquid est infrà Deum hominem sit semper finitum & finitæ dignitatis; è contra, nostra omnium peccata, in quorum satisfactionem Christus est mortuus, habeant aliquam infinitatem, sacræ litteræ sic loquendo satis declarant meritorias & satisfactorias Christi Domini actiones esse valoris simpliciter infiniti.

Probatur secundò ex Extrauagante Clementis Sexti, qui incipit *Vnigenitus* de pœnitentiis & remissionibus, vbi disertè habet tria, quæ ad nostrum institutum maximè faciunt. Primum est,

IV. *modicam guttam sanguinis Christi Domini propter vnionem ad Verbum sufficisse ad redemptionem totius humani generis.* Secundum est, *Christum Dominū acquisiuisse Ecclesiæ thesaurum infinitum, constantem suis meritis, & operationibus satisfactoriis.* Tertium est, *non esse aliquatenus formidandū de consumptione seu imminutione huius thesauri propter infinitā Christi merita.* Vbi notandum est, cōtra auctores priores sententiæ, Summum Pontificem, dum ibi asserit infinitatem satisfactionis & meritorū Christi D. non recurrere ad acceptationem extrinsecam Dei, imò nullam facere mentionē illius, sed talem infinitatē disertis terminis repetere ex ipsa vnione ad Verbū diuinū.

Neque huic auctoritati satisfacit, quod de Pethigranis suprà respondet, Summum Pontificem id totum intelligere, suppositā acceptatione Dei. Primò, quia Summus Pontifex ibi asserit aliquid A quod ita speciali ratione de facto conuenit satisfactioni Christ. Domini; vt non possit conuenire satisfactioni vel meritō cuiuscumque puri hominis, quatumuis sanctissimi, quia fundat suum assertum in vnione hypostaticâ, quæ excluditur ab omni puro homine: atqui valor, vt infinitus ex solâ acceptatione Dei, potest conuenire actui satisfactorio & meritorio puri alicuius hominis constituti in maxima gratia & operantis ex illa cum maximo feruore; quia Deus, si velit, potest pro sua libertate & misericordiâ tales actus acceptare ad effectus infinitos: ergo Summus Pontifex ibi non loquitur de eâ infinitate, quæ fundetur in acceptatione, sed de eâ quæ ipsi acceptationi supponitur, & fundatur in vnione hypostatica. Deinde hæc duo distinguuntur *aliquem actum habere valorem infinitum, ita vt ratione suæ dignitatis sit aptus & proportionatus dari in satisfactionem vel præmium aliquod infinitum, & actum aliquem habentem hunc valorem esse de facto & reipsâ satisfactorium & meritorium.* Ad primum acceptatio Dei est omnino impertinens, cùm tantùm dicat proportionem & dignitatem ad satisfaciendum & merendum aliquid infinitum, quod tamen sit possibile, quemadmodū, vt maxima quędam summa pecuniæ sit sufficiens, apta & proportionata alicui fundo emendo, satis est quod, iuxta prudens iudicium, tanti sit valoris, quantæ æstimationis est ipse fundus; ad secundū verò requiritur amplius ipsa ordinatio satisfacientis & merentis, & insuper pactum seu acceptatio eius, cui pro alio fit satisfactio, vel apud quem meretur, quemadmodū patet ex prædicto exemplo, vt pecunia sit de facto pretium dicti fundi, sequatúrque emptio requiritur acceptatio

C domini eius transferētis dominiū fundi in emptorem; sed tale pactum nullo modo auget vel facit valoré ipsius pecuniæ, quin potiùs supponit illum: ergo cùm Summus Pōtifex in hac suā Extrauagante dicat merita Christi Domini esse infinita, *nec timendum esse de eorum euacuatione, & diminutione*, declarat talem infinitatem illis esse intrinsecam, & non ex solâ acceptatione Dei, quā tamen quantū requiritur habuisse locū in Christi D. satisfactione & merito, ostendemus infrà.

V. VI. VII.

ARTICVLVS VII.

Infinitas valoris meritorum Christi Domini probatur ratione.

QVONIAM nostra propositio simpliciter & absolutè asserit valorem satisfactionis & meritorum Christi D. esse infinitū, & nos suprà diximus eū esse multiplicē: ideo hic ostendemus

D omnē & quemlibet illorū, habere suam propriè infinitatem in *genere moris*, & primo eum quem *radicalē* appellauimus: quod sic probatur. Valor actionis reflexiuæ commensuratur dignitati personæ, suprà quam talis actio sese reflectit; & penes modum, quo talis actio importat ipsam personā & eius dignitatē, quemadmodū documus: atqui actio Christi Domini, tàm satisfactoria, quàm meritoria, est reflexiua suprà personam & dignitatē Verbi diuini incarnati, vt etiam ostendimus, & modus quo talis vtraque actio sese reflectit supra personam Verbi, illámque importat, est quòd Christus Dominus sic operando non solùm hanc suam actionem Deo offerat in prædictum obsequium & subiectionem; sed & ipsam suam personam simul; quemadmodum significant hæ voces sacræ Scripturæ; *humiliauit semetipsum, tradidit semetipsum, oblatus est*, & ex-

VIII.

I. teræ ad genus: & insuper dignitas personæ Verbi diuini est simpliciter infinita: igitur & valor actionis Christi Domini tàm meritoriæ, quàm satisfactoriæ est etiam simpliciter infinitus. Confirmatur hæc ratio, ex eo quod, iuxta prudens iudicium hominum, eò maior & præstantior est honos, & similiter obsequium, quo personæ reddentes ista sunt nobiliores & digniores, & è contra sunt hæc minora, quo personæ, quæ ista exhibent, sunt viliores, vt patet in obsequiis regum, quæ eò plus æstimantur quo à nobilioribus personis exhibentur, quia scilicet persona est moralis forma dignificans eiusmodi actiones: ergo cùm persona Verbi diuini sit infinitæ dignitatis, dignificabit etiam infinitè actiones Christi Domini tàm meritorias quàm satisfactorias.

II. Quòd verò hæc infinitas sit intrinseca prædictæ vtique actioni, satisfactoriæ nimirùm & meritoriæ, probatur, tum ex eo quòd valor ille censeatur esse intrinsecus, qui repetitur ex aliquo subsantiali & intrinseco actioni, quatenus est talis: sed primus iste valor, de quo hîc agimus, petitur à persona Verbi diuini, imò est ipsamet eius personalis dignitas, quatenus hæc persona est vnita hypostaticè, quæ persona, & personalis dignitas est pars ingrediens ipsam satisfactionem & meritum Christi Domini, cùm sit aliquid totius illius pretij, quod offertur Deo in eius subiectionem & obsequium, vt suprà documus: igitur infinitas istius valoris personalis & radicalis est intrinseca tàm meritoriis, quàm satisfactoriis actionibus Christi Domini.

Eadem pars probatur etiam de illo alio vtroque valore, quem ad distinctionem primi vocauimus deriuatum: Necesse est vt quidquid necessariò effluit ab alio, ciúsque conditionem necessariò sequitur, sit tale quale est illud, à quo effluit, nisi assignetur aliquid quo limiterur, quia aliàs non censeretur effluere necessariò, nec respondere perfectioni eius, à quo dimanat, vel quo posito resultat: atqui hic secundus valor resultat necessariò ex infinitâ dignitate Verbi diuini, vt incarnati, in humanitatem & eius actiones, sequiturque conditionem Verbi sic vniti, quemadmodum superiùs probatum est, nec aliquid potest assignari vnde limitetur. Igitur sicut valor reflexiuus personæ Verbi diuini, vt incarnati, est infinitus, ita & hic vterque valor actionum Christi Domini, quem deriuatum vocamus, erit etiam simpliciter infinitus. Maior est per se clara, & patet in omnibus proprietatibus rerum, quæ naturaliter dimanant à suis principijs propriis.

IV. Minor, quo ad primam sui partem, patet etiam ex dictis suprà circa definitionẽ valoris. Altera eius pars, quæ asserit nihil dari quo talis valor limitetur, probatur discurrendo per singula quæ possunt limitare aliquid, quod est secundùm se infinitum. Hæc enim sunt: vel libertas producentis illud suo modo, vel ipse modus quo producitur; nimirùm quatenus illud non producit, nisi concurrente aliquo alio, quod tantum est finitum, vel ipsum eius subiectum, quod cùm sit finitum non potest aliquid recipere nisi finitum: at ex nullo capite istorum prædictus valor potest limitari; non ex primo capite seu ex libertate Verbi incarnati, quia, vt nunc dictum est, valor iste suo modo resultat necessariò ex Verbo vt incarnato: ergo quandiu Verbum manet vnitum hypostaticè, tandiu valor ille resultat in humanitatẽ, & eius liberas actiones, nec potest impediri, nisi destruatur vnio, sicut non

A potest impediri quin habitudo relatiua resultet & remaneat quando & quãdiu ambo eius extrema sunt & manent in rerum natura, vt omnes admittunt philosophi. Quod item non limitetur à secundo patet, quia modus ille est, quod resultet à Verbo vt terminante, quod quidem Verbum licèt ita solummodo terminet humanitatem, vt humanitas, & alia quæ ei vniuntur hypostaticè non adæquent totam eius vim actiuam terminandi, tàm intensiuam quàm extensiuam, vt infrà docebitur; quia tamen illud, secundùm quod persona Verbi diuini terminat prædictam humanitatem, est dignitatis simpliciter infinitæ: cùm, quidquid est in Deo, sit infinitè dignificans, semper communicabit humanitati sibi hypostaticè vnitæ & liberis eius actionibus valorem infinitum. Denique valor iste

B non potest limitari à subiecto, scilicet ab ipsa humanitate & eius actionibus, quia tunc tantùm aliquid potest limitari à suo subiecto, vel quando ab eo producitur in genere causæ materialis propriè dictæ, vel quando recipitur in illo tanquam verum aliquod accidés reale physicum; sic enim limitatur per concursum subiecti, & potentiam eius receptiuam: atqui præsens valor nullo modo producitur etiam in genere causæ materialis ab ipsa humanitate Christi Domini, vel eius actionibus liberis; nec item est aliquod accidens reale physicum propriè dictum, vt patet ex dictis suprà: ergo non potest ab illis limitari, & proinde semper manet infinitus.

Quod etiam hæc infinitas conueniat intrinsecè huic valori probatur; illud est intrinsecè infinitũ, quod à nullo sibi extrinseco, quodcumq; illud sit, potest limitari; nam quidquid est tale,

C vel est intrinsecè tale, vel solùm extrinsecè, cùm inter hæc duo non detur medium: atqui hic valor deriuatus est infinitus in genere valoris, & ita infinitus vt à nullo quocumque sibi extrinseco possit limitari, quemadmodum præcedenti parte probauimus discurrendo per singulas causas, quibus aliquid limitatur: igitur hic secundus valor est intrinsecè infinitus.

Obiicies contra hanc partem vltimam, valor ille non est intrinsecè infinitus, cui forma eum infinitè dignificans est extrinseca: sed forma infinitè dignificans hunc vtrumque valorem deriuatum est ei extrinseca, quia respectu vnius, est ipsa diuini Verbi personalitas, respectu alterius, diuina natura, vt intelligitur ex dictis suprà de illo: igitur hic vterque valor deriuatus non est intrinsecè infinitus.

D Respondetur duplicem posse distingui formã dignificantem, vt potest intelligi ex dictis suprà, vnam quasi in genere causæ efficientis & productiuæ, alteram quasi in genere causæ formalis: personalitatem Verbi diuini esse formam priori modo dignificantem vnum ex istis valoribus, alterius verò esse naturam diuinam: at ipsammet dignitatem ex personalitate Verbi & natura diuina vnitis resultantem in humanitatem & liberas eius actiones esse quasi in genere causæ formalis, quæ dignitas resultans cùm sit intrinseca, hîc vterque valor per ordinem ad illam consideratus erit etiam intrinsecè infinitus.

V. VI. VII. VIII.

ARTICVLVS VIII.

Soluuntur Argumenta prioris sententiæ quæ Scoto tribuitur.

PRIMVM argumentum est. Etiam si persona Verbi sit infinita & infinitæ digni-

I.

tatis, non propterea tamen actiones liberæ Christi Domini sunt voluntatis infiniti, quia suppositum Verbi nullo modo influit etiam moraliter in illas: vel enim influit vt suppositum diuinum, vel vt humanum; non primo modo, quia licèt illi, vt sic, insit dignitas etiam infinita, non tamen quæ habeat rationem valoris, vt suprà ostendimus: non item vt humanum, quia vt sic, solummodo præstabat tantum, quantum proprium humanitatis suppositum præstitisset, quod tamen esset valoris tantum finiti.

Respondetur negando antecedens propter rationes nostræ propositionis; ad probationem eius respondetur, suppositum Verbi diuini influere infinitè moraliter in liberas actiones per humanitatem exercitas, vt suppositum istud est humanum, non quidem eo sensu quo particula illa, *vt*, sumitur *reduplicatiuè*, quasi significet

II.

ipsam humanitatem vel liberas eius actiones esse rationem formalem communicandi valorem illum, sed eo sensu, quo prædicta particula, *vt*, sumitur *specificatiuè*, id est quatenus significat conditionem in Verbo requisitam ad hoc vt reipsâ, & de facto communicet suam dignitatem humanitati, & eius actionibus, habeatque rationem infiniti valoris, esse, quod vniatur hypostaticè humanitati: & licèt Verbum diuinum solùm modo præstet tantũ humanitati, in ratione subsistendi, quantũ propria & creata subsistentia præstitisset ei; attamen in ratione dignitatis & valoris aliquid longè amplius ei communicat, cùm seipsummet, realem entitatem increatam infinitæ dignitatis communicet humanitati, ratione cuius communicationis, tàm ipsa humanitas, quàm omnes liberæ eius actiones euehuntur ad gradum dignitatis & valoris longè superiorem, quemadmodum superius est explicatum.

III.

Neque est quòd discipuli Scoti superiùs relati respondeant, tunc dignitatem satisfactionis & meriti crescere ex dignitate personæ, quando persona est capax subiectionis, comparatione illius cui satisfacit, vel à quo præmium & mercedem expectat; at personam Verbi diuini non esse talem; non est, inquam, quod hoc respondeant. Nam licèt persona Verbi in se & secundùm se solitariè considerata, non sit capax subiectionis & meriti, quia omnes diuinæ personæ, vt sic consideratæ, sunt sibi inuicem æquales: attamen subiectio, seruitus & meritum, ei, vt incarnatæ, & ratione humanitatis possunt conuenire: quemadmodum ex professo ostendemus infra cum sancto Thoma quæstione decima nona, & nunc obiter probamus ex sacris litteris, quæ dum asserunt Christum Dominum fuisse

IV.

obedientem Patri suo vsque ad mortem, Christum sibi gloriam corporis; nobis autem quamplurima bona promeruisse, testantur Verbum, vt incarnatum, & ratione humanitatis assumptæ, seu vt hominem, fuisse subiectum Deo, cùm obedientia propriè sit inferioris ad superiorem.

Ad id autem quod ibi obiicitur (scilicet dignitatem personę Verbi non habere rationem valoris) patet solutio ex dictis: nimirum vt est persona Verbi, habere dignitatem infinitam; vt est incarnata, seu hypostaticè vnita humanitati habere conditionẽ requisitam sibi vt talis dignitas habeat rationem valoris, proinde infiniti. At hìc loquimur de persona Verbi diuini vt incarnata.

Secundum fundamentum, etiamsi valor personæ Verbi esset infinitus, adhuc tamen valor

A actionis eius, vt vnit hypostaticè humanitati, nõ esset infinitus: cuius rei hæc est ratio, quòd quando plura concurrunt, quorũ vnum est infinitum, & reliqua alia finita; tunc concursus talis infiniti limitatur à pluribus illis reliquis. vt sit tantùm finitus, seu vt non infinito modo sed finito tantùm concurrat: atqui ad quamlibet actionem satisfactoriam siue meritoriam Christi Domini, vltra suppositum Verbi diuini & eius dignitatem, humanitas, obiectũ, substantia actus, intensio actus, & aliæ eius circunstantiæ (quæ sunt plura, & valorem tantùm finitũ conferunt actionibus Christi Domini, quemadmodum obseruauimus) concurrunt etiam ad quamlibet actionem Christi Domini, siue satisfactoriã, siue meritoriam cum ipsa personalitate Verbi diuini & eius dignitate: igitur limitabunt infinitatem valoris, vt ex parte personæ resultat in humanas actiones Christi

B Domini, eritque tantùm in seipso & intrinsecè finitus. Maior confirmatur exemplo visionis beatificæ, cuius obiectum licèt in seipso, & secũdùm se sit infinitum, finito tamen modo solùm concurrit, & etiam dum se habet ad instar speciei impressæ, quia scilicet tàm ipsum lumen gloriæ, quàm intellectus, item substantia visionis beatificæ, & eius intensio sunt finita, & finito modo agũt. Ergo pari ratione, licèt valor personæ Verbi sit infinitus, quia tamen, vt est in actu satisfactorio & meritorio, plura alia sibi habet adiuncta, quæ finito tantum modo agunt, tribuet eiusmodi actionibus finitum tantum valorem.

Respondetur, nos suprà ostendisse valorem satisfactionis & meritorum Christi Domini nullo modo potuisse limitari, siue per concursum humanitatis, siue actus liberi, siue intensionis

C eius: vnde ad maiorem propositionem huius secundi fundamenti respondetur, illam non esse vniuersim veram, sed habere locum in eo tãtùm infinito, quod reali & physico concursu, vt condistincto ab eo qui est purè & simpliciter moralis, concurrit cum aliis finitis, cuius conditionis non est valor de quo hìc agimus, & huius discriminis ratio hæc est, quòd eiusmodi infinitum tunc concurrat, vel tanquam causa prima & vniuersalis, ad eumdem effectum producendum cum aliis causis finitis, vt secundis & particularibus, & tunc, quia concursus causæ primæ determinatur à concursu causæ secundæ & particularis, vt docent Philosophi in physicis, ideò concursus illius causæ infinitæ, tunc est tantùm finitus, sicut Deus quando concurrit nobiscum: vel secundo eiusmodi infinitum ita concurrit cum aliis finitis, vt sit solummodo pars aliqua totalis causæ alicuius effectus,

D quatenus plura alia finita, quæ simul cum illo concurrunt, sunt aliquæ partes componentes vnam totam & integram causãm vnius & eiusdem effectus physici; quemadmodum in visione beata intellectus beati, lumen gloriæ, & diuina essentia sese habens ad instar speciei impressæ, componunt vnam totam & adæquatam causam efficientem visionis beatificæ: vel tertio eiusmodi infinitum est tãtum causa partialis partialitate effectus, id est quæ vnam aliquam partem effectus, & non illum totum & integrũ producit: vt, quando duo homines ferunt aliquod graue pondus, cui ferendo neuter est sufficiens; & in hoc vtroque modo, si vna causa sit infinita & modo infinito concurrat, altera verò tantùm finito, tunc effectus erit tantùm finitus, quia ille sequitur deteriorem partem propriæ

V.

VI.

VII.

VIII.

I. suæ cautæ, quæ in hoc vtroque posteriori modo est aliquid finitum, modo tantùm finito, concurrens; vt patet exemplis allatis in confirmationem Maioris. At in præsenti difficultate, quæ est de infinitate valoris operum Christi Domini, persona Verbi diuini non concurrit ad illum, concursu aliquo reali & physico; sed sola & simplici communicatione sui facta humanitati & liberis actionibus, quibus, vt sunt factæ cum libertate & in via, dat hunc valorem infinitum: quemadmodum explicatum est suprà, imò si velimus loqui in rigore, nec humanitas Christi Domini, nec substantia actus eius, vel intensio, aut alia eiusmodi circumstantia propriè concurrit ad efficientiam illius valoris; sed cùm humanitas & ipsæ eius actiones liberæ vt in via exercitæ habeant capacitatem ad hoc vt sint satisfactoriæ & meritoriæ, vnio hypostatica

II. est illis tantùm quædam conditio, vt ipsa dignitas personæ increatæ habeat in illis rationem valoris sibi proportionati, & proinde infiniti. Vnde licèt hæc humanitas & voluntas eius & cætera id genus concurrant efficienter ad producendam entitatem actuum, non tamen ad eum valorem intrinsecum quem habent à persona, nec proinde potest ab illis limitari, sed ab ipsa tantùm diuina persona Verbi sese communicante, vel etiam in eiusmodi actionibus vt pote reflexiuis inclusa proueniet: quemadmodum circa definitionem huius valoris est explicatum: atque ex his satisfactum est non tantùm maiori propositioni huius secundi fundamenti, sed etiam omnibus exemplis quæ ibi sunt allata vel possunt afferri, cùm fundentur tantùm in concursu reali physico.

III. Tertium fundamentum, si dignitas personæ faciat actum satisfactorium vel meritorium maioris valoris pro dignitate satisfacientis & merentis, iam quilibet homo existens in gratia sanctificante habebit tantum valoris in suo actu etiam remississimo satisfactorio, elicito ex gratia sanctificante, quantos habet gradus gratiæ, & quantum dignitatis habet eius gratia sanctificans; sicque per actum remississimum merebitur tantum gratiæ, quantum iam habet, quia ex contraria sententia, dignitas operantis tantum auget meritum, quanta est ipsa eius dignitas: at hoc consequens est contra communem Theologorum sententiam, qua prima secundæ & secunda secundæ docent augmentum gratiæ & charitatis fieri iuxta proportionem actuum & intensionis illorum. Igitur esto, persona Verbi diuini vnita humanitati sit infinita, ei tamen & eius

IV. actionibus non conferet valorem infinitum. Respondetur negando Maiorem, vt enim alia longè dignitas est personæ increatæ, à dignitate gratiæ sanctificantis quantumuis perfectissimæ, ita etiam alia est eius conditio; nam Verbi diuini dignitas, est *substantialis*, naturalis, ei intrinseca, & necessariò inexistens: vnde eo ipso quo Verbum vnitur hypostaticè humanitati, vel eo ipso quo, tanquam veluti aliqua pars, ingreditur aliquod totum (vt contingit in satisfactione & merito) communicat ei necessariò suam infinitam dignitatem, & facit vt talis actio sit valoris necessariò infiniti, quemadmodum superiùs est explicatum: at dignitas, quam gratia sanctificans confert animæ, est tantùm *accidentalis*, ciúsque communicatio bonis operibus facienda subest libertati nostræ voluntatis, sicut & ipsum operari ex gratia nobis inhærente, vel non operari cum hac vel ista intensione actus: ideóque, gratia sanctificans eiúsque dignitas euehit solummodo hominem, in ordine ad meritum, iuxta eam proportionē & perfectionem, quam ipsi eius actus habent ab obiecto & aliis suis circumstantiis. Nam Deus non coronat habitus, sed bona opera ex illis facta, & passim in sacris litteris dicitur esse redditurus vnicuique secundùm sua opera: quare, si quis existens in gratia habituali, exempli gratia, vt octo, nihilominus operetur valde remissè, non tantum promerebitur apud Deum, quantum alter habens solummodo gratiam, vt quatuor, & operans ex illa valde intensè.

A

B

C

D

V.

VI.

VII.

VIII.

ARTICVLVS IX.

Soluuntur incommoda quæ videntur sequi ex nostra doctrina.

PRIMVM est, quòd sequatur Christum Dominum non plus satisfeciſſe, vel meruisse totâ suâ vitâ, quàm primâ suâ actione satisfactoriâ, vel meritoriâ, nec magis nos redemisse suâ passione, quàm quauis aliâ suâ præcedenti actione satisfactoriâ, puta ieiunio; prima enim hæc actio fuit infinitè satisfactoria, infinitè meritoria, cùm fuerit à persona infinitè digna, cui proinde debuit correspondere infinita remissio & præmium infinitum: at est contra sacras Scripturas, quæ passim nostram redemptionem tribuunt passioni Christi Domini, vt ad Romanos tertio, quarto, & quinto. Ad Galatas tertio, ad Hebræos secundo, nono, & vndecimo capitibus.

Respondetur, duo posse distingui in merito, & satisfactione Christi Domini: primum est, *valor eius & sufficientia*, ratione cuius habet condignitatem & proportionem, vt assumatur tanquam medium, ad constituendum aliquod iustum. Secundum est, id quod complet in illis rationem meriti & satisfactionis, quod secundum continet duo, vnum ex parte eius, cui fit satisfactio, & apud quem aliquis meretur, scilicet *aliquod pactum* de danda mercede condigna tali bono operi. Vt enim nemo tenetur rem suam diuendere alteri, oblato etiam quouis pretio condigno, ita nec Deus obligatur dare aliquid in præmium boni operis, nisi promiserit, nec admittere alterum satisfacientem pro alio, nisi sibi placuerit. Secundum est ex parte merentis & satisfacientis, scilicet *ipsa eius ordinatio*, quâ hæc sua bona opera deputat ad meritum & satisfactionem: cùm enim ipse merens & satisfaciens sit dominus suæ bonæ actionis, potest pro sua libertate vel nolle eam ordinare ad aliquod meritum sibi, ex aliquo iustitiæ debito, aut aliis reddendum, potest etiam illud ordinare quidem ad meritum & satisfactionem, quorum tamen præmium sit longè minus totâ & integrâ dignitate, totóque valore operis sui meritorij & satisfactorij, secundùm præcisum suum valorem considerati, sicut in humanis interdum contingit aliquem ex certa scientia & solo proprio nutu suæ voluntatis dare plus pecuniæ quàm res, quæ ab illo emitur, debeat emi, pretio etiam rigoroso, vel item potest ordinare, vt hæc & illa eius opera satisfactoria tanto præmio & tantæ solutioni condigna, nihilominus sint tantùm aliqua pars, vel quædam veluti inchoatio integræ solutionis & pretij; ita vt plura eius opera simul sumpta

habeant tantùm rationem perfectæ & integræ solutionis, vel pretij respectu tanti, & tanti præmij à se comparandi, cui tamen obtinendo, si solum valorem spectemus, vnumquodque opus, seorsim sumptum, est sufficiens, cuius rei hæc est ratio: quòd ille sit Dominus omnium eiusmodi actionum suarum, & possit de illis disponere prout voluerit. Iam si spectemus priori modo singula opera Christi Domini, eáque conferamus inter se; respondetur vnumquodque illorum per comparationem ad personam Verbi esse valoris infiniti, cùm vno quoque illorum actuum, Christus Dominus non tantùm suam actionem, sed & ipsam suam personam offerat & subiiciat Deo in obsequium: sicque vnicum ex eiusmodi operibus, fuisse sufficientissimum, pro redimendo toto humano genere, quemadmodũ de vnica gutta sanguinis Christi Domini, Clemens sextus asserit in Extrauagante superiùs relata. Cui non obstat, quòd hinc sequatur fore plura eiusdem generis & ordinis infinita, sicut & hæc opera sunt plura: cùm enim hæc infinitas non consistat in *aliqua entitate physica*, sed sit tantùm *in esse valoris*, sicut plura illa opera habent in se ipsis valorem infinitum: ita & plura poterunt dari *in esse morali*, quæ tamen simul sumpta sistendo in eodem valore nunquam facient maius infinitum intensiuè, sed extensiuè tantùm, quatenus idem planè valor infinitus est in pluribus, & à se inuicem realiter distinctis operibus.

Addidi inter respondendum hanc particulam, *(per comparationem tantùm ad personam verbi)* quia si opera Christi Domini considerentur per ordinem tantùm ad sua obiecta, & alias suas circumstantias, à quibus bonitatem suam genericam, vel etiam accidentalem accipiunt, ex omnibus Philosophis & Theologis, sicut quo ad hoc, sunt eiusdem speciei, & conditionis cum nostris bonis operibus, ita etiam possunt, quo ad valorem istis respondentem, esse inæqualia, pro inæquali perfectione obiecti, & intensione actus. Si verò consideremus opera Christi Domini posteriori modo, id est secundùm id quod complet in illis rationem meriti, & satisfactionis, probatur Christum Dominum plus satisfeciſſe & meruisse tota sua vita, quàm vnica prima sua actione meritoria & satisfactoria seorsim & singulariter sumpta: quia ordinauit, vt vnaquæque suarum actionum esset tantùm aliqua velut pars, & veluti partiale meritum, & pretium totius nostræ redemptionis, & vt omnes vitæ suæ actiones liberæ vnum solummodo totale, adæquatum, completum, & consummatum nostræ redemptionis pretium componerent & consummarent, obtulitque Deo omnes suas meritorias, & satisfactorias actiones per modum vnius adæquati, & consummati pretij, vt docet Soto in quartum sententiarum, distinctione prima, quæstione tertia, articulo quinto: cùm enim totâ suâ vitâ meruerit, nec possit aliquod eius vitæ instans assignari, quo non meruerit, vt infrà docebitur quæstione decima nona, fit, vt omnia & singula eius bona opera, secundùm moralem considerationem spectata, habeant rationem quasi vnius meriti, per totam vitam continuati, in eiúsque morte & passione complendi pro nostra redemptione, tanquam adæquato præmio totalis istius meriti, vel operis satisfactorij: vnde quia (vt rectè habet sanctus Thomas quodlibeto secundo, articulo secundo) vt vnus satisfaciat pro alio, vel illum redimat, necesse est illum eo fine offerre pretium, vel satisfactionem. Christus verò Dominus non obtulit sua opera in pretium nostræ redemptionis, nisi vt consummanda per propriam suam passionem, & mortem, vt sic ex illis omnibus pretium integrum conficeretur: ideo nullum ex bonis eius operibus per se, & independens ab eius morte, seu nondum eius morte consummatum, fuit completè satisfactorium in actu secundo. Hinc sacræ Scripturæ passim tribuunt speciali titulo nostram redemptionem passioni, & morti Christi Domini, & Ecclesia in præfatione Missæ de sancta Cruce canit, *qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti.* Cùm autem Christus Dominus vnico suo opere meritorio posset plenè pro nobis satisfacere, tantúmque nobis promereri, quantum de facto promeruit per totam suam vitam, nihilominus Deus pepigit, & Christus ordinauit nostram redemptionem esse solummodo consummandam per mortem, vt sic grauitas nostrorum peccatorum, & summa Christi Domini erga nos charitas amplius manifestaretur, nobisque daretur perfectum exemplar patientiæ, obedientiæ, & aliarum virtutum; cùm denique ne si vnico tantùm actu ita laborioso nos redemisset, existimaremus peccatum nostrum fuisse ad modum leue.

Secundum incommodum est, quòd hinc sequatur Christum Dominum plus meruisse, quàm Deus absolutâ suâ potentiâ possit ei in mercedem rependere: omnipotentiam Dei esse minus infinitam quàm Christi Domini meritum sit infinitum, cùm non possit habere præmium sibi proportionatum, nisi infinitum, quod tamen implicat Deum dare.

Respondetur primò, Christum Dominum non plus de facto promeruisse, quàm Deus potuerit ei rependere, vt patet ex responsione ad primum incommodum. Secundò respondetur, si meritum Christi Domini consideretur secundùm valorem suum infinitum, & totam suam condignitatem, in actu primo sumptam, Deum absolutâ suâ potentiâ potuisse ei tribuere condignum præmium: potuisset enim incarnationem primæ vel tertiæ personæ ordinare in præmium actionum meritoriarum Christi Domini, si Christus Dominus eas etiam ordinasset ad tantum præmium, sicque cùm illa persona diuina prima vel tertia sit æqualis dignitatis ac est persona filij, & eiusdem planè ordinis, condignum Christi Domini merito præmium fuisset ibi datum. Sed contra hanc responsionem,

Dices primò, præmium illud non est adæquatum merito, quod cùm est redditum, adhuc aliquid meriti supereſt compensandum: sed factâ incarnatione personæ Patris diuini, in compensationem vnius actus meritorij per Christum exercitj & directi ad prædictam incarnationem, vt præmium illius, adhuc aliquid meritorum eius restat compensandum, putà plures alij actus, quos tunc adhuc potuisset exercere, & in hunc finem dirigere, vt Deus scilicet vniret aliquam personam diuinam hypostaticè multis Angelis, & hominibus: ergo illa vnius tantùm personæ Patris, aut etiam Spiritus sancti hypostatica vnio, cum vna tantùm singulari natura, non foret præmium adæquatum meritorum Christi Domini.

I. Respondetur, concessa Maiore, ad eius Minorem, præmium adæquatum merito Christi Domini, secundùm totam suam condignitatem considerato, posse spectari duobus modis, vno secundùm *intensiuam suam perfectionem*, altero etiam secundùm *extensiuam*: si præmium hoc consideretur tantùm secundùm intensionem, esse adæquatum merito Christi Domini, quia vt docetur 1. p. tract. de Trinitate, omnes diuinæ personæ simul sumptæ, non sunt maius bonum intensiuè, quàm sit vnica: vnde cùm præmium illud debeat censeri adæquatum infinito Christi merito, quo nihil in ratione præmij potest maius excogitari, & Deus nihil possit facere maius ipsa Incarnatione alicuius personæ diuinæ, vt sanctus Thomas docet prima parte, quæst. 25. art. 6. in respons. ad 4. & patebit infra, fit vt, prædicta Incarnatio solius personæ Patris diuini sic à Deo

II. facta, recte dicatur adæquatum præmium infiniti meriti Christi.

Nec obstat, quòd vnio hypostatica singularum personarum diuinarum cum qualibet singulari natura, angelica, & humana, imo & cum aliis subsantiis irrationalibus, sit possibilis, vt inferius docebitur, & Christus Dominus potuerit plures, & plures actus meritorios, etiam distinctos, & alios aliis longè nobiliores exercere: nam imprimis hæc multiplicatio actionum meritoriarum, quo ad præcisum suum valorem ex parte personæ, non facit maius meritum, nisi extensiuè, vt iam animaduertimus.

Deinde quodlibet meritum Christi Domini, secundùm totam suam condignitatem spectatum, est simpliciter infinitum in genere meriti; quia sequitur conditionem personæ illud condignificantis in genere valoris: ergo sicut omni-

III. potentia Dei est absolutè & simpliciter infinita in genere potentiæ actiuæ, quia habet vim producendi quoscumque effectus possibiles, & eo modo quo illi sunt possibiles: sic etiam quia quodlibet meritum Christi Domini, spectatum quo ad suam condignitatem ex persona Verbi diuini prouenientem, habet illam ad quodcumque præmium possibile, seu quod aliquibus eius operibus de condigno meritoriis potest reddi, rectè dicitur absolutè & simpliciter infinitum in genere meriti.

Tertio respondetur, etiam si vnio hypostatica singularum personarum diuinarum cum omnibus & singulis indiuiduis, tàm naturæ humanæ, quàm angelicæ, & aliis, vt præcisè spectatis sit etiam possibilis; quia tamen directio requisita in merito ad præmium debet esse rationabilis, Deus enim irridet stultas petitiones, nec vlla po-

IV. test à nobis fingi causa rationabilis istarum vnionum hypostaticarum, propter quam Christus Dominus, qui nihil nisi bene ordinatum facere poterat, dirigeret aliquod vel plura ex suis operibus meritoriis in istum finem, ideo omnes istæ vniones non potuerunt habere rationem alicuius præmij respectu meritorum Christi Domini.

Vnde vana & futilis intelligitur esse illa suppositio quorundam Scholasticorum, qua docet, si, per potentiam absolutam, diuinà personalitas Patris esset vnita hypostaticè alteri humanitati, ab ea quam nunc de facto Christus Dominus habet, & ambo illi dirigerent opus quoddam meritoriũ ad finem oppositum, puta vnus, vt Deus ægroto restitueret sanitatem, alter vt hunc eundem ægrotum morte puniret, fore vt vnum meritum istorum impediretur per aliud,

A & sic non esset infinitum: intelligitur, inquam, V.
esse vana & futilis: nam casus ille, si procedat de efficaci oratione huius vtriusque supplicantis, est impossibilis propter conformitatem illam volitionum absolutarum & efficacium, quam iuxta doctrinam Theologorum, infra q. 19. semper voluntas Christi Domini habuit cum volitione Dei, & contra eius fundamentum, vt ibi videbitur.

Nec obstat, quòd inter alios Sanctos hæ orationes sibi inuicem oppositæ possint reperiri, est enim quo ad hoc dispar illorum ratio, tùm quod, vterque hic Christus, per suam vtramque scientiam, beatam scilicet & infusam, probè cognosceret quodnam istorum obiectorum esset ipsi Deo absolutè volitum, & propterea non postularet absoluta & efficaci oratione contrarium.

B Sancti autem non videant absolutam istam di- VI.
uinæ voluntatis determinationem; tum etiam, quòd istæ orationes Sanctorum fiant ab illis sub hac, vel ista conditione subintellecta, *si Deo placeat*: sicque non tàm censentur absolutæ quàm conditionatæ: at in præsenti difficultate oratio supponitur fieri efficaci & absoluta voluntate vtriusque Christi.

Dices secundò. Vt aliquod præmium sit adæquatum, debet commensurari personæ cui datur, seu quæ præmiatur: at vnio hypostatica primæ personæ Trinitatis, in casu proposito, non daretur Christo Domino, sed naturæ humanæ, vel angelicæ, cui ex ista suppositione vniretur: & præterea licèt id quod ibi daretur, scilicet persona patris, sit aliquid verè infinitum, quia tamen communicaretur naturæ assumptæ modo finito, scilicet per vnionem finitam, esset donum

C solummodo finitum. Sicut in beatitudine licèt VII.
Deus dans seipsum beatis in præmium sit infinitus, quia tamen sese dat illis videndum finito modo, visio beatifica est donum finitum; persona autem Christi Domini, quæ in præsenti casu meretur, est infinita & infinitæ dignitatis. Igitur vnio hypostatica personæ Patris diuini, non esset præmium adæquatum actus meritorij Christi Domini.

Respondetur negando Maiorem: nam sufficit quòd præmium commensuretur operi secundùm dignitatem, quam illud habet à persona, à qua exercetur: quia meritum & præmium sunt, apud Apostolum, & apud omnes prudentes, correlata. Ad Minorem respondetur, duobus modis posse intelligi aliquid dari operanti meritoriè de condigno. Primò vt aliquid actu suo meritorio obtentũ abstrahendo ab eo, quod cedat in commodum ipsius operantis meritoriè.

D Secundò, vt aliquod bonum ipsi meritoriè ope- VIII.
ranti proprium, seu cedens in proprium & peculiare commodum ipsius merentis. Ad rationem præmij, qua præcisè est præmium, non requiritur, vt cedat in bonum & commodum proprium ipsius merentis, sicut nec ad meritum, quà præcisè meritum, requiritur vt opus meritorium cedat in bonum & vtilitatem illius apud quem quis meretur; sed sufficit quòd in ratione mercedis, habeat condignitatem ad opus, & tanquam aliquis effectus correspondeat operi meritorio velut morali suæ causæ impetratiuę: at in hypothesi ibi allata, Incarnatio personę Patris diuini esset merces condigna operi meritorio Christi Domini, & ei tanquam suę morali causę impetratoriæ responderet, vt per se patet: & si vna ex cõditionibus præmij esset, quod illud

I. cederet in proprium bonum & commodum merentis, cùm Christus Dominus nihil proprij sui commodi aut vtilitatis à nobis accipiat, omnia singularia beneficia quæ nobis promeruit, non dicerentur esse aliquod præmium operis eius meritorij, quod est falsum, vt potest intelligi ex sacris Scripturis & Patribus.

Ad confirmationem respondetur ex dicendis infra ad secundam quæstionem, quando agitur de perfectione & excellentia alicuius vnionis, illam debere attendi penes perfectionem & dignitatem eius, quod resultat ex eiusmodi vnione, & penes primarium quasi effectū formalem, quem vnum extremum ipsa sui coniunctione ad alterum ei communicat, exempli gratia totalis terminus vnionis personæ Patris diuini cum aliqua singulari & indiuidua humanitate vel natura angelica est Deus homo, Deus Angelus,

II. aliquod subsistens in duabus naturis, quod est naturalis Filius Dei: illud verò quod communicatur, est personalitas Patris diuini. Hæc autem sunt infinitæ dignitatis & valoris, vt ostendetur infra loco nunc citato, vbi etiam respondebitur ad exemplum desumptum à beatifica visione.

Dices tertiò. Christus nihil potest sibi promereri de condigno, quod adæquet valorem actus sui meritorij, quia nullum datur maius bonum quod possit communicari ad extra ipsa vnione hypostatica. Ergo illa infinitas valoris meritorum Christi Domini excedit omnipotentiam Dei. Respondetur vnionem hypostaticam personæ Patris diuini, cum ipsa eadem numero humanitate iam assumpta à Verbo, esse aliquid æqualis dignitatis & valoris, cum valore & per-

III. fectione eiusdem actus meritorij Christi Domini: vt patet ex dictis in responsione ad primam obiectionem. Vnde non repugnat ex parte rei dandæ absolutè & simpliciter consideratæ, quin Christus Dominus potuerit aliquid condignum suis meritis sibi ipsi promereri, & cùm, per absolutam Dei potentiam, hæc secunda vnio sit possibilis, vt patebit inferius quæstione tertia, meritum Christi Domini non potuit esse maius, quàm ipsa omnipotentia Dei. Sed si quid obstet ne istud fuerit factum, est quòd Christus nullum ex suis meritis ad hoc ordinauit, nec Deus aliquod eius meritum ad id acceptauit, quod vtrumque notauimus requiri, ad hoc vt iustus bene operans, aliquid etiam sibi promereatur: vel quòd nulla de facto detur causa rationabilis & homine prudenti digna, propter quam Christus Dominus aliquid ex suis meritorijs operibus ad istum finem dirigeret, &

IV. Deus illud, vt sic directum, acceptaret: & quemadmodum omnipotentia Dei non desinit esse simpliciter & absolutè infinita, licèt multa sint possibilia, quæ tamen Deus nunquam producet, ex eo solùm titulo quod voluntas diuina statuit nunquam illa producere; sic etiam condignitas meritorum Christi Domini non desinit esse & dici infinita quo ad præmium, etiam per comparationem ad diuinam omnipotentiam, quatenus nullum bonum potest excogitari in ratione præmij verè & rationabiliter dicti quantumcumque & quomodocumque infinitum, ad quod meritum Christi Domini non habeat condignitatem, modò reliquæ conditiones in merito requisitæ, ibi interueniant.

Tandem si prædicta obiectio accommodetur

A alicui debito offensæ, quod remittatur per actionem satisfactoriam de condigno; tunc respondetur tale debitum non posse eo modo remitti infinitè, quo actiones Christi Domini sunt infiniti valoris; sed id non prouenire ex aliqua impotentia Dei, vel quòd potentia eius sit exhausta, sed ex eo quod repugnet dari tale debitum, secundum rationem peccati absolutè & simpliciter quoad æstimationem, infinitum: cùm infinitas peccati sequatur modum & rationem, sub qua peccator tendit in Deum, quæ ratio potest tantùm esse infinita secundùm quid, & non simpliciter, vt explicauimus suprà: sed si aliqua malitia posset esse simpliciter secundùm æstimationem infinita, siue in vno, siue in pluribus peccatis simul sumptis, tunc Deus posset remissionem illius constituere in præmium actionum satisfactoriarum Christi Domini. V.

B Tertium & vltimum incommodum est, quod hinc sequatur, omnes satisfactiones, & omnia hominum merita non esse illis necessaria, quin potiùs omnes homines esse saluandos absque vllo suo merito, nec satisfactione, cùm Christus Dominus vnicâ satisfactoriâ vel meritoriâ plus obtulerit Deo, quàm tota malitia omnium peccatorum, quorumcumq; hominū mereatur, cùm hæc ex dictis suprà sit tantùm infinita secundùm quid, actio autem satisfactoria, vel meritoria Christi Domini, sit absolutè & simpliciter iuxta sententiam oppositam valoris infiniti. At Deum requirere à robis satisfactionem pro peccatis nostris, & bona opera ad obtinendam vitam æternam, docent passim sacræ Scripturæ, Patres & Concilia. Igitur ad vitandum hoc incommodum videtur dicendum valorem actionum satisfactoriarū & meritoriarum Christi Domini, C esse tantùm secundùm se finitum, & solummodo infinitum ex acceptatione Dei illum recipientis pro remittendis peccatis omnium hominum etiam extensiuè infinitis. VI. VII.

Respondetur negando ex nostra propositione sequi, satisfactiones nostras non esse necessarias vel vtiles. Nam merita Christi Domini possunt considerari duobus modis. Primò, secundùm *valorem* tantùm. Deinde secundùm *applicationem*, seu vt de facto habeant aliquem effectum circa nos, vel aliquos alios homines; sicut & omnis etiam naturalis causa vt de facto producat effectum, quem potest producere, debet applicari subiecto. Christus autem Dominus, ex cuius ordinatione pendet, quòd merita illius, de facto hunc vel illum effectum habeant, noluit ea nobis prodesse, nisi applicata per sua Sacramenta, in re vel in voto recepta, & alia id

D genus bona opera à nobis præstita, quemadmodum ipse satis significauit quando baptismum S. Ioan. tertio cap. tanquam medium absolutè necessarium ad salutem instituit. Similiter & Sacramentum pœnitentiæ pro adultis. Item quando statuit, nullum hominem rationis capacem iustificandum esse, nisi præuiis actibus fidei, spei, & contritionis, & hæc & alia istis similia; quorum omnium ratio à priori est sola voluntas Dei & Christi Domini; congruentia verò est primò, ne daretur nobis occasio summæ negligentiæ, secundò, quia nobis est magis gloriosum cooperari nostræ saluti, & esse in tanto opere Dei & Christi Domini cooperatores, quàm sine illo tantum bonum obtinere. VIII.

DISPVTATIO VI.

De satisfactione Christi Domini.

ARTICVLVS I.

Vtrùm in satisfactione Christi Domini, plusquam æquivalens fuerit redditum.

SVPPONENDVM est, tanquam fide Catholicâ certissimum, Christum fuisse nobis datum, non tantùm in Legislatorem & Doctorem, quemadmodum Pelagius contendebat apud sanctum Augustinum libro de gratia Christi capite secundo, & Epistola centesimâ septimâ ad Vitalem, sed etiam in redemptorem totius humani generis, vt Scripturæ testantur, tertio Capite ad Galatas, *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, & alibi passim. Imò & ipsum eius nomen *Iesus* id indicat, sicut & ipse Angelus apparens Ioseph apud sanctum Matthæum capite primo explicat, dum ita loquitur de Christo Domino, *Et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Vbi hæc rationalis particula *enim*, continet veram & propriam causam talis appellationis, seu talis nominis Christo Domino impositi, esse quòd nobis sit datus à Deo in redemptorem; ideóque disputaturi de satisfactione Christi Domini an sit ex strictâ iustitiâ, explicationem eius primùm ab hac conditione exordiemur.

Pars affirmans est de fide, ex sacris litteris, illâ satis apertè continentibus, vt ad Romanos quinto, vbi Apostolus comparat peccatum primi parentis cum operibus satisfactoriis & meritoriis Christi Domini, & ait hæc superare peccatum primi parentis: nam ita scribit, *sed non sicut delictum, ita & donum*, & passim ibi ait gratiam Christi excessisse peccatum: quod (nisi illa superaret peccatum, & nisi satisfactio esset superabundans) falsum esset, cùm peccatum Adæ, non tantùm sit de lege ordinariâ in omnibus hominibus, viâ seminali progenitis; sed etiam sit causa, & veluti radix omnium aliorum peccatorum, & malorum, quæ reperiuntur in omnibus hominibus, vt docent Theologi primâ secundæ, quæstione octuagesimâ primâ & sequentibus: ergo vt gratia Christi Domini, & eius satisfactio intelligatur esse potentior peccato primi parentis, debet superasse totam malitiam omnium peccatorum omnium hominum, & hoc modo locum hunc Apostoli sanctus Leo intellexit Epistolâ nonagesimâ septimâ ad Leonem Augustum, contra Nestorij & Eutychetis blasphemias, capite secundo. Eadem veritas probatur item ex eo quòd Psalmo centesimo vigesimo nono, satisfactio Christi Domini vocatur *copiosa redemptio*: quia scilicet pretium in illâ datum excessit debitum. Et quod istud intelligatur de nostrâ redemptione, vt factâ per Christum, docet sequens ille versiculus: *Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.* Hoc enim fuit proprium Christi Domini, iuxta illud Angeli apud S. Matthæum capite primo, *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ad quem sensum, plures Patrum explicant illud Iob capite sexto, quasi dictum ab ipsomet Christo Domino satisfaciente pro nobis: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret.*

Probatur item ex Patribus; vt sancto Gregorio Nazianzeno oratione quadragesimâ secundâ, dicente *vnam guttam sanguinis Christi Domini fuisse sufficientem ad redemptionem generis humani.* Sancto Ambrosio in Psalmum trigesimum primum. Sancto Hilario in illud Psalmistæ, *frater non redimit, redimet homo.* Sancto Athanasio de Verbo incarnato, non longè à principio. Sancto Chrysostomo Homiliâ decimâ in Epistolam ad Romanos, dicente satisfactionem Christi Domini ita se habere ad nostra peccata sicut infinita auri talenta ad debitũ decem obolorum, & sicut immensum mare ad minimam guttam aquæ. Item ex Clemente sexto in citata sua Extrauagante.

Tandem hæc nostra propositio probatur ratione, vbi iniuria seu debitum est malitiæ secundùm quid infinitæ; & è contra quod datur in eius satisfactionem & pretium, est valoris absolutè & simpliciter infiniti, in genere satisfactionis; ibi redditur plusquam æquivalens; quia simpliciter infinitum superat infinitum secundùm quid; atqui tota iniuria Deo illata per omnia omnium hominum peccata, est solummodo infinita secundùm quid, quia malitia peccati mortalis est tantùm infinita secundùm quid; vt ostẽdimus suprà; & ex pluribus infinitis secundùm quid, non potest aliquod absolutè & simpliciter infinitum fieri; passio verò Christi Domini, item effusio sanguinis eius in cruce, est meriti simpliciter infiniti, vt & singula eius opera, tàm satisfactoria quàm meritoria, quemadmodũ ostendimus disputatione præcedenti, &, hæc sanguinis Christi Domini effusio, fuit præcipuè facta, & Deo reddita in pretium & satisfactionem totius iniuriæ illi illatæ per omnia, & singula quorumcumque hominum peccata; vt patet ex eo quòd sanguine Christi Domini, passioni eius, nostra redemptio potissimùm tribuatur passim in sacris litteris, vt iam animaduertimus: igitur in ipsa satisfactione Christi Domini datum fuit de facto plusquam æquivalens.

Neque propterea tamen aliqua iniuria est facta Christo Domino, quia volenti non fit iniuria, & Christus Dominus ordinauit omnia opera sua satisfactoria in bonum hominum, quæ alioquin præcisè considerata secundùm vim suam & valorem, erant etiam sufficientia ad satisfaciendum pro peccatis omnium dæmonum: sed defectu pacti inter Deum & Christum Dominum initi, de saluandis dæmonibus, & defectu ordinationis actionum satisfactoriarum Christi Domini in hunc specialem finem, nulla Christi Domini opera satisfactoria profuerunt de facto ipsis dæmonibus.

Obiicies. Vbi eadem est æqualitas personæ, etiam vt offensæ, ac personæ, vt satisfacientis, & numerus offensarum longe excedit numerũ actionũ satisfactoriarum, ibi non redditur plusquam æquivalens, imò nec æquivalens: atqui Deus vt persona offensa per peccatum mortale, est æquè infinitus, ac ipsum Verbum diuinum est infinitum vt satisfaciens; quia Deus offensus tàm bene terminat actum peccati mortalis vt obiectum, vel vt persona læsa, quàm Verbum diuinum terminet vel sustentet vt suppositum, humanas liberas actiones Christi Domini, cùm actus humanus liber, vt talis non minùs habeat

I. intrinsecam habitudinem ad suum obiectum, quàm ad suppositum à quo procedit: imò suppositum videatur esse minus merito secum ipsi actui, vt pote in quem nihil influit physicè, sed est tantùm quædam conditio ipsi naturæ, ad hoc, vt ista sit in statu accommodata ad operandum; deinde numerus peccatorum omnium hominum qui sunt, fuerunt, & erunt, excedit totum cumulum actionum satisfactoriarum, quas Christus Dominus exercuit in tota sua vita, vt facilè vnicuique videre est: igitur Christus Dominus satisfaciens non videtur reddidisse Deo æquialens, ex hac parte.

Respondetur concessa Maiore, negando priorem partem Minoris, scilicet, *Deum vt offensum fuisse æqualis dignitatis, ac est ipsa persona Verbi Diuini, vt satisfaciens est.* Nam licèt Deus Pater offensus, item Spiritus sanctus sit æqualis
II. Filio, considerato secundùm se & simpliciter, B
non tamen *vt offensus*, quia hæc particula, *vt*, sumitur *specificatiuè*, & significat modum, sub quo peccatum mortale tendit in Deum, illúmque attingit: qui modus est simpliciter finitus, & facit peccatum mortale solummodo infinitum secundùm quid, vt suprà ostendimus. At persona Verbi diuini *vt satisfaciens* est simpliciter infinitæ dignitatis & valoris, quia totam se submittit in obsequium Dei cui fit satisfactio, & humana libera actio eius est necessariò infinitæ dignitatis & valoris, quemadmodum ostendimus. Præterea obiectum est tantum vt terminet actionem, & sic est aliquid magis extrinsecum actioni, vt actio est, quàm eius suppositum, non tantùm vt est proprium illius principium quod, sed etiam quatenus est aliquo modo pars
III. eius totius quod in satisfactionem datur, quare C
persona Verbi diuini est magis intrinseca satisfactioni & merito eius, quàm Deus vt persona læsa sit intrinseca ipsi malitiæ peccati mortalis. Adde quod hîc considerabimus actiones humanas liberas secundum rationem dignitatis & valoris in ordine ad satisfactionem, quomodo suppositum infinitum magis dignificat actionem, quàm obiectum, iniuriæ, aggrauet malitiam, vt superius probatum est, licet ipsum obiectum magis actiuè conducat ad eius specificationem.

Vnde si fiat comparatio inter opera Christi Domini, & omnia omnium hominum peccata, an hæc magis displiceant Deo, quàm ista ei placeant? respondemus, opera Christi Domini magis placere Deo: tùm quia Deus iudicat de rebus, & eas amat vt sunt. Atqui supra ostendimus merita Christi Domini esse aliquid magis
IV. infinitum quàm sint omnia peccata. Deinde D
quia opera Christi Domini maiorem honorem conciliant Deo, quàm ipsa omnium hominum peccata ei subtrahant, & cùm peccata non sint tantum malum (quia scilicet sunt solummodo malum secundùm quid infinitum) quantum bonum est ipsa Dei bonitas: peccata non tantum displicent Deo, quantum propria & increata sua bonitas ei placet.

Ad alteram partem eiusdem Minoris respondetur, verum quidem esse, omnia omnium hominum peccata esse in maiori numero, quàm sint omnes actus satisfactorij Christi Domini: negamus tamen inde sequi, Christi Domini satisfactionem non esse æquialentem, aut plus- A
quam æquialentem: quia satis est si iste excessus peccatorum, secundùm extensionem, compensetur vel superetur per maiorem infinitatem intensiuam dignitatis & valoris, quæ est in operibus satisfactoris Christi Domini. Sicut ad hoc vt redditio trecentarum libellarum fiat ad æqualitatem, non est necesse, vt trecenti nummi argentei numerentur, sed satis est si pauciores nummi aurei, adæquantes valorem trecentarum libellarum, reddantur: vt docet quotidiana experientia.

Obiicies secundò, licèt hactenus dicta ostendant plus fuisse à Christo Domino redditum per bona eius opera, in quantum satisfactoria, quàm deberetur pro peccatis omnium hominũ: attamen bona opera Christi Domini videntur infinitè de facto compensata, & ex consequenti ad absolutam & simpliciter dictam æqualitatem.
V. Nam imprimis illa volitio, qua Deus ipse voluit VI.
dare gloriam hominibus, est infiniti valoris; est enim ipsemet Deus infinitus: sed Christus bonis suis operibus non tãtùm meruit hominibus gloriam & gratiam, sed etiam, quòd Deus eam voluerit illis dare; vt patebit agendo de iis quæ Christus meruit ipsis hominibus.

Respondetur, Christum Dominum non promeruisse hominibus actum diuinæ voluntatis, sed illud tantùm, quod Deus per talem volitionem decreuit efficaciter, & de facto contulit hominibus quæ bona non sunt tantæ æstimationis & valoris tam infiniti, ac est vnumquodque opus meritorium Christi Domini spectatum præcisè quo ad suam condignitatem. Hæc enim duo distinguuntur, *procedere à diuina voluntate*, quæ est actu infinita, seu ab infinito actu diuinæ voluntatis, & *esse actu infinitum*: prius, inquam, non in-
VII. fert posterius, vt patet in omnibus creaturis, quæ
non habent quod existant nisi ab actu diuinæ voluntatis, & tamen sunt finitæ.

Tertiò obiicies Eucharistia, vt instituta à Christo Domino, est aliquod præmium meritorum eius, cùm per illam eius merita nobis applicentur: sed hæc institutio est res infiniti pretij, & valoris, quia ipsummet Christum, vi consecrationis sub speciebus panis & vini productum, continet: igitur æquialens est à Deo redditum ipsis bonis operibus Christi Domini, in quantum illa erant meritoria.

Respondetur in Eucharistia instituta à Christo Domino duo posse distingui: primum est specialis ille cõcursus, quem Deus certò & infallibiliter promisit, dat, & semper vsque ad finem mundi dabit Sacerdotibus debitè consecrantibus, vt vi & efficacia verborum formæ, corpus
VIII. & sanguis Christi Domini reproducantur sub
speciebus panis & vini, & vt alia, quæ per concomitantiam sunt in hoc Sacramento, reperiantur, ibique tamdiu remaneant, quandiu substantiæ panis & vini naturaliter conseruarentur ibi: Alterum est ipsemet Christus Dominus, & ipsamet vnio hypostatica singularis eius humanitatis cum personalitate Verbi diuini: Christus Dominus meruit primum, sed totum istud cùm sit aliquid creatum, est finitum; secundum verò minimè, alias Christus Dominus seipsummet & suam hypostaticam vnionem de facto meruisset, quod omnes Theologi communiter negant, vt videbitur agendo de iis quæ ipse sibi meruit.

I.

ARTICVLVS II.

Vtrùm satisfactio Christi Domini fuerit ex propriis.

IMPRIMIS notandum est, *satisfactionem de rigore iuris* seu iustitiæ apud plerosque recentiores, vt apud Vasquesium hac parte disputatione septimâ, capite quinto, disputatione octauâ, capite tertio, & nonnullos alios *duplicem distingui. Vnam*, quam dicunt esse *in genere meriti*: quando scilicet, id quod datur in satisfactionem habet tantam condignitatem ad offensam & iniuriam illatam, vt vel illi sit æquale, aut longè excellentius, nec indigeat vllo fauore quo accipiatur, vel ei aliquid remittatur: quæ satisfactio dicitur esse ex *rigore iuris*, *seu ex iustitia*, quia æqualitas pretij ad præmium seruatur in illa, habétque aliquam similitudinem iustitiæ. Vnde ad illam non refert, quòd sit ex acceptis à creditore per condonationem, aut alio iusto titulo, dummodo sit æqualis præmio. Quo sensu, homo iustus potest dici satisfacere ex rigore iuris pro aliquo suo peccato veniali, per opus aliquod satisfactorium. *Alterum* satisfactionem vocant *ex perfecta & stricta iustitia*. quando scilicet, non solummodo datur æquiualens, sed præterea omnes leges & conditiones perfectæ & strictæ iustitiæ obseruantur in illa. Verbi gratia, quod sit ex propriis, & indebitis, ad alterum, nec fundetur in gratiâ creditoris. Hactenus ostendimus satisfactionem Christi Domini fuisse ex *rigore iuris* priori modo: nunc videndum est an etiam sit modo posteriori? & exordiendum à primâ illâ conditione scilicet *ex propriis*, an nimirum reperiatur in satisfactione Christi Domini? Medina codice de pœnitentiâ, tractatu tertio, quæstione primâ, Vasquesius loco nunc citato, & plures alij, censent satisfactionem Christi Domini non fuisse ex propriis.

II.

III.

Contraria tamen sententia, quam loco conclusionis ponimus, est; *satisfactionem Christi Domini, verè & propriè fuisse ex propriis ipsius Christi Domini.* ita Capreolus in quartum sententiarum distinctione decimâ quintâ, quæstione primâ, articulo tertio. Ferrariensis in quartum contra Gentes, capite quinquagesimo quarto, & plures alij etiam ex recentioribus ad secundum articulum præsentis quæstionis sancti Thomæ. Hæc propositio probatur à nonnullis, ex eo quod Christus Dominus satisfecerit per actiones quarum, ratione suæ libertatis, erat Dominus. Sed agendo de satisfactione puri hominis, ostendimus fundamentum istud esse insufficiens. Alij probat ex eo quod liberæ actiones Christi Domini fuerint satisfactoriæ, pro vt habebant in seipsis illum valorem infinitum, quem suprà appellauimus *derivatum*: sed neque hæc ratio, nisi aliquid ei addatur, videtur esse sufficiens, cùm hic loquamur de satisfactione Christi Domini, vt est facta, & non tantùm vt potuit fieri. At sacræ Scripturæ, dum loquuntur de illâ, ita loquuntur, vt significent personam Verbi fuisse inclusam in pretio, pro nobis redimendis oblato, & proinde valorem illum quo condignitas ad offensam est facta, fuisse eum quem *radicalem* vocauimus: vt patet ex locis Scripturæ superiùs citatis, quibus satisfactio Christi Domini explicatur facta per actiones reflexiuas supra personam Verbi.

IV.

A

B

C

D

Melior itaque ratio desumitur, ex eo quòd actiones Christi Domini, pro vt erant satisfactoriæ, includebant personam Verbi diuini, cùm essent reflexiuæ, & quòd præterea sustentabantur à solo Verbo: quo vtroque modo, soli Verbo quatenus incarnato, ita erant propriæ, vt nulli aliarum diuinarum personarum conuenirent, vel sub earum dominio essent; imò nec ipsi personæ Verbi, vt tantùm est aliquod diuinæ naturæ suppositum. Vbi notandum est, in actionibus satisfactoriis & meritoris Christi Domini duo posse distingui. Primum est *ipsa earum entitas, subsistantia, seu etiam efficientia.* Alterum *est earum sustentatio, & quod in illis vt reflexiuis persona Verbi sese submittat.* Primum fundat titulum dominij communis toti Trinitati, cùm tota Trinitas ad illas, vt sic, concurrat, & ab illâ, vt sic, dependeant; deinde ipsum *fieri liberè* eiusmodi actionum fundat etiam in Christo Domino aliquem alium specialem titulum dominij, sicut & in nobis, qui ratione libertatis dicimur domini nostrorum actuum; sed per neutrum titulum eiusmodi duorum Christus Dominus satisfecit tanquam ex propriis, vt patet ex dictis: alterum, quod distinguimus in istis actionibus, est *ipsa actualis submissio personæ Verbi, tanquam alicuius partis totius pretij Deo oblati, & ipsa prædictarum actionum sustentatio:* quod vtrumque fundat alium nouum titulum veri dominij à præcedentibus distinctum. Vt enim specialis modus quo actiones aliter procedunt, vel pendent à nostrâ libertate, & quo aliter pendent ab ipso Deo tanquam primâ causâ, fundant specialem titulum, alium, & alium dominij, quia important specialem proprietatem eiusdem entitatis, secundùm variam & diuersam rationem consideratæ; ita, cùm hoc vtrumque posterius faciat aliam omnino proprietatem actionum Christi Domini, fundabit etiam alium & alium titulum dominij, distinctum à præcedentibus, cùm vtrobique sit par ratio. Vnde quemadmodum in præcedenti exemplo, licèt plures illi tituli sese inuicem concomitentur, ita vt posterior non possit subsistere priori sublato, hoc tamen nihil impedit quin inter homines, vnus alteri satisfaciat ex perfecta iustitia, ex bonis sibi propriis secundùm posteriorem titulum: ita etiam necessaria illa connexio, quæ est inter dependentiam humanitatis Christi Domini, & liberarum eius actionum in sustentari à Verbo diuino, item & inter entitatem & efficientiam illarum à tota Trinitate, nihil obstabit, quin Verbum diuinum vt incarnatum, & vt istas actiones sustentans, possit exercere actũ satisfactionis tanquam ex propriis: cùm talis concomitãtia alterius istius tituli dominij, quod competit tòti Trinitati, sese habeat tantùm materialiter & veluti per accidens in præsenti negotio, & non per se, seu ex præcisa ratione, vel ipsius dominij, vel ipsius strictæ satisfactionis.

V.

VI.

VII.

VIII.

Hocita præmisso, nostra propositio sic probatur: satisfacere ex propriis nihil est aliud, quã satisfacere per aliquid quod sit soli satisfacienti propriũ, & sub solo illius dominio: sed ipsa submissio tàm Verbi incarnati quàm actionum satisfactoriarũ eius humanitatis, vt ipsâ personalitate Verbi sustẽtatarũ, est soli Christo, vt ab omnibus aliis personis etiam diuinis distincto, propria, & ipse Christus per huius vtriusque submissionem satisfecit Deo pro nobis: igitur Christus Dominus pro nobis Deo satisfecit ex propriis. Maior

I. satis patet ex dictis 2. disputatione articulis 1. & 2. Minor probatur quo ad singulas partes. Et primùm de ipsa sustentatione, quia in tantum humanitas Christi Domini & eius actiones sustentantur à Verbo, in quantum & vniuntur hypostaticè: at soli Verbo vniuntur hypostaticè, quia solum Verbum est incarnatum. Secunda item pars, quæ procedit de ipsa submissione Christi Domini, & satisfactoriarum eius actionum, & item tertia, de eius pro nobis satisfactione per illas, patent ex ipsis sacris litteris, quæ ita loquuntur de istis duobus, vt ea soli Verbo incarnato, cum exclusione aliarum personarum diuinarum, tribuant, *humiliauit semetipsum, tradidit semetipsum pro nobis, oblatus est pro nobis.* Confirmatur; nisi hæc ita soli Verbo conuenirēt, vera esset hæresis Patropassionorum, quam tamen Ecclesia damnauit. Et præterea Verbum

II. diuinum, quòd se submittebat & sustentabat B prædictas actiones, non erat sub dominio aliarum personarum diuinarum, cùm esset illis persona æqualis, vt profitemur in omnibus symbolis nostræ fidei. Vnde infra quæstione 16. docebimus cum S. Thoma Christum non posse dici hominem Dominicum, quasi eius suppositum, quod importatur hac particula *homo*, sit alicuius Domini, sed debet dici *Dominus*. Igitur Christus Dominus satisfecit Deo pro nobis ex propriis.

Neque est quod dicat Vasquesius in prædictis locis Scripturæ satisfactionem Christi Domini pro nobis tribui supposito Verbi tantùm per aliquam communicationem idiomatum, quatenus, ratione vnionis hypostaticæ, attributa humana dicūtur etiam de persona Verbi: ita tamen vt hæc satisfactio in recto casu & per se cōueniat

III. humanitati: vnde cùm humanitas eiúsque actiones secundùm suam substantiam & efficientiam C sint sub cōmuni dominio totius Trinitatis, Christum non satisfeciſſe ex propriis. Non est inquam quod id respondeat. Nam primò, si ratione solius communicationis idiomatum, ipsa satisfactio Christi Domini tribueretur supposito Verbi, & non tàm ob ipsam inclusionem Verbi in ipsa submissione, humiliatione, obedientia, & aliis eiusmodi actibus Christi Domini, quàm etiam ob sustentationem & terminationē eiusmodi actionum à Verbo diuino, iam sacræ Scripturæ dū locis citatis, & Patres ita dicunt, *Christus redemit nos, Christus passus est pro nobis, Christus factus est obediens pro nobis*, & id genus cætera. Vel si ita dicerent, hic homo (demonstrando Christum) redemit nos, &c. nihil dicerent quod maiori ratione conueniret Verbo etiam incar-

IV. nato, quàm quādo formatur hæc propositio, hic D homo (determinando Christum) creauit vniuersum; quia hoc secundum est verum propter communicationē idiomatum, vt omnes fatentur, & patebit infra, quæstione 16. atqui Scripturæ & Patres, in prædictis loquutionibus, tribuunt aliquid amplius ipsi suppositio Verbi diuini, vt incarnato; quemadmodum satis patet ex singulari commendatione & exaggeratione rerum eiusmodi, quam ibi faciunt: istud autē amplius est quod hæc ipsa Verbi diuini persona, tàm in ratione pretij pro nobis oblati, quàm in ratione sustētantis actiones, quæ simul cum illo offeruntur, includatur, vt patet ex ipsis eorum terminis, & propria etiam significatione.

Deinde tàm falsa est hæc propositio, & ob eamdem omnino rationem, humanitas satisfecit, quàm sit ista apud Aristotelem lib. 1. de ani-

A ma textu 64. *Anima irascitur, anima edificat, anima ratiocinatur.* Vt enim anima est tantùm principium, *quo*, seu formale ratiocinādi & aliarū eiusmodi actionū: principium verò, *quod*, earumdem actionum, est ipsam suppositum illis sustentans. Vnde valgare illud apud Philosophos & Theologos *actiones sunt suppositorum*. Ideo dicendum est *homo irascitur, homo ratiocinatur, homo ædificat*: ita etiam humanitas Christi Domini est quidem principium formale seu, *quo*, ipsius satisfactionis Christi Domini, at illius principiū, *quod*, erat ipsum Verbi diuini suppositum prout humanitatem & eius actiones sustentabat, quo modo illæ non erant communes Verbo cum Patre & Spiritu sancto, sed soli illi propriæ; sicque satisfecit ex propriis strictè sumptis, quatenus eiusmodi actiones sunt eius suppositi, quod non est sub dominio cuiusquam alterius: quales non

B sunt nostræ actiones, quæ propter suppositum proprium, vt potè creatum, semper remanent, etiam vt sustentatæ, sub dominio Dei, sicut & quodcumque suppositum.

Sed contra hanc nostram rationem obiicies. Dominium, propriè loquendo, ita fundatur in aliqua proprietate, vt tamen sibi naturæ liberæ, seu habenti voluntatem competat, ita vt illo tantùm respectu aliquid censeatur habere dominium in aliquid, in quantum habet aut habere potest circa illud aliquod voluntarium liberum; vnde bruta licèt habeant multa sibi propria, quia tamen carent voluntate & libertate, non censentur habere aliquod dominium. Atqui nulla potest in Christo Domino assignari voluntas, ratione cuius dicatur habere istud speciale dominiū nunc explicatum, non diuina, quia vt hæc est cō-

C munis tribus personis diuinis, ita facit vt idem planè dominium sit in omnibus personis diuinis. Vnde in symbolo S. Athanasij negamus tres diuinas personas posse dici tres Dominos, & ita si dominium istud, per quod Christus Dominus satisfecit Deo, sit diuinæ voluntatis, iam non satisfecit ex propriis, sed ex communibus, seu ex iis quæ erant sub communi dominio omnium personarum diuinarum, sicque falsa est tàm nostra propositio, quàm eius ratio. Non item voluntas ista potest esse humana volūtas Christi Domini, quia tale proprium quod fundat hoc dominium, esset sub potestate & dominio humanæ voluntatis Christi Domini, & proinde sub potestate & dominio totius Trinitatis. Nam quidquid est in dominio humanæ voluntatis, vel cuiuscumque alterius creatæ, est etiam sub dominio Dei, sicque Christus Dominus adhuc non satisfecit ex

D propriis strictè & rigorosè sumptis.

Respondetur concessa Maiori, negando Minorem. Ad cuius probationem respondetur, singulare istud dominium cōpetere supposito Verbi incarnati, ratione humanæ voluntatis quæ est in Christo Domino: ita vt humana Christi Domini voluntas non sit id quod habet tale dominium: nam hæc denominatio propriè est suppositi: sed sit *id quo* Verbum incarnatum habet istud speciale dominium, ad eum modum quo suprà docuimus dignitatem quæ est in Verbo diuino habere rationem valoris ex ipsa sui vnione ad naturam humanam. Nam quemadmodum licèt dignitas Verbi diuini, præcisè & secundum se spectati, sit in suo genere infinita, non tamen habet rationem valoris, sed illam dumtaxat sortitur ipsa sui vnione ad humanitatem & liberas eius actiones vt aptas facere aliquod iustum; & hæc

V. VI. VII. VIII.

I. eius vnio est tantùm quædam conditio ad id requisita: sic etiam in præsenti difficultate licèt suppositum Verbi diuini consideratum vt virtualiter distinctum à diuina essentia & eius attributis, item vt non vnitum liberæ alicui naturæ non habuit aliquando propriè aliquod dominium, quia vt sic præscindit à quacumque libera voluntate: quia tamen ipsa eius vnio cum humana natura est ei conditio vt habeat de facto voluntarium aliquod liberum circa proprias actiones naturæ sibi vnitæ, sit vt etiam habeat in illas aliquod dominium; & quemadmodum ex eo quod in diuinis terminat eandem planè naturam & voluntatem cum Patre & Spiritu sancto, habet idem omnino cum illis dominium, nec sunt tres Domini, sed vnus dumtaxat Dominus: ita etiam è contra quia solum Verbum hypostaticè vnitur naturæ humanæ, eiusque voluntatem sustentat & terminat, ideò solum illud ex

II. omnibus diuinis suppositis habebit aliquid speciale dominium. Vnde hoc speciale dominium est tàrùm sub potestate voluntatis creatæ Christi Domini, non vt simpliciter est voluntas creata, sed vt est terminata & sustentata à Verbo diuino, quatenus liberum est isti voluntati creatæ, vt sic spectatæ, exercere vel non exercere actiones liberas satisfactorias & meritorias, quæ proinde terminentur & sustententur à Verbo diuino: qua ratione cùm non sint sub dominio creaturæ, nec domini creati (quia duo isti termini *Dominus creatus & creatura* important suppositum creatum, vt patebit infrà quæstione decima sexta, quale non est suppositum Christi Domini) non censentur etiam esse sub communi dominio totius Trinitatis, sed tantùm sub speciali dominio

III. ipsius Christi Domini seu Verbi vt incarnati.

Articvlvs III.

Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.

Primvm est, quæcumque reperiuntur in hac satisfactione, ita sunt sub dominio Christi Domini, vt tamè sint etiam sub dominio Dei, scilicet ipsa Christi Domini humanitas, actiones eius satisfactoriæ, siue spectentur secundùm suũ esse physicum, siue secundùm esse morale, id est, vt liberæ, quemadmodum patet ex dictis suprà de satisfactione puri hominis, siue vt habét valorem infinitum, quia valor ille prouenit à diuinitate vt vnità humanitati mediante Verbo; vel ineſt actionibus Christi Domini vt sustentantur à Verbo; hèèt enim solum Verbum diuinum

IV. eas terminet & sustentet; attamen illæ vt sic sustententur, indigent concursu Dei, sine quo nec fieri, nec esse possent, nec proinde sustentari: sicque, quouis modo considerentur, non sunt eo modo propriæ Christo Domino, quo satisfactio in materia iustitiæ postulat.

Respondetur, singulas partes antecedentis esse falsas. Primâ quidem, qua præcedenti articulo ostendimus liberas actiones Christi Domini, vt sustentatas personalitate Verbi, esse sub solo dominio Christi Domini. Secundam item, quæ asserit valorem istarũ actionum Christi Domini prouenire à diuinitate: nam quinta disputatione ostendimus humanitatem Christi Domini & liberas eius actiones habere immediatè valorem infinitum à personalitate Verbi, quod ampliùs confirmabitur inferiùs quæstione septima; & præterea Christum de facto pro nobis satisfeciſſe per actiones reflexiuas, quæ in suo formali conceptu includunt personalitatem Verbi, vt partem totius prerij, quòd Christus Dominus obtulit pro nobis in satisfactionem; & personalitatem esse formam intrinsecè illas dignificantem: ad tertiam partem eiusdem antecedentis, quæ nobis obiicit, istas actiones Christi Domini indigere concursu Dei, respondetur, eo quidem indigere in sui efficientia & conseruatione, sed non in sustentatione, quomodo sunt propriæ soli Christo, & sub solo eius dominio: quia sustentatio illarum, sicut nec Verbi diuini ad humanitatem vnio, est aliqua actio propriè, sed quædam tantùm terminatio, vt sequenti quæstione explicabitur, quæ est à solo Verbo diuino, sicut solum illud est incarnatum.

Dices, actiones illæ non possunt sustentari, nisi sint, vel fiant, nec proinde esse satisfactoriæ, nisi cum hac conditione, quòd scilicet sint, & fiant: atqui vt sint & fiant, postulant necessariò concursum Dei, & ratione istius dependentiæ, sunt sub communi dominio totius sanctissimæ Trinitatis: igitur actiones illæ Christi Domini, etiam vt sustentatæ à Verbo, indigent ipso concursu totius Trinitatis, sunt que sub communi eius dominio.

Respondetur, hæc duo maximè distingui inter sese, *vnum, etiam ex aliqua necessitate absoluta, habere se vel requiri concomitanter ad aliud, & illud concomitans facere aliud tale formaliter*, quod enim sese habet tantùm concomitanter, non propterea ingreditur formalem rationem eius, cui per concomitantiam necessariam coniungitur, nec eius rationem agendi, (si quam habeat) siuè *illa ratio sit per quam*, siuè *sub qua* VII. agit, sed sese habet merè extrinsecè, & quasi materialiter ad totum istud sic præcisè & formaliter spectatum: At quod est tale formaliter, importat formam huius denominationis esse denominato intrinsecam, & si, quatenus tale, habet aliquam rationem agendi, vel terminandi, vel etiam essendi, eam illi competere vi & efficacia istius rationis quam formaliter includit, proindéque sicut ex vulgari regula dialecticorum *à sensu & identitate materiali, ad sensum & identitatem formalem non valet consequentia*; sic etiam ex eo quòd vnum habet vel postulat necessariò concomitantiam alicuius alterius, non bene infertur illud esse formaliter tale, vel hoc & illud formaliter cõpetere ei, quatenus habet aliud sese concomitans, & hoc totum potest illustrari sumpto exemplo à processione Filij in

VIII. diuinis, quæ formaliter dicitur esse per intellectum, per intellectionem Patris, & non per voluntatem Patris, per volitionem Patris, licèt hæc sese habeat etiam necessariò concomitanter ad productionem Filij, vt expressè docent omnes Theologi prima parte, quæstione quadragesima prima cum sancto Thoma & Patribus: igitur pari modo licèt actiones liberæ Christi Domini non possint sustentari à Verbo, nisi sint & fiant; nec proinde esse satisfactoriæ, nisi cum hac conditione, scilicet *quod sint, & fiant*, quomodo postulant necessariò concursum Dei: nihilominus tamen, quia earum sustentatio à Verbo diuino, est alia ratio & formalitas *sub qua, & secundùm quam* sunt propriæ soli Verbo diuino independenter ab aliis duabus personis diuinis, sit vt rectè possimus intelligere & asserere Verbum incarnatum verè satisfa-

I. cere ex propriis, dum illas sub hoc speciali titulo, & secundùm peculiarem illam formalitatem offert Deo in nostram satisfactionem, nec diuini concursus necessitas, ad earum entitatem & existentiam, huic singulari dominio in illas obstabit magis, quàm in exemplo allato de productione filij, ipsa volitio concomitans obstet ne Filius in diuinis propriè procedat per intellectum, & intellectum Patris.

Neque hinc sequitur, Christum Dominum solummodo satisfecisse per ipsum sustentationem suarum actionum satisfactoriarum; nam quando dicimus eũ pro nobis satisfecisse per suas actiones, vt à solo Verbo diuino sustentatas, non excludimus entitatem & substantiã istarum Christi Domini actionum à totali pretio nostræ redemptionis, quin potiùs illas includimus, vt ille noster loquendi modus satis apertè significat; sed tantùm explicamus, *sub qua* & *secundùm quam formalitatem* illæ tanquam soli Verbo incarnato propriæ, sint pro nobis satisfactoriæ ad rigorem strictæ iustitię. Neque etiam dum illas secundùm suam entitatem & substantiam includimus in tali pretio, efficimus vt Christus satisfecerit sibi tanquam debitori, & Deo vt creditori ex bonis vtrique communibus. Nam quemadmodum in vno & eodem numericè fundo possumus distinguere duplex dominium, vnum *directum* quod est penes dominum feudi, & alterũ *vtile* quod est penes proprietarium, ob duplicẽ dependentiam, quam talis fundus habet, vnam scilicet ab ipso domino feudi, alteram à proprietario, & hæc duplex dependentia fundans prædictũ duplex dominium, nihil est aliud quàm ipsa eadem entitas eiusdem numero fundi, provt ille alio modo dependet à domino feudi, & alio modo à proprietario, & nihilominus rectè intelligimus posse dari contractum perfectæ iustitiæ inter dominum fundi & prædictũ proprietarium, quo dominus feudi cedat proprietario hunc eundem fundum secundùm rationem directi dominij, vel è contrà proprietarius illum eundẽ, quoad dominiũ vtile, diuendat domino feudi, & rectè etiam concipimus hunc vtrumque contractum fieri ex propriis, secundùm ius ciuile sumptum strictè: ita etiam, quia in ipsa humanitate Christi Domini, & eius actionibus distinguimus duplicem dependentiam, vnam qua in *suo esse* & *fieri* dependent à tota Trinitate, fundans aliquod Dei dominium in illas, aliam qua *in sustentari* dependeant à solo Verbo, fundans aliquod speciale dominium soli Verbo diuino vt incarnato proprium, rectè intelligimus Verbum diuinum incarnatum posse ex IV. istis Christi Domini actionibus, vt sic consideratis, tanquam ex aliquibus sibi soli propriis, inire quendam contractum iustitiæ; & illarum dependentiam in suo esse & fieri à tota Trinitate non magis istud impedire, quàm ipsa fundi dependentia à proprietario seu domino vtili, impedit ne dominus feudi hunc eundem fundum diuendat, quoad dominium directum, prædicto proprietario, cùm tam in præsenti casu, quàm in exemplo nunc allato, identitas rerum sit tantùm materialis, non autem formalis, quam in ipso contractu iustitiæ attendimus. Neque ratio huius exempli potest dici esse dispar à prædictis actionibus Christi Domini; quòd nimirum in ista venditione rectè intelligamus aliquid transferri in dominium emptoris, puta fundum ipsum, secundùm rationem directi dominij, vel vtilis, quod omninò alienatur ab ipso venditore: hic verò non videamus Verbum incarnatum transferre illas suas actiones in totam Trinitatem, cui satisfacit, quatenùs ita sustentat illas, vt tamen penes se solùm retineat prædictum illud speciale, quod habet ratione sustentationis. Hoc, inquam, non potest dici, nam exemplum hoc est duntaxat allatum, vt ostenderemus vnam & eandem numero entitatem posse cadere sub duplex dominium, ratione duplicis dependentiæ quæ inest illi, & ideò illam entitatiuè & materialiter eandem, distinctam tamen formaliter, penes diuersam dependentiam, posse esse materiam contractus strictæ iustitiæ: hoc enim tantùm vrgebat obiectio, cuius tamen falsitas conuincitur exemplo nunc allato. V.

Quod verò spectat ad discrimen in replica commemoratum, illud quidem admittimus, sed B negamus illud impedire contractum strictæ iustitiæ; cùm talis translatio requiratur tantùm in eo contractu iustitiæ, qui versatur circa res, provt in moralibus & iure ciuili *res* cõdistinguuntur *ab actionibus*, & non in eo, qui totus versatur circa actiones, qualis est satisfactio Christi Dominactus enim reuerentiæ, quibus honos ablatus restituitur, semper sunt & manent in ipso honorante; in eo autẽ qui honoratur, sunt tantùm per habitudinẽ, quatenùs exercentur ex libera voluntate satisfacientis circa illũ & ad eũ honorandum, nec alio modo transeunt in eius dominiũ. VI.

Atque hanc nostram rationem sanctus Anselmus videtur tetigisse libro secundo *cur Deus homo*, capite decimo, sic dicens, *Homo ille omne bonum quod habet, à se habet, quamuis natura humana à diuina habeat quod habet, idem tamen ipse à seipso habet. quoniam duæ naturæ, vna persona sunt*, quasi diceret Christum, ratione perso- C næ diuinæ, habuisse perfectum dominium omnium operum, quibus satisfecit, & istud esse diuersum à dominio quod diuinitas habebat. VII.

Vrgebis: sicut actiones Christi Domini vt *sustentatæ*, sunt soli Verbo incarnato propriæ, ita actiones puri hominis *vt liberæ*, *vt vitales* sunt illi soli propriæ; quia ab eo solo procedunt modo libero & vitali: ergo pari iure, purus homo poterit per illas, tanquam ex propriis satisfacere Deo, quod tamen suprà negauimus. Respondetur, negando antecedens: licèt enim sint à solo homine, vt agente vitali & libero, ita tamẽ, vt sic, sunt ab illo solo, vt hæc eius vis & efficacia ad agendum vitaliter & liberè sit à Deo per dependentiã, & est voluntatis creatæ, vt existentis sub communi dominio totius sanctissimæ Trinitatis, quę voluntas, etiam informata tali virtute & efficacia, indiget absolutè Dei cõcursu, vt pro- D VIII. rumpat in talem & quemlibet alium actum sibi proprium: at ipsa vis sustentandi naturam humanam ita est Verbo diuino propria, vt illam non habeat à tota Trinitate, sed ex illo præciso cõceptu, quo est diuina persona independens à quocumque alio, nec Verbum diuinũ indiget aliquo Dei cõcursu, vt naturã humanam eiusque actiones sustentet, cùm talis sustentatio sit mera quædam terminatio, quã solã Verbi incarnati personalitas ita complet humanitatem, vt se solã illam faciat subsistere, quemadmodũ patebit quæstione sequenti: vnde in actu humano, siue vt vitali, siue vt libero, reperiuntur duo, quæ strictè loquendo impediunt ne eximatur à communi dominio totius Trinitatis. Primum est, quòd ad sic etiam procedendum indigeat concursu Dei,

I. tanquam causæ primæ & vniuersalioris; alterum est, quod hæc eius vitalitas & libertas ita est propria & sub dominio hominis illũ elicentis, vt tamen quia homo ille est sub dominio sanctissimæ Trinitatis, ipsa etiam eius vitalitas & libertas seu modus ille quo actus iste precedit ab eo vitaliter & liberè, tam bene se sub communi dominio totius Trinitatis, quàm quidquid est serui, quatenùs serui, est sub dominio eius, qui talis serui est dominus. Quæ duo, non habent locum in ipsa sustentatione humanitatis & actionum eius facta per Verbum incarnatum.

Obiicies, ista sustentatio naturæ & eius actionum ita est propria Verbo diuino, vt tamen sicut accepit esse à Patre, ita ab illo acceperit istam vim sustentandi, imò & suam infinitam dignitatem; qui enim dat esse, dat & consequentia ad esse. Hæc autem vis & dignitas sequitur ne-

II. cessariò hanc personalitatem diuinam. Igitur esto Christus satisfecerit Deo Patri per actiones humanitatis, vtà Verbo diuino sustentatas, & vt ab illo habentes infinitum valorem, & condignitatem ad satisfaciendum, non propterea tamen satisfecit ex propriis, loquendo in rigore, sed duntaxat ex acceptis à creditore. Respondetur, concesso antecedente, negando consequentiam. Quia vt bona, per quæ debitor satisfacit suo creditori, sint ex propriis sufficienter ad effectum perfectæ iustitiæ, sufficit, quòd ea non acceperit à suo creditore, eo fine etiam virtuali seu implicito, vt ei debitum, vel aliquam eius partem solueret; quemadmodum fuit explicatum in definitione perfectæ satisfactionis: at Verbum diuinum non eo fine accepit à Deo Patre ipsum suum esse personale, vel quod ad illud consequitur, vt pro nobis apud illum satisfaceret,

III. sed vi suæ processionis & ex sua necessitate essendi, & priùs in aliquo signo rationis, quàm Deus determinaret creare hominem. Deinde Verbum diuinum ita habet à Deo Patre suam personalitatem, & ex consequenti vim sustentandi etiam aliquam alienam naturam, (cuiusmodi est humana) vt tamen hæc ipsa eius personalitas sit soli Verbo subiectiuè & possessiuè propria, & nullo modo subsit alicui dominio Patris diuini, cùm nullã ab illo includat dependentiam. Quare vis illa sustentandi naturã humanam assumptam, item eius dignitas, & valor infinitus, sunt ipsi Verbo incarnato sufficienter propria ad aliquem actum perfectæ iustitiæ.

Secundum fundamentum est. Satisfactio in materia iustitiæ debet ita fieri *ex propriis*, vt non sit ex bonis acceptis à creditore in finem satisfactionis: at satisfactio Christi Domini est ex gratia vnionis hypostaticæ, quæ est à Deo concessa

IV. in finem satisfaciendi pro nobis. Respondetur, concessa Maiore, ad Minorem. Primò gratiam vnionis fuisse concessam humanitati, non Christo, cùm Verbum vt subsistens in natura humana (quo modo est & appellatur Christus) istam gratiam non receperit, neque ex eo quòd talis gratia est facta humanitati, potest dici facta Christo Domino: sicut nec ex eo quòd humanitas est assumpta à Verbo, Christus potest dici assumptus à Verbo: Christus autem Dominus, & non eius humanitas, satisfecit pro nobis, vt iam obseruauimus.

Deinde aliqui alij addunt; satisfactionem Christi Domini ita fundari in gratia vnionis, & fieri ex illa, vt tamen, hæc non fuerit donata humanitati in finem satisfactionis; cùm Deus ordi-

A nauerit mysterium Incarnationis ante præuisum peccatum Adæ, qua de re paulò pòst agetur. Vnde cùm solutio, quæ fit ex acceptis à suo creditore, non eo fine, vt ei satisfiat, non impediat, quin talis solutio sit ex propriis & ex stricta iustitia, vt suprà animaduertimus: semper satisfactio Christi Domini erit ex propriis. V.

Tertiò obiicitur: in satisfactione ex stricta iustitia requiritur, vt qui satisfacit faciat aliquid esse sub dominio eius cui satisfacit, quòd alias non pertinebat ad ipsum, neque proprio iure ad eum anteà pertineret, sicque cedat in aliquod commodum eius, vt sic resarciat damnũ illatum personæ offensæ: atqui Christus Dominus nihil potuit tale Deo tribuere. Respondetur negando maiorem propositionem: nam & in satisfactione humana honoris læsi, id nullo modo habet

B locum: imò quãdo res quæ datur in solutionem, est actio, illa non debet tradi creditori, sed tantùm elici in illius gratiam, provt placet ei: quemadmodũ patet in iis qui ex cõdicto pretio cantant, saltant, vel agunt aliquid simile; quibus merces debetur ex iustitia: nec ratio perfectæ iustitiæ semper postulat, vt quod datur, cedat in commodũ & vtilitatem accipientis: nam plerumque sufficit quòd cedat in eius honorem, fiátque iuxta eius placitum. Fit enim sæpè, vt reges exigant aliquot operas subditorum, sibi tutio seruitutis vel subiectionis nõ debitas, nullùmque commodum afferentes regibus; quas tamen reges tenentur compensare ex iustitia; nec videtur esse maior ratio requirendi hanc conditionẽ in actu iustitiæ, quàm in merito de condigno, cùm vtrobique quædam commutatio fiat: at non requiri in merito quòd opus meritorium cedat in commodum & vtilitatem Dei, sed sufficere quòd cedat in eius honorem. S. Thomas expressè docet 1. 2. quæst 104. art. 1. ad 2. VI.

C . Tertium fundamentum est. Quicumque Deo satisfacit, vt homo, & per ea quæ habet, vt homo, satisfacit Deo per ea quæ sunt sub ipsius Dei dominio, quia tam ipse homo, quàm ea quæ ei, vt sic, cõueniunt, sunt aliquid inferius ipso Deo, & proinde sub dominio Dei: atqui Christus Dominus pro nobis satisfecit nõ vt Deus, sed vt homo, est enim passus & mortuus vt homo, & præterea satisfecit per eas actiones, quæ ei conueniunt vt est homo, verbi gratiã, per passionem, per mortem, & alias id genus actiones satisfactorias ab ipsa humanitate, tanquam proprio principio exercitas. Igitur Christus Dominus satisfecit Deo pro nobis per ea, quæ sunt etiam sub dominio ipsius Dei. Respõdetur, Maiorem esse veram de puro homine: esse autem falsam VII.

D de eo qui simul sit Deus & homo, qualis est Christus Dominus, de qua illa Minor procedit. Licèt enim ille non satisfecerit pro nobis vt Deus absolutè & simpliciter sumptus, quouis modo sumatur hæc particula, *vt*, siue *reduplicatiuè*, quia sic includit solùm ea quæ ei competunt, vt est Deus, siue *specificatiuè*, quia sic significat solummodo suppositũ Verbi, vt subsistens in natura diuina, ad quem vtrumq; sensum ipsa humanitas & eius actiones, per quas tanquã proprio principio *quo* satisfecit, sese habent omnino per accidens, & impertinẽter: nihilominus tamẽ vt *Deus homo*, id est, Verbum diuinũ vt sustentãs naturam humanam, satisfecit pro nobis, quatenùs fuit principium quod actionum satisfactoriarum, quas humanitas ab ipso assumpta exercebat tanquam principium *quo*: & prætereà qua- VIII.

I. tenùs idem Verbum ad illas eaſdem actiones concurrebat morali influxu conferente illis valorem infinitum, ſcilicet tam ſeipſum ſimul & ſuas actiones offerendo, & ſubmittendo in obſequium Dei, quàm iſtis ſuis actionibus communicando alium valorem infinitum, quem ſuprà appellauimus deriuatum. Quo ſenſu non tantùm prædicta iſta propoſitio, *Chriſtus ſatisfecit pro nobis vt homo Deus*, intelligitur eſſe vera, ſed etiam iſta, *Chriſtus vt Deus & hom. o ſatisfecit pro nobis*, cùm non tantùm Verbi ſuppoſitum, pro quo hæc particula, *Deus*, ibi ſupponit, concurrerit vt Principium, *quod*, & inſuper vt ſimul incluſum in totali pretio noſtræ ſatisfactionis, conferens prædictis actionibus valorem infinitum, ſed etiam *vt homo* quatenùs nimirum humanitas à Verbo aſſumpta, fuit Principium phyſicum, *quo*, eiuſmodi actionum ſatisfactoriarum.

II. ARTICVLVS IV.

Vtrùm ſatisfactio Chriſti Domini ſit ex indebitis.

MEDINA loco ſuperiùs citato. Vaſquezius citata diſput. 8. cap. 2. partem negantem tuentur. Verùm contraria ſententia nobis videtur melior, pro qua ſit hæc noſtra propoſitio. *Satisfactio Chriſti Domini fuit ex indebitis.* Probatur ſic. A quo abeſt obligatio, ab eo abeſt & debitum, quia hæc duo ſe inferunt: atqui præcisâ pactione inter Deum & Chriſtum, de acceptanda & offerenda morte Chriſti eiúſque operibus in ſatisfactionem noſtrorum peccatorum, obligatio exercendi plures actus meritorios abeſt à Chriſto Domino, verbi gratiâ; ſubeundi mortè tam ignominioſam, ieiunandi, & alias id genus

III. actiones difficilimas, & valde laborioſas exercendi: igitur à Chriſto Domino aberat debitum exercendi iſtas eiuſmodi meritorias actiones; proindéque eius ſatisfactio, vt facta ex illis, fuit ex indebitis. Minor probatur diſcurrendo per ſingulas obligationes & debita, & primò de obligatione & debito iuſtitiæ; quia multæ bonæ actiones ſupererogationis erant in Chriſto Domino, cùm etiam aliquæ in puris piis hominibus dentur, quas omnes & ſingulas, ſaltem præciſo prædicto pacto, non tenebatur exercere, quia Chriſtus Dominus, vt ſic conſideratus, non fuit magis obligatus ex iuſtitia, quàm nos, nec minorem habuit libertatem in ſuas actiones, quàm nos. Ergo ſicut, ex communi omnium ſententia, in quibuſdam piiſſimis hominibus aliqua opera ſupererogationis, ſeu non debita titulo iuſtitiæ, reperiuntur, ita & in Chriſto Domino confirmatur ampliùs, ex eo quòd Chriſtus Dominus non fuerit ſubiectus legibus humanis, nec item noui & veteris teſtamenti, vt ex profeſſo docebimus infrà ad quæſt. 20. quas tamen leges ſæpe obſeruauit, verbi gratiâ circumciſionis, Paſchatis, & alias id genus, quemadmodum videre eſt in ipſo contextu Euangeliorum. Idem probatur de obligatione & debito gratitudinis. Debitú gratitudinis deriuatur ex debito amoris & charitatis ex S. Thoma 2. 2. queſt. 106. art. 6. in ſolutione ad 2. & quæſt. 107. art. 1. in ſolutione ad 3. & eodem modo philoſophãdum eſt de reddenda Deo actione gratiarum propter debitum gratitudinis, ac de præcepto dilectionis Dei ſuper omnia: ſed Chriſtus Dominus non tenebatur ex debito charitatis exercere omnes illos actus dilectionis, quos de facto exercuit, quia non obligabatur ad ſemper habẽdum actualem amorem

A Dei, ſicut nec nos, ſed poterat illum aliquando ſuſpẽdere; & nihilominus vel ſemper, vel quàm frequentiſſimè fuit in aliquo actu liberi amoris correſpondenti ſcientiæ ſibi infuſæ per ſe, vt intelligetur ex dicendis infrà ad quæſt. 11. & 19. igitur neque ex debito gratitudinis Chriſtus Dominus obligabatur exercere omnes & ſingulos actus honeſtos amoris, quos tamen de facto exercuit, & proinde potuit ex illis tamquam indebitis ſatisfacere Deo pro nobis. V.

Nec obſtat, quod fuerit Chriſto Domino honeſtũ exercere ſingulos illos bonos actus. Nam non inde ſequitur eum habuiſſe obligationem exercendi illos, plura enim requiruntur ad hoc vt quis obligetur etiam ex honeſtate, quàm vt honeſtum honeſtè agat: nam ad hoc poſterius ſufficit vt quòd ſit ſit bonum, habeat conformitatem ad rectam rationem, careátq; omni vitio-

B ſa circunſtantia; at ad prius præter iſtud, requiritur vt eius omiſſio importet aliquam notã turpitudinis, quemadmodum ſatis indicat Apoſtolus 1. ad Corinthios 7. dum ait virginem, nec voto, nec matrimonio obligatam nullo modo peccare, quando relicto bono virginitatis nubit, licèt poſſit ſuam virginitatẽ ſeruare, eámque offerre Deo in compenſationem beneficiorum ab illo acceptorum: ego licèt fuerit honeſtum Chriſto Domino, omnes & ſingulas ſuas actiones offerre Deo in recognitionem beneficiorum: quia tamẽ ex omiſſione aliquorum nulla nota turpitudinis poterat ei inuri, non erat obligatus, etiam ex debito honeſtatis, vel gratitudinis, eas omnes & ſingulas in particulari ordinate in recognitionem beneficiorum acceptorum à Deo. VI.

Tandem etiamſi daremus Chriſtum Dominum fuiſſe obligatum ex gratitudine ad exercẽ-

C dum omnes ſuos actus bonos in recognitionem beneficiorum, adhuc tamẽ potuiſſet ex illis, tanquam ſufficienter indebitis, ſatisfacere pro nobis ex ſtricta iuſtitia; quia vbi non vnum duntaxat bonum opus, ſed quàm plurima, ſingula & ſeorſim ſunt valoris ſecundùm intenſionem infiniti, beneficia verò collata finita: ibi per eiuſmodi opera ita poteſt ſatisfieri debito gratitudinis pro iis omnibus beneficiis acceptis, vt etiam reſtet adhuc ſufficiens valor ad ſatisfaciendum debito ex ſtricta iuſtitia, quando totum illud debitum eſt ſolummodo ſecundùm quid infinitũ, & reliquæ conditiones reperiuntur; quia tunc valor ille ſecundùm intenſionem infinitus non poteſt exhauiri primo illo debito gratitudinis, imò nec debito iuſtitiæ illi adiũcto: cùm hæc duo debita, ſimul ſumpta, faciant ſolummodo ali-

IV. quod infinitum ſecundùm quid, quod eſt longè

D inferius infinito ſimpliciter ſecundùm intenſionem: at qui omnia & ſingula opera bona Chriſti Domini ſunt valoris ſimpliciter infiniti ſecundùm intenſionem, vt oſtendimus: omnia verò & ſingula beneficia, quæ ſunt collata Chriſto Domino vt homini ſunt finita, vt patet de ſcientia, de gratia gratum faciente, item gratis data, item viſione beatifica & id genus aliis, cùm iſta omnia ſint entia quædam creata, ſimiliter debitú totius generis humani, loquendo ſimpliciter, eſt tantũ infinitum ſecundùm quid, vt etiã ſuprà animaduertimus. Igitur Chriſtus Dominus per ſua bona opera ſic potuit ſatisfacere omni & cuilibet ſuo debito gratitudinis pro omnibus & ſingulis beneficiis acceptis, vt etiam per eadem opera, tanquam indebita, adhuc potuerit ſatisfacere ex ſtricta iuſtitia pro nobis omnibus hominibus. VII. VIII.

I. Dices, valorem infinitum, qui est in prædictis actionibus, esse quoddam beneficium eis collatum, qui valor cùm sit infinitus intensiuè, facit vt hoc beneficium sit etiam intensiuè infinitum, & proinde postulans actionem gratiarum infinitam intensiuè. Respondetur, valorem illum infinitum fuisse solius Christi Domini, & à solo Verbo communicatum prædictis actionibus Christi Domini, qui ad vnionem Verbi cum natura humana necessariò resultabat, vt suprà docuimus, vnde Christus non tenebatur agere gratias pro illo, cùm gratitudo obligans ad actionem gratiarum debeat esse libera, & Verbum vt sustentans naturam humanam, illum habeat ex se, & non ex gratuita voluntate Patris vel Spiritus sancti, aut etiam ipsiusmet Verbi vt terminantis solummodo diuinam naturam.

II. ARTICVLVS V.

Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.

PRIMVM est. Deus potuit exigere à Christo D. singula sua bona opera titulo gratitudinis seu ob beneficia in illum collata: Ergo Christus Dominus non poterat ex illis satisfacere Deo secundùm perfectã & strictam iustitiam. Respondetur, nos hîc disputare de satisfactione Christi Domini provt de facto est ab illo præstita, & non provt aliquo alio modo præstari potuit. At Deus non exegit de facto à Christo Domino omnia bona sua opera titulo gratitudinis, itavt induxerit obligationem, quemadmodum probat ratio nostræ propositionis. Deinde si agatur de illis, quatenùs etiam Deus potuit ab ipsis hominibus, imò à Christo exigere omnia sua bona opera vt sibi debita titulo gratitudinis, adhuc

III. ex tertiâ parte eiusdem nostræ rationis, patet liberas actiones Christi Domini ratione sui valoris infiniti, non impediri quin sint adhuc sufficientes siue ad satisfaciendum simul & debito gratitudinis, & debito iustitiæ, dummodò ad id fuerint à Christo Domino ordinatæ. At talem illarum ordinationem habuisse locum in Christo Domino, patet ex sacris litteris, quæ passim asserunt Christum per suas actiones nobis promeruisse, & pro nobis satisfecisse.

Tandem, si Deus fingatur ita exigere à Christo Domino omnia, & singula sua opera, titulo gratitudinis, vt ea exigat secundùm omnem quamlibet sufficientiam & valorem quem habent; iam præterquam quòd casus ille non videtur esse rationabilis, & proinde impossibilis, cùm Deus vtpote summè sapiens non agat irrationabiliter, si tamen casus iste fingatur dari

IV. de facto. Respondetur, vel in eo casu id ita præcipi, vt simul etiam prohibeatur expresè vel tacitè applicatio & ordinatio eiusmodi operum Christi Domini, in finem satisfactionis; & tunc id non proueniet ex eorum insufficientia ad soluendum vtrumque debitum iustitiæ & gratitudinis, sed ex defectu ordinationis & applicationis ad id requisitæ, quæ supponitur prohibita: vel in tali casu ita omnes boni actus Christi Domini præcipiuntur exerceri pro soluendo debito gratitudinis, vt ne tacita quidem prohibitio ei fiat ordinandi illos vlteriùs ad satisfaciendum pro nobis, & tunc, cùm eorum valor non restringatur quoad applicationem, & quoad sufficientiam, sitque maior, quàm sit vtrumque debitum; poterit Christus D. per illos, vtrique prædicto debito satisfacere; sicut licèt quia

A nostri actus habent aliquam sufficientiam tam ad merendum, & satisfaciendum pro aliis, quàm pro nobis, quando solùm imperatur fieri, possumus ita illos exercere, huicque præcepto satisfacere, vt illos etiam simul applicemus aliis, siue ad satisfaciendum, siue ad merendum. V.

Secundum est, vbi beneficium est tale, vt sit intensiuè summum, quod Deus absolutâ suâ potentiâ potest conferre, quantumcumque perfectissimus ponatur actus gratitudinis in accipiente, nihil ei restat, quo possit Deo, ex stricta iustitia satisfacere pro aliis; quia actus ille gratitudinis, potest ad summum fingi esse aliquid æquale tanto beneficio, & proinde aliquid minus eo, quod debetur pro tali beneficio, cùm ex S. Thoma 2. 2. quæst. 106. cap. 6. gratitudo postulet plus reddi, quàm fuerit acceptum; sicque totus valor eiusmodi actus ita consumptus est in

B solutione istius debiti ex gratitudine, vt etiam VI. ei toti soluendo sit aliquo modo insufficiens: atqui vnio hypostatica est beneficium, quoad intensionem, summum omnium, quod Deus absolutâ suâ potentiâ conferre potest, vt suprà animaduertimus, & actus ille gratitudinis, quo Christus satisfaciebat Deo pro tali beneficio, potest ad summum tantum æstimari, quantum est hoc beneficium, cùm nihil possit dari maius intensiuè ipsa vnione hypostatica. Igitur nihil restabat Christo Domino, quo pro aliis satisfaceret Deo ex stricta iustitia.

Neque potest recurri ad multitudinem actuum Christi Domini, quasi vno, aut altero satisfecerit Deo ex gratitudine pro beneficiis ab illo acceptis, & aliis actibus pro nobis ex iustitia. Nam sicut Christus Dominus obligabatur ad actũ gratitudinis pro beneficio vnionis hypostaticæ, ita

C etiã pro illo sibi continuato obligabatur ad VII. continuam gratiarum actionem, & ad continuandum vel quasi perpetuo iterandum actum illum gratitudinis; sicque nihil vnquam poterat ei restare, ex quo pro nobis satisfaceret Deo ex stricta iustitia. Respondetur, concessa Maiore ad eius Minorem, primo loquendo præcisè beneficium vnionis hypostaticæ non esse factum Verbo incarnato seu Christo Domino, sed eius humanitati; hîc autem comparamus diuina beneficia collata Christo Domino vt homini, cum meritoriis & satisfactoriis operibus eius eodem modo spectati: deinde, quia humanitas Christi Domini est aliquid eius, & sic beneficium ei collatum redundat in Christum, quantum confert ad substantialem constitutionem illius, ex quo quædam obligatio actionis gratiarum videtur nasci in illo; respondetur in beneficio vnionis hy-

D postaticæ posse duo considerari, primum est, VIII. id quod communicatur humanitati, scilicet personalitas Verbi diuini: alterum est, bonum quod ex tali vnione sumpta præcisè prouenit humanitati; iam beneficium vnionis hypostaticæ, consideratum *ex parte rei donatæ*, esse summum quatenùs intellectualis natura creata non habet quo possit altiùs euehi, vt explicabitur sequenti quæst. Negatur tamen inde sequi, beneficium istud, ex hac parte spectatum, habere in genere beneficij maiorem infinitatem vel etiam æqualem cum ea infinitate, quæ in genere satisfactionis reperitur in ipsa satisfactione Christi Domini; nam magnitudo seu etiam infinitas beneficij præcisè sumpti, vt formaliter est beneficium, non attenditur *penes magnitudinem vel etiam infinitatem rei*, quæ confertur & donatur, *sed po-*

I. vt patet in exemplo nunc allato, quod hîc non habet locum in bonis & honestis actibus Christi Domini, vt obseruauimus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm satisfactio Christi Domini sit sufficiens ad alterum, vt censeatur actus iustitiæ propriè sumptæ.

NEGANT plerique. Verior tamen est sententia contraria quæ est S. Thomæ hîc art. 2. in responsione ad secundum Cabreræ disput. 7. Aluares disput. 4. & est communis plurium, qui nostras præcedentium articulorum assertiones sequuntur. Sit itaque hæc nostra propositio, *Satisfactio Christi Domini sine comparatione ad Patrem diuinum, siue ad Spiritum sanctum, siue ad*
II. *Deum, vt est quid commune tribus personis diuinis, & vt est per nos offensus, est sufficienter ad alterum, quantùm iustitiæ ratio postulat.*

Antequam probetur hæc propositio, notandum est, Christum Dominum satisfeciſſe pro nobis, non tantùm Patri & Spiritui sancto, sed toti Trinitati, vt satis indicat sanctus Paulus primæ ad Timotheum secundo, dum sic ait; *Vnus Deus, vnus mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus*, quo loci particula, *Deus*, sumitur pro tota Trinitate, & expresè notat S. Augustinus enarratione secunda in Psalmum 29. ita dicendo, *quid est mediatorem esse inter Deum & homines? non inter Patrem & homines? sed inter Deum & homines: quid est Deus? Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.*

Confirmatur, Christus Dominus pro nobis satisfecit ei qui erat offensus, & secundùm
III. eam rationem qua erat offensus. Item Christus Dominus nos peccatores reconciliauit Deo, cui obtulit sacrificium: hunc enim tantùm satisfactio Christi Domini respicit, vt satisfactio est; atqui Deus, quatenùs est vnus, primò per se offenditur nostris peccatis: nam offenditur quatenùs præcepta eius, aliqua lege, siue naturali, siue alia, ab eo nobis impositæ, violantur: quæ præcepta imponuntur nobis ab eo vt est vnus cùm sic creauerit totum mundum, eúmque gubernet, & tantum ex consequenti & quasi secundariò, vt est trinus in personis. Item Christus Dominus obtulit suum sacrificium, non tantùm Deo Patri, & Spiritui sancto, sed etiam sibi ipsi vt sustentanti naturam diuinam, quemadmodum expresè tradit S. Augustinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 20. & nos idem sacrificium offerimus in Ecclesia, quo ad substantiam, obiectum & hostiam, quod Christus Dominus obtu-
IV. lit in cruce. At nos illud offerimus Trinitati, vt satis indicant preces, quas inter offerendum præmittimus consecrationi. Item Christus Dominus nos reconciliauit diuinitati, vt ex illo Apostoli 2. ad Cor. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Probat S. Ambrosius, lib. 3. de Fide, cap. 5. dum locum hunc ita explicat, vt particula *Deus*, eo loci idem sit ac *ipsa diuinitas. Hoc est*, inquit S. Ambrosius, *ibi sempiterna diuinitas.* Igitur satisfactio Christi Domini facta fuit primariò ipsi Deo, vt est quid commune tribus personis, secundariò autem ex consequenti personis diuinis. Hoc prænotato,

Nostra propositio probatur, ad hoc vt conditio, per hanc particulam, *ad alterum*, requisita in actu iustitiæ strictæ, reperiatur sufficien-

A ter, satis est vt qui exercet talem actum, habeat distinctum ius, & dominium, distinctam naturam liberè operantem à iure, dominio, & natura liberè operante eius, cui ius reddit & iustum. Sed Christus Dominus, vt pro nobis satisfaciens Deo, & reddens iustum, habet ius distinctum, dominium distinctum, distinctam naturam liberè operantem ab ipso iure, dominio, & naturâ Dei cui satisfacit pro nobis: igitur conditio, per hanc particulam, *ad alterum*, requisita in actu iustitiæ, reperitur sufficienter in satisfactione Christi Domini. V.

Minor est euidens ex dictis, nam agendo de hac particula, *ex propriis*, ostendimus Christum Dominum habere speciale, & sibi soli proprium quoddam dominium in suas actiones liberas, ratione sustentationis illarum, quæ est à solo verbo, ipsa etiam fides docet eum habere duas
B naturas impermixtas, diuinam & humanam, VI.
illúmque Deo pro nobis satisfeciſſe per solas actiones liberas suæ humanitatis, tanquam *principij formalis seu quo*, provt actiones eiusmodi distinguuntur realiter ab actionibus diuinæ eius naturæ. Maior, in qua tota vis nostræ rationis residet, probatur: tota ratio & necessitas alteritatis in actu strictæ iustitiæ, est, vt contractus qui fiunt, constent mutuâ obligatione vtrinque legitimâ, item vt sit vtrinque ius disponendi de eo quod datur in compensationem: sic enim ipsum ius seruatur, & quod est iustum redditur, totàque definitio perfectæ iustitiæ salua reperitur: atqui vbi dantur dominia, & iura vtrinque distincta, item duæ naturæ realiter distinctæ, & liberæ actiones illarum omninò distinctæ, ibi contractus possunt fieri,
C qui constent mutuâ obligatione vtrinque liberâ VII.
& legitimâ: quia proprium liberæ voluntatis est posse seipsam obligare; tunc autem duæ reperiuntur, quarum quælibet habet aliquod speciale ius & dominium, de quo potest legitimè disponere, & in illius compensationem acceptare aliquid aliud: igitur necessitas alteritatis in actu strictæ iustitiæ requisitæ, & per hanc particulam, *ad alterum*, in ipsa definitione iustitiæ importatæ, est, vt qui exercet actum iustitiæ, habeat ius & dominium distinctum, similiter distinctam naturâ liberè operante à iure, dominio, & natura liberè operãte eius, cui ius reddit.

Secundò probatur nostra propositio. Ea distinctio, quæ in Christo Domino sufficit ad rationem mediatoris, illa eadem sufficit ei, ad rationem satisfacientis ex stricta iustitia, quia tota ratio mediatoris, vt nunc est in Christo,
D est præcipuè per ipsam eius satisfactionem pro VIII.
nobis: est enim mediator, quatenùs moriendo pro nobis reconciliauit nos Deo. Vnde ad distinctionem Sanctorum, qui pro nobis orant, vocatur mediator redemptionis. Atqui Christus Dominus sic est noster mediator, non tantùm respectu personæ Patris diuini, & Spiritus sancti, sed etiam respectu sui vt Dei, iuxta illud Apostoli, *Deus erat in Christo sibi reconcilians mundum*, & ad hoc, sola virtualis distinctio personæ sufficit, seu quòd suppositum Verbi diuini fungatur vice duorum suppositorum. Ergo & in Christo Domino ad satisfaciendum pro nobis ex stricta iustitia, sufficiet, quòd eius suppositum virtute duplex, sustentet duas integras naturas liberas à se inuicem distinctas realiter, habentes distincta dominia & iura.

Confirmatur amplius, non minus actus vir-

I. tutum obedientiæ & religionis postulant distinctionem suppositorum, quàm actus iustitiæ: hæ enim virtutes sunt etiam ad alterum, vnde dicuntur partes potentiales virtutis iustitiæ. At isti actus non postulant necessariò distinctionem realem suppositorum, sed solummodo distinctionem naturarum, dominiorum, & iurium, & ad summum virtualem duplicitatem suppositi in vno & eodem exercente illos, vt patet in Christo Domino qui verè fuit obediens Deo passim apud Apostolum, & qui illum cultu latriæ coluit: igitur vt etiam Christus Dominus satisfaceret ex stricta iustitia pro nobis, satis fuit quòd haberet naturam humanam per cuius actiones satisfaceret etiam sibi vt Deo, seu vt sustentanti diuinam naturam.

Neque quoad hoc eadem est ratio vnius & eiusdem suppositi, vt sustentantis duas partes,
II. quæ vnum & idem integrum compositum efficiunt, quasi tale compositum, vt operans, per vnam partem illius compositi, quod sustentat, possit sibi eidem, vt aliam partem compositi sustentanti satisfacere etiam de rigore iuris: est enim quoad hoc dispar vtriusque ratio, tam ex parte suppositi, quàm ex parte naturæ sustentatæ: ex parte quidem suppositi, quia quando idem numero suppositum sustentat duas naturas integras, tunc illud est virtute duplex, non tantùm *in genere entis*, quatenus fungitur officio duorum suppositorum in sustentando, sed etiam *in genere moris*, quatenùs modo conuenienti suppositio, est principium omnium liberarum actionum vtriusque naturæ, tam bene, ac si tunc essent duo suppositi realiter distincta, & est tam verè huius, vel istius suppositum, ac si hanc solam, vel istam solam sustentaret, nec postulat
III. necessariò simul & semel vtramque sustentare, & vni illarum est veluti per accidens, quod simul etiam sustentet aliam, sicque habet veram aliquam suppositi duplicitatem, non realem, sed virtualem, & quoad munus duntaxat & officium; quare habet sufficientem alteritatem pro exercendo actu iustitiæ, quantùm requiritur ex parte suppositi: at vnum & idem numero suppositum sustentans duas partes, vnum & idem compositum facientes, ne virtualem quidem duplicitatem admittit in seipso; nam ambæ illæ partes, vt sunt partes huius totius, & illud componunt, postulant ex sua naturali conditione sustentari ab hoc vno, & eodem supposito, vnde *nec in genere moris* est virtualiter duplex, sicq; caret alteritate sufficienti ad actum iustitiæ: est etiam dispar ratio ex parte naturæ, quia partes
IV. vnius & eiusdem compositi non exercent suas eiusmodi operationes, nisi prout sunt partes totius sui compositi, & sic carent alteritate sufficienti ad actum iustitiæ: at è contrà, quando duæ naturæ integræ, substantiales, intellectuales exercent suas liberas operationes, vnaquæque illarum eas exercet independenter ab alia, sicque fundant ex parte sui alietatem pro actu iustitiæ exercendo sufficientem.

A met sit Deus, & satisfecerit vt Deus-homo, vt suprà ostendimus. Respondetur, actum strictæ iustitiæ tantùm postulare necessariò esse ad alterum, sensu in nostra ratione explicato, nimirùm vt sit ratione distinctorum iurium, & dominiorum, quæ competant distinctis naturis liberis: maximè cùm actus iustitiæ consistat in obligatione, & in iure disponendi de suo: vnde cùm ad obligationem, & ad ipsum ius disponendi de re sua in honorem vel commodum alterius entis liberi, sufficiat habere naturam liberam, & aliquod speciale dominium, fit vt cùm hæc duo reperiantur distincta in Christo Domino, comparato ad omnem cum cui satisfacit, dicatur eius satisfactio esse sufficienter ad alterum. V.

Neque his obstat, quòd Aristoteles & alij communiter explicent distinctionem hanc exercentis actum iustitiæ circa alium, per distinctionem
B suppositorum, quæ est realis etiam quoad ipsas personalitates contrahentium; id enim faciunt, VI.
quia loquuntur de eiusmodi actibus, provt communiter & ordinariè exercentur, quomodo semper sunt inter naturas liberas, distinctas realiter, habentes iura & dominia, ac etiam suppositia realiter distincta, cùm naturaliter fieri nequeat, vt idem numero suppositum creatum duas naturas liberas realiter distinctas sustentet: at quia fides Catholica docet idem numero suppositum Verbi diuini sustentare simul & semel duas naturas liberas, & in illis deprehendimus sufficientem distinctionem dominiorum & iurium, de quibus illæ naturæ liberæ possunt disponere, & ratione quorum possunt mutuam aliquam obligationem inire, quod totum sufficit ad perfectum contractum iustitiæ, fit vt nobis non sit necesse recurrere ad distinctionem realem suppositorum inter contrahentes, cùm hæc potiùs assig-
C netur ab illis maioris explicationis, & facilitatis, quàm necessitatis gratia: sicut quia fides docet accidens posse dari absque vllo subiecto inhæsionis, fit vt licèt Aristoteles illud definierit per inhærentiam in subiecto, quia fortè non nouit accidens posse dari sine subiecto, nos fide illustrati accuratiùs illud definimus per aptitudinalem tantùm inhærentiam in subiecto. VII.

Secundò obiicitur, quòd alteritas est minor, eò etiam iustitia debet esse minùs perfecta: at alteritas Christi Domini, vt satisfacientis ad Deum, cui satisfacit, est tantùm suppositi, quæ à Theologis propriè non appellatur alteritas, sed potiùs alietas; rectè enim in symbolo S. Athanasij dicimus, *Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.* & rectè dicimus, *Pater est alius à Filio.* Item, *Filius est alius à Patre:* non tamen rectè dicimus, *Filius est alter à Patre*, quia hæc par-
D ticula *alter*, præter distinctionem personalitatis VIII.
importat distinctionem naturæ: Christus verò, vt Deus-homo satisfaciens, non habet aliam diuinam naturam à Patre. Respondetur, duplicem posse distingui alteritatem: vnam naturæ liberæ, iurium, & dominiorum eius; alteram suppositi: posteriorem non requiri absolutè, sed ad summum sufficere aliquam virtualem, quod hîc habet locum in Christo Domino, & quantùm spectat ad præsentem difficultatem, parum refert quomodo vocemus hanc contrahentium distinctionē, siue *alietatem*, siue *alteritatem*, dummodò sciamus illam in contractu strictæ iustitiæ non attendi penes distinctionem realem contrahentium, *quoad suppositia*, sed tantùm *quoad iura, dominia distincta, & naturas liberas distinctas.*

ARTICVLVS VII.

Soluuntur argumenta prioris sententiæ.

OBIICIES primò, Christus Dominus, vt satisfaciens, non est propriè alter ab eo, cui satisfacit; nam satisfacit Deo: at Christus propriè loquendo non est alter à Deo, cùm ipse-

I. Quo sensu possumus dicere Christum vt satisfacientem esse alterum à Deo, quatenùs hæc particula *alterum*, denotat Christum Dominum operantem liberè per actiones suæ humanitatis, quæ est aliqua natura realiter distincta à diuina cui satisfacit.

Tertiò obiicitur: Filius non est alter à patre, sed aliquid patris, & quasi eius pars, vt habet Aristoteles libro 1. Ethicorum capite 6. vnde nec inter patrem & filium est iustitia propriè & strictè sumpta, vt habet Aristoteles ibidem: sed Christus Dominus non tantùm vt Deus, est Filius Patris diuini, cui fit satisfactio, de qua hîc agimus, sed etiam quatenùs homo, est naturalis Filius Dei, & non adoptiuus, imò ex dicendis infrà quæstione 20. Christus est seruus Dei. Respondetur, filium dici ab Aristotele, aliis Philosophis, & Theologis, *semen decisum à patre*, & II. *partem patris*, ratione naturæ ab illo acceptæ per semen ab eo decisum: quo sensu Christus Dominus, vt satisfaciens per actiones humanitatis, non potest dici pars ipsius Dei, nec semen ab eo decisum: vnde cùm hæc natura humana eiúsque actiones liberæ, vt sustentatæ à Verbo diuino, sint soli Christo propriæ, etiam vt condistinguitur à diuinitate, & tribus eius personalitatibus, vt illam sustentantibus, fit vt satisfactio non sit iuxta hunc sensum filij ad patrem, nec partis ad suum totum, quia natura humana Christi Domini non est aliquo modo semen decisum à diuinitate, nec pars eius, cui tantùm primò & per se Christus, vt habens naturam humanam liberam, exercentem satisfactorios actus, satisfacit, quemadmodum notauimus nostro notabili.

III. Deinde constat exemplis humanis, contractum strictæ iustitiæ posse aliquando iniri inter patrem & filium, dominum & seruum, scilicet quando filius & seruus habent aliquod proprium ius & dominium, quod reperitur in Christo Domino. Tandem, etiamsi origo filij à patre impediret in humanis ne actus strictæ iustitiæ daretur filij ad patrem, illud tamen non haberet locum in Christo: nam in humanis id proueniret ex eo, quòd talis filius dependeat à patre, ab eo liberè acceperit suum esse: at si Christus attendatur secundùm suum suppositum, nullo modo dependet à Deo Patre, nec est ab illo liberè, sed est illi æqualis, & ab eo emanans necessariò: si item spectetur secundùm quod sustentat humanitatem, solus Filius illam sustentat seipso solo, absque vllo concursu aliarum personarum diuinarum.

IV. Nec obstat, quòd vnitio humanitatis ad Verbum fit à tota Trinitate, quæ potest illam dissoluere, nam id se tantùm habet *præsuppositiuè* ad sustentationē, illique sumptæ formaliter & præcisè, est extrinsecum: vnde talis satisfactio, vt sic formaliter, non definit esse propria soli Verbo incarnato, & ab aliis personis diuinis præcisè independens: nec hæc præsuppositio facit, vt talis sustentatio præcisè considerata sit aliquâ ratione sub communi dominio totius sanctissimæ Trinitatis, sed solummodò vt natura illa circa quam Verbum diuinum, vt ita loquar, exercet actum sustentationis, sit sub dominio Dei, quod propriè non infert dominium sanctissimæ Trinitatis in eiusmodi sustentationem, sicut nec eo, quòd aliquis potest substrahere oculo meo obiectum, sequitur illum habere aliquod dominium in meam visionem.

A Ad id verò quod obiicitur de filiatione naturali & seruitute Christi Domini ad Deum, patet ex dictis responsio: nam ostendimus nec filiationem, nec seruitutem impedire quin filij ad patrem, & serui ad dominum sit iustitia, dummodo vterque illorum habeat speciale, & distinctum dominium ab ipso patris & domini iure & dominio, quod Christum Dominum habere docuimus præcedenti articulo: & Christum 4 quatenus hominem non esse naturalem Filium Dei, sicut nec vt sic adoptiuum inferiùs ostendemus. V.

Quartò denique obiicitur, Vnius ad seipsum non est satisfactio ex stricta iustitia: at satisfactio Christi Domini erat non tantùm ad personam Patris & Spiritus sancti, sed etiam ad personam diuini Filij, quia erat ad Deum, vt offensum, & non sola persona Patris, vel Spiritus sancti, sed B etiam Filij erat offensa: imò & dantur quædam peccata hominum, quæ specialiter sunt contra Filium Dei, vt incarnatum, putà infidelitatis, blasphemiæ, hæresis circa mysterium Incarnationis; & nihilominùs Christus Dominus etiam satisfecit pro illis, cùm pro omnibus omnium hominum peccatis satisfecerit: igitur satisfactio Christi Domini hac ex parte non fuit ex virtute iustitiæ propriè dictæ. Respondetur, vnius ad seipsum secundùm vnam eandémque omninò naturam liberam, & secundùm eadem iura & dominia non esse satisfactionem ex stricta iustitia: at vnius ad seipsum, secundùm distinctas naturas liberas, distincta iura, & dominia posse esse actum strictæ iustitiæ: & satisfactionem Christi Domini non fuisse primariò & per se factam tribus personis diuinis, aut alicui illarum, sed diuinitati, nostro notabili ostendimus: vnde C nec Christus primò per se sibi, etiam vt est suppositum diuinum, satisfecit. VI. VII.

Tandem, ad id quod ibi additur de peccatis specialiter commissis contra secundam personam Trinitatis, & de eorum satisfactione, vt facta per Christum Dominum ex stricta iustitia, dictum est superiùs, quatenùs hæc persona sustentat diuinam naturam: provt verò sustentat humanam naturam, vel peccata sunt directè contra eius humanitatem: respondetur, quòd vt pro illis satisfiat ex stricta iustitia, sufficeret, vt pro illis satisfiat Deo; tum quia ille est vniuersalis omnium iudex, ad quem propriè spectat vindicare omnes & quascumque iniurias, non tantùm sibi, sed & cuilibet alij illatas, & quarum satisfactio ei facta, vt tali, non potest impediri per earum relaxationem non factam ab aliis, vt patet ex eo quòd si quis nostrûm grauiter offensus à proximo nolit ei remittere peccatum, ex D voluntate etiam maximè deliberata, & obstinata, si tamen is qui eum offendit satisfaciat abundè Deo, plenam eius remissionem obtinebit: tum quia Deus habet dominium in omnes res creatas, vnde iniuria illis illata fit ipsi Deo, quia illæ sunt aliquid Dei, & proinde qui pro illis satisfacit Deo, reddendo pluſquam æquualens, sicut fecit Christus Dominus, satisfacit etiam pro istis peccatis ex stricta iustitia: tum etiam quia in moralibus accessorium sequitur principale: at iniuria quæ per peccatum infertur, infertur principaliter Deo, vt patet ex definitione peccati, in qua fit mentio solius Dei, vt offensi, & non creaturæ. Igitur, cùm Christus Dominus plenè ex stricta iustitia satisfecerit huic iniuriæ, etiam satisfecit pro eodem peccato ex VIII.

I. stricta iustitia, vt redundat in proximum. Adde, quamuis hæc iniuria facta creaturæ non sit necessariò resarcienda, nihilominùs tamen quia Christus fuit omnium humillimus, mitissimus & ardore charitatis in omnes quàm feruentissimus, omnia illa peccata, vt suæ humanitati illata, liberalissimè condonauit, simúlque iniuriam illam minùs præcipuam, quæ solùm attenditur penes proximum, gratuitò condonauit, vt patet ex ipsa eius in cruce pendentis oratione pro illum crucifigentibus, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Nec propterea eius satisfactio pro omnibus peccatis censetur esse minus exstricta iustitia, quia hîc disputamus de illa per comparationem ad Deum, vt communem tribus personis diuinis, vel etiam per comparationem ad personas diuinas, quomodo peccatum infert præcipuam iniuriam, quæ illud *in esse peccati* consequitur. II.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm inter Deum & Christum fuerit pactio de acceptanda eius satisfactione pro nobis.

PARS affirmans videtur esse de fide: nam sacræ Scripturæ satis apertè eam declarant, Psalm. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi, holocaustum pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Quem locum Apostolus ad Hebræos cap. 10. & post illum Patres & alij Interpretes tam ad prædictum Psalmum, quàm ad citatum caput epistolæ ad Hebræos explicant de Christo, quatenus ille *mundum ingredient*, vt loquitur Apostolus, id est vbi cœpit esse homo, seu in primo illo instanti, quo Verbum diuinum per Incarnationem factum est homo, & vidit, Deum non ita posse placari sacrificiis veteris Legis, vt per illa nobis remitteret peccata, sed à se Christo postulare, vt immolaret se pro nobis redimendis; hoc enim est quod in vtroque loco intelligitur hac particulâ, *vt facerem voluntatem tuam*, tunc consensit in hanc Dei voluntatem, qui consensus exprimitur hac particulâ, *Tunc dixi, ecce venio:* & sic pactum istud, quod ex parte Dei fuerat inchoatum ab æterno, in primo illo instanti conceptionis Christi Domini, quo hæc voluntas Dei fuit ei proposita, completum & perfectum fuit etiam ex parte Christi Domini: & pro hac expositione huius vtriusque loci conformiter ad sensum nostræ propositionis, III. possunt videri omnes Patres & Interpretes ad hunc vtrumque locum, qui licèt varij sint in explicanda hac particula *in capite libri*, & exponendo quisnam sit ille liber, cuius ibi fit mentio; omnes tamen consentiunt totum illud ita intelligi de Christo, vt nomine voluntatis Dei, & hac particulâ, *Ecce venio*, mutuus ille contractus Dei & Christi Domini de offerenda eius morte, & acceptanda pro nobis redimendis intelligatur. Vnde Apostolus ad id magis explicandum, ita exprimit hunc consensum Christi Domini, *Ecce venio vt faciam voluntatem tuam*, omittendo istud, *In capite libri scriptum est de me:* quod tamen Psalmistes Regius interposuerat. IV.

Probatur eadem pars ex toto capite Isaiæ 53. vbi sæpè sub variis terminis hoc pactum explicat: exempli gratiâ, quando ait, *Si posuerit pro* A *peccato animam suam, videbit semen longæuum.* V. Ita & hoc, *Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur: in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates ipsorum ipse portabit: ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam.* Quem totum locum intelligendum esse de Christo satis expressè significat Philippus Diaconus in Actibus Apostolicis capite 8. dum ex iis quæ ibi apud Isaiam habentur, tanquam dictis de Christo Domino, accipit occasionem euangelizandi Christum Eunucho: tum etiam Apostoli, dum variis in locis multas partes huius capitis explicant de Christo Domino, vt primæ ad Corinthios 15. primæ S. Petri 2. primæ S. Ioannis 3. & alibi. Quòd autem locus ille contineat prædictum pactum, indicant istæ particulæ, *si, pro eo quòd, ideò*, quæ cùm sint conditionales, vel causales, seu denotent causam, vel B conditionem, propter quam Deus homines iustificaturit, esse ipsum passionem & mortem Christi Domini Deo oblatam pro nobis, quem- admodum fusiùs explicat S. Hieronymus ad totum illud caput Isaiæ. VI.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Deus, secluso pacto de acceptanda Christi Domini satisfactione, potuerit illam non acceptare.

DVÆ sunt hac de re sententiæ: vna negans, quæ est Vasquetij hac parte, disputatione quinta, capite sexto, & quorundam aliorum, qui tam hic, quàm primâ secundæ disputando de merito, volunt condignitatem operis cum eius ordinatione sufficere ad meritum, nec esse C opus pacto. Meliori tamen est Andreæ Vegæ lib. VII. 7. in Concilium Tridentinum capite 9. Suarij hac parte disput. 4. sect. 5. Albertini corolario 18. numero 44. & plurium aliorum recentiorum sententia, quam hac nostrâ propositione explicamus, *Deus, potentiâ suâ absolutâ, potuit absque vlla iniustitia, aut aliquâ aliâ imperfectione, sibi & suis attributis repugnante, non acceptare satisfactionem Christi Domini, pro humano genere redimendo.*

Probatur primò. Iudex in exercendo actu iustitiæ vindicatiuæ, seu punitiuæ, nunquam purè & simpliciter obligatur ad illum exercendum, circa aliam & distinctam personam ab ea, quæ verè & propriè offendit, seu quæ crimen commisit: sed acceptatio satisfactionis Christi Domini est quidam actus iustitiæ vindicatiuæ, quo Deus D vindicat iniquitates omnium hominum in ipso VIII. Christo, ex citato capite Isaiæ, quibus Christus ipse, secundùm se spectatus, nullo modo erat obnoxius, sed soli homines: igitur Deus, sublato pacto de acceptanda satisfactione Christi Domini pro nostris peccatis, non tenebatur illam accepta re.

Secundò probatur. Deus non magis obligatur admittere hanc, vel istam commutationem, vel compensationem ex iustitia commutatiua faciendam, quàm quilibet homo teneatur rem suam pretio æquiualenti sibi oblato vendere alteri, imò longè minùs, quia dominium Dei est absolutissimum, nulli subditum: ius autem cuiuscumque priuati hominis in rem suam est longè inferius, & subditum pluribus iuribus seipso altioribus, vt omnes satis norunt: sed nemo

I. hominum, absque aliquo pacto tacito vel expresso inter se & alium de vendendo & emendo, tenetur admittere hanc vel illam summam, licèt æquivalentem, in commutationem, vel compensationem rei suæ, vel fundi sui, per contractum venditionis & emptionis, qui pertinet ad iustitiam commutatiuam: actus autem ille iustitiæ, quo Christus Dominus satisfecit Deo pro nobis, pertinet ad iustitiam commutatiuam, vt patebit inferiùs. Igitur Deus, sublato pacto, non tenebatur acceptare satisfactionem Christi in redemptionem totius humani generis.

Tertiò: omnis verus contractus mutuus perficitur libero vtriusque partis consensu, & si desit consensus vnius, licèt consensus alterius ponatur, non obligat; tum quia desinit esse mutuus; tum quia omnis obligatio est liberæ voluntatis: atqui ipsa exhibitio satisfactionis per Christum facta pro nobis Deo, est verus quidam mutuus II. contractus, quia est actus iustitiæ commutatiuæ, vt patebit inferiùs: sola autem satisfactionis exhibitio facta per Christum illam offerentem Deo pro nobis, seclusâ pactione Dei illam acceptantis, solummodò consensum Christi Domini vnius duntaxat partis continet, ergo talis contractus non est mutuus, ergo præcisè consideratus Deum vt aliam eius partem non obligat.

Quartò, voluntas Christi exhibentis hanc satisfactionem non fuit potentior ad faciendum, vt boni eius actus liberi ex se sufficienter ad infinitè merendum essent reipsâ & de facto satisfactorij tantùm pro istis, & non pro aliis, quàm voluntas Dei ad non acceptandum: quia sicut Christus est Dominus sui actus boni & satisfactorij, & potest illum ordinare in bonum & vtilitatem huius & istius, non ordinando illum in III. bonum aliorum: ita & Deus est absolutus Dominus remissionis, siue præmij, ad quod Christus Dominus tales suas actiones ordinat: sed Christus Dominus potuit facere, & de facto fecit, vt actus eius satisfactorij, aliàs ex se & ex suo valore infinito sufficientes pro redimendis dæmonibus & hominibus; essent reipsâ tantùm satisfactorij pro hominibus, & adhuc vt aliquibus tantùm, & non omnibus applicarentur efficaciter, vt patet ex eo quòd multi pereunt, (putà infantes in vtero materno morientes, & alij plures, quibus nec mors Christi Domini prodest, nec eius meritum applicatur.) Ergo pari modo potuit Deus, pro sua libertate & summo iure, absque vlla nota cuiuslibet minimæ imperfectionis, nolle ista acceptare ad hunc finem, seclusо omni pacto & promissione à se facta de illis in hunc finem acceptandis. IV.

A & ex consequenti nullo fuit opus pacto. Maior probatur in furto, cuius restitutio à quocunque facta domino ad æqualitatem rei furto ablatæ, est vera satisfactio, etsi dominus rei furto ablatæ nolit illam recipere, obligatio debitoris, seu furis cessat. Deinde probatur ratione: vbi inæqualitas facta per damnum reducitur ad æqualitatem, & iniustitia commissa ad iustitiam, ibi nihil amplius remanet soluendum, vel satisfaciendum, & proinde vel creditor tenetur illud acceptare, vel ipse debitor eximitur ab obligatione, quia hæc obligatio satisfaciendi potest tantùm esse vt seruetur iustitia, cuius proprium munus est reducere iniustitiam ad iustitiam, & inæqualitatem ad æqualitatem: sed quando satisfactio fit æqualis debito, vel damno pro quo offertur, tunc inæqualitas ad æqualitatem, & iniustitia ad iustitiam reducitur, etiamsi nullum pactum de B admittenda tali solutione vel satisfactione præcesserit: igitur tunc creditor tenetur, velit, nolit, talem solutionem & satisfactionem acceptare. V. VI.

Respondetur, Maiorem purè & simpliciter enuntiatam esse falsam, vt rationes pro nostra propositione ostendunt. Ad primam probationem eius petitam à furto respondetur, aliam longè esse rationem puræ & simplicis restitutionis à ratione veræ & propriè dictæ satisfactionis, pro vt hæc duo à se inuicem distinguuntur, vt iam obseruauimus; nam illa versatur duntaxat circa res, nec vlla ibi habetur ratio dignitatis personæ, sed tantùm ipsius damni illati in rebus proximi, sicut & in ipsa venditione & emptione nulla habetur ratio personarum, sed rerum duntaxat: ideóque perficitur solâ positione æqualitatis rei ad rem: quare quando res per furtum sublata restituitur domino, non quidem ab ipso fure, sed ab alio qui in bonum furis hoc onus C VII. suscipit, tunc obligatio ad restituendum cessat in ipso fure: & si dominus rei furto ablatæ nolit talem restitutionem acceptare; nihilominùs fur manet tutus in conscientia: at satisfactio, quia versatur circa personas & earum actiones, ad quas iuxta moralem prudentum æstimationem in particulari consideratur, dicit specialem ordinem: ideò vt hic illarum specialis ordo, & illud ipsum ius inde proueniens ad istas personas seruetur integrum & illæsum, requiritur acceptatio ex parte illarum: quod etiam habet locum in ipsa punitione furti; nam licèt alius à fure possit facere restitutionem domino, ad quam acceptatio domini non requiritur ob rationem à nobis superiùs allatam: si quæ tamen pœna siue mortis, siue alia in corpore luenda sit ex ipsa constitutione iuris, vel Principis, tunc non po- D VIII. test alius à fure, etiam volens illam pro illo soluere, quia talis pœnæ inflictio respicit talem personam in particulari, & vt hoc fieret, opus esset speciali acceptatione Principis, aut Reipublicæ.

Ad secundam probationem eiusdem Maioris petitam à ratione, respondetur consentaneè ad ea quæ nunc diximus, eius Maiorem ad summum esse veram de illa inæqualitate, quæ tantùm versatur propriè circa res, non autem de illa quæ versatur circa personas & actiones, vt ibi est explicatum, & patet in eo qui læsit Magistratum, cui non fit satis, si alius ab eo, qui eum læsit, punitur ex libera eius voluntate; sed ratio iustitiæ postulat, vt vel pars læsa acceptet illam, vel si nolit acceptare, semper reputabitur nulla, seu pro non facta.

ARTICVLVS X.

Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.

OBIICITVR primò, quotiescumque satisfactio ex stricta iustitia est æqualis debito pro quo offertur, creditor non potest eam non acceptare, aut si non acceptet, velit, nolit, totum debitoris debitum extinguitur: sed satisfactio Christi Domini pro hominibus fuit ex stricta iustitia, vt potest intelligi ex eius conditionibus sigillatim explicatis, & ex dicendis adhuc patebit, & illa fuit plusquàm æqualis debito, cùm reddat plusquàm æquivalens: igitur Deus qui est creditor, non potest illam non acceptare,

I. Secundò obiicitur, quilibet actus satisfactorius Christi Domini est potentior quocumque peccato mortali, vt intelligitur ex dictis suprà de infinito eius valore: sed ad hoc vt mortale peccatum, quodcumque illud sit, inducat amissionem gratiæ sanctificantis, & obligationem subeundi pœnam æternam, nullum hac de re prærequiritur pactum, sed solà vi suæ malitiæ & grauitatis facit hoc vtrumque: ergo & actus Christi Domini ad æqualitatem satisfactorius nullum etiam pactum prærequirit, sed solà vi suæ perfectionis inducit obligationé, quâ Deus tenetur illum acceptare in satisfactionem eius debiti, ad cuius solutionem ordinatur à Christo Domino. Respondetur, concessâ Maiore, argumentum istud afferre non causam pro vera causa; nam causa ob quam satisfactio facta per alium postulet acceptationem illius à persona

II. læsa, non est minor eius excellentia, sed propria & natiua eius conditio, vt explicatum est, tam rationibus nostræ propositionis, quàm solutione præcedenti; sicut quòd peccatum mortale statim seipso inducat obligationem pœnæ æternæ, absque vllo pacto de hac re facto, habet à sua naturali conditione, quâ est mortale, quatenùs tale peccatum facit ipsum delinquentem obnoxium pœnæ æternæ, & talem inducit maculam, quæ habeat incompossibilitatem cum gratia sanctificante, in quibus duobus ipsa spiritalis mors animæ consistit: at vera causa quæ Deum obligat ad acceptandum satisfactionem Christi Domini pro nobis redimendis, non est ipse valor eius operum nudè & simpliciter consideratus, sed provt habet pactum de illis acceptandis, ob rationem pro nostra propositione

III. allatam.

Tertiò obiicitur. Si satisfactio Christi Domini, vt sit ex stricta iustitia, adhuc postulet pactum inter Deum & Christum; sequitur eum non satisfeciſſe ex stricta iustitia pro peccatis eorum, qui præceſſerunt Incarnationem Verbi diuini, quia pactum sit ex mutuo consensu contrahentium, & proinde supponit existentiam vtriusque: Christus autem, vt homo-Deus, non erat ante peractum mysterium Incarnationis: at istud consequens est absurdum, nam eodem modo redemit totum genus humanum: ergo tale pactum inter Deum & Christum non fuit necessarium, vt eius satisfactio esset ex iustitia. Respondetur, negando sequelam Maioris, ad cuius probationem, admisso quòd pactum debeat esse ex mutuo consensu contrahentium; Respondetur, partes ineuntes pactum præsens fuisse Deum & Christum, Deum-hominem, va-

IV. dem totus generis humani, consensum Dei in tale pactum fuisse reipsâ ab æterno, consensum verò Christi Dei-hominis in illud idem pactum considerari duobus modis: primo, vt verè & de facto existit per verum & realem actum voluntatis humanæ Christi Domini, & sic fuisse tantùm in tempore, seu statim atque peractum est mysterium Incarnationis, vt patet ex dictis articulo præcedenti. Deinde ille idem consensus Christi Dei-hominis in tale pactum potest considerari provt existit ab æterno secundùm infallibilem Dei præuisionem, provt Deus statuit ab æterno pactum istud non tantùm proponere Christo in primo instanti conceptionis eius perfectæ, sed etiam facere efficaciter, vt isto instanti Christi voluntas in illud liberrimè consentiret, & ita futurum infallibiliter præuidit. Ad hoc

A autem vt Deus ex vi istius pacti remittat peccata hominibus antecedentibus mysterium Incarnationis, non fuit necesse pactum istud etiam ex parte Christi in reipsa priori modo compleri & perfici, priusquam Deus remitteret peccata istis hominibus; sed fuit satis quòd ex parte Dei iam esset completum & certissimum: item quòd liberrimus consensus Christi Domini in tale pactum esset à Deo infallibiliter præuisus, & hoc ita contigisse patet ex dictis articulo præcedenti. Istud autem sufficere probatur: vt aliqua causa agat tantùm moraliter, & moueat aliquod agens per intellectum & voluntatem, sufficit, vt talis causa existat in præuisione talis agentis; hæc enim causalitas est ad modum causæ finalis; finis autem vt agat & moueat ad agendum, non postulat realem sui existentiam, sed esse tantùm in præuisione & cognitione agentis: atqui actus

B Christi Domini, siue meritorij, siue satisfactorij pro hominibus, qui præceſſerunt realem executionem mysterij Incarnationis, vt in isto pacto inter Deum & Christum Dominum inito fundati, erant tantùm causa moralis remissionis peccatorum, & gratiæ istis hominibus concessæ, quatenùs fuerunt Deo motiuum, propter quod remisit istis hominibus peccata, & contulit eis omnes gratias, quas de facto habuerunt: ergo licèt pactum istud in reipsa nondum esset completum ex parte Christi, quatenùs nondum realiacta suæ voluntatis humanæ illud acceptauerat; quia tamen hæc eius acceptatio erat ab æterno præsens ipsi Deo, quoad certam & infallibilem præuisionem, omnes illi qui ante peractum hoc mysterium iustificati sunt, totum istud sunt consequuti ex vi meritorum Christi Domini, & huius pacti inter Deum & Christum initi: atque

C iuxta hunc sensum Christus vetus agnus dicitur Apocalypsis 13. *occisus ab origine mundi*: quatenùs sanguis Christi Domini effusus in Passione cæpit ab ipsa mundi origine operari salutem hominum, quando Deus intuitu illius tam primis nostris parentibus, quàm aliis contulit omnes gratias quas vnquam habuerunt.

Secundò, potest responderi, & solutio præcedens confirmari: aliquam promissionem posse fieri alicui absenti etiam ignoranti sub conditione onerosa, itavt consensu eius postea accidente, contractus qui initio tantùm erat veluti inchoatus, ob vnius duntaxat partis consensum, tunc vbi consensus alterius aduenit plenè perficiatur, & obligatio vtriusque exurgat: imò si qui promittit prior præuideat certò & infallibiliter futurum consensum & acceptationem alterius, cui sub tali onere promisit aliquid; tunc

D potest anticipatâ solutione tribuere, vel totum quod promisit, vel aliquam eius partem, quæ præsens exhibitio, quia est sub spe & expectatione certissima, quòd alter conditionem & opus à se requisitum exequetur, tunc habet rationem actus iustitiæ, cùm ibi intercedat, *Do vt des*. Et id facile videre est in quotidianis contractibus, in quibus vna tantùm pars consentit expresè, similque exequitur quod promittit, & Scriba publicus, seu Notarius acceptat nomine absentis etiam totum istud negotium quod tunc geritur ignorantis; qui tamen contractus quia cedit in bonum illius, & morali certitudine præuiderur consensurus, non desinit esse validus. Pari modo Deus apud Isaiam cap. 53. promisit Christo nondum nato temporali generatione, quòd si vellet mori pro nobis, ipse iustificaret

V. VI. VII. VIII.

I. nos, & hoc cessurum in maximum honorem Christi Domini, *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur, pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur in scientia sua. iustificabit ipse iustus filius meus multos.* Et quia Deus, cuius voluntas est omnipotentissima, & cognitio certissima, nullo modo poterat dubitare de consensu Christi Domini futuro in hunc contractum; talis contractus Dei cum Christo non desiit esse validus, & ipsa iustificatio hominum, qui temporalem Christi generationem præcesserunt, esse facta ex meritis & satisfactione Christi, tanquam veris actibus iustitiæ propriissimè dictæ.

Quartò obiicitur. De ratione satisfactionis infinitæ, quatenùs est infinita in genere satisfactionis, est quòd non possit non acceptari; nam excusatio creditoris nolentis illam admittere, vt II. culpâ, etiam oppositâ debito honestatis, careat, debet fundari in aliqua causa rationabili & honesta sese tenente ex parte rei in satisfactionem oblatæ: vbi autem res quâ satisfit est absolutè infinita in genere satisfactionis, nulla ex parte illius potest dari causa honesta & rationabilis, cur non admittatur. Sed Christi Domini satisfactio est absolutè infinita in genere satisfactionis, vt patet ex dictis suprà de eius valore: igitur illa per Christum oblata non potest non acceptari, & proinde non indiget aliquo pacto, & promissione de illa acceptanda, vt sit & dicatur esse ex stricta iustitia, Respondetur, Maiorem esse verâ de ea tantùm satisfactione, quæ in seipsa complectitur omnes & singulas conditiones veræ & legitimæ satisfactionis, provt satisfactio condistinguitur à restitutione, de cuius præcisa ratione est, quòd fiat ab ipsa eadem persona quæ læsit & irrulit iniuriam, vel si fiat per aliam, tunc is qui læsus est, & cui illa fit, consentiat illam sibi fieri per alium, & eam acceptet talem; sicque semper requiritur pactum, quantumcunque satisfactio per alium oblata sit ex aliis suis conditionibus perfecta, imò & infinita. Quare cùm Christus Dominus nullo modo pro seipso, sed pro nobis tantùm Deo satisfecerit, vt hæc eius satisfactio resarciret iniuriam, quam Deo intulimus per nostra peccata, & Deus obligaretur illam acceptare ab alia persona quæ illum non læserat, debuit pactum & promissio Dei de illa acceptanda interuenire.

Quintò obiicitur. Datur inter homines aliquod bonum opus absque pacto factum, cui citra iniustitiam merces non potest denegari: exempli gratiâ, si quis non conductus, probè tamen & valdè vtiliter excolat vineam alterius, cuius rei nulla potest alia reddi ratio, quàm quòd bonum opus postulet ex vi sua præmium sibi correspondens. Ergo quia satisfactio Christi facta ad æqualitatem, est longè perfectior in genere satisfactionis, & præmium ei correspondens sit redemptio totius generis humani; tale meritum citra iniustitiã (quæ tamen non potest in Deum cadere) non poterit ei denegari à Deo, & ex consequenti Deus tenebitur illam acceptare, excluso etiam omni pacto. Respondetur, *duplex posse distingui pactum*, similiter *duplicem* posse distingui *acceptationem operis ad mercedem pro illo solvendam*. Primum pactum est *tacitum* ex tacita voluntate eius, in cuius bonum & vtilitatem tale opus cedit, vel ex ipso vsu hominum ibi recepto, vbi opus ipsum perficitur. Secundum est A *expressum*, quando scilicet expressa conuentio de soluendo tali pretio pro tali opere, interuenit inter dominum & operarios eius; quodlibet ex istis duobus pactis sufficere: de posteriori dubitari non potest: de priori patet, quia tacitus consensus in re morali æquipollet expresso: item vsus communiter receptus est quædam consuetudo, & hæc habet vim alicuius legis. Hoc prænotato, respondetur ad Maiorem huius quintæ obiectionis, quòd ratio propter quam alicubi apud certos quosdam homines, etiam absque vlla pactione in casu maioris propositionis, assignatur merces isti operario, hæc non sit quòd bonum opus ex vi sua postulet, & iure suo exigat præmium sibi correspondens: sed hæc, quòd ibi interueniat tacitus consensus domini illius vineæ, vel quòd istud sit eo loci communi vsu hominum receptum; aliàs tunc loquendo iuxta rigorem, nullum debetur isti operario stipendium pro isto opere, & qui ita excoluit vineam B VI. proximi, sibi imputet quòd nullam mercedem accipiat: alioqui si esset debita, posset etiam quis, inuito domino, in istud opus sese intromittere; quod est contra rationem veri & absoluti dominij. Pari ergo iure, vt satisfactio fiat per alium, quàm à persona quæ læsit, requiritur aliquis consensus, & illius acceptatio tacita vel expressa eius cui talis satisfactio redditur, aliàs quantumcunque sit rei pluisquàm æquiualentius, defectu huius solius conditionis erit insufficiens.

Vltimò obiicies. Deus nihil potest facere contra sua attributa, aliàs potest seipsum destruere, qua Deus & attributa Dei sunt formaliter vnum & idem: nec item voluntas Dei, & voluntas Christi possunt à se inuicem dissidere in aliquo ellicaciter volito, vt III. C VII. patebit inferiùs quæstione 19. sed si Deus non acceptaret infinitam satisfactionem Christi Domini factam ad æqualitatem, faceret contra attributum iustitiæ, vt sanctus Anselmus expressè docet libro secundo, *cur Deus homo*, capite 19. vbi loquens de illa sic scribit, *enim autem, qui tantum donum sponte dat Deo, sine retributione debere esse non iudicabis; imò necesse esse video, vt Pater Filio retribuat, aut iniustus esse videatur. si nollet, aut impotens, si non posset, quæ aliena à Deo sunt.* Similiter esset contra attributum bonitatis, quia esset efficax nolitio humanæ reparationis, quæ tamen reparatio maximè decet bonitatem Dei, vt obseruauimus articulo primo primæ disputationis agendo de conuenientia huius mysterij. Demque diuina voluntas & humana Christi Domini dissidere non possunt IV. D VIII. in volito efficaci; Christus autem ex ardenti & efficaci affectu posset illam præsentare Deo, & Deus efficaciter nolle illam acceptare, quam tamen voluntatum dissensionem repugnat dari. Igitur Deus, seclusò pacto de acceptanda satisfactione Christi Domini, non potuit illam sibi à Christo Domino ex stricta iustitia exhibitam non acceptare. Respondetur, concessâ Maiore, negando Minorem; ad cuius probationem fundatam in authoritate sancti Anselmi respondetur, eum ibi non loqui ad sensum prioris sententiæ, sed tantùm suppositâ pactione Dei cum Christo Domino, de offerenda morte sua & illa acceptanda in redemptionem totius humani generis, vt facilè intelligitur ex duobus eius præcedentibus capitibus. Nam ibi tam in Deo quàm in Christo duplicem distinguit ne-

cessitatem

I. cessitatem; vnam antecedentem, seu quâ ex aliqua suppositione antecedenti aliquid sequitur necessariò: alteram necessitatem consequentem, seu quâ aliquid intelligitur poni, eâ suppositione factâ, in qua positio ipsius rei includitur: exempli causâ, posito quòd homo currat, necessariò currit, quæ necessitas non est rei, sed illationis tantùm, vt rectè notat sanctus Thomas in quæstionibus disputatis de veritate, quæstione vigesima-quartâ, articulo primo, in responsione ad decimum-tertium: iuxta quam consequentem necessitatem sanctus Anselmus ibi ait necesse esse aliquid esse, quia voluntas tam Christi quàm Dei, liberè quidem, sed tamen efficaciter ita fieri statuit, & iuxta hanc eandem necessitatem consequentem ait fuisse necesse Christum Dominum mori pro nobis, & Deum acceptare mortem Christi Domini

II. in nostram satisfactionem; alioqui fore iniustum, scilicet quia pretium quod ibi offertur, est plusquàm æquiualens, & insuper mutua pactio vtrumque obligans interuenit. Quo etiam sensu Apostolus ad Hebræos sexto capite dicit, Deum non fore ita iniustum, vt obliuiscatur nostrorum bonorum operum, quia scilicet nobiscum pepigit dare nobis vitam æternam in præmium, & compensationem illorum; vnde ex tali pactione resultat quædam species iustitiæ inter illum, vt præmiantem, & nos vt benè merentes apud illum. Ad id verò quod ibi in confirmationem affertur de attributo diuinæ bonitatis, negatur necessitatem

III. huius pactionis in satisfactione Christi Domini ad nos redimendos repugnare diuinæ bonitati: nam est perfectæ voluntatis, qualis est diuina, non tantùm velle bonum, sed etiam velle illud benè & conuenienter fieri: nec ex efficaci volitione illius conditionis rectè potest inferri absoluta volitio reparationis totius humani generis, quin potiùs benè ordinata illius volitio, & tantæ rei admodum conueniens, quatenus voluit Deus in tanto mysterio misericordiam, seu bonitatem suam, & iustitiam simul concurrere: quare cùm satisfactio facta pro alio postulet essentialiter acceptationem sui à persona læsa per alium; cùm Deus vellet Christum sibi loco totius humani generis satisfacere, debuit hæc pactio de illa acceptanda interuenire. Tandem ad id quod secundo loco in confirmationem obiicitur de dissensu voluntatum Dei, & Christi Domini in volito efficaci, negatur talem dissensum sequi ex necessitate huius pactionis; cuius rei hæc

IV. est ratio, quòd efficax voluntas Christi Domini semper conformis fuit diuinæ voluntati, tam in volito materiali, quàm in formali, nec potuit esse illi disformis, vt inferiùs ex professo docebitur quæstione 18.

ARTICVLVS XL.

Vtrùm pactum Dei cum Christo, de acceptanda eius satisfactione pro nobis, minuerit in illa rationem strictæ iustitiæ.

PARS affirmans quibusdam videtur vera: melior est tamen contraria sententia, quam hac nostra propositione explicamus: *Pactum istud nullo modo minuit rationem strictæ iustitiæ in satisfactione Christi Domini.* Probatur, in

A tantum aliquod pactum diminuit rationem strictæ iustitiæ in aliquo contractu, in quantum facit, vt pretium, quod ex se non erat proportionatum mercedi, sit ei condignum ex acceptatione conferentis eiusmodi mercedem (quâ ratione appellatur *pactum intrinsecum*, quia aliquo modo ingreditur ipsum pretium, estque loquendo moraliter aliqua eius pars:) quando verò pactum importat solummodò conuentionem contrahentium de vendendo & emendo, dato tamen & soluto pretio condigno rei emendæ, (quâ ratione ad distinctionem alterius vocatur *extrinsecum*) tunc nullo modo diminuit rationem strictæ iustitiæ, vt docet communis vsus & experientia, dum quotidie fiunt apud nos contractus venditionis, emptionis, locationis, & alia id genus: atqui pactum Dei ad

B Christum præcedenti articulo explicatum, non facit vt pretium illud, quod Christus Dominus obtulit Deo pro nobis redimendis, sit condignum, quasi afferat ei condignitatem: suprà enim ostendimus quemlibet actum satisfactorium Christi Domini esse plusquàm sufficientem pro omnibus peccatis omnium hominum: ergo pactum istud nullo modo minuit rationem strictæ iustitiæ in satisfactione Christi Domini.

Obiicies primò, vbi in aliquo contractu interuenit quædam gratia creditoris, ibi ratio perfectæ & strictæ iustitiæ minuitur, quia gratia & debitum opponuntur apud Apostolum: atqui satisfactio Christi, quamuis sit valoris absolutè infiniti in suo genere, vt tamen nobis prodesset in remissionem, pactum Dei defilla in hûc finem

C acceptanda debuit interuenire, vt est probatum articulo præcedenti: ergo ratio perfectæ & strictæ iustitiæ est per tale pactum diminuta in satisfactione Christi Domini. Respondetur, concessâ Maiore, ad eius Minorem, pactum istud fuisse solummodò *extrinsecum*, quod ex se & sui conditione nullâ sui parte derogat perfectioni requisitæ in actu perfectæ iustitiæ, vt patet ex fundamento nostræ propositionis.

Secundò obiicies. Vbi aliqua pars debiti gratuitò & merè liberaliter remittitur ab ipso creditore, ibi ratio perfectæ & strictæ iustitiæ minuitur: atqui Deus cui nos omnes eramus debitores per peccatum quodcunque tam originale, quàm actuale, pascisscendo pro nobis cum Christo, tanquam nostro vade, remisit nobis partem admodum notabilem totius debiti, quod per quodlibet istorum peccatorum incurreramus; nam tam

D per peccatum primi nostri parentis, in quo peccauimus, quàm per quodcunque mortale incurrimus debitum carendi omnibus auxiliis supernaturalis gratiæ excitantis & adiuuantis, quibus possemus à statu peccati resurgere ad statum gratiæ; & debitum hoc fuit aliqua notabilis pars totius nostri debiti, cùm præter istud incurrerimus etiam debitum pœnæ æternæ, & plura id genus: ista autem pactio Dei cum Christo Domino est liberalis & gratuita quædam remissio istius debiti; tum quia Deus non tenebatur illam facere; tum etiam quia per illam carentia huius debiti tollitur à nobis, quatenus tales reddimur, qui possimus habere ex meritis Christi Domini prædicta gratiæ auxilia ad resurgèdum à peccato ad statum gratiæ sanctificantis, & eâ mediante ius perueniendi ad vitâ æternam: igitur per hanc pactionê Dei cum Christo Dipsa ratio strictę iustitiæ censetur fuisse diminuta in eius satisfactione.

V. VI. VII. VIII.

I. Maior est per se, & ex dictis circa definitionem perfectæ satisfactionis euidens & certa. Minor quoad illam partem, quæ asserit nos tam per peccatum originale, quàm actuale mortale contraxisse debitum carendi auxiliis gratiæ, probatur ex sanctis Patribus, vt Celestino Papâ primâ suâ epistolâ, capite quarto, Prospero responsione 8. ad capitula Gallorum, & in responsione 3. ad excepta Genuensium; Fulgentio capite 12. & 13. Bernardo libro de gratia & libero arbitrio circa medium, & aliis asserentibus nos per peccatum primi parentis contraxisse quoddam debitum carendi perpetuò omni sanctâ cogitatione, quâ benè operaremur, & conuerteremur ad Deum. Addi etiam potest nos per hoc peccatum contraxisse etiam debitum carendi redemptore: quare cùm Deus liberaliter & gratuitò dederit nobis hominem-Deum in nostrum redemptorem, totum nostrum debitum fuit hac ex parte imminutum, & ex consequenti satisfactio Christi Domini pro nobis non fuit ex stricta iustitia.

II. Respondetur, concessâ Maiore, ad eius Minorem, hæc duo distingui. Primum est, *istud debitum ibi recensitum fuisse nobis à Deo, remissum gratuitò*: hoc sensu, quòd cùm pro suo iure, & pro grauitate nostrorum peccatorum, posset nos relinquere in illo statu damnationis æternæ, in quo constituebamus nos per prædicta peccata; attamen ex sua erga nos charitate, voluerit acceptare satisfactionem Christi Domini pro nobis ad vitam æternam reducendis. Et hoc aliud, scilicet *ipsum Deum, respectu Christi Domini nostri erga illum sponsoris, & vadis, remisisse prædictum istud debitum gratuitò*, nullo etiam accepto pretio ei æquiualenter correspondente. Primum quidem ex his duobus verum est, & arguit gratiam, eâmque in suo genere maximam: iuxta illud Christi Domini apud sanctum Ioannem capite tertio, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*. Sed quæ sic præcisè spectata, nihil aliud includit quàm pactum extrinsecum, superiùs explicatum de acceptanda pro nobis satisfactione Christi Domini. Secundum verò est falsum, quia Christus Dominus, sponsor noster, non tantùm satisfecit pro nostris peccatis, sed dedit etiam plusquàm æquiualens ipsi Deo, pro tali nostro debito carendi in perpetuum prædictis auxiliis gratiæ supernaturalis: nam Apostolus ad Romanos quinto capite, conferens nostra peccata cum eo quod Christus satisfaciendo nobis apud Deum procurauit, ita ait, *Non sicut delictum, ita & donum*. & ibidem, *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia*. Ergo Christus Dominus ampliùs satisfecit, quàm debebamus: ergo cùm non essemus tantùm debitores reatus culpæ mortalis & pœnæ æternæ, sed etiam & istius debiti carendi omnibus auxiliis gratiæ, & Christus Dominus satisfaciendo soluerit pretium plusquàm æquiualens omnibus & singulis nostris totius humani generis debitis, etiam satisfecit pro hoc nostro debito carendi omnibus auxiliis gratiæ supernaturalis. Deinde Christum nobis etiam promeruisse remissionem istius debiti infrà quæst. 19. docebitur ex professo.

III. Quare, cùm Deus tunc nihil diminuerit de tali rigoroso pretio, tam nostrorum peccatorum, quàm specialis istius debiti, satisfactio Christi Domini facta pro nobis semper fuit hac ex parte de rigore strictæ iustitiæ: & potest istud hoc

A familiari exemplo illustrari; Petrus, verbi gratiâ, fuerit grauiter offensus à vicino suo, ratione cuius offensionis vicinus ille sit indignus cui Petrus diuendat suam domum, iam accedat aliquis tertius acceptus Petro, & valdè potens apud illum, qui ei, pro istâ speciali ingratitudine ex eius acceptatione satisfaciat condignè, & insuper depromat ex suo thesauro summam pecuniæ excedentem iustum pretium prædictæ suæ domus, eique pro emptione istius domus in commodum & vtilitatem prædicti vicini offerat, Petrus verò eam acceptet, quia in tali venditione nulla est facta gratia, quâ pars aliqua debiti contracti per ingratitudinem, vel etiam iusti pretij domus sic diuenditæ gratuitò & liberaliter remitteretur, sed eius vtriusque tantùm voluntaria acceptatio præcessit, hæc emptio censetur esse facta de rigore iustitiæ. Deus fuit per nos gratuiter offensus, inde contraxeramus B debitum carendi prædictis gratiæ tam excitantis, quàm adiuuantis auxiliis: Christus, persona gratissima & acceptissima Deo, sese & suas actiones satisfactorias valoris infiniti, omnium nostratum offensarum grauitatem excedentis, offert Deo tam pro remissione debiti carendi prædictis gratiæ auxiliis, quàm pro remissione omnium nostrorum peccatorum, sit vt, quia per talem solutionem nihil est diminutum, vel etiam gratis remissum de iusto pretio vtriusque debiti, illa liberalis volitio Dei, quâ voluit nobis remittere debitum istud carendi prædictis auxiliis, sit quidem respectu nostri vera quædam & propriè dicta gratia: respectu verò Christi Domini, eius meritorum, & satisfactionis sit propriè merces & iusta compensatio ei debita.

C Atque eodem modo satisfit ei, quòd additur in confirmationem secundi huius fundamenti: nam eo ipso quo Christus Dominus, sine aliqua diminutione strictæ iustitiæ satisfecit Deo etiam pro illo debito carendi prædictis auxiliis in perpetuum, quia hæc auxilia tali modo apud Deum nobis promerita, supponunt redemptorem dari nobis, Christus satisfaciendo ex stricta iustitia pro illo priori debito, simul etiam satisfecit pro illo debito carendi redemptore, quod in ista obiectione dicimur incurrisse.

IV. Deinde quando sancti Patres, & alij Theologi dicunt nos per quodcumque peccatum mortale & originale incurrisse prædictum, vtriusque debitum: mens illorum non est malitiam nostrorum peccatorum esse tantam, quæ ex aliquo debito iustitiæ, aut alicuius alterius D ex perfectionibus Dei, exigat, vt nunquam Deus det nobis istâ auxilia vtriusque gratiæ, quasi si nobis det illa, sit aliquid facturus contra attributum suæ iustitiæ, aut aliquod aliud; nihil enim tale datur, aut fingi potest in Deo: nam illud esset oppositum eius misericordiæ & bonitati, quibus non potest magis seipsum spoliare, quàm ipso suo attributo iustitiæ: nec malitia alicuius peccati, quantumcunque grauis, potest esse tanta & tam enormis, cui condonando & remittendo misericordia Dei & eius bonitas non possint applicari. Inde enim sanctus Ambrosius libro secundo de Cain & Abel, capite nono, sanctus Hieronymus epistolâ decima-tertiâ ad Damasum: sanctus Gregorius in Psalmum quinquagesimum, & alij condemnant hanc vocem impiam Cain desperantis,

V. VI. VII. VIII.

I. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Sed sensus prædictorum Patrum est, quòd culpa mortalis ita deturpet & inficiat hominem, cúmque dignum odio Dei reddat, vt nihil sit in eo, quatenus est in tali statu, vnde Deus ex aliquo debito vel meriti de congruo, vel etiam honestatis, teneatur illum ad gratiæ statum reducere, quin potiùs, si velit seruare rigorem iuris, possit eum deserere, eíque pœnam æternam quam meruit iustè infligere.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm satisfactio Christi Domini fuerit ex iustitia propriè dicta.

QVI præcedentibus articulis negant conditiones perfectæ iustitiæ ibi explicatas habuisse locum, propriè loquendo, in satisfactione II. Christi, consequenter negant illam fuisse ex iustitia propriè dicta. Contraria tamen sententia videtur nobis melior, pro qua sit hæc nostra propositio, *Christus Dominus pro nobis Deo satisfecit ex stricta iustitia.* Ita sentiunt omnes qui sequuntur nostras propositiones præcedentium articulorum, & præter authores ibi citatos eam tradunt in terminis expressis Bannes ad secundam secundæ quæstione 37. articulo 4. in dubio circa secundam conclusionem, in responsione ad secundum, & quæstione sequenti articulo 2. Suarez hac prima quæstione, disputatione 4. sectione 5. Albertinus tomo 1. corollariorum in 18. corollario, difficultate tertiâ, & plures alij.

Probatur primò, ex modo loquendi sacræ Scripturæ, de ipsa satisfactione Christi Domini, vt III. capite 5. ad Romanos vbi Apostolus illam vocat *iustitiam. Sicut per vnius*, scilicet Adæ, *delictum in omnes homines in condemnationem*, *sic & per vnius*, scilicet Christi, *iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Quo loci ipsam Christi Domini satisfactionem pro nobis Deo Patri exhibitam ita vocat *iustitiam*, vt Græca editio illam exprimat, termino importante actum strictæ iustitiæ, nimirum Δικαίωμα. Item ad Romanos capite 3. de Christo ita dicitur, *Quem proposuit Deus ad ostensionem iustitiæ suæ.* Quo loci, vt S. Thomas ibi lect. 3. explicat, Apostolus agit de manifestatione ipsius iustitiæ, quâ Deus est iustus, & ait hoc eius attributum fuisse manifestatum in nostra redemptione facta per sanguinem Christi Domini, quia ad eius iustitiam pertinet quòd peccata destruat. Sed vt hæc iustitia Dei manifestaretur ex modo, quo peccatum destruitur per satisfactionem ex aliquali quidem iustiIV. tia, non tamen stricta, Christus Dominus non erat necessarius, cùm purus aliquis homo in maxima sanctificante gratia constitutus, operando cum illa proportionatè ad eius intensionem, ad id sufficeret. Ergo satisfactio illa Christi Domini pro nobis Deo exhibita, & quâ iustitia Dei propriè dicta nobis est manifestata, debet esse stricta & propriè dicta. Idem ex aliis Scripturæ locis quibus *sanguis Christi* pro nobis effusus vocatur *pretium*, & ipsa *eius satisfactio* vocatur *emptio*, & his similibus nominibus: nam actus veræ & strictæ iustitiæ exprimitur istis terminis: 1. ad Cor. 6. *Empti estis pretio magno*, quod & quantum sit S. Petrus explicat capite 1. suæ epistolæ: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Vnde occasione satisfactionis Christi dicimur A *seruti eius emptiy*, & nos non esse iuris nostri, sed Christi Domini, loco illo 1. ad Cor. 6. & à sanctis Patribus, vt à S. Cyrillo lib. 4. ad cap. 45. Isaiæ: item ex eo quòd Christus Dominus ad Colosse. 2. dicitur *deleuisse chirographum quod erat aduersùm nos, & illud morienti cruci affixisse.* V.

Nec est quòd authores prioris sententiæ dicant hæc, & alia sacræ Scripturæ testimonia intelligi de iustitia tantùm similitudinaria, & minùs propria; nam quæ nunc obseruauimus ex sancto Thoma & aliis, indicant contrarium, & iuxta hanc expositionem esset quidem verum Christum Dominum patiendo & merendo obtinuisse à Deo nostram liberationem à peccatis, sed loquendo in rigore, falsum esset illum verè & propriè nos redemisse redemptione verè & propriè dictâ, cùm hæc sit actus aliquis strictæ iustitiæ, quæ iuxta priorem sententiam fuit tantùm similitudinaria in satisfactione Christi Do- B VI. mini: at hæc loquutio nudè sumpta, est nimium iciuna, nec satis dignè explicat veram conditionem, & perfectum illum specialem modum, quo Christus Dominus nos liberauit, scilicet satisfaciendo satisfactione verè & propriè dicta, nec Christum facit nostrum redemptorem propriè, sed tantùm similitudinariè, quæ appellatio detrahit aliquid eius dignitati: quare debet dici redemptor noster veâ & strictâ iustitiâ. Deinde iuxta regulam S. Augustini lib. 3. de doctrina Christiana cap. 26. apud omnes Theologos receptissimam, verba sacræ Scripturæ debent exponi iuxta sensum proprium: nec est recurrendum ad loquutiones proprias, vel metaphoricas quando in tali proprio & communi illorum sensu nulla occurrit vel falsitas, aut imperfectio, repugnantia, aut aliquod aliud incommodum, VII. ratione cuius impediamur illa in proprio suo C sensu accipere: sed nihil horum reperitur in istis testimoniis Scripturæ sacræ; imò nec in ipsa formali ratione satisfactionis, vt satisfactio est actus strictæ iustitiæ, vel etiam vt est ipsius Christi Domini ad Deum, ratione cuius debeamus intelligere citata testimonia de satisfactione Christi Domini, vt actione iustitiæ non strictæ & minùs propriæ, quemadmodum patet ex dictis præcedentibus articulis circa singulas conditiones strictæ iustitiæ, quas ostendimus habere locum in satisfactione Christi Domini, & adhuc patebit ex mox dicendis: igitur satisfactio Christi Domini debet dici actus iustitiæ propriè dictæ.

Secundò probatur ex sanctis Patribus, qui dicunt Christum Dominum satisfaciendo pro nobis vicisse diabolum *non potentia, sed iustitia*, vt sanctus Augustinus libro 13. de Trinitate, cap. VIII. D 13. & 14. relatus etiam à Magistro sententiarum libro tertio, distinctione vigesimâ, sententiâ quartâ, & in Enchiridio capite 49. vbi scribit Christum ideò voluisse baptizari à sancto Ioanne, vt hunc actum humilitatis exercendo, *Diabolus veritate iustitiæ, non violentia potestatis oppressus & victus per ipsum, iustissimè amitteret, quos peccati merito detinebat.* Quibus verbis opponit iustitiam potentiæ, & sumit nomen hoc *potentia* pro vera, reali & propriè dicta potentia; sic etiam & hoc nomen *iustitia*, per quam ibi affirmat Christum nos redemisse suis actibus meritoriis, humilitatis & aliarum virtutum, debet ibi intelligi de vera & propriè dicta iustitia. Quæ explicatio confirmatur ex aliis sanctis Patribus, qui agendo de eadem satisfactione Christi Domini, dicunt in terminis

I. expressis ideò opus fuisse illâ ad redimendum nos, *vt nostrum debitum non per qualecumque pretium solueretur, sed per illud quod* (vt loquitur Proclus Episcopus Cyzici in sua homilia de Natiuitate Christi, quæ extat tomo sexto Concilij Ephesini capite septimo) *exactum debitum ad iustitiæ amussim exæquaret.* Quo loci notanda est hæc particula *ad iustitiæ amussim*: idem enim sonat ac seruatis omnibus & singulis conditionibus strictæ iustitiæ, vt patet ex Aulo Gellio libro primo noctium Atticarum capite quarto, vbi iudicium illud, in quo omnia strictè fuerunt obseruata, vocat *ad amussim factum.* Idem patet ex eo quòd sanctus Augustinus citato capite 14. libro 13. de Trinitate ait illâ nihil esse iustius. Item ex sancto Basilio Episcopo Seleuciæ oratione de Incarnatione, vbi ait, per mirabiles naturæ nostræ primitias (id est per Chri-

II. stum) *omnem iustitiæ rationem fuisse expletam.* Item ex sancto Anselmo libro secundo *cur Deus homo*, capite vigesimo de ea loquens sic ait, *Quid iustius quàm vt ille, cui datur pretium maius omni debito, si debito datur affectu, dimittat omne debitum.*

Tandem probatur hac ratione: vbicumque ius propriè sumptum redditur, ibi stricta iustitia reperitur: atqui in satisfactione Christi Domini ius propriè sumptum redditur: ergo stricta iustitia reperitur in satisfactione Christi Domini. Maior patet ex definitione iustitiæ, quam sanctus Thomas secundâ secundæ quæstione 58. articulo primo tradit, & eius Interpretes ibi; imò & omnes Philosophi cum Aristotele libro quinto Ethicorum capite sexto vt legitimam agnoscunt. Item, ex eo quòd idem S. Thomas ibi articulo vndecimo, & alij nunc relati, doceant proprium actum iustitiæ (loquendo de

III. iustitia propriè dicta) esse reddere vnicuique quod suum est. Minor verò probatur. Vbi vera & perfecta æqualitas ad debitum legale alterius, seu ad id, quod est alteri debitum, ponitur, ibi ius, seu iustum strictè sumptum ponitur: quia ex sancto Thoma secundâ secundæ quæstione 57. articulo primo, stricta iustitia in eo distinguitur à religionis virtute, quòd ipsum hominem perficiat in ordine ad alterum, ponendo æqualitatem, non ad quodlibet debitum, puta honestatis, aut aliud simile, sed ad illud, ad quod reddendum lege adstringitur, vt idem sanctus Thomas expressè docet eadem parte, quæstione 80. articulo primo in corpore: atqui in satisfactione Christi Domini ponitur vera & perfecta æqualitas ad id quod lege debetur Deo pro iniuria illi illata per omnia & singula

IV. peccata omnium hominum, tam eorum qui iam fuerunt, & eorum qui nunc sunt, quàm eorum qui futuri sunt, imò qui possunt esse, quia in illa Christus Dominus reddidit Deo plusquàm æquiualens, non ex bonis ipsius Dei creditoris, sed ex propriis. Item totum istud reddidit Deo tanquam alteri, eâ alteritate quæ ad actum strictæ iustitiæ sufficit: nam suprà ostendimus omnes & singulas istas conditiones verè & propriè habuisse locum in hac Christi Domini satisfactione: & hæc æqualitas per Christum posita erat ad debitum legale, quia ratione pactionis à Deo initæ cum illo poterat ad id à Deo, vt habente legitimam potestatem, compelli. Item, & ipsum genus humanum, pro quo Christus Dominus satisfaciebat, tenebatur ex debito iustitiæ resarcire iniuriam per nostra peccata illatam Deo: igitur ius, seu iustum strictè sumptum, fuit in satisfactione Christi Domini positum.

Singulæ partes vtriusque præmissæ patent: tum ex adiunctis ibi, tum ex locis ibi indicatis. Restat vltima pars asserens nos teneri ex debito iustitiæ satisfacere pro nostris peccatis, quæ sic probatur: ibi est debitum ex iustitia, vbi proprium ius alterius ita violatur, vt qui violat illud adstringatur lege ad illud resarciendum, & ad id præstandum possit compelli ab habente legitimam potestatem, ex sancto Thoma citatâ nunc quæstione 80. articulo primo: sed quilibet homo peccans mortaliter violat ipsum proprium & strictum ius Dei; nam quodlibet peccatum mortale, præter illam præcisam rationem malitiæ, quam habet à virtutibus, vel præceptis quibus opponitur, habet & aliam specialem rationem, seu formalitatem ab ista distinctam, quatenus scilicet est *offensiuum Dei*, vt communiter Theologi docent primâ secundæ quæstione 71. articulo quinto; nam peccata mortalia passim vocantur offensæ: item dicuntur facere inter Deum & nos diuisionem, eúmque reddere nobis iratum: item ita tenemur illa resarcire, vt tandiu simus rei pœnæ æternæ subeundæ, quandiu illa non resarcierimus, vel quandiu illa gratuitò nobis non remiserit: ergo tenemur ex debito iustitiæ satisfacere Deo pro nostris peccatis. Et hoc ampliùs confirmatur & intelligitur ex iis, quibus infrà agendo de actu pœnitentiæ docebimus illum esse actum aliquem iustitiæ hominis ad Deum, provt pœnitens intendit per illum resarcire, quatum potest, iniuriam, quam Deo intulit per suum peccatum.

Neque impotentia nostra ad satisfaciendum

C Deo ex strictâ iustitia magis facit, vt tale nostrum debitum non sit ex stricta iustitia, quàm impotentia debitoris vel furis ad soluendum, vel restituendum illis, quibus debet, vel est furatus, facit vt vel contra iustitiam non peccauerit furando illis, vel non teneatur ad restitutionem: sed hoc tantùm sequitur, quòd sicut fur ille ratione suæ impotentiæ excusatur quidem à restitutione facienda, semper tamen manet obligatus ex iustitia ad restituendum, quod pro eo tempore potest, & ad soluendum reliquum, vbi & quando redierit ad pinguiorem fortunam: sic etiam in præsenti casu tantùm sequitur hominem, qui peccando mortaliter violauerit ipsum ius Dei, teneri solummodò ad id quod potest, siue adiutus auxilijs gratiæ supernaturalis, & sic pœnitere sui peccati, siue solis

D operibus intra naturæ ordinem contentis, vt contingeret, si homo constitutus in puris naturalibus Deum mortaliter offenderet: tunc enim quia non posset reddere æquale, nec ex propriis, vel ex alienis sibi applicatis: ideò pœna æterna esset illi subeunda, nisi aliquo speciali modo ei Deus succurreret.

Secundò, probatur nostra propositio, quando actus plurium virtutum ordinantur ad eundem finem, tunc specialis aliqua virtus debet constitui, quæ dirigat omnes istos actus in eundem finem, vt intelligitur ex citata quæstione sancti Thomæ articulo 6. 7. & 8. & operati ex habitu est perfectius, quàm operari sine habitu: atqui in satisfactione Christi Domini sumpta adæquatè plures reperiuntur distinctarum virtutum actus, vt obedientiæ, charitatis, patientiæ, humilitatis, & plurium aliarum, ordinati ad

V. VI. VII. VIII.

I. plene satisfaciendum pro nobis quemadmodum facræ litteræ passim significant, dum modò charitati Christi, modò eius obedientiæ, modò patientiæ, modò humilitati tribuunt satisfactionem Christi pro nobis, & optimus operandi modus debet tribui Christo Domino. Igitur debuit esse in Christo Domino aliqua specialis virtus, quæ actus prædictarum virtutum ordinaret in finem satisfaciendi pro nobis: hæc autem virtus nulla potest esse alia quàm iustitia strictè sumpta, vt patet ex remotione aliarum virtutum: & primò, quòd non sit actus religionis, quia hæc occupatur in cultu exhibendo ipsi Deo pro beneficiis ab ipso acceptis, & in recognitionem supremi eius dominij, vt docet sanctus Thomas secundâ secundæ quæstione 81. articulo 3. non est item charitatis, quia hæc versatur circa Deum vt summè bonum: ex sancto Thoma secundâ secundæ quæstione 23. articulo II. 4. nec per charitatem satisfactio est offerenda B VI.
Deo, vt offenso per peccatum, & ex affectu compensandi iniuriam ei illatam per peccatum; aliàs enim frustrà specialis virtus pœnitentiæ admitteretur in nobis: nec item est actus virtutis pœnitentiæ: hæc enim respicit proprium peccatum pœnitentis, quod nullum fuit in Christo. Ergo debet esse iustitiæ.

ARTICVLVS XIII.

Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.

PRIMVM est. Hominis ad Deum non potest dari actus iustitiæ propriè dictæ: sed satisfactio Christi Domini est Christi vt hominis ad Deum, quia Christus Dominus satisfecit pro III. nobis vt homo: igitur satisfactio Christi Domini C VII.
pro nobis ad Deum, non est actus iustitiæ propriè & strictè sumptæ. Confirmatur: stricta iustitia est æqualis ad æquale, quia ex illa resultat realis relatio æqualitatis inter contrahentes: sed Christus satisfaciens Deo pro nobis est inferior Deo: ergo eius satisfactio non est ex stricta iustitia. Respondetur, concessâ Maiore de puro homine, Christum *vt satisfacientem*, non fuisse purum hominem: non enim Deo satisfecit, vt simpliciter homo, quia vt sic non poterat dare æquiualens offensæ, nec aliquid quod non esset sub dominio Dei, sed satisfecit Deo pro nobis, vt *Deus-homo*, nam licèt ipsa eius humanitas esset principium physicum elicitiuum *quo* satisfactoriarum & meritoriarum eius operationum; ipsa tamen persona Verbi ita erat illarum principium *quod*, vt terminando illas hypostaticè, eis IV. valorem infinitum conferret, & illas vt sic à se D VIII.
terminatas hypostaticè, subiiciendo ipsi Deo in nostram satisfactionem, simul etiam & seipsum ei subiiceret: quare cùm Christus, *vt Deus-homo*, habeat speciale quoddam dominium in istas suas actiones, quod ei soli, vt sic, competit: item alteritatem sufficientem pro ineundo contractu iustitiæ cum Deo, & pretium plusquàm æquiualens, vt fusè suprà ostendimus, fit vt inter Deum & illum, vt *Deum-hominem*, stricta iustitia esse potuerit, quæ tamen in nobis ob defectum aliquem istarum conditionum nullo modo potest reperiri.

Ad confirmationem respondetur, imprimis Minorem eius, absolutè & simpliciter sumptam, esse falsam, quia in ipsa iustitia medium rei ad rem attenditur, non verò medium ratio- A nis: & contractus perfectæ iustitiæ, putà venditionis & emptionis, potest dari inter hominem eximiè nobilem, & alium vilissimum ex ipsa fæce populi, vt ipsa experientia docet. Neque est quòd quis respondeat id quidem esse verum in contractu venditionis & emptionis: at non in satisfactione, de qua tantùm hìc agitur, & quam reddendo pro nobis, est Deo inferior: nam Christus *Deus-homo* satisfaciens pro nobis ita erat Deo inferior secundùm humanitatem, & liberæ eius humanæ actiones secundùm principium *quo* illarum elicitiuum, vt tamen principium illarum *quod, in genere moris*, daret illis infinitum valorem, & tanquam aliqua pars ingrederetur totum pretium nostræ redemptionis; sicque esset ipsi Deo æqualis, scilicet diuina persona Verbi. Nec obstat quòd Christus Deus-homo pro nobis satisfaciens Deo ipsam suam personam diuinam ei tunc non subiiceret vt formaliter diuinam, sic enim nullo modo est subiicibilis, sed vt humanam, nimirùm quatenus faciebat subsistere humanitatem, & eius liberas actiones terminabat: nam in reipsa & de facto hæc persona Verbi semper erat formaliter diuina. Ergo cùm esse inferius & æquale alicui non attendatur dumtaxat penes aliquem modum, sed penes ipsam rem, quæ comparantur, realitatem & entitatem, quia persona Christi est verè & formaliter diuina, sicut & persona Patris & Spiritus sancti, erit eius satisfactio æqualis ad æqualem.

Ad id quod ibi dicitur, *realem æqualitatis relationem dari inter contrahentes ex stricta iustitia*, Respondetur, istam relationem æqualitatis, quam stricta iustitia postulat, non respicere primò & per se ipsos contrahentes, sed ipsas res, & actiones circa quas versatur ipse actus iustitiæ, cùm, vt obseruauimus, in eo seruetur medium rei, non verò rationis: at realis distinctio reperitur inter iniuriam Deo illatam, & satisfactionem Christi Domini.

Secundum fundamentum est: tunc tantùm aliqua satisfactio exhibita alteri pro iniuria ei illata, potest esse actus iustitiæ propriè & strictè sumptæ, quando iniuria illata, pro qua fit talis satisfactio, est contra iustitiam propriè & strictè dictam: sed satisfactio Christi Domini ab illo ipsi Deo exhibita est pro peccatis totius humani generis: iniuria autem Deo illata per nostra peccata non est contra iustitiam propriè & strictè dictam; tum quia aliàs in quolibet peccato esset duplex malitia; vna opposita speciali virtuti iustitiæ, quâ ipsum ius Dei propriè sumptum violatur, & alia opposita alij virtuti, cui tale peccatum opponitur; sicque quodlibet peccatum esset duplex: verbi gratiâ, peccatum intemperantiæ, quâ parte lædit Deum & violat legem eius, esset peccatum iniustitiæ propriè dictæ: quâ verò parte esset contra temperantiam, esset item aliud specie peccatum, quod est absurdum: tum etiam quia qui peccat mortaliter teneretur statim de illo confiteri & illud sacramentaliter confiteri, quia restitutio boni per iniustitiam propriè dictam ablati, & reparatio damni per illam illati statim obligant; nam *non retinere bonum alienum*, est præceptum negatiuum semper, ad semper, & pro semper obligans: at contritio de peccato mortali, item & illius confessio sacramentalis non obligat statim ipsum eius authorem, vt habet communis opinio Theologorum tractatu de Sacram. Pœnitentiæ:

I. Igitur nec ipsa satisfactio Christi Domini pro nobis Deo exhibita, est aliquis actus iustitiæ propriè & strictè sumptæ. Respondetur, concessâ Maiore, negando Minorem, nam ratio nostræ conclusionis probat nos per peccatum mortale læsisse ipsum ius propriè dictum.

Ad primam probationem in contrarium negatur, esse absurdum duplicem illam malitiam distingui in peccato mortali, cùm in illo eodem duæ illæ formalitates *esse contra rationem, contra legem, seu esse offensiuum Dei*, distinguantur in illo, vt primâ secundæ quæst. 71. notant Theologi explicando definitionem peccati.

Ad secundam probationem, negatur inde sequi esse duplex peccatum; nam quemadmodum communes, & quasi transcendentales circunstantiæ peccatorum, licèt in scipsis spectatæ importent aliquam deformitatem & malitiam;

II. quia tamen vt coniunctæ peccato non constituunt nouum & speciale peccatum, nisi sint specialiter intentæ, sed ex ipso actu peccati & communibus eiusmodi circunstantiis, vnum duntaxat componitur peccatum: ideò nec hæc malitia circunstantiæ communis, est, vt distincta, per sacramentalem confessionem explicanda, quia explicato peccato, cui semper est adiuncta, satis expressa intelligitur: sic etiam in præsenti casu, quia *esse offensiuum Dei, ei facere iniuriam, & ipsum eius ius propriè sumptum ledere*, est commune omni & cuilibet peccato mortali, nec hoc dari potest sine isto, sit vt illa duo vnum duntaxat componant peccatum, & explicato illo, quod est speciale in tali peccato, censetur etiam intelligi explicatum illud commune, quod perpetuò est illi annexum; & sicut qui prouocat consensum alicuius mulieris ad fornicationem, vel adulterium, præter illud speciale malum quod ipsa fornicatio & adulterium (vt præcisè & formaliter sunt adulterium & fornicatio) important, simul etiam procurationem mortis animæ ipsius mulieris important: nec tamen hoc secundum, quia est aliquid omni & cuilibet peccato mortali commune, facit vt sint duo peccata, & explicato speciali satis intelligitur commune ei semper annexum. Sic etiam quia in peccato mortali *esse offensiuum ipsius iuris diuini*, est aliquid commune, & semper concomitans omne & quodlibet peccatum mortale, cuiuscunque illud sit speciei: ideò non constituit aliud numero peccatum.

III.

Ad tertiam probationem eiusdem partis negatur sequela. Primò, quia præceptum contritionis & confessionis sacramentalis est positiuum, cuius hæc est propria conditio, vt non

IV. semper, & pro semper, & ad semper obliget, quemadmodum Theologi loquuntur, sed certo tantùm tempore, & positis quibusdam circunstantiis, vt sanctus Thomas expressè docet secundâ secundæ quæstione 33. articulo 2. in corpore; at præceptum restitutionis, licèt quoad formam loquendi sit positiuum, attamen in re & de facto, vt sanctus Thomas significat secundâ secundæ quæstione 61. ad primum, est negatiuum: hoc enim præceptum, *restitue alienum*, idem est in re, ac *ne detineas alienum*: & ideò quia præceptum negatiuum semper, pro semper & ad semper obligat, qui retinet alienum, tenetur quamprimùm restituere. Deinde respondetur, etiamsi restitutio, iuxta probabilem multorum sententiam, sit præceptum quoddam positiuum, sicut præceptum contritionis, & tam peccatum vt offensiuum Dei, quàm ablatio rei alienæ per furtum, aut alium modum indebitum importent iniuriam alteri factam resarciendam; est tamen quoad præsentem difficultatem, dispar vtriusque conditio; quia enim iniustitia retentæ rei alienæ infert reale damnum domino illius, non tantùm *affectu*, sed *effectu*, & reipsâ: ideò iniustus ille detentor tenetur, quamprimùm potest, illam restituere domino: at peccatum quatenus mortale & offensiuum Dei, loquendo propriè non nocet ipsi Deo. Tertiò, detur quòd sit par conditio restitutionis & contritionis, non propterea tamen qui mortaliter peccat tenebitur statim conteri: sicut enim qui detinet alienum non tenetur illud restituere, quandiu est illi dubium, an sit alienum? ita etiam quia non est certum apud omnes peccatum

V. mortale esse contra ipsum ius Dei strictè sumptum: ideò qui peccat mortaliter non obligabitur ex iustitia ad statim satisfaciendum Deo per confessionem sacramentalem, pro resarcienda iniuria ei per peccatum illata.

VI.

Tertium fundamentum. Christus Dominus satisfaciens pro nobis eam tantùm subiit obligationem, quam primus noster parens, & eius posteri qui peccauerunt in illo, habebant ad satisfaciendum Deo pro suis peccatis, quia tantùm satisfecit, tanquam vas & sponsor totius humani generis: at primus noster parens & nos, pro quibus redimendis Christus venit in carne passibili, non obligamur ad satisfaciendum Deo ex stricta iustitia; tum quia primum illud peccatum erat tantùm inobedientiæ, vel etiam intemperantiæ, nam in tantum primus noster parens peccauit, & nos in illo, in quantum contra prohibitionem comedit de fructu

VII. ligni scientiæ boni & mali, capite secundo Geneseos, qui fructus, sublatâ prohibitione, non erat illi vetitus, nisi ad summum pro vitanda intemperantia, si nimirum aliquem excessum commisisset in tali esu; nam Apostolus ad Romanos capite quinto ait, *nos esse constitutos peccatores per vnius hominis, scilicet Adæ, inobedientiam, & per vnius, scilicet Christi Domini obedientiam, multos esse constitutos iustos.* Tum quia non obligamur Deo satisfacere ex stricta iustitia; hoc enim est impossibile, vt patet ex dictis de satisfactione puri hominis, & nemo tenetur ad impossibile. Neque responderi potest; Christum spondisse pro nobis, & ideò satisfaciendo satisfecisse ex stricta iustitia: nam si Christus Dominus non spopondisset pro nobis, non minùs perfectè, nec alio modo satisfecisset quàm nunc,

VIII. vbi pro nobis spopondit & satisfecit: at in illo non satisfaceret ex stricta iustitia, quia hoc importat debitum, quod tunc ex parte Christi Domini nullum esset: ergo Christus Dominus non satisfecit pro nobis ex stricta & propriè dicta iustitia. Respondetur ex dictis, nos fuisse ex iustitia obligatos ad satisfaciendum Deo pro nostris peccatis; nos tamen in eo distingui à Christo Domino, vt satisfaciente, quòd licèt ita teneremur, defectu sufficientis virtutis excusaremur ad satisfaciendum reipsâ de facto, seruatis omnibus & singulis conditionibus strictæ iustitiæ: Christus verò quia suscipiebat in scipso onus satisfaciendi pro nobis, quoad totam & quamlibet obligationem nostram, & secundùm quamlibet grauitatē & modum ei correspondentem: ideò cùm posset id totum præstare, seruatis

I. omnibus strictæ iustitiæ conditionibus, obligando seipsum ad satisfaciendum Deo pro nobis, sese etiam adstrinxit ad ei satisfaciendum ex stricta iustitia, cùm istud ei esset possibile, aliàs Deus videretur aliquid de nostro debito ei remisisse, quod repugnat virtuti excellenti & dignitati pretij nostræ redemptionis suprà grauitatem nostrorum peccatorum, quam sacræ Scripturæ & sancti Patres passim commendant.

Neq; obstat quod esset tantùm vas & sponsor. Nã aliud est, velle susc ipere onus vadis secùdùm omnes apices stricti iuris; & illud sic iam susceptum exequi. Primum, est singulare gratitudinis & misericordiæ beneficium non iustitiæ, sicut velle vendere fundum aliquem proximo ei valde commodum, est quædam gratuidado domini illius erga proximum: at sicut hæc venditio & emptio huius fundi, iusto pretio numerato, est strictæ iustitiæ, sic etiam & ipsa actualis

II. satisfactio Christi Domini, tanquam vadis & sponsoris, reddentis plusquam æquiualens ex bonis sibi soli propriis, & indebitis ipsi Deo, tanquam alteri, ea alteritate, quæ sufficit ad actum strictæ iustitiæ, erit etiam ex stricta iustitia.

Ad illud verò, quod dicitur peccatum nostrum fuisse tantùm inobedientiæ vel intemperantiæ. Respondetur fuisse quidem inobedientiæ, quatenùs erat contra præceptum Dei de non comedendo fructu istius arboris, similiter & intemperantiæ, quatenus erat contra bonum temperantiæ: sed insuper fuisse etiam iniustitiæ erga Deum, quatenus violabat ipsum ius Dei, vt fuit explicatum superiùs.

Articvlvs XIIII.

III. ### *Cuius iustitiæ actus sit ipsa satisfactio Christi Domini.*

IN PRIMIS notandum est apud Aristotelem libro 5. Ethic. cap. 1. apud sanctum Thomam 2. 2. quæstione 18. articulo 5. & eorum interpretes *duplicem in vniuersum distingui iustitiam, generalem vnam, particularem alteram. Generalis*, quæ & *legalis* dicitur, est specialis quædam virtus bonum publicum procurans, quatenus est à membro communitatis, debitum ipsi communitati, singulas eius partes disponendo, & procurando legum obseruationem ad bonum totius reipublicæ. Iustitia particularis est, quæ ius debitum cuilibet priuatæ seu particulari personæ reddit ad æqualitatem, hinc enim particularis appellatur. Hæc autem adhuc est duplex: vna *commutatiua*, quæ

IV. præcipuè versatur in commutationibus, per quam quilibet priuato suo nomine, alteri priuato rem eius propriam reddit ad æqualitatem. Altera est distributiua, quæ bona communitatis partibus, seu membris eiusdem communitatis debita, distribuit: itaque sensus huius difficultatis est, cuiusnam speciei iustitiæ, sit ipsa Christi Domini satisfactio.

Facilè conuenit inter Theologos illam non esse actum aliquem iustitiæ legalis, vel distributiuæ: de legali probatur, quia hæc primò & per se respicit ius debitum communitati, vt illi ab aliquo eius membro redditur ad æqualitatem: at satisfactio Christi Domini respicit primò & per se ipsum ius Dei læsum, nec per illam Christus Dominus, tanquam pars totius communitatis hominum, reddit Deo ali-

A quid à seipso debitum, quia ei nihil debebat, quin potiùs ipsa Christi Domini satisfactio, considerata per ordinem ad totum genus humanum, est quidam actus singularis erga nos charitatis & misericordiæ, vt passim Apostolus significat in suis epistolis. Deinde satisfactio Christi Domini est ad reparandam & compensandam iniuriam Deo illatam per peccatum primi parentis, & omnia nostra; iustitia verò legalis ex proprio suo munere non compensat iniuriam, sed legum reipublicæ seu communitatis obseruantiam procurat. Igitur satisfactio Christi Domini non est aliquis actus iustitiæ legalis. V.

Nec obstat quòd satisfactio Christi Domini sit in bonum totius communitatis hominum, & sit actualis quædam obseruantia illius legis & obligationis, qua tota hominum communitas

B tenebatur Deo satisfacere. Nam in actionibus humanis aliud est illarum finis *cui*, & aliud illarum finis *qui*, (seu vt alij vocant finis cuius gratia) posterior hîc coincidit cum obiecto & actus humanus suam specificationem accepit; à prior verò præcisè spectato (cùm is nihil sit aliud quàm subiectum cui volumus prodesse, operando bonum quod intendimus) actus humanus non habet quod sit huius vel istius virtutis. VI.

Quod item satisfactio Christi Domini non sit actus iustitiæ distributiuæ, probatur. Iustitia distributiua versatur propriè circa bonum communitatis, vt per superiorem distribuendum partibus ipsius communitatis, iuxta dignitatem & conditionem illarum ex citatis locis sancti Thomæ & Aristotelis: sed Christus Dominus vt satisfaciens Deo pro nobis, non ver-

C satur circa bonum aliquod communitatis, illud tanquam superior distribuens partibus illius; sed VII. versatur circa proprium suum bonum, vt præcisè & formaliter dans illud Deo, in iustam compensationem diuini iuris per totam hominum massam læsi, quemadmodum intelligitur ex dictis circa illas conditiones eius satisfactionis *ex propriis, æquualentis*. Igitur satisfactio Christi Domini non est aliquis actus iustitiæ distributiuæ.

Difficultas igitur solùm restat, de iustitia commutatiua strictè & propriè dicta. Vincentius relectione de gratia Christi quæstione 5. articulo 2. conclusione 2. Vasquezius hac parte disputat. 7. & 8. & aliqui alij recentiorum sequuntur partem negantem, quorum potissima fundamenta sunt illa, quæ protulimus & soluimus suprà, dum ageremus de conditionibus strictæ iustitiæ seruatis in ipsa satisfactione Christi Domini.

D Melior tamen est contraria sententia, pro qua VIII. sit hæc prima nostra propositio: *Satisfactio Christi Domini est actus iustitiæ commutatiuæ propriè & strictè sumptæ.* Ita Suarez, Albertinus, & alij relati pro nostra sententia præcedentis articuli; & videtur etiam esse sententia sancti Thomæ satis expressa hac 1. quæstione articulo 2. dum ait *iustitiâ hominis Christi satisfacientis fuisse superatum diabolum*, & in responsione ad secundum, *satisfactionem Christi fuisse per quandam adæquationem ad repensationem culpæ commissæ*, & quando 3. parte quæstione 85. articulo 2. negat virtutem pœnitentiæ in nobis pertinere ad iustitiam commutatiuam ex solo defectu æqualitatis: Ergo cùm in Christi Domini satisfactione æqualitas perfecta reperiatur, illa, secundùm sanctum Thomam, pertinebit ad iusti-

I. tiam commutatiuam strictè & propriè sumptam.

Probatur ratione: primò, emptio, venditio, vera traditio iusti & æquialentis pretij, eiúsque receptio pro aliqua re, sunt actus iustitiæ commutatiuæ strictè sumptæ, vt patet ex ipsíssimet Iurisconsultis: sed satisfactio Christi Domini pro nobis, est emptio totius humani generis, ex Apostolo 1. ad Corinthios cap. 6. cuius pretium fuit sanguis Christi, ex sancto Petro 1. sua Canonica cap. 1. quem Christus in cruce obtulit Deo, & tradidit pro nobis, iuxta illud Christi Domini apud sanctum Matthæum vltimo cap. *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ergo hæc satisfactio Christi Domini est actus iustitiæ commutatiuæ strictè sumptæ.

II. Secundò. Vbi reperitur pactum de hoc & illo dando, pro hoc & illo accipiédo, cum omnimoda æqualitate inter datum & acceptum, ibi iustitia commutatiua strictè sumpta reperitur, vt patet ex ipsa negotiatione, quæ antiquitùs fiebat solâ commutatione rerum inter se: atqui in satisfactione Christi Domini ad Deum pro nobis, reperitur verum pactum inter Deum & Christum, de remittendis peccatis totius humani generis, pro sanguine Christi Domini, in hunc finem effuso, & oblato ipsi Deo in pretium & compensationem, vt expressè habetur ex cap. 58. Isaiæ & sanctis Patribus, & nos suprà ostendimus: & inter hoc Christi Domini pretium, & iniuriam Deo illatam per omnia & singula peccata, à quibus totum humanum genus redimitur, est omnimoda æqualitas, imò pretium istud, à Christo Domino exhibitum, superat suo valore omnem & quamlibet malitiam omnium peccatorum, non tantùm eorum quæ sunt commissa, vel de facto committentur, sed eorum etiam quæ possent committi per æternitatem, si mundus esset in æternum duraturus, vt suprà ostendimus, agendo de valore satisfactionis Christi Domini. Igitur satisfactio Christi Domini fuit actus iustitiæ commutatiuæ strictè & propriè sumptæ.

III. Tertiò, tam ipsa redditio æqualis pro iniuriis illatis, quàm ipsa restitutio æqualis pro rebus ablatis, est verus aliquis actus iustitiæ commutatiuæ strictè sumptæ, ex S. Thoma verbis disertis 2. 2. quæst. 61. art. 3. in corpore, & quæst. 62. art. 1. etiam in corpore: sed satisfactio Christi Domini est specialis quædam redditio plusquam æquiualentis pro iniuriis Deo illatis per omnia & singula peccata omnium hominum, est etiam singularis quædam restitutio honoris Deo ablati per peccata totius generis humani. Igitur satisfactio Christi Domini, est verus aliquis actus iustitiæ commutatiuæ strictè sumptæ.

Hoc autem, quod contra vltimam hanc rationem potest obiici, scilicet in iustitia commutatiua strictè sumpta, ita requiri datum & acceptum, ex Aristotele lib. 5. Ethic. cap. 4. & 5. vt qui sic contrahunt, accipiant à se inuicem aliquid vtilitatis & commodi, solutum est in superioribus. Nam Aristoteles id tantùm intelligit de iis, quæ frequenter, & quasi vt plurimùm contingunt in actibus iustitiæ commutatiuæ, non autem de iis quæ ad illorum essentiam requiruntur: id enim est etiam contra praxim hominum satis communem, vt suprà animaduertimus: nec plus ex parte istius conditionis requiritur in actu iustitiæ commutatiuæ, quàm in actu verè & propriè me-

A ritorio certi & determinati præmij, (huius enim collatio pertinet ad iustitiam commutatiuam, ex S. Thoma 1. 2. quæst. 114. & 2. 2. quæst. citata 61. art. 4.) sed ex eodem S. Thoma citata nunc quæst. 114. art. 1. in responsione ad 2. in merito non requiritur, vt illud cedat in vtilitatem præmiantis, ergo neque in actu iustitiæ commutatiuæ.

Secunda propositio, *Illa iustitia commutatiua, ex qua Christus Dominus strictè satisfecit Deo pro nobis est supernaturalis & infusa.* Probatur, omnis virtus specificatur à formali obiecto & motiuo actuum sibi propriorum; sed actus satisfactionis Christi Domini, sunt ad strictè resarciendum ius Dei læsum per nostra peccata, quatenus Deus est finis noster vltimus supernaturalis; est enim ad nos ita reconciliandum ei, vt aliquando possimus ei coniungi per veram charitatem hic in
B via, & per fruitionem beatificæ visionis in patria (quemadmodum Apostolus passim docet in suis epistolis.) Ergo hæc Christi Domini iustitia commutatiua, qua strictè satisfecit Deo pro nobis, est supernaturalis. VI

Deinde quòd sit infusa per se probatur: omnis & quælibet virtus intrinsecè & entitatiuè supernaturalis, existens in Christo Domino est infusa per se, quia nulla talis virtus potest naturæ viribus acquiri: sed hæc virtus iustitiæ est formaliter in Christo Domino (vt illi actus satisfactionis, quos ostendimus exeruisse ex illa, probant) & est entitatis per se supernaturalis, quia entitas cuiuscumque virtutis sequitur conditionem proprij sui obiecti formalis, quod obiectum respectu huius iustitiæ, est supernaturale per se, vt patet ex nunc dictis. Ergo & hæc iustitia commutatiua Christi est eius animæ infusa per se.

C Ex quo intelligitur illam esse longè alterius ordinis & dignitatis, quàm sit illa iustitia commutatiua, quæ communiter reperitur inter homines: sicut prædictum ius diuinum, & modus attingendi illud perfectè, est ordinis & gradus longè superioris ab ipso iure humano, & à modo, quo ipsi homines sibi inuicem satisfaciunt etiam ex stricta iustitia. VII

Tertia propositio, *Hæc iustitia commutatiua Christi Domini est vnius & eiusdem speciei cum ea iustitia, ex qua homo constitutus in gratia sanctificante, complacet in eo, quod satisfiat Deo ad æqualitatem.* Probatur bonus actus ex solo defectu aliquarum conditionum in subiecto vel obiecto requisitarum inefficax, in cuius tamen obiecto voluntas sibi complacet, est eiusdem
IV. speciei & virtutis ac est actus ille quo tale obiectum amatur efficaciter, quia ambo illi actus feruntur in idem obiectum, & ex eodem motiuo, vt per se patet, & formalis ratio virtutis sumpta præcisè magis consistit in recta dispositione & affectu voluntatis erga obiectum virtutis, quàm in ipso eius extremo actu: Atqui actus ille, quo Christus reipsa Deo strictè & ad perfectam æqualitatem satisfecit, est verè efficax, ille autem alter actus iusti, quo complacet in eo quod satisfit Deo, ad perfectam æqualitatem, est tantùm inefficax, & ambo illi sunt & circa idem obiectum, & ex eodem motiuo, vt patet. Ergo sunt vnius & eiusdem virtutis. Ergo cùm vnus sit iustitia, & alter etiam erit. D VII

Contra hanc propositionem obiicies, nullam dari virtutem propriè dictam ad actus inefficaces. Primò, quia ex Aristotele lib. 7. Physic. textu 17. virtus est dispositio perfecti ad optimum:

I. sed actus inefficax ad quem hæc iustitia inclinat hominem in gratia sanctificante constitutum, non est aliquid optimum, quin potiùs aliquid imperfectum, vt sonat terminus iste inefficax: ergo talis iustitia non datur in homine iustificato, nec proinde iustitia, qua Christus Dominus strictè satisfecit pro nobis Deo, est eiusdem speciei cum illa. Respondetur, aliquem actum posse dici inefficacem ex duplici ratione. Primò ex defectu volitionis purè & simpliciter dictæ, quando scilicet est tantùm quædam *velleitas*, vt vulgo Philosophi vocant, qualis ad bonum reperitur non tantùm in nobis hominibus adhuc hîc viuentibus, sed etiam in damnatis. Secundò, actus aliquis dicitur inefficax ex defectu obiecti, & materiæ sufficientis in operante ad illum ita exercendum, vt effectus, quem actus ille respicit, sequatur de facto. Actus inefficax iuxta

II. priorem modum, dicit imperfectionem, & talis B non est ille de quo hîc loquimur, quia procedit ex sincero affectu erga ipsum bonum virtutis. Actus autem inefficax iuxta posteriorem modum, nullam in suo formali conceptu dicit imperfectionem, cùm talis defectus teneat se tantùm ex parte obiecti externi, circa quod exterior actus talis virtutis sese occupat: quod externum obiectum licèt non sit in potestate habentis talem virtutem, nec ex consequenti ipse operans possit circa illud actum exercere, non propterea tamen virtus ad illum inclinans desinit in eo esse, vt patet in ipsa virtute fortitudinis supernaturalis, prout illa speciatim respicit martyrium, quæ in quàm pluribus de facto fuit, vt in sancto Martino & Francisco & pluribus aliis, quibus martyrij subeundi occasio & materia defuit: sic etiam liberalitas potest esse in

III. paupere ad volendum succurrere proximo, C cuius tamen virtutis actum posteriori modo efficacem talis pauper defectu diuitiarum non potest habere.

Secundò obiicies, virtus propriè dicta non est ad actus otiosos; sed actus iste complacentiæ, in eo quòd strictè satisfit Deo ad æqualitatem, est otiosus, cùm ipso suo exercitio non ponat de facto istam æqualitatem. Respondetur, negando talem virtutem esse otiosam in eiusmodi subiectis, quia ratione huiusmodi virtutis, subiecta illius sunt & manent bene disposita circa sua id genus obiecta, quod est proprium munus virtutis. Nec item actus illi, iuxta modum superiùs explicatum inefficaces, ex tali virtute eliciti sunt otiosi, nam sunt honesti, vt per se patet, & in iusto viatore meritorij, vt significat

IV. Ecclesia, dum in officio sancti Martini ita canit. *O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit.*

Quarta propositio. *Iustitia illa, qua de facto Christus Dominus strictè satisfecit Deo pro nobis, est distincta specie ab illa, qua homo, in gratia sanctificante constitutus, resarcit quantum potest diuinum ius læsum, & illud quantum potest seruat illæsum.* Hæc propositio distinguitur à præcedenti, quòd hæc procedat de iustitia tam Christi, quàm puri hominis, in se quoad actus verè & propriè efficaces; præcedens verò, de prædicta illa iustitia Christi Domini, vt comparata cum iustitia prædicta, quoad actus tantùm inefficaces puri hominis in gratia constituti.

Hac notatione præmissâ, hæc vltima propo-

A sitio probatur. Actus ille quo seruatur perfecta æqualitas secundùm omnes apices strictæ iustitiæ, & actus ille quo æqualitas non seruatur omnimoda, & quo satisfactio non est ex propriis strictè sumptis, sunt specie distincti, quia ambo illi actus tendunt & attingunt diuersimodè ipsum ius, & etiam secundùm distinctos ordines: prior, vt tale ius est in se, & quoad totam suam dignitatem & perfectionem, quatenùs est tanta infinitas in persona reddente ipsum ius, quanta est in læsa; & tantus valor, imò maior, in re oblata, quanta fuit indignitas in offensa, & ex bonis vt ipsi satisfacienti tantùm propriis: posterior, ex bonis quidem aliqua ratione ipsi satisfacienti propriis, sed tamen sub dominio sui creditoris adhuc constitutis & remanentibus, & à persona ordinis longè inferioris ab ea quæ fuit læsa: sed in actu

B illo iustitiæ, quo Christus Dominus satisfecit pro nobis, seruatur perfecta æqualitas secundùm omnes apices strictæ iustitiæ, vt fusè probatum est suprà: in actu verò puri hominis, quantumlibet iusti, minimè, vt etiam patet ex dictis. Ergo actus ille iustitiæ, quo Christus Dominus satisfecit pro nobis, est specie distinctus ab eo quolibet actu, quo purus homo iustus resarcit, quantum potest, ius Dei læsum; & ex consequenti iustitia, qua Christus Dominus satisfecit pro nobis, est specie distincta ab ea, qua purus homo iustus resarcit, quantum potest, diuinum ius læsum.

Deiade actus illi iustitiæ sunt distinctarum specie virtutum, in quorum vno persona satisfaciens intrinsecè infinita, & ordinis plane diuini, & omnimodè superioris, ingreditur intrinsecè ipsum pretium, seu rem oblatam tanquam aliqua eius pars, & in quorum altero persona, tale pretium ingrediens, vel etiam illud dumtaxat offerens, est ordinis longè inferioris, & finitæ tantùm perfectionis, quia modus agendi sequitur modum essendi ipsius agentis. Sed in actu illo iustitiæ, quo Christus Dominus satisfecit pro nobis, persona Verbi diuini intrinsecè infinita, & ordinis planè diuini, ingreditur intrinsecè, tanquam pars aliqua, ipsum pretium nostræ redemptionis: vt suprà ostendimus: in eo autem actu, quo purus homo iustus satisfacit

D Deo, quantum potest, etiam sese illi submittendo, persona ibi inclusa est tantùm finita, & ordinis longè inferioris ab eo, in quo personæ diuinæ. Igitur actus illi, & ex consequenti illæ iustitiæ, ex quibus tales actus eliciuntur, sunt distinctæ specie.

Obiiciunt authores prioris sententiæ. Primò, si hæc satisfactio Christi Domini sit actus virtutis iustitiæ commutatiuæ, non potest esse nisi virtutis infusæ animæ Christi Domini simul cum gratia habituali: ergo sicut habitualis gratia animæ Christi Domini est eiusdem speciei & rationis cum ea, quæ nobis infunditur in iustificatione, ita etiam & hæc iustitia commutatiua animæ Christi Domini, erit eiusdem speciei & rationis cum iustitia commutatiua, quæ reperitur in iustificatis per ordinem ad Deum cui satisfaciunt, & apud quem merentur de condigno: sed illa iustitia commutatiua, etiam infusa iustis hominibus, non est iustitia strictè & propriè sumpta, quia hominis etiam iusti ad Deum non est iustitia strictè & propriè dicta, vt est insinuatum

V. VI. VII. VIII.

I. suprà. Ergo neque satisfactio Christi Domini fuit propriè actus iustitiæ commutatiuæ strictè sumptæ. Ergo sicut virtus illa iustitiæ commutatiuæ, quæ est in iustis hominibus per ordinem ad Deum, non est ad æqualitatem in rigore loquendi, ita nec illa Christi Domini per satisfactionem, quod tamen est contra superiùs dicta de infinito eius valore.

Respondetur, hanc iustitiam fuisse infusam animæ Christi Domini cum habituali gratia, vt probatum est nostra propositione secunda. Item illam esse eiusdem rationis & speciei cum ea infusa iustitia, quâ purus homo iustus complacet in eo, quòd satisfit Deo ad æqualitatem secundùm omnes apices strictæ iustitiæ. Et proinde sicut habitualis gratia Christi Domini est eiusdem speciei cum ea, quæ est in puris hominibus iustis, ita & iustitiæ virtus, ex qua strictè satisfecit Deo pro nobis, II. est eiusdem speciei cum ea iustitia, quam tertia nostra propositione diximus esse in puris hominibus iustis. Negatur tamen inde sequi iustitiam Christi Domini non fuisse secundùm omnes & singulos apices strictæ iustitiæ, ex eo quòd id negetur de ea iustitia, quæ est in puris hominibus, quia comparatio debet fieri inter res eiusdem speciei, quod hîc non habet locum, vt quarta nostra propositio ostendit.

Secundò obiiciunt, si satisfactio Christi Domini sit à tali iustitia: Ergo sicut hæc iustitia est tantùm infinita extrinsecè, nimirum ratione coniunctionis, quam habet ad suppositum Verbi diuini, (quo etiam modo habitualis gratia & aliæ virtutes infusæ animæ Christi Domini, & actus eiusmodi virtutum III. sunt tantùm ob talem coniunctionem extrinsecè infiniti valoris) ita etiam & satisfactio Christi Domini, quæ est aliquis actus talis iustitiæ, erit tantùm infinita extrinsecè; cuius tamen contrarium docuimus agendo de infinito valore, quem ibi diximus esse intrinsecè infinitum.

Respondetur negando hanc iustitiam, qua de facto Christus Dominus strictè satisfecit pro nobis, esse dumtaxat infinitam extrinsecè, & eo tantùm modo, quo eius gratia habitualis. Cùm enim virtus quælibet specificetur ab obiecto, & actibus formaliter consideratis; actus autem, per quos Christus Dominus ex tali iustitia Deo pro nobis satisfecit, includant intrinsecè personam Verbi vt partem pretij nostræ redemptionis, tam hæc Christi Domini iustitia, quàm eius actus e- IV. runt intrinsecè infiniti valoris; quo tamen modo, persona Verbi non se habet ad actus gratiæ habitualis Christi Domini simpliciter & purè consideratos, cùm hæc nullam illarum partem constituat, vt per se patet.

A

V.

DISPVTATIO VII.

De causa finali Incarnationis Verbi diuini.

Vtrùm si homo non peccasset, Verbum diuinum fuisset incarnandum.

Articvlvs Primvs.

Præmittuntur quædam monita.

B

VIA in superioribus ostendimus, mysterium Dominicæ Incarnationis fuisse simpliciter, & absolutè necessarium ad satisfaciendum Deo ex stricta iustitia pro nobis: præsens quæstio nascitur, an hæc nostra redemptio adimplenda per satisfactionem Christi Domini, fuerit ipsi Deo sola & vnica ratio volendi seu decernendi hoc mysterium: ita vt quemadmodum ex parte Dei, sola ipsa eius bonitas & gloria eum mouit ad volendum hoc mysterium, quia, vt habet Sapiens Prouerbiorum decimo-sexto, *Vniuersa propter semetipsum operatus est*, sic etiam ex parte rerum, nulla alia fuerit ratio patiuæ terminationis diuinæ volitionis in ipso mysterio Incarnationis Dominicæ, quàm ipsa humani generis reparatio; & ex consequenti si primus parens non peccasset, hoc mysterium non fuisset: quæ quæstio non est, sicut quibusdam videtur, otiosa, vel inutilis; sensus enim eius non est C inquirere quidnam Deus decreuisset de hoc mysterio, si aliam rerum creandarum dispositionem selegisset; hoc enim nemo nouit nisi Deus, nam *Quis*, ait Propheta, *nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius.* Sed eius sensus est iste, an iuxta hanc seriem & dispositionem rerum, quam Deus ab æterno selegit, & quam de facto mandat executioni à principio creationis mundi, & mandabit vsque ad consummationem sæculi, tota imò sola ratio huius mysterij fuerit ipsum remedium peccati. Iuxta quam considerationem maximè confert ad explicationem huius mysterij, cùm causam eius finalem inquirat.

VI.

VII.

Vt autem id inuestigemus, Notandum est imprimis, in Verbo diuino vt incarnato iuxta decretum Dei nos posse distinguere plures ra- D tiones obiectiuas, etiam in ordine ad diuinam VIII. voluntatem: vnam, exempli gratiâ, *Legislatoris & Ducis*, aliam *mediatoris vitæ supernaturalis*, id est gratiæ & gloriæ, aliam *sponsi Ecclesiæ, capitis hominum & Angelorum*, aliam *redemptoris*: Nam Christus Dominus, non tantùm dicitur in sacris litteris, *Datus nobis in redemptorem*, sed etiam *in Legislatorem*. Deuteronomij decimo-octauo Moses vaticinatur Deum suscitaturum Prophetam & Legislatorem sibi similem, quod omnes ibi explicant de Christo Domino: & Concilium Tridentinum sessione sexta, canone vigesimo primo, definit Christum fuisse nobis datum in Legislatorem. Similiter Christum Dominum fuisse nobis datum in ducem & pastorem, patet Matthæi secundo, ex capite quinto Michææ Prophetæ, &

I. ex capite vndecimo sancti Ioannis, vbi Christus Dominus sese vocat pastorem. Similiter sacræ litteræ aliis in locis significant illum fuisse datum in mediatorem gratiæ & gloriæ, in sponsum Ecclesiæ, in caput Angelorum & hominum, quæ tamen omnes & singulæ rationes sunt distinctæ à ratione redemptoris, vt patet ex eo quod pleræque illarum tribuantur Moysi in sacris litteris, cui tamen, ratio redemptoris non competit etiam respectu populi Iudaici, cùm nemo alius quàm Deus homo Christus homines redemerit.

Notandum secundò, etiam si Deus velit omnia vnico actu simplicissimo, quia tamen actus ille æquivalet pluribus, sicque est virtute multiplex, quatenus quod nos pluribus actibus facimus, Deus totum illud facit vnico: non propterea tamen desinere aliquem esse ordinem in ratione volendi inter II. res ab eo volitas, secundùm nostrum modum concipiendi, cum fundamento in re: itavt aliquæ res sint priùs ab eo volitæ, quàm aliæ: vt facilè intelligitur ex illo Apostoli ad Romanos octauo. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit.* Vbi plures res à Deo volitæ enumerantur, inter quas aliquis ordo, non tantùm secundùm exequutionem, sed etiam secundùm intentionem, esse designatur. & primæ ad Corinthios tertio, *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, id est, omnia sunt propter vos, ordinantur ad vestram vtilitatem, & vos propter Christum, & Christus propter Deum: & sancti Patres satis frequenter docent omnia fuisse propter electos, vt sanctus Augustinus libro quæstionum Euangelicarum quæstione duodecima in sanctum Matthæum: sanctus Hieronymus ad locum Apostoli proximè citatum: sanctus Bernardus sermone quinquagesimo octauo in Cantica Canticorum. In quibus locis tam Scripturæ, quàm Patrum hæc particula, *propter*, & aliæ ei similes, significant vnum eorum, quæ ibi recensentur, esse finem proximum alterius: seu ex ipsa intentione Dei, vnum ordinari ad alterum tanquam ad suum finem immediatum: sicque inter ea, quæ sunt à Deo volita, dari aliquem ordinem prioris & posterioris. Nec immeritò, cùm enim sit perfectissimi agentis per intellectum & voluntatem, singulas partes totius sui operis appositè connectere, & Deus in hoc genere agentium sit omnium perfectissimus: debuit etiam ita singulas vniuersi partes, non tantùm provt ingrediuntur ordinem naturæ, sed etiam gratiæ, IV. disponere, vt alia entia sint propter alia: & ita quoad passiuam terminationem, sint ab eo volita, cum aliquo ordine prioris & posterioris. Et docent Theologi cum sancto Thoma prima parte quæstione decima-nona, articulo quinto, dum ait, Deum velle hoc esse propter hoc, & libro primo contra Gentes capite octogesimo-sexto, & ita præsenti disputatione quærimus, an iuxta hunc nostrum concipiendi modum, Deus priùs voluerit efficaciter nostram redemptionem, quàm ipsum Incarnationis mysterium, vel è contrà.

Postremo loco notandum est, etiam respectu Dei, per comparationem ad omnes res creatas, alium esse ordinem intentionis, & alium executionis, siue Deum non velle res eo A ordine intentionis, quo illas demandat executioni; non tantùm in doctrina Scoti, sed etiam sancti Thomæ, vt facilè intelligitur ex iis omnibus, quæ tam ille, quàm omnes eius discipuli tradunt communiter de efficaci electione hominum ad gloriam ante prævisionem determinatorum meritorum in particulari, prima parte, quæstione vigesima tertia, articulo quinto. Vbi docent, ordine quodam rationis, Deum priùs efficaciter voluisse gloriam electis, quàm velle illis efficaciter hæc & illa media in particulari, quibus illam assequerentur: cùm tamen, ordine executionis, media præcedant gloriam. Ex quo rectè colligimus inter plures res à Deo volitas, illam nostro modo concipiendi esse priùs à Deo volitam, seu terminare volitionem Dei, quæ est à Deo volita tanquam finis alterius; eam verò esse hoc modo posteriùs volitam, quæ est B à Deo volita propter aliam, quorum omnium optima ratio hæc est, quòd finis semper sit primus in intentione, quamuis sit vltimus in executione, & è contrà, quòd se habet instar medij, sit primum in executione & vltimum in intentione. Secundò, intelligimus falsam esse illam Caietani doctrinam ad tertium articulum huius quæstionis, quà contendit hunc ordinem volitorum à Deo, esse desumendum ex illa necessaria habitudine, quam ipsæ res seruant inter se; itavt quia gratia supponit naturam, ea quæ spectant ad ordinem naturæ, sint priùs à Deo volita, quàm quæ spectant ad ordinem gratiæ; & quia quæ spectant ad ordinem gratiæ sunt etiam fundamentum eius quod spectat ad ordinem vnionis hypostaticæ, ideò hæc vnio sit istis posteriùs volita: intelligimus, III. C inquam, totum istud esse falsum, tum quia hoc spectat ad ordinem executionis, quem ordo intentionis non sequitur, tum etiam quia iuxta Caietanum, peccatum eorum qui crucifixerunt Christum Dominum, spectat ad ordinem naturæ, & tamen Deus non potest intelligi permisisse, vel præuidisse hoc peccatum, antequam prædestinauerit Christum; qui tamen spectat ad ordinem vnionis hypostaticæ. V. VI. VII.

ARTICVLVS II.

Proponuntur sententiæ, & affirmans asseritur.

HIs ita prænotatis, duæ sunt de re proposita sententiæ; vna negans, sancti Thomæ hic articulo tertio, & omnium discipulorum eius, quam ex recentioribus fusè probant Vasquezius hîc, disputatione decima, capite quarto, Lessius sua disputatione de prædestinatione Christi, sectione prima. D VIII.

Contraria tamen sententia affirmans Verbum diuinum, Adamo non peccante, fore incarnandum vi prædicti decreti, videtur nobis probabilior, eámque loco nostræ propositionis ponimus. Et hæc est Alensis tertia parte quæstione secunda, membro decimo-tertio; Alberti magni in tertium Sententiarum, distinctione decima, quæstione quarta; Scoti, & discipulorum eius, in tertium sententiarum, distinctione septima; Suaris hac quæstione, tota disputatione quinta, & plurium aliorum, tam veterum, quàm recentiorum.

I. Ideò que existimamus Deum, iuxta præmissum notabile, nostro concipiendi modo, seruasse hunc ordinem; primò statuens communicare se ad extra, voluit propter summam suam gloriam Verbum diuinum incarnari, illudque dare incarnatum, vt esset perfectissimum caput totius vniuersi, modo illo, qui esset ipsi vniuerso conuenientior: deinde, quia ipse influxus in membra, est aliqua perfectio, inclusa in ratione capitis perfectissimi, voluit antecedenti quadam voluntate, dare per Christum hominibus media, quibus illi possent assequi supernaturalem beatitudinem. Tertiò videns totum genus humanum esse lapsurum in Adamo, huicque graui morbo desiderans optimum & valde accommodatum afferre remedium, iudicauit modum illum, (quo Christus Dominus in primo signo rationis efficaciter intentus, II. secundùm præcisam tantùm rationem, & quasi adhuc in particulari indeterminatam,) iam præsupposita præuisione peccati Adæ conuenientiorem esse, vt veniret in carne passibili, ideóque statuit vt ipsam de facto assumeret. Et sic, quemadmodum finis vltimus ad quem incarnatio & omnia alia referuntur, est ipsa summa gloria Dei, *Omnia enim Deus propter semetipsum operatus est*; ita etiam adæquata ratio obiectiua, secundùm quam Christus Dominus est à Deo efficaciter intentus, fuit vt ille esset caput perfectissimum totius vniuersi modo illo, qui esset ipsi vniuerso conuenientior, non adhuc determinando in particulari, quinam esse ille modus; hæc enim ratio complectitur illud omne, quod Deus sapientissimè intendit in hoc mysterio. Nam, quia capitis est habere superioritatem in III. membra, illa dirigere, in illa vitaliter influere, consequenter voluit Christum Dominum habere speciale quoddam dominium in hoc vniuersum & eius partes, illum esse hominum ducem, legislatorem, mediatorem, ab illo, tamquam præcellenti principe, vitalem influxum gratiæ & gloriæ deriuari in Angelos & homines, modo illo, qui futuro eorum statui esset conuenientior.

Et hoc totum fundatur in doctrina Apostoli: nam ad Ephesios capite primo, ait, *placuisse Deo, instaurare omnia in Christo*; vbi sanctus Hieronymus legit, *placuisse Deo, omnia recapitulare in Christo*: quæ lectio probatur etiam à sancto Irenæo libro primo aduersus hæreses, capite secundo, & libro quinto capite vigesimo: item Tertulliano libro quinto aduersus Marcionem capite decimo-septimo, & IV. sensus est Deum voluisse reuocare omnia ad Christum Dominum vt ad vnum caput, in quo omnia cælestia & terrestria continerentur, & à quo influxum & vitam hauirent; ideóque in fine capitis subiungit, *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*. Ex quo fit Christum esse prædestinatum, *vt esset primogenitus omnis creaturæ*, præcipuum & primo intentum opus totius vniuersi; & ex singulari consideratione tam adæquatæ istius obiectiuæ rationis, quàm ex singulis inadæquatis in illa inclusis, propositio nostra repetit multiplex fundamentum suæ veritatis ex sacris litteris. Primò, quatenus asserunt Christum fuisse à Deo efficaciter intentum ante omnes quascumque creaturas in particulari spectatas: Secundò, ex iisdem Scriptu- A ris, quatenus asserunt Christum esse caput hominum & Angelorum, etiam quoad influxum gratiæ & gloriæ. Tertiò, ex iisdem, quatenus asserunt Christum ita esse ostium & viam, per quam omnes & singuli homines intrant in statum gratiæ & gloriæ, vt ne vnus quidem hominum de facto gloriam vel aliquem eius gradum obtineat, nisi in vim meritorum Christi Domini, & Christum esse causam non tantùm meritoriam, sed etiam finalem nostræ iustificationis. V.

Habet etiam nostra propositio fundamentum in Patribus, vt satis disertè in sancto Augustino libro de nuptiis & concupiscentia, capite vigesimo primo, dicente illud quod de Sacramento Matrimonij habetur apud Apostolum ad Ephesios quinto, *Sacramentum hoc magnum dico ego in Christo & Ecclesia*, futurum in B statu innocentiæ, si status ille permansisset: hoc VI. enim non potest intelligi nisi Verbo diuino incarnato, cùm sic propriè sit Christus. Item in eodem, libro primo de peccatorum meritis & remissionibus, capite trigesimo-octauo. Vbi ita loquitur de carne Christi Domini, vt tantùm dicat illam non fore in similitudine carnis peccati, nisi caro ista quam gerimus, esset peccati: nec simpliciter dicit eam absolutè non futuram, sed tantùm non futuram talem, qualis de facto in terris fuit, id est passibilem.

Habet item fundamentum in sancto Cyrillo Alexandrino, libro quinto Thesauri, capite 3. & decimo-tertio: & in sancto Anselmo libro primo, *Cur Deus homo*, capite decimo-octauo, vt deducit Feuardentius suis Notis ad caput decimum-quartum libri quinti sancti Irenæi: & hanc nostram propositionem docet ex professo C Rupertus libro tertio de gloria & honore Filij VII. hominis, & libro decimo-tertio de gloria sanctissimæ Trinitatis capite vigesimo. Item ij omnes qui volunt beatissimam Virginem Deiparam fuisse prædestinatam ante præscientiam peccati originalis, de qua re suo loco. Denique hæc nostra propositio habet fundamentum in antiqua traditione Iudæorum: illi enim, vt refert Galatinus libro secundo de Arcanis Christianæ religionis capite secundo, tertio & quarto, existimarunt Deum omnia creasse propter amorem Messiæ & matris eius, & idcirco eum appellasse germen terræ, quia sicut fructus est finis & pulchritudo totius arboris, ita Messias totius vniuersi, & post illum mater eius.

ARTICVLVS III.

Probatur nostra propositio ex sacris Scripturis asserentibus Christum esse efficaciter intentum ante omnes creaturas. VIII.

EX hoc primo fundamento Scripturæ sacræ sic deducitur nostra propositio. Verbum incarnatum seu Christus fuit efficaciter intentus ante quamcumque puram creaturam determinatè, & in particulari consideratam, ergo & ante præuisionem peccati Adæ, vt determinatè futuri: ergo etiamsi primus parens non peccasset, Verbum diuinum non desisset incarnari. Prima consequentia patet, quia vt peccatum Adæ præuideretur tanquam determinatè futurum, debuit Adam determinatè & in particulari tunc efficaciter intendi, aut iam fuisse efficaciter intentus: alias non posset

intelligi

I. intelligi peccatum istud sic determinatè futurum, nec proinde vt tale præuideri, cùm hæc particula, *determinatè*, connotet particularem personam vt causam talis peccati: ergo si Christus Dominus fuit efficaciter à Deo intentus, ante quamlibet puram creaturam determinatè & in particulari consideratam, fuit etiam Christus Dominus ex consequenti efficaciter à Deo intentus ante primum parentem, & ante præuisionem peccati eius. Secunda item consequentia patet, ex eo quod quicquid Deus efficaciter & independenter ab alio ordinat, illud infallibiliter euenit, siue aliud particulare consequens, seu posterius sequatur, siue non: aliàs tale decretum non esset quædam efficax volitio Dei, qualis supponitur esse, nec Deus posset intelligi velle efficaciter aliquid cum aliqua eius dependentia

II. ab aliquo posteriori, nisi præsupponatur cognoscere istud posterius, cùm voluntas, etiam Dei non feratur in incognitum. Igitur, si Deus intendit efficaciter Christum ante omnem puram creaturam, & ante ipsam præuisionem peccati Adæ; etiamsi primus ille parens non peccasset, semper tamen Christus Dominus venisset.

Primum autem nostrum antecedens probatur ex illo cap. 8. Prouerb. *Dominus possedit me in initio viarum suarum. & ibidem, ab æterno ordinata sum*: quem locum multi Patres intelligunt de Christo, seu de sapientia incarnata, vt sanctus Athanasius oratione tertia contra Arianos, sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 5. thesauri cap. 4. & 8. sanctus

III. Augustinus libro primo de Trinitate cap. 12. vbi locum hunc explicans ita ait, *Secundum formam serui dictum est, Dominus creauit me initium viarum suarum.* & sanctus Epiphanius hæresi 69. dicit hanc expositionem esse magnorum Patrum. Nam cùm Ariani locum hunc obiicerent Catholicis, contra consubstantialitatem Filij cum Patre, tunc plerique Patrum responderunt, locum illum intelligendum esse de Christo vt homine, quatenus, vt homo, ante omnes res creatas, in particulari consideratas, (quæ nomine viarum Domini ibi intelliguntur) fuit efficaciter à Deo intentus: at Christus vt homo non exstitit ante omnes res creatas, ergo debet hæc Christi Domini existentia tantùm intelligi quoad propositum & intentionem Dei, sicque Christus Dominus fuit ante omnes puras creaturas efficaciter intentus à Deo.

IV. Confirmatur hæc expositio, ex istis particulis quæ ibi habentur, *Dominus possedit me*, item, *ordinata sum*, & aliis similibus: cùm enim Filius vt Deus, nullum agnoscat Dominum, nec etiam ei vt sic conueniat ordinari, quia hoc est proprium inferioris, si locus ille intelligeretur de eo, vt est Deus, non diceret, *Dominus possedit me*, nec item *ordinata sum*, sed potiùs *Pater possedit me*. Similis planè locus habetur Ecclesiast. vigesimo quarto, vbi Sapientia se dicit ab initio & ante sæcula esse creatam.

Nec obstat, quòd aliqui Patrum hoc vtrumque testamentum explicent, vel de Sapientia increata, spectata secundùm se, vel de Sapientia prout abstrahit à creata & increata. Nam ad probationem nostræ propositionis sufficit, quòd sensus ille à nobis nunc assignatus sit ve-

A rus, legitimus, & conformis Patribus: non autem est necesse vt alium etiam sensum literalem non possit admittere, cùm Theologi, agendo de sententiis sacræ Scripturæ, docean communiter, posse interdum dari plures sensus literales vnius & eiusdem sacræ Scripturæ loci, qui omnes sunt à Spiritu sancto intenti. V.

Neque etiam huic nostræ probationi obstat, quòd Lessius supra sect. 2. num. 19. ait, antecessionem illam Christi ad res creatas nihil aliud importare quàm antecessionem prædestinationis Christi Domini ad temporalem creationem cœli & terræ: nam eo loci Sapientia sese maximè commendat ab antiquitate, vt patet ex istis particulis, *ab æterno, à principio, antequam quicquam faceret*, & aliis similibus: ideòque cùm hæc commendatio sit ei singularis, & quâ præcellit aliis omnibus

B rebus creatis, debet etiam singulariter conuenire Sapientiæ incarnatæ: at ista antecessio prædestinationis Christi Domini ad temporalem & actualem creationem cœli & terræ, est ipsi Christo Domino communis cum omnibus aliis electis, vt patet ex Apostolo ad Ephesios primo capite, dum ita ait, *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Ergo ista antecessio Christi Domini, debet intelligi secundùm intentionem efficacem ipsius Christi Domini, vt comparatam cum intentione efficaci quam Deus habuit circa omnes alias res etiam in particulari. VI.

Nec denique obstat, quod Lessius ibidem obiicit, scilicet, hanc particulam eiusdem loci, Prouerb. capite octauo. *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore*, non posse intelligi de Christo seu Verbo vt incarnato, cùm

C non conueniat nisi rei tunc existenti extra suas causas, & Christus vt homo, tunc non existeret. Hoc inquam non obstat, cùm eumdem Christus duas habeat naturas, in eodem Verbi Diuini supposito vnitas, diuinam & humanam, facile ei est in eodem Scripturæ sacræ capite, modo loqui de seipso, vt sustentante naturam humanam, modo loqui de seipso vt sustentante naturam diuinam, quemadmodũ passim videre est apud Euangelistas. Vnde licèt prædicta ista particula non posset satis conuenienter intelligi de Christo, nisi quatenus est Deus, id tamen non obstabit, quin præcedentes particulæ intelligantur de illo vt homine, maximè cùm veterum Patrum sententiæ accedãt hanc explicationem, vt notauimus ex S. Epiph. cuius verba VII.

D hæc sunt citata hæresi 69. n. 24. *Nonnulli orthodoxorum Patrum, locum illum Salomonis de incarnatione Christi interpretati sunt: Dominus possedit me, & fundauit me. Estque hic demum sensus, pietati consentaneus.* VIII.

ARTICVLVS IV.

Probatur nostra propositio ex Scripturis, quatenus asserunt Christum esse caput Angelorum & hominum, etiam quoad influxum gratiæ & gloriæ.

NOSTRA etiam propositio plura habet testimonia in sacris Scripturis, quæ ostendunt Christum esse caput Angelorum & hominum quoad influxum gratiæ & gloriæ; cuiusmodi sunt ista Ioannis primo capite, *De*

I. *plenitudine eius* (nimirum Christi)- *nos omnes accepimus*. quod sanctus Thomas in sua catena censet intelligendum de omnibus hominibus etiam qui fuerunt ante peractum mysterium Incarnationis , ideóque infrà quæst. 7. artic. 9. ait, Christum fuisse primum vniuersale in genere habentium gratiam , quatenus quicquid gratiæ fuit vnquam collatum hominibus , illis collatum fuit ex meritis Christi Domini. Sic S. Ioannis decimo-quinto capite, Christus Dominus sese comparat viti , & singulos homines saluandos palmitibus , & ibidem testatur homines sine illo non posse habere aliquid conducens ad vitam æternam, quantumuis illud sit minimum , dum ait eodem capite , *Sine me nihil potestis facere* , vt ad illum locum explicant Patres, & inter eos

II. sanctus Augustinus tractatu octogesimo in sanctum Ioannem : ex quibus omnibus formatur hæc ratio pro nostra propositione. Ad hoc, vt Deus vellet Adæ , ex meritis Christi Domini, iustitiam originalem ante præuisum eius peccatum , debuit etiam velle ipsum Christum ante præuisum peccatum Adæ : atqui Deus voluit ante præuisum Adæ peccatum dare efficaciter ei, ex Christi Domini meritis, iustitiam originalem : igitur Deus ante præuisum Adæ peccatum voluit efficaciter ipsum Christum : igitur etiam si Adam non peccasset, Christus tamen Dominus semper venisset. Hæc vltima consequentia probatur eodem modo, quo in præcedenti ratione maior propositio probatur, ex eo, quòd omnis causa finalis , vel etiam moraliter mouens ipsum agens per intellectum & voluntatem , debet esse in cognitio-

III. ne & intentione talis agentis , dum de facto agit, vel etiam dum intendit agere, quia aliàs non ageret ex tali causalitate finali illum mouente. Ergo vt Deus , qui est agens per intellectum & voluntatem,voluerit dare Adamo, ex meritis Christi Domini, iustitiam originalem ante præuisum eius peccatum ex meritis Christi Domini,debuit habere in cognitione & intentione sua,aliquaChristi D.merita ante præuisum peccatum Adæ. Minor habet duas partes, prior est , Deum voluisse efficaciter ipsi Adæ iustitiam originalem ante præuisum eius peccatum, quæ probatur , imprimis ex confessione auctorum prioris sententiæ. Illi enim dum ponunt ordinem signorum , quibus Deus voluit dare iustitiam originalem primis parentibus, & præuidit eorum peccatum , semper dicunt Deum in priori signo voluisse illis iustitiam, de-

IV. inde præuidisse quòd exciderent ab illa , tertiò cogitasse de eorum reparatione per Christum , & sic hanc partem supponunt veram , quæ potest etiam hanc ratione confirmari : primum quòd Deus intendit circa primos parentes, vt ordinatos ad vitam æternam, fuit aliquod beneficium , quo possent ad illam peruenire , hoc enim summa Dei bonitas, & eius benignitas erga homines videtur postulare : atqui nullum potest aliud beneficium assignari , quod Deus primùm intenderit circa primos parentes , quàm ipsa originalis iustitia: quia permissio excidendi ab illa , non est beneficium loquendo propriè , vt patet ex illa petitione contenta in oratione Dominica , *Et ne nos inducas in tentationem*, quârogamus Deum, vt non permittat nos incidere in peccatum : igitur iustitia originalis fuit à Deo primis parentibus intenta & volita , priusquam ipsa permissio excidendi ab illa esset à Deo , nostro concipiendi modo,præuisa,& proinde etiam,priusquam Deus præuideret primos parentes defecturos à tali iustitia. Posterior pars eiusdem minoris , asserens Deum voluisse Adæ iustitiam originalem ex meritis Christi Domini , probatur : primò ex omnibus citatis sacræ Scripturæ locis , asserentibus quicquid vnquam datum est gratiæ hominibus , illud fuisse eis datum ex Christi Domini meritis , nullâ facta exceptione : ergo & gratia innocentiæ collata Adæ in statu innocentiæ , fuit ei à Deo volita , & concessa ex Christi Domini meritis. Et ne quis respondeat, hæc & alia eiusmodi testimonia, esse tantùm intelligenda de beneficiis gratiæ collatis hominibus post peccatum Adæ , qualis non erat iustitia originalis , probatur istud

VI. debere intelligi absolutè de omnibus hominibus, & pro quocumque statu. Sic Christus, vt mediator Dei & hominum, est causa meritoria omnis & illius cuiuscumque gratiæ hominibus viatoribus concessæ, cuius ipse est per gloriam consummator in patria. Nam Christus non solùm dicitur in sacris Litteris promeruisse hominibus gratiam , sed & gloriam , cùm gratia sit semen vitæ æternæ : atqui Christus Dominus fuit in patria consummator totius gratiæ, secundùm omnes quoscumque suos gradus, quæ aliquando fuit in Adam viatore , etiam ex sancto Thoma secundasecundæ, quæst. 2. artic. 7. dicente Adamum ante suum peccatum credidisse in Christum tanquam consummatorem gloriæ : item gratia illa Adæ, quæ fuit consummata in patria, non est ea sola quam pro-

VII. meruit post pœnitentiam de primo illo suo peccato , sed etiam ea, quàm habuit ante peccatum : quia tàm in illo , quàm in nobis, bona opera, per peccatum mortificata , reuiuiscunt vi pœnitentiæ , & gloria datur beatis secundùm totam illam gratiam quam vnquam habuerunt in via , vt docent Theologi tertia parte disputando de reuiuiscentia bonorum operum : igitur Christus Dominus, tanquam mediator Dei , & hominum , fuit etiam causa meritoria eius gratiæ , quam primus parens habuit in statu innocentiæ , & ex consequenti iustitiæ eius originalis. Confirmatur , quia si primus parens non habuisset hanc gratiam ex meritis Christi Domini, iam aliquis gradus gloriæ daretur in illo , non fundatus seu radicatus in Christo tanquam capite , sicque Christus Dominus non esset perfectè caput singulorum ho-

VIII. minum beatorum, quod est absurdum.

Dices primò Adamum nullam habere , aut fuisse habiturum gloriam in cœlo , correspondentem præcisè meritis , quæ habuit in statu innocentiæ , seu provt fuerunt merita illius status; cùm non fuerit permansurus in illo , sed ab eo casurus per peccatum. Verùm hæc responsio refellitur primò, quoniam hac responsione admissa , bona opera illorum qui à strictiori statu vnius religionis transeunt , per legitimam & validam Summi Pontificis dispensationem , ad laxiorem , in qua finaliter perseuerant, numquam propriè reuiuiscerent , nec aliquod gloriæ præmium illis correspondens acciperent in patria ; quod videtur absurdum , cùm Deus nullum relinquat bonum opus, factum in charitate , absque aliquo præmio illi proportionato in patria. Ergo licet primus parens

I. non esset permansurus in isto statu innocentiæ, quia tamen cum seriò pœnituit sui peccati, eius meritum quod acquisiuit in statu innocentiæ debuit postea reuiuiscere, & præmium gloriæ illi correspondens distribui in patria.

Deinde, hæc eadem responsio refellitur, finalis perseuerantia in eodem statu perfectionis, habet se merè per accidens ad reuiuiscentiam bonorum operum, hæc enim tota fundatur in eo, quòd, supposita Dei promissione (de qua, ex sacris Litteris, constat apud omnes Theologos) sublato peccato per veram pœnitentiam, velut aliquo impedimento, statim bona opera valeant ad idem præmium æternæ beatitudinis, ad quod valebant ante peccatum commissum, vt omnes Theologi communiter docent agendo de reuiuiscentia bonorum operum. Ergo

II. cùm primus parens egerit pœnitentiam huius sui peccati, & sit finaliter mortuus in statu gratiæ sanctificantis, nec Deus, (vt Apostolus loquitur in Epistola ad Hebræos capite sexto) *Sit iniustus vt obliuiscatur operis nostri*, dedit in patria primo nostro parenti gloriam correspondentem iis meritis, quæ habuit in statu innocentiæ.

Tandem Deus illis locis Prophetæ, quibus promittit reuiuiscentiam bonorum operum, illam absolutè & simpliciter promittit omnibus seriò pœnitentibus, nullâ factâ distinctione operum, quæ fuerint facta in eo tantùm singulari statu perfectionis, in quo pœnitens finaliter perseuerat, ab aliis bonis operibus, quæ isti pœnitentes in alio statu gratiæ quidem, minus tamen perfecto, exercuerint.

III. Dices secundò, Adamum habuisse quidem in patria gloriam correspondentem istis suis meritis in statu innocentiæ acquisitis, & per condignam pœnitentiam reparatis; sed tamen Christum Dominum, in ipso Dei decreto, & præuisione, priorem fuisse ista animæ Adami gloria.

Verùm hæc responsio potiùs fugit vim argumenti, quàm soluat illud. Nam Christus Dominus in isto decreto & præuisione prior tali gloria Adæ, vel fuit causa illius meritoria, eo sensu, quòd eius collatio facta Adæ fundetur in meritis Christi Domini, vel non fuit: si primum, ergo quemadmodum hæc gloria Adæ correspondens eius meritis, in statu innocentiæ acquisitis, fundatur in merito Christi Domini, ita & hæc merita Adæ, quæ compensantur per hanc gloriam, fundantur in merito Christi

IV. Domini; nam gloria datur beatis in patria, prout illam meruerunt in via, & ex consequenti, sicut Adam in illa præuisione Dei, est prior tàm iuxta statum illum innocentiæ, & illa quæ ibi erat facturus, quàm ipsa Christi Domini passibilitas; ita etiam debuit priùs præuideri tanquam moralis causa istorum meritorum, & proinde fuit decretus futurus, quàm ipsum peccatum primi parentis præuisum. Si secundum dicatur, ergo Adam habet etiam nunc independenter à meritis Christi Domini gloriam correspondentem suis meritis in statu innocentiæ exercitis, quod tamen ostendimus esse falsum, vt etiam hæc responsio, quam hîc impugnamus, admittit.

Dices tertiò, hæc merita Adæ existentis adhuc in statu innocentiæ, fuisse mortificata per subsequens eius peccatum, nec habuisse reuiuiscentiam sine meritis Christi Domini, cùm hæc facta fuerit per illam Adæ pœnitentiam, cuius valor & efficacia fundabatur in meritis Christi Domini: Ergo & gloria ei correspondens non fuit concessa Adæ sine meritis Christi Domini, licèt hæc gratia, quando fuit primùm collata, fuerit ei concessa sine meritis Christi Domini. Sed hæc responsio etiam refellitur, primò ex dictis contra præcedentem responsionem; in tantum enim æterna gloria, vel aliquis eius gradus datur ex meritis Christi Domini in patria beatis, in quantum gratia, per quam meruerunt illum, fundatur in meritis Christi Domini, hæc enim est semen vitæ æternæ. Ergo si iste gradus gloriæ, correspondens meritis Adæ adhuc existentis in statu innocentiæ, datus est ipsi Adæ ex meritis Christi Domini; similiter & hæc ipsa Adæ adhuc existentis in statu innocentiæ merita seu opera meritoria fundabantur in Christi Domini meritis.

Secundò refellitur hæc responsio, nam duo possunt distingui in reuiuiscentia. Primum est *remotio impedimenti*, id est peccati per quod stat, ne bona opera antea facta in statu gratiæ, nunc valeant de facto ad præmium, seu ad vitam æternam, vel ad aliquem gradum illius: alterum est *ipsum reuiuiscere*, seu vis illa & efficacia, quam bona opera habent de facto, vt valeant ad gloriam, vel ad aliquem eius gradum illis correspondentem. Primum tollitur quidem per pœnitentiam, secundum verò non est loquendo propriè ab ipsa pœnitentia; nisi vt à remouente ipsum prohibens, sed loquendo præcisè, prouenit à natura & conditione ipsius actus meritorij, quemadmodum docent Theologi, agendo de prædicta reuiuiscentia, & etiam quando agunt de baptismo suscepto cum fictione, id est, cum complacentia in peccato mortali, qui tamen baptismus, tali fictione recedente per veram pœnitentiam, incipit sciplo producere gratiam sanctificantem, & proinde si actus illi meritorij, exerciti à primo parente nostro ante primum suum peccatum, non fuerint in Christo Domino fundati, & similiter si originalis iustitia ei collata non fuerit ex meritis Christi Domini, pari iure, gloria vel eius gradus correspondens isti gratiæ, non fundabitur in meritis Christi Domini, sicque Christus non erit consummator totius gloriæ, quæ est in primis nostris parentibus.

Dices quartò, iustitiam originalem fuisse collatam primis parentibus in statu innocentiæ ex meritis Christi Domini, quia cùm Deus, per suam scientiam mediam, seu vt vocant, conditionatam, quæ antecessit, nostro modo concipiendi, absolutam eius scientiam, & decretum eius efficax, quo elegit hanc seriem, in qua primus parens de facto peccauit, nouisset primos parentes de facto peccaturos, voluit exaltationem Christi Domini, vt causam finalem istius iustitiæ originalis, & illam dare propter merita Christi Domini, vt causam moralem, sicque in reipsa primi nostri parentes consequuti sunt iustitiam originalem ex meritis Christi Domini: absque eo tamen quòd inde sequatur Christum futurum, si illi non peccassent, quemadmodum constat ex hac dispositione signorum in tali serie.

Verùm refellitur etiam hæc responsio,

A V.

B VI.

C VII.

D VIII.

I. primùm quia repugnat communi sententiæ discipulorum sancti Thomæ, nam illi vnanimi consensu negant scientiam conditionatam reperiri in Deo, quam etiam reiicimus; deinde suppositâ non tamen concessâ hac scientiâ, refellitur hæc responsio. Vel enim Deum vult in ista serie, vt per istam scientiam mediam conditâ, priùs dare ipsi Adæ iustitiam originalem independenter à meritis Christi Domini, quàm præuideat eius peccatum, vel tantùm pòst & dependenter à meritis Christi Domini: non primum, quia sic primus parens de facto habuisset iustitiam originalem independenter à Christi Domini meritis, quod est contra hanc vltimam responsionem: nam series ista, vt cognita per istam scientiam mediam, est omnino eadem, quoad sua obiecta II. & eorum ordinem, cum ea quæ cognoscitur per absolutam scientiam approbationis, vel B etiam visionis, & solummodo penes hoc distinguitur, quòd vt cognita per scientiam mediam, non dicat absolutam futuritionem, sed tantùm conditionatam, sub hac vel simili formula *(Si Deus vellet eligere istam seriem, hæc & illa essent, vel euenirent)* vt cognita verò per scientiam absolutam, dicat *res certò & infallibiliter futuras, hoc & illo ordine euenturas.* Ergo quemadmodum in ista serie, vt cognita per talem scientiam mediam, primus parens habet iustitiam originalem independenter à meritis Christi Domini, ita etiam nunc illam habet de facto in hac eadem serie, vt cognita Deo per suam absolutam scientiam, & sic tota vis nostræ rationis secundæ remanet, quemadmodum nostra etiam sententia manet III. vera, si Deus dicatur voluisse quidem Adæ C iustitiam originalem ante præuisum eius peccatum, sed tantùm dependenter à Christo. Secundum etiam dici non potest, primò ob hanc eamdem rationem nunc allatam, scilicet quia tunc duæ illæ scientiæ distinguerentur plusquam penes *absolutam & conditionatam futuritionem*, cùm ibi esset aliqua etiam mutatio obiectorum. Deinde hæc series non esset amplius illa eadem, quam Deus ibi fingitur cognouisset à proprio per scientiam mediam, & quam de facto elegit, quod est contra hypothesim. Tertiò quia hoc est etiam contra ordinem istius seriei, provt illam disponunt: volunt enim primò Deum voluisse efficaciter hanc iustitiam Adæ, etiam quoad omnes suas circumstantias consideratam, deinde vidisse Adamum excidere ab illa, & inde sumpsisse D IV. occasionem volendi mysterium Incarnationis: vnde cùm habere hanc iustitiam dependenter à meritis Christi Domini sit singularis quædam illius circunstantia, Deus debet in illo secundo signo voluisse dare iustitiam originalem Adæ ex meritis Christi Domini ante præuisum Adæ peccatum, quod tamen auctores isti in sua dispositione huius seriei negant.

Simile argumentum desumi potest, ex matrimonio Adæ cum Eua, hoc modo. Deus priùs, in aliquo signo rationis, voluit & vidit matrimonium Adæ cum Eua: item Deus priùs intendit res isto matrimonio significatas, quàm præuiderit Adæ peccatum, quia peccatum hoc permittebatur & præuidebatur à Deo, vt committendum ex instigatione Euæ tanquam vxoris, & vt transfundendum in posteros descendentes ab illa per viam seminalem, A ideòque Adam & Eua debuerunt priùs cognosci tanquam maritus & vxor: atqui inter alias res per hoc matrimonium significatas, fuit ipsa vnio Christi, vt Dei hominis cum ipsa Ecclesia, quemadmodum docet Apostolus capite 5. ad Ephesios, explicans illa verba Adæ Genes. 2. accipientis Euam in vxorem, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* quibus verbis statim subiungit Apostolus illis significari vnionem Verbi in humanitate assumpta cum Ecclesia, sic dicendo, *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Igitur Christus, vt Ecclesiæ vnitus per hypostaticam vnionem, fuit à Deo intentus & præuisus ante ipsum Adæ peccatum, & ex consequenti VI. semper venisset, etiam si primus noster parens non peccasset.

V. VII. VIII.

ARTICVLVS V.

Probatur nostra propositio ex sacris Scripturis asserentibus Christum esse causam iustificationis hominum.

VLTIMVM tandem fundamentum nostræ propositionis repetimus ex locis sacræ Scripturæ, asserentibus Christum esse causam finalem, & exemplarem iustificationis omnium hominum, vt ad Romanos octauo. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui*; & ex Tridentino sessione sexta, capite septimo, dicente gloriam Christi Domini esse causam finalem nostræ iustificationis, & aliis similibus, ex quibus formatur hæc ratio. Inter obiecta à Deo simul volita, illud est priùs volitum in aliquo signo rationis, quod habet rationem finis, & illud quod eius comparatione habet rationem medij est posterius volitum, vt patet ex dictis articulo primo: & si medium istud sit tantùm vtile, non verò simpliciter & absolutè necessarium ad hunc finem obtinendum, tunc licèt tale medium cesset, attamen finis sic volitus semper ponetur in rerum natura: maximè quando nihil est quod possit obsistere volenti hunc finem: atqui Christus & ipsa eius gloria sunt quoddam volitum à Deo, tanquam aliquis noster finis, nostra autem salus & iustificatio, tanquam aliquod eius medium, ex Scripturis nunc citatis, & tam ipsa nostra iustificatio quàm salus, vt comparantur ad gloriam & exaltationem Christi Domini, etiam supposito Adæ peccato, vel illo non supposito, sunt solummodo medium aliquod vtile & necessarium, vt per se constat. Ergo etiamsi peccatum Adæ non fuisset, quia tamen Deus priùs intenderat Christum, & voluntati Dei nihil potest obsistere, semper fuisset Christus, ex & consequenti Verbum diuinum fuisset incarnatum.

Huic argumento Lessius suprà numero 30. respondet duplicem finem distingui à Philosophis, vnum, *qui*, & alterum, *cui*: vt patet in nostris potentiis, quæ habent pro suo, *finè, qui*, ipsas suas operationes, & pro suo *fine, cui*, ipsam animam, quam perficiunt: iustificationem hominum esse *finem qui*, ipsius Christi,

I. ipsum verò Christum esse *finem, cui*, ipsius iustificationis hominum, quatenus iustificatio est, vt cedat in gloriam Christi: & sic intelligenda esse prædicta testimonia de fine, *cui*. Secundò aliqui alij respondent, hæc testimonia tantùm procedere de prædestinatione hominum, vt facta post præuisum peccatum Adæ; in quo signo rationis, Christus Dominus fuit prædestinatus ante quoscumque alios homines, & eorum salus etiam ordinata fuit in gloriam Christi. Sed hæc vtraque solutio refellitur: Primùm quidem, quia licèt admittamus hanc finis diuisionem, attamen si duo isti fines comparentur inter se, quoad causalitatem propriam finis, *qui*, magis illam participat, cùm sit id quod ipse operans intendit assequi, quódque eum mouet ad agendum; ideóque si Christus Dominus sit solummodo finis, *cui*, prædestinationis & gloriæ hominum, ipsa verò

II. prædestinatio, iustificatio, & gloria hominum sit *finis, qui*, ipsius Christi Domini, iam loquendo propriè, ipse Christus Dominus, non tam est aliquis noster finis, nec mouet Deum ad volendum nobis bona supernaturalia, quàm ipsa hominum iustificatio, à Deo volita, eum moueat ad volendum Christo gloriam, & nominis sui exaltationem; sicque Christum nobis aliquo modo debitorem computabimus, nec tàm dicemur prædestinati in Christo, quàm Christus in nobis: cùm iuxta hanc responsionem simus ei simpliciter & absolutè causa existendi, quod non videtur satis congruum eius dignitati, vt ex simili exaggeratione sancti Cyrilli lib. 5. thesauri cap. 3. contra Arianos facilè potest intelligi; vbi sanctus Cyrillus illud

III. Arianum, scilicet, *Deum Patrem produxisse suum Filium propter nos*, reputat absurdum, quia sic nos fuissemus primi apud Deum, deinde eius Filius, quòd idem potest retorqueri contra hanc responsionem de Christo Domino, non quidem vt Deo, sed vt homine.

Secunda item solutio refellitur, nam suprà ostendimus iustitiam originalem fuisse à Deo volitam primis nostris parentibus ex meritis Christi Domini, ante præuisum eorum peccatum: & tunc Christus Dominus non fuit causa istius gratiæ, in alio genere causæ, quàm nunc sit secundùm moralem causalitatem. Ergo cùm prædicta testimonia loquantur in vniuersum, poterunt etiam intelligi de morali causalitate ipsius Christi ad habendam gratiam ante præuisionem peccati.

Vltimò dices, hæc scilicet, *Christum fuisse prædestinatum ante præuisionem peccati Adæ, ante decretum remedij eius, & Christum non fuisse*

IV. *venturum primo parente non peccante*, posse simul stare, quatenus Christus D. ante peccati præuisionem fuit quidem volitus secundùm intentionem; at quoad executionem fuit tantùm intentus dependenter à permissione peccati Adæ, & à decreto illius remedij, nec aliter de facto producendus: ideóque cessante hac ratione exequendi hoc mysterium, illud etiam non futurum; sicut in sententia, quæ asserit electionem hominum ad gloriam esse factam à Deo ante præuisionem bonorum operum, Deus ita intédit dare electis gloriam, vt tamen in ipsa executione velit illos habere bona opera, quibus si omnino carerent, tunc de facto nunquam fututi essent beati: quæ responsio videtur habere fundamentum in S. Thom. hac quæstione,

A articulo tertio in responsione ad quartum, & V.
prima parte quæstione vigesima-tertia artic. 7. dum explicat, quâ ratione prædestinatio aliquorum iuuetur precibus quorumdam Sanctorum, quorum suffragiis fuerunt à parentibus impetrati, vel eorum precibus gratiâ vocationis efficaciter præuenti, quomodo S. Augustinus dicit, Ecclesiam non habituram fuisse Paulum, nisi S. Stephanus pro illo orasset: ergo pari modo, quia prædestinatio Christi Domini intenta quidem ante præuisum peccatum Adæ fuit volita, vt tantùm exequenda supposito peccato Adæ, ideò si primus parens non peccasset, Christus Dominus non venisset, quatenus scilicet hæc prima intentio Dei, vt perfectissimè cognoscentis, connotabat media illius exequendæ, non tantùm in confuso (quia hoc est cognoscentis imperfectè) sed in particulari, &

B ita si medium istud, scilicet *reparatio hominis* VI.
lapsi in peccatum, defecisset, similiter etiam & hæc prima intentio incarnandi Verbum diuinum: cùm talis intentio sese haberet, ac si nullũ daretur medium illius exequendæ. Vnde quemadmodum deficiente omni medio, talis intentio debet cessare, & alia ei succedere, ita & in præsenti casu, si lapsus primi parentis & eius reparatio, quæ sunt medium connotatum in particulari per primam intentionem Verbi incarnandi, non fuisset: ipsa etiam diuini Verbi incarnatio non fuisset intenta, sed alia intentio ex parte Dei successisset ei. Sic ratiocinatur Petrus de Lorca ad præsentem q. S. Thom. disp. 10. num. 25. & sequentibus.

Sed modus iste philosophandi refellitur, primò ex iis, quibus ostendimus, decretum de

C Verbo incarnando, fuisse factum indepen- VII.
denter à permissione peccati Adæ, & commissione eius: quòd tamen iuxta hanc responsionem esset falsum, cùm velit istam intentionem Dei, etiam connotare in particulari ipsam permissionem & commissionem peccati Adæ, eiúsque reparationem, tanquam vnicum medium Incarnationis Dominicæ exequendæ. Secundò refellitur, quia iuxta hanc responsionem, prima illa intentio Dei incarnandi Verbum, prout ab illis proponitur, & concipitur in primo illo signo rationis, non fuit volitio quædam efficax & absoluta, sed tantummodo conditionata: quoniam ita connotat permissionem lapsus Adæ, & casum eius, tanquam vnicum illius exequendæ medium, vt si lapsus Adæ non existat, Deus etiam non sit executurus hoc mysterium: at ex dictis pro nostra propositione,

D patet istam intentionem Dei fuisse absolutam, VIII.
efficacem, & nullo modo suspensam pro tali signo rationis: cùm sit aliquid totalis illius decreti efficacis, quod Deus habuit de sese communicãdo ad extra. Tertiò refellitur, ex eo quòd confundat signa illa rationis, & eorum ordinem, quæ tam prædictus auctor, quàm nos distinguimus in vnico illo actu diuinæ volitionis, iuxta illud quod primo articulo docuimus. Nam in primo illo signo apprehendimus tantùm volitionem Dei, vt sese terminantem ad volendum hoc mysterium, præscindendo ab eiusdem diuinæ volitionis apprehensione, prout ista volitio vlterius sese terminat ad aliquid aliud: hoc enim propriè spectat ad sequens aliud signum, & non ad primum præcisè sumptum. At hic modus philosophandi Petri Lorcæ apprehendit istam diuinam volitionem, etiam in

I. primo signo rationis vt sese terminantem distinctè & determinatè ad modum & medium determinatum, quo incarnatio est demandanda executioni: quæ tamen vltima apprehensio diuinæ volitionis non spectat ad primum signum rationis, sed solummodo ad 3. vt patet ex illorum ordinatione superiùs à nobis posita: & confirmatur ex confessione istius auctoris, nam loco cit. num. 34. agnoscit nihil ipsius incarnationis, quod in sui executione necessariò dependeret à peccato Adæ, vitiasse obiectum primæ illius diuinæ intentionis qua incarnatio fuit decreta, & in fine numeri 35. ait hunc modum dicendi esse faciliorem. Ergo in primo illo signo rationis, incarnatio Verbi diuini est absolutè & simpliciter decreta. Ergo independenter à peccato Adæ, etiam quoad sui executionem: ergo

II. etsi peccatum Adæ non fuisset, attamen ipsa incarnatio semper fuisset, vi illius eiusdem diuinæ volitionis, vt in primo signo rationis à nobis apprehensæ.

Neque hunc istius auctoris modum philosophandi quicquam iuuat exemplum sumptum ab ista sententia de efficaci hominum electione ad gloriam ante præuisa merita; est enim dispar ratio vtriusque medij pro executione sui decreti, quòd scilicet medium illud prædictæ electionis ad gloriam exequendæ, possit etiam à Deo procurari infallibiliter absque aliqua imperfectione suorum attributorum, & libertate electorum remanente illæsa, vt ostendimus prima parte quæstione 24. ex sancto Augustino in Enchiridio ad Laurentium capite 98. & aliis locis: at lapsus Adami non potest procurari à Deo,

III. cùm Deus non sit auctor nec instigator peccati; tùm etiam quia licèt Deus potuerit velle permissionem peccati Adæ, attamen illa non videtur esse volita in primo illo signo rationis, vt suprà ostendimus; ideóque nec incarnatio fuit à Deo volita in primo illo signo rationis, tamquam solummodò exequendo, suppositæ lapsu Adæ.

Nec denique fauent citata sancti Thomæ testimonia; nam etiamsi parentes istorum prædestinatorum non essent determinati in particulari quòd essent hic vir & hæc mulier, vi tamen electionis, quæ præcessit saltem in aliquo signo rationis, ipse electus non desineret esse idem numero per alios parentes, cùm parentes sint tantùm causa quædam extrinseca, scilicet efficiens ipsius electi, quæ alia esse posset, si Deus vellet.

IV. ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta prioris sententiæ.

OBIICIVNT primò, ex sancto Thoma. Ea quæ pendent ex mera voluntate Dei, non possunt aliter à nobis cognosci, quàm vel ex ipsis eorum effectibus, vel ex ipsa reuelatione Dei; si enim liberas hominum volitiones non aliter scire possumus, quã vel ex eorũ factis vel verbis; multominus aliter scire poterimus ipsas Dei volitiones, quæ longè magis nos latent: atqui mysterium incarnationis totum pendet à mera & libera Dei voluntate, quia est aliquid ad extrà, & summum beneficium ex gratuita & liberali erga nos homines Dei benignitate & charitate collatum, vt passim Apostolus significat, & Christus D. S. Ioannis 3. docet, &

A siue consideremus illud prout fuit demandatum executioni, siue vt nobis innotuit ex reuelatione in sacris litteris, vel Patrum libris contentâ, vnicam & solam eius causam reperimus redemptionem generis humani. Ergo non possumus cognoscere mysteriũ incarnationis fuisse peractum, ob aliam causam quàm ob nostram redemptionem, & proinde nostra redemptio, quantum possumus cognoscere, est tota & vnica causa. Maior satis patet ex confirmatione ei addita.

Minor tres habet partes, quarum prima, quæ diuidicat causam finalem huius mysterij, ex modo quo fuit demandatum executioni, Probatur; primùm ex eo quod etiam iuxta Apostolum ad Hebræos 2. ideo Christus D. participauit carni & sanguini, quia pueri iisdem communicauerunt,

B *Quia ergo*, inquit Apostolus, *pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem*, id est ideo Christus constat carne & sanguine, seu humanâ naturâ valde infirma & imperfecta, quia talem nos habemus, & participauit nostris infirmitatibus vt nos redimeret. Deinde, quia si homo non fuisset redimẽdus, Deus incarnandus assumpsisset potiùs naturam angelicam quàm humanam, vt significat Apostolus loco nunc citato, vbi statim subiungit, *nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, quia scilicet Angeli non erant sanctificandi, sed homines; quemadmodum intelligitur ex antecedentibus. Tertiò, quia ob hanc eandem causam, Filius est potiùs incarnatus, quàm Pater, vel Spiritus sanctus, vt patet ex congruentius infra referendis ex Patribus pro incarnatione Verbi diuini. Quartò, quòd ob eandem rationem hoc mysterium non

C sit peractum in principio mundi, ante humanum genus deperditum, sed longè post.

Secunda pars eiusdem Minoris asserens, ex reuelatione in sacris litteris contenta, nobis constare redemptionem generis humani esse vnicam causam huius mysterij, probatur; ex eo quòd sacræ Scripturæ nullam aliam aduentus Christi D. causam afferunt, S. Matthæi primo cap. Angelus explicans nomen à Deo impositum Christo conuenienter eius naturæ & officio, ait, *Vocabis eum Iesum, ipse enim saluũ faciet populum suum à peccatis eorum*: Matthæi 9. ait Christus, *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* vbi clarè insinuat se non venisse propter iustos, & consequenter non venturũ, nisi essent peccatores, S. Lucæ 9. *Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat*, S. Ioannis 3. & 10.

D item ad Romanos 3. ad Galatas 4. 2. ad Timotheum primo, & passim alibi; vnde & in Symbolo Nicæno ita profitemur, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu sancto.*

Tertia denique pars eiusdem Minoris asserens, ex reuelatione contentâ in Patribus, constare redemptionem generis humani esse solam & vnicam finalem causam huius mysterij, probatur ex Patribus ita affirmantibus, vt sancto Irenæo libro 5. contra hæreses capite 4. ita dicente, *Si non haberet caro saluari, nequaquam Verbum caro factum fuisset*; sancto Athanasio sermone 3. contra Arrianos ita dicente de Christo, *Cùm homo efficitur, tùm causa substituitur, cur oporteat carnem gestare, necessitas quippe indigentiáque hominum anterior est, quàm eius natiuitas, qua sublata carnem non induisset*, sancto

V. VI. VII. VIII.

I. Augustino sermone 8. de verbis Apostoli ita dicente, *Si homo non periisset, filius hominis non venisset*. & sermone 9. ita dicente, *Nulla fuit causa veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere*; & pluribus aliis Patribus nullo excepto, vsque ad tempus ipsius Ruperti; illi enim omnes, quotiescumque agunt de causa aduentus Christi Domini, afferunt nostra peccata, negántque aliquam aliam fuisse, vt videre est in eorum testimoniis, quæ plerique sancti Thomæ interpretes hoc loco fusè referunt.

Quòd si quis respondeat, hæc omnia Scripturæ & Patrum testimonia tantùm intelligi de hoc mysterio, vt in carne passibili, vrgent primò quòd aliqui ex Patribus citatis dicant Christum alibi non venturum, nec vnquam meminerint aduentus Christi Domini ita conditionati, sed semper loquantur absolutè. Secundò, II. cùm passibile, & impassibile sint tantùm modi, & non substantia huius mysterij, sequeretur hoc mysterium solummodo, quoad conditionem passibilitatis, & non quo ad substantiam, primariò & per se, sed tantùm ex consequenti, & veluti quoddam accessorium fuisse in redemptionem generis humani, quod tamen esse falsum, apertè constat ex citatis authoritatibus Scripturæ & Patrum, quæ non nudam aliquam qualitatem, seu conditionem huius mysterij, sed ipsammet eius substantiam exprimunt esse pro nostra redemptione, vt cuilibet prædicta testimonia attentè consideranti fiet manifestum; maximè cùm apud sanctum Lucam capite 15. in parabola de centum ouibus, Christus Dominus dicat se relictis nonaginta nouem ouibus, id est Angelorum choris, venisse in terras, ad recuperandam vnicam ouem deperditam, & errantem, III. id est hominem peccatorem, ira vt, nisi vnica illa ouis errasset, non fuisset derelicturus prædictas nonaginta nouem.

Secundò vrgent, admissa superiori responsione, sequi, nos non teneri referre gratias Deo pro incarnatione Filij sui, sed tantùm pro eius passibilitate, quod maximè diminuit incentium amoris erga Deum. Sicut (quod est exemplum Lessij suprà) amicus ille non teneretur referre gratias suo alteri amico eum Romæ inuisenti pro labore & sumptibus itineris, quando finis huius peregrinationis susceptæ, est ipsa vrbis Romæ visitatio; sed solummodo teneretur ei gratias agere, quòd existens Romæ, eum inuiserit; quæ gratiarum actio, est longè dissentanea à modo loquèdi Scripturæ & Patrum suprà; cùm etiam Ecclesia, in benedictione cerei Paschalis exclamet. *O certè necessarium Adæ peccatum quod Christi morte deletum est, ô fœlix culpa, quæ talem meruit habere redemptorem*; & in IV. antiquo Ecclesiæ hymno, de beatissima Virgine sic dicatur, *Peccatores non abhorres, sine quibus numquam fores.*

Respondetur, concessa Maiore, negando Minorem, ad probationem primæ eius partis petitam ex cap. 2. Epistolæ ad Hebræos Responderi duplicem distingui similitudinem inter Christum & nos; prior est quoad naturam, quatenus Christus & nos habemus eamdem speciem naturam; posterior attenditur secundùm eas imperfectiones & infirmitates, quas, peccato & ignorantia exceptis, habemus. Iam S. Paulo loci agit tantùm de hac posteriori similitudine, quæ in nobis fundatur in peccato primi parentis, vnde Apostolus ibi solummodo vult ipsas A nostras infirmitates, ignorantia & peccato exceptis, fuisse Verbo incarnando occasionem assumendi etiam illas, quia vt illius decreti, quo Deus efficaciter statuit hoc mysterium, Christus erat futurus in ea carne quoad modum passibilitatis vel impassibilitatis, qua eramus futuri; mens autem Apostoli ibi non est has nostras infirmitates fuisse simpliciter & absolutè ipsi Verbo occasionē assumēdi naturam humanam: de quo tamen solo tota præsens difficultas mouetur: & quod hæc sic mens Apostoli, patet ex illa eius particula, continente causam humanitatis, tali modo assumptæ, scilicet, *vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium; & liberaret eos qui timore mortis, per totam vitam obnoxij erant seruituti.* & paulò pòst, *Vnde debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret & fidelis Pōtifex ad Deum vt reconciliaret delicta populi.* quo loci particula, *vt*, explicatiua eiusmodi conditionis, denotat redemptionem humani generis fuisse causam istius conditionis in humanitate assumpta, & ideò cùm sublatā hac secunda similitudine, adhuc prima resteret, non negat Verbum fore incarnandum, si primus parens non peccasset. V. VI.

Neque fauet aduersariis illud, quod ibidem habet Apostolus, *nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, nam significant tantùm, quia Angeli qui peccauerunt non erant reparandi; ideò diuinum Verbum non debuisse illis in hunc finem assimilari: è contrà verò, quia Verbum diuinum ex diuina volitione in primo signo rationis simpliciter incarnandum, ordinabatur etiam ex eadem volitione, in alio sequenti signo considerata, in redemptionem C nostram, ideò debuisse nobis quoad afflictiones & passiones humanitatis, peccato & ignorantia exceptis, assimilari, & non tantùm in ipsa natura humana, considerata specificè. VII.

Vnde patet solutio ad primam confirmationem huius partis fundatam in prædicto loco S. Pauli. Nam Apostolus ibi non affert adæquatam causam, propter quam Verbum diuinum absolutè & simpliciter non assumpserit naturam angelicam, sed cùm istæ duæ naturæ, angelica scilicet & humana, peccassent, cur hæc fuerit assumpta in carne, vt passibili & mortali, quia scilicet erat reparanda. Ratio autem à priori; cur Deus non assumpserit naturam angelicam, est ipsa eius voluntas: nam S. Augustinus Epistola ad Volusianum, loquens de hoc mysterio, rectè ait, *tota ratio facti, est voluntas facientis*: nihilominus & aliquæ congruentiæ D dantur, verbi gratia, quòd potentia Dei magis eluceſcat, quando naturam intellectualem omnium infimam, & à se remotissimam assumit: similiter & eius charitas: est autem Filius potiùs incarnatus, quàm Pater vel Spiritus sanctus, quia debebamus fieri adoptiui Filij Dei, etiā in statu innocentiæ: ideòque conuenientius erat, totum id præstari interuentu eius, qui erat verus & naturalis Filius Dei, quales non sunt Pater & Spiritus sanctus: & quamquam reparatio generis humani non fuerit vnica, & adæquata causa huius mysterij, & non existente peccato Adæ semper Christus venisset, non propterea tamē hoc mysterium debuit fieri statim in exordio ipsius mundi creati, vel paulò pòst: nam Patres, dum quærunt rationes, ob quas mysterium hoc non fuerit peractum in initio mundi creati, sed tantùm *in plenitudine temporis*, quem VIII.

I. admodum loquitur Apostolus ad Galat. cap. 4. non tantùm eas afferunt, quæ supponunt peccatum Adæ, sed alias plures, quæ, illo etiam non existente, retinent suam veritatem, v. g. quod mysterium hoc debuerit priùs promitti per Prophetas, prædicari, credi ab hominibus, quàm cito dari; & quod hoc cedat, tùm ad reuerentiam huius mysterij, tùm ad vniuersi pulchritudinem, quatenus pro diuerso tempore, diuersam dicitur habere pulchritudinem, & ob alias similes congruentias, quæ omnino abstrahunt ab ipso peccato Adæ, vt etiam S. Thomas art. 5. & 6. huius quæstionis insinuat.

Atque ex his satisfit primæ parti Minoris, & eius confirmationibus. Ad secundam & tertiam eius partem respondetur, ex implicita reuelatione Dei, contenta tam in sacris litteris,

II. quàm in Patribus, constare vnicam & totalem causam finalem huius mysterij, non esse solam redemptionem generis humani; quemadmodum patet ex cit. sacris Scripturis & Patribus pro nostra propositione.

Ad auctoritates Scripturæ allatas in contrarium respondetur: hæc duo esse valdè distincta, scilicet, *Christum venisse pro reparando humano genere, & Christum ob hanc solam & ob nullam aliam causam venisse.* sicut istud Samuelis venientis Bethleem ad vngendum Dauid in Regem, lib. 1. Reg. cap. 16. *Ad immolandum Domino veni*, maximè distinguitur ab hoc, *Solummodo veni ad immolandum Domino*: & sicut, quia Samuel est tantùm loquutus priori modo, rectè stat quod etiam venerit ad vngendum Dauid in Regem, pari iure, quia sacræ Litteræ ita dicunt Christum venisse propter hominem

III. redimendum, vt nullam vnquam adhibeant particulam, quæ excludat aliquam aliam causam finalem; ideò fit, vt ex eiusmodi testimoniis, aliquid non possit efficaciter probari contra nostram propositionem: & quemadmodum Samuel poterat priùs absolutè velle venire Bethleem ad vngendum Dauid in Regem; deinde, vbi præuidit sibi imminere periculum, potuit istud iter à se susceptum etiam ordinate ad immolandum Deo, priori voluntate semper remanente: ita etiam Deus potuit primùm velle mysterium Incarnationis, modo à nobis superiùs exposito: vbi verò præuidit lapsum totius humani generis, determinare in particulari modum illum conuenientiorem, quo Verbum erat incarnandum, fore in carne passibili, vt sic totum genus humanum repararet à lapsu primi parentis, & aliis peccatis, & sic de facto Verbum

IV. esse incarnandum.

Hinc aliquando in sacris Litteris dum fit mentio aduentus Christi Domini, nonnulla recensentur, tanquam causæ illius, quæ omnino abstrahunt à statu naturæ lapsæ, & fundantur in totali & adæquata obiectiua ratione superiùs tradita: sic Ioan. 10. ait Christus Dominus, *Veni vt vitam habeant, & abundantius habeant:* at homines habere gratiam seu etiam vitam æternam, & eam habere abundantiorem, absolutè loquendo, non supponit hominem fuisse in peccato, quia hoc vtrumque habuisset locum in statu innocentiæ, in quo nullum supponeretur esse peccatum. Et quemadmodum primus parens, vt suprà ostendimus, habuit iustitiam originalem in tali statu ex meritis Christi Domini, ita etiam si in illo perseuerasset, habuisset illius suæ gratiæ incrementum, & gloriam ex

A ciusdem Christi Domini meritis, cùm tam bene pro illo statu fuerit datus in caput, & summum pastorem hominum, in sponsum Ecclesiæ, in mediatorem vitæ & gloriæ ac pro hoc nostro statu, quia omnes hæ rationes obiectiuæ, seorsim inadæquatæ, continentur in totali & adæquata illa ratione obiectiua, secundùm quam, Christus Dominus est à Deo efficaciter intentus, tanquam perfectissimum caput totius vniuersi, vt explicatum est suprà.

Quòd si quis quærat, quare ergo in sacris Litteris, dum agitur de causa aduentus Christi Domini, tam crebra fit mentio humanæ reparationis, afflictionum Christi Domini, & aliorum eius beneficiorum erga nos, quæ supponunt lapsum primi parentis. Respondetur, totum istud fieri, primò, ad excitandum in nobis amorem erga Deum, nam dolores, afflictiones & mala in aliorum vtilitatem perpessa, habent apud illos singularem vim alliciendi eos ad redamandum. Deinde ad manifestandum summam Verbi incarnati charitatem erga nos: qui cùm nullam haberet obligationem moriendi pro nobis, nisi per acceptationem præcepti hac de re à Deo Patre sibi impositi; voluit tam indigna pro nobis suis inimicis perpeti. Tertiò, quia sacræ Scripturæ frequentiùs loquuntur de hoc mysterio, provt de facto est peractum, quàm provt fuisset, quoad aliquas alias conditiones, peragendum, si primus parens non peccasset.

Ex his respondetur etiam in particulari ad singula sacræ Scripturæ testimonia allata in probationem istius secundæ partis Minoris. Ad primum quidem desumptum ex impositione nominis Christi Iesu, Matth. 1. quia Christus, vi decreti diuini de Verbo incarnando, vt in primo signo considerati, ita est ordinatus in nostrum mediatorem gratiæ & gloriæ apud Deum, vt tamen in alio signo sequenti, post præuisionem lapsus Adæ, sit etiam ordinatus per determinationem magis distinctam, in redemptorem hominum à tali lapsu, factum est, vt iuxta decretum istud, spectatum secundùm totam suam latitudinem, nomen hoc *Iesu* sit ei impositum, provt significat Saluatorem hominum, non tantùm conciliando illis supernaturalem gratiam & gloriam, sed etiam illis, vt iam inimicis Dei, procurando & promerendo remissionem suorum peccatorum.

Similiter patet solutio ad illum alium locum petitum ex cap. 9. S. Matth. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Nam sensus illius non est,

D quòd Christus Dominus venerit vocare solos peccatores, seu eos tantùm qui tempore aduentus eius erant in peccato, itavt, si qui eo tempore, vel antè fuerint iusti, qualis erat Simeon ille senex, qui eum intra suas vlnas susscepit, Luc. 2. cap. & nonnulli alij, non venerit pro illis. Hoc enim esse falsum patet ex cit. illo S. Ioan. 1. cap. iuxta expositionem ibi relatam ex S. Thoma. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed sensus istius sententiæ Christi Domini est, quòd cùm omnes simus peccatores, & nascamur filij iræ, nullóque Christus inuenerit, qui aut à se ipsis, aut ab ipsa lege Mosaica haberent iustitiam, Christum, considerando executionem huius mysterij, magis venisse pro peccatoribus, quàm pro iustis, non negando quin etiam venerit pro iustis, si qui tales fuissent, vt ex S. Hil. can. 9. in Matt. & ex S. Hieronym.

V. VI. VII. VIII.

I. ad locum illum Euangelistæ intelligitur. Quo etiam sensu debent accipi alia scripturæ testimonia in hoc primo argumento aduersariorum relata, & si status Innocentiæ perseuerasset, venissetque Christus, adhuc rectè potuissemus dicere de eo, *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*, quia nomine, *salutis*, etiam in sacris Litteris, non semper significatur remissio peccatorum propriè dicta, sed interdum & ipsa gratia sanctificans, augmentum eius, & assequutio vitæ æternæ, vt Eccles. 30. *Salus animæ in sanctitate institiæ*, ad Philipp. 2. vbi Apostolus colloquens, vt videtur, hominesiam constitutos in gratia, ita ait, *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Id est exercete bona opera efficacia vitæ æternæ: ideóque cùm Christus Dominus in tali statu innocentiæ venisset, tanquam mediator Dei &

II. hominum respectu gratiæ & gloriæ, tunc homines rectè potuissent ita dicere de illo, *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

Et quamquam Patres interdum ita loquantur de nostra redemptione, tanquam de sola causa finali mysterij Incarnationis, quemadmodum vrgent aduersarij tertia parte eiusdem suæ Minoris, attamen, si legantur attentè, & illæ eorum sententiæ conferantur cum antecedentibus & consequentibus, diligens lector statim percipiet eos rantùm negare Verbum fore incarnandum in carne passibili, si nullum fuisset peccatum. De S. Irænco lib. 5. cap. 14. patet, nam eo cap. totus in eo est vt probet carnem Christi Domini non tantùm fuisse eiusdem rationis specificæ cum nostra, sed etiam quoad

III. defectus corporis, *passibilitatis*, *mortalitatis*, & alias eiusmodi conditiones: nam hæretici, contra quos ibi disputat, admittebant veram & substantialem carnem in Christo, vt patet ex toto decursu capitis, sed contendebant illam, quoad defectus corporales passibilitatis, & mortalitatis, non fuisse eiusdem conditionis cum nostra, contra quos id probat, ex eo quod aliàs Christus Dominus nos non reconciliasset Deo per suam mortem, quod est contra sacras Scripturas, quas ibi refert: vnde quando ibi ait, sublata hac necessitate nostræ salutis, mysterium hoc non futurum, non loquitur purè & simpliciter, sed tantùm in carne passibili: itavt causa istius passibilitatis & mortalitatis assumptæ à Verbo in sua carne, fuerit nostra redemptio: & hunc sensum apertè indicat, quando ibi admittit carnem Christi Domini hoc sensu esse alteram

IV. à nostra, quòd illa non peccauit, nos autem simus peccatores, & dum ita subiicit, *Si autem alteram substantiam carnis Domino affingit, iam non constabit illi reconciliationis sermo.*

Quod item D. Ath. loco in ista probatione cit. sit etiam intelligendus hoc modo, patet ex eo quòd paulò antè explicet hoc mysterium exemplo filij missi à suo patre, sub veste dissimulata ad recuperandos seruos fugitiuos, quos eius pater amisit. Item ex eo quòd ibidem profert testimonia sacræ Scripturæ vt, Ioan. 6. quibus Christus Dominus ait se venisse vt faciat voluntatem Patris, quæ voluntas Patris iuxta explicationem eiusdem S. Ath. ibi est vt Christus patiatur mortem pro nobis.

Similiter & S. Augustinus significat, se hoc modo esse intelligendum, dum paulò antè verba ex illo ab aduersariis relata, loquens de aduentu

A Christi, ait eum venisse per humanam infirmitatem, quæ loquendi formula denotat passibilitatem eius & mortalitatem, quas occasione peccati primi parentis suscepit. Ex quibus omnibus constat neminem Patrum dicere simpliciter & absolutè Christum non venturum, si primus parens non peccasset, quin potiùs, locis pro nostra propositione relatis, insinuare contrarium: sicque patet solutio ad primam confirmationem allatam ab aduersariis contra hanc nostram responsionem. V.

Ad secundam confirmationem, negatur sequi ex nostra sententia, non ipsam substantiam huius mysterij, sed solam eius qualitatem, seu conditionem passibilitatis fuisse ordinatam in redemptionem hominum. Nam suprà ostendimus hoc mysterium futurum in nostrũ bonum, etiam ex ordinatione Dei, si status innocentiæ

B perseuerasset, scilicet vt haberemus Christum mediatorem Dei & hominum, nostrum caput, tam ratione gratiæ sanctificantis, quàm aliorum donorum supernaturalium: sed in primo illo signo rationis, modus ille singularis, quo foret in carne ad nostrum illud bonum, non esset determinatus in particulari, passibilisne an impassibilis. Deus determinauit illum in alio signo rationis post præuisum lapsum Adæ, quòd scilicet esset in carne passibili, vt sic, tanquam bonus Pastor, poneret suam animam pro ouibus, & per suam passionem & mortem esset illis mediator gratiæ & gloriæ. Qua ratione non nuda qualitas seu conditio mysterij Incarnationis, sed ipsa etiam eius substantia, est ordinata in nostram redemptionem. VI.

Ad parabolam Luc. 15. de 99. ouibus relictis,

C Respondetur, sicut locus ille est merè parabolicus, ita & sensum in obiectione assignatum esse etiam parabolicum: at ex loco merè parabolico, iuxta sensum parabolicum acceptum, nullum validum desumitur argumentum, nisi sensus ille vel à Christo Domino sit, vel Apostolis, aut Ecclesia tamquam verus & ad fidem pertinens expositus, vt docent Theologi prima parte q. 11. qualis non est sensus huius parabolæ in hac confirmatione relatus ab aduersariis. Deinde respõdetur proprium eius sensum esse dignoscendum ex fine ipsius parabolæ, qui vt ex illo Euangelij, *(Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super 99. iustis, qui non indigent pœnitentia.)* intelligitur esse iste, quòd sicut inuentio ouis errantis excitat in ipso pastore nouum quod-

D dam actuale gaudium, quale aliæ oues, quæ remanserunt, non excitant: ita etiam conuersio magni alicuius peccatoris, excitat de nouo in beatis Angelis nouam quandam lætitiam, qualem non habent de nouo ita excitatam, ex continuatione iustorum in sua sanctificante gratia & bonis operibus, vt ad illum locum obseruant Patres & Interpretes. VII. VIII.

Ad secundam replicam contra superiorem explicationem testimoniorum Scripturæ & Patrum. Respondetur malè colligi ex nostra sententia & prædictis responsionibus, nos non teneri ad agendum gratias Deo pro Incarnatione Filij eius, sed solummodo pro eius passibilitate, cùm ostenderimus ipsam huius mysterij substantiam fuisse ordinatam à Deo specialiter in nostrum bonum, quatenus Filius Dei, vt incarnatus, etiam in primo illo signo rationis, datus est nobis in mediatorem gratiæ & gloriæ, in caput

I. nostrum, & sponsum Ecclesiæ; & in alio signo rationis sequenti modus sit duntaxat determinatus, quo tantum bonum cederet in nostrum commodum, in quo maximè claudicat similitudo Lessij allata in argumento aduersariorum.

Ad exclamationem illam Ecclesiæ in benedictione cerei Paschalis, *O certè necessarium Adæ peccatum.* Respondetur peccatum Adæ ibi dici necessarium, non secundùm se, sed ratione cuiusdam euentus, scilicet ratione passionis Christi Domini, & singularium quorumdam bonorum, quæ ex illa ad nos defluxerunt, quæ, si primus parens non peccasset, non fuissent: quo sensu solemus interdũ dicere necessitatem illam quæ nos compellit ad meliora esse fœlicem, licèt in seipsa, & secundùm se spectata, sit etiam maximè indecens: iuxta quem modum possumus etiam

II. explicare hanc aliam Ecclesiæ exclamationem ibidem, *ô fœlix culpa*, quatenus eo sensu dicitur, *fœlix*, quòd ex eius occasione factum est, vt tot & tanta bona per Christi Domini passionem & mortem ad nos deriuarint. Vel possumus dicere (quod fere in idem recidit) istud, *ô fœlix culpa*, esse apostrophem ad peccatorẽ, in qua abstractum ponitur pro cõcreto, & Adam peccator dicitur *fœlix*, non formaliter, quia peccauit, cùm per peccatum sit factus miser, vt patet Genes. 3. cap. sed quia post peccatum tantam Dei misericordiam inuenit, vt dignaretur dare illi proprium, & sibi consubstantialem filium passibilem in nostra carne assumpta ad illum redimendum. Nam si mala, quæ peccatum Adæ consequuntur, conferantur cum bonis quæ obtinuimus ex passione & morte Christi Domini; videbũtur esse minima, vt expressè notat S. Greg.

III. lib. 4. Regum cap. 1. istis verbis, *Magna sunt mala, quæ per primæ culpæ meritum patimur, sed quis electus nollet peiora perpeti, quàm tantum redemptorem non habere?*

Ad confirmationem petitam ex prosa ibi relata respondetur illam non esse alicuius auctoritatis, primùm, quia non est vllius Patris Ecclesiæ, & falsò tribuitur sancto Augustino, cùm nullibi apud illum reperiatur. Secundò, quia Genebrardus in sua liturgia notat tẽpore Gregorij secundi quamplures prosas fuisse rescissas ex officio publico. & quatuor tantùm ab Ecclesia Romana fuisse retentas, de quarum numero cùm hæc prosa non sit, non videtur etiam esse alicuius authoritatis contra nostram sententiam.

Secundò obiiciunt, si, primo parente non peccante, Christus in prædicta serie veniret,

IV. vel venisset passibilis, vel impassibilis; vel in carne gloriosa, vel non gloriosa, quia non datur medium; non primo modo, nam passibilitas supponit peccatum Adæ, quod in præsenti hypothesi supponitur non futurum: non item secundo, quia in ipso decreto Dei de Verbo incarnando, Christus non decernebatur venturus impassibilis, & in carne gloriosa; aliàs enim sic venisset, cùm decretum istud fuerit efficax, cuius tamen contrarium euenisse ipsa fides docet: vel si Adamo non peccante erat venturus impassibilis, post verò peccatum Adæ præuisum, passibilis, aliqua variatio erit necessariò admittenda in isto efficaci decreto Dei, contra naturam eius, quæ est esse immutabile; oportuisset enim illud mutare post præuisum Adæ peccatũ.

Quòd si quis respondeat, Deum in illo signo rationis, quod antecessit præuisionem peccati Adæ, decreuisse solummodo efficaciter subst-

A antiam huius mysterij, scilicet Verbum esse incarnandum, & in signo sequenti præuisionem peccati Adæ, decreuisse conditionem huius mysterij, scilicet Verbum esse incarnandum in carne passibili: Vrgent quòd quando Deus prædestinat aliquem futurum, ita prædestinat, vt vi illius eiusdem decreti simul etiam ordinet omnia quæ spectant ad naturalem eius conditionem & statum, iuxta omnes & singulas conditiones in particulari; quia aliàs sequeretur hominem ita prædestinatum posse viralis decreti existere absque cõditione & statu naturali, quod est absurdum: atqui Deus prædestinauit Christum futurum in carne, & passibilitas est particularis eius conditio, imò & status eius naturalis, sicut & omnium reliquorum hominum: igitur Deus in primo illo signo rationis

B prædestinauit Christum futurum passibilem, proindéque non potuit, in tali signo rationis, efficaciter ordinare hoc mysterium, quoad nudam & solam suam substantiam.

Respondetur, Adamo non peccante, Christum in ista serie venturum impassibilem, quia talis fuisset quoad conditiones corporis, quales fuissent alij homines in illa eadem serie, cùm esset eorum caput, & inter caput & membra debeat esse quædam conformitas: at in ista serie, Adam non peccante, homines fuissent impassibiles, vt S. August. lib. 1. de peccatorum meritis & remissionibus cap. 2. notat: quoad gloriam verò corporis, vel illa, ob eius conuersationem cum cæteris hominibus & bonum illorum, fuisset impedita resultare ex eius gloria animæ, vel Christus Dominus tunc alio modo sese

C habuisset ad illam: qua de re dicetur infra proprio suo loco.

Ad istud quod ibi in contrarium obiicitur, scilicet, *in isto decreto Dei Christus non decernebatur venturus impassibilis*, respondetur, in isto distingui pluta signa rationis, vt ostendimus suprà, in primo decerni tantùm quòd Christus veniret vt perfectissimum caput totius vniuersi, modo illo qui esset ipsi vniuerso conuenientior, quod est decernere substantiam huius mysterij, etiam in proprium bonum hominum, absque aliqua speciali determinatione modi, quo hoc mysterium fieret in particulari: vnde Christus Dominus habet ab illa volitione Dei, vt in primo illo signo considerata, & ad seipsum secundùm totã suam substantiã terminata, quòd siue primus parens perseueraret in iustitia originali, siue ab illa deficeret, fuerit tamen efficaciter venturus, modo sibi conuenienti, in ratio-

D ne perfectissimi capitis, non explicando, seu determinando quis sit ille modus in particulari; sed illam determinationem, seu explicationem quasi suspendendo, vel quasi expectando facere illam in alio sequenti signo rationis, quo perseuerantiã Adæ in iustitia originali cognitã, vel præuiso eius lapsu decerneret illam in particulari, conformiter ad eum statum, quem primi parentes, & eorum posteri essent habituri. Quo modo rectè intelligitur nullam isti decreto efficaci Dei, vt in primo signo considerato, variationem seu mutationem aduenire, cùm totum quod eo decernebatur, fiat, etiam posito lapsu primi parentis. Et quod continebatur solùm virtualiter in illo decreto, iuxta primum illud signum rationis spectato, distinctius fuerit explicatum in alio sequenti signo, post præuisum

V. VI. VII. VIII.

I. Adæ peccatum, scilicet Christum venturum passibilem, quia, posito lapsu Adæ, modus iste est ei, tanquam omnium hominum capiti & pastori conuenientior: sicut primo parente perseuerante in statu innocentiæ, tunc modus impassibilis ei, ob eamdem rationem, fuisset conueniés, habuisseteque locum in Christo, nulla facta mutatione in tali decreto, secundùm primũ signum rationis considerato, vt etiam videre est in nobis, qui dum decernimus aliquid facere, non determinando modum quo illud faciemus, tunc non censemur deficere à tali decreto, vel immutare illud, quando singulares illius exequendi conditiones determinamus, quin potiùs censemur in illo eodem perseuerare, & velle illud efficaciter exequi.

Neque his omnibus obstat, quòd ibidem obiiciunt aduersarij, scilicet, *quando Deus aliquem*
II. *futurum prædestinat, ita prædestinat, vt in illum* B *eiusdem decreti, simul etiam ordinet omnia & singula in particulari, quæ spectant ad statum, & conditionem eius.* Nam in isto Dei decreto istæ particulæ, *vt illum eiusdem decreti, simul*, vel tantummodo significant totum illud decretum, tàm circa substantiam rei prædestinatæ seu decretæ, quàm circa eius accidentia, esse vnicum simplicissimum actum Dei, qui simul & semel, sine aliqua partium successione vel interruptione, se terminet tàm ad ipsa accidentia, seu particulares conditiones rei quæ decernitur, quàm ad eius substantiam, quatenus Deus non habet primò vnum actum, quo velit ipsam substãtiam rei, eámque efficaciter ordinet, deinde, alium quo statuat efficaciter de particularibus eius conditionibus, quemadmodum contingit in
III. nobis: vel prædictæ illæ particulæ solummodo C significant actum illum Dei, quo efficaciter statuit tàm de conditionibus particularibus rei, quàm de eius substantia, ita esse simplicissimum vt, nostro etiam intelligendi modo, cum aliquo fundamento in re, non possimus illum distinguere in plura signa rationis; itavt propter habitudinem, quam plura illa, quæ includuntur in totali re decreta, habent ad se inuicem, non possimus rectè dicere, decretum istud, provt à nobis apprehenditur pluribus inadæquatis conceptibus correspondentibus aliquibus signis rationis, habet quòd prius sese terminet ad vnum, & posterius in alio signo rationis ad aliquid aliud. Si auctores prioris sententiæ intelligant istas particulas priori modo, libenter illis assentimur: modus enim iste volendi arguit imperfectionem in volente, vt pote qui simul &
IV. semel non potest ferri in omnia obiecta volibilia, D quemadmodum communiter docent omnes Theologi prima parte q. 19. sed ex hoc sensu istarum prædictarum particularum aduersarij nihil possunt inferre contra nostram sententiam: sensus enim non est quod Deus habuerit duo decreta, seu duas propriè volitiones, sed vnicam tantùm simplicissimam, vt etiam diximus articulo primo.

Quòd si intelligant prædictas particulas posteriori sensu. Respondemus, id quod obiiciunt esse falsum, etiam in eorum sententia. Nam, vt illi volunt, Deus priùs decreuit creare primos parentes, deinde dare eis iustitiam originalem, quàm præuideret eorum peccatum: ergo in tali volitione dandi ipsum existere primis parentibus, est vnum signum rationis, deinde aliud signum est, quo voluit illis iustitiam originalem. Tertium, quo præuidit lapsum illorum. Iam quando Deus decreuit primos parentes creare, antequam nostro modo concipiendi præuideret illorum lapsum, vel decreuit in particulari, seu quoad singulas conditiones, eos futuros passibiles, vel determinatè impassibiles, aut tantummodo creare quidem, sed non determinando in particulari, quòd essent impassibiles vel passibiles: auctores prioris sententiæ non possunt primum modum admittere, provt decretum istud Dei respondet illi signo rationis, quia tunc retorquebimur contra illos istud quod reputant incommodum in nostra sententia: ergo debent admittere, Deum priùs in aliquo signo rationis voluisse etiam efficaciter creare primos parentes, deinde in alio & sequentibus signis voluisse illis passibilitatem vel impassibilitatem, quod nostra sententia intendit. Simile exemplum potest desumi ex modo illo, quo Deus elegit efficaciter aliquos homines ad gloriam, imò & ad certum gradum gloriæ ante præuisa eorum opera.

V.

VI.

Neque potest nobis obiici, tales volitiones esse tantum confusas. Nam loquendo propriè sunt distinctæ & determinatæ, cùm sese terminent ad obiecta distincta & determinata, verbi gratia in præsenti difficultate ad ipsam substantiam huius mysterij, & ad personam Verbi, vt vniendam naturæ humanæ, quæ omnia dicunt aliquid distinctum & determinatum.

Et distinctionem istam signorum rationis nullam importare imperfectionem in Deo, patet ex mysterio Trinitatis, in quo, quia est quædam habitudo non tantùm attributorum ad
VII. essentiam, sed etiam attributorum absolutorum ad se inuicem, & similiter relatiuorum ad absoluta, ita vt hæc dicantur communiter à Theologis, esse priora notionalibus, rectè dicimus in aliquo signo rationis, provt diuinæ istæ perfectiones apprehenduntur à nobis, vnã illarum esse priorem alia, verbi gratia immutabilitatem æternitate: non quòd detur ibi vera aliqua prioritas, siue existentiæ, siue durationis, sed quia quod est simplicissimum in Deo, diuidimus in plures conceptus inadæquatos etiã obiectiuos, seruantes inter se aliquam habitudinem: idque facimus, vtendo abstractione tantùm præcisiuâ, & non negatiuâ, quemadmodum fusiùs explicatum est agendo de mysterio sanctissimæ Trinitatis.

Tertiò & vltimò obiiciunt, si quæ sit causa cur Adamo non peccante mysterium Incar-
VIII. nationis fuerit futurum, est tùm ipsa eius excellentia, ratione cuius maximè fuit expetendum, tùm etiam, vt hoc vniuersum constaret omnibus rerum gradibus: at neutra causa est sufficiens: non prior; nam quod includit humiliationem & exinanitionem diuinitatis', nullo modo est per se expetendum, sed solummodo ob aliam causam extrinsecam, quæ tanti sit momenti, vt aliter ei non potuerit consuli; quia est per se & naturâ suâ indecorum, Deum creatorem fieri creaturam, Dominum fieri seruum, sicut est indecens Regem fieri rusticum, vel mancipium, aut Regem accipere in vxorem mulierem mendicam & infimæ conditionis, nisi ob aliquam causam extrinsecam maioris momenti, cui non possit aliter prouideri: atqui mysterium Incarnationis continet humiliationem & exinanitionem diuinitatis, iuxta

I. Apostolum ad Philippenses secundo. *Exinaniit semetipsum, formam servi accipiens*, & alia ex parte salus totius humani generis, vt obtinenda, vi strictissimæ iustitiæ, est tanti momenti, vt ei sic spectatæ non possit aliter prouideri, quàm per hoc mysterium, vt suprà docuimus. Igitur hoc mysterium non fuit per se, seu propter suam excellentiam expetendum, sed solummodo propter salutem humani generis, & proinde Adamo non peccante, nullomodo erat futurum.

Quod item secunda causa non sit sufficiens, probatur. Hoc mysterium nullomodo pertinet ad perfectionem vniuersi; ergo non fuit expetendum, vt vniuersum constaret omnibus gradibus. Antecedens probatur. Vnio Verbi diuini cum humanitate, vel consideratur secun-

II. dùm se, prout est quædam perfectio creata non inuoluens diuinitatem, & sic non est magna perfectio, sed tantùm modus quidam, vel respectus supernaturaliter communicatus naturæ creatæ, qui per se non constituit aliquem gradum rerum, cùm non sit aliquid realiter distinctum à re cuius est modus, sed ipsamet res, provt certo quodam modo sese habet ad seipsam, vel ad aliud: aut ista vnio consideratur quatenus includit diuinitatem & diuinam personam; & hoc modo non pertinet ad gradus rerum creatarum, sed ad ordinem rerum diuinarum, quæ sunt extra ordinem vniuersi; nam vniones rerum pertinent ad ordinem rerum, quarum sunt vniones: igitur neque hoc mysterium fuit expetendum, nec proinde decernendum propter perfectionem vniuersi.

Respondetur, excellentiam huius mysterij

III. præcisè & solitariè sumptam, non fuisse adæquatam causam finalem futuritionis eius, primo etiam parente non peccante, quia aliàs sequeretur Deum pari modo debuisse velle in hac nostra rerum serie illud omne excellens, quod potuisset esse in statu innocentiæ: sed finalis & motiua eius causa, fuit ipsa gloria Dei, ratione cuius statuit sese communicare ad extra modo quàm posset fieri perfectissimo, ipsi homini & ipsi vniuerso dare caput quàm perfectissimum, quemadmodum ex citatis Scripturis & Patribus pro nostra sententia deduximus. Nullus autem modus est excellentior, quàm per vnionem hypostaticam, vt obseruat sanctus Thomas prima parte, quæst. 25. art. 6. in solutione ad vltim. Ex quo fit vt licèt vniuersum, spectatum iuxta solum naturæ ordinem, non postulet hoc mysterium, illud ta-

IV. men postulet supposita prædicta Dei voluntate de communicando se naturæ humanæ modo quàm perfectissimo.

Quid autem sit ipsa vnio hypostatica, & quantam dicat perfectionem, explicabitur seq. quæstione.

Ad illa verò duo quæ in confirmationem huius vltimi argumenti proferuntur, quorum primum est *Mysterium Incarnationis continere humiliationem, & exinanitionem dignitatis*; alterum est, *esse per se, & natura sua indecorum Deum fieri hominem*. Respondetur ad primum, cùm hæc vnio non fuerit facta in natura, sed in Verbo, ipsam diuinitatem non posse dici humiliatam & exinanitam per hoc mysteriũ. Secundò, nec Verbum aut Deum creatorem propriè dici factum creaturam per hoc mysterium, cùm hic terminus, creatura, importet suppositum

A creatum, vt ostendetur infrà quæst. 16. Tertiò Verbum diuinum dici seipsum exinaniisse & humiliasse per hoc mysterium, ad Philipp. 2. non quòd per hanc vnionem aliquid suæ potestatis, vel excellentiæ diminuerit, quasi Verbum sustentans humanitatem sit aliquid minus seipso sustentante diuinam naturam: sed dicitur se exinaniisse & humiliasse, quatenus humanã naturã suæ dignitati longè imparem dignatus est assumere in nostrum bonum, nulla tamen facta in se ipso mutatione, accessione, aut diminutione alicuius suæ perfectionis. Quemadmodum si rex aliquis, seruatâ semper dignitate regis, absque minima illius diminutione, ex singulari affectu aliquè ex suis ciuibus assumeret in specialem amicitiam & societatem, tunc rex ille, comparatione factâ ad talem ciuem, diceretur se-

B ipsum exinanire & humiliare, modus tamen iste nullam argueret in illo imperfectionem, vel indecentiam, ex prædicta hypothesi, sed solummodo argueret bonitatem eius, & comitatem: atqui exinanitionem Verbi diuini in hoc consistere, amplius satis exprimit cita. loco, vbi post ista verba, *exinaniit semetipsum*, statim explicans, in quo consistat ista exinanitio, ita subiungit, *formam serui accipiens*, id est assumendo naturam humanam, qua etiam ratione Patres illam explicant. Sãctus Ambrosius libro secundo de fide capite 4. *Quomodo, inquit, minor factus, nisi quia, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, non amittens vtique quod erat, sed assumens quod non erat: quia formam serui accepit.* Sanctus Augustinus libro primo contra Maximinum capite 5. & libro 2. contra

C eumdem capite etiam 5. *Qui cùm*, inquit, *in forma Dei esset, quæ illi erat sua, non rapinam arbitratus est, hoc est, non alienum arbitratus est esse æqualem Deo: sed tamen quærens nostra, non sua, semetipsum exinaniuit, non formam Dei amittens, sed formam serui accipiens. Non enim est mutabilis illa natura, vt se exinaniret perdendo quod erat, sed accipiendo quod non erat: nec consumendo quæ sua sunt, sed assumendo quæ nostra sunt, ac deinde in forma serui obediendo sicut homo vsque ad mortem crucis.* Et sanctus Cyrillus Alexandrinus epistola sua ad Monachos Ægypti, quæ habetur tomo primo actorum Concilij Ephesini œcumenici capite primo. *Verbum Dei*, inquit, *quod in forma & æqualitate Dei & Patris erat, semetipsum humiliauit, quando, vt Ioannes loquitur, caro factum ex*

D *muliere natum est, æternámque ex Patre originem obtinens, nostram quoque propter nos generationem experiri non recusauit.*

V. VI. VII. VIII.

Vnde licèt principium physicum formale, quo Christus est satisfaciens, redemptor, merens, mediator, sit ipsa eius humanitas & actiones, ratione quorum omnium est inferior suo Patre, quia tamen ipsamet persona Christi Domini intrat formaliter ipsam satisfactionem, redemptionem, meritum, tàm quatenus seipsam offert in præcipuam partem pretij, quàm quatenus suâ sustentatione dignificat infinitè humanitatem assumptam & actus eius, & hæc persona Christi non est inferior Deo Patre, sit vt Christus quatenus satisfaciens, quatenus redemptor, quatenus merens, quatenus mediator redemptionis, sit æqualis suo Patri, nec Christus possit simpliciter & absolutè dici minor suo Patre, sed tantùm cum hac addita ra-

tione

I. tione humanitatis, vel alio simili, quemadmodum fusiùs explicabitur infrà ad quæstionem 16. Ad secundum negatur esse per se & natura sua indecorum Deum fieri hominem, quia summa communicatio Dei ad extra, quæ secundùm absolutam potentiam Dei est possibilis, involuit aliquid ex se & natura sua indecorum (est enim maximè indecens vltimos positiuos tam diuinæ bonitatis, quàm eius omnipotentiæ limites, sese terminare ad aliquid quod ex se & natura sua sit indecorum, cùm hoc arguat potiùs aliquam imperfectionem quàm perfectionem) atqui summa Dei communicatio ad extra, secundùm absolutam Dei potentiam, est ipsa communicatio Dei per vnionem hypostaticam facta humanæ naturæ, quemadmodum notauimus ex S. Thoma: tum etiam quia medium illud non est per se & natura sua indecorum, quod alio faciliori & nullam imperfectionem continente o-

II. B missō, nihilominus tamen ex summa prudentia, & sapientia operantis, eligitur ad aliquod malum euitandum: tunc enim solùm recta ratio dictat medium per se & natura sua indecorum, esse per *accidens* assumendum, pro obtinendo aliquo bono fine, quando necessitas finis, tale medium exigit, illúdque cohonestat (sicut enim ex doctrina Apostoli, *Non sunt facienda mala vt eueniant bona*, ita nec quæ sunt indecora, facienda sunt, vt quæ alio faciliori modo & absque decentia possunt fieri, eueniant:) atqui Deus summè sapienter & prudenter, (vti solet in omnibus) elegit mysterium Incarnationis, pro reparando toto humano genere, vt agnoscunt aduersarij, quod tamen solâ suâ misericordiâ reparare poterat, vt ostendimus, nec ad hunc

III. finem necessitabatur ordinare mysterium Incarnationis. Igitur mysterium Incarnationis C non est aliquid per se & natura sua indecorum.

Articvlvs Vltimvs.

Propter quæ peccata delenda Christus venerit, & venisset in carne passibili.

PRÆSENS difficultas, sicut & præcedens, procedit de hac tantùm serie quam Deus de facto selegit, non autem de aliis possibilibus: & cùm articulis præcedentibus docuerimus, Christum venisse in carne passibili pro delendis nostris peccatis, quorum vnum est originale, alterum actuale, quæritur an pro hoc vtroque venerit: & si pro vtroque, an æquè primò. Deinde si ex hypothesi solum fuisset originale, an nihilominus venisset in carne passibili: vel, si è

IV. contra fuissent solummodo multa actualia, siue D mortalia, siue venialia, & nullum originale. Vbi notandum est, nos non supponere, tanquam certum, potuisse dari solum originale in adultis, longo tempore viuentibus absque aliquo actuali; sed tantùm inquirimus, factâ hâc hypothesi, quomodo Christus Dominus sese habuisset in hac rerum serie, quam Deus pro nobis, per eum ordinandis ad vitam æternam, selegit.

Sit prima propositio. *Christus Dominus venit in carne passibili ad omnia omnium hominum peccata delenda*, id est, ad originale, & omnia actualia mortalia & venialia, seu quod in idem recidit, ad exhibendum remedium delendis omnibus omnium hominum peccatis sufficiens. Pro-

A positio est de fide, Isaiæ 53. *Posuit in eo* (scilicet Christo vt nostro redemptore, & pro nobis satisfaciente) *iniquitates omnium nostrùm*: primæ Ioannis primo, *Et sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos omni peccato*. Quo loci notandum est signum istud vniuersale, *omni*, quo sanctus Ioannes denotat nullum peccatum, quodcumque sit illud, excludi ab hoc fine aduentus Christi Domini in carne passibili; qui per ipsam effusionem eius sanguinis ibi designatur, & ibidem capite sequenti, *Ipse* (Christus scilicet) *est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*. Item 2. ad Corint. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus*. Deinde ex Conciliis, vt Mileuitano cap. 3. & 4. Toletano 6. can. 1. tandem probatur hac congruenti ratione. Qui venit sub ratione perfecti redemptoris & saluatoris hominum, is debet venire ad tollendum, saltem quoad sufficientiam, omnia quæ impediunt homines ab ingressu regni cœlorum, cùm in hoc consistat ratio perfecti saluatoris: atqui Christus Dominus venit in carne passibili sub ratione perfecti saluatoris hominum, vt patet ex ipso eius nomine *Iesu*, & ex citatis Scripturis. Præterea peccata, tam actualia, quàm originale, impediunt homines ab ingressu cœlorum, vt constat ex Scripturis passim: igitur Christus Dominus venit in carne passibili pro delendis omnibus omnium hominum peccatis.

Secunda propositio. *Comparando peccatum originale cum actualibus, Christus Dominus venit principaliùs in carne passibili pro delendo originali*. Ita sanctus Thomas hìc articulo quarto, & Scholastici communiter. Probatur primò ex sacris litteris, quæ dum agunt de satisfactione Christi Domini, sæpè loquuntur de peccato in singulari numero, quasi velint insinuare dari aliquod peccatum radicale, propter quod delendum Christus potissimùm venerit in carne passibili: sic Ioannis primo. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Ita enim legunt Græci codices, & plerique Patres Latini, & sanctus Ambrosius libro tertio de fide capite quinto, sanctus Augustinus libro duodecimo contra Faustum, capite trigesimo; quo loci per peccatum intelligitur originale iuxta Bedam relatum à sancto Thoma hìc articulo quarto. Vnde idem sanctus Thomas primâ secundæ quæstione octogesimâ secundâ, articulo secundo, probat ex hoc loco peccatum originale esse vnum, & non plura in singulis, & hæc particula, *Agnus*, significat passibilitatem Christi Domini: sanctus enim Ioannes ibi vocat Christum agnum, aillusione factâ ad agnum illum, cuius sanguine postes Iudæorum sunt aspersi in Ægypto, ne paruuli eorum occiderentur ab Angelo percutiente, & item ad agnum illum, qui quotannis in Paschate immolabatur Hierosolymis, & Christi Domini mortem, ciúsque sacrificiùm præfigurabat, vt obseruant Origenes homiliâ vigesimâ quartâ in Numeros, & sanctus Chrysostomus homiliâ trigesimâ septimâ in Matthæum, item ad Romanos quinto, & primæ ad Corinthios decimo-quinto. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. Quibus locis Apostolus, comparando Christi Domini obedientiam & meritum cum peccato Adæ, insinuat hæc potissimùm opponi inter se, & vnum venisse pro sanando altero. Probatur

V. VI. VII. VIII.

I. etiam aliis tum Scripturæ, tum Patrum auctoritatibus, quæ docent Christum venisse vt nobis recuperaret stolam illam innocentiæ, quam in primo parente perdidimus. Tandem probatur ratione. Qui vult afferre ordinatè remedium, debet velle principalius tollere non solummodo malum illud quod est maius & communius, sed etiam debet velle tollere radicem totius mali, vt probè notant Medici nostrorum corporum: atqui Deus volendo hoc mysterium in carne passibili, voluit adferre ordinatè remedium naturæ humanæ in peccatum lapsæ, hoc enim postulat summa eius sapientia, & singularis illius amor erga nos, & peccatum originale non est solummodo malum maius & communius peccato actuali, quatenus hoc est tantùm personale, sed vnius singularis & priuatæ personæ,

II. istud verò est totius humani generis; sed etiam est radix & origo omnium peccatorum actualium, vt cum S. Thoma 1. 2. quæst. 85. docent Theologi. Igitur Deus voluit hoc mysterium in carne passibili principalius pro delendo peccato originali.

Nec obstat, quòd peccatum actuale, quoad intensionem, sit maius solo originali, & grauius puniatur. Nam hoc mysterium, etiam in carne passibili est primò & per se in bonum totius communitatis hominum, & non duntaxat in bonum vnius priuati: ideóque licèt malum publicum, comparatum alicui malo priuato, in particulari ratione mali, sit aliquod minus malum, quia tamen, vt consideratur secundùm rationem communitatis, cuius est malum, est maius, cùm sit publicum, & ad plures sese extendat, sit, vt qui iuxta prudens consilium vult afferre

III. remedium communitati, debeat anteponere bonum publicum priuato, velle principalius curare malum publicum, cuiusmodi est peccatum originale, & minus principaliter priuatum, cuiusmodi est peccatum actuale; quemadmodum est animaduertere in sapientissimis rerum publicarum gubernatoribus, maximè vbi, sublato malo publico, facilius priuata mala curantur.

Tertia propositio. *Si peccatum originale fuisset solum, & nulla actualia, adhuc Christus Dominus venisset in carne passibili, ad redimendum genus humanum.* Ita videtur colligi ex Apostolo locis suprà citatis: nam ibi significat Christum venisse ad tollendam condemnationem illam, quam peccatum illud Adæ induxit in mundum. Ergo, cùm in hypothesi huius propositionis, hæc condemnatio esset inuecta, Christus venisset in carne passibili: & fauet ratio. Vbi dantur duo motiua rei alicuius faciendæ, vnum magis principa-

IV. le, & alterum minus, si hoc cessante, istud remaneat, & qui illud intendit, sit potens, non desinit rem istam efficere, quemadmodum docet experientia: atqui Deus habuit duo motiua pro facienda incarnatione in carne passibili; vnum principalius, scilicet redimere genus humanum à peccato originali; & alterum minus principale, scilicet illud etiam redimere ab omnibus suis peccatis actualibus, vt patet ex præcedenti propositione: igitur si solum originale peccatum fuisset, adhuc Christus in carne passibili venisset.

A Vltima propositio. Si peccatum originale non fuisset, & nihilominus multa fuissent actualia, etiam mortalia, Christus tamen non venisset in carne passibili: propositio est contra quosdam recentiores, est tamen communior inter Scholasticos. Et probatur primò, ex illis exclamationibus Ecclesiæ, *O necessarium Adæ peccatum! ô fælix culpa, quæ tantum meruit habere redemptorem:* hæc enim particula, *necessarium*, significat peccato Adæ non existente, Christum non futurum in carne passibili: præterea modus loquendi Scripturæ, & Patrum de aduentu Christi Domini in carne passibili, denotat eum sic venisse propter Adæ peccatum, quatenus illud est radix actualium: ergo cùm in præsenti hypothesi peccata actualia nó essent ab illo tanquam à radice, sed essent cómissa propriâ vniuscuiusque voluntate, non est cur dicamus tunc Chri-

B stum venturum in carne passibili: tandem Christus Dominus tunc talis debuisset venire, quoad conditionem corporis, quales tunc homines fuissent, ex vi istius status, in quo ponebantur à Deo: atqui status ille fuisset status innocentiæ, ex cuius vi & institutione homines debebant esse in carne impassibili, & passibilitas tunc fuisset fundata in aliquo peccato, vel proprio, vel alieno, sibi tamen per originem communicato, sicut in hoc nostro statu: atqui Christus Dominus nullum tale peccatum habuisset. Igitur tunc non fuisset in carne passibili.

Neque his obstat quòd Apostolus ad Galat. 2. dicat Christum venisse & fuisse traditum propter scipsum, quòd item Christus, referente sancto Dionysio epistola sua 8. ad Demophilum, dixerit sancto Carpo, se esse paratum iterum pati pro saluandis hominibus, nec quòd Patres in-

C terdum dicant, Christum venturum propter vnum solum peccatum vnius hominis; hæc inquam non obstant, primùm quidem, quia Apostolus loquitur de scipso in particulari, vt significet Christum tam perfectè satisfeciisse pro vnoquoque nostrùm, ac si pro vno solo tantùm satisfeciisset, vt optimè explicat sanctus Thomas hic art. 4. in responsione ad 3. 2. item non obstat, quia Christus ibi solummodo declarauit promptitudinem suæ voluntatis, cùm ibi addat hanc particulam, si opus foret, non autem explicat quid re ipsa factum fuisset, quomodo hic mouemus quæstionem, & reliqui Patres eodem modo sunt intelligendi: & quia hoc mysterium, provt ordinatur ad redemptionem hominum, postulat mutuum aliquod pactum inter Deum & Christum, & hæc prompta voluntas Christi, explicata prædictis testimoniis, illud non con-

D tinet, sit vt ex illis non possit validè colligi contrarium nostræ propositionis: neque propterea tamen homines, qui commisissent actualia peccata, desinerent habere Christum mediatorem gratiæ & gloriæ, quia posset pro illis satisfacere bonis operibus non pœnalibus. Quòd verò spectat ad tempus Incarnationis faciendæ, de eo diximus inter soluendum argumenta prioris sententiæ, præcedenti articulo, & quantum spectat ad conditionem passibilitatis comparatæ ad tempus, rationes sunt faciles apud sanctum Thomam articulo quinto & sexto.

V. VI. VII. VIII.

AD II. QVÆSTIONEM.

De vnione.

DISPVTATIO PRIMA.

De modo vnionis Verbi incarnati.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm per Incarnationem vna natura fuerit conuersa in alteram.

EXPLICATIS difficultatibus de conuenientia, necessitate & fine huius mysterij tanquam spectantibus ad quæstionē, an sit, nunc ipsam eiusdem mysterij quæstionem, quid est, S. Thomas aggreditur: quæ quoniam tota consistit in inuestigandis iis, quibus res ipsa constat intrinsecè, & vnio hypostatica est aliquorum extremorum coniunctio, ideo quærēdum imprimis fuit, quid sit illud quod ex tali vnione resultat, quænam ingrediantur illud, & qualis sit ista vnio, quod vtrumque S. Thomas præstat hac quæstione.

Conuenit inter omnes, qui agnouerunt hoc mysterium, naturam diuinam aliqua ratione reperiri in illo, sed provt varij fuerunt hæretici circa illud, varia etiam de illa vt hîc vnita vel etiam vnienda censuerunt. Eutyches Presbyter & Achimandrita Constantinopolitanus circa annum Domini 450. cùm egregiè decertasset pro asserenda vnica persona in Christo Domino cōtra Nestorium, vt patet ex epistola S. Leonis ad Eutychetem, quę est 6. inter epistolas eius decretales, incidit in aliam hæresim. Ita enim asseruit Christum Dominum ante adunationem seu vnionē fuisse ex duabus naturis, vt tamen contenderet Christum post adunationem seu vnionem fuisse tantùm vnā naturam: ita ipsemet mentem suam expressit in Concilio Constantinopolitano sub Flauiano, actione 7. & in Ephesina Synodo prædatoria, post libellum confessionis eius, vt videre est in actione 1. Concilij Chalcedonensis, vbi vtraque hæc Synodus relecta fuit.

Illud autem Eutychetis, *Christum ante vnionem fuisse ex duabus naturis*, Vasquezius hac parte, disputatione 14. capite 1. numero 9. & aliqui alij, volunt ab eo fuisse intellectum, de sola prioritate naturæ, quasi solummodo voluerit humanitatem extitisse priùs natura quàm vniretur Verbo; non autem de prioritate temporis, & reali duratione, quia, inquiunt, nullus hunc errorem Eutycheti speciatim tribuit. Sed auctores isti falluntur, & eius eorum deceptionis testem habemus sanctum Leonem tam in suo rescripto, contra hæresim Eutychetis, quàm in sua epist. 11. quæ est ad Iulianum Episcopum Cœnsem cōtra errorem Eutychianæ impietatis. Nam priori loco sic de ista assertione Eutychetis conqueritur, vt vocet illam *blasphemam, impiam, nefariam*, dicátque mirari se, illum de hac re non fuisse reprehensum in Concilio Constantinopolitano, cui Flauianus præerat; posteriori verò dicat existimare se, ipsum Eutychetem renouare errorē Origenis de animabus creatis, antequam vnirentur suis corporibus, quod certum est intelligi de prioritate temporis: verba sancti Leonis priori loco sunt hæc, *Quum autem ad interlocutionem examinis vestri Eutyches respondere, dicens, confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem verò vnam naturam confiteor: miror tam absurdam, támque peruersam eius professionem, nulla indicantium increpatione reprehensam, & sermonem nimis insipientem, nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil, quod offenderet, esset auditum, quum tam impiè, duarum naturarum ante Incarnationem, vnigenitus Dei Filius, fuisse dicatur, quàm nefariè postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseratur. Quod ne Eutyches ideò vel refellè vel tolerabiliter æstimet dictum, quia nulla vestra est sententia confutatum; dilectionis tuæ diligentiam commonemus, frater charissime, vt si per inspirationem misericordiæ Dei ad satisfactionem causa perducitur, imprudentia hominis imperiti etiam ab hac sensus sui macula per te purgetur.* Posterioris verò loci S. Leonis verba sunt hęc. *In eo verò quod Eutyches in Episcopali iudicio ausus est dicere, ante Incarnationem duas in Christo fuisse naturas. post Incarnationē autem vnā, necessarium fuerat vt ad reddendam rationem professionis suæ, crebris atque sollicitis iudicum interrogationibus vrgeretur, ne tanquam inane aliquid præterfluere, quod non nisi de hausto venenatorum dogmatum apparebat effusum; Arbitror enim talia loquētem hoc habere persuasum, quòd anima quam Saluator assumpsit, priùs in cælis sit commorata, quàm de Maria Virgine nasceretur, eámque sibi Verbum in vtero copularet. Sed hoc Catholicæ menti auréque non tolerant, quia nihil secum Dominus de cælo ventens nostræ conditionis exhibuit: nec animam enim quæ anterior extitisset, nec carnem, quæ non materni corporis esset, accepit.*

Quo item sensu Eutyches voluerit, Christum post vnionem esse vnam tantùm naturam, non habetur satis perspectum. Nam hac de re interrogatus noluit respondere, nec etiam in prædatoria Synodo Ephesina Episcopi fauentes Eutycheti voluerūt eum hac de re interrogatum respondere, vt constat ex Chalcedonensi Concilio actione 1. vbi Basilius Episcopus conqueritur, quòd Eutyches à se, item ab Eusebio, & Sozone Episcopis rogatus, vt diceret modum Incarnationis, *Noluerunt*, inquit, *illum de hac re interrogari, & insserunt non inuestigatum dimitti istud, & non susceperunt prosecutionem nostrā*, sed contentus fuit hoc vnum dicere, beatissimam Virginem esse nobis consubstantialē; at Christum esse consubstantialem beatissimę Virgini, & nobis, noluit agnoscere: hinc factum est vt hæc 2. pars eius hæresis diuersimodè explicetur ab auctoribus. Vasquezius suprà cum aliquot aliis existimat Eutychetem voluisse, Christum post vnionē esse vnā tantùm naturam, eo modo & sensu, quo anima & corpus vnita inter se per compositionem, nec transmutata, sunt vna natura. Primò, quia aliàs Verbum non esset incarnatum, deinde nec passum, nec mortuum. Alij existimarūt eum censuisse, Christum habere corpus quoddam cœleste, vt intelligitur ex Liberato in suo breuiario cap. 11.

Verùm eius hæresis quoad 2. caput videtur fuisse. Primò, quòd æstimauerit, duas non fuisse naturas diuinam, & humanam, distinctas, & inconfusas in Christo Domino post vnionem, sed duntaxat vnicam. Secundò, istam naturam vnā, esse solam, diuinam quatenus humana, quam dicebat esse distinctam ante vnionem, erat conuersain diuinam per ipsam vnionem. Tertiò, quòd Christus Dominus non haberet corpus cæleste,

I. sed quandam tantùm corporis imaginem, singulæ partes patent, 1. ex eo quòd locis suprà citatis non agnoscat in Christo Domino naturam humanam: verbis enim expressissimis negat Christum esse beatissimæ Virgini & nobis consubstantialem. Item quòd S. Leo epist. 18. quæ est ad Pulcheriam Augustam, de hæresi Eutychetis, dicat expresè illum non agnouisse in Christo vilitatem nostræ carnis, sed quandam tantùm illius imaginem. *Tantum*, inquit, *hic*, scilicet Eutyches, *à Catholico tramite deuiauit, qui de eadem Virgine editum, non nostræ credidit esse naturæ, vt quòd formam serui gessit, quòd nostri similis fuit atque conformis, quædam nostræ carnis fuerit imago, non veritas.* Secundà item pars patet, primùm ex eo quòd S. Leo epist. sua 10. cap. 3. disputans contra hanc hæresim, dicat humanitatem

II. Christi non fuisse consumptam à diuinitate. Secundò, ex eo quòd Theodoretus lib. 4. fabularum hæreticarum, in Eutychete, dicat illum voluisse *Vnigeniti diuinitatem cruci affixam & appensam esse, eámque sepulchro mandatam resurrexisse, quæ tamen circumscribi ac contineri non potest.* Deinde ex eo quòd ibidem ita disputat contra hanc hæresim, vt ex eo quòd nihil admittat in Christo humanæ naturæ, inferat nullam ad nos deriuari vtilitatem ex mysterio Incarnationis sic peracto, quod tamen esset falsum, si hanc partem suæ hæresis ipse Eutyches intellexisset iuxta expositionem Vasquesij. Tertia etiam pars patet ex ipsa declaratione Eutychetis, nam actione 1. Concilij Chalcedonensis, actio 3. Synodi Constantinopolitanæ sub Flauiano relegitur, vbi Ioannes Presbyter, qui ad Eutychetem vocandum, vt se sisteret Concilio, missus fuerat, refert

III. inter alia Eutychetem fuisse conquestum, quòd aliqui dicerent eum dixisse Verbum carnem secum de cælo deduxisse, & sibi dixisse, se innoxium esse ab eiusmodi derogatione, *Adiiciebat*, inquit Ioannes ibi, *derogationes aliquas aduersus se ab aliquibus dictas, quasi quòd dixerit, quia Verbum carnem secum de cælo deduxerit, se innoxium ab eiusmodi derogatione esse.* Quòd verò existimauerit Christum habuisse vmbram corporis, significat S. Leo relato loco epistolæ ad Pulcheriam.

Aduersùs hanc hæresim sit hæc prima nostra propositio. *Ante vnionem non fuerunt in Christo duæ naturæ.* Propositio est disertis verbis contra Eutychetem actione septimâ Constantinopolitani Concilij sub Flauiano, seipsum explicantem, & interrogationi sibi à Florentio Patricio factæ respondentem: & est de fide, ex sacris litteris, quæ dum recensent temporalem generationem Christi Domini, & primam omnium eius

IV. conceptionem, dicunt illum esse conceptum de Spiritu sancto ex beatissima Virgine: quod esset falsum, si hæc opinio Eutychetis esset vera, vnde consequenter in sua cõfessione fidei tam in Concilio Constantinopolit. quàm Ephesino facta, hanc partem symboli reticuit, quemadmodum ibi ei obiecit Eusebius eius accusator. Item probatur ex dicendis infrà de formatione corporis Christi Domini ex purissimis sanguinibus beatissimæ Virginis; item ex dicendis infrà de humanitate Christi Domini, quòd scilicet nõ priùs tempore extiterit, quàm fuerit vnita Verbo; quod tamen esset asserendum, si hęc opinio Eutychetis esset vera. Item ex eo quòd mysterium hoc Incarnationis, vel saltem vnio inter duas naturas, diuinam & humanam, vel immediatè, vel in aliquo tertio, deberet fuisse peracta realiter, &

A de facto, ante consensum beatissimæ Virginis datum Angelo annuncianti sibi hoc mysterium; quod est contra fidem: tandem probatur ex multis absurdis, quæ ex tali propositione Eutychetis sequuntur, quemadmodum quilibet poterit facilè colligere ex dicendis infrà de hoc mysterio. V.

Secunda propositio. *Vnio diuinæ naturæ cum humana in Christo non fuit facta per conuersionem diuinitatis in carnem, vel naturæ humanæ in diuinitatem.* Propositio est de fide, ex iisdem definitionibus & auctoritatibus Patrum, quibus hæresim Eutychetis condemnant. Eo enim ipso, quo ambæ naturæ definiuntur remanere in Christo integræ, impermixtæ, inconfusæ, illæ eædem naturæ decernuntur tales ibi reperiri, vt vna non sit conuersa in aliam, cùm omnis conuersio tollat existentiam rei quæ conuertitur, vel aliquid de eius integritate diminuat, quemadmodum patet

B inductione factâ per quascumque conuersiones. VI.

Probatur autem primò ex symbolo S. Athanasij, ab vniuersali Ecclesia recepto, in quo nostra propositio habetur concepta istis verbis: *Qui*, nimirum Christus, *licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus; vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.* Deinde probatur iis omnibus Scripturæ testimoniis, quibus Theologi prima parte docent Deum esse immutabilem, vt Malachiæ 3. *Ego Dominus & non mutor.* 1. ad Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem.* S. Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ex quibus & aliis similibus hæc ratio formatur pro nostra hac propositione. In omni vera conuersione requiritur, vt termini, qui conuertuntur, recipiant in se ipsis

C aliquam mutationem suæ conuersioni proportionatam, itavt *terminus à quo*, secundùm aliquam rationem proportionatam tali conuersioni desinat, & terminus ad quem recipiat similiter aliquam mutationem, ratione cuius in seipso habeat intrinsecè aliquam nouam dependentiam, & nouum quemdam modum existendi, vt videre est, factâ inductione per omnes conuersiones: atqui termini vnionis factæ per mysterium Incarnationis, non recipiunt in se ipsis aliquam mutationem: non quidem Verbum diuinum, nec eius diuinitas, quia ex citatis Scripturis, illa est absolutè & simpliciter immutabilis, imò & incapax etiam obumbrationis, mutabilitatis, & minimæ cuiusq; vicissitudinis; non item natura humana in Christo, cùm ex dictis præcedenti propositione sit perfecta, integra, ciusdémque rationis cum nostra, quæ si in Christo esset

D conuersa in naturam diuinam, iam non amplius verè & propriè esset in illo, sed desineret esse, sicut alimentum, dum conuertitur in substantiam aliti, desinit esse. At ex citatis Scripturis & Patrum auctoritatibus, humana natura verè est & permanet in Christo, similiter & natura diuina. Igitur natura diuina in Christo, non est per hanc vnionem conuersa in humanam, nec è contrà humana in diuinam. VII. VIII.

An autem humana natura ponerit, per transsubstantiationem conuerti in naturam diuinam, est alia quæstio, quæ propriè spectat ad disputationé de transsubstantiatione, & non ad præsentem, in qua tantùm agimus de vnione terminorum subsstantialium, quæ locũ non habet in vera transsubstãtiatione. Similiter an ex humana carne & natura diuina fieri potuerit vna integra

I. natura per compositionem tanquam ex materia & forma? pertinet ad aliam quæstionem infrà, qua disputabimus, an Christus habuerit veram animam rationalem?

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Christo sint duæ naturæ integræ.

SIT hæc nostra propositio, *Ita per Incarnationem, seu per vnionem Verbi diuini cum natura humana, duæ naturæ fuerunt in Christo Domino, diuina scilicet & humana, vt etiam post illam remanserint, & adhuc remaneant in illo integræ, inconfusæ, impermixtæ*: Tota propositio est de fide ex Concilio Chalcedonensi actione 1. 2. & 5. in quo est definita & ibi cùm actione 2. epistola S. Leonis pro duabus naturis legeretur, Episcopi ita clamauerunt; *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum doctrina, ita credimus, anathema qui ita non credit, Petrus per Leonem loquutus est, Apostoli ita docuerunt.* Hàbetur etiam hæc propositio definita in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur capite *Firmiter*, de summa Trinitate & fide Catholica, & pluribus aliis.

II. Probatur ex variis Scripturæ locis, affirmantibus Christum etiam post Incarnationem esse verum Deum, vt Ioannis 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius qui est in cælo*, Vbi idem qui videbatur & loquebatur Nicodemo, dicit se esse Deum; item Ioannis 10. *Ego & Pater vnum sumus*; item Ioannis 20. vbi sanctus Thomas profitetur Christum esse verum Deum, & hanc suæ fidei professionem probat ibi Christus; item pluribus aliis quibus prima parte probauimus diuinitatem Christi Domini, item iis omnibus, quibus Christus Dominus dicitur esse III. verus & perfectus homo; vnde passim in Euangelio vocat se filium hominis. Ex quibus omnibus formatur hæc ratio pro nostra propositione; quicumque est verus & perfectus Deus & simul etiam perfectus & verus homo, in eo verè & propriè loquendo duæ sunt naturæ, scilicet diuina & humana, quia forma denominans Deum est deitas, & forma denominans hominem est humanitas: atqui ex sacris litteris nunc citatis Christus post Incarnationem est verus & perfectus Deus, verus & perfectus homo. Ergo in Christo verè & propriè loquendo duæ sunt naturæ, diuina scilicet & humana. Quòd item sint inconfusæ & impermixtæ probatur; mixtio ex Aristotele libro 1. de generatione capite 10. reperitur tantùm inter eas res corporeas, quæ mutuò agunt & patiuntur, quæque habent communem materiam: at diuinitas & humanitas IV. non sunt eiusmodi, vt per se constat etiam solo naturæ lumine.

Neque huic propositioni obstat, quòd S. Ioannes cap. 1. videatur eodem modo exprimere mysterium Incarnationis istis verbis *& Verbum caro factum est*, quo 2. cap. explicat conuersionem aquæ in vinum ita dicendo, *vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam*; hæc autem aqua verè & propriè fuerit à Christo Domino conuersa in vinum. Nam termini *facere & fieri*, quando etiam dicuntur de aliqua substantia, non semper important conuersionẽ substantialem, vt patet ex illo Christi Domini ad Paralyticũ, *Ecce sanus factus es*, & Gen. 2. *Factus est Adam in animã viuentem*. sed eiusmodi loquutiones sunt intelligendæ, accomodatè ex antecedenti & consequẽtibus ad res, de quibus dicuntur; ideóque cùm personam existentem fieri aliquid, non sit illam A conuerti in id, quod dicitur fieri, sed ad veritatem huius loquutionis sufficiat, nouam aliquam formam illi vniti, quæ hanc personam denominet formaliter talem, vt patet exemplis nunc allatis; ideò sit vt quia Verbum diuinum est immutabile, dicatur ab Euangelista hoc tantùm sensu fieri hominem, quòd naturam humanam sibi adiunxerit in vnionem hypostasis, quemadmodum significat verbis istis sequentibus, *Et habitauit in nobis*, id est, fuit in carne eiusdem speciei cum nostra, nec proinde humana natura fuit in Deum conuersa, quemadmodum locum hunc explicant S. Hilarius libro 12. de Trinitate, S. Ambrosius de Sacramento Dominicæ Incarnationis, cap. 6. at locus iste posterior, *Aqua vinum facta*, & res, de qua ibi agitur, postulant intelligi de vera & reali conuersione aquæ in vinum verè & propriè dictum; agebatur enim de B conuiuio & de subueniendo necessitati conuiuantium, qui carebant vino, vt intelligitur ex illo verbo beatissimæ Virginis ad Christum, *vinum non habent*. • VI.

Nec item obstat, quòd Patres interdum loquentes de hoc mysterio, vtantur nomine *mixtionis*, *mixturæ* & similibus: illi enim tam ex antecedentibus, quàm ex consequentibus se satis explicant, scilicet nihil aliud velle, quàm in hoc mysterio duas naturas vnitas esse in eadem persona Verbi, contra Nestorium, nec aliam agnoscunt naturarum commixtionem in hoc mysterio; vt expressè notauit S. August. epist. 3. vbi postquam appellauit hoc mysterium *mixturam*, obseruat se ita illud appellare, vt tamẽ in eo nolit admittere commixtionem naturarum, sed velit vnamquamq; naturam seruare suam integritatẽ. Probatur eadẽ pars ex Patribus, quos fusè refert C Theodoretus dialogo, quem inscripsit Inconfusus, Incommutabilis, & dialogo Impartibilis. VII.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta Eutychetis.

OBIICIT primò Eutyches ad Philippenses 2. capite, *Christus* dicitur *factus in similitudinem hominum, & habitu inuentus vt homo*. Et 1. ad Corinthios 15. dicitur Christus *secundus homo de cælo, cælestis*. Respondetur, verbis in obiectione prolatis præmitti istud de Verbo, *serui formam accipiens*, id est naturam humanam sibi vniens hypostaticè, quemadmodum suprà explicauimus, ex ipsomet textu Apostoli & Patribus: vnde verba illa sequentia *in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo*, significant Verbum incarnatum ita fuisse hominem ratione humanitatis assumptę, vt secundùm D exteriorẽ speciem, expositam oculis hominum, videretur esse purus homo, quales sunt reliqui, cùm tamen esset Deus homo, quemadmodum locum illum explicant Patres Græci, & S. Ambrosius lib. 2. de fide capite quarto, S. Augustinus sermone sexto, & trigesimo primo de verbis Apostoli. Ad alteram auctoritatem Apostoli ex capite decimo-quinto prioris ad Corinthios, respondetur, Christum dici hominem de cælo, ratione suæ diuinæ generationis, quâ est à Patre, dici verò cælestem hominem propter dotes corporis glorioſi, quas post suam resurrectionem habuit: constat enim ex antecedentibus, Apostolum ibi loqui de conditione corporum glorioſorum post vniuersalem hominum resurrectionem, & de Christo secundùm statum quem habet post resurrectionem. VIII.

I. Obiicit secundò sanctum Cyrillum, vt habetur de eo in Concilio Chalcedonensi actione prima, sic dicentem; *Non oportet intelligere duas naturas, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam*, & sanctum Gregorium Nazianzenum epistola ad Celidonium dicentem carnem Christi Domini fuisse deificatam. Respondetur, ad auctoritatem sancti Cyrilli, omissa solutione eorum, qui volunt hanc propositionem fuisse ab hæreticis insertam operibus sancti Cyrilli, cuius responsionis falsitas satis patet, primò ex eo quòd Eustatius Beriti Episcopus, licèt memoriter retulerit hanc sententiam sancti Cyrilli in Concilio Chalcedonensi actione prima, ita tamen audacter illam memoriter protulit, vt codicem sancti Cyrilli haberet præ manibus, sic dicendo, *Si malè dixi ecce codex, liber Cyrilli anathematisetur & anathematiser*: nec tamen

II. quisquam Patrum ibi eum arguit, quasi falsò citauerit sanctum Cyrillum, quin potiùs ibi & sequenti actione dicunt illum esse intelligendum, sicut & nos illum explicabimus. Deinde, quia & in aliis locis sancti Cyrilli non corruptis per hæreticos hæc etiam sententia reperitur, vt libro 1. de recta fide, imò & in Concilio Lateranensi sub Martino I. consultatione 5. Canone 5. Hac igitur solutione omissâ, vt insufficienti, Respondemus ex Patribus loco Chalcedonensis Concilij nunc citato, & ex Iustino Imperatore in suo Edicto fidei, approbato per 5. Synodum generalem, sanctum Cyrillum, & alios Patres, per hanc particulam, *vnam naturam Dei Verbi incarnatam*, intelligere solam personam Verbi, quæ cùm sit vnica & sola in Christo, facit vt Christus debeat dici *vnus, vna natura, vna substantia*, vt etiam ipsemet sanctus Cyrillus seipsum explicat, in epistola 29. ad Acatium, & 30.

III. & clariùs in libro ad Euoptium in defensione 4. anathematismi, dum ita loquitur, *Nos vnionem secundùm substantiam factam esse dicimus, nihil aliud (dicendo secundùm) substantiam significare volentes, quàm hoc solum, quòd Verbi natura, quæ est ipsum Verbum, humanæ naturæ vnita sit, citra vllam conuersionem & confusionem*, sicque hæc loquendi formula tantùm significat apud Patres realem coniunctionem diuinitatis cum humanitate in eadem subsistentia Verbi diuini. Ad auctoritatem S. Gregorij, respondetur carnem Christi Domini, hoc sensu dici deificatam, quòd per sui vnionem cum Verbo sit facta caro Dei.

Obiicit tertiò, Pater, Filius & Spiritus sanctus dicuntur vnus tantùm Deus, propter vnitatem essentiæ, licèt sint tres personæ: Ergo à

IV. contrario, si duæ naturæ ponantur in Christo, duo erunt Christi. Respondetur hæc nomina, *Homo, Christus*, esse substantiua: hanc autem esse conditionem nominum substantiuorum, vt ad sui multiplicationem requirant multiplicationem suppositorum, & naturarum, seu formarum quas significant, vt docuimus agendo de mysterio Trinitatis. Vnde quia in tribus personis diuinis, vnica est numero diuinitas, vnum tantùm dicimus esse Deum: & quia licèt in Christo duæ sint naturæ integræ, impermixtæ, & inconfusæ, illæ tamen sunt in eodem simplicissimo supposito Verbi diuini, rectè dicimus Christum esse tantummodo vnum, & non duo.

ARTICVLVS IV. V.

Explicatur & refellitur hæresis Nestorij, de modo vnionis Verbi cum humanitate.

PLVRES, etiam tempore Apostolorum, in ea fuerunt hæresi, vt existimarent Christum esse purum hominem ex beatissima Virgine & sancto Ioseph natum, nec proinde hanc vnionem esse factam in persona Verbi. Sic Carpocrates, sic Ebion, vt refert S. Irenæus lib. 1. aduersus hæreses cap. 24. & 25. Cherintus idem sensit, sed insuper Christum post baptismum Iesu descendisse in Iesum, quem in fine vitæ reliquerit, sicque Iesum quidem fuisse passum, & mortuum, Christum verò minimè, quemadmodum refert ibidem S. Iræneus cap. 25. & ita diuidebat Christum in duas personas. Contra hos S. VI. S. Ioan. Euangelista suum scripsit Euangelium, teste S. Hieronymo lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis in Ioanne. Hos quam plures alij sunt sequenti, vt Gnostici, qui apud S. Irenæum lib. 1. cap. 1. diuidebant Christum in quatuor personas, item quidam Theodotus arte coriarius, teste S. Epiphanio hæresi 54. item Theodorus Mopsuestenus, quo præceptore eamdé hæresim Nestorius didicit, teste S. Cyrillo libro contra Theodorum: vnde quintâ Synodo generali collatione octauâ appellatur impius, execrandus, & magister Nestorij, quia tamen Nestorius Constantinopolitanus Patriarcha, tempore Theodosij Iunioris, quemadmodum refert Historia tripartita, lib. 12. cap. 4. hanc hæresim acerrimè sustinuit, multósque tunc suæ opinionis assertores habuit, vt Theodoretum Cyri Epi-

C scopum, qui pro Nestorio scripsit librum contra VII. duodecim anathemata S. Cyrilli, condemnatum posteà in 5. Synodo can. 12. qui tamé Theodoretus posteà resipuit, & in Cõcilio Chalcedonensi actione 8. dixit anathema Nestorio. Quia inquam Nestorius tot habuit sectatores, hánequè hæresim magis diuulgauit, factum est vt ei nomen suum dederit, eáque hæresis sit appellata Nestoriana, & eius sectatores Nestoriani.

Nestorius itaque, cum suis docebat primò aliam esse personam Filij Dei, aliam Filij Virginis, ideóque negabat illam genuisse Deum, & esse matrem Dei, sed purum hominem. Secundo, dicebat Filium Dei, progressu temporis fuisse vnitum Filio Mariæ, non quidem hypostaticè, sed accidentali tantùm vnione, idque quatuor modis; primò, *per inhabitationem*, tanquam in suo templo, à quo numquam recessit, & sic ex-

D plicabat illud Ioannis 1. *& habitauit in nobis.* VIII. Secundò, *per affectum & vnionem amoris*, ratione cuius, licèt sint duæ personæ, Christus tamen dicitur vnus, sicut maritus & vxor, licèt sint duæ personæ, vna tamen dicuntur caro, sic habetur in 5. Synodo Canone 12. & ob id dicebat Christũ in sacris litteris appellari *Emmanuelem*, id est, Deum nobiscum, item esse appellandum *Deiferum*. Tertiò, *per operationem*, quia Verbum per Christum, tanquam per instrumentum, operabatur maxima illa opera, quæ Christo tribuuntur in sacris litteris. Quartò, & vltimo loco dicebat Filium Dei fuisse vnitum Christo, homini puro, *per communicationem suæ excellentiæ*, quia Filius Dei, inquiebat ille, communicauit Christo suam dignitatem, voluitque Christum hominẽ dici Deum, & adorari, sicut imago appellatur

I. nomine prototypi, & eodem cultu adoratur: sícque iuxta hanc hæresim Christus non erat vnus personaliter cum Verbo diuino, sed vnione tantùm accidentali, eáque quadruplici: Prima scilicet, *inhabitationis*: Secunda, *affectus & consensus voluntatum*: Tertia, *operationis*: Quarta & vltima, *communicationis*, & participationis eiusdem excellentiæ & dignitatis.

Atque hanc fuisse Nestorij hæresim colligitur ex Conciliis eum condemnantibus, vt Ephesino primo tempore Theodosij Iunioris: item Constantinopolitano II. collatione quartâ. Item ex Patribus, vt S. Cyrillo in prædictis suis anathematismis, & etiam epistolis, vt decimâ, Theodoreto libro 4. hæreticarum fabularum in Nestorio, & aliis quampluribus: ad quam hæresim Caluinum & Bezam nonnihil accedere notat Feuardentius lib. 3. suæ Theomachiæ capite 8.

II. hunc quidem, quando duas distinguit vniones hypostaticas in Christo: vnam inter corpus & animam, dum sibi personaliter coniunguntur: alteram inter Verbum & hominem, vt simul conueniunt ad vnum constituendum Christum: ideóque Beza in colloquio Monspelgartensi insimulatus de Nestorianismo & Alchoranismo, respondit palàm Nestorianismum se ferre posse, non autem Alchoranismum: istum verò, Caluinum scilicet, quando libro primo suarum Institutionum capite 13. §. 9. & aliis distinguit personam Christi, vt Dei, à persona Christi, tanquam mediatoris.

Verùm contra hanc hæresim sit nostra propositio, *Vnio Verbi diuini cum natura humana non consistit in aliqua vnione ex illis quatuor, nec in illis omnibus simul*, quibus Nestorius suprà explicat suam hæresim: propositio est de fide definita

III. in Concilio Ephes. I. & in anathematismis sancti Cyrilli, in 5. Synodo generali Constantinopol. collatione 8. receptis, vbi condemnantur qui dicunt naturas in Christo fuisse tantùm vnitas secundùm dignitatem, vel authoritatem, vt anathemate quarto & aliis. Deinde iis omnibus quæ definiunt hanc vnionem esse substantialem, non accidentalem, vt in Chalcedonensi actione primâ, in Lateranensi I. consultatione quintâ, Canone 6. in anathematismo 2. S. Cyrilli, & in epistola eius octaua approbata à Concilio Ephesino; quibus locis hæc vnio naturæ humanæ cum Verbo dicitur esse substantialis, & facta substantialiter: omnes enim istæ vniones à Nestorio commemoratæ sunt purè accidentales, vt per se constat consideranti illas. Ex quibus omnibus desumitur hæc prima ratio pro nostra propositione. Vnio Verbi cum humanitate est subst-

IV. tialis, sed omnes istæ vniones humanitatis cum Verbo commemoratæ à Nestorio non sunt substantiales, sed purè & simpliciter accidentales: igitur vnio huius mysterij non consistit in istis vnitionibus. Probatur deinde ex illo sancti Ioannis primo, *Verbum caro factum est*. quod significat vnionem Verbi cum natura humana, eámque substantialem, vt hi termini, *Verbum, caro*, exprimunt. Tertiò, vnio Verbi cum humanitate ita soli Christo est propria, vt nulli alteri vnquam sit communicata; vnde vocatur à Patribus *singularis*, vt à S. Augustino epistolâ ad Volusianum, & ita est soli Verbo propria, vt nec aliis duabus personis Trinitatis conueniat; nam sola secunda persona Trinitatis est incarnata: atqui omnes illæ & singulæ vniones quibus Nestorius suprà explicat mysterium Incarnationis, sunt communes omnibus iustis, qui tamen non dicuntur, nec sunt Verbum incarnatum. De vnitate inhabitationis, patet ex Apostolo dicente primæ ad Corinthios tertio iustis hominibus, *Nescitis quoniam Dei templum estis*. Ioannis 14. Christus ita loquitur de Trinitate commorante in quolibet iusto homine, *Ad eum veniemus, & apud illum mansionem faciemus*. Idem patet de vnitate voluntatum 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret Domino vnus spiritus est*. De vnitate operationis similiter primæ ad Corinthios 12. *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus*. Postremò, idem patet de vnione quoad participationem excellentiæ, Psalm. 81. *Ego dixi, Dij estis*. & homines in gratia sanctificante constitutos posse appellari Christos S. Cyrillus Alexandrinus probat in suâ epistolâ ad Monachos Ægypti, quia *Christus* significat *vnctum*, & iusti sunt delibuti gratiâ Spiritus sancti: similiter isti omnes modi vnionis sunt

VI. communes toti Trinitati, quemadmodum patet ex eo in quo consistunt, quod est à tota Trinitate factum, nec tamen tota Trinitas, vel etiam secunda eius persona existens in iustis hominibus aliquo ex istis modis dicitur esse in illis incarnata. Igitur vnio Verbi diuini cum natura humana non consistit in aliqua prædictarum vnionum, nec in illis omnibus simul.

Nec est quòd Nestorius respondeat Incarnationem esse propriam Filio Dei, nec aliis personis diuinis, vel etiam iustis hominibus conuenire, eo quòd Incarnario soli Filio est propria secundùm rationem repræsentationis, quatenus filius Dei repræsentatur singulari modo per Christum hominem, quomodo aliæ diuinæ personæ, nec etiam alij puri homines illum repræsentant: non est, inquam, quòd hoc respondeant, nam iuxta

VII. hanc responsionem mysterium Incarnationis totum consisteret in nuda aliqua repræsentatione, & non in aliqua vnione: præterea sequeretur Deum in veteri Testamento sæpè fuisse incarnatum, vel angelisatum, vel eodem modo fuisse vnitum istis rebus corporeis, per quas singulariter apparuit, vt Isaiæ 6. & alibi, quo Verbum fuit vnitum humanitati per mysterium Incarnationis: at Incarnatio semel tantùm peracta est, & cum sola ea humanitate quæ est Christi, vt intelligitur ex symbolis nostræ fidei: ergo vnio Verbi cum natura humana non consistit in tali communicatione, etiam ad singulari modo repræsentandum Filium Dei.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in Christo vna tantùm sit persona, & quæ.

VIII.

PRIMA propositio: *Vna tantùm fuit persona in Christo*. Propositio est de fide ex cit. Concil. & Patribus contra Nestorium, & probatur. De vno & eodé Christo Domino vt indiuiduo & vno subsistente dicuntur, quæ sunt propria solius Dei, & similiter quæ soli homini conueniunt passim in Scripturis sacris. Ex quibus formatur hæc ratio pro nostra propositione: quotiescumque duæ integræ formæ non prædicantes de se inuicem in abstracto, nihilominùs sumptæ in concreto prædicantur de se inuicem, tunc duæ illæ formæ habent idem numero suppositum, ratione cuius talis prædicatio fit mutua, quia omnis prædicatio fundatur in aliqua identitate, vt Dialectici docét communiter:

I. arqui humanitas & diuinitas sunt duæ formæ integræ, loquendo metaphysicè & logicè, vt per se cõstat, quæ sumptæ in abstracto non prædicantur de se inuicem: nec enim quis rectè dixerit diuinitas in Christo est Christi humanitas; nec è contrà, cùm è vulgari regula Dialecticorum abstracta non prædicentur de abstractis: attamen in propositionibus quæ formantur de Christo duæ istæ formæ sumptæ in concreto prædicantur de se inuicem; nam loquendo de Christo rectè dicimus, homo est Deus, & Deus est homo, vt ampliùs ostendemus infrà ad quæstionem 16. cùm sacræ Litteræ tribuant vni & eidem Christo, quòd sit Deus, quòd sit homo: igitur duæ illæ naturæ, diuina & humana, in Christo debent habere vnicum numero suppositum. Confirmatur, simúlque explicatur tota hæc ratio exemplo sumpto ab albedine & dulcedine,

II. quæ simul sunt in eodem lacte; licèt enim illæ B non prædicentur de se inuicem in abstracto, quia non possumus dicere, albedo est dulcedo, nec è contrà, attamen sumptæ in concreto prædicantur de se inuicem, album est dulce, & è contrà: cuius veritatis tota ratio est, quòd hæ duæ formæ sint in eodem numero subiecto: ergo quotiescunque duæ formæ integræ prædicantur de se inuicem in concreto, debent illæ habere idem suppositum.

Secundò probatur: quandocunque duo integra suppositа, seu duæ substantiæ integræ subsistentes duabus distinctis subsistentiis coniunguntur tantùm accidentaliter, illæ sumptæ in concreto non possunt de se inuicem prædicari substantialiter, seu subsistantiuè, sed solùm denominatiuè, seu adiectiuè, quia vna ex conditionibus denominatiuorum est, quòd concretum denominatiuum dicat rem aliam, seu naturam

III. suppositо distinctam: verbi gratiâ, in hac pro- C positione homo est vestitus, vestis quæ importatur hoc nomine *vestitus*, habet & importat aliud suppositum à suppositо hominis; vnde non rectè dicimus, homo est vestis, sed tantùm homo est vestitus: atqui hæc duo concreta, *homo*, & *Deus*, prædicantur de se inuicem respectu Christi substantialiter, seu subsistantiuè, & non denominatiuè, quia Christus non tantùm dicitur homo deificatus, sed Deus & Christus non tantùm dicitur Deus humanatus, sed Deus-homo. Confirmatur ampliùs iis omnibus Scripturæ locis, in quibus dum est sermo de Christo, hæc pronomina, *ille*, *ego*, *ipse*, *qui*, & alia id genus denotantia ipsam personam, dicuntur simul de vtraque natura in concreto, vt Ioannis tertio, *Nemo*

IV. *ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit Filius* D *hominis*. Ioannis octauo, *Antequam Abraham fieret, ego sum*: id est ego qui loquor vobis, ego quem vos videtis. Ioannis 9. *Tu credis in Filium Dei? quis est Domine, vt credam in eum?* respondit Christus, *& vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est*. Ergo vna est & eadem numero persona Christi-Dei & Christi-hominis.

Secunda propositio. *Hæc vnica persona quæ est in Christo, est ipsa diuina persona Verbi*. Propositio est de fide tam excitatis sacris Scripturis, quàm ex definitionibus Conciliorum, & Patrum authoritatibus superiùs commemoratis. Ex quibus omnibus sic probatur. Ea est vnica persona in Christo, quam hæc pronomina, *ego*, *tu*, *qui*, *ipse*, & his similia demonstrant in propositionibus formatis de Christo ex dictis præcedenti conclusione: atqui hæc pronomina demonA stant personam Verbi diuini, in propositionibus quæ formantur de Christo: igitur illa sola & vnica persona quæ est in Christo, est persona Verbi diuini. Minor probatur euidentissimè ex illa interrogatione Christi Domini apud sanctum Matthæum capite 16. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* & ex responsione S. Petri ibi per Christum approbata, *Tu es Filius Dei viui*: Quasi S. Petrus dicat, tu qui es Filius hominis, tu verè es naturalis Filius Dei: Ioannis 20. Sanctus Thomas videns & tangens Christum verum Deum & hominem, ait de eo, *Dominus meus, & Deus meus*. Quod non dixit per admirationem, vt Theodorus Mopsuestenus Nestorianus olim voluit respondere, quemadmodum refertur in quinta Synodo collatione 8. Can. 12. sed sanctus Thomas id dixit, profitendo veram fidem de Christo, quemadmodum hoc dictum Christi Domini expressè significat, *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*. Item Apostolus ad Philipp. 2. ait hanc eandem personam quæ erat in forma Dei, accepisse formam serui, id est assumpsisse naturam humanam: at persona illa, quam Apostolus ibi ait esse in forma Dei, est ipsissima persona Verbi, vt patet ex ipso textu. Item ad Romanos 8. Apostolus ait, *Deum non pepercisse proprio suo Filio*, id est naturali, & sibi cõsubstantiati, *sed tradidisse illum pro nobis omnibus*. At ille qui pro nobis saluandis sic fuit traditus, fuit homo-Christus: ergo ille homo-Christus fuit diuina persona eius qui est proprius & naturalis Filius Dei.

V. VI. VII. VIII.

Probatur secundò: vnica illa persona quæ est in Christo non potest esse humana: ergo necessariò est diuina: consequentia probatur, quia idem Christus nunc dicitur homo subsistantiuè, nunc Deus subsistantiuè: ergo cum hæc prædicatio postulet identitatem suppositi vtramque naturam sustentantis, sicut præcedenti propositione docuimus, quemadmodum naturæ ita denominantes sunt solummodò diuina & humana; similiter suppositum potest etiam tantùm esse diuinum, vel humanum: atqui non potest humanum. Probatur, quælibet natura habens personam alienam accipit ab illa aliquam perfectionem, quia personalitas est complementum eius naturæ, cuius est personalitas, cùm per illam talis naturæ dependentia terminetur, quemadmodum Philosophi communiter docent in Metaphysicis agendo de subsistentia: atqui natura diuina nullam accipit perfectionem ab humana persona creata, seu ab ea quæ naturaliter deberetur humanitati Christi Domini: creaturæ enim nihil perfectionis possunt afferre Deo, quippe qui est sibi sufficientissimus & perfectissimus: igitur persona illa vnica quæ est in Christo, non potest esse persona creata humana: igitur restat vt sit sola diuina persona Verbi, quod intendit nostra propositio.

Neque huic nostræ propositioni, vel aliis suprà, obstat primò, quòd S. Petrus dicat Actuum secundo, Deum fecisse Iesum Nazarenum Dominum & Christum, ita dicendo, *Certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis*. Nec item quòd Actuum decimo Deus dicatur vnxisse Iesum Spiritus sancti virtute: & ibidem dicatur de illo, *Quoniam Deus erat cum illo*. Hæc, inquam, non obstant, primum quidem, quia rectè intelligitur Deum fecisse, vt Iesus esset Dominus & Christus, quate-

I. nus scilicet vnuit humanitatem eius ipsi diuinæ personæ Verbi, ex qua vnitione Christus tanquam totus & adæquatus terminus resultauit: vnde Christum (provt dicit aliquod compositum ex duabus naturis, diuina & humana, vt vnitis in eodem supposito Verbi diuini) posse dici aliquid factum, infrà notabimus. Deinde hoc verbum *facere* satis communiter idem sonat in sacris Litteris ac declarare, vt primæ ad Corinthios primo, & ad Hebræos secundo; sicque sensus sancti Petri etiam iuxta quorundam Patrum expositionem est, quòd Deus istis miraculis & signis, quorum ibi sanctus Petrus mentionem facit, ostenderit, & declarauerit Iesum esse Dominum & Christum, seu verum Messiam in Lege promissum.

Nec item obstat, quòd Actuum primo Deus dicatur vnxisse Iesum Spiritu sancto, & virtute, & ibidem dicatur de illo, *Quoniam Deus erat* II. *cum illo*. Hoc, inquam, non obstat, quia in illo hæc particula, *Deus*, supponitur pro prima persona Trinitatis, quæ dicitur vnxisse Iesum Spiritu S. quatenùs Filium suum vnigenitum misit in mundum per humanitatem illi vnitam hypostaticè, quæ vnio vocatur vnctio Spiritus sancti, quia est aliquod singulare donũ gratiæ, & dona gratiæ tribuuntur Spiritui sancto in sacris litteris, quemadmodum docuimus agendo de mysterio Trinitatis. Deinde etiam quia Christus Dominus fuit conceptus de Spiritu sancto, vt profitemur in Symbolo fidei. Sensus autem Apostoli non est, quòd Iesus iam constitutus in rerum natura existens, & subsistens, posteà fuerit vnitus ab ipso Deo Patre. Deinde dicitur Deus fuisse in Christo faciente miracula: Primò, quia Deus Pater erat etiam in Christo, cùm vbicunque est III. vna persona diuina, sit etiam & alia, quemadmodũ docuimus agendo de circumincessione diuinarum personarum, dum explicaremus mysterium Trinitatis. Secundò, quia Deus ibi dicitur fuisse cum Christo operante miracula: Deum autem sic esse cum aliquo, significat Deum singulari modo assistere operanti: ideóque cùm hic agatur de sanitate restituta ægrotantibus, & Deus non tantùm dicatur vnxisse Iesum Spiritu sancto, sed etiam virtute, id est potentia, significat specialem Dei concursum fuisse etiam concessum humanitati Verbo diuino vnitæ, ad facienda miracula; sicque Deum fuisse cum Christo, quatenùs cooperabatur faciendis miraculis. Tandem potest etiam id explicari de omnipotentia diuina, quam Christus vt Deus accepit à Patre, & per quam cum illo operabatur indiuisibiliter omnes & quoscunque effectus, etiam IV. miraculosos, iuxta illud Christi Domini apud sanctum Ioannem capite quinto, *Quæcunque ille*, nimirum Deus Pater, *facit, hæc & Filius similiter facit*. Vnde tunc in citato loco Actuum hæc particula, *Deus*, supponit pro prima persona Trinitatis.

A genealogia; sed Christus-homo habet matrem, habet genealogiam, vt patet ex Euangelio sanctorum Matthæi & Lucæ. Tertiò, in Scripturis sacris multa tribuuntur Christo, quæ non possunt propriè conuenire vni & eidem, sed postulant diuersas personas; nam in quibusdam locis dicitur, *seruus*, *vermis*, *opprobrium hominum*, *despectus à Patre*. S. Matthæi 27. quæ omnia & his similia non possunt propriè conuenire ei qui est Deus. V.

Ad primam authoritatem desumptam ex capite secundo sancti Ioannis, Respondetur, per hanc particulam, *templum*, ibi intelligi totam humanitatem Christi Domini, quæ tam comparatione ad solam diuinitatem, quàm ad Verbum vnitum sibi hypostaticè, appellatur metaphoricè templum: & quòd Christus Dominus ibi nomine *templi* intelligat totam suam humanitatem, verbum istud *soluite* indicat; nam cùm Iudæi peterent à Christo Domino signum aliquod suæ potestatis, respondit eis per ista verba, *Soluite templum hoc*, quorum sensus est iste, occidetis me, & soluetis hoc corpus meum à mea anima: quod tamen resuscitabo post triduum, illúdque animæ meæ reüniam: mors enim & dissolutio humanitatis consistit in separatione animæ à corpore, & hæc Christi Domini humanitas comparata ad diuinitatem, vt distinctam virtualiter à personalitate Verbi, rectè dicitur eius templum, cùm verè, substantialiter & realiter illi inesset, ad eum modum quo Apostolus ad Colossenses cap. 2. ita de Christo ait, *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, quemadmodum explicat S. Augustinus epist. 57. ad Dardanum circa finem. VI.

Potest etiam humanitas Christi Domini dici *templum*, comparatione ad Verbum diuinum, licèt illa per hoc subsistat, eique sit substantialiter & hypostaticè vnita, eo sensu quo corpus nostrum substantialiter vnitum animæ, dicitur domus eius & tabernaculum, secundæ ad Corinthios secundo, secundæ S. Petri primo, & alibi: vnde sicut ex eo quòd anima est in corpore, tanquam in tabernaculo, non licet colligere duas esse personas in homine, sed benè infertur esse duas naturas; ita etiam ex eo quòd Verbum incarnatum vocet suam humanitatem templum, potest quidem colligi duas esse naturas in Christo diuinam & humanam, non duas tamen personas. VII.

Ad secundam authoritatem Scripturæ petitam ex epistola ad Hebræos, respondetur, istud ab Apostolo non dici de Christo Domino, sed tantùm de Melchisedech, vt patet ex ipso textu, & hoc solo sensu, quòd licèt Melchisedech habuerit ista omnia, attamen sacra Scriptura ea reticeat, quemadmodum Interpretes S. Pauli notant ad illum locum. Nec obstat quòd statim ita subiiciat, *Assimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum*. quo significat Melchisedech fuisse figuram Christi Domini quoad illa omnia quæ recensuit de illo: nam sensus Apostoli est tantùm iste, quòd quemadmodum Christus Filius Dei manet Sacerdos in æternum, ita etiam Melchisedech, provt introducitur in sacris Litteris, sine initio & sine fine vitæ (quo æternitas Christi Sacerdotis in perpetuum repræsentatur) gesserit figuram Christi Domini. Tandem etiamsi Apostolus id assereret de Christo, non propterea tamen Christus negaretur esse Deus; sicut enim duas in Christo distinguimus naturas, ita VIII.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta Nestorij.

OBICIT primò ex sacris Litteris illud Ioannis 2. *Soluite templum hoc*, vbi Filius Dei vocat humanitatem Christi templum suum: at templũ, & qui habitat in templo distinguuntur subsistentiâ. Deinde Apostolus ad Hebræos septimo, docet Christum esse sine matre, sine

I. & duas generationes, duas natiuitates: æterna generatio correspondet Christo secundùm diuinam naturam consideratæ, iuxta quam habet quidem esse à Patre, sed est sine matre: temporalis generatio correspondet eidem Christo iuxta humanam naturam spectato, secundùm quam est sine Patre; sicque Christus Dominus secundùm aliquam, diuersam tamen suiipsius considerationem, est sine patre, sine matre, sine genealogia, cùm etiam Isaias cap. 53. dicat de illo, *Generationem eius quis enarrabit.* Atque hoc modo S. Ambrosius libro de initiandis cap. 8. lib. 4. de Sacramentis cap. 3. lib. 3. epistolarum, epist. 25. intellexit Apostolum.

Ad alia autem Scripturæ testimonia, quibus opposita passim tribuuntur Christo Domino, Respondetur, istud solùm arguere distinctionem naturarum, diuinæ nimirum & humanæ, quibus II. distinctæ proprietates respondent, quod libenter admittimus, non tamen dualitatem personarum, quod Nestorius intendit: sicut rectè intelligimus vnicum tantùm esse numero suppositum in homine, vt ex anima & corpore compositio, quamuis proprietates animæ & corporis sint sibi inuicem oppositæ.

Tandem Christus Dominus Matthæi 27. dicitur *derelictus à Patre*, non quòd Verbum diuinum reliquerit humanitatem à se assumptam; nam quod semel assumpsit, nunquã dimisit; sed hoc sensu Deus dicitur dereliquisse Christum tempore Passionis: quòd ad magis manifestandam tum veritatem humanæ naturæ quæ est in Christo Domino, tum grauitatem & acerbitatem doloris, quem Christus pro nobis patiebatur, Deus tunc nihil consolationis dederit inferiori parti eius animæ, quo releuaretur à tanto III. dolore. Vnde hæc particula Christi Domini ita loquentis, *Vt quid dereliquisti me*, non est dubitantis, sed dolentis tantùm, quemadmodum rectè notat S. Cyrillus Alexandrinus libro 1. de fide Incarnationis ad Reginas.

Secundò obiicit ex Patribus, vt S. Basilio in Psalmum 159. Christum appellari *hominem Deiferum.* Item ex aliis, vt sanctis Ambrosio & Augustino in suo Hymno dicentibus, *Filium Dei assumpsisse hominem:* quod alij Patres satis frequenter vsurpant: at homo importat suppositum, vt sanctus Damascenus docet expresè libro tertio de fide orthodoxa cap. 11. & Dialectici communiter tradunt. Item ex sancto Damasceno libro 3. de fide orthodoxa cap. 6. dicente, *Id quod non est assumptum non esse curatum.* Ergo si proprium & creatum aliquod humanum suppositum non fuit à Filio Dei assumptum, homines non fuerunt sanati à suis peccatis, quod est hæreticum. IV. Item ex sancto Augustino in Enchiridio capite 3. dicente, ita Christum esse vnum, vt tamen ibi dicat illum esse *aliud propter Verbum, & aliud propter hominem:* at vbi est aliud & aliud, ibi supposita sunt distincta.

Ad primam illam Patrum authoritatem, quâ dicũtur appellare Christum Dominũ hominem Deiferum, primò respondetur, S. Basiliũ ibi non appellare Christum hominem Deiferum, sed solummodò carnem Christi appellare Deiferam; quod in bono sensu potest explicari ex iis omnibus, quibus suprà ostendimus humanitatem Christi Domini posse appellari templum diuinitatis. Deinde si qui Patrum reperirentur ita loquuti, essent piè exponendi hoc modo, quòd vsurpent concretum pro abstracto, sicut respondemus ad aliam Patrum authoritatem, quâ dicunt Verbum assumpsisse hominem, vbi hac particulâ *hominis* intelligunt tantùm ipsam humanitatem, quemadmodum patet ex aliis eorum testimoniis, quibus loquuntur nostro modo, & præterea apertè testantur vnam tantùm esse in Christo Domino personam, eámque Verbi diuini: & id patet clarissimè in testimonio Iulij summi Pontificis relato per Concilium Ephesinum tomo 2. actorum cap. 7. vbi Iulius summus Pontifex ita loquitur de Christo, *Non duo filij, sed vnus germanus filius qui suscepit hominem*, id est, vt ipsemet ibi explicat, *humanam naturam*, quâ etiam ratione intelligitur illud S. Damasceni relatum in obiectione, scilicet, *Quod non est assumptum non est curatum*, quatenus per hunc terminum *assumptum* intelligitur humana tantùm natura cum omnibus suis partibus integrantibus, quæ propriè indigebant curatione: at personalitas, loquendo præcisè & propriè, non pertinet ad integritatem naturæ humanæ, sed solummodò ad modum eius existendi in se, & non in alio: quod tantùm est aliquod vltimum eius complementum, & non aliqua pars integrans ipsam humanitatem. VI.

Ad vltimam authoritatem quæ est sancti Augustini dicentis Christum esse vnum quidem, sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem, respondetur S. August. statim in initio cap. & toto etiam ferè capite agnoscere vnicam numero, eámque diuini Verbi personam in Christo, *Christus*, inquit, *Deus & homo est.* & paulò pòst, *Homo, quia in vnitatem personæ accessit Verbo anima rationalis & caro.* Vnde quando posteà subiungit Christum esse vnum quidem, *sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem*, vult tantùm propter diuersitatem, & distinctionem naturarum, distinctas proprietates ei conuenire, vt hæc eius verba sequentia euincunt, *Propter Verbum æqualis Patri, propter hominem minor.* Et ibidem concludit vnum & eundem esse filium Dei, & filium hominis. Deinde si vis est faciendain hac particula *aliud*, simpliciter & absolutè loquendo negatur ibi esse distincta supposita necessariò, vbi est aliud & aliud, sed ad veram significationem Philosophicam & Theologicam huius termini *aliud*, solam naturarum distinctionem sufficere, vt intelligimus ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur Extrau. de summa Trinitate & fide Catholica capite *Damnamus*, definiente filium in diuinis esse alium à suo Patre, non tamẽ aliud, eo quòd eandem numero essentiam habet cum illo, & docent Theologi primâ parte quæst. 31. art. 2. Hæc autem est distinctio inter duas istas particulas *alius* & *aliud*, quòd prior distinctionem suppositorum tantùm significet, non obstante identitate eiusdem numero essentiæ: posterior verò significet distinctionem naturarum. Vnde rectè dicimus filium in diuinis esse alium à Patre, non tamen esse aliud, cùm sit distinctio realis inter eiusmodi personas; non tamen possumus simpliciter dicere Filium esse aliud à Patre, quia sic loquendo significaremus duas esse naturas distinctas in Patre & Filio, quod est hæreticũ: ideòque quia in Christo Domino dantur duæ naturæ distinctæ à se inuicem realiter integræ & inconfusæ, licèt vna sit numero persona, S. August. rectè potuit dicere in Christo esse aliud & aliud, quia sensus eius est tantùm iste, quòd in Christo Domino sint duæ naturæ inte- VII. VIII.

I. græ & impermixta, quod esse verissimum ostendimus suprà. S. autem Augustinus non ait Christum esse alium & alium, quâ particulâ distinctio personarum significatur, & quo modo debuisset loqui vt faueret Nestorio.

Tertiò obiicit: vbi aliqua sunt idem realiter, quidquid realiter vnitur vni, vnitur & alteri: & è contrà, quidquid non vnitur vni, nec etiam vnitur alteri, quod ei est idé realiter, quia aliàs illud cui sit vnio, non esset idem cum eo cui vnio non fit, sed esset aliquid ab eo distinctum: atqui in diuinis, natura diuina & persona Verbi, seu eius subsistentia sunt vnum & idem, nec vnio Verbi diuini cum humanitate est facta in natura diuina, quemadmodum ostédimus contra Eutychetem: ergo neque vnio hæc est facta in persona Verbi diuini. Confirmatur, si natura humana vnitur immediatè Verbo diuino: ergo est etiam, saltem mediatè, vnita naturæ diuinæ, similiter II. Patri & Spiritui sancto ab illa realiter indistinctis: at hoc vtrumque est falsum, quia sola secunda persona Trinitatis dicitur vnita, incarnata: igitur nec hæc vnio est propriè facta in persona Verbi. Respondetur, Maiorem huius argumenti esse falsam, quia satis est, quòd illa quæ sunt idem realiter, vel etiam formaliter sint distincta virtute: tunc enim quia distinctio virtualis, quoad suum veluti effectum, est tantæ efficaciæ, quantæ est distinctio realis ac formalis, quemadmodum ipsum eius nomen importat, & fusiùs est nobis agendo de mysterio Trinitatis: ideò fit, vt quemadmodum si distinctio realis vel formalis propriè dicta reperiretur inter diuinam essentiam & eius personalitates, quicquid immediatè, præcisè & formaliter vniretur, vel identificaretur ipsi diuinæ essentiæ, non etiam vniretur immediatè, præcisè & formaliter alicui III. ex diuinis personalitatibus, vel è contrà: nec illis conueniret propriè & formaliter, vt videre est in intellectu & voluntate Dei, quæ quia ita sunt vna simplicissima entitas, vt tamen sit virtute duplex, & virtualis datur distinctio inter illas, rectè dicimus Filium produci à Patre per intellectum, non per voluntatem; & contrà Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio per voluntatem, non per intellectum, etiamsi inter intellectum & voluntatem Dei repetiatur identitas, tam formalis, quàm realis, cùm omnes istæ propositiones faciant sensum formalem, & in eo debeant accipi: ideò pari iure quia hypostasis, seu personalitas Verbi diuini est idem realiter & formaliter cum essentia diuina, attamen virtualiter ab illa distinguitur, rectè possumus dicere naturam humanã in Christo esse vnitam hypostaticè Verbo diuino, nõ naturæ diuinæ, & vnionem humanitatis cum Verbo esse factam in eius personalitate, non autem in natura, seu essentia diuina, cui personalitas Verbi realiter & formaliter identificatur, solúmque virtualiter distinguitur: non enim, vt docent Dialectici communiter, à sensu materiali ad sensum formalem valet consequentia, id est ex eo quòd duo aliqua sunt vnum & idem realiter, non benè infertur quòd quicquid ei tribuitur, spectato formaliter, seu provt consideratur præcisè sub aliqua speciali ratione & formalitate, sub qua condistinguitur ab alio, illud idem debeat ei tribui, provt consideratur sub alia formali ratione, secundùm quam virtualiter distinguitur ab alio, etiam independenter ab operatione cuiuscumque intellectus: & ideò quamuis diuina essentia & personalitas Verbi diuini distinguantur tantùm virtualiter, & natura humana vniatur immediatè personalitati Verbi diuini in Christo, non licet inferre similiter talem vnionem esse factam formaliter & immediatè in ipsa diuina natura, quæ est idem realiter formaliter cum personalitate Verbi diuini, quanquam in sensu identico hæc propositio possit concedi, vnio naturæ humanæ in Christo est facta in re quæ est diuina essentia, sicque patet responsio ad confirmationem primæ rationis Nestorianorum. V.

Sed contra hanc responsionem obiicies: vnio facta est in eo quod est incarnatum, & loquendo de hoc mysterio, *Esse incarnatum, & esse id quod resultat ex tali vnione*, significant vnum & idem, quemadmodum videre est in hac propositione, Verbum diuinum est incarnatum, seu vt S. Ioan. loquitur, *Verbum caro factum est*: atqui Patres & Scholastici satis communiter dicũt naturam diuinam fuisse incarnatam, & ita posse dici docet S. Damasc. lib. 3. de fide orthod. cap. 6. & 11. etiam ex SS. Athanas. & Cyril. Respondetur, concessâ Maiori, negando Minorem, si propriè loqui velimus, vt rectè animaduertit S. Th. infrà qu. 3. art. 2. nam *esse incarnatum*, propriè loquendo, importat esse id in quo immediatè & proximè vnio humanitatis est facta, vt prædicta propositio Euangelistæ satis apertè significat, & nos suprà notauimus initio huius partis: vnde cùm hæc vnio non sit facta immediatè in natura diuina, sed in ipsa persona Verbi diuini, fit vt loquendo propriè dicendum non sit naturam diuinam fuisse incarnatam; si autem loquendo minùs propriè, solummodò per hanc propositionem significetur naturam diuinam fuisse vnitam humanitati, non importãdo quòd natura diuina sit terminus talis vnionis, tunc quia diuina natura fuit vnita naturæ humanæ in Christo (quatenus duæ illæ naturæ habẽt idem numero suppositum, in quo sibi inuicem vniũtur, sicut duæ partes lineæ in aliquo puncto copulante illas) natura diuina poterit dici hoc sensu incarnata, quomodo plures Patrum proferũt illam propositionem: alij verò dum dicunt naturam diuinam fuisse incarnatam, vel addunt istam particulam *Verbi*, & sic appositione talis termini, per prædictam particulam solummodò intelligunt ipsum Verbum diuinum, quemadmodum suprà exposuimus ex edicto Iustiniani Imperatoris, vel in antecedentibus & cõsequentibus satis significant se tantùm loqui de persona Verbi diuini, sicque tali nomine *diuina natura incarnata*, intelligere secundam solam personã Trinitatis. Vnde etiam S. Damasc. suprà non vult admittere hanc propositionem, IV. diuinitas est incarnata, ne scilicet detur occasio existimandi omnes personas diuinas fuisse incarnatas, & incarnationem fuisse factam in aliquo absoluto & communi omnibus diuinis personis: ideóq; licèt personæ Patris & Spiritus sancti sint speciali quodam titulo in ipsa humanitate Christi Domini, attamen nullo modo dicuntur incarnatæ, cùm hæc vnio ad eas sese non terminauerit etiam mediatè. VI. VII. VIII.

Neque ex eo quod concedimus diuinam naturam posse aliquo sensu dici vnitam humanitati, potest inferri, eam simili modo posse dici generatam, cùm semper eandem seruet distinctionem virtualem à Verbo diuino, quod dicitur generari; hoc, inquam, non potest inferri, quia vt definitur cit. capite *Damnamus*, diuina essentia nec generat, nec generatur, sed tantùm supposi-

I. tum, vt ostendimus agendo de mysterio Trinitatis; sed essentia diuina potest tantùm dici communicata per generationem, vt Filio in diuinis; quæ tamen communicatio diuinæ essentiæ non habet locum in assumptione humanitatis, nisi hoc sensu, quo suprà diximus illam vi huius mysterij esse realiter & substantialiter aliquo speciali titulo in ipsa humanitate Christi Domini.

Obiicit quartò: vbi duæ sunt intellectuales substantiæ completæ, & indiuiduæ, ibi duæ sunt personæ: quia ex Bœtio cõmuniter à Philosophis recepto, persona nihil est aliud, quàm incommunicabilis naturæ rationalis indiuidua substantia: atqui in Christo duæ sunt naturæ completæ ex dictis contra Eutychetem, similiter indiuiduæ, quia ambæ sunt singulares: ergo & duæ sunt personæ, diuina scilicet & humana. Respondetur, humanitatem Christi Domini præcisè sumptam, alio sensu dici completam & indiuiduam, quàm in ipsa definitione personæ hæc particula *individua substantia* sumatur; nam humanitas Christi Domini secundùm se spectata, hoc tantùm sensu dicitur esse indiuidua, quo indiuiduũ opponitur vniuersali, & significat naturam humanam Christi Domini esse singularem, non vniuersalem: at in definitione personæ sumitur pro *incommunicabili*, quatenùs subsistãtia beneficio personalitatis ita completè existit per se, & in se, vt non sit in alio, tanquam in sustentante: vnde cùm humanitas Christi Domini præcisè & solitariè sumpta, tam secundùm omnes suas partes integrantes, quàm essentiales, nõ sit talis, cùm adhuc postulet vltimum complementũ, quo hoc vtrumque habeat, illa vt sic considerata, non est persona; similiter humanitas Christi Domini præcisè sumpta alio modo dicitur esse completa substantia, & II. alio modo dicitur compleri per ipsam personalitatem: priori modo dicitur completa, quatenùs habet omnes suas partes etiam integrantes: posteriori modo perficitur à personalitate, quam quidem personalitatem substantia priori modo considerata non includit; sicque non potest appellari persona, & in definitione personæ duas istas particulas *individua substantia*, sumi loco secundarum istarum *incommunicabilis subsistentia*, Theologi & Philosophi agendo de subsistentia docent.

Quintò obiicit: nemo potest generare antiquiorem se, & vbi est noua generatio, ibi nouum debet esse suppositum, quia generatio terminatur ad suppositum: atqui Christus Dominus est antiquior beatissima Virgine, nam Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Ergo B. Virgo non potuit generare Christum Deum: ergo generauit solummodò Christum hominem habentem nouum & distinctum suppositum à supposito Christi Dei. Confirmatur, filius debet esse ὁμοούσιος, id est eiusdem substantiæ cum matre, sed Deus non est eiusdem substantiæ cum beatissima Virgine: ergo beatissima Virgo nõ est mater Dei. Bellar. tom. 1. controu. lib. 3. de Verbo incarnato cap. 7. respondet, neminem posse generare alium secundùm id, quo est illo antiquior. Vnde cùm Christus secundùm diuinitatem consideratus, sit antiquior beatiss. Virgine, illa nõ eum generauit secundùm diuinitatẽ, sed secundùm humanitatem; quâ ratione beatiss. Virgo est prior Christo Domino. Verùm hæc solutio non satisfacit, nisi aliquid superaddatur ei; nam ratio ob quam beatiss. Virgo nõ generet diuinitatem, non est quòd diuinitas sit illâ antiquior, aliàs ob eandem ratio-

A nem non generaret Filium Dei, seu secundã personam Trinitatis, cùm hæc, vt pote æterna, & ab æterno sit antiquior beatiss. Virg. sicque nõ esset loquendo propriè mater Dei, sed mater hominis tantùm, quod asserere est hæreticum ex Concil. Chalced. Ratio itaque, cur beatiss. Virgo non generet diuinitatẽ, est allata superiùs, nimirũ quòd diuinitas nec generet, nec generetur, sed generatio terminetur ad suppositum. Alio igitur modo respondemus ad istam rationem Nestorij, scilicet suppositũ Verbi diuini posse duobus modis considerari: Primo, vt terminat solam naturam diuinam. & sic est antiquius beatiss. Virg. quæ illud, vt sic, non generauit, sed solus Pater. Deinde potest considerari, vt præterea terminat humanam naturã, & est vna persona, ex humanitate & personalitate Verbi constituta, quo modo est aliquid posterius beatiss. Virgine, est enim totalis terminus illius actionis, quâ beatissima Virgo genuit Christum Deum hominem.

Dices. Beatiss. Virgo nec diuinitatem, nec personalitatem Verbi diuini dedit Christo. Deinde Verbum diuinum prius natura erat vnitum partibus humanitatis, quàm illæ partes vnirẽtur inter se, vt infrà videbimus qu. 6. ergo beatiss. Virgo non videtur esse propriè mater Dei. Respondeo, ad totam hanc difficultatem ex S. Cyrillo Alexandr. epistolâ suâ ad Monachos Ægypti. quæ est prima inter eius epistolas, & habetur tomo 1. Concil. Ephes. cap. 1. ad 1. eius partem, admittendo beatiss. Virginem non dedisse Christo ipsam diuinitatem, vel personalitatem Verbi, nisi hoc sensu, quòd vniuit partes humanitatis inter se iam assumptas à Verbo, vt posteà explicabitur; negamus tamen inde sequi illam non esse loquendo propriè matrem Dei, quia non est de ratione matris, vt per seipsam det totum quod est etiam essentiale ipsi eius filio; nam vnicuique nostrũm anima rationalis est intrinseca, & essentialis, quam tamen matres nostræ nõ dant nobis, quemadmodum præclarè testatur mater Machabæorum lib. 2. Mach. cap. 7. eos excitans ad fortiter ferendum martyrium: docétque ipsa fides, quæ tradit animam rationalem creari à Deo, simúlque infundi; & nihilominùs nostræ matres verè & propriè sunt matres: ergo licèt personalitas Verbi sit intrinseca Christo, vt Christus est, & beatiss. Virgo nec eam, nec diuinitatem dederit Christo, non propterea tamen desinet esse & dici propriè mater Dei, mater Verbi diuini: sed quemadmodũ licèt matres nostræ subministrent solũmodò corpus & materiam, ex qua illud formatur, non desinũt esse & dici matres totius hominis, & non solius carnis vel corporis, quia generant totum hominem animo & corpore constantem; ita & beatissima Virgo, quia generauit Christum humanitate & propriâ subsistentiâ Verbi diuini constantem, est & propriè dicitur *Deipara* seu mater Dei.

Secundò respondetur. Istud, *matrem generare filium in humanis*, consistit in subministratione materiæ, & tali eius dispositione, quâ postulet hanc formam, & præterea in ipsa vnione animæ rationalis cum corpore, siue id fiat introducendo tantùm vltimam dispositionem necessariam ad infusionem animæ rationalis, siue (vt alij existimant) exercendo actionem vnitiuam quæ sese terminet ad animam rationalem: at beatissima Virgo exercuit ista omnia circa Christum, nam corpus Christi Domini fuit efformatum ex purissimis eius sanguinibus, quemadmodum do-

I. cebimus infrà, similiter illa per vim formatricem ita disposuit prædictum illum purissimum suum sanguinem, & vltimam dispositionem introduxit, vt exposceret animam Christi Domini, eámque iam à Verbo diuino assumptam vniuit cum proprio corpore Christi Domini similiter iam à Verbo diuino assumpti: sicque quâ ratione matres communes sunt matres propriorum suorum filiorum, ita etiam beatissima Virgo (quantum spectat ad hoc præcisè loquendo) est etiam mater Christi, non tantùm hominis, sed Dei-hominis, & proinde propriissimè est *Dei-para*.

Atque ex hoc patet solutio ad secundam partem eiusdem difficultatis, nimirùm, licèt Verbum diuinum fuerit vnitum priùs naturâ partibus humanitatis, quàm illæ vnirentur inter se, quia tamen beatissima Virgo corpus iam assumptum à Verbo vniuit animæ rationali Christi Domini similiter iam assumptæ ab eodem Verbo, & matres humanæ dicuntur propriè matres hominum, non tantùm provt homines habent carnem, seu corpus (*Nemo* enim, inquit sanctus Cyrillus suprà, *dixerit Elisabeth solummodò σαρκοτόκον*, id est carniparam, non etiam solummodò *ζωογόνον*, id est animi-param, *siquidem non solùm carnem illa genuit, sed Baptistam ex animo & corpore constantem*) sed etiam provt constant aliis suis partibus essentialibus & integrantibus. Ita etiam quia beatissima Virgo actione veræ matri propriâ vniuit corpus iam terminatum à Verbo animæ rationali Christi Domini, similiter ab eodem Verbo diuino terminatæ; sicque genuit Christum constantem integrâ humanitate & ipsâ personalitate Verbi diuini, est & rectè dicitur mater Dei.

II. A

III. B

Ad confirmationem respondetur, Filium debere esse *ὁμοούσιον*, seu consubstantialem matri in ea natura, secundùm quam ab illa procedit & generatur, vt patet in diuina generatione Filij, & quorumcunque aliorum viuentium propriè dicta. Christus autem non procedit à beatissima Virgine per æternam & diuinam generationem, nec suppositum Christi Domini accipit ab illa diuinam essentiam, sed illam diuinâ tantùm Patris æterni generatione habet sibi communicatam; quia tamen generatio sese terminat ad suppositum, est enim filiatio quædam proprietas suppositi, & suppositum illud, ad quod hæc beatissimæ Virginis generatiua actio sese terminat, est verè & propriè Deus, verè & propriè sustentat diuinam naturam, est verè & propriè Filius diuinus diuini & æterni Patris; rectè etiam & verè semper beatissima Virgo dicetur mater Dei, & ipsummet proprium & naturalem Filium Dei genuisse.

IV. C

Vltimò obiicit: omnis vnio terminatur ad aliquid vnum, quod ipsamet vnione est posterius: atqui vnitas diuinæ personæ Filij non est posterior ipsâ vnione Verbi cum humanitate, sed longè prior, cùm sit æterna, & ab æterno: igitur vnio humanitatis non est facta ad personam Filij Dei. Respondetur, concessâ Maiore, negando Minoremnam vnitas personæ Verbi potest duobus modis considerari: Primo, quatenùs est vnitas personæ subsistentis in vna tantùm natura, scilicet diuina: Secundo, vt est vnitas personæ subsistentis in duabus naturis integris & perfectis, diuinâ scilicet & humanâ: vnitas personæ Verbi diuini spectata priori modo est prior ipsâ Incarnatione; secundo modo est posterior, quo solùm præsens vnio hypostatica sese terminat ad illam. V. D

Atque eodem modo respondendum est ei argumento, quod mouit Durandum libro tertio sententiarum quæstione secundâ, vt assereret personam diuini Verbi non esse terminum vnionis hypostaticæ, quod est tale. Terminus vnionis non præexistit vnioni, sed persona Verbi diuini præexistit vnioni hypostaticæ: ergo persona Verbi diuini non est terminus vnionis hypostaticæ: patet, inquam, quid sit respondendum huic argumento, scilicet personam Verbi, vt terminantem solummodò diuinam naturam, præexistere quidem vnioni hypostaticæ, seu Incarnationi, non tamen vt duas naturas integras simul & semel terminantem, quo solo modo est terminus Incarnationis.

VI. E

Ex his omnibus constat, cùm suppositum, seu suppositalitas, personalitas, hypostasis, subsistentia sint vnum & idem apud Philosophos & Theologos, solùmque distinguantur penes id, quòd personalitas dicatur tantùm de natura intellectuali, propter dignitatem, quâ cæteris substantijs eminet: subsistentia verò, suppositalitas, seu etiam suppositum & hypostasis tam dicuntur de aliis substantijs non intellectualibus, quàm intellectualibus, quemadmodum obseruant Theologi primâ parte, quæstione vigesimâ-nonâ, articulo primo: constat, inquam, vniorem humanæ naturæ cum Verbo diuino esse etiam factam in hypostasi: vnde Patres loquentes de hoc mysterio vtuntur passim indifferenter prædictis vocibus; modò dicunt vnionem hanc factam esse in persona Verbi, modò in eius subsistentia, vnam esse tantùm personam in Christo, modò vnam tantùm esse subsistentiam, vel hypostasim in Christo, quemadmodum etiam sanctus Thomas obseruat hac quæstione, articulo tertio: ideóque patet eos qui admittebant in Christo Domino duas hypostases, licèt vnam tantùm personam admitterent, fuisse deceptos, vt ibidem obseruat sanctus Thomas. VII. F

DISPVTATIO II.

De eo, quod personalitas, seu subsistentia creata addit supra naturam creatam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Refellitur opinio negans subsistentiam addere aliquid reale supra substantiam. VIII. G

VONIAM vnio hypostatica Verbi diuini consistit in eo, quòd humanitas Christi Domini propriam & creatam suam personalitatem, seu subsistentiam non habuerit, sed Verbum diuinum illam suppleuerit: vt hæc vnio intelligatur & cognoscatur quidnam sit illud, quod de facto reperitur in natura subsistente vnusquisque nostrum; neque tamen locum habuit in Christi Domini humanitate, quódque fuisset in illa, nisi fuisset à Verbo diuino præuenta: ideò necesse est explicare quid ipsa creata personalitas addat supra naturam, cuius est personalitas, quomodo distinguatur

I. ab illa, & quidnam propriè illi tribuat.

Variæ sunt hac de re sententiæ, quas Caietanus hac parte quæstione quartâ, articulo secundo, & Suares in Metaphysica disputatione trigesima-quartâ, sectione secundâ & sequentibus fusè explicant; quæ tamen omnes possunt ad duas reuocari, quarum prima censet personalitatem nihil reale & positiuum addere supra naturam creatam: quod duobus modis explicatur.

Primo, quòd natura & suppositum in rebus creatis distinguuntur solummodò penes nostrum modum concipiendi, quòd scilicet tunc dicatur natura quando consideratur vt habita, & vt essentia rei in abstracto: exempli causâ, humanitas: dicatur verò suppositum quando consideratur vt habens, seu in concreto, verbi gratiâ, homo: sic censent Durandus primo sententiarum distinctione trigesima-quartâ, quæstione primâ, Gabriel in tertium sententiarum distinctione primâ, quæstione secundâ, articulo tertio, & tribuitur communiter nominalibus.

II.

Secundo modo ita explicatur, vt subsistentia addat supra naturam tantummodò duas negationes dependentiæ, seu communicabilitatis, (duos enim hos terminos sumunt pro vna & eadem re, & synonymè quantum spectat ad præsentem difficultatem, quemadmododum de Pelagianis libro tertio sententiarum distinctione primâ, quæstione primâ, articulo secundo expressè notat: itavt tunc aliquid dicatur dependere ab alio, quando communicatur ei per modum formæ siue totius, siue partis, vel per modum partis quæ componat aliquid cum alio) vnam actualis dependentiæ, defectu cuius omnes partes tam integrantes, quàm essentiales, quæ actu sunt in composito, atque etiam ipsa humanitas Christi Domini quæ est actu in Verbo, excluduntur à ratione subsistentiæ, seu personæ: alteram aptitudinalis dependentiæ, defectu cuius anima rationalis à corpore separata non est persona, vel suppositum, quia est apta esse in toto homine, eúmque vnita corpori efficere aliquid vnum: vnde volunt vnam tantùm ex duabus istis negationibus non sufficere ad constitutionem personæ, seu suppositi, sed vtramque simul & coniunctim requiri, itavt quod verè & propriè est persona, careat hac vtraque dependentiâ. Iuxta quem sensum Scotus existimat hanc sententiam esse probabilem libro tertio sententiarum distinctione primâ, quæstione primâ, articulo tertio, & plures ex eius discipulis sequuntur illam.

III.

IV.

Contra quam nihilominùs sit hæc nostra propositio, *Ratio hypostatica, quam personalitatem, seu subsistentiam formaliter importat, non est ipsamet natura singularis, provt solummodo apprehenditur vt habens, seu in concreto, nec item est mera aliqua negatio independentiæ, siue vna, siue duplex, sed est aliqua realis & positiua entitas, ipsi naturæ, seu substantiæ singulari superaddita.* Ita communior Theologorum sententia hîc & aliis locis suprà citatis: quam conclusionem sanctus Thomas insinuat infrà quæstione quartâ, articulo secundo in corpore, & libro quarto contra Gentes capite quadragesimo-tertio, vt Ferrariensis obseruat ibi, quando ait, *Quòd si subsistentia, seu personalitas præintelligeretur in humana natura assumptioni, oporteret quòd illa corrumperetur:* nam illud tantùm propriè corrumpitur, quod est positiuum. Tres sunt partes nostræ propositionis.

A

V.

Prima contra nominales, quæ probatur ex ipso mysterio Incarnationis, in quo humanitas Christi Domini habet suam naturam integram, completam in esse naturæ, nec tamen habet propriam, seu creatam personalitatem, nec constituitur in esse personæ per aliquem nostrum concipiendi modum, sed per ipsammet subsistentiam diuini Verbi realiter sibi vnitam: ergo cùm eadem sit ratio formæ hypostaticæ, seu subsistentiæ in omnibus aliis substantiis creatis, quæ est ipsius creatæ subsistentiæ, quæ fuisset in humanitate Christi Domini, sicut hæc est aliquid aliud ab ipsa humanitate, diuerso tantùm modo à nobis considerata; ita etiam & in omnibus aliis substantiis singularibus ratio hypostatica, seu subsistentia erit aliquid præter ipsammet singularem substantiam, diuerso concipiendi modo tantùm consideratam. Deinde si subsistentia nihil sit aliud formaliter, quàm ipsamet substantia, provt concipitur vt habens, iam hæc denominatio subsistentiæ ei tantùm conueniet, provt subest nostro conceptui, & à parte rei nihil aliud erit, quàm ipsamet substantia singularis: sicque cùm natura hæc singularis sit assumpta à Verbo diuino, id quod est persona humana & creata, est assumptum à Verbo, licèt defectu nostræ cogitationis & apprehensionis, non vocetur persona: at hoc est contra Concilia & Patres, qui dum agunt contra Nestorium, ita negant Verbum assumpsisse creatam personalitatem humanæ naturæ, vt etiam velint Verbum diuinum non assumpsisse id quod est persona, maximè cùm dicant naturam & subsistentiam non esse idem, quemadmodum videre est locis citatis præcedenti articulo contra Nestorium.

B

VI.

C

VII.

Neque Aristoteles libro septimo Metaphysicorum capite sexto fauet nominalibus, quando ait in substantiis *idem esse quod est, seu vnumquodque*, id est suppositum, *& quod quid erat esse*, id est ipsa natura, & hæc duo solùm differre in entibus per accidens: ibi enim disputat contra idæas Platonis, tantúmque vult illas non esse naturas quasdam separatas à singularibus, quæ ipsis & eorum suppositis communicentur, quasi aliquid illis extrinsecum, quemadmodum formæ accidentales sunt extrinsecæ suis subiectis, eísque communicantur ab extrinseco.

D

VIII.

Secunda pars quæ procedit de duplici negatione & tertia probantur. Primùm ex modo loquendi Patrum & Conciliorum de mysterio Incarnationis, quo significant illud quod in humanitate Christi Domini fuit completum à Verbo diuino, esse aliquid reale: dicunt enim Verbum non assumpsisse hominem, vt sancti Felicis Papæ & Martyris relati à sancto Thoma ex Concilio primo Ephesino infrà quæstione quartâ, articulo tertio: quo loci hæc particula *hominem* idem est ac personam hominis, seu personalitatem creatam humanæ naturæ; & sancti Augustini relati à sancto Thoma quæstione nunc citatâ, articulo secundo in argumento *Sed contrà*: at assumere, est aliquid reale & positiuum ad se sumere. Deinde Patres aliquando dicunt (vt Innocentius tertius

I. relatus à sancto Thoma citato nunc articulo secundo in solutione ad tertium) Verbum assumendo naturam humanam consumptisse eius personam, at *consumi* sicut *corrumpi* dicitur tantùm de aliquo reali & positiuo.

Secundò, personalitas creata est quædam participatio diuinarum personalitatum, sicut omnes perfectiones, quæ sunt in creaturis, sunt aliquæ participationes Dei; ergo illa debet habere aliquam analogiam & proportionem cum diuinis personalitatibus: atqui diuinæ personalitates sunt aliquid reale & positiuum, vt omnes Scholastici docent agendo de mysterio Trinitatis. Confirmatur. Ens & subsistantia secundùm Scotum, dicuntur synonymè de Deo & creatura: ergo sicut Deus est subsistantia prima vltimò completa per suas personales subsistentias, tanquam per aliquid reale & positiuum, ita & subsistantia creata per suam creatam subsistentiam, vt per aliquid quod est reale & positiuum. II. B

Postremò, omnis realis & vera compositio entis per se debet constare membris realibus & positiuis: atqui secundùm Philosophos datur vera & realis compositio metaphysica, ex natura singulari & proprio eius supposito, seu subsistentia, tanquam entis per se; nam Petrus, verbi gratiâ, subsistens est vnum ens per se, cùm ponatur in recta serie categoriæ: igitur ipsa eius subsistentia, quæ est vnum membrum istius metaphysici compositi per se, erit aliquid reale & positiuum.

Articvlvs II.

III. C *Refellitur opinio asserens reale illud, quod subsistentia creata addit suæ substantiæ, esse vnum vel plura accidentia, vel etiam aliquam substantiam.*

Alii omnes ab authoribus præcedentis sententiæ volunt personalitatem, seu subsistentiam in abstracto sumptam addere aliquid reale supra naturam; sed variè à variis explicatur: alij enim existimant id quod superaddit nihil esse aliud quàm ipsas proprietates & accidentia, quibus ipsa substantia fit particularis, vel formaliter, quatenùs scilicet iuxta illos, eiusmodi superadditum nihil est aliud, quàm multitudo quædam accidentium, aut formaliter aliquod accidens, vel radicaliter aliquod accidens, & formaliter aliquid substantiale, quatenùs est aliqua entitas substantialis, quæ deriuetur ab ipsis accidentibus, provt illa omnia accidentia sunt in eadem numero subsistantia, quo posteriori sensu à nonnullis tribuitur Heruæo, quodlibeto tertio, quæstione sextâ. IV. D

Sed contra hanc sententiam sit hæc nostra propositio: *Reale illud quod personalitas, seu subsistentia addit supra naturam, nec est aliquod accidens formaliter, nec aliqua multitudo plurium accidentium, nec aliqua substantia formaliter derinata ex ipsis accidentibus, vt vnitis in substantia.* Duæ autem primæ partes huius propositionis probantur primò: illud ex quo addito subsistantiæ fit aliquod vnum per se, non est formaliter accidens, vel aliqua multitudo accidentium, quia ex subsistantia & accidente fit solummodò vnum per accidens: atqui ex subsistentia addita propriæ suæ substantiæ fit vnum per se ex communi sententia Philosophorum, vt iam animaduertimus: igitur subsistentia, seu reale illud quod subsistentia creata addit suprà naturam, non est aliquod accidens formaliter, nec aliqua multitudo accidentium. A V.

Secundò, id quo substantia completur formaliter in genere substantiæ non potest esse aliquod accidens, vel aliquid accidentale, quia ex non substantijs non fit substantia, & omne complementum substantiale substantiæ pertinet ad categoriam substantiæ, in illáque reponitur; saltem indirectè & ad latus: atqui subsistantia creata completur formaliter in genere subsistantiæ per propriam suam subsistentiam, quemadmodum patet ex definitione personæ allata à Boëtio, & ab omnibus Philosophis & Theologis communiter recepta: ergo formalis & præcisa ratio subsistentiæ creatæ, seu illud quod subsistentia creata addit suprà propriam suam naturam, non potest esse aliquod accidens formaliter, vel aliqua multitudo accidentium. VI.

Tertiò, vnio creatæ subsistentiæ cum propria sua natura, est talis, qualis est vnio diuini Verbi cum humanitate, quia persona Verbi diuini supplet in Christo creatam personalitatem humanitatis: atqui vnio Verbi diuini cum humanitate est substantialis, vt iam obseruauimus, & amplius infrà docebimus: igitur vnio propriæ subsistentiæ creatæ cum propria sua subsistantia est substantialis: igitur cùm vnio sit talis quales sunt eius termini, ipsa creata subsistentia est aliquid substantiale.

Tertia pars eiusdem propositionis probatur primò, quia non potest intelligi quomodo ex non substantijs, cuiusmodi sunt omnia accidentia, aliqua subsistantia formaliter & propriè dicta resultet. Deinde quicquid est alicui enti substantiale, & est natum constituere cum illo vnum per se, non potest naturaliter ei aduenire ab aliquo sibi extrinseco, quia omnia substantialia radicantur in essentia rei cuius sunt substantialia, & dimanant ab illa: sed subsistentia naturæ creatæ, secundùm opinionem quam hic impugnamus, est aliquid substantiale, & iuxta communem Philosophorum sententiam, ex natura & sua substantia fit vnum per se: ex alia verò parte omnia accidentia sunt extrinseca ipsi subsistantiæ, quâ subsistantia est, vt patet ex definitione accidentis, quam Porphyrius tradit, & Philosophi communiter admittunt: igitur creata subsistentia non potest propriæ suæ naturæ aduenire, per aliquam resultantiam ex ipsis suis accidentibus, aut ex aliquo illorum. Plures rationes pro hac vltima parte nostræ propositionis possunt videri apud Durandum primo sententiarum, distinctione trigesima-quartâ, quæstione primâ, numero nono, & sequentibus. VII. VIII.

Neque facit contra nos, quòd sanctus Thomas primâ parte, quæstione tertiâ, articulo tertio, in corpore, dicat in substantijs materialibus suppositum distingui ab essentia, seu natura, quòd suppositum importet materiam determinatam accidentibus indiuidualibus, quæ non includuntur in ipsa essentia præcisè sumpta. Nec item quòd Patres sæpè explicent hoc modo distinctionem suppositi à natura, vt sanctus Athanasius libro de definitionibus, sanctus Ba-

I. filius epistolâ quadragesimâ-tertiâ, sanctus Damascenus in Dialectica capite trigesimo, & libro tertio de fide orthodoxa capite sexto, & aliqui alij. Hoc, inquam, nihil facit contra nos, non quidem locus ille sancti Thomæ, quia non satis constat inter eius Interpretes, an eo loci hæc particula, *Deus*, sumatur pro supposito, an pro individuo: & si sensus sancti Thomæ ibi inquiratur ex probatione quam ibi assumit in corpore articuli, reperietur sumere prædictum terminum pro *individuo*, quatenùs ait suppositum & naturam in substantiis spiritalibus non distingui conformiter ad id quod eadem primâ parte, quæstione quinquagesimâ, docet scilicet plures Angelos non posse esse eiusdem speciei infimæ, cùm tamen hæc tertiâ parte, quæstione quartâ, articulo primo in solutione ad tertium, admittat etiam in substantiis angelicis distinctionem naturæ à supposito: nec similiter authoritas aliorum Patrum facit contra nos; non enim ibi intendunt tradere exactam cognitionem tam suppositi, quàm distinctionis eius à sua natura, sed solummodò rudem, quæ etiam à parùm doctis possit percipi, cuiusmodi est illa quæ desumitur à propriis quibusdam accidentibus magis incurrentibus in nostram cognitionem, præsertim quando agitur de substantiis materialibus & illarum accidentibus; & hanc esse eorum mentem expresè significat sanctus Basilius de seipso loco nunc citato, dum ait nostrum intellectum describere, & declarandum offerre ipsum suppositum per declarationem proprietatum: quod idem potest colligi ex aliis locis Patrum, considerando tam antecedentia, III. quàm consequentia.

II.

Articvlvs III.

Refellitur sententia asserens illud reale, quod subsistentia creata addit suæ substantiæ, esse substantialem eius existentiam.

Svnt etiam qui voluntistud superadditum esse existentiam actualem, quæ quatenùs superadditur essentiæ substantiali, eámque facit substantialiter existere, habet rationem suppositi & subsistentiæ: vnde cùm iuxta illos nulla detur creata existentia in humanitate Christi Domini, fit vt illa subsistat tantùm diuini Verbi subsistentia. Alij volunt subsistentiam non esse ipsam existentiam substantialem formaliter sumptam, sed volunt ipsam naturam, provt habet ordinem ad propriam suam existentiam, esse & dici suppositum, itavt sicut potentia constituitur in esse potenti: per ordinem & habitudinem quam habet ad obiectum, quamuis intrinsecè & formaliter non includat illud; ita etiam natura, quatenùs habet habitudinem ad propriam suam substantialem existentiam, sit suppositum; sicque subsistentia nihil aliud sit, quàm ipsamet natura singularis considerata per ordinem ad suam existentiam, quam suppositum connotat. IV.

Sed contra has opiniones sit hæc nostra propositio: *Reale illud quod subsistentia creata addit supra naturam creatam, non est actualis & substantialis eius existentia formaliter sumpta: nec etiam ordo, seu habitudo ipsius naturæ, seu*

A *substantiæ creatæ ad suam existentiam actualem, substantialem, & formalem.* Hæc propositio, vt videtur nonnullis, est contra Capreolum libro tertio sententiarum, distinctione quintâ, quæstione tertiâ, ad argumenta contra secundam conclusionem. Sed contra quemcumque sit, V.

Probatur prior eius pars: Illud reale quod creata subsistentia addit propriæ suæ substantiæ, non reperitur de facto in humanitate Christi Domini, quia hæc caret propriâ & creatâ suâ subsistentiâ: sed actualis & substantialis existentia creata humanitatis Christi Domini reperitur de facto in illa, vt infrà ostendemus, quia Verbum diuinum illam assumpsit individuam, & proinde existentem: ergo reale illud, quod creata subsistentia addit supra propriam suam naturam, non est actualis & substantialis eius existentia. B VI.

Posterior item pars probatur: ipsa Christi Domini humanitas, etiam ante vnionem cum Verbo, habebat aliquem ordinem ad existendum actu & substantialiter, cùm esset aliquod possibile; sed pro eo statu non erat personata; aliàs enim Verbum diuinum illam assumpsisset iam personatam propriâ suâ subsistentiâ creatâ; quod tamen omnes negant: igitur neque reale illud quod subsistentia creata addit suprà suam substantiam, est ordo ille prædictus, & habitudo essentiæ creatæ ad existendum actu & substantialiter.

Confirmatur amplius in eorum sententia, qui volunt essentiam in rebus creatis distingui realiter ab existentia, essentia illarum præcisè sumpta habet dictum ordinem ad actualem existentiam, nec tamen vt sic dicitur ab C VII. aliquo esse persona: ergo id quod subsistentia addit suprà propriam naturam, non est ordo ad actualem existentiam.

Articvlvs IV.

Illud quod creata subsistentia addit suæ substantiæ esse modum substantialem.

Reiectis variis aliorum opinionibus, nunc quid sentiamus aperiendum est. Sit itaque nostra hæc propositio: Reale illud quod subsistentia creata addit suprà propriam suam naturam, est aliquis modus substantialis, seu modalis aliqua entitas substantialis: ita communiter omnes recentiores, & videtur D VIII. esse sententia sancti Thomæ locis superiùs citatis, & Ferrariensis libro quarto contra Gentes, capite superiùs citato.

Probatur: quicquid est substantiale, & aduenit substantiæ completæ secundùm omnes partes suas essentiales & physicas, quod nihilominùs coniunctum tali substantiæ facit aliquod vnum per se, illud potest habere tantùm rationem cuiusdam modi substantialis: modi quidem, quia substantiam tantùm modificat, cùm non componat illam intrinsecè: substantialis verò, quia cum illa facit vnum per se in genere substantiæ: atqui entitas illa substantialis, quam personalitas addit suprà naturam, aduenit substantiæ iam completæ quoad suas partes essentiales & physi-

I. cas, quemadmodum facilè intelligitur ex mysterio Incarnationis, in quo Verbum diuinum eo instanti terminauit hypostaticè naturam humanam, quo propria & creata eius personalitas debebat ei aduenire; & nihilominùs solùm id præstitit vbi humanitas completa fuit quoad omnes suas partes essentiales & physicas, cùm illas omnes assumpserit, vt ostendemus infrà, & tota illa humanitas facit vnum per se: igitur entitas illa substantialis, quæ ei superadditur per subsistentiam creatam, habet solummodò rationem modi alicuius substantialis.

Secundò probatur, eo modo secundùm proportionem sese habet subsistentia ad propriam naturam, quo modo actualis inhærentia ad suum accidens; sicut enim propria personalitas potest separari à sua natura, vt patet in hoc mysterio, ita actualis inhærentia à suis accidentibus, vt videre est in mysterio Eucharistiæ: & præterea sicut subsistentia facit naturam esse formaliter in se, & non in alio, ita actualis inhærentia facit accidens esse formaliter in subiecto: atqui actualis inhærentia est solùm modalis quædam entitas ipsius sui accidentis, quia illâ sublatâ, adhuc ipsa accidentia panis & vini remanent tota in Sacramento Eucharistiæ: ergo similiter ipsa subsistentia, seu personalitas erit tantùm aliqua substantialis modalis *entitas sua substantiæ.*

II. B

ARTICVLVS V.

Obiectiones contrariæ soluuntur.

III. C

VERVM contra nostram doctrinam præcedentium articulorum multa obiiciuntur. Primò, sanctum Thomam libro primo contra Gentes capite vigesimo-quinto expressè dicere, ipsum esse per se importare tantùm negationem, quando ita ait, *Dicitur ens per se, ex hoc quod non est in alio, quod est negatio pura:* Atqui naturam subsistere nihil est aliud, quàm eam esse per se: igitur ipsum subsistere, ex sententia sancti Thomæ, sumptum formaliter, non est aliquid reale, sed mera tantùm negatio.

Confirmatur primò, substantiam per se subsistere nihil est aliud, quàm eam separatim, & non in alio existere: at hoc rectè intelligitur in substantia singulari, nullo reali ei superaddito. Secundò confirmatur: si superadditum illud sit quid reale, Deus faciat per absolutam suam potentiam, vt aliquod aliud positiuum non ponatur loco illius, & per nudam substractionem sui concursus impediat, ne illud reale quod formaliter constituit subsistentiam effluat, vel producatur, conseruétque substantiam illam singularem cui aduenisset; tunc illa actu existens erit in se, & subsistens; & quia actiones sunt suppositorum, & hæc singularis natura non minùs poterit operari, quàm quando fingitur habere illud reale: igitur singularis substantia actu existens non est formaliter subsistens per aliquid reale sibi superadditum, sed per nudam negationem existendi in alio.

IV. D

Respondetur, plerumque in ipsis formalitatibus & essentiis rerum hæc duo distingui, *Præcisa ratio illarum constitutiua*, & *id per quod* A *tales essentiæ & formalitates à nobis declarantur & explicantur*, vt videre est in diuinis attributis negatiuis, quorum præcisa & formalis ratio consistit in aliquo reali summè perfecto in suo genere, vt simplicitas Dei in summa actualitate diuinæ essentiæ, & sic de aliis; quæ tamen explicantur à nobis per negationes, sicut & hæc differentia bruti *irrationalis*, quæ est positiua, explicatur tamen à nobis per negationem rationalis, quia res magis perfectæ, & etiam minimæ perfectionis meliùs cognoscuntur à nobis *viâ negationis, quàm viâ affirmationis*, vt ex sancto Dionysio libro de diuinis nominibus Theologi docent primâ parte agendo de attributis negatiuis Dei: iam sanctus Thomas ait quidem *non esse in alio* esse puram negationem, sed non dicit *ipsam perfectatem*, seu rationem existendi per se, quam ipsa subsistentia formaliter dicit, esse puram negationem: sed quia talis *perfectas*, quæ est quid positiuum, fundat in ipsa subsistantia creata negationem tam actualis quàm aptitudinalis existentiæ in alio, vt paulò pòst explicabitur, sicut summa actualitas Dei fundat negationem omnis & cuiuslibet compositionis: ideò explicat ipsam perfectatem, seu formalem rationem subsistentiæ per istam negationem, quasi per suum effectum; non autem quòd velit talem rationem formaliter & præcisè sumptam esse meram negationem: quemadmodum si quis nostrùm ita diceret, *Dicitur brutum irrationale ex eo quòd caret ratione*, non liceret inferre *ipsum irrationale*, quod est propria differentia bruti, esse meram negationem, sed solummodò istam differentiam benè à nobis intelligi & explicari per talem negationem, quæ ad illam necessariò sequitur: & quòd hæc explicatio sit ad mentem sancti Thomæ, patet ex omnibus aliis locis, quibus suprà satis apertè significat subsistentiam creatam sumptam formaliter, dicere aliquid reale & positiuum. V. VI. VII. VIII.

Ad primam confirmationem negatur ipsum subsistere nihil esse aliud quàm separatim, & non in alio existere, si isti termini sumantur, vt significant puram negationem; humanitas enim Christi Domini priùs natura quàm vniretur hypostaticè Verbo diuino, sic existebat separatim & sine alio, nec tamen subsistebat propriâ & creatâ subsistentiâ, cùm illam nunquam habuerit: nec obstat quòd tunc careret solâ actuali existentiâ in alio, & non aptitudinali; nam talis carentia existentiæ aptitudinalis in alio, debet fundari in aliquo positiuo quod insit ipsi substantiæ, ratione cuius fiat, vt ei repugnet sic esse in alio; istud autem positiuum est ipsa *perfectas*, seu formalis ratio subsistendi.

Ad secundam confirmationem, quâ dicitur Deum quidem *posse absolutâ suâ potentia conseruare substantiam, & impedire ne propria subsistentia effluat, vel aliqua alia eius loco substituatur*, admittimus posse illud fieri. Nam sicut hæc numero materia non habet intrinsecum ordinem ad alias formas eiusdem, vel diuersi generis, sed ad hanc numero particularem, quæ tamen est illa posterior, & producitur per distinctam actionem, scilicet per eductionem è subiecto: ita etiam substantia creata non habet intrinsecum ordinem ad alienas subsistentias, sed tantùm ad suam propriam,

I. & hæc producitur aliâ actione, quàm ipsa A subſtantia producatur, vt intelligimus ex myſterio Incarnationis: atqui iuxta ſententiam magis receptam inter Philoſophos, Deus poteſt conſeruare materiam etiam informatam aliquibus accidentibus, ſiue omni forma ſubſtantiali, & hoc propter rationem nunc aſſignatam: ergo quia viget eadem ratio in præſenti caſu, quemadmodum oſtendimus, Deus pari iure poterit conſeruare aliquam ſubſtantiam ſine vlla ſubſiſtentia, tam aliena, quàm propria, & diuinum Verbum loquendo abſolutè poteſt derelinquere humanitatem quam aſſumpſit, & Deus ſimul ſubſtrahere ſuum concurſum (quia eſt liber in eo exhibendo, cùm ſit ad extra) ne propria ſubſiſtentia huius humanitatis ſic derelictæ reſultet; sicque tunc aliqua ſingularis ſubſtantia creata dabitur abſque omni perſonalitate, ſeu ſubſiſtentia tam aliena, quàm propria; B attamen datâ hac hypotheſi, negamus inde ſequi talem ſubſtantiam fore tunc formaliter ſubſiſtentem, ſicut ex eo quòd in ſacramento Euchariſtiæ accidentia panis & vini ſunt abſque actuali inhærentia in aliquo ſubiecto, non ſequitur illa propriè & formaliter ſubſiſtere, ſed tantùm non eſſe de facto in alio, tanquam in actuali ſubiecto inhæſionis.

II.

Ad id autem quod affertur in contrarium, ſcilicet in iſta hypotheſi, *Subſtantiam illam completam ſecundùm omnes ſuas partes, tam integrantes, quàm eſſentiales poſſe operari, & actiones eſſe ſuppoſitorum*: reſpondetur, talem ſubſtantiam, ſi Deus velit, poſſe operari, quia habet omnia ptincipia formalia, quibus ſuas actiones tam elicitiuè, quàm efficaciter producat; ſic enim non ſunt à ſuppoſito, ſed tantùm ab illo, tanquam à conditione ſine qua, C ſubſtantia etiam indiuidua & ſingularis non eſt in ſtatu accommodato ad agendum, quam conditionem Deus poteſt ſupplere, & ex conſequenti facere, vt talis ſubſtantia denudata omni ſubſiſtentia operetur. Actiones verò dicuntur eſſe ſuppoſitorum, hoc ſenſu, quòd ſubſtantiæ poſtulant naturaliter priùs perfici in ordine ad ſe, quàm in ordine ad aliud; vnde cùm illæ perficiantur per ſuppoſitum proprium, vel alienum in ordine ad ſe, & per actionem à ſeipſis elicitiuè, vel efficienter productam in ordine ad aliud, ſeu ad alterum; ideò fit, vt actiones dicantur communiter eſſe ſuppoſitorum, eo ſenſu, quo actio dicitur eſſe agentis in paſſum, vt ſibi approximatum, & coniunctum: ita etiam in præſenti hypotheſi, quia ſubſtantiæ non exercent naturaliter & ordinariè ſuas actiones, niſi priùs ſint D completæ per ſuum vel alienum ſuppoſitum, actiones dicuntur eſſe ſuppoſitorum, & hoc ſenſu ſuppoſitum dicitur eſſe illarum *principium quod*: hoc tamen non impedit quin ſubſtantiæ illæ ſingulares poſſint aliter operari per abſolutam potentiam Dei, quemadmodum ex eadem abſoluta Dei potentia non repugnat cauſam phyſicam agere in diſtans.

III.

IV.

Secundò obiicitur: Patres omnes tam Græci, quàm Latini, quando occaſione huius myſterij agunt de perſona & hypoſtaſi, nunquam meminerunt alicuius entitatis poſitiuæ, quam ipſa hypoſtaſis, ſeu ſubſiſtentia addat ſupra naturam; ſed diſputantes contra Neſtorium voluerunt tantummodò perſonam humanam non eſſe aſſumptam à Verbo diuino, naturámque humanam eo ipſo, quo fuit vnita Verbo diuino, non fuiſſe in ſe, ſed in alio, nimirum in Verbo diuino, sicque illam ſubſiſtere per Verbum terminans illam. Vnde quando iidem Patres dicunt hæreticos erraſſe circa hoc myſterium, ex eo quòd non diſtinguerent inter naturam & perſonam, id non intellexerunt de diſtinctione ſubſtantiæ creatæ à propria & creata ſua ſubſiſtentia, nec de Neſtorianis, ſed de diſtinctione diuinæ naturæ à perſonalitatibus diuinis; & loquebantur de Eutychianis, qui contendebant vnionem huius myſterij eſſe factam in natura, vt videre eſt in eorum libris: verbi gratiâ, Vigilij contra Eutychetem & aliis: ſed nomine hypoſtaſis tantùm intellexerunt ſubſtantiam ſingularem ita ſe habentem, vt ſit ſeparata per ſe, & nullo modo in alio: quod rectè intelligitur conuenire ſubſtantiæ per vtramque negationem dependentiæ, ſine aliqua reali entitate ei ſuperaddita. V. VI.

Reſpondetur, eo ipſo quo Patres definiunt Verbum diuinum non aſſumpſiſſe humanam perſonam, ſatis ſignificare hac ſuâ loquendi formulâ perſonalitatem creatam formaliter ſumptam importare aliquid reale, quod citra operationem noſtri intellectus ſit, & diſtinguatur aliquo modo à propria ſua ſubſtantia. Nam aſſumptio eſt alicuius entis realis ad ſe ſumptio, & proinde negant iſtam aſſumptionem de aliquo reali. Deinde idem ſignificant, quando dicunt non eſſe duas in Chriſto ſubſiſtentias, ſed vnicam Verbi diuini: ſi enim propria ſubſiſtentia humanitatis non eſſet quid reale diſtinctum ab illa, alio modo fuiſſent loquuti, nec aliquando dixiſſent, *humanam perſonalitatem fuiſſe conſumptam à Verbo*: quod ſignificat aliquid reale eo ipſo fuiſſe impeditum produci, quo Verbum diuinum propriam eius naturam aſſumpſit. Patres autem non ita clarè dixerunt errorem Neſtorij prouenifſe ex eo quòd neſciret diſtinguere naturam à propria ſubſiſtentia, ſeu perſonalitate, ſicut id dixerunt de Eutychete, quia Neſtorius contendebat duas eſſe in Chriſto perſonas, ſicut duæ ſunt naturæ; vnde illis ſufficiebat oſtendere vnicam tantùm eſſe in Chriſto perſonam, eámque diuinam, & eo ipſo quo docebant humanitatem ſin Chriſto eſſe integram, perfectam quoad omnes ſuas naturæ perfectiones, & nihilominùs carere ſuâ perſonalitate, ſatis innuebant ſe conſtituere aliquod diſcrimen inter ipſam humanitatem, & propriam eius perſonalitatem, tanquam inter aliquas entitates reales. VII. VIII.

Tertiò obiicitur: tota humana natura cum omnibus ſuis proprietatibus & perfectionibus fuit aſſumpta à Verbo diuino, vt inter alios docet S. Damaſcenus libro tertio de fide capite ſexto; aliàs enim Chriſtus eſſet homo minùs perfectus quàm ſint alij homines, quia careret entitate illâ poſitiuâ quam alij haberent: atqui natura humana non fuit aſſumpta à Verbo diuino cum propria ſua perſonalitate, vt patet ex dictis contra Neſtorium, Chriſtus tamen eſt omnium hominum perfectiſſimus: igitur talis perſonalitas humanæ naturæ non dicit aliquid reale & poſitiuum.

Confirmatur, poſitiuum illud, quod in homine eſt cauſa peccati, maximè debuit curari per Chriſtum, & proinde ab illo aſſumi; *quia id ſolummodò eſt curatum, quod eſt aſſumptum.*

I. atqui ex præcedentibus articulis personalitas humanæ naturæ est aliquid reale & positiuum, cui ipsæ actiones etiam peccaminosæ tribuuntur, quia actiones sunt suppositorum: igitur debuit etiam talis personalitas assumi à Verbo: at hoc consequens est contra fidem: igitur, ne incidamus in istud incommodum, dicendum est illud, quod humana personalitas addit supra naturam, non esse aliquid reale & positiuum.

Respondetur, Maiorem tantùm intelligi de humana natura præcisè sumpta, & vt condistincta à personalitate: nam ex eodem sancto Damasceno ibi, Verbum assumpsit solam naturam humanam: vnde ait Verbum assumpsisse quicquid Deus plantauit in natura, non autem dixit in persona. Neque hinc sequitur Christum esse hominem minùs perfectum aliis

II. hominibus, eo ipso quo caret ista entitate, quam creata personalitas importat. Tum quia perfectio hominis, in ratione hominis, attenditur penes gradus talis naturæ & eius perfectiones in esse talis naturæ, quas Christus habet, & extra quas est ipsa creata personalitas. Deinde, carentia propriæ personalitatis in humanitate Christi Domini non est propriè & formaliter loquendo, carentia alicuius perfectionis sumptæ formaliter, nam præcisa ratio perfectionis in personalitate creata, non est ipsum eius materiale præcisè sumptum, quod est entitas modalis, qua ratione non reperitur in humanitate Christi Domini, sed est ipsum eius formale, scilicet facere subsistere naturam, quod subsistere ipsa natura accipit formaliter à tali modo. Vnde quia humanitas Christi Domini habet ipsum subsistere à personalitate diuini Verbi; sit vt, propriè loquendo, ipsa Christi Do-

III. mini humanitas, non dicatur carere aliqua perfectione, licèt careat ipso materiali talis suæ propriæ & creatæ perfectionis, quam includit personalitas eius propria.

Ad confirmationem respondetur, Maiorem eius esse veram de eo, quod est causa, in genere causæ efficientis vel elicientis ipsum peccatum, propriè loquendo, cuiusmodi sunt voluntas & aliæ potentiæ, non item ipsum suppositum, cùm sit quædam tantùm conditio requisita in agente, vt sit in statu accommodato ad agendum, quemadmodum iam animaduertimus, ratione cuius necessitatis actiones, siue bonæ, siue malæ, ei tribuuntur; illud autem, scilicet, *id tantùm fuit curatum, quod fuit assumptum*, intelligitur solummodò de humana natura & eius proprietatibus, vt condistinctis

IV. ab ipsa personalitate, quemadmodum facilè intelligitur ex ipsomet sancto Damasceno suprà.

Postremò obiicitur. Illud, quod Verbum diuinum supplet in humanitate assumpta, non potest esse aliqua modalis entitas: sed Verbum diuinum supplet in humanitate Christi Domini personalitatem humanam: Ergo personalitas humana non potest esse aliqua modalis entitas. Minor est de fide. Maior probatur, illud omne, quod Verbum diuinum potest supplere, debet esse tale, vt non dicat intrinsecè dependentiam ab alio, & informationem ipsius; quia informare, & ab aliquo dependere, repugnat Verbo diuino, ob intrinsecam imperfectionem, quam important: atqui omnis modalis entitas, quatenus modalis, dicit

A intrinsecè dependentiam à re, cuius est modus, & quam modificat, cùm sine illa non possit esse, & illam non modificat, nisi informando talem rem seipsâ. Igitur Verbum diuinum non potest supplere aliquam modalem entitatem, & cùm in Christo suppleat personalitatem humanam propriam & creatam, præcisa eius ratio non potest esse, quòd sit aliqua entitas modalis verè & propriè dicta. V.

Respondetur, Negando Maiorem: ad cuius probationem, concessa Maiore, respondetur ad eius Minorem, hæc duo distingui, *Supplere aliquam modalem entitatem*, & *supplere modalem entitatem quatenus præcisè est modalis*: Sicut hæc duo distinguuntur, supplere accidentalem speciem intelligibilem, & eam supplere quatenus est accidens. Primum sumptum formaliter, significat solummodò id

B præstare, quod est proprium munus entitatis modalis, non quidem quatenus est modus, sed quatenus est talis conditionis in præcisâ formali & specificâ sua ratione, quemadmodum videre est in Deo, cuius essentia dicitur communiter à Theologis primâ parte, quæstione duodecimâ, supplere speciem intelligibilem in cognitione beatifica, quatenus scilicet, illa per seipsam, immediatè vnitam intellectui beatorum, præstat totum illud munus quod species intelligibilis accidentalis & creata præstaret, scilicet facere ipsum obiectum præsens intellectui, & cum intellectu concurrere ad intellectionem. Ita etiam in præsenti difficultate, Verbum diuinum supplere in humanitate Christi Domini personalitatem propriam humanitati, nihil est aliud quàm illi præstare proprium munus subsistentiæ, quod est facere illam sub-

C sistere & eius in existendo dependentiam terminare: & quemadmodum in prædicto exemplo, supplere munus speciei intelligibilis, non est, diuinam essentiam inhærere subiectiuè intellectui beato, eúmque informare ad modum formæ accidentalis, quia hoc respicit tantùm materiale, & non formale ipsius speciei intelligibilis: ita etiam quia esse modalem tantùm entitatem substantiæ, sicque dependere ab illa, est solummodo materiale creatæ subsistentiæ, & personalitatis, sit vt rectè intelligamus Verbum diuinum supplere personalitatem creatam formaliter & præcisè consideratam, etiamsi non fungatur vice modi; quia modus importat prædictam imperfectionem, quæ solummodò attenditur penes ipsum materiale subsistentiæ seu personalitatis creatæ. VI. VII.

D VIII.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm prædictus ille substantialis modus distinguatur à sua substantia, & quam in illa conditionem habeat.

CAIETANVS & alij suprà volunt reale illud, quod subsistentia addit naturæ singulari, esse quandam entitatem distinctam realiter ab essentia, quæque insit ei ante existentiam. Contra quorum opinionem sit hæc prima nostra propositio, *Substantialis illa modalis entitas, quam subsistentia creata addit supra suam naturam, distinguitur ab ea, distinctione reali non maiori, sed minori tantùm, seu*

I. *ex natura rei.* Ita communiter prædicti recentiores : probatur signum Maioris distinctionis realis est, quòd membra à se inuicem distincta possint separatim existere, è contrà, signum Minoris distinctionis realis est, quòd prius possit quidem existere sine posteriori, non autem è contrà : atqui natura quælibet creata potest, absolutâ Dei potentiâ, existere sine propria sua subsistentia, vel etiam aliena, quemadmodum suprà ostendimus : subsistentia verò creata sine sua substantia minimè, quia est solummodò modus quidam substantiæ, & modus non potest esse sine re cuius est modus : igitur modalis illa entitas, quam subsistentia creata dicit, distinguitur solummodò ex natura rei, seu minori reali distinctione à propria sua substantia.

II. Secunda propositio, *Illa modalis entitas, quam subsistentia creata addit suprà propriam suam naturam, est vltimum complementum illius in ratione substantiæ.* Tres sunt partes huius propositionis ; Prima, quòd hæc modalis entitas sit complementum propriæ suæ substantiæ ; secunda, quòd sit vltimum ; tertia, quòd tale complementum sit in genere substantiæ.

Prima pars probatur : illud omne quod aduenit indiuiduæ substantiæ, quoad essentiales suas partes completæ, & de facto existenti, est aliquod dumtaxat eius complementum : atqui hæc modalis entitas, quam creata subsistentia addit supra propriam suam naturam, aduenit ei iam indiuiduæ seu singulari, & quoad essentiales suas partes completæ, & vt de facto existenti. Igitur hæc modalis

III. entitas, quam subsistentia creata addit suprà propriam suam naturam, est tantùm aliquod eius complementum. Maior est euidens, quia quidquid reperitur in aliqua re, vel illam componit essentialiter ; vel eius essentiam aliqua ratione perficit, nec aliquod tertium datur. Minor probatur : entitas hæc modalis eo ordine aduenit propriæ suæ naturæ, quo personalitas Verbi diuini terminauit & compleuit Christi Domini humanitatem ; quatenus eo instanti, quo creata subsistentia humanitatis debebat effluere, est impedita per diuinam potentiam, & eius loco personalitas Verbi diuini per intimam vnionem subfituta : sed personalitas Verbi diuini, eo tantùm ordine & instanti naturæ compleuit ipsâ sui vnione humanitatem Christi Domini, quod consecutum est illam, vt completam quoad essentiales eius partes, similiter vt indiuiduam seu

IV. singularem, & de facto existentem, quia vt ex professo ostendemus infrà, illam assumpsit talem ; res autem singularis, vt de facto assumitur, importat actualem existentiam ; quod enim non existit, non assumitur. Ergo hæc modalis entitas, quam subsistentia creata addit supra propriam suam naturam, ei tantùm aduenit iam indiuiduæ & singulari, quoad essentiales suas partes completæ, & de facto existenti.

Secunda item pars nostræ propositionis probatur, ex sancto Thoma hac quæstione, articulo tertio, in responsione ad secundum, dicente hypostasim significare naturam iam particularem, non quocumque modo, sed provt est in complemento. Deinde probatur, illud est vltimum complementum substantiæ,

A quod est vltimus eius terminus, illam reddens incommunicabilem ; quia post illud, quod est prioriè vltimum in aliquo, nihil potest aduenire quo compleatur, alias iam desineret esse vltimum : atqui illa modalis entitas, quam subsistentia creata importat, & superaddit suæ naturæ, est vltimus terminus talis naturæ, illam reddens incommunicabilem, vt patet ex ipsa definitione personæ, quam sanctus Thomas primâ parte, quæstione vigesima-nona, articulo primo, & communiter alij omnes Theologi tradunt. Ex Boëtio libro de duabus naturis, *persona est rationalis naturæ indiuidua substantia* ; id est (vt omnes explicant illam in abstracto sumptam post Richardum à sancto Victore, libro quarto de Trinitate, capite decimo-octauo,) *incommunicabilis subsistentia.* Igitur illa modalis entitas, quam subsistentia creata

B ta superaddit suæ naturæ, est vltimum eius complementum. Tandem, hæc modalis entitas eo ordine complet propriam suam naturam ; quo Verbi diuini personalitas compleuit humanitatem Christi Domini, vt iam obseruauimus : atqui personalitas Verbi diuini compleuit vltimo humanitatem Christi Domini, quia nihil substantiale ei, iam à Verbo assumptæ, est superadditum quo compleretur. Ergo modalis illa entitas, quam subsistentia creata superaddit propriæ suæ naturæ, est vltimum eius complementum.

Tertia denique pars nostræ propositionis probatur ex dictis, complementum illud est in genere substantiæ, quod ipsâ sui coniunctione ad naturam quam complet, facit aliquod compositum formaliter substantiale,

C quia sicut substantia fit tantùm ex substantis, ita & compositum prioriè dictum substantiale ex iis tantùm quæ sunt aliquid substantiale : atqui modalis illa entitas, quam subsistentia superaddit propriæ suæ naturæ, coniuncta illi, facit verum quoddam compositum substantiale, scilicet vnum quoddam subsistens, quod est compositum aliquod metaphysicum ex substantia, & modo substantiali ei proprio, quemadmodum docetur in metaphysicis. Igitur illud complementum, quod ipsa modalis entitas superaddit propriæ suæ naturæ, est eius complementum in ratione seu genere substantiæ.

Confirmatur, ex eo quòd omnes Philosophi reponunt subsistentiam ad latus categoriæ substantiæ, tanquam specialem aliquem modum illius cum illa componentem primam substantiam, quæ appellatur maximè sub-

D stantia.

Sed quæres, cùm in substantia singulari & indiuidua duo includantur, essentia nimirum & existentia eius ; vtrum subsistentia sit primò & per se complementum istius substantiæ secundùm rationem essentiæ, an verò secundùm rationem existentiæ ?

Respondetur, subsistentiam esse complementum suæ substantiæ secundùm rationem existentiæ : nam eo ipso quo substantia singularis & indiuidua habet omnia essentialia suæ naturæ specificæ, est quoad essentiam completa, nec aliquod aliud complementum vlterius postulat in isto ordine ; sed quia eius existentia pro eo instanti naturæ, quo nondum subsistit, potest vlterius perfici in ipsa ratione existendi, ipso nimirum formali effectu subsistentiæ, vt expli-

V. VI. VII. VIII.

I. cabitur sequenti articulo; ideò postulat vlterius compleri per illam.

ARTICVLVS VII.

Quisnam sit proprius effectus prædicti modi in sua substantia.

SIT hæc nostra propositio, *Proprius & quasi formalis effectus istius complementi, quòd subsistentia dicit formaliter, est facere substantiam ita positiuè existere in se, & per se, vt illam reddat incommunicabilem alteri, cui actu vel aptitudine naturali insit tanquam sustentanti, & cum quo componat aliquod totum per se*; cuius hæc propria substantia sit pars.

II. Probatur. Illud est formalis effectus rei alicuius, quo præcisè posito, subiectum eius intelligitur esse formaliter tale; & quo præcisè non posito, seu negato, verè negatur esse formaliter tale: sed vbi substantia creata accipit propriam subsistentiam, tunc præcisè intelligitur ita formaliter existere in se, & per se, vt etiam de facto sit incommunicabilis alteri, cui insit tanquam in sustentante, & cum quo tanquam pars componat aliquod totum: è contrà verò in illo priori naturæ signo, quo creata singularis substantia existit, & nondum habet subsistentiam, intelligitur nondum positiuè existere in se ipsa & per se; quin potiùs concipitur adhuc communicabilis alicui alteri, cui tanquam sustentanti inexistat, & cum quo componat aliquod totum per se. Igitur & formalis effectus creatæ subsistentiæ, seu illius complementi, quod creata subsistentia importat, est facere suam propriam substantiam ita positiuè existere in se & per se, vt illam reddat incommunicabilem alicui alteri, cui insit tanquam sustentanti, & cum quo componat aliquod totum per se. Maior propositio patet ex illa regula, quam Dialectici communiter tradunt, pro inquirendo & dignoscendo effectu verè & propriè formali quarumcumque rerum: hîc enim cùm nihil aliud sit, quàm ipsamet actualis communicatio rerum eiusmodi, & propterea inseparabilis ab eis, rectè ex prædicta illa eius positione, & absentia seu negatione in eiusmodi subiectis, colligitur esse verè & propriè formalis effectus eiusmodi rerum. Minor verò, quoad posteriorem partem, probatur argumento sumpto ab

IV. humanitate Christi Domini, quæ in illo priori naturæ quàm assumeretur à Verbo diuino nondum positiuè existebat in se, & per se, sed pro eo instanti, & illo suo statu præcisè sumpto, poterat adhuc communicari alicui alteri, cui tanquam sustentanti inexisteret, & cum quo velut pars componeret aliquod totum per se. Nam ab actu ad posse valet consequentia; Christi autem humanitas per vnionem hypostaticam fuit de facto communicata Verbo diuino, & cum eo composuit vnum per se subsistens, vt intelligetur ex dicendis. Ergo substantia creata indiuidua in illo priori naturæ, quo existit, necdum habet subsistentiam, intelligitur nondum positiuè existere in se, quin potiùs est communicabilis alteri, cui inexistat tanquam sustentanti, & cum quo componat aliquod totum per se. Prior pars eiusdem Minoris probatur ex definitione personæ & personalitatis superiùs allata ex Boëtio, & à Richardo Victorino explicata; cuius hæc particula incommunicabilis existentia, quæ explicat formale constitutiuum personæ in esse personæ, nihil aliud potest significare, quàm quod hæc prior pars nostræ Minoris asserit. Deinde patet discurrendo per incommunicabilitates, quas ibi possumus concipere. Prima est comparatione existentiæ, quòd scilicet substantia creata habeat formaliter à sua propria subsistentia, vt iam existens non possit amplius communicari, & quòd hæc incommunicabilitas non sit ea quam subsistentia creata formaliter dicit, patet: nam humanitas Christi Domini priùs natura quàm assumeretur habebat propriam suam existentiam: nec tamen desiit communicari Verbo diuino per

VI. vnionem hypostaticam.

Secunda incommunicabilitas est per inhæsionem in subiecto ad modum accidentis, quòd scilicet substantia creata habeat à propria subsistentia, vt ei repugnet subiecto inhærere: sed quòd hæc incommunicabilitas non sit propriùs formalis effectus subsistentiæ creatæ. Nam quòd formaliter datur substantiæ creatæ per propriam subsistentiam non illi præsupponitur, nec per aliquid aliud antecedens conuenit substantiæ vt non posse inhærere subiecto more accidentis conuenit substantiæ creatæ ex illo præciso conceptu, quo est substantia, vt omnes Philosophi docent cum Aristotele in categoriis, capite de substantia. Igitur non esse in subiecto inhæsiuè non conuenit substantiæ formaliter per suam propriam subsi-

III. stentiam; nec proinde incommunicabilitas importata per subsistentiam non est ad non existendum in alio inhæsiuè. VII.

Tertia incommunicabilitas est ad non existendum in alio, vt in sustentante, & incommunicabilitatem subsistentiæ creatæ propriam consistere in ista probatur. Specialis illa & propria incommunicabilitas, quam singularis substantia creata formaliter accipit à propria sua subsistentia, debet esse directè opposita ei communicabilitati, quam accidens accipit à propria sua inhærentia: quia sicut substantia & accidens condiuidunt ens creatum, tanquam membra sibi opposita, sic illorum complementa vltima, debent tam secundùm se, quàm secundùm formales suos effectus, opponi sibi inuicem: sed communicabilitas illa, quam accidens accepit à sua inhærentia propria, est quod per illam positiuè sit in alio formaliter tanquam in subiecto, non autem in se, & huic communicabilitati opponitur esse positiuè in se & per se, seu non esse in alio tanquam in sustentante. Igitur incommunicabilitas illa quam creata subsistentia importat tanquam formalem effectum, quem tribuit suæ propriæ substantiæ, est ad non existendum in alio vt in sustentante, seu ad positiuè existendum in se & per se.

Tandem, quòd ratione talis incommunicabilitatis aduenientis substantiæ per propriam subsistentiam, repugnet ei, vt sit pars alicuius totius per se, probatur. Quicquid ipsa sui communicatione vltimò terminat, & complet substantiam in ratione substantiæ, illud tollit ab ea, quòd actu vel aptitudine sit pars

I. alicuius totius per se; pars enim quatenus pars, est aliquid incompletum habens ordinem ad aliud, cum quo componat totum: sed hoc complementum, quod creata subsistentia importat, vltimò terminat & complet creatam substantiam singularem in ratione substantiæ, vt suprà probatum est. Igitur complementum illud, quod creata subsistentia importat, tollit à propria sua substantia, vt possit esse actu, vel aptitudine naturali, pars alicuius totius per se.

Articvlvs VIII.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.

II. Verum contra hanc doctrinam obiicies primò. Formalis effectus alicuius rei verè realis, debet esse aliquid verè positiuum & reale, non autem mera quædam negatio: atqui subsistentia creata & complementum illud quod importat, est aliquid reale, ex doctrina tam huius articuli quàm præcedentium, ipsa verò incommunicabilitas superiùs explicata est tantùm mera quædam negatio communicabilitatis. Igitur incommunicabilitas illa non potest esse vel aliquid formalis effectus, vel totus effectus subsistentiæ creatæ.

Respondetur, concessa Maiore, & prima parte Minoris, ad secundam eius partem, hanc incommunicabilitatem posse sumi duobus modis, vel formaliter pro pura negatione communicabilitatis, vel fundamentaliter, pro

III. illo reali & positiuo quod fundat talem negationem. Si sumatur posteriori modo, illa est aliquid positiuum, scilicet prædictus ille modus vltimò terminans substantiam iam singularem & indiuiduam ipsâ sui ipsius vnione ad illam, & sic est de adæquata formali ratione subsistentiæ, & definitio eius allata superiùs articulo præcedenti, ex Richardo Victorino, hâc particulâ *communicabilis*, hoc modo sumpta, est essentialis & quidditatiua, quia explicat formale constitutiuum personæ formaliter & præcisè consideratæ in esse subsistentiæ, vt patet ex dictis: si verò sumatur priori modo, est tantùm proprietas quæ ad positionem istius realis modi resultat in substantia indiuidua; & sic sumendo particulam hanc *incommunicabilis*, in prædicta definitione personæ, illa est potiùs aliqua eius descriptio per pro-

IV. prietatem assignata, quàm essentialis & quidditatiua.

Secundò obiicies. Anima rationalis separata à corpore habet subsistentiam, & de facto subsistit, quia operatur; nam intelligit & vult, & tamen est pars, & habet ordinem ad proprium corpus, vt cum illo componat hominem, qui sit aliquod totum per se: ergo creata subsistentia non dat suæ substantiæ incommunicabilitatem, quâ ei repugnet vt sit pars, & componat cum alio aliquod totum per se.

Potest idem argumentum fieri de gutta aquæ, quæ antequam vniatur alteri guttæ aquæ, cum qua facit aliquod totum, habet subsistentiam propriam, qua existit in se & per se, nec propterea, vbi vnitur alteri guttæ, impeditur facere aliquod vnum per se.

A Respondetur ex sancto Thoma primâ parte, quæstione septuagesimâ quintâ, articulo secundo, in responsione ad primum, animam rationalem à suo corpore separatam, sumptis in rigore Philosophico his terminis, *subsistentia*, *subsistens*, *subsistere*. propriè non subsistere, non esse aliquid subsistens, nec habere subsistentiam, sed pro eo statu esse aliquid quasi subsistens: ratio prioris partis est, quòd illud tantùm propriè & in rigore Philosophico subsistit, seu est subsistens, quod est singularis substantia ita completa in genere substantiæ, & vltimò terminata, vt non sit apta componere quoddam substantiale per se, ipsâ sui coniunctione cum alio, vt intelligitur ex dictis circa formalem rationem subsistentiæ: sed anima rationalis separata à suo corpore est adhuc apta componere sui vnione cum corpore totum ali-

B quod subsistens per se, nimirum hominem; imò, ex sancto Thoma primâ parte, quæstione septuagesimâ sextâ, articulo primo, in responsione ad sextum, & libro secundo contra Gentes capite sexagesimo octauo & octogesimo tertio, etiam separata à corpore suo, propriè habet aptitudinem & inclinationem naturalem ad corporis vnionem. Igitur anima separata à corpore suo, loquendo in rigore metaphysico, non est propriè & simpliciter subsistens, seu simpliciter & absolutè non subsistit. Ratio autem posterioris partis est, quòd illud verè censetur esse aliquo modo subsistens, & de facto subsistere aliquo modo, quod verè & propriè habet aliquam partem totalis subsistentiæ ipsius compositi, seu totius entis per se; nam sicut implicat totam causam formalem, aut quasi formalem communicari ali-

C cui, sine totali & integro suo effectu formali, sic etiam implicat aliquam partem causæ totalis communicari alicui sine aliqua parte effectus totalis correspondenti huiusmodi parti: atqui anima separata à suo corpore verè & propriè habet aliquam partem totalis subsistentiæ, quæ est in ipso homine viuo, quatenus habet aliquem modum substantialem, qui est pars eiusmodi totalis subsistentiæ, quo redditur apta constituere completam illam substantiam, quæ integrè & essentialiter constat materiâ & formâ tanquam partibus terminatis & completis per suos proprios modos essendi. Igitur anima à suo corpore separata, aliquo modo subsistit, &, vt sanctus Thomas suprà relatus loquitur, est hoc aliquid & quasi subsistens. Maior vltima satis patet ex se, & sibi adiunctis. Minor eius pro-

D batur. Eadem est ratio & proportio plurium, seu etiam singulorum modorum componentium totalem subsistentiam totalis substantiæ creatæ, indiuiduæ & vltimò completæ, quæ est ratio & proportio partium totius physici per se compositi; quia totalis creata subsistentia propriè dicta debet correspondere suæ totali propriæ substantiæ, cùm sit eius complementum substantiale, & aliquis modus tantùm ex natura rei ab illa distinctus: sed totalis seu completa creata substantia componitur ex partibus essentialibus, quatenus ex illis inter se vnitis, fit vna tota & completa essentia seu substantia, quarum partium nulla solitariè sumpta est tota ipsa essentia eiusmodi totius physici, sed tantùm vera & propriè dicta pars aliqua illius: igitur pari modo propria subsi-

V. VI. VII. VIII.

I. stentia completæ & totalis subſtantiæ, debet componi ex partibus, quæ loquendo propriè non dicantur ſubſiſtentes, ſed partes ſubſiſtentiæ. Atque hanc ob cauſam anima ſeparata à corpore vocatur à nonnullis ſemiperſona, & dicitur habere ſemiſubſiſtentiam, & conſequenter exercere omnes actiones illas vitales, quæ ſunt omnino independentes à corpore, vt ſunt intelligere & velle.

Ad argumentum ibi deſumptum à gutta aquæ, negatur conditionem illius quoad præſens negotium, eſſe parem conditioni animæ ſeparatæ; nam gutta aquæ nullam habet aptitudinem naturalem, quâ ex ſua naturali conditione ordinetur, vel tanquam forma, vel tanquam pars ad componendum cum alio aliquod totum per ſe; ſed quando multæ guttæ anteà ſibi inuicem non vnitæ iunguntur, &
II. ſuâ multitudine componunt aliquod totum, B illud non eſt aliquod totum per ſe, ſed dumtaxat aliquod totum per aggregationem; ideóque in toto illo aquæ tot ſunt totales ſubſiſtentiæ, quot erant ſubſtantiæ completæ ante illam compoſitionem per aggregationem vel continuationem fluxus; hinc etiam fit, vt licèt Verbum diuinum ſit aptum, ipſa ſui vnione ad humanitatem, componere Chriſtum, totum quoddam per ſe, non deſinit, ſolitariè ſumptum & in ſeipſo tantùm, eſſe perſona, loquendo propriè, quia ſcilicet non ita habet aptitudinem illam, qua de facto vnitur humanitati, quaſi ex ſua naturali & propria conditione ordinetur ad ciuſmodi vnionem; ſed totum iſtud ſit ex gratuita voluntate Dei.

Tertiò obiicies, iuxta noſtram doctrinam, fore vt Verbum diuinum terminans diuinam naturam, non ſit perſona loquendo
III. propriè; quia natura diuina ita ab eius perſonalitate terminatur & completur, vt nihilominus, dum ſic eſt terminata, ſit adhuc apta vlterius compleri, imò de facto & ipſa vlterius compleatur, quatenus per terminationem ſibi à perſonalitate Spiritus ſancti prouenientem formaliter conſtituit vnum aliud ſubſiſtens, ſcilicet Spiritum ſanctum. Ergo non eſt de præciſa & formali ratione ſubſiſtentiæ, vt reddat propriam ſuam ſubſiſtentiam incommunicabilem alteri, cui tanquam ſuſtentanti inſit, & cum quo faciat vnum per ſe.

Reſpondetur, negando ſequelam, quæ ponitur in Maiori. Ad eius probationem reſpondetur; de præciſa ratione ſubſiſtentiæ ſolùm
IV. eſſe, eo modo propriam ſuam ſubſtantiam D complere, facere illam ſubſiſtere, ſeu cum illa conſtituere vnum per ſe & ſubſiſtens, quo propria eius natura ſeu ſubſtantia poſtulat, ex ſua propria & naturali conditione; hanc enim ob cauſam iſta particula *naturali aptitudine* ponitur in definitione ſubſiſtentiæ, & ob eandem cauſam diximus in præcedenti ſolutione plures guttas aquæ, in vnum aliquod totum congregatas, habere tot ſubſiſtentias totales, quot numero ſunt illæ guttæ: è contrà verò animam rationalem à ſuo corpore ſeparatam, quia retinet aptitudinem & inclinationem naturalem ad vnionem cum ſuo corpore, vt cum illo componat aliquod totum per ſe, ideò non habere loquendo propriè ſubſiſtentiam. Quare cùm

A eſſentia ſeu natura diuina, ob infinitam ſuam perfectionem ſit tam fœcunda ex ſua conditione naturali, vt poſtulet terminari tribus perſonalitatibus diuinis, & eſſe in tribus perſonis diuinis Patre, Filio, & Spiritu ſancto, vt oſtendimus primâ parte agendo de myſterio Trinitatis; & inſuper hæc eadem diuina natura, vt ex tali ſua perfectione ordinatur ad ſubſiſtendum in Filio non poſtulet compleri ab ipſa Verbi perſonalitate omnibus modis, quibus poteſt ſubſiſtere; ſed ſolummodò quatenus conſtituit aliquod vnum per ſe ſubſiſtens in eſſe Filij; quod tamen non adæquat totam diuinæ eſſentiæ perfectionem in ſubſiſtendo; fit vt ipſa Verbi diuini perſonalitas non impediat, quin diuinæ perſonalitates Patris & Spiritus ſancti eandem numero diuinam naturam terminent, & eam in ratione duarum aliarum perſonarum conſtituant; in quo diſtinguitur ab omnibus aliis naturis & ſubſtantiis, quibus vna totalis propria ſubſiſtentia eſt ſufficiens & correſpondet.

Tandem obiicies: Omnes ſecundæ ſubſtantiæ exiſtunt per ſe & ſubſiſtunt, nec propterea deſinunt communicari aliis putà primis, cum quibus faciunt ens aliquod, vnum per ſe: ergo hæc incommunicabilitas non includitur in formali conceptu ſubſiſtentiæ.

Reſpondetur, ipſum ſubſiſtere per ſe conſiderari duobus modis, vt rectè animaduertunt Commbricenſes in ſua Logica quæſtione primâ, articulo primo ad caput de ſubſtantia. Primo, *quoad conuenientiam* tantùm & in actu ſignato: deinde *in actu exercito*, ſeu ſecundùm realem & actualem coniunctionem
C huius termini, quem ipſa ſubſiſtentia importat formaliter cum propria ſua ſubſtantia; ſecundas ſubſtantias dici ſolùm priori modo ſubſiſtere, ſolas verò primas ſubſtantias poſteriori modo, iuxta quem modum propriè & formaliſſimè ſunt per ſe & in ſeipſis & ſubſiſtunt, quippè quæ ſolæ ſunt propriè incommunicabiles, ſolæ immediatè ſubſiſtentes, & quibus ſolis mediantibus ſecundæ ſubſtantiæ ſunt ſubſiſtentes, quæ ſicut ex ſe & in ſe ipſis conſideratæ, ſunt aptæ ineſſe primis ſubſtantiis; ita etiam eodem modo ſpectatæ, iuxta ſolam tantùm conuenientiam, per contractionem ad ſua indiuidua ſeu primas ſubſtantias ad actum reducendam, dicuntur eſſe ſubſiſtentes, & ſubſiſtere, & non in actu exercito; quod dare ſubſtantiæ, eſt proprius & formalis effectus ipſius ſubſiſtentiæ, prout formaliter & in actu exercito afficit ſubſtantiam.

V. VI. VII. VIII.

ARTICVLVS IX.

Corollaria quædam.

ATQVE ex hactenus dictis intelligitur reale illud formale, conſtitutiuum ipſius ſubſiſtentiæ propriæ, fundare in ipſa ſua ſubſtantia duplicem illam negationem, cuius anteà meminimus, ſcilicet aptitudinalis & actualis eius exiſtentiæ in quouis alio tanquam in toto perſe, cuius propria ſua ſubſtantia ſit pars aliqua verè & propriè dicta; & ideò naturam propriæ ſubſiſtentiæ rectè explicari à Philoſophis & Theologis per incommunicabi-

litatem, vt sonat illam vtramque negationem, veluti per suam proprietatem.

I.

Intelligitur etiam esse falsum, quod hoc loco multi recentiores dicunt, scilicet, propriam subsistentiam fundare etiam in propria sua substantia negationem tam aptitudinalis quàm actualis inexistentiæ in alio tanquam subiecto inhæsionis. Nam subsistentia creata illud tantùm fundat in propria substantia, quod ad eius resultantiam seu positionem realem in illa sequitur, non verò quod illam antecedit: omne enim fundamentum semper est aliquo modo prius eo cuius est fundamentum: atqui hæc vtraque negatio inexistentiæ in alio tanquam in subiecto inhæsionis, priùs inest suo modo ipsi substantiæ indiuiduæ & quoad partes suas essentiales completæ, quàm propria eius subsistentia resultet; priùs enim est in actu exercito substantia, quia actu existit, quàm propria subsistentia illi adueniat; at eo ipso, quo est actu substantia, eo etiam ipso repugnat ei esse actu vel aptitudine in alio tanquam in subiecto inhæsionis, aliàs vna & eadem numero actualis creata entitas posset esse simul & semel, loquendo propriissimè, substantia & accidens, substantia ex hypothesi, accidens verò, quia sic diceretur esse apta inesse alicui tanquam subiecto, inhæsionis, in quo essentia accidentis consistit: hoc autem repugnat, quia substantia & accidens diuidunt ipsum ens, & hæc est conditio membrorum, quæ condiuidunt aliquod genus, vt vtrum illorum numquam sit formaliter aliud.

II.

Neque potest responderi, illud quod propriè est accidens, habere positiuam naturalem propensionem vt sit in alio, tanquam subiecto inhæsionis, sicut substantia habet positiuam naturalem inclinationem ad subsistendum in se & per se: hanc autem naturalem inclinationem ad existendum in alio tanquam subiecto inhæsionis, non esse in ipsa substantia, & proinde non posse inferri, illam esse simul & semel accidens & substantiam.

III.

Hoc, inquam, dici non potest. Licèt enim verum sit, accidens habere naturalem positiuam inclinationem ad inhærendum subiecto, sicut substantia singularis ad subsistendum in se & per se; in eo tamen est disparitas, quòd, quia substantia indiuidua in eo instanti naturæ, quo nondum habet subsistentiam, est secundùm istam præscisionem indifferens ad inexistendum alicui alteri tanquam sustentanti, cum quo velut pars componat aliquot totum per se, & simul etiam indifferens pro eodem statu præscisionis ad propriam suam subsistentiam, quâ per se & in se ipsa existat & subsistat, vt patet in humanitate Christi Domini, priùs naturâ quàm assumeretur à Verbo; & propterea rectè intelligimus hanc indifferentiam ab illa tolli per ipsam resultantiam propriæ suæ subsistentiæ; at substantia indiuidua, in illo eodem priori naturæ, quo nondum habet propriam subsistentiam, non intelligitur sic indifferens ad inexistendum alteri tanquam subiecto inhæsionis, quin potiùs iam determinata ad nullomodo sic inexistendum, quia pro eo instanti est verè & propriè in genere substantiæ; cuius formalis conceptus & ratio fundat in suo proprio subiecto hanc negationem inexistendi in alio, tanquam in subiecto inhæsionis, quemadmodum

IV.

A patet ex dictis. Quare propria subsistentia subsequens gradum substantiæ in sua propria substantia iam indiuidua, non potest istam negationem fundare in illa.

V.

Tertiò ex his intelligitur, quo sensu substantia creata indiuidua, in illo priori naturæ quàm habeat subsistentiam propriam, dicatur indifferens ad modum existendi in alio tanquam sustentante, & ad modum existendi per se & sine dependentia ab aliquo alio tanquam sustentante, nimirum *indifferentiâ tantùm præscisiuâ seu logicâ, non autem naturali*. Explicatur: aliquid potest esse duobus modis *indifferens*; primo *positivè*, quando habet propensionem & inclinationem, vt possit alterutrum ex duobus, vel pluribus, seu habet aptitudinem & potentiam naturalem, qua potest hoc & istud, exempli gratiâ, intellectus ad assensum & dissensum, voluntas, ad volitionem, & nolitionem, item sol ad diuersos specie differentes effectus producendos: altero modo aliquid dicitur indifferens *præscisivè*, quando nimirum pro eo statu & instanti naturæ, secundùm quod priùs existit, & potest subesse intellectui, necdum intelligitur habere ea, quæ naturaliter consequuntur eius existentiam, sic est dispositum, vt habeat logicam potentiam ad accipiendum oppositum istis prædicatis, eius existentiam naturaliter consequentibus, eo non obstante, quod aliam habet à parte rei & de facto positiuam naturalem inclinationem ad obtinendum illa, si non impediantur resultare. Iam quando in præsenti difficultate substantia creata, indiuidua dicitur esse indifferens ad existendum in se, & per se, & ad existendum in alio, vt sustentante, hæcque eius indifferentia dicitur tolli per actualem resultantiam propriæ suæ subsistentiæ in illa, id tantùm intelligitur de hac posteriori indifferentia, ad eum ferè modum, quo iuxta Dialecticos vniuersale purè logicum habet indifferentiam, vt insit multis sibi inferioribus; quæ tamen indifferentia tollitur de facto & reipsâ per eius contradictionem ad vnum aliquod singulare & indiuiduum propriè sumptum; & sic subsistentia creata, afficiendo realiter propriam substantiam, reddit illam alteri tanquam sustentanti incommunicabilem.

VI.

B

VII.

C

Obiicies: Subsistentia creata reddit propriam substantiam incommunicabilem eâ aliquâ proportione, quâ personalitates diuinæ reddunt essentiam diuinam incommunicabilem, quia illas imitatur: sed diuinæ personalitates non reddunt diuinam essentiam incommunicabilem tollendo ab illa indifferentiam ad inexistendum alteri tanquam sustentanti, quia hæc provt in aliquo priori rationis præscindit ab illis, necdum intelligitur ab illis terminata, nullam habet potentiam logicam ad inexistendum alteri tanquam sustentanti; sed postulat ex naturali sua conditione esse per se & existere in istis determinatis personalitatibus: igitur nec ipsa incommunicabilitas, quam subsistentia creata dicit, erit ablatio prædictæ istius indifferentiæ, substantia creata nimirum ad inexistendum alteri tanquam sustentanti, vel ad existendum per se, & in se ipsa. Respondetur, Minorem huius obiectionis esse veram. Vt autem ad eius Maiorem respondeatur,

VIII.

D

Notandum est in subsistentia creata, provt reddit substantiam suam propriam incommu-

nicabilem,

I. nicabilem ". duo posse distingui: primum est illud, quod subsistentia facit formaliter in sua propria subsistantia creata, quod sumptum præcisè nihil aliud est, quàm sua actuali cõmunicatione ita vltimò illam terminate; vt naturalem eius inclinationem tàm aptitudinalem quàm actualem ad positiuè existendum in se & per se in ratione completæ subsistantiæ etiam vltimò compleat, sicque illam reddat omnino incommunicabilem omni alteri, cui tanquam illam sustentanti insit vel inesse possit. Alterum, quod possumus distinguere in subsistentia creata, est modus ille se se tenens ex parte creatæ subsistentiæ, per quem creata subsistentia id totum præstat substantiæ, quod primo membro est explicatum, tollendo nimirum ab ea illam eius indifferentiam superiùs explicatam. Solum primum ex his duobus est de formali ratione subII. sistentiæ, qua præcisè est subsistentia, seu provt abstrahit ab increata & creata; nam, hoc solo præcisè sumpto, totus formalis eius effectus exprimitur; & hoc solo posito in propria substantia, illa redditur per se subsistens & incommunicabilis omni alteri, vt ei, tamquam illam sustentanti, insit: quemadmodum videre est in subsistentiis diuinis & etiam creatis, si hunc earum effectum præscindamus à prædicto modo, quo eum præstant: secundum verò conuenit tantùm subsistentiis creatis, quatenus sunt creatæ, & quatenus respiciunt propriam substantiam & modum, quo hæc, ex tali conditione qua est creata substantia, postulat formalem effectum sibi à sua subsistentia præstari tali modo.

III. Cuius rei hæc est ratio, quòd propria subsistentia, cùm sit modus suæ substantiæ naturaliter debitus, illam debeat afficere modo illi conuenienti; nam quidquid naturaliter vel recipitur in aliquo, vel ei conuenit, ad modũ recipiẽtis recipitur aut coniungitur: at subsistantia creata quatenus præcisè est creata, sicut habet ex se, sumpta præcisè, indifferentiam ad existendum, & non existendum, quæ tollitur per propriam eius existentiam, qua formaliter & actu ponitur extra suas causas; diuina autem essentia, quæ est purè & simpliciter increata, carens omni potentialitate, sic actuatur per suam existentiam, vt nulla indifferentia ad existendum & non existendum tollatur ab illa: pari etiam ratione diuinæ subsistentiæ, quia prædictam indifferentiam ad subsistendum per se vel in alio, vt sustentante, nullo modo reperiunt in sua propria natura, ideo purè & simpliciter faciunt illam subsistere in se & per se. E contra verò quia subsistentia creata repeIV. rit illam indifferentiam in sua propria substantia, ideo præstat illi suum formalem effectum, tollendo ab illa istam prædictam indifferẽtiam: & hoc potest illustrari exemplo sumpto à libera volitione, quæ quatenus præcisè & formaliter est talis, vt abstrahit ab increata & creata, dicit tantùm illam indifferẽtiam obiectiuã, seu quòd illa se se liberè terminet ad hæc & illa obiecta, præscindendo ab indifferẽtia voluntatis & eius actuum, vt Theologi docent primæ parte explicando libertatem diuinæ voluntatis: at verò libera volitio, vt est creatæ voluntatis, dicit insuper indifferentiam actuum & ipsius potentiæ ad hunc vel alium actum eliciendum, quæ indifferentia tollitur libera volitione, ipsam potentiam & eius actus determinante.

Ex his facilè respondetur ad prædictam Maiorem obiectionis propositæ, nimirum subsiA stentiam creatam debere propriam suam substantiam reddere incommunicabilem ea proportione, qua diuinæ personalitates diuinam essentiam reddunt incommunicabilem; non tamen omninò eadem ratione, sed tantùm considerando illas penes primum illud, quod subsistentia, quatenus subsistentia & provt præscindit à creata & increata, communicat formaliter propriæ substantiæ, non autem penes id, quà est subsistẽtia creata; sicut volitio creatæ voluntatis est libera, proportione ad diuinam voluntatem & eius volitionem, penes illud quod est proprium liberæ volitioni, provt hæc abstrahit a diuina & creata, non autem penes id, quà est increata. Quod etiam facilè potest ostendi in omnibus aliis perfectionibus diuinis, quæ in ipso formali conceptu præcisè sumpto B conueniunt cum isdem perfectionibus, quæ sunt in Angelo & homine, à quibus tamen, vt creatis, maximè differũt, quatenus sunt diuinæ.

V.

VI.

DISPVTATIO III.

De multiplici vnione quæ est in Christo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm vnio Incarnationis sit per modum vnionis substantiæ creatæ cum sua subsistentia.

CERTVM est ex hactenus dictis contra Nestorium, & Eutichetem, vnionem naturæ humanæ Christi Domini esse factam in persona Verbi diuini, & hæc est prima omnium & immediata, potest tamen aliqua esse difficultas; vtrùm hæc vnio habeat aliquam analogiam cum ea vnione, quam substantia creata habet cum propria subsistentia. Pro cuius explicatione sit hæc nostra propositio. *Immediata vnio naturæ humanæ cum personalitate Verbi, est propriè ad modum vnionis naturæ cuiuscumque nostrum cum sua propria subsistentia, sublatis tamen imperfectionibus, quæ in hac nostra vnione reperiuntur.*

VII.

Duæ sunt partes propositionis. Prima sequitur ex dictis præcedentibus disputationibus. & probatur primò ex his omnibus Patrum & Cõciliorum auctoritatibus, quibus passim hæc vnio appellatur hypostatica, personalis, item ex iis quibus dicitur facta esse in persona seu hypostasi Verbi diuini. Deinde probatur ratione. Vnio illa, præcisè & propriè loquendo, est per modum vnionis naturæ cum propria sua subsistentia, in qua ex humanitate & aliqua aliena subsistentia, ita fit vnum per se subsistens, vt propria personalitas talis humanitatis absit, & aliena supplet eius vicem, faciendo subsistere talem humanitatem, eamque reddendo incommunicabilem, modo explicato præcedenti disputatione: atqui in Christo, ex ipsa eius humanitate & subsistentia Verbi diuini, quæ est ipsi humanitati aliena, fit vnum per se subsistens, scilicet Christus vnus, ex Symbolo sancti Athanasij, *Vnus est Christus; vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate per-*

VIII.

I. *sona*, & subsistentia Verbi diuini ita facit subsistere istam humanitatem, vt sic, careat propria & creata sua personalitate, quemadmodum ostendimus supra contra Nestorium: igitur hæc vnio Incarnationis est facta per modum illius vnionis, quâ natura seu substantia vnitur suæ propriæ subsistentiæ: ita enim personalitas Verbi diuini complet humanitatem à se assumptam, vt hæc habeat vtramque negationem vtriusque inexistentiæ præcedenti disputatione explicatæ, quemadmodum intelligitur ex Conciliis & Patribus superiùs citatis: igitur hæc vnio Incarnationis est ad modum vnionis naturæ cum propria sua subsistentia.

Posterior pars propositionis probatur: nulla imperfectio potest cadere in Deum vel in personas diuinas, ergo cùm persona Verbi diuini II. gerat vicem propriæ & creatæ personalitatis in humanitate quam assumpsit, talis vnio debet esse absque illis imperfectionibus, quæ reperiuntur in nostra: hinc quia vnio hæc in nobis, est naturæ cum suo modo, & modus, qua formaliter & præcisè est modus, importat imperfectionem, quemadmodum fusè probat Suares in Metaphysica disputatione septima, sectione prima, numero decimo octauo, cùm non possit esse sine re cuius est modus, sicque ab illa dependeat, subsistentia autem Verbi diuini non sit aliquis modus, etiam provt facit subsistere diuinam essentiam, quemadmodum docuimus prima parte ad quæstionem vigesimam nonam, ideo fit, vt hæc vnio humanitatis cum personalitate Verbi, dicatur facta ad instar vnionis naturæ cum propria sua subsistentia, vt tamen non consistat in eo, III. quòd personalitas Verbi, sit modus humanitatis.

ARTICVLVS II.

Duo dubia soluuntur.

DVBITATVR primò, cùm dixerimus substantiam in nobis dependere à propria subsistentia, vtrùm, & in quo genere causæ sit talis dependentia.

Respondetur, dependentiam substantiæ à sua propria subsistentia, vt fungente proprio suo munere, non esse, propriè & præcisè loquendo, in aliquo genere causæ, sed propriam substantiam dependere solummodo à sua subsistentia, tanquam à termino illam complente vltimò, & proinde humanitatem Chri- IV. sti dependere tantùm à Verbo, vt eam personante, tanquam à termino: attamen, loquendo minus propriè, talem dependentiam posse reuocari ad causam formalem. Prior pars responsionis probatur inductione facta per omnia causarum genera: & quidem de materiali patet, quia substantia non inest suæ subsistentiæ, tanquam in subiecto, siue inhæsionis, cùm non sit accidens, siue alterius conditionis, cùm illa existat priùs naturâ suâ subsistentiâ, & omne subiectum debeat præsupponi ei, quòd subiectatur in illo. Idem patet in genere causæ efficientis, quia nihil potest assignari, quod propria subsistentia distinctum à seipsa (sicut omnis effectus debet esse distinctus à sua causa verè & propriè efficiente) producat efficienter in sua propria substantia, & nos infrà ostendemus Verbum diuinum non habere specialem aliquem realem influxum distinctum ab influxu aliarum personarum diuinarum præcisè, & quatenus illam suâ personalitate terminat: ergo, cùm præcisè & formaliter loquendo, idem sit munus diuini Verbi, vt facientis subsistere humanitatem à se assumptam, ac propriæ subsistentiæ circa propriam suam substantiam, sicut humanitas Christi Domini, vt subsistens, non dependet à Verbo diuino in genere causæ efficientis alio speciali titulo quàm dependeat ab aliis personis diuinis, ita nec nostra substantia dependebit à propria sua subsistentia in genere causæ efficientis.

Idem patet de causa formali. Subsistentia creata eo modo dependet à sua substantia, quo modo facit cum illâ aliquod compositum, quia compositio est per habitudinem quam componentia habent ad se inuicem, sed subsistentia VI. compositionem cum sua propria substantia tanquam cum sua propria causa formali, quia compositio subsistentiæ cum sua substantia non est materia cum sua forma seu physica, sed tantùm metaphysica, vt docent Philosophi: igitur dependentia quam subsistentia creata habet à propria substantia, non est propriè loquendo tanquam à sua causa formali. Deinde in nostra sententia, qua admissimus vnam partem subsistentiæ esse in materia, & alteram in forma, exempli causa in anima separata, datur talis modus, qui tamen existens in materia nondum vnita suæ formæ, non constituit aliquod compositum ex materia & forma; sicut nec in sententia eorum qui admittunt subsistentias partiales; item in Angelis vera datur subsistentia, item vera compositio ex substantia & subsistentia datur, in quibus tamen non reperitur vera com- VII. positio ex materia & forma; ergo dependentia substantiæ à sua propria subsistentia non est loquendo propriè tanquam à sua forma seu in genere causæ formalis. Tàdem pura dependentia ab aliquo, tanquam à termino, ad nullum genus causæ propriè dictæ spectat, vt videre est in relatione, quæ dependet à suo termino, linea à suo puncto, superficie, & aliis eiusmodi; quæ non dicuntur dependere ab istis, vt à quibusdam suis causis propriè dictis: atqui dependentia substantiæ à propria sua subsistentia, vel aliena, est vt à termino illam vltimò complente, quemadmodum ostendimus: igitur non est necesse, vt hæc dependentia substantiæ à subsistentia, siue propria, siue aliena sit ab ea, tanquam ab aliqua vera causa.

Posterior pars responsionis probatur: omnis VIII. dependentia rectè potest reuocari ad illud genus causæ, cùm quo maiorem habet analogiam: at dependentia substantiæ à propria sua subsistentia, siue aliena, vt humanitatis Christi Domini à Verbo diuino, habet maiorem proportionem cum causa formali, quàm cum qualibet alia: sicut enim forma seipsam immediatè tribuendo materiæ, illam perficit, ita & personalitas perficit substantiam, sese illi immediatè tribuendo & vniendo, absque eo quod aliquid intermedium producat efficienter. Huic rectè dicimus humanitatem Christi Domini formaliter subsistere subsistentia Verbi diuini; tanquam à causa quasi formali; quia ineffabili modo terminatur & sustêtatur à Verbo, quatenus vt vnitum ipsi humanitati, est ei ratio ita sese habendi, vt sit vltimò cõplera in ratione substantiæ, & inde resultet hic homo subsistens,

I. cuius, vt est homo, ipsa humanitas est integra natura.

Dubitatur secundò, cùm plures alij modi dentur, qui absolutâ etiam Dei potentiâ suppleri non possunt; exempli gratia quòd aliquis sit figuratus figura alterius, sedeat sessione alterius, & plures alij possint enumerari eiusmodi, vnde nam fit, vt cum subsistentia creata sit etiam aliquis modus propriæ suæ substantiæ, quod nihilominus potuit suppleri à Deo.

Respondetur modos esse in duplici differentia: alios esse, qui *intrinsecè & ex formali sua ratione sunt modi*, quales sunt, qui formaliter important imperfectionem, vel in suo formali includunt modificationem certæ & determinatæ rei etiam numericæ, vt videre est in exemplis positis initio huius dubij, de quorum genere est etiam actualis inhærentia, qua accidens afficit subiectum, item vnio partium inter se, informatio animæ: important enim imperfectionem, cùm dicant vel connotent formaliter & intrinsecè rationem partis veræ & propriè dictæ. Alij modi sunt *tantùm modi extrinsecè*, id est, qui ex præcisa ratione proprij & formalis muneris quòd obeunt, non postulant esse veri modi, seu modales tantùm entitates, sed id habent aliunde, verbi gratia ex conditione sui subiecti, aut aliqua alia ratione, distincta tamen ab illa formali ratione, in qua proprium illorum munus consistit. Est autem hæc distinctio inter hos vltosque modos, quòd quâdo proprium & formale munus modorum posterioris generis non arguit aliquam imperfectionem, tunc Deus possit seipso, aut aliquo virtualiter distincto à sua essentia illos supplere, quia nulla ibi potest afferri causa contradictionis, vt patet exemplo superiùs allato de specie intelligibili quâ diuina essentia supplet in Beatis: vnde cùm formale munus ipsius subsistentiæ, formaliter consideratum, nullam includat imperfectionem, & propria subsistentia rerum creatarum sit tantùm modus ex conditione sui materialis, vt ostendimus; ideo fit vt Verbum diuinum possit supplere in humanitate Christi Domini propriam eius subsistentiam, alios verò modos prioris generis minimè.

II.

III.

ARTICVLVS III.

Qua ratione Verbum diuinum per sui Incarnationem non est mutatum.

IV. RESPONDETVR primùm, non ideo Verbum diuinum fuisse hominem per incarnationem, absque vera aliqua mutatione, quòd esse hominem ei conueniat propter vnionem, quæ est aliquid relatiuum: quæ autem conueniunt alicui propter aliquod relatiuum, ita possunt dici de illo, vt nullam dicant mutationem in illo, sed tantùm in alio, exempli gratia, esse dextrum, esse sinistrum: nam licèt hæc vnio, quatenus dicit coniunctionem, requiratur tanquam quædam conditio, vt Verbum sit homo, homo Deus, & ad illam aliqua relatio resultet inter extrema vnita, quæ etiam appelletur vnio ex penuria nominum, attamen per hanc, aliquo ex his duobus modis consideratam, hoc subsistens, dictum de Christo, non est formaliter & præcisè homo vel homo Deus, sicut nec paries est formaliter & præcisè albus, per vnitionem sui ad parietem, vel per relatio-

A nem albedinis ad subiectum, quia talis vnitio, est tantùm conditio antecedens dealbationem parietis formaliter sumptam, & vt est relatio, est tantùm aliquid eam consequens & resultans ex vnitione extremorum inter se. Deinde *esse hominem* in Christo seu Verbo incarnato, est aliquid absolutum, nec formalis sensus istius propositionis, *Verbum incarnatum est homo*, est iste, Verbum habet aliquam relationem ad humanitatem, cùm esse hominem, sit aliquid verè absolutum, vt patet in nobis, & Christus sit homo eiusdem nobiscum speciei: sed est ipsum Verbũ habere aliquam identitatem cum humanitate, ratione cuius, prædicta propositio sit vera, scilicet identitatem personalitatis, ratione cuius humanitas in concreto prædicetur de Verbo sic vnito, & è contra, vt fusiùs explicabitur infrà quæst. 16.

V.

B Non item secundo Verbum diuinum ideo non est mutatum per incarnationem, quia ad rationem mutationis requiritur ex parte suscipientis mutationem, quòd caruerit omnimodè re illa quam recipit: Verbum autem diuinum ante incarnationem continebat eminenter naturam humanam, quam continet formaliter per incarnationem. Quo modo Gregorius à Valentia sese expedit à præsenti difficultate, hac parte disp. 1. quæst. 1. puncto 2. & conatur confirmare ex eo quòd communiter dicimus tunc rem aliquam mutari, quando simpliciter & absolutè sese habet aliter, quàm antea; non ideo, inquam, Verbum non est mutatum per incarnationem. Nam primò Verbum diuinum in hac vnione consideratur vt virtualiter distinctum à natura diuina, quia vt sic est id in quo

VI.

C hæc vnio est facta, & Verbum diuinum, vt sic, non continet eminenter naturam humanam, cùm eminentialis continentia rerum & omnium perfectionum conueniat diuinæ essentiæ, qua est omnipotens & primaria causa omnis & cuiuscumque effectus, vt docent communiter Theologi, 1. parte, quæst. 5. Deinde, etiam si gratis concederetur diuinum Verbum, vt ab essentia diuina virtualiter distinctum, continere eminenter humanam naturam: inde tamen non sequeretur illud, per hoc mysterium non fuisse mutatum: nam quemadmodum si piper, verbi gratia, quòd est virtute calidum, fiat actu & formaliter calidum applicatione ignis, verè & propriè censetur mutari; cùm tunc acquirat realem aliquam formam, qua sic realiter carebat antea, in seipso productam noua actione: ita etiam, quia iuxta Gregorij à Valentia responsionem,

VII.

D Verbum diuinum transit ab esse tali eminenter, ad esse tale formaliter, vel saltem acquirit illud esse formaliter de nouo per veram & realem actionem vnitiuam sui ad humanitatem, dicetur propriè mutari, sicut ex eo quòd res omnes creatæ, dum producuntur à Deo, dicuntur mutari, quatenus accipiunt suum esse formale, & in seipsis ponuntur per simplicem creationem vel productionem, licèt sint & contineantur eminenter in diuina essentia.

VIII.

Respondetur ergo, Verbum diuinum per vnionem hypostaticam cum humanitate, non fuisse vllo modo mutatum, quia in hypostatica vnione non habuit se passiuè recipiendo aliquid in seipso seu intra seipsum, quo intrinsecè afficiatur, sed tantummodo terminatiuè, quatenus terminauit humanitatem modo superiùs

I. explicato. Nam ratio veræ & propriæ mutationis in eo consistit, vt sit *actus entis in potentia prout in potentia passiua & receptiua*, quemadmodum notant interpretes Aristotelis, dum in Physicis explicant hanc definitionem motus, qui est quædam species mutationis; & quòd terminatio sumpta præcisè possit intelligi & fieri sine aliqua mutatione in ipso terminante, patet exemplo obiecti; quod inuariatum manens, potest terminare actum cognitionis: & ne quis respondeat hanc terminationem obiecti esse tantùm intentionalem, sed terminationem Verbi diuini esse realem, addimus aliud exemplum de puncto, quod rectè intelligitur seipso terminare lineam quam afficit, nihil recipiendo intra se.

II. Dices tale punctum mutari intrinsecè & physicè: nam quamuis nihil accipiat à linea, eo tamen ipso quo terminat illam, accipit suum esse, & ita mutatur intrinsecè. Respondetur talem mutationem puncti præcisè consideratam non esse ab ipsa sua actiua terminatione, qua terminatio est, sed ex eo quod non habeat suam existentiam ante illam, eámque accipiat terminando lineam. Vnde cùm Verbum diuinum sit, subsistat & subsisteret antequam assumeret naturam humanam, fit vt possit terminare istam humanitatem nihil ab ea accipiendo, maximè cùm in ratione hypostatica, habeat infinitam vim sustentandi & terminandi; & hoc potest aliquo modo explicari duobus exemplis, vno diuinæ volitionis, altero creationis. Nam quemadmodum voluntas Dei, propter suam infinitatem in genere volitionis,

III. licèt priùs nostro modo concipiendi sese terminet ad seipsum amandum, quàm ad volendum creaturas, nihilominus tamen sine aliqua sui mutatione sese extendit ad aliquid libetè volendum extra se: ita etiam quia Verbum diuinum est infinitum in ratione subsistentiæ, poterit, nulla facta mutatione in se ipso, sese extendere ad terminandam humanitatem. Explicatur similiter ex ipsa creatione: cùm enim Deus creauerit mundum in tempore, & non ab æterno, vt fides ipsa docet, rectè intelligimus ipsum aliquando incœpisse creare mundum; nec tamen ibi aliquam mutationem Dei interuenisse, sed solummodo in ipsa creatura, quatenus licèt interna Dei actio sit æterna & omnino immutabilis, attamen

IV. externa quæ est tantùm temporalis & variabilis, non inducit aliquam mutationē quæ sit in Deo, sed quæ tantùm sit in creatura. Pari modo quia Verbum diuinum habet vim infinitam sustentandi; & ipsa actualis sustentatio seu terminatio humanitatis est aliquid ad extra & in tempore, fit vt possimus intelligere Verbum terminare humanitatem, nullâ in seipso factâ mutatione, sed tantùm in humanitate: præsertim cùm aliqua res creata possit interdum nullâ factâ in se mutatione terminare relationem etiam realem, mutatione tantùm facta in suo correlato.

Dices, vnire est agere, ergo vniri est quoddam pati: sed Verbum diuinum verè & propriè vnitur humanitati, vt patet ex modo loquendi Patrum de hoc mysterio: igitur Verbum diuinum est passum aliquid per hanc vnionem, seu sese habuit passiuè, & proinde est mutatum.

Respondetur vnire esse quidem agere, sed A hoc agere quod *ipso vnire* importatur, non dicere necessariò agere in vtrumque terminū, seu ponere aliquid in vtroque extremo vnito, sed sufficere quòd aliquid ponat in vno. Vnde cùm vnitio Verbi cum natura humana ponat aliquid reale & verè productum in humanitate, vt paulò pòst ostendetur, non fuit necesse aliquid de nouo poni in illo, vt vniretur humanitati. V.

Dices secundò, deinde omnis denominatio intrinseca est à forma existente in denominato: atqui denominatio illa, quâ Verbum diuinum incarnatum dicitur homo, est intrinseca, cùm hæc propositio *Verbum est homo*, in qua fundatur hæc denominatio, sit propria, & per se, vt infrà ostendetur ad quæstionem decimam sextam huius partis: igitur hæc vnio

B debet ponere aliquid in Verbo, & proinde Verbum mutatum est ipsa sui vnione ad humanitatem. VI.

Respondetur, aliquam denominationem posse duobus modis dici intrinsecam: primò tanquam à forma ipsi denominato formaliter inhærente, vel identificata cum illo, vt paries est albus. Secundò, à re sibi intimè vnita: iam Verbum non denominatur *homo* primo modo, vt patet ex dictis, sed posteriori tantùm, quatenus vt incarnatum terminat verè & propriè naturam humanam, quæ sumpta in concreto potest prædicari de suo supposito, & hæc prædicatio est intrinseca, & per se, quemadmodum loco citato dicetur.

Atque ad hanc nostram responsionem potest reuocari explicatio illa sancti Thomæ initio huius dubij allata, scilicet sanctum Thomam explicasse tantùm hanc vnionem fuisse

C factam absque aliqua mutatione in Verbo, exemplo sumpto à relatione, non quòd voluerit in Christo *esse hominem* esse quid relatiuum, sed tantùm vt exemplo relationis ostenderet, aliquid absque aliqua sui mutatione posse de nouo incipere esse tale, dummodo mutatio fiat in alio, vt videre est in aliquibus relatis. Istud autem vulgare dictum, *Illud mutatur, quod se aliter habet quàm antea*, est solummodò verum de ea mutatione, quæ fit mediante receptione nouæ formæ intrinsecè informantis, quia tunc receptio formæ informantis ponit intrinsecè aliquid superadditum in ipso recipiente: at non est verum, quando istud (aliter se habere) fit tantùm mediante

D terminatione nouæ naturæ, quia tunc talis terminatio nihil ponit in terminante, sed tantùm in natura terminata, quæ tunc perficitur: quæ mutatio facta tantùm in hoc vno extremo sufficit ad hoc, vt denominationes veluti contradictoriæ dicantur successiuè de vno & eodem. Exempli gratia, ante peractum hoc mysterium verè dici poterat *Verbum non est incarnatum*, & post illud peractum verè dicitur, *Verbum est incarnatum*, nullâ mutatione factâ in Verbo, sed in sola natura humana, quam Verbum assumpsit. VII. VIII.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in Christo Domino detur aliqua vnio diuinitatis cum humanitate.

SIT hæc nostra propositio. In Christo Domino datur diuinitatis & humanitatis vnio, in

I. vna & eadem diuini Verbi personalitate. Propositio est de fide ex Concil. Lateran. sub Martino primo, consultatione 5. canone 8. item ex 5. Synodo generali; collatione 8. can. 7. item ex 6. Synodo generali act. 4. in epistola Agathonis Papæ ad Imperatores Heraclium & Tiberium post medium, item ex Symbolo S. Ath. item ex iis omnibus, quibus supra contra Nestorium documus duas dari in Christo naturas integras, impermixtas, eadem Verbi diuini personalitate subsistentes.

Notamus tamen vnionem hanc non esse talem, vt duo extrema illius distinguantur realiter ab illo in quo vniuntur, nam sola humanitas est eiusmodi; cùm diuinitas non distinguatur realiter ab ipsa personalitate Verbi.

Deinde notamus, hanc posteriorem vnionem non esse æquè immediatam & proximam, ac est

II. præcedens vnio personalitatis Verbi diuini cum humanitate, sed ad hanc primam, istam secundam solùm sequi, vt patet tam ex ipso modo loquendi Patrum, quo dicunt hanc vnionem esse factam *secundum hypostasim, secundùm subsistentiam in persona Verbi*, quàm ex eo, quòd vnio illa, quantum spectat ad hanc difficultatem, censeatur esse immediatior & proximior, ad quam præsens hoc mysterium immediatius ordinatur, & in quo ipsa etiam de facto fit immediatius: atqui mysterium Incarnationis proximius & immediatius ordinatur ad vnionem personæ Verbi diuini cum humanitate, quàm humanitatis cum diuinitate, vt patet ex sacris Litteris disertè asserentibus, *Filium Dei, Verbum diuinum esse incarnatum, esse factum carnem, Deum Patrem misisse Filium suum vnigenitum, nobis dedisse suum Filium*, pro nobis

III. omnibus illum tradidisse, & ex Conciliis suprà relatis definientibus solum diuinum Verbum, solum Filium Dei, solam secundam personam Trinitatis esse incarnatam. Igitur prior illa vnio humanitatis cum personalitate Verbi diuini est proximior & immediatior illâ aliâ vnione humanitatis cum natura diuina in personalitate Verbi. Cõfirmatur. Si vnio diuinitatis cum humanitate esset immediatior & proximior ipsa vnione Verbi diuini cum humanitate, iam hæc vnio esset facta in natura: & quemadmodum diuina natura est vna & eadem in omnibus personis diuinis, ita etiam omnes & singulæ personæ diuinæ essent incarnatæ, cùm id quod primò & per se cõuenit naturæ diuinæ, conueniat omnibus & singulis personis diuinis: atqui hoc vtrumque est falsum, primum quidem, vt patet ex iis quæ tradidimus contra Eutychetem,

IV. secundum item, quia Patropassiani condemnantur tanquam hæretici à Patribus & Conciliis, quòd dicerent Deum Patrem esse passum, esse mortuum pro nobis: igitur vnio Verbi diuini cum humanitate, est proximior & immediatior illa vnione, quæ est diuinæ naturæ cum humana in vna & eadem diuini Verbi personalitate.

A quinta Synodo, collatione octaua, Canone quarto, vbi definitur Verbum, carnem animatam anima rationali sibi copulasse. Lateranensi sub Innocentio tertio, & habetur capite Firmiter, & in Symbolo sancti Athanasij, in quo ita profitemur de Christo, *perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens.* Probatur iis omnibus sacræ Scripturæ, Conciliorum & Patrum testimoniis, quibus Christus Dominus asseritur verus homo: quia de ratione veri & propriè dicti hominis est, vt conster anima & corpore inter se vnitis, quemadmodum vnanimi consensu omnes Philosophi admittunt. Item iis omnibus sacræ Scripturæ, Patrum & Conciliorum testimoniis, quibus Christus homo asseritur esse frater noster, consubstantialis nobis secundùm naturam humanam. Atque de hac re nulla potest esse difficultas, nisi quis velit Christum non habuisse vel verum corpus, vel veram animam, quæ tamen omnia in particulari refellentur infrà; cùm etiam in Symbolo Apostolorum profiteamur non solùm Christum esse verum hominem, sed etiam verè & propriè esse mortuum pro nobis: at mors hominis propriè consistit in separatione veræ animæ rationalis à vero suo corpore; ideòque quando Magister sententiarum libro tertio, distinctione sexta, refert contrariam sententiam sub nomine opinionis, est piè explicandus, quatenus sumpsit *nomen opinionis* in amplissima significatione, provt significat sententiam in genere, abstrahendo à vera & falsa, Catholicâ & hæreticâ, vt aliqui etiam hoc loco obseruant.

Neque veritati nostræ propositionis obstat, quòd sanctus Damascenus libro tertio de fide referatur dicere totum Christum descendisse ad inferos, cùm tamen tunc eius anima non esset vnita corpori. Nam sensus sancti Damasceni non est, totum suppositum Verbi, quatenus sustentat duas illas partes humanitatis inter se vnitas, descendisse ad inferos, sed totum suppositum Verbi fuisse vnitum animæ Christi Domini, & animam ei vnitam descendisse ad inferos.

Quæres. Cùm in Christo sit diuina natura, item verum corpus quod est substantia, similiter & vera anima quæ est etiam vera substantia, an possimus dicere, esse in Christo Domino tres substantias.

Respondetur; licèt in rigore Philosophico (secundùm quem, naturæ etiam incompletæ vocantur substantiæ, quatenus nomen hoc *substantia* est commune, tàm substantiis incompletis, quàm completis, verbi gratia, quando Philosophi dicunt *ex substantiis fieri substantiam, & non ex non substantiis*) possit admitti, tres esse substantias in Christo, scilicet, *Diuinitatem, corpus, & animam*: Attamen quando loquimur de Christo, longè conuenientiùs est asserere duas tantùm esse substantias in Christo *Diuinitatem* scilicet *& humanitatem*, tùm quia loquendo de hoc mysterio debemus sequi modum loquendi Patrum & Conciliorum: at Patres & Concilia communiter docent vel definiunt, in Christo Domino duas esse substantias diuinam & humanam vnitas in subsistentia Verbi diuini: quemadmodum patet ex Ephesino primo, Chalcedonensi, & aliis congregatis contra Eutychetem, Nesto-

V. VI. VII. VIII.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in Christo facta sit aliqua vnio animæ & corporis.

PARS affirmans est de fide ex multis Conciliis, vt Chalcedonensi actione quinta,

I. rium, & eorum sectarios. Tùm etiam quia nomine *substantiæ* purè & simpliciter pronunciatæ solemus communiter intelligere *completam substantiam*, quæ propriè loquendo non sit pars, vnde dicendo simpliciter & sine aliquo addito tres esse substantias in Christo, significamus ex vi istius modi loquendi corpus in Christo non habere rationem veræ & propriæ dictæ partis, similiter nec animam, quod tamen patet esse falsum ex dictis, ideóque si quis velit dicere tres esse substantias in Christo, conuenientiùs erit addere aliquam particulam, quâ significet duas illas, *corpus & animam*, esse tantùm partiales, & incompletas in præcisa & formali ratione substantiæ.

ARTICVLVS VI.

II. ### *Duo præcedentis consectaria ex doctrina præcedentis articuli.*

DVO colliguntur, primum est, Christum Dominum esse hominem eiusdem speciei nobiscum, cùm sit verus homo, & homo dicatur synonymè de omnibus suis inferioribus, sicut species de suis indiuiduis, vt Dialectici docent. Tùm etiam, ex eo quòd in 5. Synodo generali, collatione 8. Canone 8. Christus Dominus dicatur nobis consubstantialis secundùm humanitatem; item in Euangelio vocet Apostolos, fratres suos, item ex eo quòd definiatur verè & propriè Filius Beatissimæ Virginis, ab ea procedens temporali generatione, generatio autem sit ad communicandum naturam eiusdem speciei, ac est in ipso generante. Quibus non obstat, quòd Christus Dominus habeat subsistentiam alterius longè ordinis & rationis, à subsistentiis reliquorum hominum. Nec quòd ipso nomine *Christi* non sola humanitas, sed etiam diuina natura intelligatur: hæc, inquam, non obstant, primum quidem, quia ratio specifica substantiæ præcisè spectata non desumitur à subsistentia, sicut nec à conditionibus indiuiduantibus: aliàs nullus homo conueniret vniuocè cum alio, cùm nullæ indiuiduantes differentiæ conueniant illis vniuocè: sed ratio specifica substantiæ desumitur à partibus componentibus essentialiter substantiam, quæ cum aliis substantiis conueniunt specie, in tali ratione. Tùm etiam quòd ratio substantiæ præcisè spectatæ in ratione substantiæ, est quòd habeat

III. conuenientiam ab subsistendum per se, seu ad

IV. constituendum vnum subsistens primò per se, non autem quòd respiciat ipsam subsistentiam consideratam secundùm suum materiale, quemadmodum antea docuimus: atqui talis conuenientia, non tantùm in actu signato, sed etiam exercito, reperitur in humanitate Christi Domini, vt terminata increata subsistentia Verbi diuini: Tertiò hic terminus *homo* formaliter & præcisè sumptus significat non personalitatem, sed constitutum per humanitatem, seu illud cuius formale constitutiuum in tali esse sit ipsa humanitas: atqui Christus Dominus, vt est aliquod constitutum formaliter per humanitatem, est eiusdem speciei cum aliis hominibus, quia vt sic habet idem specie principium constitutiuum, scilicet eamdem specie humanitatem: ergo Christus, vt homo, est eiusdem planè speciei cum aliis hominibus. Secundum item non obstat, nam ad hoc vt Christus sit homo eiusdem speciei cum aliis, non est necesse vt omnia quæ includuntur in illo sint ei communia cum aliis secundùm eamdem specie rationem, vt iam animaduertimus de ipsis differentiis indiuiduantibus, sed sufficit vt prædicatum, quod enunciatur de eo, conueniat ei eadem ratione, & habitudine qua conuenit & prædicatur de aliis hominibus: quia in tali prædicatione attributum solummodò affirmatur de subiecto, & nihil aliud: Ergo cum hoc prædicatum *homo* in hac propositione, *Christus est homo*, conueniat Christo Domino secundùm eamdem rationem

V. & habitudinem à cæteris hominibus, Christus

VI. etiam erit homo eiusdem speciei cum aliis.

Alterum corollarium est, Christum Dominum reponi in categoria substantiæ, sicut & reliqui homines reponuntur. Primò, quia hæc prædicatio, *Christus est homo*, est speciei de suo indiuiduo, deinde quia abstracta & concreta substantiarum ponuntur in eadem categoria, hæc primariò, ista secundariò, vt docent Dialectici: At humanitas Christi Domini reponitur in categoria substantiæ. Tertiò, quia ratio ponendi aliquam substantiam in categoria substantiæ, non est ipsa eius personalitas (hæc enim est tantùm aliqua conditio ad id requisita) sed est ipsa natura substantiæ, quam tale subsistens participat, tanquam aliquod inferius substantiæ, & substantia humanitatis in Christo Do-

VII. mino est eiusdem conditionis, ac in nobis omnibus: igitur sicut nos omnes singuli sumus in prædicamento substantiæ, ita etiam & Christus Dominus.

Dices, *hic homo*, ponitur in categoria, sed Christus per personalitatem est *hic homo*, quia iste terminus, *hic homo*, supponit pro subsistente, quod in Christo est ipsa persona Verbi: ergo & persona Verbi ponitur in categoria substantiæ, quod tamen est contra communem sententiam Philosophorum.

Respondetur, quemadmodum *homo* significat principaliter naturam humanam, quia est terminus concretus, & terminus concretus significat principaliter naturam, ita & terminus iste, *hic homo*, principaliter significat hanc naturam, significat verò tantùm *vagè & indeterminatè* ipsam subsistentiam, id est, aliquam,

VIII. non determinando in particulari, quænam sit illa, & proinde iste terminus, *hic homo*, (etiam pronunciatus de Christo) non supponit determinatè, & in particulari, ex vi & modo suo significandi præcisè considerato, pro ipsa personalitate Verbi diuini, sed primò & principaliter pro ipsa humanitate subsistente aliqua subsistentia, quæcumque illa sit: ideóque cùm homo primò & principaliter significet humanitatem, & hæc sit eiusdem speciei in nobis ac in Christo, semper homo Christus remanebit, non tantùm eiusdem speciei, sed etiam prædicamenti nobiscum, quia iste terminus, *hic*, tantùm determinat suum principale significatum.

I.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm tres explicatæ vniones in Christo sint substantiales.

SIT hæc nostra propositio, *Omnes & singulæ vniones istæ, sunt verè & propriè substantiales.* Probatur quoad singulas partes, & de prima, quæ est Verbi cum humanitate, constat ex omnibus Conciliis congregatis cõtra Nestorium, & ex Decretali Alexandri tertij, quam refert sanctus Thomas hac quæstione articulo sexto, tùm etiam ex eo quòd tunc vnio, & compositio censeatur esse substantialis, quando componentia ita coniunguntur inter se, vt vna per se substantia, in genere substantiæ, resultet ex illis: at ex

II. vnione humanitatis ad personalitatem Verbi, vna per se substantia, vltimò completa, per se subsistens, resultat ex dictis in præcedentibus, tùm etiam ex eo quòd hæc enunciatio de Christo, *Homo est Verbum, & Verbum est homo*, est substantialis.

Idem patet de secunda, quia duo eius componentia copulantur in termino substantiali, scilicet, *natura diuina & humana in personalitate Verbi*, & faciunt vnum subsistens per se in duabus naturis; idem etiam patet de vltima, quia illa est talis in Christo, qualis est in nobis, cùm ille sit homo eiusdem nobiscum speciei, & prædicamenti; atqui hæc vnio & compositio est substantialis in nobis.

Obiicies primò, Patres interdum explicant hoc mysterium per vniones accidentales, verbi gratia, rami insiti, ferri candentis. & aliis id genus exemplis.

III. Respondetur, Patres id non faciunt, quasi velint hanc vnionem esse accidentalem, sed tantùm vt illam nobis explicent rudi aliqua ratione, nec omnimoda similitudo semper requirenda est in omnibus & singulis exemplis.

Obiicies secundo. Ipsa humanitas Christi Domini aduenit Verbo diuino iam existenti, omnimodè completo, & perfecto in se.

Respondetur. Sanctus Thomas hac quæstione, articulo sexto, in solutione ad secundum, & libro quarto contra gentes, cap. 49. rectè docet hanc propositionem, *Quidquid aduenit enti completo, ei vnitur tantùm per accidens*, esse tantùm veram, quando ei aduenit per inhærentiam, aut quasi per inhærentiam merè extrinsecè assistendo ei, & quomodo calor & vestimentum nobis iam completis aduenium: at non est

IV. vera quando id quod aduenit, aduenit enti iam completo in hunc finem, vt ab illo sustentetur & constituat vnum esse personale, sicut humana natura aduenit Verbo diuino: non enim ei affert *esse humanum per circumpositionem*, seu per humanitatem ab illo indutam, eo modo quo nostra vestimenta vniuntur nobis, aut aliquo alio modo, qui sonet meram aliquam adiacentiam, sed eo tantùm ipso quo ita vnitur ei, vt constituat vnum subsistens per se.

Obiicies tertiò. Vnio accidentium intrinsecorum fit etiam in persona, nec hoc tamen sufficit vt dicatur esse substantialis: ergo pari modo licèt duæ naturæ, diuina & humana, vniantur in eadem personalitate Christi Domini, vnio illarum non propterea dicetur esse substantialis.

Respondetur hanc vnionem non dici substantialem simpliciter, ex eo quòd duæ naturæ

A vniantur eodem modo, in vna personalitate, quo aliqua duo accidentia vniuntur inter se in eodem subiecto, sed quòd, cùm humana natura deberet habere propriam suam subsistentiam, ita est vnita Verbo diuino, vt subsisterit in illo. Dixi illas duas primas vniones, quæ sunt in Christo, esse *substantiales*, eas tamen non vocaui *essentiales*, vel *naturales*: nec dixi illas esse factas *secundùm essentiam vel naturam*, quia modus iste loquendi videtur significare tales vniones esse factas in natura in essentia diuina, quod est hæreticum, cùm hæc nomina, secundùm communem vsum Theologorum, denotent ipsam diuinam essentiam & naturam, in qua tamen neutra istarum vnionum est facta. Nec obstat quod aliqui Patrum dicãt vnionem hanc esse *naturalem*, vt sanctus Cyrillus, sanctus Gregorius: nam apud illos hæc particula,

B *naturalis*, ibi nihil aliud sonat, quàm vel, *vera, realis, non phantastica*, vel sumpserunt hunc terminum prout opponitur isti, *accidentalis*, vt sic loquendo ostenderent contra Nestorium, hanc vnionem non esse accidentalem aliquo modo, siue per gratiam, siue per affectum, sed substantialem.

V.

VI.

DISPVTATIO IV.

De appetitu humanitatis Christi Domini ad propriam suam subsistentiam.

ARTICVLVS I.

C *Præmittuntur quædam monita, & status quæstionis aperitur.* VII.

PRÆSENS difficultas nascitur ex hactenus dictis: cùm enim docuerimus quamlibet substantiam habere naturalem aptitudinem ad propriam suam subsistentiam, tanquam advltimum suum complementum, & præterea Verbum diuinum ita se vniusse humanitati; vt impedierit creatam subsistentiam effluere ab illa: quæri potest, cùm hæc humanitas non haberet aptitudinem naturalem ad personalitatem Verbi diuini, sed solummodo obedientialem: an hæc humanitas, vt nunc vnita Verbo diuino, adhuc retineat suum appetitum, & inclinationem ad propriam suam subsistentiam, quam de facto habuisset nisi fuis-

D set, & adhuc esset impedita à Verbo diuino hypostaticè vnito. Pro cuius quæstionis explicatione imprimis notandum est, *duplicem distingui appetitum, vnum innatum, seu naturalem, alterum elicitum. Appetitus innatus* nihil est aliud, quàm ipsa naturalis inclinatio naturæ seu potentiæ ad propriam suam formam, seu in id, quod postulat tanquam propriam suam perfectionem naturalem: *appetitus elicitus*, est actus aliquis positiuus, quo substantia cognoscitiua fertur seu inclinatur in bonum apprehensum, & cognitum. Vnde distinguitur à priori appetitu, quòd prior dicat tantum pondus aliquod naturæ, seu potentiæ in id, quod illam naturaliter perficit: hic verò posterior dicat aliquem actum appetitiuæ potentiæ circa suum bonum, vt iam à se aliquo actu cognitionis apprehensũ, vnde ad distinctionem prioris vocatur elicitus.

VIII.

I. Secundò, notandum est, sicut in *appetitu elicito tres actus distinguuntur*: Primus, *est amor boni absolutè & secundum se considerati*, abstrahendo ab eo quòd sit præsens vel futurum: Secundus actus, *est gaudium* quod est boni præsentis & possessi: Tertius actus *est desiderium*, quod est boni absentis: ita similiter nos possumus per aliquam metaphoram & analogiam distinguere tres istos actus in appetitu innato. Quorum primus sit simplex amor, nihilque sit aliud quàm naturalis inclinatio & conformitas rei ad propriam suam formam & perfectionem, provt talis eius forma & perfectio considerator absolutè, abstrahédo ab eo quòd sit præsens seu possideatur, & ab eo quòd sit absens seu de facto non possidetur. Secundus actus, *sit gaudium*, nihilque sit aliud, quàm eadem naturalis inclinatio, & conformitas rei ad propriam suam II. formam & perfectionem, provt iam de facto illam obtinet, & in ea conquiescit. Tertius denique actus *sit desiderium*, sitque eadem inclinatio rei seu naturæ vel potentiæ ad propriam suam formam & perfectionem, provt caret illa.

Iam præsens difficultas non mouetur de appetitu elicito propriè sumpto, quique sit aliquis actus humanæ voluntatis, quæ est in Christo, elicitus ex cognitione illa, quod caret propria personalitate suæ humanitatis. Certũ enim est nullum talem actum fuisse, esse vel futurum in Christo Domino. Nam nullus actus inordinatus, & importans auersionem ab vnione hypostatica, potest admitti in Christo: & fugere, vel nolle aliquod maximum bonum, vel desiderare bonum aliquod minus, incompossibile maximo alicui bono, est imperfectio: atqui actus III. iste desiderij est inordinatus, non tantùm ex eo quòd sit difformis diuinæ voluntati, qua statuit, vt humanitas Christi D. careret in perpetuum propriâ suâ subsistentiâ, sed etiam quia est otiosus, cùm sit rei, quam Christus Dominus probè nouit nunquam futuram: scit enim nunquam Verbum diuinum dimissurum illud quod semel assumpsit hypostaticè. Deinde actus iste importat auersionẽ ab vnione hypostatica, quam suprà notauimus esse maximum beneficium impertitum humanitati; quia hæc vnio est incompossibilis cũ propria personalitate humanitatis, vt infrà dicetur: igitur voluntas animæ Christi Domini non potuit habere actum aliquem propriè elicitum, quo desideraret suam humanitatem, iam à Verbo diuino assumptam, habere propriam & creatam suam personalitatem.

IV. Neque item difficultas est de appetitu innato, quatenus consideratur secundùm actum simplicis amoris in secundo nostro notabili explicati: nam certum est humanitatem Christi Domini, secundùm se spectatam, habere aptitudinem & inclinationem ad propriam suam personalitatem, tùm quia vnumquodque, vt sic consideratum, præcisè inclinatur ad proprium suum complementum, cuiusmodi est propria & creata personalitas respectu humanitatis vt sic consideratæ, tùm quia si illa humanitas derelinqueretur à Verbo, tunc nullo alio sibi superaddito, sed sibi soli derelicta, faceret vt propria sua personalitas resultaret: igitur humanitas Christi Domini, vt sic absolutè considerata, habet appetitum innatum, per modum simplicis amoris, quo fertur in propriam & creatam suam subsistentiam.

Tertio loco, præsens difficultas non mouetur etiam de appetitu innato, quatenus ille consideratur secundùm actum gaudij & delectationis, quia hic actus est tantùm de re vt præsenti & possessa: at humanitas Christi Domini non habet suam propriam & creatam subsistentiam: igitur illa non potest habere innatum appetitum, per modum actus delectationis & gaudij de propria & creata sua subsistentia. V.

Sed tota præsens difficultas est de appetitu innato, quatenus appetitus ille consideratur secundùm actum desiderij, an scilicet, humanitas Christi Domini, vt hypostaticè vnita Verbo diuino, appetat naturali & innato appetitu per modum desiderij propriam & creatam suam subsistentiam.

Articvlvs II.

Vtrùm humanitas Christi Domini habeat innatum appetitum, per modum desiderij, ad suam propriam subsistentiam. VI.

DVæ sunt hac de re sententiæ, vna affirmans, quæ est Vasquesij hac parte, disputatione 34. capite 2. & sequentibus, Cabreræ hac parte, quæstione 4. disputatione 8. quam sequitur de Perighianis in tertium Sententiarum distinctione prima, quæstione prima, articulo vndecimo, conclusione quinta, aitque esse Scoti.

Melior tamen sententia negant, quæ est Caietani. hac p. quæst. 4. art. 2. Aluares hic parte, S. Thomæ disput. 27. & communis discipulorum S. Thomæ, quam loco propositionis ponimus. Probatur primò ratione fundatâ in Aristotele libro primo Physic. text. 81. dicente: *Formam non se ipsam appetere, quia non indiget ea*; quibus verbis significat ad rationem appetitus per modum desiderij, requiri in appetente aliquam indigentiam rei desideratæ, ac proinde vbicumque indigentia rei alicuius, etiam latè sumpta pro conuenientia, non reperitur, ibi propriè non est appetitus per modum desiderij, cùm talis omnis appetitus sit inclinatio in rem conuenientem ipsi eam appetenti. Ex qua auctoritate Aristotelis sic nostra propositio probatur. Ad hoc vt aliquid habeat appetitum desiderij circa rem aliquam, debet habere aliquam indigentiam istius rei, aut saltem talis res desirata debet esse illi conueniens: atqui humanitas Christi Domini, quatenus est vnita Verbo diuino, non habet aliquam indigentiam suæ propriæ & creatæ subsistentiæ; nec propria & creata eius subsistentia est ipsi humanitati, vt Verbo diuino vnitæ, conueniens: igitur humanitas Christi Domini, vt vnita Verbo diuino, non habet appetitum per modum desiderij ad propriam & creatam suam subsistentiam. Maior fundatur in relata auctoritate Aristotelis, & confirmatur ex eo quòd omnis appetitus est ad bonum: ergo ad conueniens ipsi appetenti: ergo siquid non sit conueniens ipsi appetenti, sed potiùs disconueniens, tunc ipse eius appetitus non feretur in illud per modum desiderij, sed potiùs sese habebit ad illud per modum fugæ. Minor etiam propositio probatur, quoad vtramque suam partem: quoad priorem, quæ procedit de indigentia. Tunc propriè indigentia rei alicuius absentis non censetur esse, quando illud quod ab ea præstatur, vel expectatur, VII. VIII.

I. habetur ab aliquo alio, modo longè nobiliori, quàm si prædicta res absens illud per se ipsam daret, præsertim quando res illa absens, quæ causaret tale bonum, habet aliquam incompossibilitatem in eodem subiecto, cum eo, quod de facto dat talem effectum nobiliori modo, verbi gratia, beatus in patria non dicitur indigere ipsa fide infusa ad cognoscendum Deum & veritates de illo, quia scilicet nobiliori modo totum istud cognoscit per claram visionem diuinæ essentiæ, quàm quilibet viator per veram fidem sibi infusam, & fides habet incompossibilitatem cum clara visione Dei in patria, vt Scholastici communiter docent cum sancto Thoma, secunda secundæ. Atqui humanitas vnita Verbo diuino habet vt subsistat modo perfectiori, quàm si de facto haberet propriam suam subsistentiam: quia personalitas Verbi diuini est in genere substantiarum longè perfectior, cùm sit infinita & increata: & insuper propria subsistentia humanitatis, iam vnitæ Verbo diuino, habet incompossibilitatem cum subsistentia Verbi diuini, vt ostendetur seq. q. 4. ergo humanitas vt vnita Verbo non habet aliquam indigentiam suæ propriæ & creatæ personalitatis.

II.

Dices cum Vasquesio suprà, tunc appetitum satiari per nobiliorem formam possessam, quando ipsa res appetitur appetitu elicito, & fundato in cognitione, quæ facit, vt variata perceptione & cognitione obiecti, de eo etiam aliter iudicemus, & appetitus rei imperfectioris cesset, re longè perfectiore iam obtentâ: non autem quando res tantùm appetitur appetitu naturali, qui non sequitur cognitionem, sed est tantùm pondus ipsius naturæ in id, quod sibi est naturaliter conueniens, & quæ, eo solo quòd priuatur tali re sibi conuenienti, intelligitur habere appetitum desiderij ad illam, vt patet in exemplo de materia prima & naturali eius appetitu ad omnes alias formas longè inferiores animâ rationali, quæ tamen sua informatione non satiat prædictum appetitum materiæ primæ, cùm semper relinquat in illa propensionem ad alias formas longè imperfectiores.

III.

Verùm refellitur hæc solutio primò, quia isti actus amoris & desiderij, articulo præcedenti, secundo notabili explicati, tribuuntur tantùm metaphoricè appetitui naturali per quandam analogiam & proportionem ad amorem elicitum, vt suprà exposuimus: ergo quemadmodum appetitus elicitus ad rem minus perfectâ, satiatur acquisitione rei perfectioris, in qua continetur quicquid erat perfectionis in re minus perfecta: sic etiam naturalis ille appetitus satiabitur, adepta forma perfectiori, continente modo eminentiori quicquid erat boni in re, ad quam aliàs fertur naturaliter. Deinde, si iuxta hanc responsionem, appetitus iste, quia est purè naturalis, remanet in humanitate Christi Domini, vt iam vnitâ Verbo, vel ita remanet in ratione desiderij metaphoricè considerati, vt quia eius adimpletio habet incompossibilitatem cum subsistentia Verbi diuini, includat aliquam alienationem ab vnione hypostatica, & subsistentia Verbi diuini; vel potiùs includat amorem & affectum ad illam, loquendo semper metaphoricè de actibus amoris, iuxta secundum nostrum notabile: Primum est indecens tantæ & tam perfectæ naturæ, scilicet exposcere carentiam tanti boni, vt longè minus

IV.

A obtineat. Secundum item dici non potest, quia natura bene ordinata, qualis est humanitas Christi Domini, vt vnita Verbo, non habet appetitum ad impossibile, quia naturalis appetitus, cùm sit à natura, & proinde ab auctore naturæ, debet esse possibilium: at iste appetitus, hoc secundo modo consideratus, est impossibilis: nec facit ad rem exemplũ allatum de materia prima, quæ informata anima rationali, non desinit appetere alias formas longè inferiores. Nam inter soluendum argumenta prioris sententiæ, ostendemus esse longè disparem rationem eiusmodi materiæ primæ, & ipsius humanitatis Christi Domini, vt vnitæ Verbo diuino: ex quibus sicut & ex infrà dicendis manet probatum propriam & creatam subsistentiam ipsius humanitatis Christi Domini, non esse illi conuenientem, prout est & manet vnita hypostaticè Verbo diuino, sicque secunda pars nostræ Minoris manet etiam probata.

V.

B Secunda ratio pro nostra propositione est. Vbi quis de facto obtinet finem, ad quem aliàs obtinendum postularet naturaliter tale medium tanquam proportionatum obtinẽdo eiusmodi fini, tunc appetitus talis medij cessat in illo: quia sicut volitio mediorum est propter finem, ita & appetitus mediorum, & sicut cessante volitione finis & illa completa, cessat ipsa volitio mediorum in ratione cuiusdam desiderij, ita etiam & ipse appetitus medij cessat, ipso eius fine obtento: atqui finis, propter quem natura substantialis, seu etiam humanitas appetit naturaliter suam propriam & creatam subsistentiam, est solummodo vt constituat vnum subsistens, sit completa in seipsa, & demum sit in

VI.

C statu accommodato ad operandum, quemadmodum intelligitur ex dictis suprà de personalitate, & humanitas Christi Domini vt iam vnita Verbo diuino, obtinet hunc finem, quia cum illo constituit vnum subsistens, completur in se, & constituitur in statu accommodato ad operandum per subsistentiam Verbi diuini sibi vnitam: igitur ipsa Christi Domini humanitas, vt iam vnita Verbo diuino, non amplius postulat naturaliter aliquo appetitu desiderij propriam suam & creatam personalitatem. Tertia ratio est: vel humanitas Christi Domini vnita Verbo diuino, est satiata quoad desiderium personalitatis, vel non est satiata; si est satiata: ergo non habet amplius appetitum, per modum desiderij ad propriam & creatã suam personalitatem, quia talis satietas tollit hoc desiderium, cùm desiderium rei nondum possessæ, & satietas tali

VII.

D desiderio respondens, repugnent sibi inuicem. Si non est satiata: ergo cùm numquam sit satianda de facto, hac ratione, quia vnio Verbi diuini cum humanitate nunquam dissoluetur, nec humanitas Christi Domini est vnquam habitura propriam & creatam suam subsistentiam, talis appetitus humanitatis non tantùm erit frustraneus, sed & ipsa humanitas Christi Domini, vt Verbo diuino vnita, erit in perpetuum in statu violento, contra illud vulgare Aristotelis in Physicis, *nullum violentum perpetuum*, tùm etiam contra conuenientem ordinem, tàm diuinæ prouidentiæ, quàm ipsius humanitatis Christi Domini.

VIII.

Neque huic argumento satisfacit, quod Vasquesius suprà respondet: scilicet tunc solummodo inferri violentiam, quando vis infertur causæ efficienti vel formali, ne prodeat in actum, seu

I. quando aliquid fit contra actiuum vel formale principium ipsius rei: at humanitas, respectu propriæ suæ subsistentiæ, est solummodo subiectum, & non principium eius formale vel effectiuum: aut, quòd aliqui alij respondent, tunc tantùm violentiam inferri, quando aliqua forma, & actio contraria excludens formam propriam introducitur: at in præsenti casu humanitas Christi Domini non priuatur sua personalitate per formam sibi contrariam, sed per aliquid supernaturale, cum quo humanitas non habet repugnantiam nec proportionem naturalem. Neutra, inquam, solutio satisfacit, non prima, quia communior & probabilior sententia Philosophorũ & Theologorũ docet propriam subsistentiam emanare à sua natura, tanquam à principio actiuo, non autem ab aliquo agente

II. introduci, cùm eo ipso, quo natura producitur, propria eius subsistentia non producatur ab eo qui producit illam, quemadmodum videre est in ipsa humanitate Christi Domini; nec etiam ab aliquo alio sibi extrinseco, cùm si Verbum eam desereret, illáque sola sibi relinqueretur, esset statim habitura suam propriam subsistentiam per emanationem seu resultantiam, sicque ipsa natura est aliquod actiuum principium propriæ suæ subsistentiæ, & nihilominus communis sententia Theologorum negat humanitatem Christi Domini, vt vnitam Verbo diuino, pati violentiam.

Non item secunda responsio satisfacit: nam modus iste potiùs explicat rationem corruptionis, loquendo propriè, quàm ipsius violentiæ, quemadmodum videre est in corruptione formarum naturalium, quæ tamen corruptio non

III. dicitur à Philosopis esse quædam violentia, quin potiùs, secundùm illos omnes, est aliquid naturale & conforme ipsi materiæ, quæ per illam deperdit aliquam formam: sed tunc solummodo propriè fit violentia alicui rei, quando aliquid fit contra propriam & naturalem inclinationem, quam reipsa habet ad aliquid. Vt enim in moralibus, qui est indifferens, non dicitur pati violentiam, siue ducatur in vnam partem, siue in aliam, sed solus ille cui volenti & repugnanti fit aliquid: ita etiam vt res aliæ non morales dicantur pati aliquam violentiam, aliquid debet fieri in illis, quod sit contra naturalem illarum inclinationem. Ergo cùm ex communi sententia Theologorum ipsa humanitas, vt vnita Verbo diuino, nullam propriè patiatur violentiam,

IV. fit vt in tali statu constituta nullam habeat naturalem inclinationem seu appetitum ad suam propriam & creatam subsistentiam.

A Christi Domini humanitas sibi derelicta, naturaliter appetit sibi innato quasi debiteret propriam suam personalitatem, sic etiam adhuc vt assumpta a Verbo diuino illam eodem appetitu naturali, secundùm eandem rationem considerato, appetit. V.

Respondetur negando humanitatem Christi Domini, vt vnitam Verbo propriè & formaliter, carere sua perfectione subsistentiæ: nam hæc perfectio, in quam substantia tendit, potest considerari duobus modus. Primò, *secundùm suum esse materiale tantùm*, quo modo est quædam entitas modalis creata, sicut *species intelligibilis*, *secundùm suum materiale* considerata, est aliquod accidens de genere qualitatis. Deinde potest considerari *secundùm suum esse formale*, quod est facere vnum subsistens cum

B ipsa natura seu substantia, sicut formale in eadem specie intelligibili est *ipsum repræsentare obiectum* potentiæ cognoscitiuæ, & cum illa, vice obiecti, concurrere ad cognitionem actualem. Iam humanitas Christi Domini caret quidem *ipso materiali propriæ & creatæ suæ subsistentiæ*, quia non habet modalem illam entitatem, in qua superiùs diximus illam materialiter consistere: sed hæc carentia est solùm nuda quædam carentia, & non propriè priuatio, quatenus hæc apud Philosophos distinguitur ab illa, cùm modalis illa entitas non sit ei, vt in tali statu constitutæ, debita, quin potiùs habet ad illam incompossibilitatem, quemadmodum patebit infrà: cùm etiam quia quando aliquid appetitur tantùm secundariò & ex consequenti, aliud autem primariò, tunc si quod appetebatur primariò, habeatur sine illo, quod tantùm appe-

C titur secundariò, cessat appetitus istius rei secundariò tantùm desideratæ, vt probat secunda nostra ratio: at entitas illa modalis appetitur tantùm secundariò, scilicet quatenus humanitas naturaliter spectata, & suo tantùm naturali statui derelicta, non potest constituere vnum aliquod subsistens: nam humanitas Christi Domini priùs natura, quàm vniatur Verbo, habet omnes suas partes substantiales, tàm integrantes quàm essentiales, vt patebit infrà, neque tamen tunc constituebat vnum subsistens: ergo licèt carentia istius modi reperiatur in humanitate, qui aliàs erat futurus in illa, non tamen loquendo propriè dicetur humanitas habere appetitum ad illum, cùm etiam talis carentia non habeat indigentiam illius sibi annexam,

D sed iam de facto sit actuata, quod tamen requiri in appetitu naturali ostendimus ex Aristotele. At humanitas Christi Domini, vt vnita Verbo diuino, non caret ipso formali subsistentiæ, ad quod prædictus ille appetitus naturalis est primariò per se, & essentialis scilicet ad subsistendum, quia iam vnita Verbo diuino constituit vnum subsistens. VI. VII. VIII.

Ad confirmationem, qua dicitur potentiam naturalem humanitatis non esse immutatam per sui assumptionem à Verbo diuino, respondetur, in nostra sententia illam non fuisse immutatam, sed propriè completam, quia hæc primariò & per se erat tantùm ad constituendum vnum subsistens, spectando solam eius intentionem, licèt considerando executionem talis desiderij, vt sibi soli derelictæ possibilem, esset illud exequi per productionem modalis entitatis: & quòd immutatio medij, quoad executionem finis iam intenti, non immuteat appetitum, sed

Articvlvs III.

Soluuntur fundamenta primæ sententiæ.

Primvm est. Appetitus naturalis & innatus alicuius potentiæ per modum desiderij ad suam formam, nihil est aliud quàm ipsamet potentia comparata cum sua perfectione & formâ quâ caret, seu quatenus habet potentiam ad propriam suam formam & perfectionem, quâ tamen priuatur: atqui humanitas Christi Domini, etiam vt vnita Verbo diuino, est eiusmodi, quia per eius assumptionem à Verbo, naturalis eius potentia non est immutata, sicut nec ipsa humanitas, cùm illam sequatur naturaliter, vt ipsum eius nomen indicat: igitur sicut ipsa

I. potiùs illum compleat, quando medium quod assumitur est nobilius. Patet hoc exemplo familiari. Sit aliquis valde pauper, qui habeat maximum appetitum eundi Romam, quique attento statu suæ paupertatis non possit ire nisi pedes, & per magnam itineris partem mendicando: occurrat dives aliquis, qui motus misericordia subleuet eius paupertatē, det illi equum, & alia omnia ad totum istud longè facilius & nobilius exequendum: tunc appetitus prædicti pauperis non dicetur propriè esse immutatus, sed si cum istis omnibus inuisat Romam, dicetur potiùs completus & satiatus, quia scilicet appetitus est principaliter ipsius finis, & mediorum tantùm ex aliquo consequenti: ergo pari modo licèt ipsa executio constituendi vnum subsistens, sit facta modo supernaturali, scilicet per vnionem humanitatis ad Verbum, non propterea
II. tamen naturalis eius appetitus ad subsistentiam desinet dici & esse completus.

Secundum fundamentum: appetitus innatus vnius potentiæ satiatur tantummodo per actum correspondentem tali potentiæ, & numquam per actum correspondentem alteri potentiæ, quantumuis perfectæ: exempli causa, materia prima habet inclinationem naturalem per modū desiderij ad omnes & quaslibet formas naturales, opinio in Physicis, iam licèt anima rationalis, quæ est omnium formarum nobilissima, illam informet, adhuc tamen existens sub tali forma, non desinit alias formas etiam longè inferiores appetere, naturali & innato sibi appetitu, per modum cuiusdam desiderij, quemadmodum Philosophi docent cum Aristotele libro primo Physicorum. Atqui subsistentia
III. Verbi diuini non est actus illius potentiæ passiuæ naturalis, quam ipsa humanitas Christi Domini habet respectu propriæ suæ & creatæ subsistentiæ: nam actus & potentia sibi correspondentes, debent esse eiusdem ordinis, & hæc illum positiuè appetere, & non solummodo ei non repugnare, subsistentia autem Verbi diuini non est eiusdem ordinis cum illa potentia naturali, quia humanitas Christi Domini appetit esse personata, alias talis vnio non esset supernaturalis, sed naturalis, debita tali subsistantiæ; deinde subsistentia Verbi diuini terminat tantummodo humanitatem Christi Domini secundùm aptitudinem & potentiam suam obedientialem: ergo appetitus ille innatus ipsius humanitatis vt vniteę Verbo, non satiatur vnione sui ad personalitatem Verbi, sed semper manet & perseuerat.

IV. Respondetur negando Maiorem, si, vt debet, procedat de actu & potentia conuenientibus secundùm communem aliquam & velut genericam rationem: tunc enim actus perfectioris ordinis, potest complere potentiam vel quasi potentiam, quæ est intra rationem genericam ordinis inferioris, vt patet exemplo supernaturalis beatitudinis, quæ licèt sit ordinis superioris, & recipiatur in Beato secundùm potētiam suam obedientialem considerato, non tamen desinit satiare illum alium appetitum, quem ipse homo potest habere ad beatitudinem purè naturalem. Nam quemadmodū beatitudo supernaturalis, quia est status omnium bonorum aggregatione perfectissimus, continet omnem perfectionem naturalis beatitudinis, sicque magis perficit naturam intellectualem, quam sola beatitudo naturalis perficeret; ita etiam, quia personalitas Verbi diuini in ratione subsistentiæ continet

A omnem perfectionem, non tantùm humanæ, sed etiam omnis creatæ subsistentiæ, fit vt illa magis perficiat humanitatem Christi Domini, eiúsque naturalem appetitum perfectiori modo satiet, quàm propria & creata eius personalitas totum istud præstaret. V.

Ad confirmationem petitam à materia prima vt informata anima rationali, & nihilominus retinente appetitum ad alias formas imperfectiores, respondetur disparem esse rationem: primò quòd anima rationalis non possit tribuere materiæ primę quicquid singulæ formæ inferiores possunt per seipsas sigillatim illi tribuere, quòdque materia prima, secundùm adæquatum suum appetitum naturalem considerata, exspectat primò per se ab illis, sicque animam rationalem non complere totum & adæquatum appetitum materiæ primæ: at Verbum
B diuinum cùm sit infinitum & perfectissimum in ratione subsistentiæ, potest tribuere humanitati & aliis creatis substantiis, quicquid perfectionis singulæ earum subsistentiæ possunt illis tribuere; & cùm esse formaliter & intrinsecè modum, sit quædam imperfectio, quia inuoluit esse dependens, Verbum diuinum vt faciens subsistere humanitatem Christi Domini non debet esse modus illius, nec eum vt sic supplere, propter secundam rationem nostræ propositionis. Deinde est etiā disparratio, quòd naturalis appetitus materiæ primæ, sit & ordinetur essentialiter ad generationem physicam per transmutationem, speciatim ad omnes formas, quandiu mundus hic durabit: ideóque iste eius appetitus nunquam expletur vnica forma quantumuis perfecta, & materia prima non est per se primò propter seipsam & propriam suam causalitatem, nec ipsa eius capacitas & perfectio respicit primò per seipsum eius bonū tanquam subiecti, sed bonum compositi naturalis: ideóque fit vt anima rationalis, licèt perfectissima in genere formarum naturalium, quia tamen sola illa non facit vt omnes illæ transmutationes physicæ, & singulæ formæ, quæ possunt esse in illa successiuè vsque ad finem mundi, reperiantur in illa, sicque materia prima perficiatur in ordine ad quodlibet compositum, ideo inquam fit, vt non expleat totum appetitum naturalem materiæ primæ ad omnes formas naturales. At personalitas est propter naturam humanam eiúsque operationes, non propter aliquod aliud tertium, & naturalis appetitus substantiæ est ad determinatam subsistentiam, & non ad plures, ideóque illo sufficienter expleto per nobiliorem subsistentiam, imò & incompossibilem cum propria, nullum amplius habet naturalem appetitum propriè dictum ad illam creatam & propriam suam subsistentiam. VI. VII. VIII.

Ad confirmationem respondetur, subsistentiam Verbi diuini terminare quidem humanitatem Christi Domini secundùm potentiam tantùm obedientialem, non propterea tamen desinere complere naturalem eius appetitum ad propriam suam subsistentiam: quia appetitus iste est primò per se ad constituendum vnum subsistens, quod humanitas Christi Domini est consecuta per hypostasim Verbi: deinde, quia actus aut quasi actus ordinis superioris potest complere potentiam, aut quasi potentiam ordinis inferioris contentam intra eamdem rationem genericam, quemadmodum suprà osten-

I. dimus; cuiusmodi sunt, subsistentia Verbi diuini; & ipse naturalis appetitus humanitatis Christi Domini.

Tertium fundamentum est. Tandiu appetitus ille innatus, per modum desiderij propriæ subsistentiæ, manet & durat in ipsa humanitate, quandiu est in alio & non in se: quia talis appetitus est ad existendum in se, & non in alio, non tantùm per inhæsionem, sed etiam per modum cuiusdam partis componentis totum aliquod per se, & quandiu manet sub priuatione talis perfectionis, tandiu prædictus ille appetitus manet in illa: atqui humanitas Christi Domini quamdiu est, & erit vnita hypostaticè Verbo diuino, tandiu est, & erit in alio & non in se, quia personalitas Verbi diuini est ei aliena, & hæc humanitas tandiu manet sub carentia seu II. priuatione propriæ & creatæ suæ personalitatis, quamdiu manet vnita Verbo diuino propter incompossibilitatem illam, quam propria subsistentia & aliena habent ad se inuicem, vt infrà videbitur: igitur ipse appetitus innatus humanitatis iam vnitæ Verbo per modum cuiusdam desiderij propriæ suæ personalitatis, semper manet & perseuerat in ipsa Christi Domini humanitate, etiá vt vnita hypostaticè Verbo diuino.

Vt respondeatur, notándum est ipsum esse in se dici tribus modis: primo vt significat *negationem cuiuslibet inhærentiæ*: secúdo provt significat *constituere vnum subsistens*, quo modo naturalis illa aptitudo substantiæ *ad existendum per se, in se, & non in alio*, nihil aliud formaliter importat quàm aptitudinem & propensionem ad subsistentiam actualem, seu ad subsistendum actu, seu ad constituendum vnum aliquod subsistens, III. abstrahendo ab ipso materiali eius, cui vnita facit illud vnum subsistens per se: ita vt siue habeat ipsum materiale propriæ suæ & creatæ subsistentiæ, siue illo careat, dummodo habeat aliquid aliud sibi vnitum, ratione cuius subsistat, & cum quo faciat vnum per se subsistens, tunc censeatur existere in se & per se: tertio potest considerari quatenus ipsum existere in se & per se non tantùm importat constituere vnum subsistens formaliter, sed addit insuper *illud fieri per aliquam modalem entitatem ipsi substantiæ propriam*, quámque talis substantia naturaliter, & sibi soli relicta respicit, vt cum illa constituat vnum subsistens. Iam ipsum *esse in se, seu per se existere & non in alio*, quod formaliter & præcisè constituit aliquam substantiam in actu secundo per se & in se existentem, non est illud primo modo importatum, vt patet ex dictis supra de subsistentia: non est item tertium provt IV. præcisè spectatur *secundùm suum materiale*, quia naturalis propensio substantiæ ad illud est tantùm ex consequenti, vt ostendimus secunda nostra ratione: at inclinatio substantiæ *ad existendum per se, in se*, & primò per se intenta, est ipsum existere in se explicatum secundo modo, scilicet constituere formaliter vnum subsistens, & sic ratione eius quod sibi coniungitur habere vtramque negationem importatam per formale ipsius subsistentiæ: vnde ad Maiorem tertij argumenti respondetur illam esse veram *de ipso esse & existere in se & per se*, iuxta secundú modú distinctionis nunc assignatæ: ideóque quandiu aliqua substantia non est, iuxta hunc modum *in se, sed in alio*, tandiu habet appetitum naturalem ad existendum in se & per se: quando verò iuxta hunc secundum modum est in se & non in alio, A habet prædictum suum appetitum completum, V.I sicque caret illo.

Hinc quia Christi Domini humanitas vt vnita Verbo diuino, *est in se & per se existens* hoc secundo modo, fit vt careat illo naturali appetitu, quem habebat ad propriam & creatam suam subsistentiam. Nec obstat quòd careat *eius materiali*, nimirum *modali entitate*, ad quam tamen habebat aptitudinem: nam licèt careat illa, hæc tamen carentia non potest ampliùs appellari priuatio, quemadmodum animaduertimus nostra secunda ratione.

Vltimum fundamentum est. Ex dictis suprà, substantia ita se habet ad propriam & creatam suam subsistentiam, quo modo accidens ad inhærentiam, & sicut aptitudo ad inhærendum est de essentia accidentis: ita etiam conuenientia & aptitudo ad existendum per se, seu subsistendum in se, & non in alio, est de intrinseca ratione substantiæ: atqui accidens separatum à suo subiecto, cuiusmodi est in Sacramento Altaris, habet naturalem appetitum, & aptitudinem naturalem ad inhærendum subiecto: quia licèt diuinitùs & supernaturaliter existat actu, absq; vllo subiecto inhæsionis, semper tamen secundùm suam entitatem spectatum est accidens quoddam naturale; & proinde, cùm eius essentia consistat in aptitudinali inhærentia, illam, vt sic, retinet: ergo pari iure singularis substantia etiam existens sine sua creata subsistentia, & subsistens tantùm alienâ, cuiusmodi est humanitas Christi Domini, de facto semper retinebit naturalem appetitum, & aptitudinem naturalem ad suam propriam & creatam subsistentiam.

C Concessa Maiore, ad Minorem respondetur, disparem esse rationem accidentis in Sacramento Altaris, & humanitatis vt vnitæ Verbo diuino: quòd accidens istud, vt sic, nulli subiecto inhæreat de facto, at Christi Domini humanitas, licèt non habeat propriam suam subsistentiam, habet tamen alienam, scilicet Verbi diuini, ratione cuius cōstituit vnum subsistens: vnde prædicta comparatio fit potiùs inter accidens separatum ab omni subiecto, & substantiam separatam ab omni subsistentia siue alienâ, siue propriâ, quo modo omnia sunt paria, quàm fiat inter prædictū accidens & humanitatem Christi Domini, vt vnitam Verbo diuino, sub quâ tamen solâ ratione illam hoc loco consideramus. VII.

DISPVTATIO V.

D *De variis substantialibus compositionibus, quæ sunt in Christo.* VIII.

ARTICVLVS PRIMVS.

Præmittuntur monita, & status difficultatis aperitur.

VIA docuimus in Christo Domino humanitatē esse vnitam Verbo, & præterea in Christo Domino duas reperiri naturas, diuinam & humanam, inter se vnitas in subsistentia Verbi diuini, corpus item & animā Christi Domini esse vnitas inter se: præsens disputatio nascitur, an scilicet istæ vniones sint veræ quædam compositiones, & an immediata illa vnio humanitatis cum personalitate Verbi sit

quædam

I. quædam compositio, ratione cuius *hic homo Christus*, qui est terminus resultans, sit propriè *compositus*, & persona quædam composita, pro cuius explicatione in primis notandum est compositionem præcisè, & in genere sumptam, nihil esse *aliud quàm diuersorum inter se vnionem*, quatenus plura, vt diuersa concurrunt ad constituendum aliquod vnum constans multis inter se vnitis, nam ad compositionem præcisè sumptam sufficit *vnitas compositi & ipsorum eius componentium distinctio*.

Notandum secundò, ex sancto Thoma, hac quæst. art. 4. in solutione ad secundum, duplicem distingui compositionem, vnam quæ *fit ex partibus propriè dictis*, quando scilicet ipsa componentia ex se, & natura sua, ordinantur ad conficiendum aliquod totum, & sic ad sese mutuò perficiendum, dependentiámque aliquam habent à se inuicem, qua ratione compositio admittit in se ipsa aliquam imperfectionem: aliam dari compositionem, quæ est *ad modum numeri*. Nam numerus est quid compositum, cùm importet multitudinem vnitatũ inter se vnitarum, attamen singulæ vnitates componentes illum, ita sese habent, vt nullam in seipsis recipiant mutationem, sed vnaquæque suam retineat distinctionem ab aliis: Vnde numerus vocatur communiter à Philosophis *quantitas discreta*: prior hæc compositio vocatur à nonnullis Theologis *compositio ex his*: posterior *compositio cum his*.

II.

Notandum tertiò, ex S. Thoma cit. art. 4. in corpore, hypostasim seu personam Christi posse duobus modis considerari: primò, *secundùm se*, seu vt loquitur ibi sanctus Thomas, *secundùm illud quod est in se*, id est, secundùm suam propriam entitatem præcisè, non considerando illam *formaliter*, *seu secundùm proprium munus personalitatis*, & subsistentiæ, quod exercet faciendo subsistere naturam. Deinde potest considerari secundùm propriam rationem personæ seu *formaliter*, id est, *provt de facto exercet munus & officium personæ*, quod est terminare vltimò substantiam, faciendo eam subsistere. Iam in præsenti difficultate non agitur de persona Verbi, primo modo considerata, quia hæc eius consideratio propriè spectat ad primam partem sancti Thomæ, in qua agitur de mysterio Trinitatis; sed præsens difficultas est de persona Verbi diuini, vt de facto exercet actum subsistentiæ & personalitatis, scilicet faciendo subsistere in Christo Domino vtramque naturam, diuinam nimirum & humanam. Quo loci quando sanctus Thomas ait, *personam Verbi in Christo habere aliam & aliam rationem subsistendi*; sensus eius non est, in Christo duas esse subsistentias, duas personalitates, seu admittere in Christo Domino duas personas, hoc enim est Nestorianum & reiectum à sancto Thoma præcedentibus articulis: sed sensus S. Thomæ sic loquentis est, quòd licèt in re & de facto sit vna tantummodò persona & personalitas diuina in Christo, scilicet Verbi, ea nihilominùs spectata *secundùm munus*, quod reipsa exercet in Christo, quatenus sustentat duas naturas, humanam scilicet & diuinam, sit virtute duplex: & quia ratio subsistendi accipit suam denominationem & speciem per ordinem ad eam naturam quam terminat, & vnica illa persona Verbi, quæ est in Christo, vt est in illo, dicit ordinem ad duas naturas, humanam & diuinam, existentes in illo, sit vt S. Thomas ibi dicat, *aliam esse & aliam rationem subsi-*

III.

IV.

A *stendi in persona Christi vt subsistente in duabus naturis*. Sicut vna & eadem simplicissima entitas potest dici, duplex relatio, quæ respicit duos terminos distinctos inter se realiter, & hæc multiplicatur per ordinem illum, quem dicit ad terminum. Sicut & idæa, licèt in Deo sit vna entitatiuè, attamen dicitur esse multiplex, à pluralitate rerum distinctarum à se inuicem, quæ per se primò representantur vt faciendæ, quemadmodum Theologi primâ parte, quæstione decima-quinta docent. V.

Articvlvs II.

Vtrùm immediata vnio humanitatis cum Verbo sit quædam compositio, ratione cuius persona Christi Domini sit composita.

B DVÆ sunt hac de re sententiæ, vna negans quæ est Scoti libro tertio Sententiarum distinctione sexta, quæstione tertia, Gabrielis ibidem, & quorumdam aliorum. VI.

Melior tamen est contraria sententia, quam communiter Interpretes S. Thomæ docent hoc loco. Pro cuius explicatione sit hæc prima propositio: *Persona Christi Domini, quatenus reipsa includit subsistentiam Verbi diuini & ipsam humanitatem, est verè & propriè composita, & hic homo Christus, tanquam huius compositionis terminus resultans, existit propriè compositus*: ita Interpretes sancti Thomæ suprà, & est expressa sententia S. Thomæ, tam hac quæst. art. 4. quàm lib. 4. contra Gentes cap. 49. in responsione ad 6. vbi ait, *naturam humanam esse simpliciorem quàm sit Verbum, in quantum Verbum est hic homo*, quod non potest aliter esse verum, quàm quòd Verbum, vt est *hic homo*, sit aliquod compositum. Probatur primò ex Conciliis, vt ex quintâ Synodo generali collatione 8. can. 4. vbi inter alia ita habetur, *Si quis non confiteatur vnitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, secundùm compositionem, siue secundùm subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt, & ideò vnam eius subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Iesus Christus, vnus de sancta Trinitate, talis anathema sit.* Deinde probatur ex modo loquendi Patrum, qui vocant hoc mysterium Incarnationis *mixtionem*, *mixturam*, sic S. Gregorius Nazianzenus, sermone de Paschate, S. August. epist. 3. quæ est ad Volusianum, appellat personam Christi Domini, *mixturam Dei & hominis*, & ibidem ait Verbum Dei *esse permixtum animæ habenti corpus*: sanctus Bernardus sermone secundo in die Natiuitatis Domini vocat hoc mysterium *mixturam*, & prædictum illum sermonem inscribit *de tribus mixturis*: & ante illos omnes ipse Tertullianus libro de carne Christi capite decimo-quinto, ait Christum esse *hominem Deo mixtum*. Ad quem loquendi modum sanctus Cyprianus alludit libro de Idolorum vanitate, quando paulò ante finem explicans assumptionem humanitatis à Verbo, sic ait, *hic in Virginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur*. C VII.

Tandem probatur ratione. Prima: Illud omne est propriè compositum, quod ita verè & propriè est vnum, vt tamen, quatenus est vnum, includat duo diuersa, à se inuicem realiter distincta, & nihilominus vnita inter se. Quia ex primo notabili; compositio, sumpta propriè secundùm VIII. D

I. rationem suam genericam, nihil est aliud quàm plurium diuersorum inter se vnio, quatenus plura illa concurrunt ad constituendum aliquod vnum: atqui persona Christi Domini, quatenus includit de facto subsistentiam Verbi diuini & ipsam humanitatem, est verè & propriè quid vnū, scilicet vnus Christus, vt expresse habet Symbolum Nicænum, in quo ita profitemur, *Credo in vnum Dominum Iesum Christum*, & Symbolum S. Athanasij, *vnus est Christus, vnus assumptione humanitatis in Deum: vnus vnitate personæ: nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo, vnus est Christus:* & præterea humanitas & ipsa personalitas Verbi diuini ita sunt vnitæ inter se in Christo, vt tamen sint duo distincta & diuersa, cùm nulla ibi sit confusio, vel mixtio propriè dicta, ex eodem

II. symbolo sancti Athanasij, & ex dictis suprà contra Eutychetem: igitur persona Christi Domini est verè & propriè composita.

Secunda ratio est. Illud omne, de quo plura & distincta prædicata substantialia prædicantur in concreto, est vnum quoddam compositum: quia ex Dialecticis omnis prædicatio fundatur in aliqua identitate, & vnitate subiecti cum prædicato: atqui *esse hominem*, & *esse Deum*, *esse Filium Dei*, *esse Verbum Patris*, sunt prædicata substantialia à se inuicem distincta & diuersa, vt per se constat, quæ, vt in concreto sumpta, prædicantur de persona Christi Domini: nam hæc propositio est vera, *Christus est homo*, item hæc, *Christus est Deus*, item, *Christus est verus Filius Dei, est ipsum Verbum Dei Patris*, item, *persona Christi Domini, sumpta in concreto, est homo, est Filius Dei, est ipsum Verbum Patris diuini*; quem-

III. admodum communiter admittunt omnes Scholastici, & patebit infrà quæst. 16. de communicatione idiomatum. Igitur persona Christi Domini, vt de facto includit subsistentiam Verbi diuini & ipsam humanitatem, item provt prædicata prædicta de illa prædicantur, est persona quædam composita.

Secunda propositio. *Persona Christi Domini, quatenus reipsa includit subsistentiam Verbi diuini & ipsam humanitatem, non est composita compositione ex partibus propriè dictis, sed compositione solummodò ad modum numeri:* ita expresse sanctus Thomas hac quæstione articulo quarto, in solutione ad secundum. Prior pars probatur primo & secundo præcedentis sententiæ argumento: nam conditiones compositionis, quas hæc argumenta vrgent, habent solummodò locum in compositione illa, quæ propriè est *ex partibus*,

IV. quemadmodum patet inductione facta per omnes compositiones physicas seu naturales, quarum componentia ita sunt partes, vt mutuò sese perficiant, vna sit actus, altera potentia, vna dicat inclinationem naturalem ad aliam, & è contrà. Explicatur ampliùs, simúlque eadem pars propositionis probatur. Pars vt pars, sumpta propriè, est aliquid intrinsecè incompletum, quia pars est alicuius totius pars, & proinde cùm totum omne sit aliquid completum in suo genere, illud omne, quod propriè est pars, est, vt sic, aliquid intrinsecè incompletum: atqui personalitas Verbi, vt componens totum Christum seu totam personam Christi Domini, cum ipsa eius humanitate, non est aliquid intrinsecè incompletum, quia in se ipsa & secundùm se, est omninodè immutata, quemadmodum docuimus suprà: & proinde sicut persona Verbi, se-

A cundùm seipsam spectata, est aliquid intrinsecè completum, ita etiam vt vnita humanitati: igitur personalitas Verbi diuini in Christo Domino, vt vnita humanitati, non est propriè & præcisè loquendo pars: igitur cùm persona Christi sit & dicatur *composita*, quatenus includit personam Verbi, tanquam vnum ex suis componentibus, non erit propriè composita *compositione ex partibus*.

Neque facit in contrarium, quòd Patres aliquando dicant personam Verbi, aut diuinitatem esse *aliquam partem Christi Domini*. Vt Patres Concilij Toletani II. Nicetas ad 2. orationem S. Gregorij Nazianzeni in Pascha. Tunc enim vsurpant nomen hoc, *pars*, in ampliori & minùs propria significatione, scilicet quatenus aliquæ res integræ, perfectæ & subsistentes per se, possunt esse pars alicuius multitudinis, & numeri sine ali-

B qua sui mutatione, & etiam absque eo, quod accipiat à comparte aliquam perfectionem.

Posterior pars eiusdem propositionis probatur. Ibi est compositio ad modum numeri, vbi plura simul vnita ita componunt aliquod vnum, vt singula componentia sint impermixta, inconfusa, nullam ex hac compositione accipiant mutationem, vel perfectionem à se inuicem, nullámque habeant naturalem inclinationem in eiusmodi vnum componendum, quemadmodum patet ex secundo nostro notabili: atqui personalitas Verbi diuini & humanitas ita componunt vnum Christum, vt sint inconfusè, impermixtè, Verbum diuinum nihil effectiuè producat in ipsa humanitate, sed tantùm eam purè & simpliciter terminet, similiter humanitas nihil effectiuè producat in ipsa personalitate Verbi diuini, cùm hæc non sit in aliqua potentia passiua,

C sed sit omnino immutabilis. igitur hæc compositio personalitatis Verbi diuini cum humanitate est solummodò ad modum numeri.

Addidi in vtraque propositione hanc particulam, *quatenus reipsa & de facto includit humanitatem*, cùm enim ratio illa subsistendi, quæ est in Verbo per ordinem ad humanitatem vltimo nostro notabili explicata, possit duobus modis considerari. Primò, quatenus ipsa persona Christi, cui inest duplex illa ratio subsistendi, non includit reipsa actualem vnionem cum humanitate, sed consideratur tantùm præcisè, quatenus habet ordinē ad illam, præscindēdo tamen ab ipsa actuali vnione cum humanitate. Deinde quatenus consideratur, vt reipsa includens actualem illam vnionem. Ipsa persona Christi, priori modo considerata, non potest dici propriè esse com-

D posita, sed posteriori tantùm modo spectata, ad quod signincandum prædicta particula est à nobis addita vtrique præcedenti propositioni. Nam ibi tantùm vera & realis compositio potest esse, vbi vera & realis multitudo componentium inter se vnitorum datur, vt intelligitur ex ipsa natura compositionis explicata primo notabili: & potest ampliùs confirmari, ex eo quòd in Deo dantur plura attributa absoluta & relatiua, quorum hæc seruant inter se realem distinctionem, nec tamen ex illis fit aliquod vnum: ista verò seruant tantùm virtualem inter se distinctionē, & ex eo quòd, loquēdo propriè, non faciunt multitudinem, cùm non distinguātur realiter, nec aliquod vnū, cùm sint omninò idem in essentia diuina, nullam faciunt compositionem propriè dictam: atqui in persona Christi Domini, provt solùm includit ordinem illum ad humanitatem

V. VI. VII. VIII.

priori modo, nulla reperitur vera & realis multitudo componentium: ibi enim tantùm reperitur personalitas Verbi, & nulla alia realis entitas ab illa realiter distincta: ergo in persona Christi Domini, spectata primo illo modo, vera & aliqua realis compositio non reperitur. Deinde Concilia & Patres quando dicunt personam Christi Domini esse compositam, ita semper loquuntur, vt significent humanitatem actu & reipsa includi in ista compositione, quemadmodum videre est ex eorum testimoniis citatis pro prima propositione. Vnde sanctus Augustinus libro 13. de Trinitate capite 17. loquens de hoc mysterio, ait, *ex duabus substantiis factam fuisse vnam personam.*

ARTICVLVS III.

Tria dubia soluuntur.

CVM veritas doctrinæ superiùs traditæ, de ipsa compositione personę Christi Domini, innitatur definitionibus Conciliorum ita loquentibus de persona Christi Domini, vt vtantur voce compositi. Primò quæri potest, an sit de fide personam Christi Domini esse compositam.

Respondetur in rigore loquendi, non esse de fide, imò neque temerarium id negare, si quæstio moueatur de vera & propriè dicta compositione. Nam prior sententia nulla nota vel hæresis vel temeritatis arguitur communiter ab auctoribus nostræ sententiæ, & omnes tam prioris, quàm posterioris sententiæ auctores conueniunt in ipsa re, scilicet dari vtramque prædictam vnionem in Christo, sed tantùm disputant, vtrùm talis vtraque vnio habeat rationem veræ & propriè dictæ compositionis: & dum vnus plures, alius pauciores cõditiones ad id postulat, quemadmodum videre est apud Caietanum 1. parte quæst. 3. art. 8. & alios Interpretes tam S. Thomæ ibi, & hac quæst. quàm Magistri sententiarum libro tertio, distinctione 6. quod tamen Ecclesia nunquam definiuit, fit vt alius, conformiter ad suam explicationem veræ & propriè dictæ compositionis, affirmet personam Christi Domini esse verè & propriè compositam: è contrà alius, conformiter ad aliam explicationem veræ compositionis, quam putat esse veriorem, neget, dicátque Concilia & partes, relatos superiùs, fuisse tantùm loquutos de compositione minùs propria: præsertim cùm non curauerint ibi dissoluere quæstionem purè Philosophicam, scilicet *quæ conditiones requirantur ad compositionem propriè dictam*: sed tantùm intendeiint docere & definire, contra Eutychetem, Nestorium, & alios hæreticos, vnionem humanitatis esse factam in persona Verbi: item in vna & eadem persona Verbi diuini duas reperiri naturas, diuinam & humanam, sine vlla confusione & permixtione, sed seruatis omnibus proprietatibus vtriusque naturæ.

Ex quibus omnibus sequitur tantùm, nostram sententiam, affirmantem personam Christi Domini compositam, esse veriorem negante: vtpote quę fundatur, & in modo loquẽdi Patrum, quos minùs propriè esse loquutos non debemus asserere sine graui causa, quæ hìc non ita apparet, & quòd etiam nostræ illæ propositiones fundentur in conditionibus sufficientibus ad veram compositionem, quemadmodum intelligitur tam ex primo nostro notabili, quàm ex rationibus nostrarum propositionum.

Quæres secundò, cùm ex dictis tam hìc, quàm supra contra Nestorium, humanitas Christi Domini subsistat subsistentia Verbi diuini, an personalitas Verbi, ratione istius muneris, possit appellari persona humana. Respondetur primò, *personalitatem Verbi diuini nullo alio ei addito, quo significetur sustentare actu naturam humanam Christi Domini, non posse dici personam humanam.* Ratio est, quando aliquid in se & secundùm se consideratum est purè & simpliciter tale, tunc vt alia denominatio isti aliquo modo opposita tribuatur ei ratione alicuius sibi adiuncti, debet aliqua particula ad id denotandum addi: alàs propositio simpliciter enunciata erit falsa: verbi gratiâ, Æthiops est simpliciter & absolutè niger, quia tamen dentes habet albos, non potest sic simpliciter enunciari, Æthiops est albus, sed sic, Æthiops est albus dentes: atqui persona Christi Domini simpliciter & secundùm se considerata est personalitas Verbi diuini sustentantis naturam diuinam: ergo vt ratione humanitatis sibi vnitę dicatur & denominetur humana, debet aliqua particula addi eiusmodi loquendi formulæ.

Secundò respondetur, personam Christi Domini, seu personam Verbi vt sustentantis naturam humanam, posse aliquo sensu appellari *personam humanam*, sumpta hac denominatione *ab officio & munere*, quod exercet circa naturam humanam Christi Domini: quatenus scilicet facit in illa, quod humana & propria talis naturæ personalitas præstaret: vnde licèt non sit entitatiuè humana, quia tamen, vt tertio notabili exposuimus ex sancto Thoma, habet duas rationes subsistendi, quæ etiam specificantur ab iis naturis quas terminat, sit vt, cùm personalitas Verbi diuini in Christo Domino terminet ipsam eius humanitatem, possit à tali officio appellari *personalitas humana*, ad distinctionem illius sustentationis, quam præstat diuinitati, cuius etiam est propria personalitas: & quamuis iuxta hanc explicationem possit appellari humana persona, similiter etiam, quatenus terminus hic *persona*, sonat tantùm aliquod subsistens compositum ex humana natura & aliqua subsistentia, non determinando conditionem entitatis eiusmodi subsistentiæ, non potest tamen appellari *persona hominis*: quia homo ex modo suo significandi importat aliquod suppositum, quemadmodum docent Dialectici, & sic significaretur, vel quod assumitur & terminatur hypostaticè à persona Verbi diuini, esse iam suppositatum propria & creata subsistentia hominis, quod est incidere in hæresim Nestorij: vel esset significare humanitatem assumptam à Verbo habuisse antea suum proprium & creatum suppositum, quod est contra omnes Patres & Theologos. Vnde si qui Patrum aliquando dicant Christum hæc & ista dixisse vel fecisse secundùm *personam hominis, & non secundùm personam Dei*, tunc sunt explicandi, quatenus mens illorum est, solummodò asserere Christum, secundùm naturam humanam à Verbo diuino terminatam, id dixisse vel fecisse, & velint personam Christi appellari etiam personam hominis, quatenus *persona hominis idem sonat, ac subsistens in natura humana*, & proinde cùm Christus verè & propriè sit homo, verè & propriè etiam subsistat in natura humana, personam eius

I. appellari personam hominis, sicut potest etiam rectè appellari persona Dei ; cùm Christus sit etiam Deus, & Christus sumptus pro supposito, subsistat etiam in natura diuina. Quòd autem persona hominis assumpserit vel acceperit formam serui seu humanitatem, non videtur verum in rigore loquendi, ob superiùs dicta : ideóque aliqui notant locum S. Ambrosij epistola 40. quo refertur ita esse loquutus, mendosum esse & legendum esse, in persona Dei formam serui accepit, quamquã in ista epistola nihil tale reperitur.

Quæres tertiò. An persona Christi Domini possit purè & simpliciter dici composita : item Filius Dei seu Verbum diuinum possit simpliciter & absolutè dici persona composita.

Primò respondetur, has propositiones, *Christus est persona composita*, item, *persona Christi est composita*, II. posse purè & simpliciter admitti : tum quia fundantur in modo loquendi Conciliorum & Patrum ; tum etiam quia compositio, importata tali propositione, tribuitur tantùm personæ, vt est persona Christi : hoc enim tantùm modo considerata est subiectum istarum enuntiationum : atqui hoc modo persona Christi verè est composita, quemadmodum suprà ostendimus, & Christus, vt Christus, dicit duas naturas diuinam & humanam, eadem subsistentia Verbi diuini subsistentes, & similiter aliquod compositum ex humanitate & subsistentia Verbi diuini : igitur prædictæ illæ propositiones possunt purè & simpliciter admitti. Quia verò iuxta vsum plurium satis communem nomen hoc, *compositio*, sumitur pro ea compositione, quæ propriè est *ex partibus*, consilium Caietani & nonnullorum sancti Thomæ Interpretum non videtur contemnendum, scilicet III. optimum esse in eiusmodi propositionibus aliquam addere particulam, qua hæc compositio denotetur carere omnibus illis imperfectionibus, quæ solent communiter reperiri in aliis compositionibus.

Secundò respondetur, has propositiones, *Filius Dei est compositus: Verbum diuinum est persona composita*, hoc modo purè & simpliciter, sine vllo alio addito, non esse purè & simpliciter concedendas : quia in tantum Verbum est persona composita, vel Filius Dei est compositus, in quantum actu & reipsa includit veram aliquam multitudinem : id enim requiri ad veram compositionem, patet ex primo nostro notabili : at Verbum diuinum simpliciter enunciatum, item Filius Dei simpliciter enunciatus, est aliquid maximè simplex, nullam, sub istis terminis præcisè sumptis, multitudinem importans, IV. sed nudam & simplicem personalitatem secundæ personæ Trinitatis, vt terminantis naturam diuinam, vel in concreto solam secundam personam Trinitatis, vt est diuina persona, tam in officio sustentandi, quàm in sua entitate. Vnde sensus prædictarum propositionum esset, compositionem istam conuenire Filio Dei ratione suæ filiationis, & Verbo diuino, quatenus est Verbum Dei : quia attributum in enunciatione, afficit subiectum, eo modo quo ponitur in illa. Hinc cùm *Filius Dei*, *Verbum diuinum* sint subiectum istarum enunciationum, & illud simpliciter positum supponat, provt præcisè est secunda persona Trinitatis, significaretur persona Verbi, seu Filium Dei, secundùm præcisam rationem diuinæ filiationis, esse aliquid compositum, esse personam compositam, quod tamen est falsum.

A

ARTICVLVS IV. V.

Soluuntur rationes sententiæ negantis.

PRIMA est. Ad rationem compositi oportet totũ resultare aliquod, quod sub vna totali forma contineat omnia, quæ sunt in toto composito, cuiusmodi nihil est in persona Christi Domini quocumque modo considerata.

Respondetur negando Maiorem. Nam ad rationem veræ & propriæ dictæ compositionis sufficit, quòd compositum ita comprehendat in se ipso omnia sua componentia, vt tamen simul vnita constituant aliquod vnum, quemadmodum videre est in illa compositione metaphysica, quæ fit ex natura & propria sua subsistentia. Deinde potest responderi, (sumendo nomen formæ in ampliori significatione pro eo, quod aliquo modo habet rationem formæ & actus, quatenus imitatur illam) dari talem formam B VI. in persona Christi Domini, vt includente ipsam personalitatem Verbi diuini & humanitatem, quæ forma, vt sic, cõprehendit omnia cõponentia quæ sunt in toto Christo tanquã composito, scilicet subsistentiam Verbi diuini quæ facit subsistere totum quod est in Christo Domino.

Secunda ratio est. In vera compositione vnum extremum habet rationem actus, alterum potentiæ : item vnumquodque extremum habet rationem partis, comparatione totius compositi, & sese mutuò perficiunt, dependent à se inuicem, habent naturalem inclinationem ad se inuicem : at ratio partis, & perfectibilis, vel etiam actus, non potest competere diuinæ personalitati respectu humanitatis : cùm sanctus Augustinus libro 3. contra Maximinum capite primo dicat Deum nullius rei posse esse partem, & C sanctus Thomas primâ parte, quæstione tertia VII. dicat Deum non posse venire in compositionem ex eius personalitatibus, quippè quæ sit individua & incommunicabilis per modum formæ vel partis, nec potest habere inclinationem naturalem ad naturam humanam, quia sic esset eiusdem ordinis, & aliqua ratione dependeret ab illa : quæ omnia sunt absurda. Respondetur, totum quod in eo affertur, procedere de ea tãtùm cõpositione, quæ propriè *fit ex partibus*, iuxta secundum nostrum notabile, qualis non est præsens compositio personæ Christi Domini.

Tertia ratio est. Compositum exurgit ex componentibus, atqui ipsum esse personale Christi Domini non resultat ex vnione Verbi ad humanitatem, quia istud esse personale Christi Domini est æternum & ab æterno.

Concessa Maiori, respondetur ad eius Minorem, ipsum esse personale Christi Domini posse D VIII. considerari duobus modis. Primò *secundum se*, & suam entitatem præcisè : deinde *provt est duarum naturarum, diuinæ & humanæ simul*, seu secundùm duplicem rationem subsistendi quam habet, vt animaduertimus ex S. Thoma vltimo nostro notabili. Si ipsum esse personale Christi Domini spectetur priori modo, nullomodo resultat ex ipsa vnione Verbi diuini ad humanitatem : si autem posteriori modo spectetur, resultat, & vt sic, seu sub hac præcisa cõsideratione, non est ab æterno : quia tale esse personale, vt sic spectatum præcisè, fundatur in reali vnitione & vnione Verbi ad humanitatem, quæ vnitio & vnio est facta tantùm in tempore, sicut & ipsum mysterium Incarnationis dicitur ab Apostolo factum in plenitudine temporis.

ARTICVLVS V.

Vtrum mediata vnio diuinitatis cum humanitate, in persona Verbi, sit quædam compositio.

QVI secundo præcedenti articulo secuti sunt partem negantem consentaneè ad suam doctrinam, hîc etiam negantem amplectuntur: sed quemadmodum ibi prætulimus ei partem affirmantem, sic conformiter ad illam sit nostra præsens propositio.

Mediata vnio duarum naturarum diuinæ & humanæ, in vna & eadem personalitate Verbi diuini, est vera quædam compositio. Probatur 1. ex 6. Synodo generali, in qua duæ epistolæ Agathonis sunt receptæ, actione 4. in quarum posteriori summus Pontifex loquens de duabus naturis in Christo Domino existentibus, ita circa medium epistolæ ait, *Ex quibus inconfusè, inseparabiliter, & incommutabiliter est compositus*, scilicet Christus; & in 5. Synodo generali collatione 8. canone 7. vbi est sermo de duabus naturis existentibus in Christo, Christus Dominus dicitur esse *compositus ex illis*: item ex Patribus, sancto Damasceno libro 3. de fide Orthodoxa capite 4. sancto Gregorio homilia 38. in Euangelia. Tandem probatur ratione: vbi duo realiter distincta coniunguntur in aliquo ad constituendum vnum, manéntque in illo vno, ibi illud vnum est compositum ex illis, ex 1. notabili nostri primi articuli: atqui in Christo Domino duæ naturæ, diuina & humana, realiter à se inuicem distinctæ coniunguntur in personalitate Verbi diuini, & vnum tantùm constituunt Christum, Deum-hominem, quemadmodum patet ex citatis testimoniis articulo secundo: igitur in Christo Domino est vera compositio ex duabus naturis, diuina & humana, in ipsa personalitate Verbi diuini.

Addidi in propositione hanc particulam, *quasi resultans*, quia si hæc posterior compositio conferatur cum priori, explicata 2. articulo, est tantùm *mediata & minùs principalis* in hoc mysterio: magis enim *principalis & immediata est compositio personæ diuinæ cum humana natura*, ad instar compositionis creatæ personalitatis cum sua natura. Vnde de hac Concilia, & Patres expresè loquuntur, eámque vocant *hypostaticam, personalem*, & cæteris id genus nominibus: alia verò est tantùm mediata & sequens ex illa priori, quatenus persona Verbi sumpta in concreto dicit rationem hypostaticam & diuinam naturam, quæ nullam habent à se inuicem realem distinctionem. Vnde eo ipso quo ex eius personalitate sumpta in abstracto, secum tamen aduchente, seu potiùs habente diuinam naturam, & ex tota ipsa humanitate constituitur vnus Christus, fit vt quia duæ illæ naturæ sese simul reperiunt ab eadem personalitate Verbi terminatas, dicantur inducere ex consequenti aliam compositionem in Christo, scilicet ex duabus illis naturis, vt in eadem simplicissima personalitate diuini Verbi subsistentibus, ideóque vt posterior hæc compositio non includatur in priori, nomen hoc persona, dum est sermo de priori compositione, non debet sumi in concreto, id est, pro toto illo quod constituitur ex naturâ diuinâ & personalitate, sed in abstracto: quia aliàs hæc posterior compositio includeretur in priori, sicut natura diuina includitur in persona diuina sumpta in concreto. V.

ARTICVLVS VI.

Fundamenta negantis sententiæ soluuntur.

PRIMVM fundamentum est. Licèt personæ diuinæ distinguantur à se inuicem realiter, & vniantur in natura diuina, non propterea tamen componunt aliquod vnum: ergo licèt duæ illæ naturæ diuina & humana vniantur in eadem subsistentia Verbi diuini; non propterea tamen component aliquod vnum.

Respondetur negando antecedens, ea parte quâ dicit personas diuinas inter se vniri in essentia diuina: non enim vniuntur, cùm vt sic nõ sint multæ aliquæ entitates à se inuicem distinctæ, VI. sed tantùm identificantur, quemadmodum docuimus agẽdo de mysterio Trinitatis. Vnde omnes diuinæ personæ sunt quid vnum in essentia diuina, *non per aliquam vnionem, sed verè & propriè per identitatem*: quia in diuinis omnia sunt vnum & idem, inter quæ non est relatiua oppositio; nec obstat quòd diuinæ personæ ad se inuicem comparatæ distinguantur realiter, quia tantum abest vt sic spectatæ, constituant aliquid vnum ex pluribus inter se vnitis, quin potiùs vt sic opponuntur inter se: at in præsenti mysterio humanitas est vnita Verbo per compositionem, & ex consequenti diuinitas: sicque inter diuinitatem & humanitatem, tanquam membra componentia, datur distinctio & vnio, itavt ex vtraque natura sic vnita, vna tantùm resultet persona, quæ tamen est virtute duplex, seu sese habet ad instar duarum, quatenus scilicet subsistit in VII. diuina natura, est diuina, quoad munus & entitatem: quatenus verò subsistit in humana, est quoad munus humana, licèt quoad entitatem sit diuina. Atque hoc potest aliqua ratione explicari exemplo rami qui inseritur trunco arboris. Vt enim insertio immediatè vnit ramum cum trunco, mediatè verò illum vnit cum aliis ramis eiusdem trunci, ita vt idem numero truncus sustentet duos ramos, & duo rami copulentur inter se in vno trunco: sic etiam, secundùm aliquam analogiam, in præsenti mysterio ratione vnionis hypostaticæ, humanitas vnitur immediatè personalitati Verbi diuini, mediatè verò naturæ diuinæ, quæ ab eadem personalitate Verbi diuini sustentatur, & ita duæ illæ naturæ diuina & humana copulantur inter se in eadem personalitate Verbi diuini.

Secundum fundamentum est. Omne compositum est ipsa sua componentia simul sumpta, sicut omne totum est reipsa & de facto suæ partes simul sumptæ; verbi gratiâ, homo est anima & corpus coniuncta: atqui Christus Dominus non est sua diuinitas & humanitas simul sumpta; nam in Concilio Constantiensi, sessione 14. art. 4. inter errores Ioannis Hus hæc propositio recensetur, *Duæ naturæ diuinitas & humanitas sunt vnus Christus*. Confirmatur: quia hæc propositio hæretica inde sequitur, diuinitas est diuinitas & humanitas simul sumptæ. Quæ consequentia sic probatur. Christus est diuinitas & humanitas, atqui Christus est diuinitas, ergo diuinitas est diuinitas & humanitas simul, cùm ea quæ sunt eadem vni tertio, illa etiam sint eadem inter se. VIII.

Respondetur, concessa Maiore (si ipsa com-

I. ponentia sumantur formaliter, seu quatenus sunt de facto inter se vnita) ad eius Minorem: respondetur illam eodem modo & sensu acceptam etiam esse veram; nam plerique Patrum illam habent, S. Augustinus in Enchiridio cap. 38. *Vtraque substantia*, inquit, *diuina & humana Filius est vnicus Dei Patris omnipotentis*, quod etiam similiter habet tract. 78. in Ioannem. S. Leo epistola 11. ad Iulianum: *Cur*, inquit, *inconueniens aut impossibile videatur, vt Verbum & caro & anima sint vnus Iesus Christus, & vnus Dei hominisque sit Filius.* S. Damascenus lib. 3. de fide Orthodoxa capite 19. *Duæ naturæ*, inquit, *vnus Christus est, & vnus Christus duæ naturæ.* S. Bernardus lib. 5. de consideratione ad Eugenium paulò post medium, & Patres 4. Concilij Arelatensis canone 1. & aliqui alij ex Scholasticis eam admittunt, Gregorius Ariminensis in

II. primum Sententiarum distinct. 28. quæst. 2. in responsione ad 12. & recentiores communiter ad hanc quæstionem S. Thomæ, fatentur illam esse veram in sensu identico.

Cui responsioni non obstat quòd obiicitur ex Concilio Constantiensi. Nam hîc admittitur tantùm *in sensu composito*, seu quatenus omnia illa componentia Christum, sumuntur vt vnita, quemadmodum patet tam ex dictis de hac compositione, quàm ex relatis auctoritatibus Patrum: *& non in sensu diuiso*, quasi quodlibet eiusmodi componentium, sumptum seorsim ab aliis, sit ipse Christus totus: in quo tamen sensu diuiso fuit tantùm condemnata à prædicto Concilio Constantiensi. Nam Ioannes Hus, qui ibi condemnatur, volebat Christum esse naturam humanam seorsim sumptam ab ipsa diuinitate, si-

III. militer Christum esse diuinitatem seorsim sumptam ab humanitate, sequebatur enim errorem Vvicleffi, vt intelligitur ex Concilio Constantiensi. Vvicleffus autem, vt est apud Valdensem lib. 1. doctrinalis fidei cap. 42. admittebat istas propositiones vt veras *in sensu diuiso*. quo modo acceptæ sunt hæreticæ, cùm sint ad mentem ipsius Eutycheris. Et præterea falsitas huius propositionis in sensu diuiso patet, ex eo quòd humanitas est nomen abstractum, quod positum in propositione facit sensum formalem, ideóque non potest prædicari de Christo, qui est aliquod concretum: tunc enim sensus esset, Christum, præcisè & formaliter sumptum, esse humanitatem, quod est hæreticum: at homo est concretum, & concretum benè prædicatur de concreto: nam significat vnionem attributi cum subiecto, & idem esse suppositum vtriusque naturæ, quod est verissimum secundùm fidem. Vnde

IV. quando Christus dicitur *esse caro* à sancto Augustino tract. 47. in Ioannem, nomen *hoc caro*, sumitur synecdochicos pro toto homine, ad modum loquendi satis familiarem sacræ Scripturæ, vt initio huius partis animaduertimus.

Ad confirmationem negatur id, quod infertur sequi ex nostra sententia: ad cuius consequentiæ probationem respondetur, illam esse vitiosam, quatenus terminus iste, *Christus*, alio modo sumitur in maiori, & alio in minori; sicque, vt vulgo dicunt Dialectici, variatur appellatio: nam in maiori hic terminus, *Christus*, supponit pro Christo sumpto secundùm vtramque naturam vnitam in subsistentia Verbi diuini, in minori verò sumitur pro Christo, secundùm solam diuinitatem: iuxta quam considerationem Christus, seu subsistentia Verbi diuini & natura diuina

A identificantur inter se, & potest dici deitas.

Sed contra hanc responsionem obiicies. Si hæc propositio, *Christus est diuinitas & humanitas simul sumptæ*, est vera, sequi diuinitatem & humanitatem esse passas pro nobis. quod sic ostenditur, Christus est diuinitas & humanitas simul sumptæ, sed Christus est passus pro nobis, ergo diuinitas & humanitas simul sumptæ passæ sunt pro nobis: at dicere diuinitatem esse passam pro nobis, est hæreticum, ergo prior illa propositio non videtur esse vera.

Respondetur, consequentiam istam non esse legitimam, quia procedit *à sensu materiali & identico ad sensum formalem*, sicque variatur ipsa appellatio terminorum: nam sensus maioris propositionis est, diuinitatem & humanitatem vt simul sumptas esse Christum *identicè*, vel è contrà, Christum esse identicè diuinitatem &

B humanitatem vt vnitas inter se, quo modo propositio est vera, vt iam ostendimus: at quando in consequente seu in conclusione dicitur, ergo diuinitas & humanitas simul iunctæ sunt passæ, diuinitas & humanitas sumuntur in sensu formali, itavt sensus sit, formale principium passionis in Christo Domino non tantùm fuisse ipsam eius humanitatem, sed etiam ipsam eius diuinitatem, quod secundum est hæreticum: & quando in minori propositione prætensæ istius probationis (atqui Christus passus est pro nobis) nihil aliud significatur, quàm quòd persona seu suppositum Christi materialiter loquendo sit passum, non quidem recipiendo in se præcisè formaliter passionem, sed in ea humanitate quam sustentat hypostaticè. Nam vt docent Dialectici, concreta posita in subiecto propositionis, solent sumi pro

C supposito & materialiter. Vitium autem huius probationis potest ostendi hoc exemplo: diuina voluntas est intellectus, Pater voluntate spirat, ergo Pater intellectu spirat: quæ consequentia secundùm omnes Theologos est falsa, ob prædictam mutationem appellationis terminorum, quatenus à sensu identico procedit ad sensum formalem.

Tertium fundamentum est. Omne compositum est perfectius quouis altero suorum componentium, quia omne compositum semper includit aliquid amplius, quàm includat vnum ex suis componentibus sumptum solitariè: atqui Christus Dominus compositus ex diuinâ naturâ & humanâ, non est aliquid perfectius ipsâ diuinâ naturâ solitariè sumptâ, quia creaturæ nihil perfectionis possunt addere ipsi diuinæ essentiæ, vt quæstione quartâ primæ partis omnes Scholastici docent.

D Respondetur Maiorem eius esse tantùm veram de composito *ex partibus*, cuiusmodi non est Christus. Deinde respondetur distinguendo Maiorem, scilicet aliquid posse duobus modis esse altero perfectius, primò *intensiuè*, deinde *extensiuè*: totum Christum non esse perfectiorem intensiuè, quàm integra natura Verbi diuini sit perfecta, cùm quicquid est perfectionis in natura humana, reperiatur etiam secundùm aliquod esse eminentius in diuina: loquendo tamen de extensiua perfectione, totum Christum esse aliquid perfectius ipso Verbo vel natura diuina, quia Christus includit in se ipso formaliter humanitatem, & proinde aliquam perfectionem, quam Verbum diuinum secundùm se sumptum, vel etiam natura diuina seorsim & secundùm se spectata non includit sub hac formali ratione.

V. VI. VII. VIII.

I. Quartum fundamentum est. In omni vero & propriè dicto compositio ipsa componentia miscentur inter se, & ex mixtione illorum inter se aliquod tertium resultat: atqui in Christo Domino, vt constante diuinâ & humanâ naturâ, duæ illæ naturæ manent inconfusæ, impermixtæ, quemadmodum docuimus contra Eutychetem: ergo vnio duarum eiusmodi naturarum in subsistentia Verbi diuini non potest esse vera aliqua compositio. Respondetur, Maiorem eius esse tantùm veram de compositione *quæ fit ex partibus verè & propriè dictis*, non autem de illa quæ tantùm *est ad modum numeri*, vt patet ex dictis suprà, qualis est compositio Christi Domini & personæ eius.

ARTICVLVS VII.

II. *Vtrùm vnio animæ & corporis in Christo Domino sit compositio.*

SIT hæc nostra propositio: *Hæc vnio est in Christo Domino vera quædam & propriè dicta compositio:* est contra Dominicum à Soto, qui in sua Logica ad prædicamentum substantiæ quæstione primâ negat hanc propositionem, *Christus est compositus*, esse purè, simpliciter, & absque aliquo addito concedendâ. Probatur 1. verus homo est verè & propriè compositus ex materia & forma, corpore & anima, quemadmodum omnes Philosophi communiter docent: atqui secundùm fidem Catholicâ Christus Dominus est verus homo verè & propriè dictus: igitur Christus Dominus verè & propriè est compositus ex corpore & anima, & ex consequenti vnio animæ eius cum suo corpore est vera & propriè dicta III. compositio. Deinde probatur ex Lateranensi Concilio, & refertur capite *Firmiter*, quod admittit istam propositionem sine vlla limitatione; sic enim ait de Christo, *Verus homo factus ex anima rationali, & humana carne compositus.* Vltimò probatur istud attributum, *compositus ex materia & forma* appellat ad se subiectum, vt Dialectici loquuntur, id est determinat eius significatum, vt supponat pro Christo tanquam homine: ergo prædicta propositio est purè, simpliciter & sine vlla limitatione admittenda.

DISPVTATIO VI.

De termino actionis vnitiuæ humanitatis cum Verbo.

IV. ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm aliquis terminus detur.

NOTANDVM est nomen hoc *vnio hypostatica* posse sumi tribus modis: Primò, *pro actione*, quâ humanitas fuit vnita personæ Verbi. Deinde *pro illa coniunctione*, quâ humanitas Christi Domini post talem actionem manet actu & reipsâ vnita personæ Verbi, quæque vnio nunquam dissoluetur. Tertiò sumitur *pro relatione*, quæ ex tali vnitione resultat inter extrema sic vnita inter se. In præsenti articulo sumitur primo modo, quâ ratione ad distinctionem duarum aliarum considerationum eius vocatur vnitio, éstque à tota A Trinitate (sicut & omnis vera & propriè dicta actio ad extra) quemadmodum Concilium Lateranense, & refertur capite *Firmiter*, Extrau. *de summa Trinitate & fide Catholica.* Item Toletanum 6. cap. 1. & S. Augustin. libro 1. de Trinitate capite 4. & in Enchiridio capite 38. tradunt. & facilè intelligitur ex modo loquendi Patrum, & Scripturæ de hoc mysterio, dum vtuntur hoc verbo *facere*, & aliis similibus: Ioannis primo, *Verbum caro factum est*: item dum dicunt hanc vnionem esse factam, vt in 5. Synodo actione 8. in 6. Synodo actione 4. cùm ergo hæc vnitio sit vera actio, & hoc mysterium sit factum, quæritur an per hanc vnitionem aliquid sit factum in ipsa humanitate, ratione cuius hæc humanitas sit mutata & vnita Verbo, quódque sit formalis terminus, seu forma illa, quâ mediante totalis & vltimus ille terminus, scilicet *Christus, Deus-homo, Verbum, subsistens in humanitate*, complectur. VI.

Quæ de re variæ sunt Theologorum sententiæ: Prima est Gregorij Ariminensis in primum Sententiarum distinctione 28. quæstione 2. articulo 1. in solutione ad decimum-septimum, quam hîc sequuntur Gregorius à Valentia disputatione 1. quæstione 2. puncto 5. Aluares hac quæstione, articulo 7. disputatione 13. primâ suâ conclusione, quæque videtur esse Caietani hac quæstione, & nonnullorum aliorum, tam Thomistarum, quàm Nominalium, scilicet per hanc actionem vnitiuam nihil fuisse productum in humanitate distinctum ab ea, quo vnitetur ipsi Verbo diuino: ideóque terminum formalem huius vnionis nihil esse aliud, quàm partes ipsas vnitas, quatenùs seipsis formaliter, & nullo alio intermedio sunt vnitæ, seu esse ipsam naturam humanam, & personam Verbi, non quomodocunque, sed vt natura humana dependet à personalitate Verbi, tanquam à termino substantiali, qui sua perfectione suppleat vim subsistentiæ creatæ. VII.

Quòd si quæratur ab authoribus istius sententiæ, in quo consistat mutatio facta per hanc actionem in humanitate, cùm vtrumque extremum iam præexisteret: Arminensis eam constituit in eo quòd Verbum diuinum, vbi vnitur sibi naturam humanam, factum est homo, ante cuius vnionem non erat homo; & si nunc eam derelinqueret, etiam desineret esse homo: Gregorius autem à Valentia, in eo quòd vnaquæque res creata, vt est existens, dicat intrinsecum ordinem ad tempus, & pro diuersitate temporis quo existit, sese habeat aliter atque aliter, & proinde mutetur: natura autem humana, vt existens, D fuit terminata à Verbo, & ex consequenti quia VIII. diuersis temporibus, quibus illa exitit, Verbum diuinum posset vno tempore illam dimittere, & alio eam sibi vnire: ideò dicetur mutata humanitas per vnitionem sui ad Verbum. Aluares denique & alij in eo constituunt mutationem humanitatis, quod cùm anteà non haberet esse personale Verbi diuini, acquisiuit illud per vnionem.

Sit hæc propositio nostra. *Per hanc actionem vnitiuam humanitatis ad personalitatem Verbi diuini aliquod producitur in illa, quod ab ea est aliquâ ratione distinctum.* Ita Scotus, Durandus, Gabriel eorúmque discipuli locis infrà citandis, & plures recentiores sancti Thomæ Interpretes ad hanc quæstionem. Probatur primò: repugnat dari aliquod facere, vel producere, & nul-

I. lum dari fieri & produci, quia facere & fieri, producere & produci sunt correlata: atqui vnitio hypostatica est quædam effectio, seu actio productiua: nam de illa istud Ieremiæ 31. intelligitur, *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum.* & illud Ioannis primo, *Verbum caro factum est.* Ergo aliquis terminus debet dari qui fiat per illam: at iste terminus non potest esse humanitas, quia præsupponitur existens, cùm dicatur assumi, & quod assumitur debet existere. Item, non potest esse Verbum diuinum, vel eius personalitas, quia nihil eius est factibile, & prætereà iam existit ab æterno: ergo aliquid aliud distinctum ab vtroque hoc extremo producitur per hanc actionem vnitiuam, & ad hanc nostram rationem hæc aliorum sequentium nostram propositionem ratio reuocatur, scilicet, impossibile est vt duo, quæ II. secundùm se non sunt vnita, incipiant esse vnita, nisi aliqua mutatio fiat in altero eorum, idque per actionem positiuam: atqui humanitas & Verbum sunt duo, quæ priùs natura quàm vniuntur non erant secundùm se vnita. Deinde per hanc actionem vnitiuam incœperunt esse vnita: ergo aliqua mutatio debet fieri in aliquo eorum, non in Verbo, quia Verbum est immutabile: ergo in ipsa humanitate.

A ci per actionem vnitiuam illorum inter se. V.

Dices, humanitatem consideratam iuxta potentiam ordinariam & naturalé, esse diuersi ordinis à personalitate Verbi, nec ad illam, vt sic, habere habitudinem: at iuxta potentiam suam obedientialem passiuam esse eiusdem ordinis, scilicet supernaturalis, & ad eam habere habitudinem vt terminetur: ideóque cùm vnio hypostatica fiat secundùm hanc obedientialem potentiam humanitatis respectu Verbi diuini, non esse opus aliquo formali termino, qui per talem actionem producatur in humanitate.

Sed neque hæc solutio frangit vim nostræ rationis. Nam potètia ista obedientialis quæ est in humanitate, tam benè respicit personalitatem Patris vel Spiritus sancti, quàm personalitatem Verbi diuini, & est ex se indifferens ad quamlibet subsistentiam diuinam in particulari: ergo vt B reuocetur potiùs ad actum per subsistentiam Verbi diuini, quàm per subsistentiam Patris vel Spiritus sancti, aliquid debet produci in humanitate per actionem vnitiuam. VI.

Dices, cùm humanitas secundùm potentiam obedientialem esset indifferens, vt fieret dependens vel à personalitate Filij, vel Patris, vel Spiritus sancti, nunc per actualem sui vnionem ad solam personalitatem Verbi fieri dependentem à sola personalitate Verbi. Sed contrà sic argumentamur: illud quo humanitas fit dependens à sola personalitate Verbi vel est aliquid distinctum à Verbo & humanitate, vel non: si est aliquid distinctum: ergo cùm anteà non esset, fit per hanc actionem, & proinde aliquis terminus formalis huius actionis datur: si non est aliquid distinctum à Verbo & humanitate, qui fieri potest vt ambo illa extrema dicantur sibi inuicem vnita, cùm idem manens idem, non faciat nisi idem, anteà verò non essent vnita. Deinde actualis illa vnitio humanitatis ad Verbum, seu ad solam personalitatem Verbi, vel dicit solam & nudam indistantiam humanitatis, tanquam alicuius extremi ab ipsa personalitate Verbi, vt altero extremo, ex qua indistantia resultet in ipsa humanitate dependentia à personalitate Verbi: vel dicit aliquid aliud in illa, quo licèt sit atque indistans ab aliis personis diuinis, fiat tamen vnita personalitati Verbi, & non aliis: primùm dici non potest, quia Verbum diuinum est maximè indistans à nobis omnibus, vt ipsa fides docet; neque propterea tamen sumus vniti hypostaticè Verbo. Adde quòd talis indistantia est communis omnibus personis diuinis, quia fundatur in attributo absoluto diuinæ immensitatis, nec tamen omnes diuinæ personæ IV. sunt hypostaticè vnitæ humanitati: ergo actualis vnitio humanitatis ad Verbum non dicit nudam indistantiam humanitatis ad personalitatem Verbi diuini: ergo dicit aliquid aliud in ea: ergo cùm istud aliud fiat per hanc actionem in humanitate, aliquis terminus formalis dabitur productus per eam in humanitate. C III. VII. D VIII.

Dices tertiò, humanitatem Christi Domini ex suis indiuiduantibus principiis habere ordinem intrinsecum, & esse positiuè determinatam ad subsistendum personalitate Verbi diuini: vnde nullo alio sibi, vt sic spectatæ, superaddito indiget, ratione cuius assumatur potiùs à Verbo diuino, quàm à Patre, aut Spiritu sancto.

Verùm hæc responsio refellitur, primò ex sancto Thoma præsenti quæstione, articulo 12. & ex iis quæ ibi à Theologis communiter tradun-

Articvlvs II.

Variæ responsiones ad fundamentum nostræ præcedentis sententiæ refelluntur.

Varii variè respondent: in primis Aluares loco superiùs citato, *Actiones esse in duplici differentia*, alias *productiuas sui termini*, alias verò *tantùm vnitiuas*: in prioribus semper dari aliquem terminum formalem qui producatur per illas: in posterioribus minimè, vt pòtest constare in multis rebus naturalibus: verbi gratiâ, in vnione animæ ad corpus, formæ ad materiam, partium aquæ ad sese inuicem, quæ seipsis immediatè sine alia entitate intermedia de nouo producta vniuntur inter se. Vnde cùm hęc actio, de qua hìc disputamus, sit tantùm vnitiua, non postulat terminum qui per illam producatur.

Verùm refellitur hæc solutio: nam primò multi ex Philosophis docent, in vnione animæ ad corpus aliquem modum produci. Deinde quicquid sit de ista re, hac etiam distinctione actionis admissâ, adhuc non satisfit nostræ rationi per illam: nam ad summum tunc solummodò nihil producetur per actionem vnitiuam extremorum inter se, quando ambo extrema sunt eiusdem ordinis, & habent ex sua natura ordinem intrinsecum ad se inuicem, vt in exemplis allatis, in quibus vnum extremum postulat sua natura alterum sibi vniri: at quando ambo extrema sunt diuersi ordinis, nec habent ex natura sua ordinem intrinsecum ad se inuicem, tunc vt vniantur inter se, & ex illis aliquod vnum fiat, aliquis terminus debet produci, quo quæ anteà erant longè à se inuicem & inter se dissita, vniantur: aliàs licèt possint intelligi approximata, & à se inuicem indistantia, non tamen vnita inter se, præsertim aliquo subsantiali, si extrema illa sint subsantiæ: at in præsenti vnitione membra vnita sunt ordinis omninò diuersi, nec habent intrinsecum ordinem ad se inuicem, vt satis per se intelligitur: ergo vt vniantur inter se in esse substantiali, aliquis terminus formalis debet produ-

I. tur. Deinde reiicitur speciatim his rationibus. Prima, nihil ordinis purè naturalis habet positiuè ordinem intrinsecum ad aliquid ordinis purè & simpliciter supernaturalis: iam enim desineret esse beneficium aliquod gratuitum, quale est donum omne supernaturale collatum à Deo creaturæ; quinimò ratione talis intrinsecæ habitudinis in ipsa creatura, induceret in Deo obligationem ad illud ei dandum vt consideratæ secundùm pura sua naturalia principia indiuiduantia, sicque ratione talis debiti esset loquendo absolutè ordinis naturalis: sicut quia corpus informatum vltimâ dispositione habet ordinem intrinsecum ad animam rationalem, quæ tamen à solo Deo creatur, censetur esse ordinis purè naturalis: sed ipsa Christi Domini humanitas sumpta secundùm se in indiuiduo, & ex præcisa consideratione eorum quæ ei competunt, quatenùs est hæc & singularis, est ordinis

II. purè naturalis; nunc enim à Verbo assumpta est eadem numero quæ esset, si illam in puris naturalibus constitutam assumpsisset, & quæ esset, si illam relinqueret, sicut & nostra natura, vel etiam angelica est eadem, non tantùm specie, sed etiam in indiuiduo, in vnoquoque nostrûm, vel in quolibet Angelo singulari, quæ erat ante receptam gratiam iustificantem, vel post illam deperditam. Econtrà verò hypostatica vnio Verbi cum humanitate sumpta præcisè & secundùm se est intrinsecè & formaliter ordinis supernaturalis: ergo ipsa humanitas Christi Domini non habet positiuè ex suis indiuiduantibus principiis ordinem intrinsecum ad vnionem hypostaticam cum Verbo diuino, seu ex istis suis principiis non est positiuè determinata ad subsistendum diuinâ personalitate Verbi.

III. Secunda ratio: humanitas Christi Domini spectata præcisè, & vt constat solis suis specificis & indiuiduantibus principiis, est ex se tam indifferens, vt assumatur hypostaticè à persona Patris diuini, vel Spiritus sancti, quàm à diuina personalitate Verbi. Et econtrà, quemadmodum intelligitur ex sancto Thoma, quæstione sequenti, articulo quinto, imò ex eodem sancto Thoma ibi articulo sequenti, humanitas Christi Domini iam assumpta à Verbo diuino, habet adhuc potentiam logicam, vt manens hypostaticè vnita Verbo diuino, adhuc assumatur hypostaticè à diuino Patre & Spiritu sancto: ergo hæc ipsa humanitas Christi Domini non habet ex se, seu ex suis indiuiduantibus principiis intrinsecum ordinem ad subsistendum personalitate Verbi diuini.

IV. Tertia ratio: natura illa creata, cui ex suis indiuiduantibus principiis subsistentia creata, eáque ei propria debetur, non habet ex iisdem suis indiuiduantibus principiis, vt sit determinata ad subsistendum increatâ subsistentiâ sibi alienâ, quia *subsistere in se*, & *subsistere in alio*, sunt quædam sibi inuicem opposita, & habent ad se inuicem contradictionem virtualem, vt inferiùs patebit: & prætereà nihil potest esse simul & semel determinatum & indeterminatum ad opposita; sed subsistentia creata, eáque ipsi humanitati Christi Domini propria, debetur ei ex suis indiuiduantibus principiis, quia ipsa resultantia huius propriæ personalitatis creatæ fieret ex hac tali numero humanitate, si non impediretur diuinitùs per hypostaticam vnionem Verbi diuini ad illam, & si Verbum nunc illam relinqueret talem, qualis illa est secundùm omnes suas proprietates & differentias indiuiduantes, & Deus illam conseruaret, nec eam alicui alteri supposito alieno coniungeret, tunc creata eius subsistentia sponte & naturaliter resultaret, sicut illa ad positionem naturæ, seu substantiæ vniuscuiusque nostrûm solet resultare: ergo humanitas Christi Domini non est ex suis indiuiduantibus principiis determinata ad subsistendum diuinâ personalitate Verbi.

V. Dices quartò, hanc vnitiuam actionem esse *priuatiuam*, quatenus scilicet humana natura per eam priuatur propriâ suâ personalitate, cuius loco personalitas Verbi substituitur: vnde cùm terminus aliquis formalis non debeat dari in actione priuatiua, qui producatur, sed sufficiat eum assignare qui destruitur ad positionem alterius, fit vt non sit opus assignare huic actioni vnitiuæ hypostaticæ, aliquem terminum formalem qui per illam producatur.

VI. Verùm refellitur hæc solutio. Nam in primis falsum est actionem, de qua hîc disputamus, esse tantùm *priuatiuam*, quia non sistit in priuatione, sed tendit vlteriùs, quemadmodum transubstantiatio, licèt dicat destructionem totius substantiæ panis & vini, quia tamen tendit vlteriùs, scilicet ad positionem corporis & sanguinis Christi Domini sub speciebus, non censetur esse actio priuatiua, sed positiua: ita à pari cùm destructio propriæ subsistentiæ humanitatis, vel potiùs impedimentum, ne dimanet, tendat in communicationem subsistentiæ Verbi diuini, hæc actio non poterit dici priuatiua, sed realis & positiua, quæ proinde postulet realem terminum à se productum.

VII. Deinde, vbicunque destructio formæ alicuius caret ordine intrinseco & repugnantia ad aliam, tunc ad hoc vt tali formâ destructâ, aliqua alia ex multis eiusdem ordinis potiùs ponatur quàm alia, debet includi aliquid in ipsa actione, vel per ipsam actionem aliquid poni, quo determinetur potiùs ad hanc formam, quàm ad aliam: exempli causâ, destructio substantiæ panis & vini, quæ est sub propriis suis accidentibus, secundùm se spectatæ, & sine vllo respectu ad verba consecratoria, quibus sacramentum Eucharistiæ perficitur, nullum intrinsecum habet ordinem, vel repugnantiam ad corpus & sanguinem Christi Domini, propter quam oporteat vt, destructâ illâ substantiâ panis & vini, ipsum Christi Domini corpus necessariò & infallibiliter ponatur: nam Deus posset tunc destructâ illâ substantiâ panis & vini, non substituere corpus & sanguinem Christi Domini; sed vel sola accidentia absque omni substantia conseruare, vel sublato prædicto respectu ad verba consecratoria, substituere

VIII. corpus & sanguinem beatissimæ Virginis: sed quia actio consecrandi fit in persona Christi Domini, & in forma eius importatur repugnantia inter substantiam corporis & sanguinis Christi Domini, & inter substantiam panis & vini, quemadmodum docebitur infrà agendo de transubstantiatione, fit vt ad destructionem totius substantiæ panis & vini, corpus & sanguis Christi Domini ponantur: atqui (vt iam adaptemus totum istud præsenti difficultati) destructio propriæ personalitatis in humanitate caret ordine intrinseco ad subsistentiam Verbi diuini; nam Deus potuit conseruare humanitatem absque omni personalitate, vt anteà docuimus: & humanitas destituta propriâ personalitate, non magis respicit (considerando illam præcisè) perso-

I. nalitatem Verbi diuini, quàm personalitatem Patris & Spiritus sancti, quemadmodum iam animaduertimus: igitur vt personalitas Verbi diuini potiùs ponatur in humanitate, quàm alia, debet aliquid poni in humanitate, quo potiùs determinetur ad illam, quàm ad aliam: & proinde aliquis terminus formalis debet produci per hanc actionem vnituam.

Tandem alij respondent, negando Maiorem nostri argumenti, scilicet *non posse dari actionem sine aliqua re de nouo producta*, & ad illam & eius explicationem, nimirùm *esse impossibile ea, quæ non sunt vnita, incipere esse vnitum sine aliqua mutatione per productionẽ alicuius rei* affertur multas instantias: nam, inquiunt, albedo, verbi gratiâ, potest incipere inhærere; item desinere inhærere sine vlla mutatione facta in illa, vel eius subiecto, vt videre est in Sacramento Altaris, in II. quo accidentia eo ipso quo ponuntur extra subiectum, & sic conseruantur, nihil accipiunt. Deinde lumen, quod est productum à Deo, & candela potest incipere conseruan à solo Deo destruente candelam: tunc sine vlla sui mutatione habet aliquem modum incipiendi, quem antea non habebat, sicut etiam si Deus faciat illud iterùm dependere à candela. Tertiò, si Deus poneret aliquam intellectionem in tuo intellectu, illo sese tantùm habente passiuè, hoc solo, quòd intellectus tuus reciperet illam, Deo ita volente, talis intellectio faceret te de non intelligente intelligentem, & hoc absque omni alia mutatione: ergo quemadmodum id potest contingere in causa formali, cuiusmodi est intellectio, ita etiam fieri poterit in causa quasi formali, cuiusmodi est sustentatio substantiæ in ratione personæ. Quartò, aliquis potest incipere esse III. gratus Deo, qui antea non erat, etiam sine sui mutatione, vt plerique Scholasticorum communiter docent primâ secundæ, agendo de causa formali iustificationis: ergo aliquid poterit etiam incipere esse vnitum alteri, absque aliquo producto in alterutro vnitorum.

Sed hæ non soluunt nostram rationem: Primò enim falsum est dari posse veram aliquam & propriè dictam actionem, sine aliqua re quæ producatur, quia tunc actio esset potiùs de genere qualitatis, putà habitus vel potentiæ, quàm de genere actionis: cùm actio spectata præcisè consistat in ipso actuali fluxu & emanatione proprij sui termini actiuè sumpta, vt docent Philosophi agendo de illa. Neque exempla superiùs allata probant eiusmodi negationem nostræ propositionis; non primum, si enim albedo, quæ de facto inhæret alicui subiecto, desineret ei in- IV. hærere, amitteret actualem inhærentiam, sicque mutaretur, non quidem acquirendo aliquid (tunc enim tantùm conseruaretur à Deo substrahente, vel etiam destruente eius subiectum, vt in Sacramento Altaris) sed perdendo actualem inhærentiam, quæ est aliquid positiuum, quemadmodum Philosophi docent: si autem albedo illa de nouo poneretur in subiecto, acquireret inhærentiam, sicque semper aliquid fieret in illa per talem actionem ei in suo genere correspondens. Nec fauet exemplum sumptum ab accidentibus panis & vini, quæ remanent in Sacramento Altaris, nam actio illa propriè & formaliter non est vnitiua corporis & sanguinis Christi Domini cum speciebus, sed primò per se & propriè est conuersiua substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi Domini, nec sunt A ibi duæ actiones, vna separatiua accidentium à propria sua subsantia, & altera transubstantiatiua, sed vna tantùm, quemadmodum verba formæ consecrandi exprimunt. Vnde rectè intelligimus actionem istam conuersiuam habere pro suo termino corpus & sanguinem Christi Domini, vt reproducta, absque eo quòd aliquid producatur in accidentibus, & vnio illa specierum ad corpus & sanguinem Christi Domini, quæ fit vi & efficaciâ transubstantiationis, est tantùm sacramentalis, quatenùs scilicet corpus, sanguis Christi Domini, & accidentia panis & vini faciunt vnum totale signum sacramentale, efficax ad producendam gratiam in suscipientibus: quæ vnio sufficienter saluatur ex eo, quòd corpus & sanguis Christi Domini sint sub speciebus consecratis, & ad illas aliquam habeant habitudinem, vt fusiùs dicetur agendo de tali præ- B VI. sentia sacramentali: at vnio hypostatica est realis, personalis, & substantialis. Secundum item exemplum non probat prædictam negationem, quia tunc lumen illud eo ipso quo inciperet conseruari à solo Deo, amitteret dependentiam illam quam habet à candela, quam denuò acquireret, si Deus faceret vt iterùm conseruaretur à candela. Tertium item nihil probat, quia licèt Deus posset ponere intellectionem entitatiuè consideratam in intellectu distincto ab eo qui illam elicit (quod hic non disputamus) non potest tamen illam ita ponere in intellectu alterius, vt is per eam in seipso tantùm receptam, & non elicitam intelligat, quemadmodum ostendemus infrà ad quæst. 9. Quartum denique & vltimum non obstat, quia ipsum esse gratum Deo sic nudè consideratum est solummodò aliquid morale, nihil reale ponens in homine, sicut & ipsum esse C VII. gratum Regi; sicque exemplum hoc non est ad propositum, cùm hîc agamus de vnione, non quæ solummodò sit per affectum, vt volebat Nestorius, sed quæ sit vera, realis & substantialis, vt suprà docuimus. V.

ARTICVLVS III.

Soluuntur argumenta prioris sententiæ, negantis aliquem dari terminum huius actionis vnitiuæ.

PRIMVM fundamentum est ex sancto Thoma 4. contra Gentes capite 41. Nihil inuenitur in rebus naturalibus tam simile huic vnioni, quàm vnio animæ rationalis ad corpus, quemadmodum etiam significat sanctus Athanasius in suo symbolo: at quando homo generatur, anima D & corpus vniuntur seipsis immediatè, & nullo VIII. alio intermedio quod producatur in illis, vel in aliquo eorum. Idem continget in resurrectione vniuersali hominum, in qua nihil de nouo fiet in anima vel corpore, sed tota actio solummodò terminabitur ad partes simul reiniendas, & ad totum reproducendum.

Respondetur, sanctum Thomam ibidem in fine capitis negare esse omnimodam similitudinem inter vnionem animæ ad corpus, & vnionem hypostaticam cum humanitate. Et sanctus Thomas ibi in eo tantùm confert vnionem animæ ad corpus cum vnione hypostatica, quòd quemadmodum anima est coniuncta corpori, tanquam instrumento coniuncto, ita etiam Verbum est vnitum humanitati, tanquam instrumento etiam coniuncto, quod nullâ ratione

I. tangit præsentem difficultatem. Deinde Patres, vt sanctus Athanasius in Symbolo, sæpè conferunt vnionem hypostaticam cum vnione animæ ad corpus, in eo quòd quemadmodum ex anima & corpore fit vna numero substantia completa, & ex illis impermixtis & inconfusis vnus homo resultat; ita ex diuinitate & humanitate inconfusis, impermixtis, vnitis tamen in personalitate Verbi, vnus Christus resultet.

Tertiò respondetur ex supradictis, non deesse qui admittant aliquem modum substantialem produci in vnione animæ ad corpus; qua de re disputare ex professo propriè spectat ad lib. de anima, & pro hac re Coimbricenses possunt videri tractatu de anima separata, disp. 2. art. 1. vbi modum istum admittunt, & plures etiam Theologi agendo de resurrectione. Tandem, etiamsi hæc sententia esset falsa, nihilominùs ob

II. diuersam rationem huius vnionis ab omnibus aliis, non posset rectè colligi ex eo, quòd nihil producatur de nouo in vnionibus naturalibus, nihil etiam debere produci per hanc ineffabilem & supernaturalem vnitionem, quemadmodum superiùs ostendimus refellendo primam solutionem ad nostrum fundamentum.

Secundum fundamentum est. Verbum diuinum immediatè seipso, & absque eo quòd recipiat aliquid de nouo intra seipsum, vnitur humanitati: ergo & humanitas poterit seipsa vniri Verbo, absque eo quòd aliquid ei addatur de nouo. Concesso Antecedente, negatur consequentia; nam tota, aut saltem præcipua ratio, cur per hanc actionem vnitiuam aliquid ponatur in humanitate, est quòd hæc vnio fiat per actionem, quæ solùm versetur circa ipsam humanitatem: vt enim actio recipitur in patiẽte, ita & formalis eius terminus ab illa realiter indistinctus

III. debet in ipso patiente recipi, seu in obiecto circa quod talis actio versatur: at actio illa vnitiua humanitatis ad Verbum non versatur circa personalitatem Verbi, cùm hæc sit tota ad extra, & personalitas Verbi, ob summam suam perfectionem, & carentiam omnis & cuiuslibet passiuæ potentiæ, non possit esse *obiectum circa quod* alicuius veræ & propriè dictæ effectionis: quare cùm hæc actio tota versetur circa solam humanitatem, debet tantùm aliquid reale ponere de nouo productum in humanitate.

Dices, esse vnitum, est tam intrinsecum personalitati Verbi diuini in Christo, quàm sit intrinsecum humanitati assumptæ esse vnitam personalitati Verbi diuini, quia hæc denominatio, *Verbum est vnitum humanitati*, est intrinseca, & non tantùm extrinseca: ergo sicut ipsum *esse vnitum* ponit aliquid reale productum in huma-

IV. nitate per actionem vnitiuam; pari iure ipsum *esse vnitum* conueniens intrinsecè Verbo diuino, debebit ponere aliquid reale in personalitate Verbi diuini, quod sit productum de nouo per actionem vnitiuam, aut nihil etiam ponere in ipsa humanitate, quod hæc prima opinio intendit.

Respondetur, *esse vnitum* hîc posse duobus modis sumi: Primo, quatenus ipsum *esse vnitum in Verbo diuino*, vt comparatur humanitati, nihil est aliud vel significat, quàm Verbum diuinum habere in seipso *formam per quam est*, & dicitur esse coniunctum humanitati, sicut & hoc idem *esse vnitum in humanitate*, provt illa comparatur ad Verbum diuinum, nihil est aliud vel significat, quàm humanitatem diuino Verbo

A vnitam habere in seipsa formam, per quam est & dicitur esse coniuncta Verbo diuino. Deinde ipsum *esse vnitum* in præsenti difficultate potest sumi, quatenùs significat illud quod denominatur vnitum habere in seipso *id quo formaliter sic attuatur*, estque illius applicatio ad alterum cui coniungitur: quâ ratione accidens reipsâ inhærens subiecto dicitur esse ei vnitum per suam inhærentiam, quatenùs actualis inhærentia applicat & coniungit tale accidens formaliter & tanquam *à quo*, ipsi suo subiecto. Iam si *esse vnitum* sumatur primo modo, illud est intrinsecum Verbo diuino & humanitati: Verbo quidem, quia forma, aut veluti forma, per quam Verbum diuinum est vnitum per modum termini humanæ naturæ, est ipsa propria eius personalitas, quæ illi est intrinseca, & per quam terminat dependentiam humanæ naturæ, & cum illa constituit

B vnum subsistens per se: sicque *esse vnitum* in Verbo terminante humanitatem, est quædam *denominatio intrinseca*. Item, ipsum *esse vnitum* primo illo modo spectatum, est aliquid intrinsecum humanitati, quia est ipsamet humana natura singularis carens propriâ personalitate, & in locum eius admittens personalitatem Verbi, vt cum illa constituat vnum per se subsistens: sicque *talis denominatio est etiam intrinseca humanitati*. Quòd si *esse vnitum* sumatur posteriori modo, iam non est aliquid intrinsecum personalitati Verbi; nec in illo est subiectiuè, aut quasi subiectiuè, sed in sola humanitate, & vt sic sese tantùm tenet ex parte humanæ naturæ, ob rationem allatam initio solutionis ad hoc secundum argumentum: & si *esse vnitum* denominatur à tali modo vnionis, iam *esse vnitum* in Verbo diuino nihil est aliud, quàm quædam *denominatio extrinseca*, quo tamen non obstante, Ver-

C bum semper vnitur subsistentialiter humanitati: quia ad hoc vt aliquid dicatur esse subsistentialiter vnitum alteri, non est necesse recipere in seipso subiectiuè modum subsistentialem, sed sufficit ita eius habitudinem terminare, vt coniungatur alteri cui dicitur esse vnitum, vt cum eo faciat quid vnum eo genere vnionis, quo dicitur ei esse vnitum. Vnde cùm personalitas Verbi iuncta humanæ naturæ in Christo faciat vnum per se subsistens, rectè Verbum diuinum dicitur vnitum humanitati personaliter. Et hæc posterior pars responsionis potest explicari hoc exemplo. Corpus dicitur vnitum animæ, & nihilominùs modus ille qui producitur in anima per vnitiuam actionem, solùm in ea producitur, cùm sit aliquid spiritale; quia tamen ita corpus terminat eius habitudinem, vt realiter coniungatur ei in

D ratione compartis ad faciendum compósitum physicum, non desinit dici & esse vnitum animæ.

Neque obstat, quòd in corpore vnito animæ rationali detur etiam alius modus substantialis corporeus qui respiciat animam, sicut ille qui in anima est spiritalis, respicit ipsum corpus. Nam quòd ille alius modus detur in corpore, non prouenit ex generali ratione vnionis, quasi oporteat modum illum existere in vtroque extremo vnito, sed solùm ex eo quòd corpus vnitur animæ cum dependentia ab illa, seu quòd corpus vnitum animæ rationali dependeat ab illa, & proinde cùm dependentia dicat aliquem modum in eo quod dependet, fit vt alius sit modus in corpore, qui respondeat isti modo qui est in anima sibi vnita. Vnde cùm personalitas Verbi ita coniungatur humanitati, vt nullam habeat ab illa

V. VI. VII. VIII.

I. dependentiam, sed sola humanitas à Verbo, sit vt formalis ille terminus, qui per hanc vnitionem producitur, debeat poni in sola humanitate, & nullo modo in ipsa personalitate Verbi diuini.

Tertium fundamentum est. Si quæ sit necessitas admittendi aliquem terminum formalem productum de nouo, est vt sit fundamentum relationis realis, quam humanitas dicit ad Verbum cui vnitur; ad quam relationem cùm non sit per se motus, sed ea tantùm resultet ad productionem sui fundamenti, necesse est aliquid poni in humanitate per actionem istam vnitiuam, ad cuius positionem relatio prædicta exurgat: sed ad fundandam hanc realem relationem humanitatis ad Verbum, non requiritur necessariò vt aliquid producatur in ipsa humanitate, sed ipsa extremorum vnio inter se sufficit; ergo cùm entia non sint multiplicanda sine necessitate, dicendum est nihil produci per hanc II. B VI. vnitiuam actionem.

Respondetur, hanc etiam esse aliquam rationem, cur aliquis terminus formalis debeat admitti in hac actione. Ad id verò quo talis necessitas impugnatur, respondetur, vnitatem illam, quam membra vnita seruant inter se, non sufficere ad constituendam realem relationem inter illa, nisi præsuppositâ aliquâ causalitate, vt animaduertit Suares in Metaphysicis disput. 47. sectione 14. numero 8. & proinde cùm causalitas non possit intelligi sine aliquo effectu, vt Philosophi communiter docent, sit vt ad fundandam relationem realem humanitatis ad Verbum, aliquis terminus formalis debeat produci in humanitate, cùm ex parte Verbi relatio sit tantùm rationis ad ipsam humanitatem.

III. C VII. Quartum fundamentum est. Aut Verbum diuinum attingit immediatè per suam personalitatem naturam humanam, terminando illam, & sic cum illa facit vnam personam; aut non attingit immediatè, sed intermedio aliquo alio: si primum, ergo nullus formalis terminus datur, quo mediante, hæc extrema, scilicet *personalitas Verbi diuini* & *humanitas* vniantur inter se: si secundum, ergo ipsa humanitas per se, secundùm se, & solitariè sumpta, proximè non terminatur à subsistentia Verbi diuini, sed ipsum compositum resultans ex humanitate & illo formali termino, quod est contra communem modum loquendi Patrum, & Theologorum de hoc mysterio.

V. D VIII. Vt respondeatur ad hoc argumentum, notandum est, vnum posse dici attingere mediatè aliud duobus modis: Primo propriè, quando priùs naturâ aliquid producitur in altero membrorum vniendorum, vt eo mediante præparetur ad coniunctionem actualem postea faciendam cum altero, quâ ratione materia potest dici attingere vel sustentare formam, quia per dispositiones conuenientes formæ priùs introductas præparatur, vt sustentet formam. Secundo modo, impropriè scilicet, quando nihil dispositiuè priùs natura in aliquo vniendorum ponitur, sed simul cum ea vnione, estque id quo formaliter vnum coniungitur alteri: cuius impropriæ mediationis exemplum potest desumi ab accidente inhærente suo subiecto, cui de facto non inhæret, nisi mediante actuali inhærentia, tanquam id quo, quæ tamen inhærentia non est naturâ priùs in accidente, vel eius subiecto, quàm proprium suum accidès insit inhæsiuè subiecto, sed facit accidens formaliter inesse subiecto, estque ipsa coniunctio A accidentis cum suo subiecto. Inter hos duos modos mediationis datur hoc discrimen, quòd solus prior efficiat, vt membra vnita coniungantur inter se, vel sese attingant solummodò mediatè, quia aliàs nullum accidens quodcunque sit illud, coniungeretur immediatè subiecto suo; nec item Deus attingeretur immediatè in visione beatifica, cùm beati non videant Deum, nisi formando sibi Verbum, tanquam formalem terminum suæ visionis. V.

Ex his respondetur ad quartum, Verbum diuinum propriè loquendo, terminate humanitatem immediatè, non verò ipsum ex illa, & modo, seu termino formali compositum, cùm eam tantùm terminet mediatè, sumptâ particulâ *mediatè* iuxta secundum modum nunc explicatum, qui tanquam maximè improprius, non excludit immediatam terminationem, seu sustentationem, vt nunc explicatum est.

Vltimum fundamentum est. Subsistentia propria vnitur seipsâ, & nullo alio intermedio ipsi propriæ suæ naturæ: ergo & multò magis subsistentia Verbi diuini vnietur immediatè, & nullo alio intermedio humanitati. Respondetur, disparem esse rationem *subsistentiæ propriæ* & *alienæ*: cùm enim propria subsistentia non sit nisi modus aliquis suæ subsistentiæ, non habens aliam entitatem realiter distinctam à sua subsistentia, eique naturaliter debeatur, fit vt seipsâ solâ, nullo alio intermedio formali termino, vniatur ipsi suæ subsistentiæ, sicut & omnes alij modi naturales, quorum positio fit per meram resultantiam naturalẽ: aliàs assignandi essent modi modorũ, & progressus in infinitum admittendus contra omnes Philosophos: at subsistentia Verbi est aliena humanitati, distincta realiter ab illa, ei nullo modo naturalis vel debita, alterius prorsùs ordinis, quæ non habet esse in humanitate per aliquam resultãtiam, sed per vnitionem humanitatis ad illam: vnde ad talem vnitionem faciendam aliquis terminus formalis productus de nouo debet admitti: quibus non obstat, quòd plerique Theologi dicant hanc vnionem non esse dissimilem vnioni, quâ personalitas creata & propria eius substantia coniunguntur; nam illud solummodò intelligendum est secundùm aliquam rationem generalem, scilicet quòd quemadmodum ex natura & propria subsistentia vnum subsistens resultat ita ex hypostasi Verbi & humanitate vnitis, vnum subsistens & vna persona resultat: non autem id intelligitur, si personalitas creata & propria eius substantia considerentur secundùm propriam suam rationem, iuxta quam maximum reperiri discrimen, constat ex nunc dictis.

Atque ex his constat modos illos, quibus prima hæc sententia conatur explicare, quâ ratione mutatio facta fuerit in humanitate Christi per eius vnitionem ad Verbũ, esse insufficientes: Primum quidem & tertium ex secunda nostra explicatione ad primam solutionẽ nostri fundamenti: nam nihil peculiare assignant ipsi humanitati, ratione cuius sit potiùs vnita personalitati Filij, quàm Patris, aut Spiritus S. & quòd sit in seipsa realiter mutata, cùm personalitas Verbi per sui vnionem nihil ponat in illa. Patet item, secundum modum esse insufficiẽtem, quia talis mutatio præcisè spectata est tantùm accidẽtalis, sicut & res humanæ dicuntur mutari tantùm accidentaliter, per comparationem ad aliud, & aliud tempus. Deinde loquendo propriè ipsa humanitas Christi nullo tẽpore fuit sine personalitate Verbi, quia eodem

instan-

I. instanti temporis, quo primùm extitit, eodem etiam est assumpta à Verbo diuino, vt infrà docebimus; & tamen per hanc assumptionem fuit immutata: ergo talis mutatio præcisè non consistit in eo quòd vno tempore humanitas sese aliter habeat, quàm haberet anteà. Tandem quæritur, quid sit illud, quo hæc humanitas formaliter & intrinsecè sese aliter & aliter habuit: non est ipsa personalitas Verbi, hæc enim nihil producit in illa: ergo est aliquid aliud, & sic aliquis terminus formalis huius actionis vnitiuæ debet assignari.

ARTICVLVS IV.

Terminum huius actionis vnitiuæ non esse aliquam qualitatem.

II. QVAMVIS tam ipsi nominales, quàm discipuli Scoti, & quamplures alij ex Scholasticis admittant aliquid produci per hanc vnitiuam actionem in humanitate Christi Domini, nihilominùs dissentiunt in explicando quid sit illud quod producitur per talem actionem: Gabriel lib. 1. dist. 30. qu. 4. & 3. sent. dist. 1. qu. 1. & 2. artic. 2. existimat esse aliquam *supernaturalem qualitatem*, quæ ex vi sua & propria natura habet vim vniendi humanitatem Verbo diuino, quam qualitatem vocat *gratiam vnionis*. Et hanc suam opinionem explicat exemplo gratiæ sanctificantis, quæ est supernaturalis quædam qualitas habitualis, quæ eo ipso quo est in anima, omni alio secluso, facit animam gratam Deo, eam ad Deum ordinat, facit vt Deus, seu tota Trinitas sit speciali modo in anima ei coniuncta speciali vnione: pari modo, inquit Gabriel, eo ipso, quo talis qualitas supernaturalis est à tota Trinitate in humanitate facta, hæc humanitas fit dependens à solo Verbo diuino in ratione subsistendi, quia illam solummodò ad Verbum ordinat, & non ad alias personas diuinas.

II. Sed contra hanc explicationem secundæ sententiæ sit hæc nostra propositio. *Quod de nouo producitur in humanitate, per actionem vnitiuam illius ad personalitatem Verbi, non est aliqua supernaturalis qualitas.* Ita communiter omnes recentiores, & citato loco libri trigesimi primi sententiarum. Probatur primò, admissâ tali qualitate, tanquam formali termino huius actionis vnitiuæ, vnio Verbi cum humanitate esset tantùm *accidentalis*: at verè & propriè est *substantialis*, vt suprà ostendimus contra Nestorium: igitur formalis terminus huius actionis V. vnitiuæ non potest esse aliqua supernaturalis qualitas. Maior probatur: quod medio accidente, tanquam formali termino, vnitur alicui, ei vnitur accidentaliter, quia vnio specificatur etiam à formali fine termino, & omnes illæ vniones etiam naturales, quæ fiunt mediante aliquo accidente, tanquam formali termino, sunt accidentales, vt patet inductione factâ per illas: atqui iuxta hanc sententiam Gabrielis, vnio humanitatis cum Verbo fit mediante aliquâ supernaturali qualitate, tanquam formali termino: igitur hæc vnio erit tantùm accidentalis: quod tamen est hæreticum.

Addidi maiori propositioni hanc particulam, *tanquam formali termino*: licèt enim materia vniatur substantialiter suæ formæ, mediantibus præuiis dispositionibus, quæ sunt accidentia; A quia tamen hæc accidentia sunt tantummodò V. ad disponendum materiam, & non ad illam vniendam, tanquam *formalis vnio*, seu *terminus formalis*, cùm sese habeant antecedenter ad illam; sed terminus vnionis eius cum sua forma sit aliquid substantiale, fit vt illæ accidentales dispositiones non impediant, quin ista vnio sit substantialis, quam tamen impedirent, si essent *formalis vnio*, seu terminus. Vnde cùm Gabriel constituat hanc qualitatem *formalem* terminum huius actionis vnitiuæ, rectè contra illum infertur, vnionem hanc esse tantùm accidentalem: quod tamen est hæreticum.

Probatur secundo, illud quod est formalis terminus huius vnionis, debet excludere propriam subsistentiam humanitatis, & aliquam habere cum illa incompossibilitatem, quia est ad faciendum subsistere humanitatem subsistentiâ Verbi diuini: sed nulla qualitas supernaturalis potest excludere, vel impedire subsistentiam propriam substantiæ, aut partes illam componentes, quia omne accidens absolutè & simpliciter extrinsecum substantiæ non pertinens ad naturalem eius ordinem (cuiusmodi est hæc qualitas) præsupponit substantiam, cui inest, priùs saltem naturâ perfectam; nam sicut natura præsupponitur gratiæ, ita & quæ perficiunt naturam intra proprios fines sibi naturaliter debitos, præsupponuntur iis, quæ illam tantùm perficiunt in ordine superiori: igitur cùm formalis terminus huius actionis vnitiuæ debeat impedire propriam subsistentiam humanitatis, talis terminus non potest esse aliqua supernaturalis qualitas. B VI.

Probatur tandem: humanitas debet se habere eo modo per hunc formalem terminum, quo ordinatur ad Verbum, cui vnitur; sed humanitas in Christo per formalem terminum huius vnitiuæ actionis ordinatur ad Verbum, vt accipiat ab illo aliquod esse substantiale: ergo humanitas debet per talem terminum formalem sese habere substantialiter: sed si formalis ille terminus sit tantùm accidens aliquod, tunc humanitas non potest sese habere substantialiter ad Verbum diuinum, vt primâ ratione probatum est: igitur formalis ille terminus non potest esse aliquod accidens, nec proinde aliqua supernaturalis qualitas. C VII.

Exemplum autem sumptum à gratia sanctificante, nihil iuuat sententiam Gabrielis: hæc enim non vnit substantialiter Trinitatem, aut aliquam ex personis diuinis iis, quos reddit formaliter gratos Deo. Nam non rectè dixeris de Petro in gratia sanctificante constituto, *Petrus est Deus, Petrus est Trinitas, Petrus est prima, vel secunda, vel tertia persona Trinitatis*, aut econtrà, sicut rectè dicimus, *Deus est homo, & homo est Deus*; sed gratia sanctificans illos tantùm coniungit vnione quadam accidentali, quemadmodum intelligitur ex iis quæ diximus de inuisibili missione, ad quæst. 43. primæ partis. D VIII.

Sed obiicit Gabriel, Primò, nihil aliud posse assignari pro termino huius actionis vnitiuæ, quàm hâc qualitate: nam si quid aliud posset assignari, vel esset aliqua relatio, vel aliquid absolutum: non relatio, vt patebit infrà; non aliquid absolutum de genere substantiæ: tum quia præter humanitatem, diuinitatem, & subsistentiam Verbi nihil est substantiale in Christo: tum quia tunc Christus non esset eiusdem naturæ nobiscum, cùm haberet aliquid substantiale quo ca-

I. remus: ergo debet esse de genere accidentis, ac non potest esse aliud, quàm qualitas, vt facilè intelligitur discurrendo per alias singulas categorias accidentium. De relatione patebit infrà; de quantitate patet; tum quia hæc actio est ad vniendum non solummodò corpus, sed & animam personalitati Verbi, ad quod ipsa quantitas est omninò impertinens, vt per se constat: idem etiam patet de sex aliis vltimis prædicamentis: ergo sola restat hæc qualitas.

Verùm respondetur, negando Antecedens, quia vt patebit inferiùs, potest pro tali termino aliquis modus substantialis assignari, vt fusè explicabitur infrà. Ad id quod obiicitur inde sequi Christum non fore hominem eiusdem speciei nobiscum, respondetur, id esse falsum. Nam istud substantiale, in quo formalis ille terminus

II. consistit formaliter, est tantùm aliquis modus, vt paulò pòst explicabitur: at similitudo specifica non attenditur penes modos substantiales, vt iam animaduertimus, sed tantùm attenditur penes eadem essentialia constituentia rem ipsam.

Quæres autem, an hæc sententia Gabrielis sapiat Nestorianismum. Respondetur, non sapere, cùm nullam agnoscat in Christo creatam substantiam, sed solam personalitatem Verbi, & admittat *realem & physicam vnionem* inter Verbum & humanitatem, non autem solùm *affectiuam*, sicut Nestorius, tantùmque velit hanc realem vnionem perfici aliquâ supernaturali qualitate, tanquam formali termino.

ARTICVLVS V.

Terminum huius vnitiuæ actionis non esse aliquam relationem.

III. SCOTVS & eius discipuli libro 3. sententiarum distinctione 1. quæstione 1. docet terminum prædictæ actionis esse realem relationem vnionis, & quoniam ex Arist. in Physic. actiones non terminantur per se primò ad relationes, cùm illæ tantùm pullulent ad positionē fundamēti, & terminorū: Scotus distinguit duo genera relationum, aliud earum quæ positis fundamēto & terminis pullulant, cuiusmodi est similitudo inter duos parietes eadem specie albedine in illis positâ, & has relationes vocat *intrinsecas*, de quibus vult Aristotelem nunc cit. intelligendum esse: aliud item vult genus relationum esse, quæ, positis fundamēto & terminis, necessariò non ponātur: exempli gratiâ, posito agente & patiente optimè dispositis, relatio agentis ad patiens non statim sequitur necessariò, quia actio agentis potest impediri, & has relationes Scotus vocat *extrinsecùs aduenientes*, vultque posse esse motum ad illas: & de hoc secundo genere relationum vult esse terminum formalem huius actionis vnitiuæ, illámque vocat relationem realis dependentiæ humanitatis à Verbo eam personante, seu dante ei subsistere.

Sed contra hunc explicandi modum sit hæc nostra propositio. *Quod producitur de nouo per hanc actionem vnitiuam non est propriè relatio*: ita Caiet. Medina, Valentia, & omnes S. Thomæ discipuli communiter. Probāt aliqui ex 5. Synodo collat. 8. cap. 4. damnante eos qui dicunt hanc vnionem esse factam secūdùm relationem: item ex cap. *cùm Christus*, Extr. de hæreticis vbi Christus definitur *esse aliquid*, id est substantia, quod tamen videretur esse falsum, si formalis terminus huius vnionis esset relatio, quia tunc Christus esset potiùs *ad aliquod*, quam simpliciter *aliquid*: sed probationes istæ nullius sunt momenti, nam neque Concil. neque Pontifex cit. cap. loquūtur ad mentem Scoti, Concilium ibi tantùm damnat hæresim Nestorij cōtendētis esse in Christo duas personas, & hanc vnionem esse tantùm *secundùm affectum & habitudinem vnius personæ ad alteram*, seu Christi-Dei ad Christum-hominem, & non in subsistentia, nec esse substantialem. At Scotus & eius discipuli agnoscūt hanc vnionem *esse substantialem*, factam in subsistentia Verbi, vnicam esse personam in Christo, sed tantùm nolūt hanc vnionem secundùm subsistentiam esse solummodò formaliter loquendo, *quemdam ordinē dependentiæ*, quem humanitas habet ad Verbū, scilicet quòd subsistat, & sustēteturà Verbo, sicque hunc terminum formalem esse solummodò aliquam relationem, quod non pugnat cum prædicta definitione Concilij: nec item cum cit. illo capite, *Cùm Christus*, quia ibi tantùm definitur quòd Christus sit prima quædam substantia quam per *hoc aliquid*, Philosophi solent exprimere; & hoc etiam fatetur Scotus, potestque rectè stare cum eius sententia.

Ideò aliter probamus hanc nostram propositionem. Omnis relatio etiam extrinsecùs aduenies, debet poni in aliquo ex sex vltimis prædicamentis, quia iuxta Scotum hæc sex vltima prædicamenta sunt constituta pro illis reponendis: atqui hæc vnio, quam Scotus facit terminum formalem huius actionis vnitiuæ, non reponitur in aliquo sex vltimorum prædicamentorum, vt potest facilè intelligi, factà inductione per illa singula: igitur formalis terminus huius actionis vnitiuæ non potest esse aliqua relatio extrinsecùs aduenies.

Probatur secundò: ad formalem terminum huius actionis vnitiuæ est per se motus etiam iuxta Scotum, sed ex Aristotele non est per se motus ad relationem: ergo aliqua relatio non est formalis terminus huius actionis vnitiuæ. Neque huic rationi satisfacit distinctio illa Scoti de *relatione intrinseca*, & *de relatione extrinsecùs solummodò adueniente*, nam iuxta eundem Scotum inter agens & patiens est tantùm relatio extrinsecùs adueniens: ergo actio, quâ mediante relatio agentis ad patiens resultat, non terminatur primò per se & præcisè ad relationem, sed ad aliquid aliud reale, quo posito in patiente prædicta relatio agentis ad patiens resultat actu: ergo à pari, cùm iuxta Scotum inter humanitatem & Verbum sit tantùm relatio extrinsecùs aduenies, actio illa vnitiua, quâ mediante hæc relatio extrinsecùs aduenies nascitur inter Verbum & humanitatem, debet primò per se & præcisè terminari non ad illam relationem, sed ad aliquid aliud reale, quo ipsa humanitas immutetur, dum reipsâ vnitur Verbo: sicque ista relatio, præcisè loquendo, non erit formalis terminus huius actionis vnitiuæ, sed illud reale prædictum, ad cuius positionem resultabit hæc relatio vnionis.

IV.

V.

VI.

VII.

VIII.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta Scoti.

PRIMVM fundamentum est. Si formalis ille terminus esset aliquid substantiale, Verbum debuisset illud assumere: at Verbum diui-

I. num nullum substantiale assumpsit præter humanitatem. Negatur Verbum debere assumere illum formalem terminum, sed satis esse vt terminus iste sit id, quo humanitas assumitur; nam quod assumitur habet rationem alterius extremi quod vnitur, aut saltem facit aliquam partem illius, vt patet ex ipsa humanitate, & eius partibus, quas Verbū assumpsit: formalis autem terminus, cùm non sit aliquod ex extremis inter se vniēdis, non potest dici assumi, sed tantùm potest dici esse id, quo vnum extremū vnitur alteri.

Secundum est. Iste terminus non potest esse aliquod accidens absolutum: ergo debet esse aliquid relatiuum: Antecedens probatur, quia ipsa personalitas & personatio est in substantia, priùs quàm quodcunque accidens; tum etiam quia nullum accidens potest esse ratio personandi, seu faciendi subsistere, cùm personalitas & personatio sint aliquid omninò oppositum ipsi rationi
II. accidentis, sicut modi isti *subsistentia, inhærentia*, sibi inuicem opponuntur; igitur formalis ille terminus debet esse aliquid relatiuum, ac nihil potest esse aliud, quàm relatio vnionis superiùs explicata: igitur formalis terminus huius actionis vnitiuæ debet esse aliqua tantùm relatio.

Respondetur, nos admittere formalem terminum huius actionis non esse aliquod accidens absolutum contra Gabrielem: cuius præcisa ratio non est, quòd personalitas sit prior omni accidente, vt hæc vltima ratio supponit; nam licèt dixerimus suprà, esse prius substantiam habere subsistentiam, quàm recipere accidens sibi omninò extrinsecum, & alterius planè ordinis, non id tamen extendimus ad omnia & singula accidentia, cùm humanitas priùs naturâ haberet aliqua accidentia, quàm assumeretur à Verbo, vt
III. patebit infrà agendo de ordine assumptionis, sed id tantùm intelleximus de accidentibus ordinis supernaturalis, & adhuc secundùm viam ordinariam consideratis. Vt enim nō implicat Deum conseruare substantiam sine vlla subsistentia, ita etiam non implicat illum ponere aliqua accidentia, etiam ordinis supernaturalis, in tali substantia, vel antequam sinat propriam eius subsistentiam resultare, vel faciat illam sustentari ab aliena. Neque item ratio prædictæ nostræ conclusionis fuit, quòd nullum accidens possit esse ratio personandi substantiam; ob quam tamen hoc vltimum argumentum indicat nos reiecisse præcedentem illam opinionem; nam terminus productus per hanc actionem vnitiuam, non debet esse, loquendo propriè & formaliter, ipsa ratio personandi, quia aliàs deberet esse ipsamet
IV. subsistentia, quod etiam iuxta Scotum non potest conuenire relationi: sed terminus ille, quem hîc inquirimus, debet esse id, quo posito in humanitate, humanitas dicat intrinsecum ordinem ad inexistendum, seu ad subsistendum personalitate Verbi diuini: ideóque præcisa ratio, propter quam iste terminus non possit esse aliquod accidens absolutum, ea est quam desumpsimus ex ipsa incompossibilitate subsistendi per propriam personalitatem, & ex ipsa ordinatione humanitatis ad accipiendum aliquod esse substantiale à Verbo diuino.

ARTICVLVS VII.

Quid sit ille terminus huius actionis vnitiuæ.

REIECTIS aliorum sententiis, nostram hac propositione explicamus. *Formalis terminus huius actionis vnitiuæ, seu id quod per hanc*

A *actionem producitur in humanitate, est quidam modus substantialis, indistinctus realiter ab humanitate, sed solummodò ex natura rei ab ea distinctus, non omninò & simpliciter absolutus, sed relatiuus.* Quo quidem modo ipsa humanitas intelligitur ita inexistere Verbo diuino, vt sibi repugnet esse in propria sua subsistentia: vnde modus iste potest rectè appellari *inexistentia*. Ita Suares hac parte disputatione 8. sectione 2. Vasquesius disput. 18. cap. 3. & plures alij recentiores. V.

Nec ab hac propositione recedunt Scotus, Durandus, Ochamus, suprà asserentes hanc vnionem sumptam formaliter, esse relationem: si enim diligenter inspiciantur, non intendunt vnionem hanc esse veram aliquam relationem prædicamentalem, & accidentalem, ad quam nullus est per se motus, sed solummodò intendunt esse quamdam modum, qui quia non tantùm respicit id in quo est, sed etiam aliquid aliud
B per modum termini, scilicet personalitatem Verbi diuini, sit & dicatur *aliquid respectiuum, non quidē categoricā relatione, sed transcendentali tantùm*: quòd proinde, simpliciter & absolutè loquēdo, sit in se, & ex sua natura aliquid absolutē. VI.

Hæc propositio probatur quoad singulas suas partes. Et primò, quòd hic terminus sit de genere substantiæ, seu aliquid substantiale, patet ex dictis quarto & quinto articulis. Nam quidquid verâ actione producitur, est substantia, vel accidens aliquid substantiale, vel aliquid accidentale, quia ex omnibus Philosophis nihil aliud datur: sed hic terminus formalis producitur per hanc actionem vnitiuam, ex dictis articulo primo, & non est aliquod accidens, vel aliquid accidentale ex dictis pro quarto & quinto articulis: ergo debet esse de genere substantiæ: seu aliquid substantiale. Deinde, quòd iste for-
C malis terminus sit solummodò aliquid *substantiale*, & non *substantia*, loquendo propriè, probatur ex eo quòd Theologi nullam agnoscant in Verbo incarnato substantiam præter Verbum, diuinitatem & humanitatem, à quibus singulis distinguitur iste formalis terminus: ergo non est propriè substātia, sed tantùm aliquid substātiale. VII.

Tertiò, quòd formalis iste terminus sit tantùm *aliquis modus substantialis*, præterquam quod sequitur ex ratione nunc allata, probatur etiam ex præcisa ratione modi substantialis. Nam illud propriè habet rationē modi substantialis, quod ita determinat, limitat & modificat substantiam in ordine ad aliquod esse substantiale, vt tamen non possit existere sine sua substantia, sed illam necessariò postulat ad existendum: nam de ratione modi, quā est modus, est
D vt non possit existere sine re cuius est modus, cùm totum eius esse sit in ipsa actuali modificatione: atqui hic formalis terminus determinat humanitatē ad esse personale Verbi diuini, quod est subsistāriale, nec potest existere sine humanitate, cùm hac sublatā ille destruatur: ergo formalis iste terminus est aliquis modus subsistantialis. VIII.

Quartò, quòd iste modus sit indistinctus realiter ab humanitate, patet ex præcedenti ratione fundata in præcisa ratione modi, quæ est, vt sit eadē entitas realiter, quam modificat. Quòd verò debeat esse quid idem cum humanitate, & non cum Verbo, probatur: iste formalis terminus debet sese tenere ex parte eius, quod hæc actio vnitiua immutat, quia est terminus talis actionis: sed hæc actio vnitiua immutat tantùm humanitatem, & non Verbum, vt suprà osten-

I. dimus: ergo hic terminus formalis debet sese tenere ex parte humanitatis, & proinde esse idem realiter cum illa.

Quintò, quòd modus iste sit aliquid relatiuum, probatur primò, ex generali ratione modi, quæ est respicere rem quam modificat; deinde esse id quo aliquid est in alio, est esse aliquid relatiuum, sumpto nomine, *relatiuum*, in ampla significatione, quia est vnũ ordinare ad aliud: atqui iste formalis terminus est id quo humanitas est in Verbo, seu in ipsa personalitate Verbi diuini, vt faciente illam subsistere, quæ personalitas Verbi diuini est aliquid realiter distinctum ab ipsa humanitate: igitur modus iste, seu formalis iste terminus est aliquid relatiuum.

Sextò, quòd modus iste sit aliquid relatiuum tantummodò *transcendentale*, & *non prædicamentale*, probatur, quia relatiuum illud propriè II. censetur esse prædicamentale, quod habet locum in categoria relationis, vt ipsum eius nomen significat: at modus iste non habet locum in categoria relationis, sed substantiæ, quia modi sunt in eadem categoria, in qua res illæ quas modificant, reponuntur ex communi Philosophorum doctrina: res autem per hunc modum modificata est humanitas, quæ est in categoria substantiæ. Deinde aliquod relatiuum creatum tunc est categoricum, quando nullum aliud exercet officium, præter ipsum *respicere*, seu *facere respicere*: tunc verò est transcendentale, quando præter *istud respicere*, seu *facere respicere*, exercet etiam aliquod aliud munus, vt docet Caietanus opusculo de ente & essentia, capite 7. quæstione 15. & ex illo Suares in Metaphysica disput. 47. sect. 4. numero 10. verbi gratiâ, quia III. similitudo inter duos parietes nihil aliud circa illos facit, quàm vt sese mutuò respiciant, est relatio prædicamentalis, econtrà potentia visiua, quia non tantùm respicit coloratum obiectum suum, sed etiam elicit actum visionis, & causa, seu principium illius producendæ, est simpliciter aliquid absolutum & solummodò relatiuum transcendentale: atqui formalis iste terminus, quem dicimus esse modum, ita respicit humanitatem & personalitatem Verbi; vt tamen illas inter se vniat, quia est id quo formaliter vniuntur inter se: igitur formalis iste terminus est relatiuum solummodò transcendentale: cùm autem terminus iste sit id quo formaliter humanitas & personalitas Verbi diuini de facto & reipsâ vniuntur inter se, iste formalis terminus non est aliquid relatiuum per solam aptitudinalem habitudinem (sicuti est potentia visiua & aliæ facultates, quæ ad sui constitutionem non postulant necessariò, vt illarum actus & obiecta ponantur) sed est aliquid relatiuum per actualem ordinem, quatenùs ad sui constitutionem postulat necessariò, quòd reipsâ vniat humanitatem Verbo diuino, sitque id quo aliquod vnum subsistens constituitur ex personalitate Verbi & humanitate: sicut quia actualis inhærentia ita est aliquis modus relatiuus transcendentalis, vt non possit intelligi esse, nisi de facto vniat accidens subiecto, ita nec formalis iste terminus potest per absolutum Dei potentiam conseruari sine humanitate, vt vnita personaliter Verbo diuino.

Septimò, quòd modus iste sit alius ab eo, quo iuxta sententiam satis communem inter Philosophos, anima & corpus vniuntur inter se: probatur inprimis, quia vnio animæ Christi Do- A mini cum suo corpore potest absolutâ potentiâ Dei remanere, Verbo diuino relinquente humanitatem. Deinde, quia vnio animæ Christi Domini cum corpore est dissoluta per mortem eius, & nihilominùs vnio hypostatica remansit; *Quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit.* Tertiò, quia partes humanitatis priùs naturâ sunt assumptæ à Verbo, quàm sibi inuicem vnitæ ad faciendum compositum naturale. Quartò, hic terminus formalis est supernaturalis, sicut & actio vnitiua humanitatis ad Verbum: at terminus vnionis animæ ad corpus est purè naturalis, vt per se constat: ergo modus iste, in quo formaliter existit finalis terminus huius actionis vnitiuæ, est omninò distinctus ab eo, quo anima Christi Domini fuit vnita suo corpori ad componendum totum aliquod physicum. V.

Octauò, quòd modus iste sit talis conditio- B nis, vt ratione illius humanitatis insit Verbo diuino, probatur. Verè & propriè loquendo, humanitas ineſt Verbo per vnionem personalem, vt in faciente illam subsistere; nam rectè dicimus de Christo, *Verbum est homo*, sed humanitas Christi Domini, per nihil aliud ineſt Verbo diuino, quàm per hunc modum, quia nihil aliud potest assignari: igitur modus iste est talis conditionis, vt ratione illius humanitas insit Verbo diuino. VI.

Nonò, quòd ratione istius modi repugnet humanitati Christi Domini subsistere propriâ suâ subsistentiâ, probatur. Humanitas Christi habet ab eo præcisè, vt sibi repugnet subsistere propriâ subsistentiâ, à quo præcisè habet, vt sit in alio, quia *esse in se*, & *esse in alio*, sunt modi tam sibi inuicem repugnantes, & incompossibiles respectu vnius & eiusdem substantiæ, quàm sit rationale, C & irrationale, respectu vnius & eiusdem entis; VII. sed quòd humanitas Christi Domini sit in Verbo diuino, quod est ei suppositum alienum, tâquam insustentante, habet à præsenti modo, quia modus iste est aliquod relatiuum transcendentale, includens in suo formali conceptu habitudinem actualis coniunctionis ipsius humanitatis Christi Domini cum personalitate Verbi diuini, vt explicatum est quintâ parte præsentis propositionis: igitur humanitas Christi Domini habet præcisè ab hoc modo sibi inexistenti, quod ei repugnet subsistere propriâ subsistentiâ.

Tandem tota hæc vltima propositio probatur. Hoc ipsum, scilicet *humanitatem esse in Verbo diuino*, est aliquid reale in humanitate, quia nemine cogitante humanitas verè & propriè ineſt Verbo diuino, & illud est aliquid dictæ humanitati, secundùm se præcisè & solitariè sumptæ IV. D superadditum, quia priùs naturâ quàm vniretur Verbo, erat secundùm se, nec illud habebat, & potest præcisè adhuc & secundùm se intelligi, imò & à Verbo derelinqui, & manere secundùm se sine illo: nec item illud reale ei superadditum, est ipsum Verbum, seu personalitas Verbi, quia Verbum non ineſt humanitati, cùm per illam formaliter non subsistat, & sicut esse in corpore non est præcisè esse corpus, sed tantùm significat affectionem eius quod est in corpore: ita etiam *humanitatem esse in Verbo*, sumptum formaliter, non erit illam esse Verbum, sed quidam tantùm modus ipsius humanitatis: ergo formalis ille terminus huius actionis vnitiuæ, quo permanente manet & hæc vnio hypostatica, erit tantùm modus ille substantialis à nobis suprà explicatus. VIII.

I.

ARTICVLVS VIII.

Obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli soluuntur.

OBICITVR primò, ex Concilio Chalced. actione 5. in secunda definitione fidei, Christum ita definiri nobis consubstantialem secundùm humanitatem, vt etiam ibi asseratur per omnia nobis similis in humanitate, sine sorde peccati: at si Christi Domini humanitas haberet hunc modum ordinantem illam ad esse personale Verbi, tunc non esset similis humanitati cuiusque nostrùm, sed planè dissimilis.

Respondetur, Concilium Chalcedonense ibi tantùm definire humanitatem Christi Domini esse eiusdem speciei cum nostra, quo nō obstante potest habere modum aliquem distinctæ speciei, à modis qui reperiuntur in humanitate aliorum hominum, quia, vt iam aduertimus, vnitas specifica attenditur penes principia essentialia constitutiua, non autem penes modos.

II.

Obiicitur secundò authoritas S. Thomæ lib. 3. sentent. distinct. 2. quæst. 2. art. 1. & 2. vbi fusè docet vnionem humanitatis cum Verbo fuisse factam sine vllo medio necessitatis: at modus iste est quoddam medium necessitatis, vt patet ex illius explicatione superiùs tradita.

Respondetur ex dictis suprà, duplex distingui medium: vnum *in ratione dispositionis, vel eleuationis*, alterum *in ratione termini formalis*, sanctum Thomam locis ibi citatis solummodò negare medium prioris generis, vt patet ex ipsomet eius textu, & cùm humanitas, iuxta potentiam

III.

suam obedientialem spectata, habeat habitudinem, vt possit terminari à Verbo diuino, nec eleuetur ad aliquid agendum, vel operandum physicè, sed tantùm assumatur ad subsistendum personalitate Verbi diuini, nullo medio eam ad id vel disponente, vel eleuante indiguit, sicut intellectus beati, quia eleuatur ad Deum clarè & intuitiuè videndum, indiget lumine gloriæ, aut aliquo alio vices eius supplente, quo confortatus, videat diuinam essentiam sicuti est.

Obiicitur tertiò. Modus iste dicitur esse idem realiter cum humanitate: ergo hæc vnita Verbo diuino, & modus iste vnitur Verbo, sed modus iste non potest magis seipso vniri Verbo, quàm humanitas, cùm sit quid minùs perfectum: ergo modus iste non est admittendus vt necessarius ad hanc vnionem, vel alius modus est iterùm assignandus, quo prior ille vniatur Verbo diuino,

IV.

& ita in infinitum, quod est absurdum.

Respondetur, concesso Antecedente, negando consequentiam, quia distinctio quæ est inter hunc modum & humanitatem, sufficit, vt hæc dicatur vniri, & non ille, sed tantùm esse *id quo* talis vnio fit. Ad id autem quod additur, scilicet *hunc modum non posse vniri seipso*, quia non est aliquid perfectius humanitate. Respondetur, istam consequentiam esse nullam, nam est commune omnibus modis vniri seipsis, nec postulare alios modos ad vnitionem sui: & præterea quòd aliquid vniatur seipso, & non per aliud, non prouenit ex ipsa eius perfectione; nam & anima rationalis, & Angelus sunt res perfectiores accidentibus, quibus tamen interim diis vniuntur, vel obiectis suis, vel aliis rebus: & anima informata lumine gloriæ, est quid excellentius verbo mentis, quod efformat in visione beata, quo tamen

A mediante, in ratione termini formalis vnitur Deo clarè & intuitiuè viso. V.

Obiicitur quartò. Nihil creatum habet vim veniendi Deum creaturæ, maximè quando est merum aliquod eius naturale; aliàs enim vnio hypostatica esset naturaliter debita humanitati: atqui modus iste est quid creatum; item aliquod eius naturale, loquendo simpliciter, quia est realiter ipsa humanitas Christi Domini, quæ spectata secundùm suam entitatem, est eius merè naturale.

Respondetur, negando primam eius partem: nam verbum mentis est quid creatum, & in eodem genere, scilicet *termini formalis*, vnit Deum beatis, non quidem personaliter, nec substantialiter, sed accidentaliter: modus autem iste substantialis, nostr: propositione explicatus, non ita assignatur à nobis, quasi velimus illum esse causam formalem, à qua homo est & dicitur Deus;

B VI.

nam *hic homo* constituitur formaliter *Deus*, per Verbum vnitum humanitati; sicut econtrà *Verbum* constituitur formaliter *homo*, per humanitatem inexistentem Verbo, secundùm rationem subsistendi, sed tantùm volumus modum istum esse conditionem ad id requisitam, seu esse intimam applicationem istius causæ formalis, quemadmodum vnio albedinis cum pariete, seu actualis inhærentia albedinis in pariete est conditio requisita, vt paries sit albus, cuius tamen causa formalis est ipsa albedo.

Ad secundam eiusdem argumenti partem, quâ dicitur hunc modum *esse aliquid naturale*, quia est idem realiter cum humanitate, respondetur, esse quidem realiter idem: negatur tamen inde sequi, loquendo propriè, esse aliquod *ens naturale*, sed *supernaturale*, quia ex sua natura & conditione ordinat humanitatem ad aliquid supernaturalis ordinis, in qua ordinatione propriè consistit ratio entis supernaturalis, & in eo quòd per nullam vim agentis naturalis possit produci, neque sit debitum ipsis rebus, secundùm purum suæ naturæ ordinem consideratis.

C VII.

Nec obstat, quòd modus iste sit idem realiter cum humanitate, quæ est ordinis tantùm naturalis, quia est aliquid superadditū ei, quod ex propria sua ratione ordinat illam ad aliquid excedens naturam eius: dici etiam potest hunc modum recipi in humanitate, non secundùm potentiam eius passiuam naturalē, sed obedientialem, iuxta quam est assumpta à Verbo: quæ potentia, vt sic considerata, est supernaturalis, quia à nullo agente ordinis naturalis potest compleri. Vnde etiamsi modus iste supernaturalis, & potentia obedientialis sit idem realiter & entitatiuè cum

D VIII.

naturali potentia humanitatis, quia tamen habet duplicem virtutem operandi, scilicet *modo naturali, & modo item supernaturali*: secundùm priorem est & dicitur *naturalis*, secundùm posteriorem *supernaturalis*: similiter licèt humanitas, & modus iste sint idem realiter, quia tamen totum compositum ex illis duobus æquipollet duabus entitatibus realiter distinctis à se, licèt humanitas spectata secundùm suam naturam, & in ordine, tam ad causas naturales, quàm ad effectus & finem naturales, erit tantùm naturalis, & ens tantùm naturale: modus autem ei superadditus erit ordinis tantùm supernaturalis, & entitatis.

Obiicies quintò. Modus ille substantialis, aut est aliquid merè corporeum, aut aliquid merè spiritale, aut denique aliquid partim corporeum,

I. aut ſpiritale: non primum, quia non poſſet formaliter vnire animam rationalem, quæ eſt ſubſtantia ſpiritalis, Verbo diuino: nec iterum ſecundum, quia etiam non poſſet vnire formaliter corpus ipſi Verbo diuino: nam terminus formaliter vniens extrema debet habere cum illis proportionem: non etiam tertium, quia ſic eſſet quid compoſitum, & non ſimplex, ſicut debet eſſe modus: ergo modus ille ſubſtantialis non poteſt eſſe terminus huius actionis vnitiuæ.

Reſpondetur, modum iſtum partim eſſe *corporeum*, partim *ſpiritalem*, ſicut eſt tota iſta humanitas Chriſti Domini. Nõ enim eſt totus corporeus, quia non poſſet eſſe formalis terminus vnionis animæ cum Verbo, quæ tamen non fuit diſſoluta in morte Chriſti Domini: neque etiam ob eandem rationẽ totus eſt ſpiritalis: ergo debet eſſe partim corporeus, partim ſpiritalis. Cuius
II. rei hæc eſt ratio, quòd modus iſte debeat habere B aliquam conuenientiam cum ipſa ſubſiſtentia creata, quia admittitur vt illam excludat, & Verbum diuinum poſſit illius vicem ſupplere. Deinde debet habere conuenientiam cum tota humanitate: ergo vt hæc eſt partim ſpiritalis, partim corporea, ita totalis iſte modus erit ex duobus partialibus inter ſe vnitis, quorum vnus erit *corporeus*, alter *ſpiritalis* exiſtens in anima: an autem detur aliquis nouus modus, quo duo illi partiales inter ſe colligantur, dicetur infrà ad quæſt. 6. Modus autẽ iſte, ratione termini, quem, vt ſic, includit intrinſecè, eſt perfectio quædam infinita; nam in hac ſua ratione includit perſonalitatem Verbi diuini, quæ eſt perfectio infinita: eſt enim veluti *inſitio & inexiſtentia humanitatis in Verbo*: ac proinde aliquâ ratione eiuſdem ordinis cum perſonalitate Verbi, & ſecundùm aliquam conſiderationem modus iſte eſt aliquid
III. magis ſupernaturale, quàm ſit vlla qualitas creata, cùm intrinſecè ordinet humanitatem ad ipſummet eſſe perſonale Verbi diuini, vt cum illo conſtituat vnum ens per ſe ſubſtantiale, & ſubſiſtens per ſe: omnes verò aliæ vniones & modi ordinent ſolummodò creaturas intellectuales ad conſtituendum vnum per accidens, ſeu accidentale, & non ad ſubſtantiale.

Obiicitur ſextò. In omni mutatione illud eſt terminus formalis, quod eſt forma in termino totali, quódque directè intenditur ab agente, vt per illum faciat patiens ſibi ſimile, vt patet exemplo diuinæ generationis, in qua eſſentia diuina eſt formalis terminus, quia Pater generans intendit illam communicare Filio: atqui in præſenti difficultate tota Trinitas vniens humanitatem Verbo diuino, intendit communicare hu-
IV. manitati perſonalitatem Verbi diuini: ergo ipſa D ſubſiſtentia Verbi diuini erit potiùs formalis terminus huius actionis vnitiuæ, quàm modus ille aſſignatus. Reſpondetur, in omni mutatione, quâ aliquid *communicatur*, poſſe duplicem diſtingui *formalem terminum*, vnum qui ad diſtinctionem poſterioris vocetur *formalis terminus qui*, & nihil eſt aliud, quàm ipſamet forma, quam talis mutatio vel actio agentis intendit ex ſe & natura ſua communicare patienti, ſeu genito: alterum formalem terminum eſſe, qui ad diſtinctionem prioris, vocetur *formalis terminus quo*, & nihil eſt aliud quàm entitas illa, quâ mediante, *tanquam quodam nexu & actuali applicatione*, ipſum agens per actionem propriè dictam immutatiuam, coniungit patienti formam illam, quam ei communicat: ex qua diſtinctione re-

A ſpondetur maiorem vltimæ huius obiectionis procedere tantùm de termino formali ſumpto priori modo, at nos hîc tantùm agere de termino formali ſecundùm poſteriorem conſiderationem. V.

ARTICVLVS IX.

Quis ſit terminus à quo prædictæ actionis vnitiuæ, quis totalis terminus ad quem, & an ſit aliquid creatum.

QVIA in omni vera mutatione præter terminum formalem ad quem, dantur etiam *totalis terminus ad quem*, & *terminus à quo tam formalis, quàm totalis*, & prædicta actio vnitiua includit mutationem propriè dictam, vt intelligitur ex præcedentibus: ideò hi etiam termini debent à nobis aſſignari. Pro qua re ſit VI.

Prima propoſitio: *Formalis terminus à quo huius actionis vnitiuæ eſt carentia inexiſtentiæ humanitatis in Verbo: totalis autem terminus à quo, eſt non Deus homo, ſeu ipſum Verbum non eſſe hominem.* Probatur. Illud eſt terminus à quo productiuæ actionis, quod per illam deperditur & abiicitur, ſicut illud eſt terminus ad quem, quod per illam ponitur; ſed quod per hanc actionem vnitiuam deperditur, reſpondétque formali termino, eſt *carentia inexiſtentiæ humanitatis in Verbo*, & totalis terminus à quo, qui deperditur, eſt *Verbum non eſſe hominem*, quia per actionem vnitiuam ponuntur termini omninò oppoſiti iſtis duobus: igitur terminus à quo reſpondens formali termino ad quem, eſt *carentia inexiſtentiæ humanitatis in Verbo*, & *totalis terminus à quo, eſt Verbum non eſſe hominem*. Ex quo patet, C humanitatem præcisè ſumptam non poſſe VII. propriè dici terminum à quo huius actionis, quia in omni mutatione ſemper termini ſunt diſtincti à ſubiecto mutationis: at ipſa humanitas eſt ſubiectum mutationis, quæ fit per hanc actionem vnitiuam, quia ſola illa recipit prædictum modum ſubſtantialem, qui per hanc actionem vnitiuam producitur.

Secunda propoſitio. *Totalis terminus huius actionis, ſimpliciter & abſolutè loquendo, ſine vlla diſtinctione, non poteſt dici quid creatum.* Probatur, quia ex S. Thoma hîc art. 7. in reſpõſione ad tertium, eſſe creatum magis reſpicit ipſum eſſe rei, quàm rationem eius, id eſt, ipſa denominatio *creati & creaturæ*, potiùs attenditur penes ipſum *eſſe rei* ſic denominatæ, quàm penes ipſam eius conditionem: atqui ipſum ſubſiſtere Chriſti eſt increatum, & Chriſtus, vt docebimus infrà, non VIII. poteſt dici ſimpliciter creatura: ergo totalis terminus ad quem huius actionis non poteſt dici ſimpliciter aliquid creatum. Deinde quod includit in ſeipſo aliquid increatum, non poteſt ſimpliciter appellari creatum: atqui hic totalis terminus ad quem, includit aliquid increatum, ſcilicet perſonalitatem Verbi diuini.

Tertia propoſitio. *Hic terminus totalis poteſt dici aliquid partim increatum, & partim creatum, & vtrumque ſecundùm quid.* Probatur. In Chriſto ſunt duo eſſe *exiſtentiæ*, vnum *humanitatis*, quod eſt creatum; alterum *ipſius Verbi diuini*, quod eſt increatum, & hæc duo *eſſe* ſunt in hoc totali termino ad quem: ergo totalis ille terminus ad quem poteſt dici aliquid partim increatum, & partim creatum, & vtrumque ſecundùm quid.

I. Quarta propositio. *Hic terminus totalis ad quem, consideratus in ratione termini, & loquendo de illo, cum hac limitatione, potest aliquo modo appellari aliquid creatum.* Probatur. Hic totalis terminus, in ratione termini, cœpit aliquando, quia vnio humanitatis ad Verbum, ex qua resultauit, facta est in tempore: vnde cùm *esse increatum*, dicat, *numquam cœpisse*, fit vt hic totalis terminus, iuxta considerationem termini, non possit dici esse simpliciter aliquid increatum.

ARTICVLVS X.

Vtrùm sit realis aliqua relatio humanitatis ad Verbum, & quodnam sit fundamentum illius.

II. QVONIAM fundamentum præsupponitur relationi, incipiemus ab illo. Scotus suprà existimat nullum dari fundamentum aliud, quàm ipsam nudam naturam humanam, sed vult relationem illam per se primò fieri, vt iam obseruauimus, & est à nobis reiectum ex eo, quod nulla vera actio tendit per se primò ad relationem. Caietanus suprà existimat fundamentum huius relationis esse ipsam vnitatem subsistentiæ Verbi diuini & humanitatis: ratio eius est, quòd in omni vnione fundamentum relationis est id, in quo extrema sunt vnum seu vniuntur: atqui Verbum & humana natura sunt vnum in subsistentia. Sed hæc sententia refellitur primò, quia fundamentum relationis non distinguitur realiter ab ipsa relatione. At hæc relatio est aliquid distinctum realiter à subsistentia Verbi, quia hæc relatio est creata. Deinde fundamentum relationis realis est aliquid distinctum aliquo modo ab extremis sese mutuò respicientibus: sed vnum extremum huius relationis est personalitas Verbi diuini, sit itaque

III. Prima propositio. *Proximum fundamentum huius relationis est modus ille substantialis*, à nobis superiùs explicatus. Probatur. Illud censetur esse proximum fundamentum alicuius relationis, quo, per immutationem subiecti, posito, relatio ei correspondens statim resultat: atqui per actionem vnitiuam humanitatis ad Verbum, humana natura immutatur, & prædictus modus substantialis ponitur, & illo posito hæc relatio statim resultat: ergo prædictus ille modus est proximum fundamentum huius vnionis. Confirmatur. Omnis relatio vnionis fundatur in suo formali termino tanquam proximo suo fundamento, vt patet inductione facta per omnes eiusmodi relationes: atqui hæc relatio est relatio vnionis, sic enim communiter appellatur ab omnibus Theologis: igitur prædictus ille modus, quem assignauimus pro termino formali, est proximum fundamentum huius relationis. Addidi in propositione istam particulam, *proximum*, quia natura humana, quatenus est capax vnionis hypostaticæ, est remotum eius fundamentum.

IV. Secunda propositio. *Datur realis relatio humanitatis ad Verbum: Verbi autem ad humanitatem sibi inexistentem relatio est tantùm rationis.* Prior pars probatur ex eo, quòd omnia requisita ad realem relationem reperiantur in hac relatione, nimirum, extrema realia realiter distincta, Verbum scilicet & humanitas: item fundamentum reale, existens de facto in ipsa humanitate, scilicet prædictus ille modus substantialis ordinans humanitatem ad Verbum, à quo distinguitur etiam realiter. Posterior pars eiusdem propositionis probatur. Vbi aliqua referuntur ad se inuicem, & ex parte vnius extremi aliqua ex prædictis conditionibus requisitis ad realem relationem deficit, tunc hæc relatio ex parte talis extremi est tantùm rationis, vt Dialectici cõmuniter docent, & patet ex omnibus relationibus Dei ad creaturas, quæ licèt ex parte creaturarum sint reales, attamen ex parte Dei sunt solummodò rationis, vt Theologi communiter docent primâ parte. Atqui in præsenti casu ad realem relationem, ex parte Verbi diuini, deficit proximum reale fundamentum, quia per hanc actionem vnitiuam nihil reale est de nouo positum in illo, cùm nulla ratione sit propriè immutatum, vt suprà docuimus, nec si humanitatem (vt potest, loquendo absolutè) derelinqueret, esset amissurum aliquid reale sibi intrinsecè & formaliter inexistens tanquam subiecto.

V. Nec obstat quòd sanctus Thomas, hac quæst. art. 8. in corpore, dicat, *Nomine vnionis importari relationem æquiparantiæ.* Nàm id tantùm intelligitur, *quoad denominationem*, quatenus scilicet Verbum diuinum dicitur & denominatur vnitum, sicut & humana natura dicitur & denominatur vnita Verbo diuino: nam verbi gratia sanctus Thomas, hoc nomen, *vnio*, nihil determinat, scilicet nec terminum à quo, nec terminum ad quem, sicut hoc nomen, *assumptio*, quod, quia dicitur quasi *ad se sumptio*, determinat terminum à quo & ad quem, quorum neutrum hoc nomen, *vnio*, determinat: vnde indifferenter dicitur, quòd humana natura est vnita Verbo, & Verbum est vnitum humanitati, imò si hæc relatio esset realis ex parte Verbi diuini, adhuc esset disquiparantiæ seu diuersæ rationis, vt rectè docet Scotus 3. sententiarum distinct. 1. quæst. 1. quia scilicet fundamenta illius semper essent diuersæ rationis, putà *sustentare & sustentari, terminare & terminari*; sicut etiam videre est in vnione subiecti subsistantialis ad suum accidens, & è contrà.

VI.

VII.

VIII.

DISPVTATIO VII.

De speciali influxu reali Verbi diuini in humanitatem assumptam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Status quæstionis, & sententia affirmans explicatur.

NOTANDVM est præsentem difficultatem procedere de eo tantùm influxu physico seu reali, qui in genere causæ efficientis, loquendo propriè, ita sit à solo Verbo, vt non sit simul ab aliis duabus personis diuinis cum Verbo producentibus. Nam de morali influxu, quo aliquis valor confertur alicui, nulla est difficultas inter Theologos, quin talis influxus detur, qui ita sit à solo Verbo, vt tamen in tali genere non sit ab aliis duabus personis diuinis. Cùm enim solum Verbum fuerit incarnatum pro nobis, sic satisfecerit, nos redemerit, patiendo, moriendo, non item sic Pater, vel Spiritus sanctus, & hæc satisfactio acceperit suum valorem infinitum à per-

I. sonalitate Verbi, vt suprà ostendimus, fit vt Verbum diuinum habuerit aliquem *influxum moralem* in humanitatem à se assumptam, ad quem tamen vt sic duæ aliæ diuinæ personæ non concurrunt.

Vnde sola restat difficultas *de influxu physico*, quæ difficultas non est recens, nec pars eius affirmans, est tantùm asserta nostro tempore. Nam Scotus expressè 3. sententiarum dist. 1. quæst. 1. & quodlibeto 8. illam pertractat, & partem eius affirmantem tribuit Henrico Gandauensi quodlibeto 13. quæst. 5. Similiter eius discipuli de Rada suis controuersiis ad librum 3. sententiarum controuersia 1. art. 5. de Petigianis in lib. 3. sententiarum dist. 1. art. 20. quorum hic posterior refert Guillelmum Varronem præceptorem Doctoris subtilis etiam asseruisse partem affirmantem 3. sententiarum dist. 1. quæst. 4. est tamen

II. duplex modus explicandi, & defendendi illam. Prior Gandauensis & Varronis suprà, scilicet humanitatem Christi Domini dependere à solo Verbo in duplici genere causæ, nimirum efficientis & formalis per illapsum.

Quòd si quæras, in quo consistat specialis ille illapsus: Gandauensis loco citato explicat illum per analogiam ad illum communem illapsum, quem Deus naturaliter habet in omnibus rebus, qui iuxta illum ibi consistit in his duobus. Primum, quòd sicut Deus secundùm suam substantiam, est in qualibet creatura per intimam penetrationem illius (quam ibi vocat *circumincessionem*, & explicatur exemplo ignis penetrantis ferrum candens) ita etiam Verbum diuinum intimetur, id est, sit realiter intra ipsam humanitatem, eámque penetret per *circumincessionem*, alio modo speciali & distincto ab eo, quo tota

III. Trinitas est per illapsum in omnibus creaturis. Secundum, in quo constituit eiusmodi illapsum, est, quòd sicut illapsus Dei in quamlibet creaturam communis toti Trinitati est ad stabiliendum primum actum naturæ, qui est *esse, seu existere*, id est, ad conseruandam creaturam in suo esse, & præterea ad faciendum, vt possit elicere propriam suam operationem cooperando ei: ita etiam Verbum diuinum per illum specialem & supernaturalem illapsum, quem habet in humanitatem Christi Domini, illam penetrando per singularem circumincessionem, eleuet illam ad actum primum, qui est *esse diuini suppositi, seu illam in tali esse speciali conseruet*: & quòd præterea eleuet eius propriam potentiam ad actum secundum, *qui est operari actum beatificum intelligendi & volendi*, id est, faciat vt eius intellectus

V. & voluntas, quæ sunt propriæ facultates hominis, possint exercere actus beatificos tam dilectionis, quàm visionis. Vnde, quia intellectus & voluntas non sunt in creaturis irrationalibus, existimat ibidem esse probabilius Verbum, etiã de potentia absoluta, non potuisse illas assumere.

Posterior modus explicandi eamdem sententiam, quem assignat & sequitur insignis quidam recentior, est singulare illud, quod Verbum diuinum præstat humanitati, non esse in genere causæ materialis, vel finalis, vel formalis (in quo vltimo discrepat à prædictis auctoribus) sed solùm in genere causæ efficientis, & Incarnationé propriè in eo consistere, quòd Verbum intimè præsens humanitati, per suam personalitatem, præbeat humanitati aliquem influxum peculiarem, ad eam sine supposito conseruandam, ratione cuius conseruationis, dicitur eius suppositum,

A & ex eo, & ipsa natura humana, vnus Christus resultat; sicque, quoad efficientiam physicam Verbi in humanitatem, conuenit cum duobus prædictis auctoribus. V.

Quòd si obicias huic sententiæ, omnem influxum physicũ diuinæ personalitatis esse ab essentia communi omnibus personis diuinis, &, ex receptissima Patrum & Scholasticorum sententia, omnia opera Trinitatis ad extra esse indiuisa. Ad primum respondet, essentiam diuinam considerari duobus modis. Primò, vt est *communis*: deinde, vt est *determinata ad aliquã personalitatem*, negátque omnem influxum diuinæ essentiæ esse ab illa, vt priori modo consideratur, sed vult dari etiam aliquem influxum, qui sit ab essentia vt determinata ad personaliratem, Patris seorsim, & Filij seorsim, & Spiritus sancti seorsim. Ad secun-

B dum respondet, prædictum axioma esse intelli- VI.
gendum de operibus quæ fiunt à Deo, vt est vnus in tribus personis, & vt operatur per essentiam, quatenus est *communis*: non autem de iis operibus, quæ possunt manare à diuina essentia vt *determinata*, seu quatenus inclusa in tali persona, vel quæ manat à propria personalitate alicuius personæ diuinæ, exempli gratiã, in præsenti mysterio à personalitate Verbi.

ARTICVLVS II.

Sententia negans probatur ex sacris Scripturis.

OPPOSITA sententia, quam hæc nostra propositione explicamus, est simpliciter & absolutè tenenda, *Verbum diuinum nullum habet realem influxum in genere causæ efficientis propriè dictæ in humanitatem à se ipso assumptam, qui non sit etiam ab aliis duabus personis diuinis.* Hæc pro-

C positio in propriis terminis est Magistri senten- VII.
tiarum lib. 3. dist. 1. §. *Sed fortè aliqui dicent*, vbi eã probat duobus testimoniis: primo libro de fide ad Petrum cap. 2. qui recensetur inter opera S. Augustini, cùm tamen sit S. Fulgentij, vt annotarunt Louanienses: altero S. Augustini lib. 1. de Trinitate cap. 4. Est etiam hæc propositio Scoti lib. 3. sentent. dist. 1. quæst. 1. toto quodlibeto 8. item duorum eius discipulorum locis superiùs relatis. Probatur autem hæc nostra propositio: primò, ex illo Christi Domini apud S. Ioan. cap. 5. *Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc & similiter Filius facit.* Circa quem locum, imprimis notandum est, illum esse intelligendum de operibus, quæ sunt ad extra: nam istis verbis Christus Dominus redditrationem, cur curando paralyticum Sabbato, non violauerit Sabbatum,

D de cuius tamen Sabbati violatione ibi accusa- VIII.
batur à Iudæis: quia, scilicet, Deus Pater operatur in Sabbato. Vnde cùm ipse Christus vt Deus operetur cum illo, sicut Pater, non violat Sabbatum operãdo ad extra, ita nec Christus, vt Deus, operando in Sabbato. Quem sensum, hæc verba Christi Domini ibidem paulò antè ab eo prolata, indicant, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Notandum secundò, ita locum hunc intelligi de operibus ad extra, vt tamen Christus Dominus loquatur de illis, vt sunt à se, tanquam Deo, & non vt sunt à se, tanquam homine. Tum quia Iudæi eum ibi accusantes acceperunt eius verba in hoc sensu, vt Euangelista ibi expressè tradit, dum statim subiungit, *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non so-*

I. *Iàm soluebat Sabbatum. sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Quem ludæorum sensum Christus Dominus ibi non correxit, sed potiùs confirmauit, ita dicens, *Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Tum etiam quia Patres intelligunt locum illum de operibus Christi Domini, quatenus, ratione eius diuinitatis, sunt miraculosa, sic S. Hilarius lib. 7. de Trinitate, S. Chrysostomus homil. 37. in Ioannem, S. Augustinus in S. Ioannem tract. 18. 19. 20. 21. quæ testimonia S. Thomas de verbo ad verbum refert in sua catena ad hunc locum: S. Ioannis: quibus addi possunt S. Athanasius, sermone de sanctissima Deipara, & sermone 3. contra Arianos, S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. cap. 133.

II. Tertiò, circa hunc eumdem locũ notandæ sunt istæ tres particulæ, *quicquam, nisi, similiter:* Nam omnes illæ denotant nullam operationem ad extra, siue quantumuis minimam, siue quantumuis maximam, esse à Deo Patre, quæ etiam non sit à Filio, & è contrà. Prima quidem, quia negatio ei præposita facit, vt illius significatio sit eadem ac istius particulæ, *nihil*, in illa sententia Christi Domini, apud S. Ioannem cap. 15. *sine me nihil potestis facere.* Atqui significatio huius posterioris particulæ eo loci, est, vt nihil, siue illud sit parum, siue multum, possit fieri sine Christo: quemadmodum explicat S. Augustinus tract. 8. in Ioannem: ergo & significatio huius particulæ, *non potest quicquam*, vt prolatæ de Filio Dei Incarnato, est, quòd Filius Dei nullam possit ad extra exercere operationem in genere causæ efficientis, quam etiam Pater eius non exerceat & è contrà.

III. Nec potest responderi, particulam istam, *à se*, tantùm denotare, quòd Filius acceperit quidem principium operandi ad extra à Patre, nec habeat illud à semetipso, quod est verissimum: non tamẽ denotare Filium non reducere principium istud ad aliquem actum, Patre eius non concurrente, seu Filium, per tale principium non operari de facto aliquid ad extra, quod etiam Pater non producat, quod tamen solum hîc quæritur. Hoc, inquam, non potest responderi, nam hęc sequens particula, *Nisi quod viderit Patrem facientem*, significat expressè Filium non solummodò habere à Patre principium operãdi ad extra, sed etiam Filium nihil operari ad extra, nisi quod & Pater simul operatur: eo enim ipso quo Filius dicit se nihil operari, *nisi quod viderit Patrem facientem*, particula illa, *nisi*, quod exprimit se, Christum scilicet, illud ad extra facere, quod Pater facit & simul cum illo, quatenus hæc particula, *nisi*, ibi, *non ponitur exceptiuè*, quasi importet aliquam exceptionem, *at sumitur aduersatiuè*, vt loquuntur grammatici, seu loco particulæ, *sed*, vt sit sensus, Filius semper facit, quod videt Patrem facientem: quemadmodum intelligitur ex simili testimonio apud eundem S. Ioannem, cap. 14. *A me ipso non loquor, sed Pater in me manens, ipse facit opera.* Confirmatur ampliùs ex ista eiusdem loci particula, *similiter*, quæ non tantum æqualitatem virtutis, sed etiam omnimodam identitatem operationis ad extra significat esse, respectu Patris & Filij. Ex quibus omnibus hæc ratio potest formari pro nostra propositione. Quandocumque tanta est identitas omnis verè & propriè dictæ operationis in genere causæ efficientis, inter aliquas personas,

A vt ea sit non tantùm numerica, quoad principium operandi, sed etiam quoad ipsummet eius exercitium, secundùm quamcumque suam rationem consideratum: tunc vna illarum persona nihil potest operari in eo genere, quin & alia simul operetur, nec aliquid potest dependere ab vna in genere causæ efficientis, quod etiam simul & secundùm eandem rationem non dependeat ab alia, vt intelligitur ex ipsis terminis: atqui, ex citato illo verbo Christi Domini, S. Ioan. 5. & altero Ioan. 14. est numerica identitas, nõ tantùm potentiæ & virtutis ad operandum ad extra, sed etiam omnis & cuiuslibet operationis ad extra, quomodocumque consideratæ, in genere causæ efficientis inter personam Filij diuini, & personam Patris eius, vt ostendimus expendendo singulas partes prædictæ sententiæ Christi Domini: ergo persona Filij diuini non potest operari aliquid ad extra, quod propriè sit in genere B causæ efficientis, quod etiam ipse Pater non operetur, & ex consequenti Spiritus sanctus: ergo nec aliquid facere in genere causæ efficientis circa humanitatem à se assumptam, quod etiam Pater & Spiritus sanctus non faciant.

V. VI.

ARTICVLVS III.

Eadem sententia negans probatur ex Patribus.

PATRES eandem veritatem tradunt, vbi agunt de hoc mysterio Incarnationis, volũtque explicare, quidnam speciatim sit à sola personalitate Verbi diuini in illo: quid item ab omnibus & singulis simul personis diuinis: docent enim illud omne, quod habet rationem C effectus seu operationis in hoc mysterio, esse à tota Trinitate. Sic S. Ambrosius tract. in Symbolum Apostolorum, cap. 9. ita ait, *Sancta & inseparabilis Trinitas numquam aliquid extra se sigillatim operari nouerit.* Vbi illæ particulæ, *numquam*, & *extra se*, sunt diligenter notandæ: deinde subiungit ibi, se velle id probare, facta inductione per plura mysteria nostræ fidei, inter quæ primo loco recenset mysterium Incarnationis, *Incarnationem Verbi*, inquit, *Trinitas fecit & tamen non pertinet nisi ad Verbum.* Quòd verò hæc postrema verba, *& tamen non pertinet*, &c. excludant omnem efficientiam propriè dictam à Verbo, respectu humanitatis, patet ex alijs exemplis quæ ibi profert, quæque nullam important efficientiam, vt est vox illa, quæ post baptismum Christi supra illum est audita, *tu es Filius meus dilectus*, quæ *quoad efficientiam* est à tota Trinitate, licèt *quoad rem & personam representatam*, sit solius personæ Patris: sic descensus Spiritus sancti in forma columbę supra Christum, erat *effectiuè* à tota Trinitate, at *quoad repræsentationem*, erat solius Spiritus sancti. Ergo, quemadmodum in his duobus mysteriis, tam secundùm rei veritatem, quàm iuxta mentem sancti Ambrosij, ibi quicquid fuit veræ efficientiæ & operationis, totum illud fuit à tota Trinitate, & nihil à sola persona Patris vel Spiritus sanctitirita etiam, iuxta eumdem S. Ambrosium, in mysterio Incarnationis (quod est primum eius exemplum pro confirmanda veritate huius axiomatis, *Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa*) quicquid reperitur veræ efficientiæ, & operationis in mysterio Incarnationis, est à tota Trinitate, & nihil à sola persona Filij: sic etiam S. Augusti-

VII. VIII.

I. nus lib. 2. de Trinitate, cap. 5. iisdem ferè exemplis, quibus nunc S. Ambrosius, probat quicquid fuit efficientiæ & operationis in mysterio Incarnationis, totum illud fuisse à tribus personis Trinitatis, *Sic ergo*, inquit, *intelligat illam Incarnationem, & ex Virgine natiuitatem, in qua Filius intelligitur missus, vna eademque operatione Patris & Filij inseparabiliter esse facta, non vtique inde separato Spiritu sancto.* Et paulò pòst explicat ita totam hanc efficientiam esse à tribus personis diuinis, vt tamen terminatio sit à sola persona Filij, his verbis, *Quapropter cùm eum Pater verbo misit, à Patre & verbo eius factum est, vt æternus Filius mitteretur.* Qua loquendi formula apud Patres nunc citatos, & apud Scholasticos, tam lib. 1. sent. dist. 15. & seq. quàm primâ parte, quæst. 43. nihil aliud intelligitur, quàm sola & nuda terminatio, qua persona, quæ dicitur mitti, terminat id, secundùm quod dicitur mitti: vnde cùm missio Verbi diuini sit ipsa eius apparitio in carne assumpta, vt ibidem explicant citati auctores, mens Patrum istis locis est, Verbum nihil efficientiæ præstitisse in hoc mysterio, quod aliæ diuinæ personæ non præstiterint, sed illud solùm terminasse humanitatem. Quod adhuc repetit idem S. Augustinus eodem lib. 2. cap. 10. & explicat exemplo vocis illius, quæ Math. 3. & Ioan. 12. audita est super Christum, quæque est à tota Trinitate, licèt sit solius Patris quoad demonstrationem: *Non quia*, inquit, *fieri potuit vox sine opere Filij & Spiritus sancti, (Trinitas quippe inseparabiliter operatur) sed quia ea vox facta est, quæ solius Patris personam ostenderet: sicut humanam illam formam ex Virgine Maria Trinitas operata est, sed solius Filij persona est.* Vbi animaduertendum est, S. Augustinum applicare istud *(Trinitas inseparabiliter operatur)* etiam cum distincta & explicita enumeratione personarum, dum agit de hoc mysterio: ideóque vt hoc axioma rectè applicetur ei, mens S. Augustini debet esse, Verbum diuinum nihil veræ efficientiæ habuisse in eo, quod etiam aliæ personæ diuinæ non habuerint, sed tantum velle, humanitatem illam esse solius Filij, quatenus solus ille eam terminat. Quod iteram habet in suo Enchiridio ad Laurentium, cap. 38. dum ita ait, *Sed cùm illam creaturam, quam Virgo concepit & peperit, quamuis ad solam personam Filij pertinentem,* (quatenus scilicet solà illa eam terminat) *tota Trinitas fecerit, neque enim separabilia sunt opera Trinitatis, cur in ea facienda solus Spiritus sanctus nominatus? an & quando vnus trium in aliquo opere nominatur, vniuersa operari Trinitas intelligitur? ita verò est.* hactenus S. Augustinus. At si persona Filij aliquid speciatim & particulariter operaretur in mysterio Incarnationis sine aliis duabus personis, S. Augustinus falsò diceret, *& opera Trinitatis non esse separabilia, &, quando vnus trium nominatur in aliquo opere, intelligi vniuersam Trinitatem operari.* Nec expositio huius axiomatis, superiùs allata à recentiore, posset excusare S. Augustinum, cùm hîc loquatur expresè de mysterio Incarnationis, & cum distincta & expressa nominatione diuinarum personarum. Est etiam apud eumdem S. August. tract. 20. in Ioannem, paulò post initium, insignis locus pro nostra propositione: nam ibi explicans locum S. Ioannis citatum à nobis, eodem planè modo, quo illum supra exposuimus, ita habet: *Catholica fides hoc habet firmata spiritu Dei in sanctis eius, contra om-*

II. III. V.

A *nem hereticam prauitatem: quia Patris & Filij opera inseparabilia sunt:* Itè paulò pòst, illud explicans, ita ait: *adhuc planiùs dicam quid sit, opera inseparabilia sunt. non dicit Catholica fides, quia fecit Deus Pater aliquid, & fecit Filius aliquid aliud: sed quod fecit Pater, hoc & Filius fecit, hoc & Spiritus sanctus fecit.* At si vera esset opinio, quam impugnamus, istud esset falsum, *non dicit Catholica fides*, &c. & adhuc ibidem fusè istud probat, toto illo tractatu, vbi aliquanto post medium, ita loquitur de Filio. *Totum quod est, de Patre est, totum quod potest, de Patre est, quoniam quod potest & est, hoc vnum est, & de Patre totum est.* Vbi particulæ illæ, *totum quod potest, hoc vnum est*, sunt notandæ: nam dicendo, *totum quod potest*, complectitur omnem & quamlibet efficientiam ad extra, quæ aliqua ratione potest conuenire Filio quomodocumque spectata: qui B enim dicit totum, nihil excludit. Deinde dicendo, *hoc vnum est*, asserit illud esse idem planè numero in Patre, & Filio, sicut vna & eadem omnino numero est substantia & potentia in Patre & Filio, quemadmodum ratiocinatur circa medium huius eiusdem tractatus.

Similiter possumus proferre Concilia in confirmationem nostræ propositionis, Toletanum 6. cap. 1. vbi Patres non solùm dicunt totam Trinitatem concurrisse ad peragendum hoc mysterium Incarnationis, sed & in illius explicationem proferunt prædictum axioma: ita enim habent, *Et cùm tota cooperata sit Trinitas formationem susceptí hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius susceptit hominem in singularitate personæ.* Item Concilium Toletanum II. nam Patres in prima confessione fidei; ita profitentur omnes & singulas personas C Trinitatis esse vnius potentiæ, vt circa medium ita dicant, *Nec tamen tres istæ personæ separabiles æstimandæ sunt, cùm nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia extitisse, vel quidpiam operata fuisse aliquando credatur: inseparabiles enim inueniuntur, & in eo quod sunt, & in eo quod faciunt.* Vbi primò notanda illa particula, *vel quidpiam operata fuisse aliquando*, quæ esset falsa, si Verbum diuinum aliquid operatur efficienter circa humanitatem à se assumptam, quod Pater & Spiritus sanctus non operentur. Secundò, notanda est & hæc alia particula, *(inseparabiles inueniuntur in eo quod sunt, & in eo quod faciunt.)* Vbi Concilium parem facit conditionem vnitatis & identitatis operationis trium personarum, ac substantiæ seu essentiæ illarum, quemadmodum & sanctus Augustinus tract. citato 20.

VI. VII.

Articvlvs IV.

VIII.

Eadem negans sententia probatur ratione.

D

Prima sit hæc nostra ratio. Quandocumque idem numero formale principium, tam quoad rationem producendi, quàm ad conditiones ad id requisitas, reperitur in pluribus personis diuinis: tunc terminus, qui per tale principium producitur, est simul & semel indiuisim ab illis omnibus personis, in quibus tale principium sic reperitur: atqui diuina potentia, seu virtus, est in Deo formale principium operandi ad extra per realem & veram efficientiam, vt admittunt omnes Philosophi & Theologi, & hæc potentia est eadem omnimodè numero in omnibus & singulis personis diuinis: itèm quoad

I. rationem producendi, & quoad conditiones ad id requisitas, illa eodem planè modo sese habet ad vnam & ad alias personas diuinas : igitur terminus per talem potentiam diuinam productus, est simul, semel, & indiuisim ab omnibus tribus personis diuinis : igitur quicquid Filius producit in humanitate à se assumpta per hanc potentiam, est etiam simul, semel, & indiuisim ab aliis diuinis personis, & proinde Verbum diuinum nullum habet realem influxum in genere causæ efficientis in humanitatem à se assumptam, quam etiam Pater & Spiritus sanctus, simul, semel, & indiuisim non habeant.

Maior patet ex processione Spiritus sancti, quę propter rationem in hac maiori contentam, est indiuisim, simul, & semel à Patre & Filio, quemadmodum docent Scholastici agendo de illa primâ parte. Minor, quoad primam suam partem,

II. patet ex citatis Patrum testimonis. Quoad secundam, patet etiam ex eo, quod id, per quod hæc potentia tanquam formale principium operandi applicatur, est ipsa voluntas diuina, & id, per quod dirigitur in operando, est ipse intellectus diuinus : at ista duo sunt eadem omninodè in omnibus & singulis personis diuinis, cùm vt sic inter se non opponantur,, & omnis distinctio realis in diuinis attendatur penes relatiuam oppositionem, ex Concilio Florentino.

Nec potest responderi, disparem esse rationem productionis Spiritus sancti, à productione alicuius effectus : quod hic sit ad extra, & proinde liberè : productio autem Spiritus sancti ad intra, & necessariò. Hoc, inquam, responderi non potest, quia, licèt, absolutè loquendo, sit liberũ Deo operari ad extra & non operari, applicare suam agẽdi virtutem seu potentiam ad hunc effectum

III. producendum, vel non applicare : non tamen est liberũ ipsi Patri, quatenus distinguitur personaliter à Filio, vel è contrà Filio, applicare aut dirigere virtutem suam actiuã seu productiuam alicuius veri & realis effectus, ipso Filio, vel Spiritu sancto illam similiter non applicante, vel non dirigente, cum sit idem numero intellectus, eadem numero voluntas, & libertas in omnibus & singulis personis diuinis, cúmque personalitas Patris & Spiritus sancti sint connaturales ipsi essentiæ diuinæ & eius attributis. Ergo etiam si diuinæ personalitates sint à se inuicem distinctæ realiter, quia tamen tam *principium quo formale operantur*, quam *quo* illud applicãt & dirigũt sunt eadem omnino & necessario in omnibus & singulis personis diuinis, nõ poterit vna ex personis diuinis operari aliquid ad extra, quod etiã simul & indiuisim aliæ diuinę personæ non operentur.

IV. Probatur amplius hæc tertia pars eiusdem Minoris. Tunc tantùm aliquod attributum Dei, vel eius essentia, vt existens in vna, aut duabus solummodò personis diuinis, potest esse aliquod principium productiuum sine aliis personis, quando illa, ad hoc vt reducatur ad actum secundum, postulat specialem illam personalitatem aut duas, per modum cuiusdam conditionis vel connotati, aliis personis nec connotatis nec requisitis : quando verò neutrum istorum intercurrit, tunc terminus correspondens principio productiuo postulat esse ab illo, vt existente in omnibus personis diuinis : atqui nec essentia diuina, nec aliquod eius attributum, ad hoc vt in ratione principij productiui alicuius effectus circa humanitatem à verbo assumptam reducatur ad actum secundum, postulat specialiter personalitatem Verbi diuini, per modum alicuius conditionis, nec illam solam connotat : ergo nec diuina essentia, nec aliquod eius attributum, vt existẽs in sola personalitate Filij, potest esse principium productiuum alicuius effectus circa humanitatem à se assumptam, sine aliis duabus personis diuinis : ergo quicquid est efficienter ab essentia diuina, vt existẽte in Verbo diuino, circa humanitatem, est etiã efficienter ab aliis duabus personis diuinis. Maior hæc vltima, quoad vtrámque partem, patet ex mysterio Trinitatis. Quoad primam, ex eo quòd, licèt Deus Pater habeat totam & adæquatam virtutem spirandi secundum se & præcisè spectatam in actu primo, quia tamen illa, vt reducatur ad actum secundum, postulat per modum cuiusdam conditionis, esse etiam in persona Filij : ideo, vt existens in solis illis duabus personis, potest esse principium

B Spiritus sancti, quemadmodum docuimus ex professo, primâ parte ad quæst. 36. quoad posteriorem etiã partem, patet ex ipsa generatiua potentia Patris, quam eadem primâ parte, ad quæst. 41. docuimus ex S. Thoma ibi, esse ipsam diuinã essentiam, vt connotantem relationem paternitatis : ideóque, sicut paternitas est in sola prima persona Trinitatis, ita etiam solus ille habet potentiam generandi, eamque reducit ad actum secundum. Minor autem huius eiusdem nostri argumenti probatur : quia quicquid potest fingi esse efficienter circa humanitatem ab essentia diuina, vt connotante personalitatem Verbi, vel eam solam requirẽte per modum cuiusdam conditionis, illud idem potest esse ab essentia diuina existente in personalitate Patris aut Spiritus sancti : quia tam benè persona Patris, aut Spiritus sancti, loquẽdo absolutè, poterat assumere illam

C numero humanitatem, quam Verbum assumpsit, & dare illi totum illud, quod est in illa, in ratione effectus propriè dicti, quàm persona Filij illi communicet.

Probatur secundo nostra propositio. Ab eo tantùm personæ diuinæ sese mutuò excludunt, ratione cuius habent realem ad se inuicem oppositionem : quia sola relatiua sunt illis propria, vt docent Theologi primâ parte, agendo de diuinis relationibus, & de processione Spiritus sancti à Patre & Filio : atqui personæ Patris & Spiritus sancti non habent relatiuam oppositionem realem ad Filium, ratione alicuius effectus propriè dicti ad extra in humanitate assumpta à verbo producti, nec è contra Filius ad illas : quia omnes Theologi quatuor tantùm reales relationes agnoscunt in diuinis, vel si qui alias agnoscant, vt Scotus æqualitatem, volunt tamen esse æternas,

D & omnino ad intra, cuiusmodi non est hæc : cùm hoc mysterium sit tantùm peractum in tempore, & proinde relatio hæc illis tantùm aduenire in tempore : & cùm dicat aliquam perfectionem in suo subiecto, perficeret etiam in tempore personas diuinas, sicque illas supponeret obnoxias mutationi, quæ omnia sunt absurda. Tertiò, omnis realis effectionis debet aliquis terminus, per cam productus, assignari : at opinio hæc, quam impugnamus, non potest explicari, quidnã realis hæc effectio, quæ est à solo verbo, producat in humanitate : nam terminus ille aut est aliquid reale, distinctum aliquo modo ab humanitate & Verbo, aut nihil, sed simplex & nuda conseruatio humanitatis sine propria subsistentia : non primum quia secundùm illam nihil producitur de nouo in humanitate, & ea omnia, quæ hæc opi-

V. VI. VII. VIII.

I. nio potest congerere contra nostram sententiam de modo subsistendi, superius expositã, poterũt retorqueri contra illam. Non item secundum, nam aut simplex, & nuda illa conseruatio humanitatis sine propria sua existentia, importat aliquid de nouo in illa positiuè receptũ per vnionẽ Verbi ad illam, aut nihil. Si primum, redeũt omnia illa argumenta, quæ hæc opinio cõgessit contra nostram prædictam sententiam, & præterea debet explicare, quidnam sit illud; quâ ratione possit esse à sola persona Verbi: cùm Scripturæ, Patrum auctoritates & rationes allatæ ostendant id non posse esse. Si secundum, ergo falsum est, personam Verbi habere aliquẽ specialem influxum in humanitatem, cùm talis conseruatio tunc solummodò fiat per aliquam substractionẽ concursus diuini, qui cùm posset conseruare substantiam cum sua propria subsistentia, iam conseruat

II. illam sine propria sua subsistẽtia. At talis substractio non potest esse à solo Verbo, sed ab omnibus simul personis diuinis, quia eius superioris agentis est substrahere suum concursum, cuius est eum dare: sed concursus ille, quo in primo instanti naturę humanitas Christi Domini erat sine propria sua personalitate, erat totius Trinitatis seu omniũ diuinarum personarum simul, & concursus ille qui fuisset ei datus ad faciendum, vt propria eius subsistentia resultaret, si non fuisset præuenta à Verbo, fuisset ab omnibus personis diuinis simul, quia fuisset eiusdem rationis ac in nobis & aliis subsistantiis creatis. Igitur humanitas Christi Domini non habet suam conseruationem absque propria sua subsistentia à sola persona Verbi, sine cõcursu aliarum diuinarũ personarum. Tandem personalitas Verbi diuini id tantùm præstat humanitati assumptæ, quod propria eius subsistentia tribueret, quia gerit & supplet vices illius, vt

III. omnes Scholastici communiter dicunt: atqui propria subsistentia, loquendo propriè, nullum habet realem influxum in genere causæ efficientis in propriam suam subsistantiam, cùm sit aliquid posterius illa etiam completa secundùm principia sua essentialia, & propria subsistentia sit potiùs quasi effectiuè ab ipsa sua substãtia per emanationem vel resultantiam, quàm substantia accipiat aliquid effectiuè ab illa, sed tantùm terminatiuè, vt omnes Philosophi communiter docẽt in Metaphysicis agendo de subsistentia. Igitur neque personalitas Verbi habet aliquem influxum specialẽ in humanitatẽ à se ipso assumptam.

Secunda propositio. *Etiamsi* (quod tamen ex præcedenti argumento constat esse falsum) *Verbum diuinum haberet aliquem specialem influxum in humanitatem assumptam, sitè ille vocaretur illapsus, siuè esset alius in genere causæ efficientis, ipsa tamen ratio vnionis hypostaticæ, præcisè & formaliter spectata, non consisteret in illo.* Propositio est directè contra auctores prioris opinionis, contra quos probatur. Mysterium vnionis hypostaticæ non potest formaliter consistere in eo quod formaliter & præcisè importat vnionem tantùm accidentalem, nec facit vnum per se, sed solùm per accidens: quia ex Concilio Chalcedonensi & aliis superiùs relatis contra Nestorium, hæc vnio est propriè subsistantialis, & ratione illius, extrema eius prædicantur de se inuicẽ in concreto, quemadmodum iam animaduertimus: atqui vnio Verbi diuini, in ratione alicuius veræ causæ propriè efficientis, cum humanitate, *vt obiecto tantùm, seu patiente*, in quo Verbum producit aliquid realiter, est tantùm accidentalis, nec ratione illius, quantumuis intima supponatur, remanendo intra solos limites coniunctionis causæ efficientis cum patiente, vnum eius extremum potest prædicari de altero etiam in concreto: ergo licèt prædictus ille realis influxus personæ Verbi in humanitatem assumptam à Verbo daretur, adhuc tamen in eo formalis & præcisa ratio vnionis hypostaticæ Verbi diuini ad humanitatẽ non consisteret. Maior patet exse. Minor probatur, inductione factâ per omnes & quaslibet causas efficiẽtes, vt cõiungũtur cum iis, circa quę agunt. Vnde omnis causa efficiens, quatenus talis, solet vocari extrinseca, & hoc potest ostendi exemplo illapsus, ad quẽ prædecẽs opinio vult hoc mysteriũ accedere. Nam ex Deo existente per illapsum in homine, & ex ipso homine simul, nõ fit vnum per se, nec Deus dicitur verè, propriè & formaliter homo, nec è contra homo dicitur Deus: similiter in beatitudine, datur intima vnio diuinæ essentiæ cum intellectu beati, nec tamen beatus est formaliter Deus, nec è contrà etiam in concreto, & ita de reliquis omnibus vnionibus quarumcumque causarum efficientium cùm iis, circa quæ causalitatem purè efficientem exercent.

Et istæ rationes probant similiter, quòd si Verbum diuinum haberet *in genere causæ conseruantis*, specialem influxum in humanitatem Christi Domini, adhuc vnio hypostatica non posset in illo formaliter consistere; hæc enim in eo formaliter consistit, quo ex ipsa personalitate Verbi & humanitate vt vnitis, fit vnum per se subsistantiale; sed ex causa purè & simpliciter (id est citra informationem, quomodo anima conseruat corpus, cum qua facit compositum physicum, vnum aliquod per se) *conseruante*, & ex eo quod conseruat nunquã loquendo propriè fit vnum per se,

VII. etiamsi tam conseruatũ quàm conseruans sint subsistantiæ, & reperiatur essentialis depẽdentia conseruati à conseruante, sed fit tantùm vnũ per accidẽs: omnis enim & quælibet subsistãtia creata dependet essentialiter à Deo vt conseruãte, cum quo tamen non facit vnum per se, sed duntaxat per accidens: ergo etiamsi Verbum diuinum haberet specialem influxum, *in genere causæ conseruantis*, in humanitatem Christi Domini, ipsa tamẽ vnio hypostatica formaliter sumpta nõ consisteret in eo. Deinde personalitas Verbi est intrinseca ipsi Christo, vt composito ex humanitate & personalitate Verbi, causa verò purè & simpliciter conseruans est ei, quod conseruat, etiam quatenus est conseruatum, extrinseca: ergo hypostatica vnio formaliter considerata non potest consistere in eo quod Verbum diuinum aliquo speciali influxu conseruet humanitatem.

IV. Tertiò, admisso illo speciali influxu, Verbum diuinum eo tantùm modo (seruata tamen proportione) sese haberet ad humanitatem Christi Domini, conseruando illam sine propria subsistantia, quo Deus sese habet ad accidentia panis & vini in sacramento altaris, quæ conseruat sine propria illorum actuali inhærentia; quia sicut subsistentia est proprius modus substantiæ, ita & inhærentia, accidentis; sed quando Deus conseruat hæc accidentia sine tali sua inhærentia, non coniungitur illis eo modo quo propria illa subsistantia illis per inhærentiam coniungeretur: ergo pari iure quando Verbum conseruaret speciali concursu humanitatem, illi non vniretur eo modo quo propria personalitas vnitur suæ substantiæ: at hoc est falsum, vt suprà ostendimus, & significat hoc nomen, vnio hypostatica, ergo

VIII.

I. etiamsi Verbum diuinum haberet specialem quemdam concursum in humanitatem Christi, ipsa tamen vnio hypostatica non consisteret formaliter in illo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm humanitas Christi Domini dependeat à Verbo in genere causæ formalis.

SIT hæc nostra propositio. *Humanitas Christi Domini non dependet à personalitate Verbi diuini in genere causæ formalis, sed tantùm, tanquam ab vltimo suo complemento & termino substantiali, ad eum modum, quo nostra natura habet dependentiam à propria sua subsistentia, sublatis tamen omnibus imperfectionibus.* Hæc propositio est contra alteram partem prioris sententiæ, articulo primo huius disputationis relatæ, & eam

II. tradunt Scotus, discipuli eius superiùs citati, & omnes communiter, cuius probatio tota habetur, articulo secundo, disp. tertia huius quæstionis. Nam ibi in responsione ad primum dubium, ostendimus hanc dependentiam posse quidem reuocari ad causam formalem, at loquendo propriè non esse dependentiam alicuius effectus formalis, à sua causa formali propriè dicta: & ibidem, probauimus omnes illas imperfectiones, quæ concomitantur subsistentiam propriam creatam, non habere locum in hoc mysterio: neque propterea tamen hanc vnionem Verbi cum humanitate, esse minùs hypostaticam seu personalem, cùm omnes illæ imperfectiones non sint de formali & intrinseco eius conceptu, qua personalitas præcisè est subsistentia, sed tantùm, qua est *talis materialiter, id est habens rationem modalis entitatis:* quod

III. potiùs spectat ad eius materiale, quàm *ad constitutiuum eius formale*, penes cuius vnionem ad substantiam, ipsa vnio hypostatica propriè dicta debet attendi.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta affirmantis sententiæ articulo primo explicatæ.

SICVT modus explicàdi prædictam primam sententiam est duplex, ita in duplici classe sunt eius fundamenta. Primùm primi modi est, ipsum *assumere humanitatem hypostaticè* est speciale quoddam reale efficere, seu specialem influxum realem habere in humanitatem, sed solum Verbum vt condistinctum à Patre & Spiritu sancto assumpsit hypostaticè humanitatem: ergo solum

IV. Verbum vt condistinctum à Patre & Spiritu sancto habet specialem quendam influxum realem in humanitatem à se assumptam.

Respondetur ex S. Thoma, hac quæstione articulo 8. in corpore, verbum hoc, *assumere*, includere duo in sua significatione: Primum est, *vnire & esse principium vnionis faciendæ*, qua parte importat quoddam efficere: alterum est ipsum, de quo dicitur, *esse terminù talis vnionis* seu esse id ad quod talis vnio sese terminat, nam idem est *assumere ac ad se sumere, & assumptio idem est ac ad seipsum sumptio:* vnde ipsum *assumere* importat duplicem respectum, vnum ad principium efficiens, alterum ad ipsummet quidem principium efficiens, non tamen qua simpliciter est efficiens, sed qua ita est efficiens, vt etiam simul sit terminus talis vnionis. Iam *ipsum assumere*, ratione primi quod importat, est

A quoddam efficere, quia est quoddam vnire, & sic sumptum præcisè, non competit soli personæ Verbi diuini, sed etiam aliis duabus personis diuinis: nam omnes tres diuinæ personæ faciunt vnionem istam hypostaticam, seu vniunt humanitatem personalitati Verbi diuini. At ratione secundi, quo scilicet, non significat simpliciter vnire, sed insuper addit, quòd talis vnio fiat ad personalitatem eius, quod dicitur assumere, ita vt assumens non sit solummodò principium efficiendæ vnionis, sed etiam terminus illius iam factæ, ipsum assumere soli Verbo diuino conuenit, quia solum illud ex omnibus personis diuinis ita vniuit humanitatem diuinæ personalitati, vt sola eius personalitas terminauerit humanitatem.

Secundum fundamentũ est. Incarnari nihil

B est aliud quàm specialiter quodam spirituali modo illabi ipsi carni, at illabi pertinet ad causam efficientem, ergo diuinum Verbum quod solum est incarnatum, habet in genere causæ efficientis specialem influxum realem in humanitatem à se assumptam.

Respondetur negando Maiorem: nam iste illapsus quem Gandauensis ibi fingit, habet, etiam secundùm illum, analogiam ad illapsum, quem Deus cõmuniter habet in omnibus creaturis saltem rationalibus: at illapsus iste in omnibus & singulis hominibus non constituit aliquam speciem Incarnationis, quasi eo ipso, quo iuxta Gandauensem tota Trinitas illabitur omnibus & singulis hominibus, tota etiam Trinitas sit & dicatur esse incarnata, aliàs hoc mysterium vnionis hypostaticæ Verbi diuini cum humanitate non esset singulare, contra sen-

C tentiam S. August. epistola ad Volusianum: an autem illapsus propriè pertineat ad aliquam causam, & si, ad quam, & in quo illapsus præcisè consistat, non spectat propriè ad hunc locum, sed ad primam secundæ, in qua disputando de formali beatitudine, agitur de illo.

Tertium fundamentũ, quo Gandauensis suprà probat humanitatem dependere à Verbo in genere causæ formalis, est eiusmodi. Vnumquodque ad extra dependet in genere causæ formalis à suo formali principio: sed Filius in diuinis ita est ipsummet Verbum diuinum, vt etiam sit formale & proximum principium creandi & agendi ad extra, & humanitatem ab illo assumi, est aliquid ad extra: igitur humanitas vt assumpta à Verbo, pendet etiam à Verbo in genere causæ formalis. Maior patet ex se. Minor quoad posteriorẽ sui partem est euidens, quoad priorem

D probatur ex illo 1. cap. S. Ioan. *Omnia per ipsum facta sunt*, quod significat Verbum esse potentiam operatiuam Patris, & ex consequenti proximum & formale principium rerum ad extra.

Respondetur, nos admittere Filium terminare per suam personalitatem relatiuam, dependentiam humanitatis: negamus tamen, hoc pertinere ad causalitatem causæ formalis, vt loco superiùs citato probauimus. Ad rationem Minoris similiter negamus Verbum diuinum, propriè loquendo, esse potentiam operatiuam Patris, quasi sit *formale principium, quo* Pater diuinus aliquid producit ad extra: hoc enim principium est ipsa diuina omnipotentia. Nec obstat quòd Ioan 1. *Omnia* dicantur *facta per Verbum*, nam id significat, Verbum diuinum, accipiendo per generationem à Deo Patre diuinitatem, simul etiam accepisse potentiam & virtutem

V. VI. VII. VIII.

I. creandi, simúlque cum Patre omnia creasse, vt ad illum locum Patres animaduertunt contra Arianos.

Primum fundamentum iuxta secundum modum explicandi hanc sententiam est: quidquid est in personis diuinis, est actiuum; quia in illis nihil est nisi perfectissimum, & proinde cùm agere sit perfectio, diuina etiam personalitas erit actiua. Ergo, cùm personalitas Verbi vniatur humanitati speciali modo, debet habere in illam specialem influxum.

Respondetur, si iste terminus, *esse actiuum*, sumatur propriè, quemadmodum sumi debet hoc loco, provt sonat esse principium producendi aliquid: respondetur, inquam, illud esse simpliciter & absolutè falsum: nam æternitas est formaliter in Deo, & plura alia eiusmodi attributa sunt etiam formaliter in Deo, quæ, vt à se II. inuicem virtualiter distincta, non sunt actiua, B seu principia productiua: neque enim dici potest quidnam æternitas, quatenus est attributum Dei, producat propriè & efficienter; quidnam similiter immensitas Dei producat: sed hæc attributa tantùm communicant ipsis diuinis personis suum esse formale: præterea diuinas personalitates non esse, proprie loquendo, actiuas, seu efficiéter productiuas rei alicuius, Theologi communiter docent primâ parte agendo de mysterio Trinitatis: nam illę possunt duobus modis considerari. Primo, secundùm præcisam *rationem relationis*, sunt enim relatiuæ, & vt sic, cùm relatio non sit principium agendi ad extra, non sunt aliquid actiuum seu aliquod principium producendi efficienter aliquid. Secundo, considerantur iuxta præcisam *rationem subsistentiæ*, qua faciunt subsistere diuinam essentiam, & III. C vt sic, cùm subsistentia, quatenus subsistentia, non sit principium physicum agendi, quemadmodum communiter docent Philosophi, sed tantùm vltimus quidam terminus & complementum substantiæ, personalitates diuinæ non sunt aliquid propriè actiuum, seu aliquod principium productiuum.

Nec illud, quod ibi affertur in confirmationem, scilicet, *agere est diuina perfectio*, obstat nostræ propositioni, vel etiam responsioni nunc datæ. Nam nõ omnis perfectio debet includi in diuinis personalitatibus, provt illæ sumuntur vt virtualiter distinctæ ab essentia diuina, sed satis est, quòd illæ, vt sumuntur in concreto (qua ratione includunt totam essentiam) vel vt sunt idem cum diuina essentia, dicant & includant omnem quamlibet perfectionem: quia aliàs IV. D cùm ipsum *intelligere*, *velle*, & id genus cætera, sint quædam perfectiones etiam simpliciter simplices, deberent etiam competere ipsis diuinis personalitatibus, vt ab essentia diuina, imò & ab ipso diuino intellectu & eius voluntate distinctis virtualiter: sicque tot essent intellectiones & volitiones, tot intellectus & voluntates numero distinctæ in diuinis, quot sunt personalitates in Deo à se inuicem realiter distinctæ, quod nemo Theologorum admittet, imò & est contra fidem.

Secundum fundamentum. Omnis alius modus, qui fit per aliquam vnionem realem humanitatis cum Verbo, est omnino inintelligibilis & inexplicabilis; quia non potest concipi, qua ratione, interuẽtu alicuius modi realis, Verbum diuinum & humana natura vniantur inter se. Ergo cùm hic solus restet modus constituendi A hanc vnionem per specialem influxum realem in humanitatem; hęc vnio consistet in tali influxu quem habet Verbum in humanitatem. V.

Respondetur hoc mysterium Incarnationis posse iuxta nostram sententiam explicari, non quidem illo perfecto modo, quo sese habet à parte rei: sic enim est nobis ineffabile, sed, suppositâ fide, possumus illud non solummodò iuxta communem terminorum notionem explicare, sed etiam, pro captu tantæ rei & nostri intellectus existentis in via, exponere, quo modo singula sese in eo habeant, per analogiam vnionis nostræ subsistentię & proprij eius muneris ad propriam suam substantiam, semotis tamen imperfectionibus quæ ibi reperiuntur.

Neque modus ille substantialis, à nobis suprà explicatus & constitutus in sola humanitate, debet quemquam dimouere à nostra sententia. Nam non est de ratione actualis copulæ, VI. quatenus est talis, vt *entitatiuè & subiectiuè* insit ambobus extremis, quæ actu & de facto coniungit: sed satis est, quòd insit vni eorum *entitatiuè* illúdque ordinet ad actualem coniunctionem cum alio, in quo hæc eadẽ actualis copula sit tantùm *terminatiuè*. Nam plerique Philosophorum admittunt in linea puncta realia non tantùm terminantia, sed etiam copulantia, & nihilominus, quia quodlibet punctum est indiuisibile, non potest secundùm aliquid suæ entitatis, esse in vna extremitate lineæ, & secundùm aliquid aliud eiusdem suæ entitatis, esse in altera extremitate, sed necessariò est totum in vna illarum subiectiuè, & in altera tantùm terminatiuè: sicut & relatio realis non mutua est tota *subiectiuè* in eo extremo, quod realiter refertur, & in altero tantùm *terminatiuè*, ad quod VII. necessariò ordinat alterum extremum, & modum illum substantialem, quo anima formaliter vnitur corpori, esse tantùm *subiectiuè* in anima, Conimbricenses docent, tract. de anima separata, disputatione 2. art. 1. & Suares in Metaphys. disputatione 13. sect. 9. numero 9. & sequentibus docet, in quolibet composito vnionem formæ cum materia *esse subiectiuè* in sola forma, quam tamen formaliter coniungit corpori.

Tertium fundamentum. Incarnatio Verbi diuini habet similitudinem cum vnione animæ rationalis ad corpus: sed anima rationalis censetur esse vnita corpori benè disposito, ex eo quòd habet ad illud suam præsentiam cum speciali influxu circa ipsum ad proprias suas operationes exercendas. Ergo, pari ratione, vnio Verbi cum humanitate consistet in intima illa VIII. sui præsentia cum prædicto speciali influxu in humanitatem pro illa conseruanda, sine proprio suo supposito.

Respondetur, Maiorem esse veram solummodò, quatenus sicut hæc vnio est substantialis, & ex eius extremis inter se vnitis vnum per se resultat, ita etiam hæc vnio hypostatica est substantialis, & terminus totalis resultans est aliquid vnum per se: hæc autem comparatio non fit penes modum, quo anima informat suum corpus. Est etiam responsum suprà, hanc vnionem non fieri per solam intimam indistantiam animæ ad corpus, sed per modum aliquem substantialem, qui à fortiori sit admittendus in hac vnione, quemadmodum iam animaduertimus.

Tandẽ quod spectat ad explicationẽ illã huius axiomatis, *omnia Trinitatis opera ad extra sunt*

I. indiuisa, quam prædictus recentior affert inter explicandum suam sententiam articulo primo huius disputationis, patet ex Patribus & Conciliis suprà applicantibus illud huic mysterio, esse contra mentem illorum & falsam. Nam primò Patres ibi faciunt paritatem essentiæ diuinæ & operationis ad extra, quoad *identitatem, respectu personarum diuinarum*: ergo qualis erit conditio diuinæ essentiæ ad personas diuinas, talis erit & operationis Dei ad extra: atqui, quocumque modo diuinæ personæ considerentur, siue vt sunt realiter distinctæ à se inuicem & cõstituunt Trinitatem, siue vt sunt quid vnum, & vnus Deus, vnam & eamdem numero tantùm habent diuinam essentiam, vt ipsa fides docet: ergo & vnam eamdémque numero tantùm operationem ad extra omnes illæ diuinæ personæ habebunt, & proinde Verbum diuinum, etiam II. quatenus est persona distincta ab aliis, non habebit aliquam efficientiam sibi soli propriam in humanitatem à se assumptam.

Deinde, quòd duplex illa consideratio diuinæ essentiæ, nimirùm vt *communis & vt determinata ad aliquam personalitatem ex diuinis*, nihil faciat ad præsens institutum, patet ex illa paritate diuinæ essentiæ & operationis ad extra respectu diuinarum personarum, quam Patres locis superiùs citatis tradunt, vt doctrinam non modò communem, sed vt Catholicam (hoc enim nomine S. Augustinus, à nobis suprà relatus, vtitur, loquendo de hoc axiomate) quæ tunc omnino rueret. Tùm etiam quia, dum Patres proferunt hoc axioma, illúdque explicant, non vtuntur solo nomine Trinitatis, vt falsò recens ille opinatur, dum ex hoc vocabulo, *Trinitatis*, vult colligere hoc axioma esse intelli- III. gendum de operibus, quæ sunt à Deo vt in tribus personis, & ab eius essentia vt est communis. Nam & interdum Patres ibi exprimunt distinctè singula nomina personarum, dum loquuntur de hoc mysterio, & de omni efficientia Dei, circa humanitatem, dicúntque personam Filii, vel personam Patris, vel personam Spiritus sancti nihil operari, quòd etiam aliæ personæ diuinæ, quas ibi nominatim exprimunt, non operentur. Sic sanctus Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 5. & tract. 20. in sanctum Ioannem: qua loquendi formula satis clarè significant diuinam essentiam, non tantùm vt communem, sed vt determinatam ad personalitatem Filij, nihil propriè operari ad extra, quod & aliæ personæ simul non operentur, & prædictum axioma esse hoc sensu intelligẽdum.

IV. Cæterùm quòd mysterium Incarnationis ita fuerit factum à tota Trinitate, seu ab omnibus & singulis personis diuinis, vt tamen sola secunda fuerit incarnata, respectu cuius dicitur assumptio, solet hoc familiari exemplo illustrari. Sint tres homines, qui vnum ex se ipsis vestiant, tres verè & propriè dicuntur vestire, seu applicare vestem, vnus tamen illorum solus dicitur vestiri, eámque induere: pari modo, omnes & singulæ personæ Trinitatis peregerunt mysterium Incarnationis, id est, totam humanitatem Christi Domini produxerunt, eámque increatæ subsistentiæ Verbi diuini coniunxerunt: at solum Verbum fuit vnitum illi, solus Filius ex omnibus personis diuinis induit humanitatem, assumpsit, solus ille fuit incarnatus, quia solus ille suâ personalitate dependentiam humanitatis terminauit.

A Sanctus Augustinus sermone tertio de tempore, illud idem illustrat exemplo soni per cytharam redditi, ad cuius effectionem ars, manus & chorda concurrunt, cùm tamen ipsa soni redditio sit solius chordæ. *Ad citharam*, inquit, *respice, vt musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur, ars, manus & chorda, & tamen vnus sonus auditur, ars dictat, manus tangit, resonat chorda. Tria pariter operantur, sed sola chorda personat quod auditur: nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur; sic nec Pater, nec Spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit; operatio in tribus constat: sed quomodo ad solam pertinet chordam soni redditio; sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio.* V. B VI.

DISPVTATIO VIII.

De perfectione vnionis Verbi diuini cum humanitate.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm vnio tàm diuinæ naturæ, quàm Verbi diuini cum humanitate, sit quoad identitatem extremorum maxima vnionum.

C NOTANDVM est ex præcedentibus, duas in Christo Domino distingui vniones: *vnam immediatam* totius humanitatis ad personalitatem Verbi diuini: *alteram mediatam* totius humanitatis ad naturam diuinam, quatenus humanitas, mediante sui vnione ad personalitatem Verbi diuini, vnitur mediatè, & consequenter diuinæ eius naturæ, vt suprà ostendimus. VII.

Notandum secundò, aliquam vnionem posse tribus modis dici maximam; primo, *ipsa identitate extremorum* quæ vniuntur, quando scilicet extrema illa, quæ aliàs secundùm se sunt maximè diuersa, fiunt maximè vnum & idem. Secundo, aliqua vnio potest dici maxima *ipsa indissolubilitate & vinculo*, quando scilicet ipsa vnio & coniunctio extremorum inter se est maximè indissolubilis. Tertio, *dignitate*, quando nimirum ipsa vnio affert maximum quoddam bonum, & maximam quandam dignitatem alteri extremorum inter se vnitorum. D VIII.

Notandum tertiò, aliquam vnionem adhuc posse duobus modis dici maximam, *penes ipsam identitatem extremorum*. Primo, quatenus *extrema ita inter se permiscentur, vt sint quid vnum*. Secundo, quatenus *solummodo tendunt ad aliquod tertium, in quo sunt maximè vnum*, & sic tendunt ad maximam vnitatem. Vnde nomen vnionis potest sumi duobus modis. Primò *propriè*, quatenus dicit coniunctionem extremorum realiter à se inuicem distinctorum. Secundo, *minus propriè*, quatenus dicit coniunctionem extremorum, non quidem realitate maiori distinctorum, sed tantùm modaliter, sicut est coniunctio nostræ sub-

I. stantiæ cum propria sua personalitate: vel ex natura rei tantùm, vt in pluribus aliis. His ita prænotatis variæ sunt de hac difficultate Doctorum sententiæ, vt Durandi lib. 3. sent. dist. 5. & 3. & aliorum tàm ibi quàm hoc loco, sed tota res potest facilè explicari sequentibus propositionibus, quæ hæc sit

Propositio. *Neutra harum vnionum, quæ sunt in Christo, est maxima vnionum secundùm ipsam identitatem extremorum, siue ipsa vnio sumatur propriè, siue solummodo minus propriè.* Propositio hæc est sancti Thomæ hac quæstione art. 9. tàm in corpore quàm in solutione ad secundum Durandi suprà, & facilè omnes in ea conueniunt. Probatur: quanto magis aliqua recedunt ab identitate, tanto minori vnione sunt inter se vnita: quia aliqua vnio eo maior est

II. quo magis accedit, vel facit identitatem extremorum inter se: ergo à contrario, vnio eo est minor, quo magis recedit ab identitate extremorum inter se: atqui extrema prædictæ vtriusque vnionis, quæ est in Christo Domino, sunt talis conditionis, vt maneant semper impermixta, inconfusa, distincta. Nam diuina natura & humana in Christo sunt inconfusæ, impermixtæ, vt docuimus suprà contra Eutychetem, similiter humanitas est, & manet in Christo Domino inconfusa, & impermixta personalitati Verbi diuini, & è contrà: at in multis vnionibus rerum creatarũ extrema permiscentur inter se, & vnum quid tertiũ resultat ex illis inter se cõmixtis, vt facilè potest intelligi inductione facta per quamplures res creatas. Et hoc quidem loquendo de vnione sumpta propriè:

III. sed de vnione sumpta impropriè, patet etiam argumento sumpto ab vnione substantiæ creatæ cum propria sua subsistentia: hæc enim est tantùm vnio modi cum sua substantia, & sic importat solummodò distinctionem realem minorem vnius extremi ab alio: at in hac vtraque vnione maior reperitur distinctio extremorum inter se, cùm non solùm duæ naturæ diuina & humana distinguantur maiori distinctione reali in Christo Domino, sed etiam ipsa personalitas Verbi diuini, & humanitas Christi Domini: ergo neutra illarum vnionum quæ sunt in Christo est omnium vnionum maxima, prout ipsa vnio consideratur *secundùm ipsam identitatem extremorum* eius inter se.

Obiicies subsistentiam Verbi diuini, dum supplet propriam subsistentiam humanitatis, intimiùs ei vniri, eámq; magis penetrare, quàm propria eius subsistentia eam penetraret, cùm melius sese ei accommodet, quàm propria eius

IV. subsistentia, quatenus est longè perfectior omni subsistentia creata: ergo illa vnio humanitatis cum personalitate Verbi, secundùm identitatem extremorum inter se considerata, est maior ea vnione, quæ est propriæ subsistentiæ cum sua substantia creata.

Respondetur, quòd licèt personalitas Verbi faciat subsistere humanitatem nobiliori modo, hanc tamen consequentiam, *quòd*, scilicet, *faciat maiorem vnionem cum humanitate hoc modo spectatam*, esse nullam: cuius rei hæc est ratio, quòd maior vnio, vt hìc spectatur, non debeat attendi penes nobiliorem modum vel maiorem penetrationem vnius extremi peruadentis alterum, sed penes id, quod scilicet extrema vnionis sint maximè vnum; non autem quòd vnum extremum penetretur ab alio. Nam Deus per A suam immensitatem magis penetrat materiam, exempli gratia, quàm forma materiam penetrat, & è contra: neque tamen Deus & materia, vt sic, ita faciunt vnum, ac materia & forma simul: sed maior hæc vnio debet attendi penes id, quòd scilicet extrema quæ sic vniuntur, sunt aliquid magis vnum & indiuisum. Et si ratio maioris vnionis attenderetur penes maiorem accommodationem extremorum inter se, cùm accommodatio, quæ est vnius extremi huius vnionis ad alterum, sit tantùm iuxta potentiam obedientialem eius, & proportionem habitudinis correspõdentem potentiæ obedientiali: accommodatio verò materiæ ad formam suam naturalem, tanquam alterum extremum compositi naturalis, sit secundùm potentiam purè naturalem (quia ambo hæc extrema habent naturalem inclinationem ad se inuicem)

B vnio materiæ cum sua propria forma naturali, hoc modo spectata, esset longè maior qualibet ex duabus assignatis vnionibus in Christo Domino: & sic satisfit argumento Durandi suprà, quo, ex vnione materiæ cum sua forma, vult inferre vnionem Verbi cum humanitate esse omnium vnionum maximam.

V.

VI.

Articvlvs II.

Vtrùm vnio Verbi cum humanitate sit penes suam tendentiam & indissolubilitatem maxima omnium vnionum.

C Sit hæc prima nostra propositio. *Vtraque prædicta vnio, quæ est in Christo Domino, spectata precisè, prout per illam extrema illius tendunt ad aliquod vnum*, est maxima omnium vnionum creatarum. Ita S. Thomas hac quæst. art. 9. in corpore. Probatur ex S. Bernardi lib. 5. de consideratione ad Eugenium cap. 9. vbi ait post vnionem diuinarũ personarum in essentia, quæ potiùs est dicenda vnitas & identitas quàm vnio, hanc vnionem humanitatis cum Verbo diuino & eius natura esse maximam omnium; & quòd S. Bernardus ibi loquatur de illa vnione *in ratione coniunctionis*, & non in ratione *nobilitatis tantùm*, patet, quia fundat istud suum dictum in vnitate personali: probatur etiam ratione. Vnio extremorum à se inuicem realiter distinctorum, spectata hoc modo, est tanta, quanta est simplicitas & indiuisio eius, in quo vniuntur, & quanta est illa vnitas quam confert ipsis extremis inter se coniunctis: atqui vinculum, in quo natura diuina & humana vniuntur inter se, est personalitas Verbi diuini, qua nihil est simplicius, nihil magis indiuisum: & illa vnitas, quæ per hanc vnionem confertur extremis, dum vniuntur, est personalis, qua maior nulla potest dari etiam in ratione vnitatis. Licèt enim forma & materia habeant vnitatem subsistentiæ, & omnia accidentia quæ sunt in Christo Domino, vniantur etiam in persona Christi Domini, attamen neutra istarum vnionum est tanta: non prior, quia subsistentia compositi ita est vna, vt tamen constet vel partibus eam componentibus, vel partialibus subsistentiis vnam totalem conficientibus: at diuina personalitas nullã admittit diuisibilitatẽ: non item posterior vnio, quia omnia accidentia quæ sunt in Christo 1. & immediatè vniũtur humanitati, deinde mediante humanitate personalitati

VII.

D

VIII.

I. Verbi diuini: at humanitas vnitur immediatè Verbo, deinde facit vnum per se in genere substantiæ, quod hæc accidentia non faciunt.

Hinc, vnio iusti cum Deo, quæ est per gratiam siue viæ siue patriæ, est hac vnione inferior in ratione coniunctionis, quia est tantùm accidentalis, hæc autem substantialis, & intimiùs coniungit humanitatem Verbo, & duas naturas in eadem subsistentia Verbi diuini, quàm gratia vel visio beatifica coniungat Deum iusto & beato, cùm hæc coniungant solùm in ratione obiecti cogniti & possessi, quod proinde sese habet aliquo modo extrinsecè ad ipsum cognoscentem & fruentem: at hæc vnio vnit Verbo humanitatem personaliter, & facit duas naturas, maiori distinctione reali à se inuicem distinctas, subsistere vnâ & indiuisibili personalitate, subsistentia autem est aliquid intimius ipsi II. substantiæ, quàm facit subsistere; quàm obiectum sit coniunctum suæ potentiæ.

Cæterùm circa hanc nostram rationem animaduertendum est, nos non diiudicare simpliciter aliquam vnionem esse maiorem alia *penes solam simplicitatem eius*, in quo extrema eius vniuntur, quasi eo ipso solùm, quo illud est maximè simplex, vnio extremorum in illo deberet censeri maxima: hoc enim esse falsum patet ex eo, quòd inde sequeretur vnionem beatorum eum diuina essentia esse æqualem hypostaticæ vnioni; cùm essentia diuina non sit minùs simplex & indiuisa quàm personalitas Verbi diuini, sed id ita diiudicamus ex simplicitate eius, in quo extrema vniuntur, *vt præcipuè attendamus ad eam vnitatem, quæ extremis confertur per vnionem.* Vnde cùm hæc vnitas in mysterio Incarnationis sit personalis, qua maior nulla potest III. dari, in ratione vnionis inter Deum & creaturas, (quia non potest fieri in essentia, vt contra Eutychetem ostendimus) ideo rectè inferimus duas illas vniones esse omnium vnionum maximas, cùm duæ illæ naturæ in Christo vniantur Verbo substantialiter: iusti autem vniantur Deo interuentu gratiæ, & charitatis: vel etiam gloriæ, quæ sunt mera quædam accidentia, nec faciunt vnum aliquod substantiale ex Deo & iustis: vnio autem illa, quæ est inter materiam & formam, tàm in ratione vnius naturæ seu compositi, quàm in ratione vnius subsistentiæ, est tantùm maior *extensiuè*, quàm sit vtraque prædicta vnio quæ est in Christo Domino, quatenus sunt plures vniones, non tamen *intensiuè*, cùm in ratione vnionis non faciant tantam & tam *simplicem identitatem* extremorum inter se, vt patet IV. ex dictis.

Secunda propositio. *Hæc vtraque vnio, considerata penes indissolubilitatem, est maxima omnium vnionum, quæ dantur inter extrema realiter distincta.* Probatur: primò auct. S. Leo. sermone decimo septimo de Passione Domini cap. primo, vbi ita habet, *In tantam vnitatem Dei & hominis natura conuenit, vt nec supplicio dirimi potuerit, nec morte disiungi.* Deinde ex illo sancti Damasceni, *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* Licèt enim partes humanitatis fuerint per mortem à se inuicem dissolutæ, non tamen vnio Verbi ad humanitatem, etiam in triduo mortis.

Quòd vero hæc indissolubilitas sit maxima omnium, patet. Tunc aliqua vnio censetur esse maxima omnium vnionum inter res creatas, ratione *indissolubilitatis*, quando eius indissolubilitas fundatur *in ipsa ratione vnionis eius*, & non vel in defectu cõtrarij, vel in incompetibilitate subiecti & contrarij simul, quia hæc fiunt extrinseca vnioni, qua est vnio, cùm hæc, vt sic, dicat tantùm coniunctionem extremorum inter se, & vnio reperiatur inter quædam extrema sine istis conditionibus, & inter quædam cum illis: atqui omnes illæ vniones, quæ dantur inter extrema realiter distincta, sunt quæ indissolubiles, sunt tantùm indissolubiles vel ob defectum contrarij, vel etiam ob incompetibilitatem sui subiecti; quo modo character impressus animæ per sacramentum est indelebilis, & ab ea indissolubilis, item forma cœli à sua materia, & sic in pluribus aliis: è contrà vero indissolubilitas diuorum harum vnionum in Christo non prouenit ab aliqua ex his causis, sed ex propria conditione sua, quatenus tam arctè coniungit sua extrema, vt sint vnum per- VI. sonaliter simplicissimâ subsistentiâ.

Nec obstat, quòd per absolutam potentiam Dei humanitas possit destrui, vel etiam derelinqui à Verbo manens in rerum natura: nam cùm talis dissolubilitas sit tantùm ab extrinseco, & ex absoluta potentia Dei eiusque voluntate, hæc vnio ob hanc rationem non magis dicetur dissolubilis, quàm Angeli dicantur esse mortales, ex eo quòd possint ex absoluta Dei voluntate redigi in nihilum.

Addidi in propositione hanc particulam, *inter extrema realiter distincta*, quia quæ distinguuntur *tantùm moraliter* à suis subiectis, aut quasi subiectis, videntur habere inter se ipsa vnionem magis indissolubilem, saltem ex parte sui, quatenus ità indissolubiliter connectuntur inter se, vt neutrum illorum possit seorsim existere, alio non existente sibi vnito: exempli gratia, *rei & proprium eius subsistentia*: at totæ humanitas & Verbum diuinum ita possunt separari à se inuicem per absolutam Dei potentiam, vt seorsim existant, & alij modi ita coniungantur rebus, quas modificant, vt licèt ipsæ res, quarum sunt modi, possint existere sine illis, non tamen è contrà, ob summam illam identitatem materialem, quam habent inter se: quod tamen habet locum in vnione hypostatica Verbi diuini cum humanitate.

ARTICVLVS III.

Vtrùm vnio Verbi cum humanitate sit quoad dignitatem omnium maxima.

VIII.

SIT hæc nostra propositio *Vnio Verbi diuini cum humanitate est maxima omnium vnionum, ratione dignitatis & excellentiæ.* Hæc propositio est contra Richardum, quinto sententiarum, dist. secunda, articulo primo, Durandum ibidem quæst. prima, Gabrielem ibidem dist. prima, quæst. secunda, articulo secundo: qui existimant visionem beatificam, gratiam habitualem, & vnionem creaturæ rationalis cum Deo per visionem beatificam & gratiam, esse aliquid excellētius. Nostra tamen propositio est sancti Thomæ hac quæst. art. decimo, in solutione ad 1. artic. 11. in corpore, & communis eius Interpretum. Quæ probatur imprimis ex sancto August. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 15. vbi ait, nostram naturam per hanc

I. vnionem fuisse euectam ad tantum dignitatis gradũ, *Vt quo altius attolleretur non haberet*, item tract. secundo in S. Ioannem, vbi explicans illud, *Verbum caro factum est*, ait, *Hoc esse maiorem gratiam quàm homines fieri filios Dei*; habet etiam & aliquid his simile lib. 13. de Trinitate c. 9. Probatur etiam ratione: eò aliquid est perfectius, dignius, & excellentius in ratione doni à Deo concessi, quò Deus per illud perfectiùs, dignìùs, & excellẽtiùs cõmunicatur, quia maxima perfectio creaturæ est coniungi sui fini & creatori, & proinde id, per quod, seu ratione cuius, aliqua creatura coniungitur Deo, qui est eius finis, modo perfectiori, imò quàm perfectissimo, est secundùm dignitatem perfectius, dignius, & excellentius quouis alio: atqui Deus communicatur humanitati per hanc vnionem

II. modo omnium perfectissimo, quàm possit communicari per quodlibet donum creatum. Primò, quia fit vnum subsțantialiter seu personaliter, at per quodcumque aliud donum fit solummodò vnum accidentaliter. Secundò, quia per hanc vnionem homo est Deus, homo est naturalis Filius Dei, vnde Apostolus ad Hebræos 1. ita loquitur de Christo, *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius nomen hæreditauit*: at per vnionem siue gratiæ habitualis, siue gloriæ manet semper purus homo, & filius Dei tantùm adoptiuus: est autem longè dignius esse filium naturalem, quàm esse solummodò adoptiuum. Tertiò, humanitas per hanc vnionem fit infinitæ dignitatis moralis, & sanctitatis, eousque opera valoris infiniti, quemadmodum intelligitur ex iis, quæ suprà tradidimus de infinitate satisfactionis Christi D. at anima puri ho-

III. minis, quantumuis beata & per clarã visionem, & fruitionẽ diuinæ essentiæ coniuncta tanquam obiecto & bono possesso, nunquam poterit accipere tantam dignitatem à diuina essentia, cùm obiectum, quantumuis infinitum, non possit ipsi potentiæ operanti circa seipsum, vel etiam eius actioni tantam dignitatem communicare, quantam habet in se ipso, vt notauimus agendo de infinito valore satisfactionis Christi Domini, & illa infinitate secundùm quid, quæ conuenit peccato mortali. Quartò, propter hanc vnionem hypostaticam cultus latriæ debetur humanitati assumptæ, vt ex Cõciliis & Patribus ostendemus infrà ad quæstionem 25. Quintò & vltimò, quia ratione illius anima Christi Domini habet aliquod ius ad gloriam æternam: igitur vnio hypostatica est dignitate & excellentia

IV. omnium vnionum perfectissima.

Articvlvs IV.

Obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli soluuntur.

PRIMA. Ea vnio est omnium perfectissima, qua datur id, quod est perfectissimum omnium quæ sunt in rerum natura: atqui in visione & fruitione beatifica datur ipsamet diuina essentia, hæc enim est obiectum & etiam aliquod principiũ efficiendæ visionis beatificæ: in vnione verò hypostatica, præcisè considerata, datur tantùm personalitas Verbi, non ad operandum sed ad terminandum solũmodò dependentiam humanitatis: diuina autẽ essentia, si comparetur cum personalitate Verbi diuini, vt distinguitur virtualiter ab illa, est quid perfectius ipsa

A sola personalitate Verbi diuini: quia habet omnes perfectiones simpliciter simplices, & ratio deitatis & summi boni in ea præcisè consistit, quæ omnia ipsa personalitas Verbi, vt distincta virtualiter ab essentia diuina, non habet: ergo vnio beati cum Deo, quæ est per visionem & fruitionem beatificam, est longè excellentior & dignior vnione hypostatica. V.

Respondetur, quando agitur de comparatione duarum vel plurium vnionum inter se quoad excellentiam & dignitatem, tunc non considerari vnionem secundùm se præcisè qua vnio est (quomodo diximus supra illam esse aliquem modum substantialem actualiter coniungentem humanitatem & personalitatem Verbi, tanquam duo extrema) nam vt sic importat tantùm esse id, *quo aliqua vniuntur*: sed tunc vnio

B debet considerari secundùm perfectionem eius, VI. quod resultat ex eiusmodi vnione, & *secundùm proprium quasi effectum formalem*, quem vnum extremum ipsà sui communicatione ad alterum ei per se formaliter & immediatè cõmunicat: ita vt illa vnio censeatur esse perfectior & dignior, cuius terminus totalis resultans est nobilior, perfectior, dignior, & cuius vnum extremum sui communicatione communicat alteri formaliter, immediatè, & per se, quasi effectum præstantiorem. Vnde ad primam hanc obiectionem respondetur, verum quidem esse in beatifica visione diuinam essentiam dari primò per se tanquam obiectum, & in hoc mysterio solam personalitatem Verbi immediatè communicari, & solummodò ad terminandum: inde tamen non

C sequi vnionem animæ beatæ cum essentia diuina, esse maiorem dignitate, & nobilitate, quia VII. si huius vtriusque vnionis effectus aut quasi effectus formales, item totales termini illarum comparentur inter se, penes quos solos loquendo propriè talis comparatio debet fieri, effectus seu quasi effectus formalis huius vnionis hypostaticæ, item totalis eius terminus, sunt aliquid longè nobilius formali effectu vnionis animæ beatæ cum diuina essentia, & ipso etiam totali eius termino, vt nostra ratione ostendimus.

Ad id verò, quod ibi dicitur, *Diuinam essentiam, vt distinctam virtualiter à diuinis personalitatibus, esse aliqua ratione quid perfectius ipsa simplici personalitate Verbi*. Respondetur diuinam essentiam posse duobus modis considerari. Primo, *in genere physico*, & penes suam entitatiuam perfectionem. Secundo, *in ratione doni*, quæ consideratio potest dici esse, *in esse morali & gratiæ*. Ad eum modum quo quidam Theo-

D logi prima secundæ considerant gratiam excitantem *in esse qualitatis*, & *in esse doni*: in esse VIII. qualitatis, quatenus est intensior & vehementior, sed minor in esse doni, quatenus non est tam singulari modo apta ingenio, tempori, loco, occasioni, & cæteris eiusmodi conditionibus eius, cui hic & nunc offertur. Iam essentia diuina, vt virtualiter distincta à personalitatibus diuinis, & vt sic ad illas comparata, poterit dici secundùm aliquã rationem aliquid perfectius, *in genere physico*, ipsa personalitate Verbi condistincta virtualiter ab essentia diuina, & hoc tantùm euincit hæc ratio primæ huius obiectionis: non tamen sic considerata erit aliquid maius & perfectius *in ratione doni*, quia donum, quoad excellentiam, debet attendi *penes effectum aut quasi effectum formalem*, quem per se immediatè & formaliter confert ei, cui datur:

L sicut gratia excitãs, considerata in ratione doni. At diuina essentia vnita animæ beatæ per modum obiecti & etiam principij coefficientis beatitudinem, non ei tribuit effectum tam nobilem, nec eius vnio ad animam beati habet tam nobilem terminum totalem, quàm vnio hypostatica habet hoc vtrumque, vt nostra prædicta ratio ostendit.

Deinde, si vnio hypostatica spectetur secundùm totũ suum & adæquatum quasi effectum, non solùmodò immediatum, sed etiam consequentem: illa non tantùm facit, vt humanitas terminetur subsistentia Verbi diuini, sed etiam facit, vt & natura diuina sit vnita mediatè ipsi humanitati assumptæ: item facit, vt Christus homo ita sit naturalis Filius Dei, vt ipsa etiam supernaturalis beatitudo sit ei aliquo iure debita, & impeccabilitas perfectiori titulo, quàm
II. debeatur puris creaturis beatis, quemadmodum docebitur infrà agendo de illa.

Secundò obiicies. Illud quod soli rationali creaturæ potest concedi, est absolutè & simpliciter perfectius eo, quod potest etiam communicari creaturæ irrationali: atqui vnio hypostatica potest communicari creaturæ irrationali; nam vt infrà ostendemus, quælibet persona diuina potest, loquendo de absoluta potentia, assumere creaturam irrationalem, quam tamen Deus, etiam de absoluta sua potentia, non potest facere beatam intuitiua visione & fruitione diuinæ essentiæ.

Respondetur negando maiorem, quia aliàs sequeretur ipsam vim ratiocinandi, & ipsammet ratiocinationem esse aliquid simpliciter & absolutè perfectius ipsa vnione hypostatica;
III. quod tamen nemo admittet. Ratio quippè maioris perfectionis & excellentiæ rei alicuius non attenditur penes communicationem eius factam vel factu possibilem creaturæ rationali, sed simpliciter *penes nobilitatem proprij eius effectus aut quasi effectus, qui sit maior nobilitate & dignitate alterius.*

Obiicies tertiò. Aliquâ proportione dignitatis & excellentiæ, ipsa maternitas Dei sese habet ad Beatissimam Virginem, quâ vnio hypostatica ad humanitatem Christi: atque ipsa maternitas Dei, *in genere doni* non est aliquid dignius, excellentius, & perfectius ipsa gratia sanctificante, vt significat ipse Christus sancti Lucæ cap. 11. dum mulieri ita exclamanti, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*, dixit, *quinimmò beati qui audiunt verbum*
IV. *Dei & custodiunt illud.* & etiam explicat sanctus Augustinus tractatu 10. in S. Ioannem, item Epistola 28. dicens: *esse aliquid maius concipere, Deum mente quàm ventre.* Igitur & ipsa vnio hypostatica est etiam aliquid minus ipsa gratia sanctificante & beatitudine.

Respondetur maternitatem Dei esse maximam aliquam dignitatem in suo genere, vt infrà dicetur, negamus tamen illam, quoad præsentem difficultatem, esse eiusdem conditionis, *secundùm proportionem*, ac est vnio Verbi diuini hypostatica. Nam maternitas Dei solùm confert *extrinsecam quandam participationem* perfectionis eius, quæ est in Christo Filio Dei, quatenus scilicet dignitas Filij redundat in honorem matris, propter habitudinem generantis ad genitum, & modum quo illum genuit *Deum hominem*: at vnio hypostatica tribuit humanitati *intrinsecam participationem*, imò communicationem ipsiusmet subsistentiæ Verbi diuini: vnde absolutè loquendo, Deus iuxta absolutissimam suam potentiam potuisset facere, vt Verbum diuinum assumeret carnem ex muliere existente & remanente in peccato mortali, non tamen posset facere, vt humanitas existens & perseuerans in actuali peccato mortali assumeretur hypostaticè, ipso affectu ad peccatũ mortale perseuerante, etiam post peractum eiusmodi mysterium, & hac vnione hypostatica remanente, vt ex professo infrà docebimus.

Quartò & vltimò obiicies. Illud ex duobus bonis censetur esse magis dignius, excellentius, & perfectius, quod Christus D. præferret, si vnum ex illis duobus esset ei relinquendum vel deperdendum: sed si optio daretur Christo Domino amittendæ vnionis hypostaticæ vel amicitiæ Dei, quæ est per gratiam habitualem, eligeret carere potiùs vnione hypostatica, quàm ipsâ amicitiâ Dei per gratiam sanctificantem: igitur vnio hypostatica est aliquod bonum minùs perfectum & excellens quàm sit ipsa gratia sanctificans & visio beatifica.

Respondetur primò, casum hunc esse impossibilem, quia electio est tantùm de rebus possibilibus: at est impossibile Christum committere peccatum, per quod deperdat amicitiam Dei, cùm sit sanctus sanctitate personali, quæ eum reddit gratum Deo.

Deinde si casus iste fingatur esse possibilis, respondetur posse fieri ex duplici motiuo, vt vnum bonum præferatur alteri: primum *est ipsa eius perfectio supra perfectionem alterius*, scilicet quando tota ratio, quæ mouet eligentem præferre vnum alteri, est sola ipsa eius nobilitas,
C quia aliud superat: secundum motiuum, ex quo vnum eligitur præ alio, potest esse, *fuga & euitatio grauis alicuius mali*, vel incommodi, quod sequitur electionem boni vtius, alio relicto: fit enim plerumque etiam in rebus humanis, vt duo occurrant media honesta ad obtinendum aliquem finem, quorum vnum superemineat alteri, *in ratione honestatis*: quia tamen habet graues difficultates sibi annexas, quas aliud medium minùs honestum non habet, omittitur à prudenti viro. Iam quando electio vnius boni præ alio fit tantùm ex posteriori motiuo, illud quod sic eligitur, non iudicatur esse putè, simpliciter & absolutè melius alio, quod relinquitur, quia eius derelictio non fundatur in maiori eius perfectione, sed in fuga & euitatione grauis malt, quod alioquin sequitur, si illud, quod est minus bonum, derelinquatur. In præ-
D senti hypothesi, ita electio est duorum bonorum, vt licèt vnio hypostatica sit longè nobilior gratiâ sanctificante, ipsa tamen carentia gratiæ sanctificantis habeat graue quoddam malum sibi annexum, scilicet carentiam diuinæ amicitiæ, quæ nunquam aduenit homini iusto, nisi per commissionem peccati mortalis, ideóque quia nulla potest dari causa rationabilis, propter quam peccatum mortale debeat iustè committi, & alia ex parte vnio hypostatica potest tolli, loquendo absolutè, sine aliquo peccato mortali naturæ assumptæ, ideo, inquam, in tali hypothesi, Christus præferret gratiam sanctificantem isti vnioni hypostaticæ.

Tandem potest responderi, prædictum casum posse ita fingi, vt optio detur Christo deperdendi vnum ex istis duobus bonis, absque tamen commissione vllius peccati, sed tantùm

V. VI. VII. VIII.

I. ex absoluta voluntate Dei volentis vnum ex illis subtrahere, quod minus videbitur Christo, tunc Christus præferret bonum vnionis hypostaticæ bono ipsius habitualis gratiæ vel amicitiæ Dei. vt fundato, loquendo præcisè, in gratia habituali, ob maiores eius perfectiones explicatas nostra ratione, cùm vt sic, non desineret esse gratus Deo & habere ius aliquod ad vitam æternam, fundatum in sua filiatione naturali, vt ampliùs explicabitur infrà.

Articvlvs V.

Vtrùm vnio Incarnationis sit facta per gratiam.

II. HÆc difficultas pendet ex variis acceptionibus huius termini, *gratia*, tàm in sacris litteris, quàm apud alios Scriptores: ideóque pro illarum explicatione statuimus sequentes propositiones, quarum hæc sit

Prima. *Sumpto nomine gratiæ pro voluntate Dei gratuita seu dante aliquid gratis & absque debito, hæc vnio est facta per gratiam.* Probatur ex dictis prima quæst. de motiuo peragendæ Incarnationis: tùm etiam ex eo quòd Deus non tenebatur ad operàdum aliquid ad extra, nec ité ad sese communicandum nobis in tanto gradu, in quanto sese communicat per hoc mysterium, nec ad redimendum nos, vt ibidem obseruauimus: quæ tamen omnia sunt facta per ipsum Incarnationis mysterium.

III. Secunda propositio. *Si nomen gratiæ sumatur pro dono & beneficio gratuito Dei, hæc vnio est maxima gratia.* Probatur auctoritate sancti Augustini libro de prædestinatione Sanctorum cap. 15. vbi ex ea prædestinatione, qua natura humana est vnita Verbo sine vllis præcedentibus meritis, probat primam gratiam datam hominibus esse propriè *gratiam*, ideſt, *donum merè gratuitum: ea*, inquit, *gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homò ille ab initio suo factus est Christus.* Deinde ratio præcedentis propositionis hanc secundam probat, item quæ attulimus art. tertio præcedenti pro nostra propositione abundè confirmant præsentem propositionem: imò & *totum Christum* congruè dici *donum & gratiam*, ipsemet Christus Dominus significat S. Ioan. tertio, ita dicens, *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* & Isaias 9. cap. suæ prophetiæ, *Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis.*

IV. Tertia propositio. *Si nomen hoc*, gratia, *sumatur pro aliqua qualitate disponente humanitatem ad vnionem cum personalitate Verbi diuini, vel causante talem vnionem, hypostatica vnio non est facta per gratiam.* Patet ex dictis suprà disputatione 6. præsentis quæstionis: item ex dictis superiùs contra Nestorium. Qua autem ratione gratia habitualis, quæ fuit in anima Christi Domini, sese habuerit ad vnionem hypostaticam, & quo instanti fuerit ei infusa, commodiùs explicabitur infrà agendo de gratia Christi: sicut &, an hæc vnio hypostatica facta fuerit vi & efficacia aliquorum meritorum, siue Beatiſſ. Virg. siue Patrum veteris testamenti, commodiùs disputabitur disputatione tertia & quarta ad sextam quæstionem.

Articvlvs VI.

Vtrùm hypostatica vnio fuerit naturalis Christo Domino.

V. HÆc difficultas pendet ex variis significationibus huius termini, *naturale*, ideóque ei respondemus per sequentes propositiones, quarum hæc est

Prima. *Hæc particulà, naturale, sumptà prout idem est ac verum & reale vt oppositum adumbrato & fictitio, hypostatica vnio est naturalis, & in hoc sensu appellatur à sanctis Patribus naturalis.* Duæ sunt partes propositionis: prior est de fide tàm ex dictis contra Nestorium, quàm contra Eutychetem in Conciliis generalibus ibi relatis

B definientibus Verbum diuinum verè & realiter VI. fuisse vnitú hypostaticè humanitati. Posterior, quæ spectat ad modum loquendi Patrum, probatur ex illorum testimoniis. Sanctus Cyrillus tomo quinto Concilij Ephesini capite primo in declaratione tertij anathematismi, damnat eos qui negant Verbum fuisse coniunctum humanitati *secundùm naturalem seu veram vnionem:* vbi probat ex sacris Litteris aliquando *naturale & verum idem significare:* & hæc vnio hypostatica in anathematismo tertio eiusdem Cóncilij Ephesini, qui est tertius canon istius Concilij, appellatur *naturalis.* Deinde Ioannes Maximus in sua professione Catholica de Christo: *Duas*, inquit, *naturas Domini nostri Iesu Christi naturaliter secundùm traditionem cõfitemur vnitas.* Item S. Fulgentius lib. tertio ad Trasimundum cap. 15. hanc vnionem appellat, *coniunVII.*

C *ctionem naturalem*, & in epistola Sophronij in sexta Synodo lecta & approbata, vbi agitur de Christo & hac vnione, Deus dicitur *naturaliter copulatus corpori & animæ.* Iuxta quam significationem interdum etiam appellatur *essentialis*, vt expressè significat S. Damascenus libro tertio de fide cap. tertio, his verbis: *Essentialem esse hanc vnionem dicimus, hoc est, veram ac non specie tenus.*

Secunda propositio. *Sumpta hac particula, naturale, pro eo quod est à natiuitate seu primo ortu, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 2. Eramus natura filij iræ*, ideſt, nascebamur filij iræ, *ipsa vnio hypostatica est naturalis humanitati assumptæ.* Probatur. Eodem instanti temporis quo humanitas cœpit esse, eodem Verbum diuinum assumpsit illam, vt infrà ostendetur, nec vnquam dimisit illam, vt notauimus ex illo S. Damasc. cómuniter

D recepto, *quod semel assumpsit, nunquam dimisit*: VIII. ergo iuxta hanc acceptionem termini, *naturale*, vnio hypostatica fuit naturalis humanitati assumptæ.

Tertia propositio. *Sumpta hac particula, naturale, provt idem sonat ac fluere à principiis intrinsecis naturæ, hæc vnio hypostatica non est naturalis humanitati assumptæ.* Probatur. Omnia naturalia humanitatis sunt eadem in nobis ac in Christo Domino, & eiusdem virtutis ac efficaciæ, quatenus spectantur secundùm se, & conditionem suam naturalem, quia Christus Dominus est homo eiusdem speciei nobiscum: atqui in nobis vnio hypostatica non effluit ex principiis nostræ naturæ: ergo nec vnio hypostatica est, iuxta hanc acceptionem, naturalis ipsi humanitati assumptę. Deinde patet ex dictis tertio præcedenti articulo & aliis, quibus docuimus

I. hanc vnionem esse omniũ beneficiorum, etiam supernaturalium maximam: item illam esse factam secundùm potentiam obedientialem, & naturalem ipsius humanitatis.

Quarta propositio. *Sumpta hac particula, naturale, pro eo quod est substantiale & intrinsecum alicui, hæc vnio hypostatica licèt non sit naturalis humanitati, est tamen ipsi Christo Domino naturalis.* Prior pars patet ex dictis præcedenti propositione, posterior probatur. Illud omne, quo Christus Dominus intrinsecè, substantialiter & formaliter constat, est ei hoc modo naturale: sed Christus Dominus intrinsecè, substantialiter & formaliter constat ipsa humanitate & increata personalitate Verbi, vt inter se vnitis: quia hoc nomen Christus, propriè significat suppositum constans natura humana, & hypostasi Verbi, quemadmodum intelligitur ex dictis initio huius partis de nomine Incarnationis, & II. etiam S. Athanasius significat in Symbolo, ita dicens: *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus:* igitur vnio hypostatica iuxta hanc significationem huius termini, *naturale*, est ipsi Christo Domino naturalis. Dixi in propositione *Christo*, non autem Filio Dei, vel Verbo diuino simpliciter, quia illi, vt sic, secundùm se & simpliciter considerato, quatenus terminat solam diuinam naturam, non est naturalis, sed ei conuenit ex gratuita voluntate & mera ordinatione Dei.

Obiicies, *esse naturale & esse gratuitum*, seu esse propriè gratiam opponuntur: atqui ex dictis suprà hæc vnio est gratia, imò & ipse Christus est gratia & donum: igitur hæc vnio non potest dici naturalis etiam Christo. Respondetur idem, diuerso tamen respectu, posse simul III. esse *gratiam & naturale*, nimirum respectu eius, cui datur ex liberali tantùm voluntate, esse gratiam & donum, respectu autem eius quod intrinsecè constituit, & proprij sui formalis effectus, esse naturale: sic gratiam vnionis respectu humanitatis, cui datur, esse gratiam: similiter & Christum Dominum respectu hominum, quibus est donum à Patre gratuitò concessum: at respectu ipsius Christi Domini ipsam vnionem hypostaticam non esse gratiam vel donum, cum ei, vt subsistenti in humanitate, subsistentia Verbi diuini sit aliquid intrinsecum, substantiale, & proinde ei vt sic considerato, aliquid naturale iuxta hanc acceptionem. Neque repugnat aliquod ens hoc modo naturale nihilominus esse ordinis supernaturalis: nam sicut iustus seu homo iustificatus, quatenus formaliter iustificatus seu sanctus, non est formaliter aliquid IV. ordinis naturalis, sed spectat ad ordinem gratiæ: ita etiam Christus vt Christus, id est, vt aliquod constitutum humanitate & personalitate Verbi diuini, est aliquid ordinis supernaturalis.

Quæres an gratia vnionis possit etiam dici *naturalis* præcisè, ex eo quòd sit causata à natura diuina, tanquam principio aliquo effectiuo illius in humanitatem Christi Domini, quæ tamen diuina natura est etiam intrinseca Christo, cùm in eo duæ naturæ diuina & humana includantur seu coniungantur in vna & eadem simplicissima subsistentia Verbi diuini. Respondetur modum istum loquendi esse maximè improprium. Nam *esse naturale* per ordinem ad causam efficiẽtem opponitur ipsi *esse, seu fieri libere*, quatenus id quod necessariò profluit, vel fit ab aliquo intrinseco principio vt determinato ad

A agendum, dicitur esse *et naturale vel fieri naturaliter*, quemadmodum patet in causis naturalibus, quæ ob hanc rationem vocantur *naturales*. Sed natura diuina existens in Christo Domino, non agit necessariò aliquid efficienter circa eius humanitatem, vt hoc modo determinata, sed maximè liberè, cùm talis actio sit verè & propriè ad extra: igitur loquendo propriè, ipsa vnio hypostatica non potest dici esse *naturalis*, Christo Domino, sumpta hac denominatione à natura diuina Christo inexistente, tanquam effectiuo principio vnionis substantiæ Verbi diuini ad humanitatem. Vnde quando S. Thomas hîc art. 12. tàm in corpore quàm in solutione ad tertium, ait hanc vnionem posse dici naturalem Christo Domino, quatenus causatur à diuina natura ipsius Christi Domini, id tantùm intelligit secundùm aliquem *improprium* loquendi modum, vt ipse significat, dum B VI. non loquitur simpliciter, sed cum illa moderatione *quasi*, quæ apud Grammaticos solet esse nota improprietatis, sic enim habet in corpore, *quamuis possit dici naturalis, quasi proueniens in naturam humanam Christi.*

AD III. QVÆSTIONEM.

De modo vnionis ex parte assumentis.

DISPVTATIO PRIMA.

C *De assumptione seu terminatione naturæ per alienam subsistentiam creatam.* VII.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm persona creata possit absoluta Dei potentia immediatè terminare alienam naturam creatam.

XPLICATA ratione intrinsecâ vnionis hypostaticæ, condiciones extremorum eius sunt explicandæ: & quoniam nobilius est assumere quàm assumi, exordiemur cum sancto Thoma ab iis conditionibus, quæ requiruntur ex parte assumentis. Est autem repetendum primò ex dictis ad præcedẽtem quæstionem disputat. 7. art. 7. & ex sancto Thoma D VIII. præced. quæst. art. 8. *Personam assumere aliquam naturam nihil esse aliud, quàm illam simul & semel esse principium assumptionis, & eius terminum.* Vnde cùm hoc vtrumque competat cuilibet diuinæ personæ ex propria & naturali sua conditione, primùm quidem, quia est in genere efficientiæ, & omnis causalitas causæ efficientis extrinsecæ propriissimè conuenit personis diuinis ratione attributi omnipotentiæ, quæ vna & eadem est in illis singulis. Secundùm item ratione suæ personalitatis, qua quælibet illarum etiam seorsim, est apta terminare dependentiam cuiuslibet substantiæ creatæ, quemadmodum suprà ostendimus de subsistentia Verbi diuini: sic vt inter Theologos nulla sit disputatio, quin sit proprium diuinæ personæ assumere substantiam omnem creatam, quam vo-

I. luerit, non autem creatæ personæ : cùm personalitates creaturarum sint secundùm naturalem suam inclinationem determinatæ ad terminandum solas proprias suas substantias seu naturas, quas modificant.

Hinc restat solùm difficultas de absoluta potentia Dei, scilicet, an posse assumere substantiam creatam in vnitatem sui suppositi, ita sit proprium personis diuinis, vt etiam repugnet personæ creatæ ?

Vbi notandum est, cùm duo distinguamus in assumptione, *efficientiam* scilicet & *terminationem* : hîc nullam moueri difficultatem de efficientia. Nam, quoad illam, eadem est omnino ratio ac de omnibus aliis rebus, quas Deus potest eleuare ad efficiendum aliquid, quod proprias & naturales vires illarum excedat: sed præsens difficultas mouetur tantùm de terminatione.

II. Notandum secundò, duplicem posse esse sensum huius dubij. Primus est de *immediata vnione*, an scilicet, sicut personalitas Verbi diuini vniuit sibi humanitatem immediatè eámque seipsa immediatè terminauit, ita etiam aliqua persona creata possit per absolutam potentiam Dei terminare seipsa immediatè substantiam creatam, eique dare subsistere, quod aliàs propria eius personalitas daret ei. Secundus sensus est *de mediata tantùm vnione*, an scilicet aliquod subsistens possit diuinitus vnire immediatè suæ substantiæ aliam substantiam, & mediante hac vnione illam terminare propria sua personalitate.

III. Notandũ tertiò, posse duobus modis intelligi creatam subsistentiam terminare & facere subsistere alienã substantiam creatam. Primo, vt subsistentia creata non tãtùm terminet alienam substantiam, faciátque illam subsistere, sed etiam modificet. 2. sensu, vt subsistẽtia creata terminet tantùm dependentiã alienæ substantiæ, absque aliqua tamẽ modificatione, quæ formaliter insit tali substantiæ per aduentum subsistentiæ alienæ. Et quòd hæc duo scilicet *modificare*, *& facere subsistere seu terminare dependentiam substantiæ*, distinguantur in ipsa subsistentia, quatenus est subsistentia, docuimus præced. quæst. vbi ostendimus *esse modum formaliter*, & præcisè loquendo, seu *modificare substantiam*, conuenire tantùm subsistentiæ creatæ ex parte sui materialis, & non ex parte formalis & proprij muneris illius, qua est subsistentia seu personalitas.

IV. Iam quæstio præsentis articuli est tantùm de immediata terminatione, & nõ in ratione *modi* formaliter consideratj : sed tantùm *in ratione termini* facientis subsistere substantiam, & vltimò complentis illam. Nam quòd propria subsistentia creata non possit modificare nisi propriam suam substantiam, patet ex eo, quòd in ratione modi sit entitatiue idem cum re cuius est modus, & tantùm sit certa quædam suæ rei affectio. Vnde cùm vna substãtia, exẽpli gratia, *Petri* sit entitatiuè alia à substantia *Pauli*, fit vt subsistentia *Petri* non possit modificare substantiam *Pauli*: at non est par ratio subsistentiæ consideratæ secundùm munus suum proprium & formale, quia ad illud exequendum non postulat præcisè, quatenus est subsistentia, quòd modificet substantiam siue propriam siue alienam, quam terminat & facit subsistere, quemadmodum obseruauimus in subsistentia Verbi diuini, quæ nec diuinam essentiam, nec ipsam humanitatem assumptam propriè modificat. A V.

His ita prænotatis, duæ sunt de proposita difficultate sententiæ. Prima negans creatam subsistentiam posse absoluta Dei potentia terminare alienam naturam in ratione subsistentiæ, videtur esse S. Thomæ hac quæst. art. 1. in solutione ad 2. quando ait, *hoc esse proprium diuinæ personæ, propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundùm subsistentiam.* Est aperta sententia omnium discipulorum eius, tàm hac quæst. quàm lib. 3. sentent. dist. 1. est etiam Henrici Gandauensis quodlibeto 11. quæst. 10. Durandi lib. 3. sententiarum dist. 1. quæst. 1. qui tamen omnes maximè variant in assignanda ratione huius contradictionis, vt infrà videbimus.

B Secunda sententia, cum qua concludimus, est affirmans. Ita Scotus & eius discipuli lib. 3. sentent. dist. 1. Ochamus ibidem quæst. 1. Gabriel ibidem quæst. 2. art. 3. Maior ibidem quæst. 5. Almainus ibidem quæst. 2. & plures ex recentioribus. Probatur primùm ratione, quæ ostendat omnia ad eiusmodi terminationem personalem requisita, siue ex parte naturæ, siue ex parte personalitatis, sufficienter reperiri in personalitate creata & aliena, subsistantia creata: est autem ratio hæc, vt aliqua personalitas terminet hypostaticè alienam naturam seu substantiam, hæc tria sufficiunt. Primum, quod propria personalitas impediatur produci, vel resultare è propria sua substantia. Secundum, vt aliena subsistentia naturæ seu substantiæ in tali statu positæ vniatur. Tertium, vt hæc aliena VI. subsistentia habeat vim sufficientem ad terminandum etiam alienam substantiam, illam vltimatè complendo, vt sic possit cum illa constituere aliquod subsistens per se. Atqui per absolutam potentiam Dei, hæc tria possunt habere locum in aliqua substantia, & aliqua subsistentia creata isti substantiæ aliena, vt ad se inuicem comparatis in ratione naturæ & termini substantialis. Igitur absolutâ potentiâ Dei potest fieri, vt aliqua subsistentia creata terminet hypostaticè aliquam creatam substantiam sibi alienam. Maior patet ex mysterio Incarnationis, in quo, quia hæc tria habent locum, fit vt personalitas Verbi diuini verè & propriè terminet hypostaticè naturam humanam, quemadmodum tota præcedenti quæstione fuit explicatum. Minor probatur quoad singulas partes. De prima constat, quia tam benè Deus potest impedire, ne propria subsistentia *Petri* producatur vel resultet è sua propria substantia, quam de facto impediuit ne propria subsistentia humanitatis Christi Domini produceretur, vel resultaret: & tam benè nunc posset destruere propriam subsistentiam *Petri* conseruando solam eius substantiam, quam nunc in Sacramento Altaris conseruat accidentia sine propria actuali eorum inhærentia in suo subiecto, scilicet subtrahendo præcisè suum concursum, à conseruanda subsistentia : quia hæc omnia videntur esse paria, vt quilibet potest facilè animaduertere. C VII. D VIII.

Secunda item pars, quæ procedit de vnione, probatur. Quia, hæc vnitio, vt sic præcisè sumpta, importat tantùm initimam coniunctionem entitatiuam vnius extremi cum alio, quia nondum consideramus specialem illam rationem, quæ est rei terminatæ cum suo termino : hoc

I. enim spectat ad tertiam partem eiusdem Minoris) quatenus substantia & subsistentia aliena creata ita sunt duæ distinctæ entitates, sibi inuicem quoad entitatem extraneæ, vt tamen coniungantur sibi immediatè. At Deum hoc facere inter creatam substantiam & aliquam subsistentiam creatam, alteri creatæ substantiæ alienam, non magis implicat, quàm illud idem facere inter humanitatem Christi Domini & personalitatem Verbi; cùm subsistentia creata aliena tàm sit apta facere aliquam cõpositionem cum aliqua substantia creata, vt ex duobus præcisè vnitis inter se, quàm personalitas Verbi diuini est ad id apta: hęc enim est magis simplex quàm ista, & quemadmodum compositio illa, quæ est humanitatis cum personalitate Verbi diuini, est tantùm *compositio ad modum numeri*: ita

II. Deus poterit facere ex subsistentia aliena creata, & substantia creata, *compositum aliquod ad modum numeri*.

Deinde, talis vnio inter hæc extrema non videtur magis repugnare, quàm positio duorum corporum per penetrationem dimentionum intra idem spatium (quam tamen omnes Catholici admittunt) vel quàm positio plurium formarum intra idem numero corpus, quod non repugnare plerique Philosophorum agnoscunt: ergo quemadmodum potest Deus hæc diuinitus facere, sic etiam poterit vnire aliquam subsistentiam creatam alicui substantiæ alienæ similiter creatæ.

Tertia tandem pars eiusdem Minoris, quòd scilicet subsistentia creata habeat aliquam vim terminandi, est in cõfesso apud omnes, cùm de facto terminet propriã suam substantiam. Quòd

III. verò habeat vim sufficientem ad terminandum alienam substantiã creatam, non quidẽ naturaliter, sed per absolutam potentiam Dei, probatur. Personalitas, seu subsistẽtia creata est magis adæquata propriæ suæ substantiæ totaliter terminandæ & cõplendæ, quàm sola subsistentia increata Verbi diuini, sit adæquata toti diuinæ essentiæ totaliter terminandæ & complendæ in ratione subsistentis, quia subsistentia Verbi diuini tantummodò terminat & complet diuinam essentiam in ratione subsistentis *in esse Filij*, præter quod esse Filij diuina essentia ratione suæ infinitatis postulat duas alias subsistentias, Patris scilicet & Spiritus sancti, ratione quarum constituatur subsistens *in esse Patris*, & etiam subsistens *in esse Spiritus sancti*, vt omnes Theologi cõmuniter docent primã parte agendo de mysterio Trinitatis: subsistẽtia verò creata terminat & complet totaliter & adæquatè

IV. propriam suam substantiam: atqui personalitas Verbi diuini non obstante illa inadæquata terminatione & cõpletione diuinæ essentiæ in ratione subsistentis *in esse Filij*, potest adhuc extraordinariè aliquã creatam substantiam terminare & cõplere hypostaticè, vt patet in mysterio Incarnationis: ergo pari iure personalitas creata, quæ habet vim sufficientẽ terminandi adæquatè & totaliter propriam suam substãtiam creatam, habebit etiam, vt per potentiam absolutã possit complere & terminare hypostaticè alienã substantiam creatam. Confirmatur. Vt personalitas Verbi habet ex naturali sua conditione, quòd de facto terminet & compleat diuinam essentiam, & præterea, quòd etiam ex propria virtute possit terminare hypostaticè quãlibet substantiã creatã, ita secundùm aliquam proportionem, personalitas creata habet ex sua naturali conditione & inclinatione, vt de facto terminet hypostaticè propriam suam substantiam, & præterea ex summa illa obedientia (quæ inest cuilibet rei creatę ad promptissimè præstandum, quod Deus voluerit, & non implicat:) habet, vt per potentiam suam obedientialem possit etiam terminare alienam substantiam creatam.

V.

ARTICVLVS II.

Soluuntur responsiones ad rationem doctrinæ præcedentis articuli.

PRIMA responsio est, dispari esse rationem subsistentiæ creatæ à subsistentia diuina, quòd hæc sit infinita, & proinde possit facere subsistere vnam vel plures alienas naturas faciendo etiam subsistere propriam suam naturam quæ est diuina; ista verò sit finita.

VI.

Respondetur duas istas subsistentias, prout præcisè comparantur ad faciendum subsistere alienam substantiam, in hoc non esse dispares. Nam sicut finitas & limitatio subsistentiæ creatæ, in faciendo subsistere, adæquatur & completur per id quod præstat propriæ suæ substantiæ: sic etiam & illa infinitas, quæ inest diuinæ personalitati Verbi, adæquatur & completur per id quod in subsistendo præstat ipsi diuinæ naturæ: ergo, quemadmodum hoc non obstante, subsistentia Verbi diuini potest terminare & complere hypostaticè plures alias substantias creatas: ita etiam seruata proportione & subsistentia creata, non obstante sua finitate secundùm quam terminat hypostaticè

VII. propriam suam substantiam, non desinet adhuc posse, de absoluta Dei potentia, aliquam creatam substantiam, distinctam à sua propria, hypostaticè terminare. Deinde, vis illa terminandi alienam substantiam, quam Verbum diuinum habet, non fundatur præcisè in eius infinitate, quia non terminat humanitatem modo infinito, sed finito tantùm, cùm præstet humanitati assumptæ, quod propria eius subsistentia præstaret ei, & hoc non sit nisi finitum: & si quæ vis infinita ad id requireretur, esset, vel ad impediendum, ne propria subsistentia resultaret, vel ad veluti affigendam creatam subsistentiam alienæ substantiæ, vel denique vt, hoc vtroque facto, subsistentia creata posset seipsa terminare vltimò alienam substantiam sibi intimè connectam. Non ad duo prima, quia Deus per seipsum illa faceret: primum quidem subtrahendo suum concursum, requisitum ad talem resultantiam propriæ personalitatis: secundum item,

VIII. coniungendo intimè actione vnitiuã subsistentiam illam creatam alienæ substantiæ. Non item ad tertium, quia sicut potentia obedientialis passiua datur in humanitate ad terminari per alienam subsistentiam; ita etiam est quasi actiua in subsistentia creata ad terminandum alienam substantiam creatam, cùm hoc vtrumque sit finitæ & limitatæ perfectionis, & in nullo genere causa formalis propriæ dictæ, vel etiam materialis: quod proinde potest à Deo absolutã suã potentiã alicui creaturæ communicari; & ad summum illa infinitas, quæ est in personalitate Verbi, erit ei tantùm ratio ob quam ei competat posse *naturaliter* supplere vicem cuiuscumque subsistentiæ creatæ, quomodo S. Thomas relatus pro prima sentẽtia potest explicari.

I. Secunda responsio est, quòd personalitas diuina contineat eminenter omnes subsistentias creatas, quicquid autem continet aliud eminenter potest illud supplere; at subsistentia creata non continet eminenter creatas subsistentias creatarum substantiarum, ergo neque potest substantia creata alienam substantiam creatam terminare hypostaticè seu assumere.

Respondetur, personalitatem diuinam loquendo propriè, non continere in seipsa omnes subsistentias creatas: nam si propriè loquamur *continentia eminentialis* reperitur tantùm in causa superiori, quæ sit verè productiua in genere causæ efficientis, quemadmodum intelligitur ex conditionibus ad illam requisitis, quas primâ parte ad quartam quæst. exposuimus. At diuinæ personalitates sumptæ præcisè non sunt actiuæ ad extra, loquendo propriè, vt præcedenti

II. quæst. animaduertimus, nec similiter subsistentia creata: vnde non est necesse fundare hunc quasi effectum in ipsa *continentia eminentiali*: præterea tunc posse supplere vicem alterius rei fundatur *in continentia eminentiali*, quando id quod supplet & gerit vicem, præstat talem actũ vel effectum modo longè nobiliori, quàm propria & naturalis eius causa illum produceret: non autem quando illum solummodò præstat, vel æquè nobilem, vel aliquo modo inferiorem: quemadmodum hæc particula *eminenter*, item conditiones requisitæ ad continentiam eminentialem satis per se indicant, & ipsa etiam experientia docet, dum vnus nostrûm supplet locum alterius in aliquo opere faciendo, quem tamen non continet eminenter: sed hoc solo supplet vicem eius, quòd sit eiusdem virtutis cum illo, aut

III. quòd eius virtus possit etiam applicari huic operi faciendo. At, in præsenti hypothesi, subsistentia illa creata, applicata per modum vltimi termini substantiæ alienæ, non terminaret illam nobiliori modo, quàm propria eius subsistentia, sed simpliciter constitueret cum illa vnum aliquod subsistens in genere substantiæ: & hoc non in genere causæ efficientis, sed tantùm in ratione termini, vt patet ex dictis præced. quæst. de formali ratione subsistentiæ: igitur subsistentia creata non impedietur terminare aliquam creatam substantiam alienam, ex eo quòd non contineat in se *eminenter* propriam subsistentiam talis substantiæ sibi alienæ.

Tertia responsio est. Potentia illa, qua subsistẽtia facit subsistere alienam substantiam, debet esse actiua, quia subsistentia habet rationem alicuius actus, sicut substantia creata quæ

IV. terminatur, habet rationem alicuius passiuæ potentiæ, sed subsistentia creata nullam habet actiuam potentiam, quâ faciat subsistere creatam substantiam, sicut diuina subsistentia habet: Ergo quoad hoc est dispar ratio diuinæ subsistentiæ & creatæ. Minor probatur: si subsistentia creata aliquam haberet actiuam potentiam ad faciendum subsistere alienam substantiam creatam, talis actiua potentia vel esset ei naturalis, vel obedientialis: non naturalis, quia illa tantùm est ad propriam suam substantiam, & facere subsistere alienam substantiam est aliquid supernaturale: non est etiam hæc actiua potentia obedientialis; quia hoc discrimen est inter actiuam obedientialem potentiam, & passiuam obedientialem; quòd passiua nihil

A superadditum sibi requirat, vt sit in statu accommodato ad recipiendum actum sibi correspondentem, quemadmodum patet in humanitate Christi Domini dum actuatur in genere subsistentis per increatam subsistentiam Verbi diuini secundùm potentiam suam obedientialem, & in anima paruuli recipientis gratiam sanctificantem in baptismo: potentia verò actiua obedientialis requirat aliquid sibi superadditum quo eleuetur & reducatur ad actum; at potentia illa, quâ subsistentia creata potest terminare alienam substantiam, est obedientialis, vt per se constat, nec potest explicari quidnam sit illud ei superadditum quo eleuetur, & præterea in eiusmodi eleuatione, id quod agit per obedientialem potentiam sit tantùm causa instrumentalis, & ipse Deus eleuans

B sit principalis, quemadmodum videre est in nostris Sacramentis: At subsistentia, quatenus facit subsistere substantiam, debet esse causa principalis & non instrumentalis, cùm sit veluti formalis causa eius quod per illam subsistit, tùm etiam quia in tali hypothesi, substantia creata melius & verius diceretur subsistere in Deo, quàm in aliena creata subsistentia, cùm talis denominatio debeat potiùs desumi per ordinem ad solam causam principalẽ, quàm per ordinem ad solam causam instrumentalem, qualis in hac hypothesi esset ipsa creata personalitas.

Respondetur negando Maiorem. Si, vt debemus iuxta id quod obseruauimus, loquamur de sola vi terminatiua, quatenus præscindit ab actione vnitiua. Nam sæpè animaduertimus

C *ipsum terminare non esse aliquod agere*, facere vel producere, & subsistentiam habere potiùs rationem alicuius termini Metaphysici, quàm alicuius actus correspondentis veræ alicui potentiæ passiuæ; vnde ad probationem Minoris, & ad discrimen quod ibi asseritur esse inter potentiam obedientialem actiuam & passiuam, respondetur id non habere hîc locum; nec proinde aliquid debere superaddi subsistentiæ creatæ, quo eleuetur seu fiat potens terminare alienam substatiam, cùm sit solùm terminatiua, sed satis esse quòd per actionem vnitiuam applicetur à Deo isti alienæ substantiæ, & ab eo accipiat imperium ad faciendum illam subsistere. Tunc enim illa eius obedientialis potentia, qua in prima sui creatione accepit vim à Deo non solùm terminandi propriam suam substantiam, sed etiam alienam creatam,

D statim reducetur ad actum, quatenus talis subsistentia aliena sese de facto illi cõmunicabit in ratione termini complendo illam: & cùm *esse in propria personalitate & in aliena*, sint modi incõpossibiles, vt paulò pòst videbimus, propria personalitas impedietur resultare, non tantùm per subtractionem diuini concursus, sed etiam per alienam subsistentiam tali substantiæ vnitam, vt incõpossibilem cum propria: & cùm subsistentia nullomodo habeat rationem veræ alicuius causæ, sed tantùm *termini & complementi*, tunc illa non dicetur causa aliqua *instrumentalis* in sic faciendo subsistere: nec Deus item *principalis*, nisi sit sermo de ipsa assumptione, quatenus persona creata sumit ad se, seu vnit sibi substantiam alienam per veram actionem.

V. VI. VII. VIII.

I.

ARTICVLVS III.

Ex solutione obiectionum nonnulla colliguntur.

EX responsionibus ad obiectiones factas articulo præcedenti, satis constat tam benè posse fieri absoluta potentia Dei, vt vna numero subsistentia terminet plures alienas substantias, quàm vnicam solummodò: nec ex eo quòd vna subsistentia creata potest terminare plures substantias alienas in infinitum, benè inferri talem subsistentiam creatam esse infinitæ perfectionis. Ratio primi est, quòd non sit maior difficultas ad simul terminandum plures alienas substantias, quàm vnam, respectu ipsius subsistentiæ, cùm adhoc, sufficiat ei quòd vniatur

II. à Deo pluribus alienis substantiis & imperium Dei ad id accipiat: quia tunc ipsa formali communicatione sui, in ratione termini, complebit illas omnes & singulas: sicut albedo & calor, quæ faciunt album & calidum formaliter, si per diuinam potentiam ponantur eadem numero in pluribus subiectis, pari facilitate constituent plura alba vel calida, quæ vnum solum constituunt: & sicut non repugnat vnum accidens numero, existens per potentiam naturalem in vno subiecto, poni per absolutam simul & semel in pluribus, eáque omnia reddere formaliter alba & calida: ita etiam nihil repugnat vnam subsistentiam creatam esse in propria sua substantia, eámque modificare per suam naturalem potentiam, & simul & semel poni in pluribus alienis terminatiuè per absolutam Dei po-

III. tentiam, scilicet eas tantùm omnes faciendo subsistere. Vt enim naturali potentiæ sola propria eius substantia ei correspondet & est adæquata, ita etiam potentiæ eius obedientiali correspondent omnes illæ substantiæ creatæ, quæ possunt à Deo vniri illicùm hæc tam latè pateat, quàm ipsa omnipotentia Dei in tali genere.

Ratio autem secundi est, quòd licèt supplere naturaliter & per potentiam sibi purè naturalem vicem alicuius subsistentiæ creatæ sit aliqua perfectio, qua ratione S. Thomas hîc art. 1. dicit illud conuenire personalitati Verbi diuini propter suam infinitatem: attamen supplere subsistentiam creatam solummodò secundùm obedientialem potentiam, non arguit maiorem perfectionem in ipso supplente. Primò, quia modus iste argumentandi tantùm valet in causa propriè efficiente: nam posse plura agere, dicit & importat esse magis in actu: esse autem magis in actu, est aliqua maior perfectio, sicut esse

IV. in actu est aliqua perfectio: at propria subsistentia non facit, loquendo propriè, subsistere propriam suam substantiam, seu etiam alienam in genere causæ efficientis, vt suprà docuimus, sed tantùm terminando: deinde quia id tantùm fit secundùm potentiam obedientialem subsistentiæ creatæ, at talis potentia tam bene est ad faciendum subsistere plures, & plures alienas substantias, quàm ad faciendum subsistere vnicam: cùm æquè sit parata subsistentia creata ad obediendum Deo pro terminandis pluribus & pluribus alienis substantiis, ac pro terminanda vna tantùm aliena.

A

B

C

D

V.

ARTICVLVS IV.

Veritas doctrinæ præcedentis probatur soluendo contra pretensas contradictiones prima sententiæ.

EX ratione nostræ propositionis eo modo, quo superiùs est explicata & confirmata, nascitur alia secunda ratio, qua probamus nostram propositionem soluendo illas contradictiones, quas auctores prioris sententiæ fingunt. Nam primò, patet contradictionem illam, quam aliqui fundant *in infinitate* requisita ad id faciendum, esse nullius momenti: ostendimus enim ad id non esse opus aliqua infinitate, siue hæc terminatio spectetur secundùm quasi *effectum formalem*, siue secundùm *rationem qua coniungitur*, cùm totum istud sit aliquid omninò finitum.

VI. Secundò, patet illam contradictionem, quam alij fundant in eo, quòd subsistentia debeat *esse causa principalis*, etiam esse nullam: cùm ipsa terminatio substantiæ, quæ est à subsistentia, siue propria, siue aliena, ad nullum genus causæ pertineat propriè, vt suprà ostendimus.

Tertiò, illam etiam, quam aliqui repetunt ab eo quòd *propria creata subsistentia adæquatè respondeat propriæ suæ substantiæ*, patet nullius esse ponderis. Nam & personalitas Verbi diuini, vt obseruauimus, est determinata ad terminandam diuinam essentiam, quam licèt non omnimodè adæquet, attamè non desinit terminare de facto humanitatè Christi Domini. Deinde hæc determinatio subsistentiæ creatæ ad propriam suâ substantiam, & adæquatio cùm illa est tantùm prout

VII. consideratur secundùm *vim suam naturalem terminandi*: at hîc consideramus subsistentiã creatam *secundùm obedientialem illam vim terminandi*, quæ virtus obedientialis in omnibus creaturis, quibus inest, sese latiùs & longiùs extendit, quàm naturalis earum virtus: vt videre est in nostris Sacramentis, in igne Purgatorij & inferni, & aliis id genus.

Quartò, patet similiter contradictionẽ, quam alij repetunt ex eo quòd subsistentia creata *sit modus substantiæ*, Verbi diuini non item; esse nullam ex præmisso nostro notabili, quo animaduertimus subsistentiam creatam hîc non considerari *in ratione modi*, sed solùm *in ratione termini*: & has duas formalitates esse distinctas in subsistentia creata, vnam se tantùm tenere *ex parte materialis illius, & alteram ex parte eius formalis*, quo solo modo hîc illam consideramus.

VIII. Contra quod non potest obiici, istas duas rationes ita esse distinctas, vt tamen vna illarum non possit esse sine alia obidentitatem illam realem, quam seruant inter se: nec proinde posse communicari alicui substantiæ secundùm vnam rationem, quin & simul etiam communicetur ei secundùm alteram, sicque cùm in prædicto notabili admittamus subsistentiam creatam non posse modificare diuinitus aliquam substantiam creatam sibi alienam, fieri ex consequenti, vt etiam non possit eam terminare, sicut nec vna & eadem numero figura potest duas quantitates realiter à se inuicem distinctas figurare, nec eadem sessio facere, vt duo distincti homines sedeant, nec eadem actualis inhærentia, vt duo accidentia realiter distincta insint distinctis realiter subiectis. Hoc, inquã, non potest obiici: nam quãdo aliquid ita est vnum quid *simplicissimũ*,

I. *re ipsa*, vt tamen *sit virtute duplex*, constétque duobus solùm virtualitèr inter se distinctis, tunc tale vnum potest communicari sub vna ratione, licèt sese non communicet sub altera ratione formali, quæ est entitatiuè & realiter idem cum illa: vt patet in hoc mysterio, in quo, quia personalitas distinguitur virtualiter ab essentia diuina, hæc non dicitur terminasse humanitatem Christi Domini, sed illa sola, vt ostendimus præcedenti quæstione inter respondendum ad rationes Nestorij. At duæ istæ formalitates *modificare, terminare*, in subsistentia creata ita sunt vna realis entitas, vt tamen illa sit virtute duplex, & duæ istæ formalitates seruent inter se virtualem distinctionem, cùm vna illarum sit *materiale subsistentiæ* creatæ, & alterum *formale eius*. Ergo personalitas creata ita poterit communicari alicui subsistentiæ creatæ alienæ, vt eam tantùm terminet seu faciat subsistere, nec eam tamen modificet. Neque exempla sessionis, figuræ, inhærentiæ actualis, & hæc similia iuuant primam illam opinionem: quia ista omnia sunt *intrinsecè* & ex sua propria formali ratione *modi*, vt expresè notauimus præcedenti quæstione: at subsistentia creata est solummodò modus *extrinsecè* seu ratione sui tantùm materialis & non ratione sui formalis precisè sumpti, vt ibidem docuimus.

II. Dices, disparem esse rationem subsistentiæ Verbi diuini à subsistétia creata, quòd illa nullo modo sit modus & sit vbique: vnde rectè potest intelligi terminare humanitatem Christi Domini non modificando illam, at subsistentiam creatam esse formaliter modum saltem ex parte sui materialis, nec vbiq; existere, nec proinde posse intelligi quòd faciat subsistere alienam subsistantiam, quam tamen de facto non modificet: cùm eius communicatio non fiat nisi actuali modificatione, quam formaliter facit in subsistantia.

III. Respõdetur. Sicut actualis communicatio subsistentiæ creatæ potest fieri duobus modis, scilicet naturaliter propriæ tantùm subsistantiæ, & supernaturaliter seu per absolutam potentiam Dei nimirum alienæ subsistantiæ: ita etiam duo dantur modi exequendæ huius communicationis. Primus est per actualem *modificationem* subsistantiæ, quam terminat, & hic solùm est respectu suæ propriæ subsistantiæ. Secundus est per actualem tantùm *intimam sui vnionem in ratione termini*, & vltimi complementi subsistantiæ constituentis cum illa vnum subsistens, quatenus vnita subsistantiæ illam actuali sua communicatione terminat: qui modus nullam inuoluit modificationem subsistantiæ terminatæ, vt etiam videre est in mysterio Incarnationis: & hic modus

IV. exequendæ huius communicationis est solùm respectu alienæ subsistantiæ. Vnde cùm hîc loquamur tantùm de subsistentia creata per comparationem ad alienam subsistantiam creatam, fit vt rectè possimus intelligere subsistentiam creatam posse facere subsistere alienam subsistantiam, absque eo quòd de facto illam modificet, & ad faciendum subsistere humanitatem Christi Domini præcisè & secundùm se consideratum sese habet merè per accidens ipsa immensitas Verbi diuini: nam si per impossibile personalitas Verbi diuini esset in certo determinato & definito tantùm loco, sicut sunt Angeli ex sua naturali conditione, adhuc tamen intelligeretur illam hypostaticè terminare. Vbi tota Trinitas illam ei vniret, cùm non terminet illam ratione suæ immensitatis, sed tantùm personalitatis, quæ

A tunc intelligeretur esse sufficienter ibi, vbi Trinitas illam vniret; quippe cùm tota eius ratio personandi, à qua solùm id prouenit, ibi etiam reperiretur. Ergo pari modo licèt subsistentia creata non sit vbique locorum, non propterea tamen desineret facere subsistere alienam subsistantiam creatam, cui à Deo vniretur, vbi & in eo spatio, in quo talis subsistentia creata & aliena subsistantia simul coniungerentur. V.

Nec hinc etiam sequitur subsistentiam creatam tunc debere identificari illi subsistantiæ alienæ, quam facit subsistere, ex eo quòd identificatur cum sua propria subsistantia: nam id tantùm requirit qua parte modificat illam: vnde, cùm faciendo subsistere alienam, eam non modificet, sed tantùm terminet, fit vt tunc non debeat identificari alienæ subsistantiæ: sicut nec subsistentia Verbi diuini identificatur humanitati

B Christi Domini, quam nihilominus hypostaticè terminat. VI.

Nec secundò sequitur talem subsistentiam creatam posse alicubi existere vbi propria eius subsistantia non existet, sicut non bene sequitur personalitatem Verbi diuini posse alicubi existere, vbi diuina eius natura non existit: quemadmodum enim personalitas Verbi, propter illam summam identitatem quam habet cum natura diuina, ita est vbicumque, vbi est diuina natura, vt tamen, quia ab ea distinguitur virtualiter non eadem ei conueniant, quatenus sumitur vt distincta virtualiter ab illa, & tam ipsa diuina natura quàm personalitas Verbi diuini seruant realem suam distinctionem ab humanitate Christi Domini, quam de facto terminat hypostaticè. Ita etiam in præsenti hypothesi, vbicumque esset creata illa subsistentia, ibi pro-

C pria eius subsistantia esset, & propter suam distinctionem virtualem à propria sua subsistantia ei soli competeret facere subsistere alienam subsistantiam, nec propterea desineret tam illa quam propria eius subsistantia distingui realiter ab aliena illa subsistantia, & quemadmodum personalitas Verbi habet propriam suam personalem existentiam distinctam virtualiter ab absoluta existentia diuinæ essentiæ: ita etiam & subsistentia creata, cùm sit actualis quædam entitas aliquo modo ex natura rei distincta à sua propria subsistantia, habet etiam & propriam existentiam suæ entitati modali correspondentem, cùm formalis ratio per quam aliquid est actualis entitas loquendo propriè sit ipsa existentia. VII.

Quarto & vltimo loco nostra propositio non ideò inuoluit contradictionem, quòd ex subsistentia & subsistantia fiat vnum per se, vnum au-

D tem per se fieri nequeat, nisi ex his quæ per se & essentialiter sunt ordinata ad compositionem talis entis: at subsistentia creata non ordinetur per se & essentialiter ad vnum per se componendum cum subsistantia aliena, sed tantùm cum propria, ad quam solam habet propensionem. Non ideò inquam, nostra propositio inuoluit aliquã contradictionem; nam hæc ratio contradictionis sumpta præcisè, tam benè militat contra mysterium Incarnationis, quàm cõtra nostram propositionem. Vt enim subsistentia creata & subsistantia creata aliena non ordinantur per se & essentialiter ad componendum vnum aliquod per se, ita nec personalitas Verbi diuini & humanitas Christi Domini: nam humanitas habet tantùm ordinem, aptitudinem, & habitudinem naturalem ad componendum vnum aliquod per VIII.

I. se, cùm propria sua creata subsistentia, aliàs hæc vnio hypostatica esset tantùm supernaturalis in suo *fieri*, & *non etiam in suo facto esse*, sicut est resurrectio mortuorum, & restitutio visus facta cæco nato, quod tamen est contra superiùs dicta de eius excellentia & formali termino. Ergo sicut hoc non obstante subsistentia Verbi diuini, non definit cõstituere aliquod vnum per se cum ipsa humanitate Christi Domini (quemadmodum docuimus suprà agendo de variis compositionibus substantialibus, quæ reperiuntur in Christo Domino) ita etiam licèt subsistentia aliena creata & substantia creata non ordinẽtur per se essentialiter & natura sua secundùm naturalem suam inclinationem considerata ad componendum vnum per se, non desinent per absolutam potentiam Dei posse vniri inter se in ratione termini & rei terminatæ ad componendum vnum per se subsistens, & quæcumque afferentur

II. contra hoc posterius, poterunt facilè retorqueri contra mysterium Incarnationis: vnde sicut illud fuit possibile, ita & hoc posterius.

Neque recurri potest pro facienda disparitate ad continentiã eminentialem: nam supra ostensum est hanc rationem non esse alicuius momenti, & cùm personalitas Petri exerceat simile munus circa propriam suam substantiam, quàm personalitas Pauli circa suam propriam, licèt distinctum quoad suas indiuiduantes conditiones, propter quas non potest naturaliter id præstare,

III. poterit diuina virtute & per potentiam suam obedientialem tale munus circa substantiã Pauli exercere. Quod potest optimè confirmari exemplo formæ substantialis, quæ licèt ab agente purè naturali & physico non possit vniri nisi propriæ suæ materiæ has & istas dispositiones particulares habenti; & sic cum illa facere ens aliquod physicum vnum per se: nihilominùs tamen si hæc duo spectentur in ordine ad absolutam potentiam Dei, forma potest alteri materiæ quàm suæ in particulari determinatæ, ita vniri à Deo, vt ex illis sic vnitis ens aliquod verè vnum per se resultet, quemadmodum post Fonsecam lib. 5. Metaphys. cap. 2. quæst. 14. sect. 2. & 3. ipsi Conimbricenses annotarunt ad cap. 9. lib. 1. Physic. quæst. 11. art. 4. maximè cùm hæ omnes personalitates creatæ sint eiusdem ordinis.

ARTICVLVS V.

Soluitur obiectio contra doctrinam primi articuli.

IV. OBIECIES ex doctrina præcedentium articulorum sequi mysterium Incarnationis non esse singulare nec mirabile, contra sanctos Patres, S. Cyprianum, serm. de natali Domini, S. Augustinum epist. 3. ad Volusianum, S. Bernardum serm. 2. in Vigilia Natiuitatis Domini, quia id non est singulare vel mirabile, quod potest habere locum in pluribus, imò in omnibus subsistentiis creatis, respectu omnium quarumlibet substantiarum creatarũ sibi alienarum. Respondetur id non sequi. Non primum, quia Patres eo sensu ibi dicunt mysterium Incarnationis esse *singulare*, quatenus semel tantùm peractum est, & circa vnicam numero humanitatem, vt expressè significat S. Augustinus ibi, *si exemplum poscitur, non erit singulare*. At nostra propositio non asserit aliquot vniones hypostaticas fuisse de facto peractas, sed tantùm non repugnare illam

A etiam fieri inter subsistentiam creatam & substantiam similiter creatam illi alienam. Licèt enim aliqui, vt Tertullianus lib. de carne Christi, & lib. 3. contra Marcionem dicat Angelos, qui apparuerunt Abrahæ, habuisse veram carnem: item Origenes, vt refert S. Hieronymus præfatione in Malachiam, existimauerit Malachiam, fuisse Angelum incarnatum, & aliqui alij idem putauerint de S. Ioanne Baptista, vt testatur S. Hieronymus ad 1. cap. Aggæi, tandem alij velint Antichristum fore diabolum incarnatum: ista tamen omnia falsa esse docet communis opinio Interpretum iis omnibus locis Scripturæ, & quãdo agitur de eiusmodi personis, sed hæc omnia & alia similia probant tantùm istud supponi ab eiusmodi Auctoribus tanquam possibile, quod solummodò affirmat nostra propositio.

V.

Secundùm item non sequitur, scilicet *non fore*

B *mirabile*. Nam istud *mirabile*, ibi apud Patres non cadit præcisè in *ipsam vnionem hypostaticam sumptam solummodò secundùm se*, abstrahendo à personalitate diuina & creata, sed expressè cadit suprà *vnionem personæ diuinæ cum humanitate*, secundùm quam Filius Dei, qui est vbique omnipotens, infinitus, est genitus, natus, item positus in cunis, quemadmodum fusè ibi persequitur S. Augustinus, *quorum omnium*, inquit, *si quæritur ratio, non est mirabile*, & ait, *totam rationem facti esse potentiam facientis*: at ista omnia mirabilia locum non haberent in iis vnionibus creatarum subsistentiarum cum alienis creatis substantiis. Deinde tunc tota ratio facti esset ipsa etiam potentia facientis Dei adiuncta eius voluntate, sicut & in mysterio Incarnationis, quatenus Deus posset id velle, & ordinare ad manifestandum suam omnipotentiam. Vnde quemadmodum in

C humanitate Christi Domini nihil fuit productũ, quod tanquam præuia dispositio illam præpararet ad vnionem hypostaticam, sed solummodò per actionem vnitiuam modus ille substantialis, quem *inexistentiam* appellauimus, fuit productus: ita etiam & in casu nostræ propositionis, quia vna substantia creata aliena haberet actualem ordinem dependentiæ in aliquo substantiali ab aliena personalitate creata, reciperet aliquem modum substantialem, quo immutaretur & actu coniungeretur subsistentiæ alienæ, quę subsistentia creata cùm sit capax alicuius mutationis, posset etiam esse capax alicuius partis istius modificut & in sententia aliquorum modus ille qui producitur per vnitionem formæ substantialis ad suam materiam, constituitur in vtroque extremo secundùm aliquid sui, cui non repugnat vulgare illud, *non datur modus modi*: id enim propriè in-

VII.

VIII.

D telligitur de eo tantùm modo qui sit eiusdem conditionis cum priori: verbi gratiã, subsistentia creata, ita est modus propriæ suæ substantiæ, vt ad subsistendum non indigeat alia subsistentia, quæ sit modus alius, faciens illam subsistere, sic enim daretur progressus in infinitum: non autem intelligitur de variis modis distinctæ rationis. Nam secundùm aliquos Philosophos existentia est quidam modus essentiæ, cui tamen posteà aduenit subsistentia, quæ est etiam aliquis modus sed distinctæ rationis. Ita & in præsenti casu modus iste subsistentialis non esset subsistentia, sed aliquid ordinans de facto subsistentiam alienam creatam ad substantiam alienam creatam: & è contrà ad constituẽdum vnum aliquod subsistens per se, & tunc hæc vnio licèt *in suo fieri esset supernaturalis*, quia nulla virtute agentium

I. naturalium posset fieri, attamen sumpta *in facto esse* præcisè, & secundùm se, nec esset propriè *supernaturalis*, nec *naturalis*, sed *tantùm præternaturalis*: non quidem *supernaturalis*, quia sic nullomodo respiceret ordinem gratiæ & gloriæ æternæ, cùm per illam substantia assumpta non eucheretur ad istum ordinem, sed solùm ad subsistendum alienâ subsistentiâ creatâ ordinis purè naturalis. Non item esset *naturalis*, quia nō esset secundùm naturalem inclinationē talis substantiæ creatæ alienæ, nec per agentia purè naturalia reduceretur ad talem actum, sed per solam potentiam obedientialem eiusmodi subsistentiæ creatæ. Restat ergo vt talis vnio sit præternaturalis sicut S. Thomas primâ parte quæst. 89. art. 1. & Caietanus ibi dicunt statum animæ rationalis positæ extra suum corpus *non esse naturalē*, quia

II. est ei naturale esse in corpore, cuius ipsa est forma: non item *violentum*, quia anima non reniti-

B tur tali statui, sed esse *præternaturale*. Qui status est aliquid medium inter naturalem & violentum statum. Et licèt in tali hypothesi substantia illa creata subsistens aliena subsistentia creata non tam perfectè subsisteret ac humanitas Christi Domini subsistit subsistentia Verbi diuini, nec modò tam sibi connaturali ac subsisteret per propriam suam subsistentiam, retinerétque pondus suum ad propriam subsistentiam: non propterea tamen diceretur loquendo propriè habere aliquem *appetitum per modum desiderij* ad propriam illam subsistentiam, nec esset in statu violento, quia totum istud fieret per omnipotentiam Dei auctoris naturæ, & potētiam obedientialem substantiæ creatæ, quæ obedientialis potentia non repugnat inclinationi naturali, quia

III. importat perfectam submissionem creaturæ ad suum creatorem, quæ est aliquid maximè conueniens omni & cuilibet rei creatæ.

A accidentia illi inexistentia: ergo si aliqua substātia creata posset à Deo poni in alia, poterit etiam diuina virtute terminari & sustentari propria subsistentia istius substātiæ cui inerit. Atqui Deus potest hoc secundùm facere: potest enim ita applicare vnam substantiam creatam alteri, vt non solùm sit illi intimè præsens, itavt singulæ eius partes coexistant singulis partibus alterius, sed etiam vt vna sit in alia non tanquam in subiecto vel receptaculo tantùm, sed tanquam in terminante eius existentiam, scilicet ne tendat vlteriùs ad proprium suum complementum, sed illud accipiat à subsistentia illius creatæ substantiæ cui sic inexistit, quatenus sic illam constituendo actione vnitiua, producet in illa aliquem modum substantialem tanquam formalem terminum, qui dicat actualem habitudinem istius naturę ad sic subsistendum solummodò mediatè per propriam subsistentiam eius substantiæ, in qua sic

B fuit posita à Deo: ergo Deus potest facere vt aliqua persona creata terminet solummodò mediate aliquam alienam substantiam creatam.

V. VI.

Obiicies, talis vnio vel esset tantùm accidentalis & quoad locum & intimam penetrationem naturarum inter se, & sic non esset substantialis, qualis est omnis vnio verè hypostatica: vel esset talis, vt vna natura traheretur ad esse existentiæ alterius substantiæ, & ita hæc subsistētia faciendo subsistere propriam suam substantiam, faceret etiam subsistere alienam sic coniunctam suę naturæ; & hoc non, quia hæc aliena natura non ampliùs existeret, cùm implicet rem esse & non existere propria sua existentia. Vel denique vt materia & forma coniunguntur ad constituendum vnam substantiam totalem, vnum per se compositum, & iuxta nonnullos Philosophos, materia

C subsistit subsistentia formæ: ita etiam subsistentia propria & aliena coniungerentur inter se ad conflandam vnam totalem substantiam, ita vt substantia aliena subsisteret subsistentia propria alteri substantiæ. At hoc etiam implicat, quia ex duabus integris naturis completis secundùm sua omnia essentialia non potest fieri nisi vnum per accidens. Igitur nullo modo persona aliqua creata potest virtute diuina assumere mediatè alienam substantiam creatam.

VII.

Respondetur: hanc vnionem fore *substantialem*, quia in tali casu substantia creata carens propria subsistentia vniretur alteri vt subsisteret per eius subsistentiā: & quamuis non vniretur ei immediatè, quia tamē ad hoc tendit, vt natura vnita terminetur per illam: non desineret talis vnio esse substantialis. Sicut licèt vnio formæ cum materia non fiat nisi mediantibus qualitatibus dis-

IV. positiuis, quia tamē ambo illa extrema tendunt

D ad vnum per se constituendum, vnio illarum non desinit esse substantialis. Vnde in tali casu vnum compositum per se, *non quidem essentiale, sed substantiale* resultaret, eo modo quo nunc in mysterio Incarnationis diuina natura & humana conueniunt in vnum per se, & componunt *vnum aliquod substantiale*: & quemadmodum materia & forma, quæ seruant suas naturas, conueniunt ad componendum vnum subsistens (in sententia eorum, qui existimāt totam subsistentiam se tantùm tenere ex parte vnius extremi illorum) ita etiam duæ illæ naturæ conuenirent ad componendum vnum per se subsistens, & nihilominus realem inter se distinctionem semper seruarent: sicut diuina natura & humana seruant illam inter se in Christo Domino.

VIII.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm aliqua persona creata possit virtute diuina assumere mediatè aliquam substantiam alienam.

HIc est secundus sensus explicatus articulo 1. huius disputationis in secundo notabili: cuius partem negantem aliqui recentiorum sequuntur. Verùm sit hæc nostra propositio. *Non implicat vnam personam creatā posse alienam substantiam sustentare mediante propria sua natura, ita vt aliena substantia vniatur immediatè propriæ substantiæ, à cuius subsistentia terminetur & sustentetur mediatè.* Ita Ochamus in 3. sentent. dist. 2. quæst. 1. Maior ibidem quæst. 5. & aliqui recentiores. Probatur primò, quia in eo nulla apparet contradictio, nam personalitas creata tam habet potentiam obedientialem ad terminandum mediatè alienam substantiam, quàm ad immediatè terminandum, & similiter aliena substantia creata tam ad terminari mediatè quàm ad immediatè terminari: cùm præstare istud mediatè non arguat aliquam infinitatem, sed tantùm aliquam veluti extensionem virtutis terminatiuę ad naturam vlteriorem finito modo complendam, quod non magis implicat, quàm eamdem creatam subsistentiam terminare simul & semel plures alienas substantias, quod tamen non repugnare ostendimus. Deinde subsistentia creata mediante sua propria substātia, quam terminat & sustentat, terminat & sustentat etiam

I. Hinc in tali hypothesi, vna natura non traheretur ad esse existentiæ alterius, sed ad solum eius esse subsistentiæ: sicut in Christo Domino humanitas trahitur ad esse subsistentiæ Verbi diuini: & sicut in Christo Domino duæ illæ naturæ, licèt singulæ sint integræ, & perfectæ, non tamen desinunt aliquod vnum per se componere, & non per accidens, quatenus neutra illarum aduenit alteri *per inhærentiam*, aut quasi *per inhærentiam ei tantùm assistendo* merè *extrinsecè*, sed in hunc finem, vt scilicet constituant tantùm *vnum esse personale*, quemadmodum ostendimus præcedenti quæstione: pari iure quia in præsenti casu vna natura tantùm alteri aduenireť, vt vnum esse personale cum alia constitueret, faceret etiam vt compositum hoc esset per se & substantiale & non per accidens: sicque vnio hæc non consisteret in intima præsentia præcisè, vel

II. etiam penetratione vnius substantiæ cum alia, quamquam & hoc requiratur *quasi præsuppositiuè*, sed in eo quod ad talem substantialem præsentiam vel penetrationem subsistentia creata non tantùm redderet propriam suam creatam substantiam formali sua communicatione vltimò terminatam & subsistentem, sed etiam alienam sibi vnitam, imperio Dei ad id accedente: quemadmodum iuxta doctrinam præcedentium articulorum facit alienam subsistere, cum hoc tamen discrimine, quòd in casu præsentis articuli id tantum faceret mediatè, at in casu præcedentium articulorum immediatè.

Atque hæc doctrina de vtraque substantiali vnione, immediata & mediata per subsistentiam creatam alienam, intelligitur tam de subsistentia creatæ materialis substantiæ, respectu

III. substantiæ immaterialis creatæ, & è contrà, quàm de subsistentia propria substantiæ materialis respectu alienæ substantiæ, similiter materialis creatæ: nam omnes illæ rationes, quæ probant vnam & eandem Verbi diuini subsistentiam, omninò & simpliciter spiritalem, facere subsistere corpus Christi Domini, iunctę iis, quibus stabiliuimus præsentem doctrinam, facilè, arguunt hoc consectarium.

DISPVTATIO II.

De terminatione humanitatis à Verbo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quænam sit ratio formalis Verbo terminandi humanam naturam.

IV. VPPONENDVM est primo loco, solam Filij personā ex tribus diuinis fuisse incarnatam, & hoc tanquam fide Catholica certum: nam id patet infinitis propemodùm sacræ Scripturæ testimoniis, vt S. Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, S. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium suum vnigenitum daret.* Item 14. cap. item ad Rom. 1. & 9. ad Galat. 4. & passim alibi: ita dicunt Verbum esse incarnatū, vt satis apertè declarent alias personas diuinas non fuisse incarnatas. Quod etiam tradunt omnia Symbola nostrę fidei, vt Apostolorum, Nicænum, Constantinopolitanum, S. Athanasij, Toletani VI. & XI. A Conciliorum. Item & Concilia, vt Lateranense sub Martino I. & patet etiā ex iis omnibus, quæ definiunt in Christo Domino vnicam duntaxat esse personam, eámque Verbi diuini, vt Chalcedonense. Vnde Patropassiani sunt semper habiti in Ecclesia pro hæreticis, vt videre est apud sanctos Patres Irenæum, Augustinum & alios, dum recensent hæreticos. V.

Quare autem Filius fuerit potiùs incarnatus quàm Pater aut Spiritus sanctus, variæ sunt apud Patres congruitiæ, vt apud S. Augustinum tract. 13. in S. Ioan. S. Anselmum lib. 2. *cur Deus homo*, cap. 9. item lib. de Incarnatione Verbi cap. 4. & alios, dum agunt de hoc mysterio: quarum aliæ nullum habent ordinem ad peccatum originale, aliæ illud præsupponunt, vt etiam videre est apud S. Thomam hac qua st. art. 8. & omnes eius Interpretes, quæ quia sunt faciles & cuilibet obuiæ, illarum explicationem omittimus contenti indicasse locum in quo possunt tusè videri. B VI.

Notandum secundò, cùm ex iis quæ communiter docent Theologi cum S. Thoma primâ parte, qua st. 40. art. 1. diuinæ personæ constent *essentia diuina, tanquam aliquo communi, & suis proprietatibus personalibus, tanquam ratione constitutiua & distinctiua illarum*: sicque Filius constet essentia diuina & filiatione, quæri posse, per quid istorum terminet immediatè dependentiam humanitatis in hoc mysterio Incarnationis: an per *aliquid absolutum essentiale, & commune omnibus* personis diuinis: an verò *per aliquid relatiuum soli Filio proprium*: & hoc est quod vocatur hîc in quæstionem.

De quo duæ sunt præcipuæ sententiæ. Prima Durandi lib. 3. sentent. dist. 1. quæst. 2. numero 6. & seq. eadem distinct. quæst. 5. numero 10. C personam Verbi diuini terminare primariò dependentiam humanitatis, per aliquid absolutum & essentiale, scilicet *per absolutam, & communē subsistentiam*, qua primò & *per se hic Deus*, vt communis tribus personis subsistit, imò & singulæ personæ diuinæ: secundariò autē per suam proprietatem relatiuam, scilicet *per suam filiationem*, ratione cuius proprietatis hæc vnio est & dicitur personalis. Vnde ibi notat ad vnionem personalē humanæ naturæ cum diuina persona, priùs exigi vnionē eiusdem humanę naturę cum diuina essentia, nimirùm ratione prædictæ absolutæ & communis subsistentiæ: deinde requiri vlteriùs, vt hæc vnio sit secundariò cum his quæ sunt propria personæ in quantum persona: vltimò etiam postulari, quòd illa vlterior, & secundaria vnio sit possibilis cum proprio vnius VII.

IV. personæ absque eo quod sit etiam cum proprio D alterius personæ: ideóque cùm in præsenti mysterio Incarnationis, vnio humanæ naturæ cum diuina sit ita facta primariò & immediatè in diuina essentia, ratione subsistentiæ communis & absolutæ, vt tamen vnio secundaria & vlterior sit tantùm facta in proprietate relatiua Filij seu in filiatione, quæ soli Verbo est propria: fit vt solus Filius sit & dicatur incarnatus. VIII.

Totum fundamentum Durandi est. Quòd in diuinis vnica tantùm detur subsistentia, éaque communis & absoluta, nulla autem relatiua. Sed istud nullius est roboris: nam primâ parte agendo de mysterio Trinitatis docuimus, nullam dari in Deo absolutam seu communem subsistentiam, & præterea à sequēti disputatione ostendemus, suppositā illa Durandi opinione, personas omnes diuinas fore incarnatas.

I. Secunda sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est, *Id per quod Verbum diuinũ immediatè terminat & sustentat humanam naturam, non potest esse aliquid absolutum & essentiale, sed est aliquid relatiuum*, scilicet *proprietas eius relatiua & personalis, quæ est filiatio diuina, per quam formaliter constituitur persona Filij diuini.* Ita S. Thomas hac quæst. art. 2. & 3. S. Bonauentura 3. sententiarum dist. 1. Scotus ibidem, & communiter omnes alij Theologi tam ibi, quàm hac quæst. S. Thomæ: imò hæc nostra propositio est adeò certa, vt propter auctoritates Conciliorum nunc referendorum videatur nonnullis esse de fide, aut ad minus quamproximè accedere ad fidem. Probatur primò, ex Concilijs Toletano VI. & XI. ita profitentibus cap. 1. in sua confessione fidei, *Cùm tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis: solus tamen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in vnitate naturæ: id est, in eo quod proprium est Filij, non quod commune Trinitati.* Hactenus Tolet. VI. quod iisdem ferè verbis Toletanum XI. repetit in sua confessione fidei. Quo vtroque loco ita hæc vnio hypostatica asseritur facta in eo, quod est proprium Filio, seu *in singularitate personæ Filij*, vt etiam opinio Durandi expressè excludatur istis duabus particulis, *Non in vnitate naturæ, & non quod commune Trinitati*: idem habetur ex S. Augustino serm. 3. de tempore ita dicente. *Sic & Filius suscepit carnem, & non deseruit Patrem, nec se diuisit à Patre: suscepit, inquam, Filius carnem in proprietate: sed tamen Pater & Spiritus sanctus non defuit maiestate.*

II.

III. Probatur etiam ratione, quatenus admissa hac sententia Durandi, infertur omnes tres diuinas personas esse incarnatas, quod est hæreticum: sic autem hæc consequentia probatur. Illæ omnes diuinæ personæ sunt incarnatæ, quibus ipsa formalis ratio terminandi vnionem hypostaticam est eadem numericè & singulariter communis: sicut ipsa creatio est communis omnibus personis diuinis, quia potentia, quæ est principium creandi, est eadem numero communis omnibus personis diuinis: tunc enim aliquis effectus aut quasi effectus est communis, quando ipsa ratio efficiendi aut quasi efficiendi est communis: & in hoc Patres & Scholastici relati quæst. præcedenti fundant veritatem axiomatis, *opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.* Atqui ipsa ratio terminandi immediatè vnionem hypostaticam, iuxta Durandum, est subsistentia absoluta vna & eadem numero communis omnibus & singulis personis diuinis: ergo omnes & singulæ personæ Trinitatis sunt incarnatæ, quod est hæreticum. Confirmatur: quicquid conuenit Deo præcisè ex vi & ratione alicuius tantùm essentialis, illud omnibus & singulis personis diuinis conuenit, similiter quicquid conuenit *huic Deo, vt commune omnibus tribus personis diuinis*, conuenit etiam omnibus & singulis tribus personis diuinis: atqui *immediatè terminare humanitatem hypostaticè*, conuenit, ex Durando suprà, præcisè Filio, ratione absolutæ subsistentiæ, quæ iuxta illum est aliquid essentiale. Similiter sic terminare conuenit *huic Deo*, provt *hic Deus*, supponit pro subsistentia absoluta & essentiali subsistentia diuina, & *hic Deus*, vt sic sumptus, supponit tam pro Patre, & pro Spiritu sancto, quàm pro Filio: quia hæc propositio, *Pater est hic Deus, Spiritus sanctus est hic Deus*, sic sumpto hoc termino *hic*

IV.

A *Deus*, est tam vera, quàm sit hæc, *Filius est hic Deus*: quia aliæ duæ diuinæ personæ tam benè habent diuinam naturam subsistétem hac essentiali & absoluta subsistentia iuxta Durandum, quàm secunda persona diuina. Ergo ipsam *terminare immediatè humanitatem*, in mysterio Incarnationis conuenit omnibus & singulis personis diuinis, & proinde, cùm *personam sic terminare* humanitatem, sit *illam incarnari*, omnes & singulæ personæ diuinæ sunt de facto incarnatæ, quod tamen est hæreticum. V.

Durandus fortassis respondebit huic rationi, eodem modo quo respondet simili argumento eadem dist. quæst. 4. numero. 7. contra doctrinam illam, qua ibi asserit, vnionem humanitatis potuisse fieri cum diuina natura & eius existétia. Nam quãdo ei obijcitur, futurũ in tali hypothesi, vt omnes personæ diuinæ incarnarentur, respondet negãdo consequentiam, sed tunc tantùm

B istam propositionem fore veram, *Deus est homo*, vel ad summum hanc vel aliam ei similem, *Pater in quantum Deus est homo*, quia, inquit, in tali hypothesi quicquid pertinet ad deitatẽ, esset totũ vnitum carni: ratio autem cur hæ propositiones non sequantur, *Ergo Pater est incarnatus, ergo Filius est incarnatus, ergo Spiritus sanctus est incarnatus*, simpliciter & absolutè loquendo est, inquit Durandus, quòd istis nominibus, *Pater, Filius, Spiritus sanctus*, importatur formaliter id quod pertinet ad relationem, cui nondum facta est vnio, quæ responsio habet locum, quatenus, iuxta opinionem eius, vnio humanitatis cum relatione Filij nondum intelligitur esse facta, sed tantùm postea per vlteriorem vnionem: vnde cùm istis nominibus diuinæ relationes importentur, cum quibus nondum vnio intelligitur

C esse facta, malè infertur omnes & singulas personas Trinitatis esse incarnatas vi primæ istius vnionis diuinæ naturæ cum humana. VI.

VII. Sed hæc solutio Durandi refellitur primò, quia Patres citati ita asserunt vnionem humanitatis, ad proprietatem relatiuam Filij, vt expressè negent priorem illam vnionem in aliquo communi, cuiusmodi est natura diuina vel etiam subsistentia absoluta, si admittatur in diuinis: deinde refellitur, quia quicquid conuenit & prædicatur de diuina essentia, quatenus præcisè est essentia diuina, illud idem conuenit singulis personis diuinis, & de illis singulis prædicatur: quemadmodum & omne illud quod conuenit Deo, quatenus est Deus, vt pater inductione per omnes essentiales perfectiones Dei, verbi gratia, quia sapientia, omnipotentia, iustitia, & id genus reliquæ conueniunt Deo, quatenus est Deus: & ratione suæ essentiæ istæ propositiones sunt veræ,

D *Pater diuinus est formaliter sapiens, formaliter omnipotens, formaliter iustus*: item, *Filius diuinus est formaliter sapiens, formaliter omnipotens, formaliter iustus*: similiter, *Spiritus sanctus est formaliter sapiens, formaliter omnipotens, formaliter iustus*, & sic de reliquis: quemadmodum profitemur in Symbolo sancti Athanasij: atqui iuxta Durandum vnio humanitatis cum Verbo conuenit ei ratione diuinæ essentiæ, & hæc prædicatio est legitima, *Deus in quantum Deus, est homo*: Ergo vnio humanitatis cum Deo conuenit non soli Verbo diuino, sed & alijs duabus personis diuinis: ergo duæ aliæ personæ diuinæ sunt etiam incarnatæ: ergo Pater est etiam formaliter homo, & Spiritus sanctus est formaliter homo, & istæ propositiones formaliter & propriè loquen- VIII.

I. do erunt tam veræ, quàm sint istæ, *Pater est creans, est iustus, est intelligens*: Ergo sicut hæ propositiones purè & simpliciter enunciatæ sunt veræ in sensu formali, ita & hæ, *Pater est incarnatus, Spiritus sanctus est incarnatus*: quæ omnia sunt hæretica, & inter personam Verbi diuini incarnatam & alias duas, hoc tantùm esset discriminis, quòd Verbum diuinum propter duplicem prædictam vnionem esset homo *duplici titulo*: Pater verò & Spiritus sanctus *vno tantùm titulo* essent homines, scilicet ratione primæ vnionis humanitatis ad naturam diuinam.

Neque quidquam facit contra nos quod ait Durandus, scilicet istis nominibus *Pater, Filius, Spiritus sanctus importari formaliter quod pertinet ad relationem, ad quam tamen vnio humanitatis rondum est, vel intelligitur facta, quandoprimariò vnitur diuinæ naturæ.* Nam hæc nomina sumpta in concreto ita important formaliter quod II. pertinet ad relationem, vt tamen quia quælibet persona diuina constat diuinâ essentiâ, tanquam aliquo communi, & suâ proprietate relatiuâ, tanquam suo formali constitutiuo, & distinctiuo, includat etiam ipsam diuinam essentiam, & quicquid illi, vt sic præcisè sumptæ conuenit: ergo sicut iuxta Durandum conuenit diuinæ essentiæ sic præcisè sumptæ vnirí humanitati, & Deo, quatenùs est Deus, quòd sit homo, conueniet etiam ipsi Patri diuino & Spiritui sancto, quòd sint vniti humanitati de facto, quòd etiam sint formaliter homines, saltem vno titulo, scilicet vi primariæ istius vnionis humanitatis ad naturam diuinam; sicque Durandus semper incidet in hæresim Patropassianorum.

ARTICVLVS II.

Veritas præcedentis articuli probatur secundâ ratione.

III. HABET præcedens nostra propositio & hanc aliam à præcedenti firmam rationem. Quotiescumque aliqua formalis ratio producendi vel terminandi reperitur in aliquo supposito secundùm aliquod prius, quàm terminus eius sit productus, tunc talis formalis ratio est etiam isti supposito formalis ratio producendi eius terminum: aut si talis ratio sit ad simpliciter terminandum, est etiam ei ratio, vt actu reipsâ, & de facto terminet, quemadmodum videre est in mysterio Trinitatis: in quo quia Filius est prius origine, quàm sit Spiritus sanctus, & dum Filius accipit essentiam diuinam à Patre, illa in tali priori, etiam in ratione virtutis spiratiuæ, non- IV. dum habet terminum suum productum: ideò diuina essentia, vt sic est ipsi Filio formalis ratio spirandi Spiritum sanctum cum Patre, similiter & potentia creandi comparata ad omnes personas diuinas: atqui essentia diuina, quæ constituitur à Durando formalis ratio terminandi primariò humanitatem, est prius secundùm quamlibet prioritatem in Filio & Spiritu sancto, quàm terminetur de facto ad humanitatem Christi Domini, vt per se constat: ergo essentia diuina est etiam de facto Patri & Spiritui sancto formalis ratio terminandi humanitatem, & proinde cùm omnis illa diuina persona, quæ terminat humanitatem, sit propriè incarnata, Pater & Spiritus sanctus erunt etiam de facto incarnati; quod tamen est hæreticum.

Dices, essentiam diuinam subsistentiâ absolutâ subsistentem, ita esse formalem rationem terminandi humanitatem, vt tamen postulet relationem, velut *conditionem sine qua non*: sicut diuina essentia ita est formalis ratio generandi, & potentia generatiua, vt tamen ad id postulet paternitatem, velut aliquam conditionem sine qua non: vnde sicut licèt diuina essentia sit eadem tota numericè in Filio & Spiritu sancto, quia tamen vt est in illis non habet paternitatem, ideò in illis non sortitur propriè rationem potentiæ generatiuæ, nec Filius & Spiritus sanctus dicuntur generare, sed solus Pater: pari modo quia diuina essentia subsistens absolutâ subsistentiâ, est tantùm formalis ratio terminandi humanitatem, prout est in Filio, seu quatenùs habet relationem filiationis, quasi sibi vnitam: ideò solus Filius de facto est incarnatus, & solus ille terminauit dependentiam humanitatis.

Sed hæc responsio nihil iuuat sententiam Durandi: Primò, quia ratio potentiæ, seu principij productiui ad intra in Deo non competit, propriè & præcisè loquendo, diuinæ essentiæ, sed ipsi relationi, id est paternitati respectu generationis, vt expressè ostendimus primâ parte ad quæstionem 41. Deinde aliorum sententia, qui volunt essentiam diuinam esse ipsammet potentiam generatiuam, quatenùs habet paternitatem, vt conditionem sibi ad id necessariam, non etiam iuuat Durandum: Primò, quia relatio propria Filij non potest ita sibi vendicare *rationem conditionis sine qua non*, ex parte diuinæ essentiæ ad hoc, vt absolutè terminet humanitatem, sicut paternitas diuina posset apprehendi esse *conditio sine qua non* absolutè requisita in diuinis ad generandum, iuxta Durandum; aliàs enim in quocunque alio diuina essentia esset sine relatione Filij, C illa non posset terminare humanitatem, sicut in VII. quocunque alio à Patre diuina essentia est, in eo non est generatiua potentia defectu paternitatis, sibi iuxta hanc responsionem ad id requisitæ, in ratione *conditionis sine qua non*. Atqui etiam in doctrina Durandi diuina essentia, ratione absolutæ suæ subsistentiæ existens in alio, exempli gratiâ, in Patre & Spiritu sancto, potest terminare humanitatem hypostaticè: ergo relatio Filij non est diuinæ essentiæ *conditio sine qua non*, ad terminandum humanitatem hypostaticè: & si requireretur, requireretur tantùm ad id, vt nouo & speciali titulo distincto ab eo, quo terminatur ab aliis personis diuinis, hæc humanitas vlteriùs terminaretur: quod tamen nunquam impediret, quin aliæ diuinæ personæ essent purè & simpliciter incarnatæ, ratione primariæ illius vnionis, quam Durandus admittit inter essen- D VIII. tiam diuinam & humanitatem.

Deinde respondetur in ista etiam sententia de paternitate, vt *conditione sine qua non* requisita vt essentia diuina habeat rationem potentiæ generatiuæ, adhuc disparem fore rationem ipsius generationis diuinæ ab ipsa terminatione, & virtutis terminatiuæ ab ipsa potentia generatiua: quòd hæc sicut & potentia spiratiua sit ad actus & terminos notionales; ista verò minimè, cùm quælibet persona diuina sit apta terminare hypostaticè humanitatem; actus autem notionales non conueniant singulis personis, sed tantùm aliquibus, quibus sunt proprij: vnde in præciso suo conceptu important quòd sint in tali persona: verbi gratiâ, generatio & potentia generatiua includit intrinsecè, vt sit in persona, quæ origine est prior persona producta,

I. & postulat realem distinctionem generantis à genito: sicque diuina essentia in ratione potentiæ generatiuæ completè sumptæ, rectè intelligitur esse in solo Patre, & non in aliis personis diuinis. Adde, quòd in tantum aliquid, loquendo propriè, habet rationem potentiæ, in quantum producit, vel potest producere: at diuina essentia communicata Filio, & existens in illo, non potest ampliùs generare, quia iam habet totum suum & adæquatum tam extensiuè, quàm intensiuè terminum productum: similiter vt communicata Spiritui sancto, & existens in illo non potest ampliùs spirare, quia iam habet totum suum terminum quouis modo adæquatum productum, vt ostendimus primâ parte, agendo de diuinis processionibus; econtrà diuina essentia in ratione virtutis ad terminandum aliquam substantiam alienam, non habet totum suum

II. terminum tam extensiuè, quàm intensiuè productum, eo ipso quo est communicata Filio, & vt existens in illo terminat humanitatem, cùm aliæ personæ diuinæ possint adhuc eandem humanitatem, & alias etiam humanitates assumere: ergo licèt diuina essentia, vt existens in Patre, habeat tantùm rationem potentiæ generatiuæ, & vt existens in Patre & Filio habeat tantùm rationem potentiæ spiratiuæ; non propterea tamen diuina essentia, vt existens in Filio, habebit rationem virtutis ad terminandum humanitatem, nec ipsa erit formalis ratio, per quam Filius terminat humanitatem assumptam.

ARTICVLVS III.

Respondetur argumentis, quibus vtraque ratio duorum præcedentium articulorum impugnatur.

III. CONTRA vtramque rationem, quâ veritatem doctrinæ primi articuli stabiliuimus, primùm potest obiici, non implicare diuinam essentiam videri aliquâ visione beatificâ, non visis relatiuis eius attributis, vt docuimus quæstione 12. primæ partis, agendo de obiecto visionis beatificæ: ergo sicut iuxta hanc doctrinam diuina essentia ita immediatè vniretur intellectui beato, in ratione obiecti cogniti; vt tamen diuinæ personalitates non sic ei vnirentur, nec ex tali visione diuinæ essentiæ posset inferri omnes diuinas personas, quibus hæc essentia est communis, videri: pari iure ex eo quòd hæc vnio immediata est iuxta Durandum facta diuinæ essentiæ, ratione absolutæ suæ subsistentiæ, omnibus

IV. personis diuinis communis, non benè infertur tunc omnes diuinas personas fore incarnatas, sicut in prædicta nostra hypothesi, tunc non sequeretur omnes diuinas personalitates videri.

Respondetur, concesso Antecedente, negando consequentiam, quia istæ vniones sunt in diuerso genere: prior est tantùm *in genere obiecti*, & in ordine ad actionem purè intentionalem: posterior autem ita est realis, vt fiat *in re, quatenùs est aliquid reale*. Est autem hæc distinctio inter hanc vtramque vnionem, quòd prior, quia solùm est *in ratione intelligibilis*, non debet necessariò fieri secundùm illud omne, quod est adæquatè in re, sed solummodò secundùm quod mouet intellectum ad sui cognitionem; vnde cùm diuina essentia possit applicari, & in ratione obiecti, mouere intellectum ad sui cognitionem, absque eo quòd diuinæ personalitates applicentur intellectui, eúmque moueant in ratione obiecti, quemadmodum ibi docuimus; fit vt essentia diuina possit cognosci ab aliquo intellectu beati per diuinam potentiam, diuinis personalitatibus intuitiuè non cognitis. Quia verò posterior vnio fit in diuina essentia, *vt est à parte rei in se aliquid absolutum*, secundùm immediatam illam vnionem in opinione Durandi, & diuina essentia sic spectata est vna & eadem numero communis necessariò omnibus & singulis personis diuinis: ideò fit, vt si hæc posterior vnio admittatur, etiam consequenter admitti debeat omnes & singulas tres personas Trinitatis esse incarnatas.

Secundò, contra secundam partem nostræ propositionis obiicies. Si Verbum terminet humanitatem per suam proprietatem relatiuam; VI. ergo Verbum formali communicatione talis suæ relatiuæ proprietatis factâ humanitati, dat assumptæ humanitati, vt referatur ad Patrem, seu ad primam personam Trinitatis, eodem modo, quo Verbum refertur ad Deum Patrem, cùm vtrobique sit eadem numero ratio & forma referens: at humanitas terminata à Verbo diuino non refertur eodem modo ad Patrem diuinum, quo Filius diuinus refertur ad eum, vt facilè potest intelligi, ex eo quòd Filius diuinus ita refertur ad Patrem, vt etiam Pater referatur ad illum reali relatione, quo modo non potest referri ad humanitatem, sicut nec ipsum Verbum diuinum ei vnitum ad eam realiter refertur: igitur nec Verbum diuinum videtur terminare humanitatem suâ personalitate, seu proprietate relatiua. Confirmatur primò, quia Christus non diceretur homo vnitocè nobiscum, cùm nostræ personalitates sint absolutæ, illa autem Verbi diuini VII. relatiua. Secundò, quia relatiuum non supplet absolutum: at subsistentia Verbi diuini supplet in humanitate assumpta propriam eius personalitatem, quæ fuisset absoluta, sicut & in nobis: ergo Verbum diuinum non videtur terminare humanitatem aliquo relatiuo.

Respondetur, negando consequentiam, cuius negationis hæc est ratio: quòd vt aliqua relatio referat aliquam naturam, debeat illi vniri per modum alicuius formæ informantis, & inhærentis, vt videre est in omnibus creatis relationibus, quæ quia insunt suis naturis, eísque inhærent, tanquam aliquæ formæ suis subiectis; ideò eas denominant & referunt: exempli gratiâ, albedo existens in pariete, eadem specie cum alia existente in alio pariete, refert parietem suum

V. subiectum ad alium parietem: at diuinæ relationes non sunt aliquæ formæ informantes, sed sunt VIII. subsistentiales, per se subsistunt, nec faciunt referre diuinam naturam, sed solummodò suppositum illud quod constituunt, vt docuimus primâ parte, agendo tam de diuinis processionibus, quàm de diuinis relationibus: vnde cùm personalitas Verbi etiam comparata humanitati assumptæ, non sit aliqua forma eam informans, sed ei tantùm vniatur per modum termini, sicut illa eadem personalitas diuina, quia solummodò terminat diuinam naturam, illam non refert: ita etiam quia tantùm terminat humanitatem, non referet illam ad aliquod aliud extremum, sed solummodò constitutum ex illa; & proinde cùm constituat Christum hominem, Christus homo ratione illius personalitatis rectè poterit dici referri ad Deum Patrem: & econtrà, cùm

I. Christus sit naturalis Filius Dei Patris, vt infrà ostendemus.

Ad primam confirmationem negatur consequentia: quia, vt superiùs animaduertimus, vniuocatio substantiarum attenditur solùm penes identitatem specificam principiorum essentialium, & constitutiuorum substantiæ, quæ in Christo Domino, vt homine, sunt eadem ac in nobis, non autem penès personalitatem, quam fatemur esse alterius longè conditionis in Christo Domino, quàm in nobis: vnde tantùm sequitur personam dici analogicè de Christo, & nobis.

Ad secundam confirmationem respondetur, tunc relatiuum posse supplere aliquod absolutum, quando conuenit cum illo penes aliquod munus exercendum: at personalitas Filij diuini, licèt secundùm se, & vt est diuina, sit relatiua; II. ita tamen ex sua particulari ratione est relatiua, vt formaliter faciat subsistere naturam diuinam, quemadmodum docuimus primâ parte quæst. 29. vnde sicut facit subsistere diuinam naturam eo modo quo postulat subsistere, ita etiam quia habet virtutem sufficientem ad terminandum humanitatem, faciet subsistere humanitatem eo modo quo propria eius subsistentia faceret eam subsistere, semotis omnibus imperfectionibus, quæ reperiuntur in nostra, quæque sunt omninò extrinseca tali obeundo muneri, prout illud absolutè & simpliciter consideratur, quemadmodum anteà obseruauimus.

ARTICVLVS IV.

Tria colliguntur ex dictis.

III. EX hactenùs dictis nonnulla sequuntur corollaria: Primum est, totum Verbum diuinum non esse immediatam rationem terminandæ vnionis hypostaticæ, seu Verbum non fuisse immediatè vnitum humanæ naturæ, secundùm totũ illud quod includit in se, quia sic hæc vnio non solùm fuisset facta immediatè in eo tantùm, quod est proprium Verbo, seu in ipsa eius personalitate, sed etiam in natura diuina, cùm hæc includatur in persona Verbi sumpta *in concreto*: quod tamen esse falsum patet ex Conciliis, & aliis pro nostra propositione allatis.

Secundò sequitur, quòd quamuis natura diuina sit propriè vnita humanitati, licèt non propriè incarnata, quemadmodum docuimus quæstione præcedenti, ipsas tamen personas Patris & Spiritus sancti nullo modo posse dici etiam mediatè vnitas fuisse humanitati assumptæ à Verbo:

IV. quia omnis mediata vnio fundatur in aliqua immediata, quatenùs extrema illa, quæ dicuntur vniri tantùm mediatè, habent aliquod tertium, vel veluti tertium, cui immediatè vniuntur, vel quasi vniuntur: exempli gratiâ, in hoc mysterio diuina natura & humana dicuntur vniri mediatè tantùm, quia humanitas vnitur immediatè personalitati Verbi per illam subsistendo; similiter & diuina natura eidem personalitati quasi vnitur, etiam subsistendo per illam: sicque duæ illæ naturæ, conueniendo in eadem personalitate, dicuntur vniri tantùm mediatè, & omnis mediata vnio duorum inter se semper propriè attenditur penes aliquod tertium, aut veluti tertium, in quo duo illa extrema coniunguntur inter se: atqui persona Patris & Spiritus sancti non habent aliquam immediatam vnionem cum

A ipsa personalitate Verbi, cui humanitas immediatè vnitur, quin potius ei opponuntur relatiuè, habéntque aliquam incompossibilitatem ad illam: igitur diuinæ personæ Patris & Spiritus sancti non sunt vnitæ mediatè humanitati à Verbo assumptæ. V.

Nec obstat, quòd personalitates Patris & Spiritus sancti identificentur cum essentia diuina, quam dicimus esse mediatè vnitam humanitati: nam primò humanitas & personæ Patris & Spiritus sancti in nullo tertio sunt aliquid vnum; non in natura diuina, quia hæc est omninò distincta realiter ab humanitate: non in personalitate Filij, quia hæc illis opponitur. Vnde, sicut non obstante identitate personalitatum cum diuina natura, diuinæ personalitates non desinunt à se inuicem distingui, nec est necessarium, vt quicquid conuenit personalitati, illud idem conueniat diuinæ naturæ, vel econtrà (virtualis enim distinB ctio, quæ datur inter illas, est sufficiens ad fundandas distinctas prædicationes, & ad attribuenda illis distincta prædicata) ita etiam, non obstante identitate reali diuinarum personarum cum diuina essentia, sola natura diuina dicetur per hoc mysterium esse mediatè vnita humanitati: diuinæ autem personæ Patris & Spiritus sancti, non item. Deinde, loquendo de rigore Theologico, mediata illa vnio humanitatis cum natura diuina non fundatur præcisè in ipsa identitate diuinitatis cum personalitate Verbi diuini, sed præcisè in eo, quòd duæ illæ naturæ Christi Domini habeant eandem numero personalitatem, quâ de facto subsistant: nam si per impossibile personalitas Verbi diuini esset realiter distincta ab essentia diuina: & nihilominùs in ratione termini vltimi vniretur tam natura humanæ, C quàm diuinæ, eásque ambas faceret simul & semel subsistere; tunc duæ illæ naturæ diuina & humana non desinerent dici, & esse sibi inuicem vnitæ mediatè tantùm, sicut duo accidentia realiter à se inuicem distincta, dum sunt in eodem numero subiecto, vel sicut duæ lineæ à se inuicem realiter distinctæ dicerentur esse sibi vnitæ mediatè, si reale aliquod punctum intermedium distinctum realiter ab vtraque eas diuinitus coniungeret. Atqui in præsenti mysterio humanitas non habet idem esse personale, seu eandem numero personalitatem quam diuinæ personæ Patris & Spiritus sancti habent, vt patet ex dictis: ergo licèt personalitas Patris & Spiritus sancti identificentur de facto cum diuina essentia, non propterea tamen dicentur esse vnitæ mediatè humanitati, sed ipsa tantùm diuina natura. VII.

Tertiò sequitur, quòd licèt personæ diuinæ D Patris & Spiritus sancti nullam habeant vnionem etiam mediatam cum humanitate assumpta à Verbo; nihilominùs tamen ex vi huius vnionis sunt singulari quodam modo in Christo Domino, secundùm quem non sunt in puris creaturis. Nam cùm in his sint *ratione suæ immensitatis & operationis*, quas exercent producendo & conseruando illas; quibus etiam modis sunt in Christo, quatenùs eius humanitatem conseruant, & singulari quodam modo operantur, producèndo per illam singulares quosdam effectus: alio tamen duplici titulo, eóque singulari sunt in Christo: Primus est *ratione circumincessionis diuinarum personarum*, secundùm quam vna diuina persona est in alia, & econtrà, vt explicatum est agendo de mysterio Trinitatis: secundus est *ratione summæ illius identitatis*, quæ est omnium VIII.

I. diuinarum personalitatum cum essentia diuina: eo enim ipso quo aliquid est summè vnum identificatum alicui, eo etiam ipso debet esse & existere de facto vbicunque est & existit illud, quod ei identificatur: atqui diuinæ personalitates Patris & Spiritus sancti identificantur cum diuina essentia, vt docuimus agendo de mysterio Trinitatis, & essentia diuina verè & propriè est in Christo Domino, quia est mediatè vnita humanitati, & Christus constat duabus naturis diuina & humana, vt ostendimus contra Eutychetem: igitur hoc etiam speciali titulo diuinæ personalitates Patris & Spiritus sancti debent esse in Christo D. hic autem specialis titulus sic explicatur, quatenùs si per impossibile Deus, seu diuinæ personæ non essent vbique, *tam per operationem, quàm per immensitatem*, adhuc tamen eo ipso, quo personalitas Verbi est immediatè vnita humanitati, & diuinitas mediatè, cui diuinæ personalitates identificantur, sunt in Christo Domino, ipsæ etiam diuinæ personalitates Patris & Spiritus sancti tam necessariò ibi essent, quàm sit necessaria duinarum personarum circumincessio, & earum identitas cum natura diuina.

II.

DISPVTATIO III.

De assumptione, seu terminatione per aliquid, quod in Deo est absolutum.

Articvlvs Primvs.

III. *Vtrùm, si subsistentia communis daretur in diuinis, vnio hypostatica posset immediatè fieri in illa.*

NOTANDVM est, in hac quæstione esse solummodò procedendum iuxta principia & doctrinam eorum, qui talem subsistentiam admittunt: vnde hæc duo debent sic distingui: *facere subsistere substantiam, & illam reddere incommuni cabilem*: nam admittunt diuinam essentiam subsistere hac absolutâ & communi subsistentiâ; hac tamen non reddi incommunicabilem, cùm vt sic adhuc remaneat communicabilis, scilicet tribus personis diuinis, & reddatur tantùm incommunicabilis per relatiuas personalitates, aut iuxta

IV. Durandum per solas relationes, non habentes præcisè rationem alicuius subsistentiæ. Iam factâ tali suppositione conformiter ad eius principia, & doctrinam sit

Prima propositio. *Tunc Deus absolutè loquendo posset terminare hoc modo humanitatem, scilicet faciendo illam subsistere suâ illâ communi subsistentiâ.* Probatur, hæc subsistentia ex hypothesi potest efficere, vt diuina natura subsistat, & hæc subsistentia est virtualiter distincta ab essentia diuina, itavt illam actu existentem aliquo modo terminet, licèt non vltimatè: ergo potiori iure posset facere, vt natura, seu substantia creata, cuiusmodi est humanitas, subsistat. Antecedens est authorum prioris sententiæ, consequentia est satis euidens, & potest explicari per analogiam, quâ personalitas Verbi diuini, quia facit subsistere diuinam essentiam, & est veluti aliquis

A terminus ab illa virtualiter distinctus, facit subsistere humanitatem Christi Domini, quæ quoad vim suam passiuam terminatiuam est longè inferior: ergo pari iure, cùm hæc subsistentia terminet suo modo naturam diuinam infinitam, poterit etiam suo modo terminare naturam humanam. V.

Secunda propositio. *In tali casu humanitas ita esset immediatè vnita isti communi subsistentiæ, vt tamen omnes & singulæ diuinæ personæ essent mediatè vnitæ humanitati; sicque vnaquæque persona diuina esset homo.* Probatur: ideò præcisè diuina natura & humana habent inter se vnionem mediatam, quia habent idem esse personale, seu subsistunt eadem numero subsistentiâ personali, sùntque idem in aliquo quasi tertio: atqui in præsenti hypothesi tam ipsa humanitas assumpta, quàm singulæ personæ diuinæ haberent idem numero subsistere, seu eandem numero subsistentiam absolutam, quam etiam habet ipsa diuina natura, & hæc absoluta subsistentia esset immediatè vnita humanitati, distingueretúrque virtualiter ab essentia diuina, & diuinis personalitatibus: igitur omnes & singulæ personæ diuinæ essent mediatè vnitæ humanitati, & ex consequenti vnaquæque illarum esset homo. VI.

Addidi in conclusione hanc particulam, *immediatè*, quia ob distinctionem virtualem, quæ tunc esset inter absolutam hanc subsistentiam, & relatiuas, hæc vnio ita posset fieri immediatè in illa, vt tamen non fieret necessariò immediatè in subsistentiis relatiuis. Nam sicut rectè intelligimus Patrem diuinum communicare Filio suam essentiam, non tamen relationem paternitatis, ita etiam possumus intelligere hanc absolutam

C subsistentiam (cùm supponatur esse perfectissima & infinita in ratione subsistendi) terminare immediatè aliquam humanitatem, itavt relatiuæ subsistentiæ eam immediatè non terminent, quatenùs hæc, ratione suæ infinitæ perfectionis, non indiget consortio subsistentiarum relatiuarum, vt faciat subsistere aliquam naturam alienam, cùm sine illis faciat propriam etiam subsistere. VII.

Vltima propositio. *In eo casu, quo humanitas immediatè terminaretur ab illa absoluta subsistentia, non fieret incommunicabilis primò per se & præcisè ex vi talis subsistentiæ absolutæ, nec item ex vi propriæ suæ personalitatis, sed solummodò ex vi & efficacia diuinarum relatiuarum personalitatum, quibus tunc vniretur mediatè.* Tres sunt partes propositionis: prima probatur, quia ex vi talis subsistentiæ communis præcisè primò

D per se consideratæ, non esset propriè persona: ergo neque esset incommunicabilis primò per se, & præcisè, ex vi istius absolutæ subsistentiæ. VIII. Consequentia patet: natura habet formaliter & præcisè ab eo, vt sit incommunicabilis, à quo habet præcisè & formaliter quòd sit persona, quia incommunicabilitas est quasi formalis effectus subsistentiæ, vt ostendimus præcedenti quæstione: ergo si in hoc casu natura humana assumpta non habet præcisè, primò & per se, vt sit persona à tali subsistentia; nec etiam habet ab illa præcisè, primò & per se, vt sit incommunicabilis. Antecedens autem probatur: hæc absoluta subsistentia, iuxta eos qui eam admittunt, in eo distinguitur à personalitate, quòd faciat quidem subsistere, non tamen incommunicabiliter, quod tamen præstat personalitas: ergo hu-

I. manitas non potest primò perse & præcisè reddi incommunicabilis per illam. Confirmatur, nihil potest dare alteri quod est contra proprium, & quasi formalem suum effectum: at incommunicabilitas est contra proprium, & quasi formalem effectum huius absolutæ subsistentiæ; nam dicitur esse formaliter & intrinsecè communis.

Dices, esse quidem contra naturam huius subsistentiæ absolutæ, vt det incommunicabilitatem suæ propriæ naturæ, propter omnimodam eius infinitatem, tam in ratione relatiui, quàm absoluti, provt diuina essentia sumitur adæquatè, & secundùm omnem suam perfectionem: at non esse contra eius naturam, quòd det incõmunicabilitatem cuilibet creatæ substantiæ, eo quòd sit infinita in ratione subsistendi; & omnis personalitas creata sit tantùm absoluta, & finitæ cuiusdam perfectionis, quam proinde hæc

II. diuina subsistentia absoluta continet eminenter, B eiúsque vicem potest supplere.

Verùm hæc responsio non satisfacit: nam, vt docuimus, præcisa ratio terminandi alienam naturam, eámque reddendi incommunicabilem, non fundatur præcisè in ipsa infinitate ad terminandum, nec in continentia eminentiali; & præter ea quæ ibi diximus, si talis continentia, lato modo dicta *eminentialis*, ad id sufficeret, cùm diuinæ personalitates relatiuæ contineantur aliquo modo in ipsa essentia diuina, quia hæc est illarum radix, & quasi pullulant ex illa: pari iure dici posset, illam subsistentiam absolutam, vel saltem diuinam essentiam posse seipsâ, aut saltem hac suâ subsistentiâ absolutâ reddere seipsam incommunicabilem; sicque mysterium Trinitatis non esset aliquid necessa-

III. rium, quod tamen est hæreticum, cùm omnia C quæ sunt in Deo *ad intra* sint purè & simpliciter necessaria. Adde, quòd ratio huius subsistentiæ absolutæ includit in se negationem incommunicabilitatis, sicut rationale negationem irrationalis: ergo si illam non habet, respectu propriæ suæ naturæ, quomodo habebit illam respectu alienæ, præsertim cum eo iure, quo hæc opinio distinguit ipsum facere subsistere ab ipso reddere incommunicabilem; eodem etiam iure hoc vtrumque possimus distinguere in ipsa etiam creata subsistentia, secundùm aliquam virtualem distinctionem.

Addidi huic primæ parti hanc particulam, *præcisè, primò & per se*: non enim negamus in tali casu fore, vt substantia creata sic terminata reddatur incommunicabilis propriæ suæ personalitati, sed vi tantùm modi illius substantialis, qui per actionem vnitiuam humanitatis ad hanc

IV. subsistentiam absolutam Dei produceretur in D humanitate; quia enim modus ille eam ordinaret ad subsistentiam alienam, tunc ex consequenti redderet talem humanitatem aliquâ ratione incommunicabilem, non quidem complendo illam, sicut facit propria, vel aliena personalitas, sed potiùs impediendo, ne de facto compleretur.

Secunda item pars eiusdem propositionis asserens tunc humanitatem non fore incommunicabilem, vi propriæ suæ personalitatis, patet ex dictis proximè: nec enim possumus intelligere aliquam humanitatem reddi positiuè incommunicabilem de facto per id, quod nullo modo est personalitas, vt contingeret in præsenti casu.

Tertia denique pars eiusdem propositionis probatur: quia diuinæ personalitates tunc terminarent eiusmodi humanitatem, vt anteà probatum est: ergo ipsâ sui vnione ad illam communicarent ei proprium suum, & quasi formalem effectum: sed hic illarum quasi formalis effectus est reddere subsistantiam, quam terminant, incõmunicabilem. Nam penes hoc distinguuntur à subsistentia illa communi, vt communiter docent assertores subsistentiæ absolutæ in diuinis: igitur in tali casu humanitas redderetur tantùm incommunicabilis, vi personalitatum relatiuarum, quibus vniretur mediatè.

V.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones contra secundam propositionem articuli præcedentis.

OBIECTIO prima. Si vna tantùm persona esset in Deo, quemadmodum Iudæi & Ethnici imaginantur, tunc hæc posset assumere aliquam naturam creatam, quemadmodum S. Thomas expresè docet hac quæstione artic. 3. quia tunc tam ipsum principium efficiendæ Incarnationis, scilicet omnipotentia, quam ratio terminandi illam, nimirum personalitas, remanerent in illo: at in tali hypothesi humanitas quæ assumeretur, non posset immediatè terminari à subsistentia diuina, quin simul & immediatè terminaretur à personalitate Dei propter summam identitatem, quæ tunc esset inter personalitatem Dei & eius subsistentiam: ergo cùm in præsenti suppositione tanta sit identitas inter absolutam illam subsistentiam, & personalitates relatiuas, vnio humanitatis non poterit fieri immediatè, cum hac absoluta subsistentia, quin etiam simul fiat immediatè cum tribus relatiuis personalitatibus diuinis.

VI.

VII.

Respondetur, in tali hypothesi non futuram virtualem distinctionem inter subsistentiam Dei, & eius personalitatem, cùm tunc illa subsistentia foret absoluta entis maximè simplicissimi, etiam vt sic virtualiter distincti: sicque tunc hæc vnio non posset immediatè fieri in subsistentia, quin etiam fieret immediatè in ipsa personalitate Dei: at nunc relatiuæ personales subsistentiæ ita sunt vnum quid cum hac absoluta subsistentia, vt tamen virtualiter distinguantur ab illa: vnde ratione huius distinctionis hæc vnio terminaretur immediatè ad absolutam illam subsistentiam, & tantùm mediatè ad relatiuas personalitates.

Obiectio secunda. Si hæc vnio posset fieri immediatè in hac sola subsistentia absoluta, absque quod fieret in personalitate, datâ hac vnione cum natura humana, posset etiam dari qui esset *hic homo*, nec tamen esset *persona*; quod est absurdum, quia *hic homo* dicit saltem in confuso aliquam personalitatem.

VIII.

Respondetur, quòd in tali casu *hic homo* esset quidem persona, sed non ex vi illius communis subsistentiæ, cui humanitas esset vnita immediatè, sed tantùm ex vi subsistentiarum relatiuarum, quibus ipsa humanitas mediatè tantùm vniretur: sicut in sententia quæ admittit subsistentiam communem, *hic Deus*, non est aliqua persona, vi huius subsistentiæ communis, sed *hic Deus* est tres personæ, vi tantùm relatiuarum subsistentiarum.

Obiectio tertia. Si hæc vnio est possibilis, ergo potest aliqua dari vnio Dei cum creatura, quæ sit substantialis, nec tamen in natura, vel eius personalitate, vel proinde hypostatica, quod videtur

I. absurdum. Respondetur, talem vnionem fore quidem *subſtantialem*, quia eſſet in aliquo verè & propriè ſubſtantiali: item fore *hypoſtaticam*, non tamen immediatè, quia hæc ſubſiſtentia, in qua fit immediatè vnio, non eſſet aliqua perſonalitas, ſed mediatè tantùm, & ex conſequenti, quatenùs per hanc vnionem omnes diuinæ perſonæ ſubſiſterent in natura humana, eámque mediatè terminarent, vt ſuprà eſt explicatum.

Articvlvs III.

Ex doctrina tradita vnum colligitur conſectarium.

II. Atqve ex his intelligitur eum dicere aliquid repugnans doctrinæ, quam Patres & Concilia tradunt de hoc myſterio, qui admiſſâ communi ſubſiſtentiâ in Deo præter relatiuas, aſſerit vnionem hypoſtaticam fuiſſe factam in iſta communi, & ſimul in relatiua Filij, itavt hæc vnio ſit vnica, ſeruans tamen ordinem eſſentialem ad illam vtramque ſubſiſtentiam Verbi; ſic enim admittit hypoſtaticam vnionem fuiſſe de facto immediatè factam in aliquo eſſentiali, nimirùm in ſubſiſtentia illarum abſoluta: cùm tamen Patres & Concilia ſuprà relata negent abſolutè & ſimpliciter illam eſſe factam in aliquo communi, etiam vt eſt in Filio; nam in primis vtrumque Concilium Toletanum ſuperiùs relatum duo diſtinguit in eadem ſimpliciſſima perſona Verbi: vnum ei commune cum aliis perſonis; & alterum illi ſoli proprium, negat hanc vnionem fuiſſe factam in primo, & aſſerit eam eſſe factam in ſolo ſecundo: Ergo cùm hæc oppoſitio eius

III. quod eſt commune in Filio ad illud quod eſt illi proprium, habeat ſolummodò locum in perſona Filij, vt conſtante diuinâ eſſentiâ & filiatione: cùm item diuina eſſentia, vt ſic, conſideretur etiam vt quaſi contracta ad Filium, vtrumque prædictum Concilium Toletanum vult hanc vnionem ita fuiſſe factam immediatè in diuina perſonalitate Verbi, vt etiam non ſit immediatè facta in ipſa eſſentia, aut aliquo communi, vt ad perſonalitatem Filij contracto. Verba Concilij Toletani VI. ſunt hæc, *ſolus*, ſupple Filius, *accepit hominem*, quod intelligitur de illo, vt conditincto ab aliis perſonis diuinis: nam præmittit totam Trinitatem fuiſſe cooperatam formationem humanitatis. Deinde diſtinguens quod eſt proprium Filio ab eo quod habet ſibi commune cum aliis perſonis diuinis, ſubiungit, *in ſingularitate perſonæ*, quo affirmat hanc vnionem eſſe

IV. factam in eo, quod ſoli Verbo conuenit, nimirùm in eius perſonalitate; & poſteà recenſens illud quod eadem perſona Verbi habet ſibi commune cum aliis duabus perſonis, negat vnionem hanc in eo fuiſſe factam, ſic dicendo non in vnitate diuinæ naturæ, quod ampliùs explicat verbis iſtis immediatè ſequentibus, *In id quod eſt proprium Filij, non quod commune Trinitatis*: quo loci hæc particula *in id*, denotat illud cui prægigitur eſſe præciſam rationem formalem, quâ perſona Verbi terminat humanitatem aſſumptam, & hæc ſubſequens particula, *non quod commune Trinitatis*, negat hanc vnionem fuiſſe vllo modo immediatè factam in aliquo communi omnibus perſonis diuinis: imò idem Concilium verbis immediatè ſequentibus infert, ex tali vnione facta in aliquo communi, fore vt tota Trinitas ſit incarnata, ſeu immediatè vnita hypoſtaticè

A humanitati: ſic enim ſubiicit, nam ſi naturam hominis Deique alteram confudiſſet, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet, quoniam conſtat naturam Trinitatis eſſe vnam, non tamen perſonam. V.

Similiter S. Auguſtinus citato ſermone 3. de tempore idem docet; nam vbi dixit Filium habere æqualitatem diuinitatis cum Patre, explicans quid ſit illi ſoli proprium in hoc myſterio, ait ſolam Filij proprietatem terminaſſe humanitatē Chriſti Domini, *In carne*, inquit, *ſola Filij proprietas*: quo loci hæc particula, *ſola*, excludit quodcunque diſtinctum etiam virtualiter à relatiua ſufficientia Verbi, tanquam immediatè vnitum humanitati. Deinde hæc abſoluta ſubſiſtentia non ponitur extra rationem alicuius *communis*, per ipſam ſui communicationem factam Verbo diuino, ſed ſemper illam retinet, aliàs *perſona Verbi* ſumpta *in concreto*, non conſtaret aliquo ſibi

B cum aliis perſonis diuinis cōmuni, & aliquo ſibi VI.
ſoli proprio, quod tamē omnes Theologi admittunt primâ parte, agendo de perſonis diuinis: ergo quemadmodum hæc vnio humanitatis non eſt immediatè facta in aliquo abſoluto & communi in diuinis ſecundùm ſe, præcisè, & ſolitariè ſpectato, ita etiam nec eſt immediatè facta in ipſa eſſentia diuina, ſeu in aliquo communi, vt etiam in ipſo Verbo, ſeu per illud quaſi modificato, vt etiam eſt in ipſo Verbo, ſeu vt per Verbum quaſi modificatur. Confirmatur: quidquid immediatè conuenit diuinæ eſſentiæ, conuenit omnibus & ſingulis perſonis diuinis, quia eſſentialia in diuinis ſunt communia; & aliàs tunc id ei non conueniret immediatè, ſed tantùm conſequenter, nimirùm ex eo quòd eſſentia diuina eſſet contracta ad talem perſonam, ſicque primariò ratione ſuæ perſonalitatis: ſed hæc vnio im-

C mediatè facta non conuenit omnibus & ſingulis VII.
perſonis diuinis, vt ipſa fides Catholica docet: ergo nec ipſa etiam vnio humanitatis poteſt dici facta immediatè in ſubſiſtentia communi & abſoluta, quæ ſupponitur eſſe in Deo.

Neque exemplum deſumptum ab eſſentia diuina, quæ vt eſt in perſona Patris dicitur à multis Theologis eſſe potentia generatiua, fauet opinioni noſtro præſenti conſectario contrariæ; nam præter ea quæ ad iſtud exemplum reſpondimus, præced. diſput. art. 2. non poteſt intelligi quomodo iuxta iſtam contrariā doctrinā proprietas Filij poſſit eſſe aliqua conditio neceſſaria ad hoc, vt hæc abſoluta ſubſiſtentia poſſit etiam immediatè facere ſubſiſtere aliquam ſubſtantiam creatam, & ſic ei immediatè vniri; non enim plus requiritur in illa ad faciendum ſubſiſtere alienam ſubſtantiam creatam, quām ad faciendum

D ſubſiſtere increatam ſuam propriam ſubſtan- VIII.
tiam, ſeu diuinam eſſentiam, cùm hæc ſit infinita infinitè ſubſiſtens: illa verò finita & poſtulans finito tantùm modo ſubſiſtere: at iuxta ſententiam quæ admittit prædictam ſubſiſtentiam abſolutam in diuinis, vt hæc faciat ſubſiſtere formaliter diuinam eſſentiam, non poſtulat tanquam conditiones aliquas, proprietates relatiuas conſtitutiuas perſonarum diuinarum: quia vt eſſentialia præſupponuntur relatiuis, completa & perfecta in ſuo genere abſoluti, ſic etiam & ipſum formaliter ſubſiſtere abſolutā & communi ſubſiſtentiā præſupponitur diuinis ſubſiſtentiis relatiuis: ergo ſicut in iſta opinione diuina eſſentia non habet à relatiuis ſubſiſtentiis diuinis, tanquam ab aliqua conditione ſibi ad id neceſſaria, quòd ſubſiſtat communi illā ſubſiſtētiā, ſic etiam

I. hæc eadem communis subsistentia, si supponatur A dari esse in diuinis, non postulabit necessariò aliquam subsistentiam relatiuam increatam, vt faciat immediatè subsistere aliquam substantiam creatam, sicque ordo ille essentialis istius vnionis ad duas illas subsistentias, absolutam scilicet & relatiuam Filij erit planè inutilis, & fictitius, nec impediet quin tres diuinæ personæ sint de facto incarnatæ, quod tamen est hæreticum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm natura diuina possit immediatè & substantialiter sibi vnire aliquam naturam creatam.

NOTANDVM est, diuinam naturam, vt condistinctam tam à prædicta subsistentia absoluta, si detur, quàm à relatiuis subsistentiis, adhuc posse tribus modis considerari: Primò, vt concipitur aliquo modo condistincta ab omni existentia, tam absoluta, quàm relatiua, quomodo nomen hoc *natura* apud Philosophos communiter significat essentiam rei, etiam præcisam ab ipso gradu existentiæ, & omnibus aliis vlterioribus: quo sensu sanctus Thomas primâ parte, quæstione tertiâ, articulo quarto accipit hoc nomen *natura*, vbi quærit, an *essentia & esse* sint vnum & idem in Deo. Potest deinde diuina essentia considerari, prout includit gradum existendi, seu absolutam existentiam, quâ formaliter est actualis entitas absoluta: nam primâ parte agendo de mysterio Trinitatis ostendimus ex communiori sententia talem existentiam dari in diuinis.

III. Vltimò, essentia diuina potest considerari, C prout est actualis quædam entitas relatiua per existentiam relatiuam: verbi gratiâ, Patris, Filij, vel Spiritus sancti: iuxta hanc triplicem considerationem triplex etiam potest esse sensus præsentis articuli: Primus, *an diuina essentia, vt præscindit à qualibet existentia, possit assumere aliquam substantiam creatam, terminando illam vltimò.* Secundus, *an diuina essentia, vt existens absolutâ suâ existentiâ, possit assumere aliquam naturam creatam*; sicut diximus posse facere per absolutam subsistentiam, si illa daretur in Deo. Tertius sensus est: *An aliqua diuina persona possit per relatiuam suam existentiam assumere aliquam naturam creatam.* Soli duo primi sensus faciunt ad præsentem articulum, nam tertius habet determinatum locum infrà, quando quæretur, an in Christo Domino sint duo esse, seu duæ existentiæ.

IV. Notandum secundò, hæc duo distingui inter D se, *Vnire sibi immediatè & substantialiter aliquam substantiam tantùm & illam sibi hypostaticè vnire*: nam hoc secundum importat, vt assumens suppleat dependentiam substantiæ creatæ assumptæ à suo supposito, vt patet in humanitate Christi Domini: Primum autem id non importat, sed tantùm postulat vt assumens ita sibi substantialiter vniat naturam assumptam, vt ex vi talis assumptionis natura assumpta peculiari modo existat, & natura assumens, ratione suæ existentiæ, terminet dependentiam naturæ assumptæ à propria sua existentia, itavt natura assumpta existat peculiari modo: & sicut natura humana Christi Domini vi vnionis hypostaticæ inexistit personalitati Verbi, & trahitur ad eius esse personale, ita etiam in præsenti casu natura assumpta trahatur ad inexistendum ipsi existentiæ essentiæ diuinæ, aut ab ipsamet essentia diuina præscindente à sua communi existentia terminetur, & in hoc tantùm posteriori sensu id quæritur, an scilicet *essentia diuina, siue primo modo, siue secundo explicato in primo notabili, possit assumere aliquam creatam substantiam*: nam authores partis affirmantis, vt sunt Ochamus tertio sententiarum, distinctione primâ in responsione ad decimum-nonum: Gabriel ibidem quæstione primâ, articulo tertio, dubio quarto, notabili secundo: Gregorius à Valentia hac parte sancti Thomæ, disputatione primâ, quæstione tertiâ, puncto quinto, expressè fatentur diuinam essentiam sic consideratam non posse sibi vnire hypostaticè aliquam substantiam creatam, ita vt ex tali assumptione aliqua persona resultet, seu quòd talis natura assumpta sit per- VI. sonata aliquâ personalitate, siue propria, siue alienâ; quia, inquit Gabriel ibi ex Scoto & Ochamo, de ratione assumentis hypostaticè est, quòd habeat subsistentiam incommunicabilem: vnde difficultas restat tantùm de vnione terminata ad solummodò existendum.

Qua de re duæ sunt sententiæ: vna affirmans authorum nunc citatorum, quibus Durandus addi potest eadem distinctione primâ, quæstione secundâ, vbi in illa sua sententia, quam suprà reiecimus, hanc vnionem humanitatis cum diuina supponit. Melior tamen est sententia Alensis quæst. 2. membro 3. Capreoli 3. sentent. dist. 1. quæst. 1. in solutione argumentorum contra 4. cõclusionem, & plurium aliorum, quam hac propositione explicamus: *Implicat diuinam naturam, siue primo, siue secundo modo spectatam, assumere aliquam substantiam creatam, illam seipsa immediatè terminando.* Probatur primò de diuina essentia, vt præscindit ab omni existentia absoluta: substantia, seu natura merè possibilis, quatenus talis & præcisa ab actualitate omni, non potest reipsâ & de facto assumere aliam substantiam, quia prius est, saltem ratione, aliquid esse actu, quàm operari, seu facere aliquid extra se; atqui diuina essentia, vt præcisa ab existentia sua absoluta, est aliquid tantùm merè possibile; nam forma dans esse actu est sola existentia, vt omnes Philosophi communiter docent; à qua tamen tunc præscindit, & *ipsum assumere aliquam substantiam* importat esse principium effectiuum actionis vnitiuæ, simúlque esse terminum rei assumptæ, vt patet ex dictis suprà de assumptione: igitur diuina essentia, vt præscindit VIII. ab absoluta sua existentia, non potest assumere aliquam aliam substantiam, & illam terminare seipsa.

Idem probatur etiam de diuina essentia, vt per absolutam existentiam actuata: in omni immediata assumptione propriè dicta illud quod assumit & simul terminat, debet sese communicare rei assumptæ, secũdùm illud reale sui, quo est terminus, & fieri in eo vnũ & idé cum re assumpta, vt patet in vnione Verbi diuini cum humanitate: quæ vnio quia fit in personalitate, personalitas Verbi ita sese communicat humanitati, vt Verbũ & humanitas habeant idem esse personale: atqui diuina essentia, vt existens absolutâ suâ existentiâ, non potest sese communicare alicui creatæ substantiæ, secundùm hanc absolutam suam existentiam, nec in hac absoluta sua exis-

I. tentia fieri vnum & idem, seu habere vnum & idem numero existere cum aliqua subsistentia creata: igitur diuina essentia, vt existens, absolutâ suâ existentiâ, non potest secundùm absolutam hanc suam existentiam, assumere creatam aliquam subsistantiam, eámque terminare hac suâ absolutâ & communi existentiâ.

Minor hæc vltima probatur: eorum quorum eadem est numero existentia, est etiam eadem numero actualis entitas, & quibus repugnat esse eandem numero actualem entitatem, iis etiam repugnat habere eandem numero existentiam (quia, vt iam obseruauimus, forma dans alicui esse actualem entitatem est ipsa existentia) atqui repugnat actualem diuinæ essentiæ entitatem esse actualem entitatem alicuius subsistantiæ creatæ; & econtrà repugnat actualem entitatem alicuius subsistantiæ creatæ II. esse actualem entitatem diuinæ essentiæ; aliàs B enim vel duæ illæ naturæ essent confusæ & permixtæ, vel vna transiret in aliam, vel aliquod aliud tertium fieret, quod faceret Deum, & eius essentiam mutabilem, vel destrueret omnimodam eius simplicitatem, vt quilibet potest animaduertere: igitur repugnat diuinam essentiam habere eandem existentiam quam aliqua subsistantia creata habet: igitur repugnat & ipsam diuinam essentiam, vt existentem absolutâ suâ existentiâ, sese communicare alicui creatæ subsistantiæ, secundùm hanc absolutam suam existentiam, seu habere idem existere cum aliqua subsistantia creata, sicque illam vltimò terminare.

Secundò probatur: omnis vera assumptio subsistantiæ, quæ est à subsistantia, importat vnionem III. verè subsistantialem in aliquo verè & propriè C subsistantiali factam, vt patet ex dictis suprà de vnione Verbi diuini cum humanitate: atqui nulla vnio subsistantialis ex essentia diuina assumente, siue secundo, siue primo modo spectata, & ex aliqua subsistantia creata, quæ assumatur, potest concipi: ergo essentia diuina quouis istorum modorum considerata, non potest propriè assumere aliquam subsistantiam creatam. Minor probatur, discurrendo per singulos modos qui possunt concipi, & primò, non esset subsistantialis ratione *naturæ*, quatenùs esset vna & eadem entitas ob nunc dicta & superiùs cõtra Eutychetem: non esset etiã subsistantialis ratione eiusdem numero *existentiæ*, quia hæc implicat, vt nunc ostendimus: nec item *ratione subsistentiæ*, quia diuina essentia hîc consideratur vt præcisa ab omni subsistentia: nec etiam *ratione aliorum attributorum subsistantialium, & essentialium Dei*: IV. tum quia hîc agitur de diuina essen- D tia, vt præscindit ab illis: tum etiam quia illud tantùm potest terminare alienam naturam, cui ex propria sua ratione competit terminare suam propriam, sicut, iuxta authores contrariæ sententiæ, ei tantùm præcisè competit personare alienam subsistantiam, cui competit personare propriam, & sic esse rationem cur talis vnio sit subsistantialis: atqui non competit aliis diuinis attributis habere *rationem alicuius termini* propriè dicti, seu alicuius realis terminantis diuinam essentiam, sed potiùs *alicuius formæ adiacentis*, & persicientis suam subsistantiam, quemadmodum ipsum hoc nomen *attributum* significat: igitur talis vnio nullo modo potest esse subsistantialis, nec proinde diuina essentia, vt sic spectata, potest vllo modo assumere aliquam subsistantiam creatam. Tandem, etiamsi diuina essentia A possit facere, vt aliqua subsistantia creata priuetur suâ subsistentiâ, nec vllam aliam recipiat, sed sic conseruetur, & pendeat ab essentia diuina; tunc tamen diuina essentia non dicetur vnire sibi subsistantialiter istam subsistantiam creatam, nec supplere eius subsistentiam, loquendo propriè; sicut eo ipso quo Deus conseruat accidens sine vllo subiecto in Sacramento Altaris, non censetur illud sibi vnire subsistantialiter, vel supplere actualem eius inhærentiam, nec tale accidens dependet à Deo, tanquam *à termino suo*, sed solummodò vt *causâ efficiente, & conseruante illud*, sine vllo subiecto inhæsionis, & talis constitutio accidentis non facit illud vltimò terminatum, & secundùm aliquem terminum esse idem cum Deo: igitur pari modo, etiamsi Deus priuaret aliquam subsistantiam omni & qualibet subsistentiâ, eámque sic conseruaret, non propter- VI. eà tamen diceretur illi vnitus subsistantialiter, & supplere eius subsistentiam, cùm non efficeret, quòd aliqua subsistentia, siue propria, siue aliena illi præstaret.

V.

ARTICVLVS V.

Soluuntur argumenta contraria.

PRIMVM est: Diuina natura non est minoris virtutis ad excipiendam in se alienam naturam, eámque seipsa modo sibi correspondenti terminandam, quàm diuina eius subsistentia, & eius personalitas ad excipiendam in se alienam naturam, eámque terminandam in ratione personæ: diuina enim natura est tam infinita in genere naturæ, & diuina eius existentia in suo genere, quàm ipsa subsistentia diuina, seu VII. personalitas sit infinita in suo genere: atqui diuina natura potest ratione suæ subsistentiæ, seu personalitatis excipere in seipsa alienam creatam naturam, eámque suâ subsistentiâ diuinâ, seu personalitate terminare, vt patet in mysterio Incarnationis: ergo pari iure natura diuina, tam primo, quàm secundo modo spectata, poterit assumere aliquam subsistantiam creatam ad ipsum suum esse.

Respondetur, negando Maiorem, quia ratio terminandi nullo modo competit naturæ secundùm se spectatæ, sed ei tantùm quod ex se & naturali suâ conditione habet rationem veri alicuius termini, respectu subsistantiæ, cuiusmodi non est essentia, seu natura, cùm hæc sit potiùs id, cuius respectu aliquid est terminus, vel habet rationem termini, quàm econtrà; quia verò VIII. ratio termini & terminare subsistantiam competit subsistentiæ; ideò subsistentia diuina, quæcumque illa sit, potest magis terminare alienam subsistantiam, quàm diuina natura, vel eius existentia possit.

Neque facit in contrarium quod ibi affertur, scilicet diuinam naturam ita esse infinitam in genere naturæ, & existentiam Dei in genere existentiæ, ac est diuina subsistentia & personalitas in suo genere; nam infinitas naturæ diuinæ in ratione naturæ non est, quòd sit formaliter omne & quodlibet ens, vel possit esse illud, sed quòd habeat *omnem plenitudinem essendi*, quòd ita sit à se & à nullo alio, vt tamen omnia illa entia sint ab illa: nec item infinitas diuinæ existentiæ consistit in eo, quòd sit ipsamet forma dans formaliter esse actu omnibus quibuslibet rebus

I. creatis, sed quòd ita perfectè constituat diuinam essentiam in actu, vt illa sit *prima causa efficiens, independens*, & à qua omnis rerum aliarum existentia dependet, & sine qua nihil quicquam potest existere.

Secundum est Gregorij à Valentia loco superiùs citato. Res infinita potest supplere omnem eam vim creatæ virtutis, à qua res aliqua creata pendet extrinsecè, vt patet in causa efficiente, cuius causalitatem Deus potest supplere, quia effectus pendet ab illa tantùm extrinsecè: atqui vis ipsa personalitatis creatæ est talis, vt substantia creata pendeat solùm ab illa extrinsecè, quia personalitas creata non est aliquid intrinsecum suæ substantiæ, cùm sit extra totam substantialem & essentialem eius constitutionem; diuina item essentia quouis modo spectata est infinita: ergo natura diuina tam primo, quàm secundo modo spectata, poterit supplere in natura creata, quod aliàs propria eius personalitas in illa per se faceret: ergo & ex consequenti natura diuina potest immediatè assumere aliquam substantiam creatam.

II. Respondetur, Maiorem eius esse tantùm veram de vera & propriè dicta dependentia veri & propriè dicti effectus à sua causa, vt efficiente & propriè extrinseca, non autem de quauis efficientia etiam vitali, vt est vitalis, vt patebit infrà agendo de scientia Christi Domini: & multò minùs maior ista propositio erit vera de effectibus, aut quasi effectibus in aliis generibus causarum: at substantia creata ita pendet à sua subsistentia, vt tamen non pendeat propriè ab illa in aliquo vero genere causæ, vt ostendimus, sed tantùm in ratione termini: vnde licèt diuina

III. essentia sit infinita, quia tamen hæc eius infinitas non est in ratione termini, non poterit illam supplere: & Gregorius à Valentia decipitur in eo quòd supponat, *Eo ipso quo aliquid est infinitum in aliquo genere, statim debere continere omnia eminenter, vel formaliter in quouis genere, sine vlla exceptione*: & ex consequenti debere posse supplere illa, quod patet esse falsum, cùm vnaquæque perfectio Dei siue absoluta, siue relatiua sit tantùm infinita in suo genere, nec proinde poterit quælibet perfectio Dei quamlibet perfectionem sibi dissimilem in ratione formali supplere, sed eam solùm quæ respicit, vel *efficientiam purè & simpliciter extrinsecam, vel puram aliquam & nudam terminationem*, quia in tali re, aut quasi effectu supplendo nulla apparet imperfectio, nulla contradictio; & quòd præterea ratio talis efficientiæ, vel terminationis reperiatur in Deo per quam affirmatur illam

IV. supplere.

A B C D

V. VI. VII. VIII.

DISPVTATIO IV.

De assumptione vnius, vel plurium naturarum creatarum per vnam, vel plures diuinas personas.

ARTICVLVS I.

Vtrùm vna, vel quælibet persona diuina possit assumere naturam creatam sine alia persona.

PARS affirmans prioris partis est de fide; nam à facto ad posse valet consequentia, & Catholica fides docet solam personam Filij ex omnibus personis diuinis assumpsisse naturam humanam, vt anteà tradidimus ex sacris litteris, Conciliis & Patribus: & quoad rem videtur esse eadem ratio vtriusque partis articuli, & ipsa ratio ostendit; nam ad hoc vt vna ex diuinis personis possit assumere aliquam substantiam, terminando illam sine aliqua alia ex personis diuinis, satis est, quòd licèt principium effectuum actionis vnitiuæ sit illi planè commune cum aliis personis diuinis, habeat tamen aliquid sibi soli proprium, ratione cuius terminet vltimò naturam quam assumit, vt videre est in vnione hypostatica Verbi diuini cum humanitate, quæ soli Verbo est propria, quia solum illud *filiatione* sibi soli conuenienti terminat illam: atqui non tantùm persona Filij diuini, sed etiam Patris, item & persona Spiritus S. habent aliquid sibi soli proprium; *Pater paternitatem*, relatiuam suam subsistentiam, Spiritus sanctus suam *spirationem passiuam*, seu subsistentiam suam relatiuam distinctam realiter ab aliis diuinis relatiuis subsistentiis, ratione cuius qualibet persona diuina potest terminare vltimò quamlibet naturam sibi alienam, quia omnes & singulæ illæ subsistentiæ relatiuæ, seruatâ proportione, sunt æqualis inter se virtutis, quoad vim terminandi: nam sicut æqualiter terminant diuinam naturam, ita & æqualiter inest illis vis ad terminandum alienam, nec potest aliqua ratio inæqualitatis quoad hoc afferri: ergo non vna tantùm persona diuina potest sine alia assumere aliquam naturam creatam, sed quælibet ex personis diuinis potest assumere, seu terminare aliquam subsistantiam creatam absque eo quòd alia persona diuina hanc eandem subsistantiam creatam terminet.

Neque est par ratio de *cognitione intuitiua, & quidditatiua* vnius diuinæ personalitatis sine alia: cùm enim diuinæ personalitates sint intrinsecè relatiuæ, nec vnum relatiuum, vt formaliter & intrinsecè relatiuum possit cognosci *intuitiuè, & quidditatiuè*, sine suo sibi correlato, quia habet totum suum esse ad illud, rectè intelligimus vnam diuinam personalitatem non posse sic cognosci *intuitiuè & quidditatiuè*, sine alia correspondente relatiua: at terminatio hypostatica non est in genere cognitionis, sed in genere *coniunctionis realis*: possumus autem intelligere vnum relatum coniungi alicui realiter, absque eo

I. quòd ens correlatum simul etiam coniungatur realiter, vt quotidiana experientia docet, & quoad hanc terminationem diuinæ personæ, propter oppositam rationem sese etiam modo opposito habent, quàm sese habeant ad actionem vnitiuam: nam quemadmodum ex eo quòd in illis ratio terminandi est ipsa personalitas, & hæc est alia in vna persona, & alia in alia, potest terminare quamlibet subsantiam creatam sine alia persona diuina: ita etiam à contrario quia ratio principij actionis vnitiuæ subsantiæ alienæ ad aliquam personalitatem diuinam, est vna & eadem numero in omnibus personis diuinis, scilicet *omnipotentia*, & opera Trinitatis ad extra etiam circa mysterium Incarnationis sunt indiuisa, vt suprà ostendimus: ideò fit vt vna ex diuinis personis non possit facere vnitionem alienæ subsantiæ ad diuinam suam subsistentiam, aliis

II. duabus personis diuinis non operantibus.

Cæterùm, licèt quælibet ex personis diuinis possit incarnari, hoc tamen est discriminis, quòd si Deus Pater esset incarnatus, is non posset dici propriè *missus*, sicut Filius propriè dicitur, & Spiritus sanctus diceretur, si esset incarnatus, vt rectè notat sanctus Thomas hac quæstione, articulo 5. in solutione ad tertium: cuius discriminis ratio repetenda est ex prima parte quæstione 43. articulo 1. quòd scilicet missio alicuius personæ diuinæ nihil est aliud, *quàm eius ab alia diuina persona, vel aliis duabus processio cum habitudine ad aliquem effectum temporalem, ratione cuius persona missa incipit esse nouo quodam modo in creaturis, quo anteà non erat.* At licèt Deus Pater per assumptionem humanitatis, vel alterius naturæ haberet habitudinem ad illam, vt sibi vnitam,

III. & ratione illius inciperet esse nouo modo in tali humanitate, quo anteà non erat: non tamen esset persona procedens ab alia, cùm Deus Pater sit *innascibilis, improductus*, habens suum esse à nullo alio, sed à seipso; Filius autem rectè dicitur missus, similiter Spiritus sanctus, si esset incarnatus, rectè diceretur missus, quia ambæ illæ personæ sunt ab alio.

Articvlvs II.

Vtrùm plures diuinæ personæ possint vnam numero naturam assumere.

DVæ sunt hac de re sententiæ: Prima negans Scoti & discipulorum eius lib. 3. sentent. dist. 1. quæst. 2. Richardi eadem distinctione, quæst. 4. articulo 1. Altera sententia, quam loco propositionis nostræ ponimus, affirmat *plures diuinas personas posse tam successiuè, quàm simul, assumere vnam & eandem numero subsantiam creatam*: est sancti Thomæ & discipulorum eius, tam hac quæstione, articulo 6. quàm libro 3. sententiarum distinct. 1. sancti Bonauenturæ ibidem quæstione 3. Durandi ibidem. Vbi notandum est esse solummodò sermonem *de ipsa terminatione*, quæ reperitur in tali assumptione, nam suprà doeuimus id quod habet *rationem actionis* in tali assumptione semper esse necessariò ab omnibus diuinis personis simul. Hoc igitur prænotato, probatur nostra propositio ex eo, quòd nulla appareat contradictio, ob quam id implicet: vel enim illa repeteretur ex parte diuinarum personarum, vel ex parte naturæ quæ assumeretur: non ex primo capite, quia diuinæ

IV. personæ ex præcisa sua ratione spectatæ non se

A necessariò excludunt à consortio vnius & eiusdem naturæ in illa vltimò complenda & terminanda *in ratione subsistendi*, quemadmodum pater in natura diuina, quam vnam numero tres diuinæ personæ simul & semel complent, & faciunt subsistere: ergo loquendo præcisè non repugnat ex parte diuinarum personarum, quin plures personæ diuinæ assumant hypostaticè vnam & eandem numero naturam. Quod item ex secundo capite, id est ex parte naturæ quæ assumeretur, non repugnet, probatur: omne absolutum, quâ præcisè est absolutum, quódque admittit, vel potest admittere vnam ex diuinis personis, potest & admittere duas alias, tam simul, quàm successiuè, quia sicut sola relatio in diuinis facit oppositionem, ita sola facit distinctionem & exclusionem vnius personæ ab aliquo, quod ineſt, vel potest competere alicui diuinæ

B personæ: atqui subsantia creata, quæ assumitur, vel potest assumi, spectata præcisè, est aliquid purè absolutum, quia est in categoria subsantiæ, & admittit vnam ex personis diuinis, vt patet in humanitate Christi Domini: ergo poterit etiam admittere alias duas personas diuinas: ergo sicut admissio personæ Verbi diuini in humanitate est vera assúptio humanitatis à Verbo, ita & illæ admissiones duarum aliarum diuinarum personarum in eadem humanitate erunt assumptiones illius vnius & eiusdem humanitatis; sicque eadem numero natura poterit simul & semel, vel etiam successiuè assumi à pluribus personis diuinis.

Dices, diuinam essentiam esse aliquid purè absolutum, & nihilominùs quia in ratione potentiæ generatiuæ connotat paternitatem, quæ est propria soli primæ personæ diuinæ, duas alias per-

C sonas diuinas excludi ab illa, vt sic spectata: pari etiam iure humanam naturam, verbi gratiâ, secundùm se spectatam esse aliquid simpliciter absolutum; nihilominùs tamen vt assumitur, vel iam est assumpta ab aliqua ex personis diuinis, dicere intrinsecum ordinem & habitudinem ad illam distinctam personam Trinitatis, quæ iam assumpsit illam; sicque ratione istius habitudinis duas alias personas excludi à tali humanitate.

Sed hæc responsio refellitur primò, quia iam negauimus essentiam diuinã, provt connotat paternitatem, esse ipsammet porentiã generatiuam. Deinde etiamsi id esset verum, tamen semper dispar esset ratio diuinæ essentiæ, vt sic consideratæ, & humanitatis assumptæ ab aliqua ex personis diuinis: quia essentia, provt ratione paternitatis

D habet rationem potentiæ generatiuæ est aliquod cõstitutum formaliter, relatiuũ oppositũ passiuæ potentiæ generatiuæ, quæ est in Filio: & ideò ratione talis oppositionis rectè intelligimus diuinã essentiam vt sic non esse nisi in solo Patre, & tam Filium, quàm Spiritum sanctũ excludi ab illa, vt sic formaliter considerata: at natura humana assumpta ab aliqua ex personis diuinis semper manet aliquid purè & simpliciter absolutum, nec vi suæ vnionis ad aliquam personam diuinam constituitur aliquid formaliter relatiuum, sed manet talis in sua entitate absoluta, qualis erat ante vnionem: vnde etiam dicimus Christũ Dominum in ratione hominis esse eiusdem categoriæ ac nos sumus, licèt eius personalitas sit alterius longè ordinis, quàm nostræ sint: ergo cùm diuinæ personę sese mutuò non excludant ab aliquo absoluto, quâ purè & simpliciter est absolutum, vna perso-

V. VI. VII. VIII.

I. na diuina assumens humanitatem, non excludet necessariò aliam personam ab hac eadem humanitate etiam terminanda, licèt vna persona diuina excludat aliam ab ipsa generatiua potentia præcisè & formaliter sumpta; & ad summum erit in eo par conditio, quòd quemadmodum paternitas, quæ iuxta responsionem quam refellimus, est id quod essentia diuina, in ratione actiuæ potentiæ generatiuæ formaliter sumpta connotat, reperitur in solo Patre, & diuina essentia, vt sic, est in solo Patre, quanquam secundùm se considerata, sit vna & eadé in omnibus personis diuinis: ita etiã illa terminatio, quæ est à persona Filij, exempli gratiã, est à solo Filio, & non à Patre, vel Spiritu sancto; & secundùm hanc numero terminationé, humanitas assumpta dependet à solo Filio, quod nos libenter cõcedimus, & est verissimum, vt patebit infrà; & sicut terminatio
II. illa diuinæ essentiæ, quæ est à Patre, est quidem soli Patri propria; nec tamen impedit, quin adhuc eadem diuina essentia terminetur aliâ & distinctâ terminatione à Filio, item à Spiritu sancto; ita etiam illa terminatio vnius & eiusdem nnmero humanitatis ab vna persona diuina non impediet, quin talis humanitas adhuc possit terminari ab aliis personis diuinis.

Secundò probatur eadem propositio: tanta est vis terminandi hypostaticè hanc numero humanitatem in prima persona Trinitatis, quàm sit in aliis duabus, & econtrà; similiter potentia obedientialis, quæ est in hac numero humanitate ad hoc vt terminetur hypostaticè ab aliqua diuina persona, tam est respectu vnius personæ diuinæ, quàm respectu aliarum, & econtrà; nec vna persona, quoad hoc præstandum vni & eidem
III. humanitati, excludit alias diuinas personas, quia hæc humanitas est aliquid purè absolutum, & personæ diuinæ non excludunt seſe inuicem ab aliquo absoluto, vt nunc probatum est: igitur vbi vna persona diuina assumit vnam numero naturam, vel illam iam assumpsit, potest & alia diuina persona, vel etiam aliæ duæ illam eandem assumere.

ARTICVLVS III.

Argumenta prioris sententiæ soluuntur.

PRIMVM est authoritas S. Anselmi libro 2. *Cur Deus homo*, capite 9. sic scribentis, plures personæ nequeunt vnum eundémque hominem assumere vnitate personæ. Respondetur, S. Anselmum ibi non agere de præsenti difficultate, sed statim initio istius capitis supponere Incarnationem debuisse fieri in vna tantùm persona, itavt ex ipsa natura assumpta, & ipso assumente, vnica tantùm numero persona resultet, quemádmodum indicat titulus istius capitis, & hoc suppositio, proponit sibi esse quærendum in quanam persona vnio hypostatica fuerit facta. Deinde ita subiungit, *Plures enim personæ nequeunt vnum, & eundem hominem assumere in vnitate personæ: quare in vna persona tantùm hoc fieri necesse est.* Quorum verborum hic est sensus, plures diuinæ personæ non possunt ita vnam & eandem numero humanitatem assumere, vt terminus resultans sit vna numero persona, & hunc esse sensum S. Anselmi patet, tum ex eo quòd notauimus eum præsupponere, tum quòd hæc eius verba, *eundem hominem assumere in vnitate personæ*, præ se ferunt hunc sensum, vt re-

IV. A ctè animaduertit Durandus tertio sententiarum, distinctione primâ, quæstione tertiâ, numero decimo-tertio: tum etiam quòd hæc verba sancti Anselmi immediatè sequentia id explicent, *quare in vna persona tantùm hoc fieri necesse est*: id est vt terminus resultans sit vnica tantùm persona, debet hoc mysterium fieri solummodò in vnica persona: & iuxta hanc explicationem nullo modo sanctus Anselmus patrocinatur sententiæ Scoti. V.

Secundum fundamentum est: vnam numero naturam posse assumi à pluribus personis, arguit infinitam perfectionem: ergo cùm nulla creatura sit capax infinitæ perfectionis, fit vt etiam ei vni & eidem repugnet simul assumi à pluribus personis diuinis. Antecedens probatur primò: ideò conuenit diuinæ essentiæ esse in tribus personis, quia est infinita, vt communiter docent
B Theologi primâ parte, agendo de pluralitate VI.
personarum diuinarum: ergo cùm hæc infinitas sit propria illi soli, nulla potest dari substantia creata, quæ simul & semel terminetur tribus diuinis personalitatibus. Deinde probatur idem Antecedens: illud est infinitum in suo genere, cuius virtus in tali genere est illimitata; quantò enim aliquid est magis illimitatum ad plura, tantò est perfectius: exempli gratiâ, si vnica anima rationalis, etiam non reproducta, posset simul & semel perficere infinita corpora, informando illa, esset infinita in tali genere: atqui in præsenti casu passiua virtus terminatiua vnius & eiusdem numero substantiæ creatæ, quæ assumeretur, esset illimitata in ratione passiuæ virtutis terminatiuæ, quia ita assumeretur ab vna diuina persona, vt etiam posset assumi ab aliis duabus, & ita
C posset assumi à tribus diuinis, vt etiam adhuc ei VII.
non repugnaret assumi à pluribus aliis creatis, per absolutam potentiam Dei, & ita à pluribus & pluribus in infinitum: igitur talis eius passiua virtus terminatiua esset infinita.

Respondetur, negando Antecedens: ad cuius primam probationé respondetur, duobus modis posse intelligi conuenire alicui substantiæ esse in pluribus personis: Primò, *ex summa sua fœcunditate eáque sibi naturali*, quatenùs aliqua substantia, positiuè postulat ex sua naturali inclinatione & conditione esse de facto in pluribus personis, ad hoc vt naturalis & intrinseca eius fœcunditas compleatur, sine quo complemento talis substantia non censetur esse vltimò perfecta, iuxta statum sibi naturalé. Secundo modo potest conuenire alicui substantiæ esse in pluribus personis, quatenùs ex propria & naturali sua inclinatione id non postulat, *sed tantummodò ex*
D *summa illa subiectione*, quam habet ad Deum, vt VIII.
recipiat in se quidquid illi placuerit: inter quem vtrumque modum est hæc distinctio, quòd solus prior arguat summam aliquam infinitatem, quia fundatur in naturali fœcunditate substantiæ, quâ sponte suâ, naturaliter & quasi actiuè fundit ex se tot distinctas personalitates, quibus postulat naturaliter compleri tam intensiuè, quàm extensiuè. Posterior autem nullam arguat infinitatem perfectionis, loquendo propriè, quia talis natura tunc potiùs seſe habet *quasi passiuè* ad tot & tam multas personalitates, cùm nec illas ex se & naturali sua inclinatione postulet, nec etiam illas fundat *quasi actiuè ex se*, sed solummodò seſe ad illas habeat *quasi passiuè*, quatenus ratione summæ illius obedientiæ, quæ est in qualibet creatura, ad patiendum quidquid

I. placuerit Deo, admittit seipsam terminari in ratione subsistendi simul & semel, vel etiam successiuè, provt Deus voluerit à pluribus & pluribus alienis personalitatibus: & hæc disparitas, quoad existendum in pluribus personis potest illustrari exemplo sumpto ab immensitate Dei, quæ quia est illi *naturalis & intrinseca*, arguit in illo summam infinitatem perfectiuam: illa verò immensitas, quæ potest conuenire alicui creaturæ contingenter & accidentariò, quatenus Deus potest reproducere aliquam creaturam in omnibus spatiis realibus, & sic facere vt sit vbique locorum, quia *est tantùm passiua ei conuenientis accidentariò*, & solummodò per ordinem ad absolutissimam omnipotentiam Dei, nullam arguit perfectionem in tali substantia, nisi *subiectionis & obedientiæ* ad Deum. Iam ex his respondetur ad primam probationem prædicti Antecedentis, *esse in tribus suppositis*, arguere summã imperfectionem in diuina essentia, quia id ei *naturaliter* conuenit, & *intrinsecè* id postulat: substantiam verò creatam esse in pluribus & pluribus alienis personis nullam arguere perfectionem loquendo præcisè, quia ex sua *naturali conditione* non postulat tot personalitates, nec sese habet ad illas quasi *actiuè*, sed solummodò *quasi passiuè*, vt nunc explicatum est.

II. Ad secundam probationem eiusdem Antecedentis respondetur duas illas propositiones, *Illud est infinitum in suo genere, cuius virtus in tali genere est illimitata, & quantò aliquid est magis illimitatum ad plura, tantò est perfectius*, esse solummodò veras *de infinitate & illimitatione actiua naturali, & non de passiua etiam obedientiali*: quatenus infinitas & illimitatio passiua propriè non arguit aliquam perfectionem sese

III. tenentem ex parte eius cui inest, quemadmodum patet in materia prima, quæ est in passiua potentia ad omnes & quaslibet formas successiuè recipiendas in infinitum, si aliquod agens illas introduceret: vt enim perfectio consistit in *actualitate*, ita etiam infinitas illa, quæ consistit solummodò in aliqua *potentialitate*, non arguit summam aliquam perfectionem, multò minùs quando solùm attenditur penes potentiam obedientialem, vt iam animaduertimus: quare cùm hæc infinitas, & illimitatio, quæ iuxta casum nostræ propositionis reperitur in vna numero substantia creata, sit tantùm penes obedientialem eius potentiam, & quasi passiuam, sit vt ex nostra propositione non benè inferatur talem substantiam fore infinitam eâ infinitate, quæ summam perfectionem quasi soli Deo propriam importet.

IV. Neque exemplum ibi desumptum ab anima rationali facit ad rem præsentem: nam *anima, vt informans, est in genere actus*, habétque potiùs rationem alicuius actiuæ potentiæ, quàm passiuæ, qualem tamen non habet natura creata ad plures alienas subsistentias: tum etiam quia tunc anima rationalis esset infinita in ratione actus informantis, si vna & eadem manens sine vlla sui reproductione postularet naturaliter informare tam multa & infinita corpora: quòd si id ei tantùm conueniat ratione multiplicis reproductionis eius factæ à Deo in pluribus, imò infinitis corporibus, & ratione suæ potentiæ obedientialis ad Deum, tunc non erit ei maior perfectio, quàm quòd sit *summè subiecta Deo*, quod est ei commune cum cæteris creaturis.

Tertium fundamentum est. Si tres diuinæ

A personæ assumerent vnam & eandem naturam humanam, homo per illam constitutus, esset Pater, esset Filius, esset Spiritus sanctus, sicut nunc ratione vnionis hypostaticæ humanitatis cum Verbo, *Christus* qui est homo per illam constitutus, est verè Filius Dei: ergo sicut nunc per communicationem idiomatum Filius Dei est homo, & homo est Filius Dei; ita & tunc per eandem communicationem idiomatum Pater esset Filius, esset Spiritus sanctus; & è conuerso Filius esset Pater, item esset Spiritus sanctus; similiter Spiritus sanctus esset Pater, esset Filius: at hæc omnia sunt absurda, quia sic confusio diuinarum personarum introduceretur, quam tamen omnes Patres & Concilia reprobant: igitur ne incidamus in hæc incommoda, dicendum est plures diuinas personas non posse assumere vnam & eandem numero naturam. V.

B Respondetur Antecedens esse verum, nec magis implicare constitutum *in ratione hominis*, per vnicam numero humanitatem à tribus diuinis personis assumptam esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum sanctum, quàm implicet Deum, vt per deitatem constitutum, esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum sanctum: & sicut tres illæ personæ diuinæ propter identitatem vnius & eiusdem numero diuinæ essentiæ sunt *vnus tantùm Deus*, & Pater est verè & propriè verus Deus; Filius item verè & propriè est verus Deus; similiter & Spiritus sanctus: ita etiam, datâ hypothesi nostræ propositionis, tres diuinæ personæ essent tantùm vnus homo, ob rationem asserendam ad vltimum argumentum. Consequentia autem huius tertij fundamenti, scilicet, *Tunc per communicationem idiomatum Patrem fore Filium, & econtrà*, negatur: quia communi-

C catio idiomatum, vt infrà ostendetur, propriè consistit in eo, vt ratione vnionis attributa diuina & humana dicantur in concreto de eadem persona: at in casu nostræ propositionis non esset vnitas numerica personalitatis inter omnes personas diuinas, sed vnaquæque illarum haberet suam propriam, vt per se patet; sicque nulla ibi interueniret communicatio idiomatum inter personas diuinas: & hoc potest illustrari exemplo petito à mysterio sanctissimæ Trinitatis, in quo tres personæ tam benè terminant vnam & eandem numero diuinitatem, quàm in hypothesi nostræ propositionis tres diuinæ personæ terminarent vnam & eandem numero humanitatem: ex hoc tamen personalis proprietas Patris non cõmunicatur Filio, nec econtrà proprietas Filij communicatur Patri, etiam Patre & Filio enunciatis in concreto: non enim quis rectè

D dixerit, *Pater diuinus generatur, Filius diuinus generat, spiratur, Spiritus sanctus generat generatur, spirat*: vt fusiùs explicant Theologi primâ parte, licèt omnes istæ personæ habeant vnam & eandem numero essentiam; sed ea tantùm possunt dici de singulis personis, quæ conueniunt ipsi diuinæ essentiæ: ita etiam in casu nostræ propositionis proprietas Patris non posset tribui Filio, vel Spiritui sancto etiam enunciatis in concreto, & vt ex eo quòd omnes illæ diuinæ personæ habent eandem numero diuinam essentiam, nulla sequitur confusio personarum in diuinis, sed omnes & singulæ sunt verissimè & propriissimè distinctæ, ita etiam in casu nostræ propositionis. VI. VII. VIII.

Quartum fundamentum. Si tres diuinæ personæ assumerent vnam & eandem numero na-

turam, vel tunc tres diuinæ personæ efficerent vnam & eandem vnionẽ, vel plures: non vnam, quia vel tunc singulæ personę diuinæ essent causæ tantùm partiales istius vnionis, vel vnaquæque diuinarũ personarum esset causa totalis: non primum quia esse causam partialem dicit imperfectionem, quæ non potest cadere in personas diuinas. Secundum item dici non potest, quia repugnat vnum & eumdem numero effectum esse à pluribus causis totalibus sibi inuicem non subordinatis, cuiusmodi sunt diuinæ personæ: non potest etiam responderi, quòd hoc in casu diuinæ personæ efficerent plures vniones, quia vel facerent illas simul vel successiuè: non simul quia vna personalitas impediret aliam, sicut eo instanti, quo propria personalitas resultat & terminat suam substantiam, aliena subsistentia impeditur eam terminare: non item successiuè, tum ob eamdem rationem, tum etiam quia oporteret vt persona secundo loco assumens, assumeret etiam primam illam vnionem, assumendo enim naturam deberet assumere omnia quæ realiter identificantur cum illa: at talem vnionem assumi repugnat, hæc enim vnio nequit assumi, nisi & eius terminus, seu diuina persona quam intrinsecè respicit, assumatur: at repugnat, aliquam personam diuinam assumi, quia *assumi* est quoddam dependere, & nulla dependentia potest cadere in personas diuinas: igitur neque plures diuinæ personæ possunt assumere, etiam successiuè vnam & eandem numero substantiam creatam.

Respondetur, sumendo hoc nomen, *vnio*, pro ipsa terminatione naturæ humanæ assumptæ, quemadmodum debet accipi ex notabili posito in secundo articulo statim post nostram propositionem: tunc quando plures personæ assumerent vnam & eandem numero naturam, tot fore vniones, quot sunt personalitates quæ communicantur isti vni & eidem naturæ. Nam *vnio* sic sumpta nihil est aliud, quàm *communicatio esse personalis*: atqui in casu nostræ propositionis tria esse personalia, seu tria diuina suppositа communicarentur: igitur & ibi tres vniones reperirentur. Vnde non ideò negamus tunc fore vnam tantùm vnionem, ex eo quòd vnaquæque diuina persona esset causa vel totalis vel partialis illius, quódque vnus & idem numero effectus dependeret à pluribus causis totalibus sibi non subordinatis: nam ipsa terminatio naturæ per suppositum assumens non est aliquid pertinens ad aliquod genus causæ propriè dictæ, sed tantùm in ratione termini, quemadmodum suprà ostendimus: quo in genere illa vna natura tunc dependeret totaliter à Patre secundùm illam vnionem personalem, quam haberet ad eum: similiter dependeret totaliter à Filio, quoad illam vnionem personalem, quam etiam haberet ad illum: & sic etiam à Spiritu sancto: sicque quando terminatio illa dependeret à Patre, illa esset alia ab ea, secundùm quam dependeret à Filio, & à Spiritu sancto, & è contrà.

Ad alteram partem eiusdem argumenti, (qua probatur talem assumptionem nõ posse fieri per plures vniones siue simul, siue successiuè, quia vna aliam impediret: sicut propria subsistentia impedit alienam) negatur diuinas personalitates sese mutuò impedire, ob rationem allatam pro nostra propositione, & longè disparem esse rationem propriæ subsistentiæ in ordine ad eandem naturam, & diuinarum personalitatum in ordine ad alienam naturam: quòd propria & aliena habeant incompossibilitatem vt sese simul compatiantur: nam propria facit vt substantia *sit in se & non in alio*, tanquam in sustentante: aliena autem facit, *vt substantia sit in alio*, & non in se. Vnde cùm *esse in alio*, & *esse in se*, respectu vnius & eiusdem substantiæ non reproductæ sæpiùs, sint modi sibi inuicem oppositi, fit vt subsistentia propria excludat alienam: at omnes diuinæ subsistentiæ respectu eiusdem numero naturæ assumptæ sunt omnes & singulæ alienæ, solúmque faciunt illam subsistere pluribus modis *in alio*: qui quia sunt eiusdem conditionis, nec habent aliquam oppositionem, quoad hoc munus facilè sese compatiuntur, & simul & semel possunt facere subsistere naturam alienam.

Neque est, quòd quis dicat subsistantiam creatam, vnâ diuinâ subsistétiâ terminatam, esse amplissimè & perfectissimè terminatam, ac proinde non posse ampliùs, siue simul & semel, siue successiuè, terminari ab aliqua alia diuina persona. Nam eo casu quo aliqua substantia creata est assumpta ab vna tantùm ex personis diuinis, hæc natura assumpta, hoc tantùm sensu, est tam secundùm intensionem, quàm secundùm extentionem amplissimè & perfectissimè terminata, quatenus non indiget alia terminatione, nec eam postulat: non autem quòd sit terminata, quantum est in se terminabilis, à qualibet aliena subsistentia spectata per ordinem ad absolutam potentiam Dei: nam vltra capacitatem illam, quam habet, vt sustentetur, v. g. à subsistentia Filij, secundùm quam terminatur intensiuè & extensiuè, habet aliâ etiam capacitatẽ, quâ potest terminari à Patre & Spiritu sancto, iuxta potentiã suam obedientialem quasi passiuã, & per potentiam terminatiuã quali actiuam subsistentiarum Patris & Spiritus sancti, quæ obedientialis potẽtia potest adhuc compleri ab illis, & ita de cæteris. Vnde sicut in Physicis potentia quæ inest materiæ ad vnam formam, completur per vnionem talis formæ ad materiam, & licèt forma illa sit nobilissima, exempli gratiâ, anima rationalis, & actuet amplissimè & perfectissimè ipsam materiam, eam tamen non actuat, quantum illa potest actuari quoad omnem suam potentiam & capacitatem, sed solummodò in ordine ad se, & non in ordine ad alias formas: ita etiam dum vna persona ex diuinis terminat aliquam creatam naturam, licèt eam amplissimè & perfectissimè terminet in suo ordine, adhuc tamen non eam terminat quantum est terminabilis per alienas subsistentias.

Dices, data tali hypothesi futurum, vt propria subsistentia terminet perfectiùs tam intensiuè quàm extensiuè propriam suam substantiam, quàm quælibet ex diuinis personis compleat naturam assumptam, cùm propria subsistentia compleat omnem eius capacitatem quouis modo spectatam, vt patet ex eo quòd tunc non est capax alienæ subsistentiæ, cuius tamen est adhuc capax dum subsistit per vnam ex increatis: sicque propriam subsistentiam creatam videri aliquo modo perfectiorem in ratione subsistentiæ qualibet diuina subsistentia, quod est absurdum.

Respondetur negando id sequi: nam quòd subsistentia excludat à propria sua subsistãtia alienam subsistentiam, non prouenit loquendo præcisè ex eo, quòd in ratione subsistentiæ perfectiùs terminet propriam suam substantiam quàm aliena illam terminet, vt patet in mysterio Incarnatio-

I. nis, vel quòd compleat illam capacitatem obedientialem, quam propria sua subsistentia habet ad subsistentiam alienam, quia hæc est alterius ordinis vtpotè præternaturalis, vel supernaturalis: creata autem subsistentia est tantùm ad complendam aptitudinem naturalem propriæ suæ substantiæ, vt suprà obseruauimus agendo de formali ratione creatæ personalitatis: sed exclusio alienę subsistentię à substantia creata per propriam subsistentiam prouenit formaliter ab ipsa incompossibilitate, quam subsistentia propria & aliena habent, provt comparantur ad eandem numero substantiam. Sicut quod duo accidentia sibi inuicem maximè contraria non possint simul & semel esse in eodem subiecto & eadem parte subiecti, non prouenit formaliter ex eo quod vnum illorum compleat omnem capacitatem sui subiecti, est enim idem subiectum capax

II. contrariorum, & contraria sunt nata esse in eodem subiecto: sed sicut illa exclusio accidentis ab eò subiecto, in quo alterum accidens huic contrarium iam inhæret, prouenit ab illa incompossibilitate, & ea oppositione quam exercent inter se: ita etiam exclusio alienæ subsistentiæ, ab ea substantia, quæ iam habet propriam suam subsistentiam, prouenit præcisè & formaliter ab ea incompossibilitate, quam duæ illæ subsistentiæ seruant inter se in ordine ad eandem numero substantiam.

Ad alteram probationem eiusdem partis 4. istius fundamenti (qua dicitur, dato casu nostræ propositionis, oportere vt persona assumens secundo loco aliquam substantiam simul etiam assumat vnionem primam, qua talis substantia est iam vnita personæ diuinæ Patris, exempli gratiâ) respondetur negãdo id sequi: nam quemadmodum virtualis illa distinctio, quæ est inter

III. diuinam essentiam & personalitatem, sufficit vt personalitas Verbi diuini dicatur terminare humanitatem assumptam à Verbo, & non ipsa diuina essentia: ita etiam modalis illa distinctio quæ esset inter naturam assumptam & modum illum vnitiuum talis substantiæ cum tali personalitate sufficeret, vt hæc eadem substantia assumeretur etiam non assumpto tali modo vnionis, quem *inexistentiam* vocauimus.

Deinde respondetur, licèt assumendo naturam iam ab alio assumptam, hæc vnio seu modus simul etiam assumeretur mediatè, sicut in Christi Domini humanitate nonnulla sunt assumpta à Verbo, vt infrà videbimus, & ideò non repugnet talem modum sic assumi mediatè, inde tamen non sequeretur & terminum eius, seu illam

IV. personam, quam talis terminus respicit, esse assumendam, quia nec talis vnio, seu modus ille vnitiuus recipitur quasi subiectiuè in persona quam respicit, nec ipsa persona assumens in tali modo recipitur, vt patet ex dictis suprà de illo: quare cùm hæc persona distingueretur realiter ab illo, & esset etiam ab eo independens, vt patet ex eo quod in mysterio Incarnationis personalitas Verbi diuini non pendeat à prædicto illo modo *inexistentiæ*, talis ille modus posset assumi mediatè absque eo quòd illa persona, quam respicit, simul etiam assumeretur vel dependeret ab assumente.

Vltimum fundamentum. In eo casu constitutum illud ex vnica numero humanitate & tribus personalitatibus diuinis, esset vel vnus homo, vel plures; non vnus, quia ibi plures personæ reperirentur: non item essent plures homines, quia vnica numero esset humana natura: ergo loquèdo propriè nulla ibi esset assumptio naturę humanę. V.

Respondetur cum S. Thoma hîc art. 6. in responsione ad primum, in tali casu vnum tantùm fore hominem. Et ratio est, quòd ad vnitatem *nominis substantiui* sufficiat *vnitas formæ*, à qua fit denominatio, quamuis illa forma vna numero sit in pluribus suppositis, vt patet in mysterio Trinitatis, in quo quia *Deitas*, à qua Deus denominatur, est vnica numero licèt tres sint personæ, vnus tamen est Deus non tres. Cuius regulæ rationem fusè tradidimus 1. parte quæst. 39. Item in eo quod Pater & Filius, licèt sint duo suppositа, quia tamen virtus spirandi est vna & eadem numero in illis, sunt & rectè dicuntur vnum tantùm principiũ Spiritus sancti, vt ibidem quæst 36. docuimus: atqui in casu nostræ propositionis forma à qua fit hæc denominatio *homo*,

B est *humanitas*, vt per se constat, & hæc in casu VI. nostræ propositionis esset vna numero assumpta à pluribus personis: ergo tunc vnus tantùm esset homo.

Atque ex posteriori exemplo patet esse falsum quod aliqui dicunt, scilicet *ideò tres diuinas personas esse vnum Deum, quia illæ vnam & eandem habent absolutam subsistentiam qua diuina essentia subsistat*. Nam præterquam quòd primâ parte quæst. 33. fusè ostendimus nullam dari in Deo absolutam & communem subsistentiam, & nihilominùs ipsa fides docet *tres personas esse tantùm vnum Deum*, posterius exemplum ostendit istam rationem esse nullam: nam Pater & Filius in ratione spiratoris non habent vnam subsistentiam sibi communem, (aliàs enim quatuor subsistentiæ relatiuæ essent in diuinis, quod est contra fidem) & nihilominùs sunt *vnum principium*

C *Spiritus sancti, & vnus spirator*, quemadmodum VII. cõmuniter omnes Theologi docent primâ parte quæst. 36. ergo pari iure ratio propter quam tres diuinæ personæ *sint vnus Deus*, non est quòd diuina essentia habeat communem aliquam subsistentiam, sed quòd vnica numero diuinitas sit in tribus personis diuinis.

Ex quibus omnibus colligitur hunc terminum, *homo* non significare *in recto subsistentiã*, vel personam habentem naturam humanam, sed *directè*, significare *ipsam naturam tanquam in habente*, vt loquuntur Dialectici; sicut hîc Deus directè significat *Deitatem*, & tantùm *in confuso & indirectè ipsas personalitates*, vt docuimus primâ parte quæstione tertia.

Articvlvs IV.

D *Vtrùm vna persona diuina possit assumere* VIII. *duas naturas, vel etiam plures.*

PARS affirmans intelligitur esse vera ex dictis tota disput. 1. huius quæst. Si enim (quod ibi probauimus) secũdùm absolutam potentiam Dei non repugnat subsistentiæ creatæ terminare alienam subsistantiam vnam vel plures, multo minus repugnabit diuinæ personalitati, cùm vis eius terminatiua sit in suo genere longè perfectior, quàm ipsa vis terminandi, quæ reperitur in subsistentiis creatis, & ipsum facere subsistere alienam subsistantiam nullam imperfectionem inuoluat, vt constat ex mysterio Incarnationis.

Hoc tamen est discriminis inter subsistentiam increatam & creatam, vt facientes subsistere alie-

I. nas subsistantias, quòd vt persona increata assumat plures alienas naturas, non est necesse illas vnirì inter se *vnitate locali*, seu secundùm locum, quasi sit necesse vt vbicumque est vna aliena natura assumpta ab aliqua ex personis diuinis, ibi & in eodem loco sit & alia subsistantia simul etiã assumpta ab eadem persona diuina; Nam hæc vnio localis habet se merè per accidens ad præcisam rationem vnionis hypostaticæ, cùm hæc sit tantùm *in ratione termini*. Quare persona diuina, quæ est vbique locorum ratione suæ immensitatis, potest rectè intelligi terminare vnam naturam assumptam Parisiis, & alteram Romæ, & vnio illa immediata quam naturæ assumptæ ab eadem persona habent ad se inuicem, non est nisi *personalis*, quatenus duæ illæ naturæ vt ab eadem personalitate terminatæ, & consideratæ *in ratione subsistentis*, sunt solummodo *vnum subsistens*, quòd

II. hîc semper haberet locum: & si per impossibile personalitas Verbi diuini esset distincta realiter ab essentia diuina, eique soli, & non diuinæ essentiæ, immensitas competeret, diuina natura & humana non desinerent dici inter se vnitæ in Christo Domino, quatenus constituunt *vnum subsistens* in duabus naturis. Sed quia diuina essentia est immensa & indistincta realiter à personalitate Verbi diuini, ideò vbicumque locorum existit humanitas Christi Domini & subsistit, ibi etiam est & subsistit diuina natura, licèt non è contrà, quemadmodum infrà ostendemus contra Vbiquitarios. At è contrà quia nulla personalitas seu subsistentia creata habet immensitatem,

III. ideò vt hæc vna & eadem absque noua aliqua sui reproductione terminet hypostaticè plures alienas naturas, prærequirit vt eiusmodi alienæ naturæ sibi etiam vniantur *localiter*, quòd illis sic vnitis possit communicare suum esse personale.

Dices, videri disparem esse rationem subsistentiæ increatæ & creatæ; quòd creata, quia subest diuinæ voluntati quoad vim suam & actum terminandi, possit à Deo applicari vbi & quando voluerit: at subsistentia increata, etiam quoad actum terminandi, non subest libertati diuinæ, cùm tota necessariò occupetur, & etiam exhauriatur in terminanda natura diuina, sicut quia tota vis generatiua Patris licèt infinita, exhauritur necessariò in generatione vnius Filij, similiter tota vis spirandi in spiratione vnius Spiritus sancti, non potest ampliùs dari alius Filius per intellectionem genitus, nec item alius Spiritus

IV. sanctus potest spirari per volitionem. Respondetur in personalitate increata duas posse distingui habitudines, vnam *ad propriam naturam*, aliam *ad quamlibet inferiorem*, & proinde alienam: solam verò priorem ex istis habitudinibus esse necessariam & adæquari per terminationem quasi passiuam naturæ diuinæ; posteriorem autè esse liberã, cùm respiciat aliquid ad *extra*, respectu cuius Deus, secundùm omnes, est libertimus; hanc non exhauriri terminatione vnius naturæ, vel duarum, vel trium, imò nec posse vmquam exhauriri: & hoc potest illustrari exemplo diuinæ volitionis, licèt enim illa *in ratione amoris* adæquetur & exhauriatur, quatenus fertur in diuinam essentiam *vt obiectum suum necessarium*, & adæquatum, nihilominus tamen adhuc potest sese terminare liberè ad creaturas & velle illis dare existere: & quemadmodum hæc *duplex habitudo* diuinæ voluntatis fundatur in *eius infinitate*, nec vna aliam destruit, cùm sint diuersæ rationis & ordinis & quasi secundùm distinctam

A virtutem: ita & terminatio quâ diuina personalitas terminat necessariò & adæquatè diuinam essentiam, & terminatio quâ eadem diuina personalitas terminat alienam naturam vel plures, sunt diuersæ veluti rationis & secundùm distinctam veluti virtutem, quatenus secundùm vnam ei competit naturaliter & necessariò terminare diuinam essentiam; & secundùm alteram competit ei ex propria sua conditione & perfectione posse terminare plures & plures alienas naturas, prout illa voluerit. Exempla autè diuinæ generationis & spirationis non sunt ad rem: sunt enim eorum quæ *sunt ad intra in diuinis*, vbi omnia sunt & necessariò, & necessaria; item quia procedunt hæc exempla de actibus purè immanentibus, qui extra ipsum intelligentem & volentem nihil producunt; at terminatio de qua hîc loquimur, est ad extra; & licèt loquendo propriè nihil pro-

B ducat, est tamen realis communicatio subsistentiæ factæ naturæ assumptæ, quæ purè & simpliciter est extra ipsum assumentem.

V.

VI.

ARTICVLVS V.

Quædam dubia soluuntur.

VII.

EX hactenus dictis tria suboriuntur dubia. Primum est, an propolito articuli præcedentis intelligatur solummodò de pluribus naturis eiusdem rationis, quales sunt plures numero humanitates: an verò intelligatur etiam de pluribus naturis habentibus aliquam inter se repugnantiam: ratio dubitandi est, quòd duo contraria non possint esse simul, nec item duæ differentiæ sibi inuicem oppositæ, cuiusmodi sunt

C *viuens & mortuum*, *rationale & irrationale*, & proinde videtur, humanam naturam & aliquam irrationalem, vel corpus viuum & cadauer non posse simul assumi ab eadem persona diuina.

Respondetur, nostram propositionem intelligi de omnibus & singulis quibuscumque creatis subsistantiis, sine vlla exceptione, sicque non repugnare corpus aliquod viuum, & aliquod cadauer simul & semel assumi, vel aliquam naturam humanam, & aliquam leoninam, vel quâlibet aliam irrationalem. Nam primò naturæ seu subsistantiæ, vt sic assumptæ, non haberent inter se maiorem repugnantiam & oppositionem respectu suarum differentiarum, quam mortale & immortale: hoc enim secundùm importat negationem primi, sicut in exemplis allatis vnum dicit negationem aut incompossibilitatem cum altero, & nihilominùs in Christo

D mortale & imminortale vniuntur de facto hypostaticè, humanitas enim est intrinsecè mortalis, diuinitas intrinsecè immortalis: ergo sicut non repugnat quin de facto naturæ illæ habentes proprietates sibi inuicem oppositas, sint in vno & eodem diuini Verbi suppolito; ita etiam repugnantia & contrarietas, quæ est inter aliquot substantias creatas ratione suarum differentiarum aut proprietatum, non impedict quin duæ illæ naturæ possint simul assumi ab vna & eadem persona diuina. Secundò, contrarietas & repugnantia naturarum & formarum inter se numquam attenditur penes subsistentiam, sed tantummodò penes subiectum in quo formæ illæ subiectantur, vt patet ex definitione contrariorum: atqui duæ istæ naturæ sibi inuicem repugnantes haberent tantùm eandem numero subsistentiam; non autem idem numero subie-

VIII.

I. ctum, quia (sicut in Christo Domino) manerent integræ, inconfusæ, impermixtæ, neutra esset subiectum differentiarum & proprietatum sibi inuicem repugnantium: nam forma viuentis inesset tantùm naturæ viuenti assumptæ & non cadaueri assumpto, similiter & eius proprietas, item forma leonis inesset materiæ leoninæ, & sic de alijs.

Secundum dubium est. An si vna ex personis diuinis assumeret duas naturas diuersæ speciei, tunc communicatio idiomatum daretur inter illas: id est, an proprietates vnius naturæ attribuerentur alteri, provt enunciantur in concreto propter identitatem suppositi, sicut infrà docebimus fieri in Christo Domino.

Respondetur, tunc fore communicationem idiomatum, contra Caiet. & Greg. à Valentia ad II. art. 7. huius quæst. contra quos probatur nostra sententia, euerso hoc eorum fundamento *communicatio idiomatum præcisè consistit in eo, quod in Christo Domino vna natura sit idem regliter cum supposito Verbi*: quod est falsum; hæc enim præcisè consistit in eo, quòd duæ naturæ per vnicam tantùm subsistentiam terminentur. Vnde quia nomina significantia naturam *in concreto* supponunt *pro ipsa persona*, secundùm Dialecticos, fit vt quòd tribuitur supposito sustentanti vnam naturam, eidem tribuatur provt sustentat & alteram, vt etiam ipsemet à Valentia puncto 3. quæst. 2. fatetur: atqui in præsenti casu ambæ naturæ assumptæ communicarent in vna & eadem diuina subsistentia: ergo daretur inter illas communicatio idiomatum.

Tertium dubium est. An in hypothesi nostræ propositionis creatæ illę naturæ ita inter se contungerentur, sicut vnirentur cum diuina natura. III. Respondetur negatiuè, quia naturæ illæ ita vnirentur in vna & eadem diuina personalitate, vt nullam tamen inter se haberent in aliquo sibi realiter indistincto identitatem, sed semper ad se inuicem comparatæ remanerent totis seipsis distinctæ: at nunc in mysterio Incarnationis humana natura vnitur diuinæ, indistinctæ realiter à personalitate Verbi, & nihilominùs quemadmodum nunc diuina natura & humana, ratione vnius & eiusdem personalitatis quam de facto habent, prædicantur in concreto de se inuicem substantialiter; ita & in casu nostræ propositionis omnes illæ naturæ eandem personalitatem de facto habentes, etiam prædicarentur in concreto de se inuicem substantialiter. Nam prædicatio est talis, qualis est vnio prædicati IV. cum subiecto: at in casu nostræ propositionis, hæc vnio plurium etiam specie differentium naturarum esset substantialis, quia fieret in personalitate: ergo & prædicatio tunc esset substantialis.

Quartum & vltimum dubium est. An in tali casu quo vna ex diuinis personis assumeret plures humanitates, esset vnus tantùm homo, vel plures. Variant auctores. Scotus 3. sententiarum, & nonnulli alij existimant in tali casu fore plures homines, quia ad pluralitatem sufficit multitudo & diuisio, quæ in præsenti hypothesi reperitur, cùm plures humanitates dentur realiter inter se distinctę, rectèque dicamus Deum esse tres personas. Sed melior est S. Thomæ sententia hac quæst. art. 7. in solutione ad 2. & Feriarensis lib. 4. contra Gentes cap. 11. scilicet in tali casu vnum tantùm fore hominem, ideóque nonnulli putant S. Thom. hoc loco reuocasse contrariam sententiam, cui primâ parte videtur fauisse quæst. 39. ratio autem huius nostræ responsionis est superiùs allata, scilicet quod ad multiplicationem nominis substantiui, præter multiplicationem formæ per illud significatæ, multiplicatio etiam suppositorum requiratur: at in præsenti casu multiplicatio formæ datur, sed sine multiplicatione suppositorum, vt per se constat. Cuius regulæ ratio traditur primâ parte, ad quæst. 39. Vnde potest repeti & præsenti difficultati facilè applicari. V.

Fundamentum autem Scoti tantùm probat tale constitutum posse dici plures homines *secundum quid*, quatenus ad hoc vt aliqua sint *vnum sub aliqua ratione, seu secundum quid*, sufficit, quòd sub tali ratione vniantur: vt autem sint plura requiritur, *vt absolutè & simpliciter diuidantur*, VI. quemadmodum & communis modus loquendi indicat; si enim vnus & idem homo plures artes vel scientias nouerit, non dicitur esse plures artifices, vel plures Doctores, sed vnus tantùm, plures tamen habens artes vel scientias.

AD IV. QVÆSTIONEM
De modo vnionis ex parte naturæ assumptæ.

DISPVTATIO I.

De naturis seu rebus creatis quæ possunt hypostaticè assumi ab aliqua persona diuina. VII.

Articvlvs Primvs.

Vtrùm quælibet perfecta creatura rationalis possit assumi hypostaticè ab aliqua persona diuina.

PRÆCEDENTI quæstione conditiones ad vnionem hypostaticam ex parte personæ assumentis necessarias expendimus, nunc præsenti conditiones ex parte naturæ assumptæ requisitas. Est itaque primò notandum, *per creaturam perfectam* hìc tantùm intelligi *totalem naturam substantialem* provt distinguitur à partiali, de qua paulò pòst dicemus. Notandum secundò ex S. Thoma, hìc art. 1. tam in corpore quàm in solutione ad 3. duplicem posse distingui *assumptibilitatem* in aliqua natura creata: vna est secundùm *puram obedientialem potentiam præcisè consideratam*, scilicet sistendo solùm in ipsa non repugnantia naturæ vt possit assumi: altera est quidem secundùm potentiam obedientialem naturæ creatæ quæ assumitur, sed præter illam vt præsuppositam, aliqua congruentia datur tenens se ex parte illius naturæ, quæ moueat Deum, vt illam assumat, vndead distinctionem prioris rectè potest appellari *assumptibilitas secundùm congruentiam*. Notandum tertiò, hanc posteriorem assumptibilitatem adhuc subdiuidi *in assumptibilitatem congruentiæ purè & simpliciter, & in assumptibilitatem congruentiæ quidem, sed quæ simul sit indigentiæ & ne-* VIII.

I. *cessitatis* : prior, quam S. Thomas hîc vocat *assumptibilitatem congruentiæ secundùm dignitatem naturæ*, consistit in eo, quod natura quæ assumitur, sit apta coniungi Deo per cognitionem & amorem; sed, vt loquitur S. Thomas, *Nata est attingere aliqualiter diuinam personam assumentem per suam operationem, scilicet cognoscendo & amando illam.* Posterior ea est qua natura creata vltra primam illam congruentiam habet, quòd indiget vt assumatur à Deo, ne tota pereat. Vnde vocatur hîc à sancto Thoma *secundùm dignitatem & indigentiam simul.* His ita prænotatis,

Conuenit inter omnes Scholast. primâ *assumptibilitatem congruentiæ dignitatis naturæ*, solùm reperiri in natura Angelica & humana, quia solæ illæ sunt capaces intellectionis & amoris per intellectum & voluntatem eliciti. Deinde inter

II. illos conuenit, assumptibilitatem *secundùm dignitatem naturæ & indigentiam simul* solùm reperiri in natura humana, quia hæc quoad omnia sua indiuidua descendentia à primo parente per viam seminalem (si modò excepteris beatissimam Virginem Deiparam) tota periit, vt docet ipsa fides: at ex tota natura Angelica aliquot indiuidua & non omnia perierunt: sicque constat ambas illas cõditiones simul tantùm reperiri in sola natura humana, ideóque solam illam esse hoc modo assumptibilem ab aliqua ex personis diuinis. Restat igitur tantùm difficultas de prima illa assumptibilitate secundùm *puram obedientialem potentiam*, & de prima illa quam vocauimus *secundùm congruentiam puram.*

Albertus Magnus lib. 3. sentent. distinct. 1. art. 2. existimat solam humanam naturam esse hoc modo assumptibilem, Angelicam verò mi-

III. nimè.

Communis tamen sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, affirmat *naturam Angelicam esse etiam assumptibilem*: est S. Thomæ hîc articulo primo in solutione ad tertium, & omnium eius Interpretum, item reliquorum Scholasticorum lib. 3. sentent. dist. 2. Probatur primò auctoritate sancti Pauli capite 2. ad Hebræos, ita dicentis, *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*: id est naturam Angelicam sibi non vniuit hypostaticè, sed humanam tantùm descendentem ex Abraham. Quo loci Apostolus supponit Deum potuisse assumere aliquam naturam Angelicam, aliàs enim id frustrà diceret, cùm ibi loco magni beneficij & singularis erga nos amoris, reputet humanam naturam fuisse in hoc prælatam naturæ Angelicæ, quale beneficium non fuisset

IV. si natura Angelica esset inassumptibilis. Secundò probatur ratione: primâ, vbi est distinctio suppositi à natura, Deus potest naturam assumere impediendo ne suppositum resultet, vel faciendo illud desinere, vt patet in humanitate Christi Domini: atqui in Angelo est distinctio ex natura rei inter propriam eius naturam & suppositum proprium, quemadmodum ostendimus ad secundam quæstionẽ huius partis, agendo de formali ratione subsistẽtiæ creatæ: ergo Deus potest assumere naturam Angelicam. Tertiò, eadẽ est cõditio naturæ Angelicæ & animæ rationalis quoad assumptibilitatem, quia ambæ sunt substantiæ spirituales, ambæ subsistentes extra cor-

A pus: at anima etiam posita extra corpus est assumptibilis, quia de facto fuit vnita hypostaticè in triduo mortis Christi Domini: ergo & natura Angelica est assumptibilis, & in illa assumpta posset mereri gratiam & gloriam Angelis qui perierunt, sicut de facto nobis promeruit. Nam vt docet communior opinio Theologorum primâ parte quæst. 64. mali Angeli non sunt absolutè & simpliciter irreuocabiles à sua malitia, quatenus possunt, si Deus illis dare vellet, accipere gratiam excitantem, eique respondere, & adiuuantem eique cooperari quemadmodum & nos: ergo tunc etiam illis prodesset & eiusmodi assumptio. V.

Articvlvs II.

Obiectiones soluuntur.

B ALBERTVS obiicit primò: ea tantùm natura est assumptibilis, quæ habet subsistentiam à se ipsa distinctam & separabilem: atqui in Angelo subsistentia seu personalitas est omnimodè idem cum sua natura. Respondetur, patere solutionem ad hanc obiectionem ex primâ nostra ratione. VI.

Secundò obiicit, vt aliqua natura sit assumptibilis, debet esse in potentia ad actum; at substantia Angeli non est in potentia ad actum subsistentiæ, quia simul existit & subsistit, nec vnum habet sine alio, sed vtrumque simul & semel.

Respondetur, Deum posse assumere naturam Angelicam duobus modis, quorum primus est *creando de nouo* singulatem aliquam naturam Angelicam, & *impediendo* ne propria eius personalitas resultet, eiúsque loco vniendo ei diuinam

C aliquam subsistentiam, sicut factum in humani- VII.
tate Christi Domini, quemadmodum explicat S. Thomas hîc art. 1. in responsione ad tertium. Secundus modus est, *desinendo conseruare subsistentiam* particularis alicuius Angeli iam creati, & ad eius subsistentiæ desitionem coniungendo Angelicæ eius naturæ aliquam personalitatem diuinam, quæ destructio subsistentiæ non esset dicenda *annihilatio*, sicut nec destructio substantiæ panis & vini in transubstantiatione, cùm non tenderet in nihilum, sed in diuinam personalitatem, talisque mutatio esset substantialis, quia actio semper specificatur à suo termino, & terminus per istam desitionem subsistentiæ & vnitionem naturæ Angelicæ ad aliquam personalitatem diuinam esset aliquid substantiale, quemadmodum in mysterio Incarnationis, vt suprà obseruauimus: & licèt Angelus eodem momen-

D to existat & subsistat, nec prius in aliquo instan- VIII.
ti existat in potentia ad actum subsistentiæ ad quem alio instanti temporis transeat, nihilominùs *existit prius natura quàm subsistat*, & sic in isto priori naturæ *est in potentia ad subsistentiam propriam*, quam Deus potest impedire ne dimanet à sua natura, vt explicatum est. Tandem obiicit hanc assumptionem nihil profuturam Angelis: respondetur, istud esse falsum. Nam persona diuina potuisset in tali natura assumpta & per illam promereri gratiam & gloriam aliis Angelis, qui perierunt, sicut Christus Dominus de facto nobis promeruit, vt probat vltima nostra ratio.

I.

Articvlvs III.

Vtrùm quælibet perfecta creatura irrationalis siue sensibilis, siue sensus expers, possit diuina virtute assumi ab aliqua diuina persona.

PRÆSENS difficultas intelligitur de assumptibilitate secundùm puram obedientialem potentiam præcisè consideratam. Duæ autem sunt de ea sententiæ: prior negans Carthusiani in 3. sent. dist. 1. q. 2. quæ etiã à nonnullis tribuitur Henrico Gandauensi quodlib. 13. quæst. 5. dicenti ibi hanc negantem esse fortè veriorem affirmante, quámque etiam Picus Mirandulanus defendit in Apologia pro nongentis conclusionibus in defensione quartæ conclusionis.

II. Posterior sententia est communis omnium fere Scholasticorum tam hîc quàm 3. sententiarum dist. 1. quam loco propositionis ponimus, *affirmans*, quæ probatur primò, ex eo quòd multi hæretici existimauerunt Verbum diuinum assumpsisse de facto corpus tantùm æthereum, vt Valentiniani & Gnostici apud S. Irenæum: alij solum corpus, & nullomodò animam, vt Apollinaris. Qui tamen hæretici non refelluntur à Patribus ob impossibilitatem, quasi Verbum non potuerit assumere vel corpus aliquod solummodò æthereum vel terrenum non assumendo animam, quinimò Tertullianus libro de carne Christi Domini cap. 4. ait expresè Verbum diuinum potuisse prodire de vacca aut sue si voluisset, itavt hoc tantùm sit turpe & indignum Deo, si de nostro sensu iudicemus Deum, & non

III. ex rei veritate: S. item Augustinus libro de vera Religione cap. 16. dicat Verbum diuinum potuisse assumere aliquod corpus ætthereum nostro visui accommodatum: item S. Gregorius Nyssenus oratione catechistica cap. 27. dicat omnes naturas esse eiusdem rationis quoad assumptionem, & differentiã vnius ab alia nullius esse momenti in ordine ad diuinam omnipotentiam. Secundò nostra conclusio probatur ratione: primâ, quicquid in rebus creatis est capax subsistentiæ à seipso distinctæ ex natura rei, illud idem est, per absolutam potentiam Dei, capax vnionis hypostaticę, quæ terminetur ad aliquam personã ex diuinis: atqui quælibet perfecta creatura irrationalis tam sensus expers, quàm particeps sensus, est capax subsistentiæ distinctæ ex natura rei à se ipsa: igitur & quælibet perfecta creatura tã sensus

IV. expers quàm particeps sensus, est per absolutam Dei potentiam capax vnionis hypostaticæ terminatæ ad aliquam personam ex diuinis. Maior probatur: Vnio hypostatica consistit in eo, quòd natura assumpta habens inclinationem ad propriam suam subsistentiam impediatur habere illam, eiúsque loco aliena subsistentia substituatur, per quam vltimò terminetur & reddatur subsistens, vt patet in præsenti mysterio Incarnationis, & ex dictis ad secundam quæstionem suprà: aliqua autem creatura non potest dici habere inclinationem naturalem ad propriam subsistentiam, nisi sit capax illius, quemadmodum patet ex dictis suprà circa definitionem personæ. Nec item potest impediri habere propriam subsistentiam & aliena substitui loco illius, nisi hæc eius propria subsistentia distinguatur plusquam simplici ratione ab illa, talisque subsistantia

A possit esse in rerum natura sine illa, sicque distinguatur ab ea saltem ex natura rei, vt hic substantia assumpta, & aliena subsistentia sint simul & coniungantur inter se: ergo eo ipso quo aliquid in rebus creatis est capax subsistentiæ, distinctæ à se ipso ex natura rei, est etiam capax vnionis hypostaticæ. V.

Minor verò probatur, quælibet res est capax proprij sui modi: sed quælibet perfecta creatura tam insensibilis, quàm sensibilis, est subsistantia, vt per se patet, & subsistentia est proprius modus subsistantiæ, sicut inhærentia est proprius modus accidentis, vt omnes Philosophi & Theologi docent: igitur quælibet perfecta creatura tam insensibilis, quàm sensibilis est capax subsistentiæ, & ex consequenti vnionis hypostaticæ.

Secunda ratio pro nostra propositione est, à

B facto ad posse valet consequentia: sed corpus Christi Domini in triduo erat substantia creata irrationalis, quippe erat inanimatum, & tamen de facto vnitum hypostaticè Verbo diuino, quod enim Verbum semel assumpsit nunquam dimisit: similiter sanguis est aliquid verè & propriè inanimatum, vt omnes Philosophi & Medici communiter docent, & tamen in Christo Domino sanguis eius fuit vnitus hypostaticè Verbo diuino, seu fuit assumptus à Verbo diuino, vt ostendemus infrà: igitur quælibet creatura irrationalis, siue insensibilis siue sensibilis, potest assumi ab aliqua ex personis diuinis. VI.

Neque huic rationi satisfacit, quòd Gandauensis suprà respondet disparem esse rationem corporis Christi Domini in triduo, & aliarum substantiarum irrationalium: quod corpus humanum ordinetur ad animam vt *perfectibile ad perfectionem, & in quo*, vt ipse loquitur, *anima suam operationem intellectualem perfectius operatur*, ideòque ratione istius ordinis ad animam, cui erat breui reuniendum, cùm anima Christi Domini esset de facto vnita hypostaticè Verbo diuino, simul etiam & ipsum eius corpus in triduo mansisse eidem Verbo diuino vnitum. Hoc, inquam, non satisfacit; primò, quia capacitas quæ est in creatura vt possit assumi, non fundatur in ordine quem dicit ad animam rationalem, quin potius ordo ille præsupponit istam capacitatem: nam hæc capacitas præcisè fundatur in eo quod *sit substantia* cui, pro ea ratione, qua est substantia creata, subsistentia, tanquam modus eius intrinsecus, debetur: prius autem est aliquid esse substantiam quàm esse corpus aptum informari anima rationali: ergo formalis & præcisa ratio, qua Christi Domini corpus fuit in triduo mortis Christi Domini vnitum hypostaticè Verbo diuino, non est quòd diceret ordinem ad animam rationalem vt illi reuniendam breui. Deinde assumptibilitas creaturæ non fundatur in aliqua ordinatione Dei, sed in non repugnantia creaturæ, ad subsistendum aliqua diuina subsistentia: atqui ordo ille, quem corpus Christi Domini dicebat in triduo ad animam rationalem, fundabatur tantùm in ipsa ordinatione Dei, qua statuerat Christum Dominum resurrecturũ tertia die: tandem quod Deus potuit pro triduo, illud idem potest pro longiori & longiori tempore, vbi res intrinsecè spectata, non dicit etiam intrinsecè breuem vel aliam similem durationem temporis: atqui Verbum diuinum ter-

C VII.

D VIII.

minauit

I. minauit hypostaticè de facto corpus Christi Domini inanime durante triduo mortis eius, & hæc terminatio secundùm se spectata, non includit intrinsecè breuem vel aliam similem durationem temporis, quia hæc terminatio est aliquid absolutum à tempore, loquendo simpliciter & absolutè, & licèt quantum pertinet ad aliquam specialem decentiam, vel ad aliquem specialem finem intentum à Deo per mysterium Incarnationis, assumptio corporis humani fuerit facta per ordinem ad animam, vt infrà explicabitur: attamen omissio finis istius specialis non efficit vt corpus aliquod, quatenus est omnino inanimatum, & carens omni ordine ad animam tanquam formam, sit incapax vnionis hypostaticæ, quia priùs est aliquid esse in seipso & secundum se aptum assumi, quàm de facto ad talem & talem finem in particulari, assumi.

II.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM, illud tantùm est capax vnionis hypostaticæ, quod est capax visionis beatificæ, quia operari sequitur esse, & ipsum *esse*, est propter operari: atqui nulla natura irrationalis est capax visionis beatificæ, quia non est capax intellectionis & volitionis; igitur nec vnionis hypostaticæ.

Confirmatur, quod non potest minus, non potest etiam maius: sed vnio per gratiam sanctificantem, vel etiam per visionem beatificam cum Deo, est aliquid minus vnione hypostaticâ, vt ostendimus præcedenti quæstione secundâ; & vnio per gratiam, vel visionem beatificam, non potest competere creaturæ irrationali, vt iam probatum est. Igitur neque vnio hypostatica poterit competere creaturæ irrationali.

III.

Respondetur, negando Maiorem, & ratio est: quia plura requiruntur ad visionem beatificam ex parte naturæ, quàm ad vnionem hypostaticã: ad hanc enim sola capacitas ad subsistendum, quæ inest substantiæ quatenus est substantia, requiritur: Illa verò, quia est vitalis actio consistens formaliter in cognitione, præter gradum spiritalis substantiæ in proprio subiecto postulat simpliciter & absolute intellectum, tanquam vitale principium. quare cùm intellectus non conueniat omni & cuilibet substantiæ, fit vt quælibet substantia possit hypostatice vniri alicui ex personis diuinis, quæ tamen substantia non potest, etiam de absoluta Dei potentia, actum beatificæ visionis elicere.

IV.

Ad Confirmationem fundatam in isto axiomate *operari sequitur esse*, respondetur illud tantùm intelligi de propria operatione alicuius rei, ita vt sensus illius sit, quicumque habet talem formã, debet habere, aut potest habere operationem, quæ vel formaliter, vel efficienter, aut elicitiuè producitur à tali forma tanquam à proprio suo principio, quâ ratione nihil iuuat argumentum partis contrariæ. Nam vnio hypostatica non est aliquod principium vel efficiens, vel formale, vel elicitiuum visionis beatificæ, aliàs cùm vnio hypostatica reperiatur in solo Christo, solus etiam Christus esset beatus, quod est contra fidẽ; & vnionem hypostaticam non esse aliquod principium producendi aliquid efficienter, ostendimus suprà.

Neque his etiam obstat quòd vnio hypostatica sit perfectior vnione beatificâ: nam istud, *quod non potest minus, non potest etiam maius*, est tantùm verum de bonis & effectibus intra eamdem speciem & ordinem contentis, vt facilè intelligitur: etenim pulchritudo spiritalis est perfectior pulchritudine corporali, non tamen quicquid dat pulchritudinem spiritalem, dat & corporalem, quemadmodum videre est in Angelis.

A

V.

Secundum est; quod est incapax personalitatis, est incapax vnionis hypostaticæ cum aliqua persona diuina: sed quælibet creatura irrationalis, est incapax personalitatis, quia personalitas est tantùm naturæ rationalis seu etiã intellectualis: igitur quælibet creatura irrationalis est incapax quę assumatur hypostaticè ab aliqua ex personis diuinis.

Respondetur nos concedere naturas irrationales non esse capaces subsistentiæ quæ propriè appelletur *personalitas*, ac proinde naturas irrationales assumptas hypostaticè, non fore *personas*, quia non sunt naturæ intellectuales, quarum sola subsistentia appellatur *personalitas* ob dignitatem naturæ: nihilominus quia subsistentia latius patet personalitate, & conuenit omnibus completis substantiis cuiuscumque sint conditionis, erunt etiam quælibet substantiæ irrationales completæ, capaces vnionis hypostaticæ, cum hæc attendatur non *penes dignitatem naturæ assumptæ*, sed præcisè *penes communicationem actuum subsistentiæ* factã creaturæ; quâ suppletur eius subsistentia creata.

VI.

B

Tertium est: ea tantùm creatura est capax vnionis hypostaticæ cum aliqua diuina persona, quæ est capax sanctitatis, quia talis vnio sanctificat necessariò naturam assumptam: sed nulla substantia irrationalis est capax sanctitatis: ergo nec capax vnionis hypostaticæ cum aliqua persona diuina.

VII.

Confirmatur, si aliqua ex personis diuinis posset assumere aliquam naturam absque gratia sanctificante, etiam posset aliquam peccato infectam assumere: at hoc est absurdum & Deo indignum. Igitur sicut nulla ex personis diuinis potest assumere hypostaticè naturam aliquam sine gratia sanctificante; sic etiam non poterit assumere hypostaticè naturam aliquam irrationalem.

C

Respondetur duplicem distingui sanctitatem, vnam consistere *in gratia habituali*, per quem homo est formaliter iustus & gratus Deo: aliam esse quæ tantùm cõsistit *in intima, eáque singulari vnione, præsentia, vel habitudine ad aliquam personam diuinam*. Iam prior sanctificatio tantùm sequitur ad vnionem hypostaticam quando natura assumpta est capax illius, & proinde cùm sola creatura intellectualis sit capax istius sanctitatis, sola etiam illa assumpta, habet illam: creatura verò irrationalis etiam assumpta hypostaticè ab aliqua persona diuina haberet tantum posteriorem, sicut corpus Christi Domini in triduo mortis illam retinuit, iuxta quam vocatur *Sanctum* Psalm. 15. *non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Id est, non patieris corpus sanctificatum; per quod & alij sunt sanctificandi, corrumpi, vt explicat S. August. ad illum locum Psalmistæ: quem locum esse intelligendum de corpore Christi Dominiin triduo, patet ex cap. 13. Actuum.

D

VIII.

Ad confirmationem negatur Maior, quia eo ipso quo aliqua natura infecta peccato assumeretur, statim sanctificaretur sanctitate sibi propria consequente vnionem in tali natura, nec proinde assumeret eam existentem in peccato, quemadmodum fusiùs ostendemus infrà agendo de impeccabilitate Christi Domini.

Quartum & vltimum: si naturæ irrationales possent assumi hypostaticè, multa absurda & in-

I. digna dicerentur de Deo per communicationem idiomatum; exempli gratia, Deus est lapis, Deus est brutum; & contrà, lapis est Deus, brutum est Deus, & id genus quàm plurima quæ etiam relatu sunt indigna. Vnde cùm repugnet Deum facere quod est absurdum, vel indecorum, non potest aliqua natura insensibilis assumi hypostaticè ab aliqua ex personis diuinis.

Respondetur. Gandauensis quodlibeto 13. quæst. quinta, in responsione ad tertium, rectè notat has & similes absurditates non esse alicuius momenti pro infirmanda nostra propositione, nisi apud rudes, qui ex deuotione quam habent ad dignitatem Christi Domini, & diuinarum personalitatum, vel etiam diuinæ essentiæ, negant nostram sententiam. *Propter simile enim* (inquit ille) *aliqui rudes posuerunt, quod si mus acciperet hostiam consecratam ad comedendum illam, vel si proyceretur in locum immundum, statim desineret esse ibi corpus Christi Domini, quia indignum esset ei, esse sub hostia sic tractata, quod tamen non est verum.* Igitur ad vlt. argumentum respondetur, tunc futuram communicationem idiomatum: indecentiâ autem quæ tunc dicitur futura, non facit aliquam indignitatem in Deo, quia natura assumpta, ratione cuius eiusmodi prædicationes fiunt, non informat vel personam diuinam, vel eius naturam: & quemadmodum licèt Deus sit in omnibus rebus etiam vilissimis & turpissimis per suam essentiam, vt docent Theologi prima parte, in illis tamen existens nullomodò inficitur: pari etiam modo licèt natura irrationalis esset vnita hypostaticè alicui ex personis diuinis, nullam in illa efficeret indignitatem; sed prædictæ enunciationes solummodò ostendunt non tantam repertiri

III. congruitatem & *conuenientiam secundum dignitatem naturæ* in natura irrationali vt assumatur, quanta reperitur in intellectuali: vnde Scholastici hic & cit. loco lib. tertij sententiarum rectè monent abstinendum esse ab eiusmodi propositionibus & enunciationibus, quæ positâ tali vnione hypostaticâ possent fieri per communicationem idiomatum, ne pias aures offendamus; sicut licèt Deus per suam essentiam sit in rebus etiam sordidissimis, eas tamen non solemus nominare.

Est autem hîc obseruandum, aliam esse radicem *impossibilitatis* considerando illam in rigore, & aliam ipsius *indecentiæ*: priorem peti ex parte ipsius rei, seu ex eo quòd prædicatum habeat repugnantiam vt coniungatur cum subiecto: posteriorem desumi ex fine intento, quatenus scilicet nullus finis potest assignari conueniens huius & istius rei faciendæ; & voluntas

IV. debet tantùm velle quod est conueniens: hinc licèt assumptio infimæ alicuius naturæ irrationalis considerata solitariè, non videatur decere Deum; attamen non desunt Deo rationes quibus talis assumptio possit honestari, & sic reddi conueniens: nam per se videtur indecens *Deum concipi, nasci, esurire, sitire, mori, suspendi inter duos latrones*, quæ tamen omnia ob grauissimas causas & bonum nostræ salutis quam decentissimè peracta sunt, & promde cùm in istis eiusmodi subſtantiis insensibilibus nulla radix impossibilitatis appareat, sed eadem non repugnantia quæ in creatura intellectuali, & aliunde Deus possit earum assumptionem honestare aliquâ conuenienti ratione, fit vt absolutè & simpliciter sit dicendum Deum posse quamlibet subſtantiam creatam, siue insensibilem, siue sensibilem, hypostaticè assumere. V.

ARTICVLVS V.

Vtrùm partes naturæ creatæ, siue subſtantiales & essentiales, siue integrames, possint virtute diuinâ assumi ab aliqua ex personis diuinis.

NOTANDVM est partes istas posse duobus modis spectari. Primò, vt sunt inter se vnitæ, seu prout de facto componunt totum. Secundò, vt seorsim positæ, & extra totum. De his vtrisque partibus sub hac vtraque consideratione hîc est disputatio.

II. Notandum secundò ex dictis suprà ad quæst. 2. sumendo nomen subſistentiæ in stricta significatione iuxta definitionem eius ibi explicatam, illam esse solummodò totalem modum totalis seu completæ naturæ, & partes separatas, loquendo propriè, non habere subſistentias, sed tantùm sumendo impropriè nomen subſistentiæ pro aliquo modo subſtantiali, qui est pars totalis subſistentiæ, quo talis pars subſtantiæ redditur apta constituere completam aliquam subſtantiam, qui modus minùs propriè appellatur subſistentia partialis, seu melius aliqua pars subſistentiæ totalis, pro qua significatione subſistentiæ S. Thomas videri potest prima parte, quæstione 75. articulo secundo in solutione ad primum & secundum. His ita præmissis sit VI.

Prima propositio. *Sumpto nomine subſistentiæ secundùm propriam & præcisam suam rationem,* VII.
III. C *vna pars siue essentialis, siue subſtantialis, siue integrans, non potest assumi hypostaticè ab aliqua ex personis diuinis toto non assumpto, seu non assumptis aliis partibus ipsum totum componentibus, siue existant in composito, siue sint extra illud.* Probatur: illud tantum potest assumi hypostaticè, loquendo in rigore, quòd est capax subſistentiæ. At partes quatenus partes non sunt capaces subſistentiæ, loquendo propriè, cùm, vt sic, sint aliquid incompletum, & partes tam essentiales quàm integrantes, siue in toto, siue extra totum, maneant semper partes: nam sub hac ratione considerantur hîc à nobis: igitur loquendo propriè partes eiusmodi quouis modo spectatæ, non possunt assumi seorsim ab aliqua ex personis diuinis.

IV. Secunda propositio. *Sumendo nomen subſistentiæ minùs propriè pro subſtantiali modo quo pars* VIII.
D *aliqua naturæ, siue essentialis, siue subſtantialis, siue integrans, redditur apta constituere subſtantiam completam, qualibet eiusmodi pars, siue in toto, siue extra totum potest assumi hypostaticè ab aliqua ex personis diuinis, absque eo quod aliæ eius partes assumantur.* Et primùm quòd pars separata à toto possit assumi hypostaticè probatur, à facto ad posse valet consequentia: atqui in triduo mortis Christi D. partes subſtantiales humanitatis fuerunt à se inuicem realiter separatæ, & nihilominus vnitæ hypostaticè Verbo diuino, *quod* enim *semel assumpsit, numquam dimisit:* deinde, vt infrà videbimus, partes humanitatis priùs ordine naturæ, sunt à Verbo assumptæ, quàm vnitæ inter se: ergo aliqua ex personis diuinis posset vnam ex illis assumere sine alia.

I. Idem patet de partibus vt existentibus in toto, nulla enim maior est repugnantia, vt illæ existentes in toto assumantur, aliis etiam compartibus non assumptis, quàm quando sunt seorsim: nam Deus, subtrahendo suum concursum, potest facere, vt desinat modus ille subsistentialis qui inest vni parti siue substantiali, siue integranti, & quo talis pars completur, eique substituere vnam ex diuinis subsistentiis, quo hæc pars compleatur in tali esse substantiali, fiátque apta inesse toti, quod sumptum formaliter est illud ipsum quod hæc pars substantialis habet seu accipit à modo illo substantiali, qui est pars subsistentiæ totalis: ergo quælibet pars siue substantialis, siue integrans inexistens suo toti potest hypostaticè assumi ab aliqua ex personis diuinis non assumente reliquas eius partes.

II. Dices primò. Repugnat Deum supplere vicè alicuius partis, quia oporteret Deum esse partem, & pars vt pars, cùm sit aliquid incompletum, sonat imperfectionem: nulla autem imperfectio cadit in Deum vel eius personas: atqui modus iste substantialis est solummodò pars aliqua totalis subsistentiæ, vt suprà docuimus: igitur repugnat Deum per aliquam ex diuinis personalitatibus supplere hunc modum, & proinde sic assumere hypostaticè aliquam partem, siue essentialem, siue integrantem alicuius perfectæ naturæ, siue existentem in suo toto, siue existentem extra illud.

Concessa Maiore ad Minorem respondetur, hunc modum posse duobus modis considerari: primò, quatenus cum alio simili modo componit, vel integrat vnam totalem subsistentiam totalis naturæ: deinde quatenus naturam illam partialem, quam afficit, constituit proximè aptam vt inexistat suo toti, & cum altera sua comparte illud componat, cui inexistere erat antea solummodò remotè apta. Iam si modus ille spectetur secundùm priorem rationem, non potest suppleri ab aliqua ex diuinis personalitatibus ob rationem in obiectione contentam: si verò solùm spectetur secundùm posteriorem considerationem posse suppleri ab aliqua ex diuinis personalitatibus: Nam sicut quælibet totalis substantia postulat priùs in seipsa compleri, quàm in ordine ad quodcumque aliud sibi extrinsecum, & hoc habet à sua subsistentia vel ab aliena supplente locum eius, ita etiam & quælibet partialis natura seu substantia postulat priùs compleri, vt sic, quàm cum alio componere quoddam tertium: vnde licèt per suam

IV. existentiam partialem perficiatur in ratione actualis entitatis, nihilominus tamen, quia talis ratio actualis entitatis est in speciali genere, scilicet substantiæ, illa debet in hoc eodem genere vlteriùs compleri modo substantiæ proportionato, qui proinde sit substantialis, sicque diuina aliqua personalitas sese loco huiusmodi substituens poterit illam hac ratione reddere proximè aptam, vt inexistat toti, quemadmodum videre est in anima rationali separata à corpore, vel etiam in materia aut forma aliqua materiali, quas Deus potest à se inuicem realiter separatas conseruare, & sicut in sententia illorũ qui admittunt subsistérias partiales in substãtiis partialibus, si diuina persona assumat hypostaticè vel solam materiam, vel solam formam, persona assumens non sortitur conditionem partialis subsistentiæ componentis aliquam totalem, ita nec in hypothesi nostræ propositionis. V.

Secundò obiicies. Pars illa, siue substantialis, siue integrans, assumpta ab aliqua ex personis diuinis subsistit, vel non subsistit: si primum, ergo, contra secundum notabile, ipsum subsistere competit partiali naturæ: si secundum, ergo non potest assumi, quia id tantùm est capax vnionis hypostaticæ, quod est capax subsistentiæ.

Respondetur, propriè loquendo, talem partem non subsistere, quia de ratione subsistentiæ propriè dictæ est constituere naturam ita completam, vt sit inepta inesse alteri etiam tanquam pars vt obseruat sanctus Thomas loco superiùs citato: at in præsenti casu partes eiusmodi essent adhuc aptæ inesse alteri, quatenus cum aliquo alio possent vnũ per se constituere. VI. Ex his duabus nostris propositionibus possunt inter se conciliari duæ illæ Scholasticorum sententiæ, quarum vna asserit repugnare partes, siue substantiales, siue integrantes assumi hypostaticè, alia verò negat: prior enim procedit iuxta primam nostram propositionem, posterior iuxta secundam.

Cæterùm si aliqua ex personis diuinis assumeret aliquas tantùm partes siue substantiales, siue integrantes, tunc in tali casu, nec communicatio idiomatum, loquendo propriè, ibi admitteretur, nec pars illa quæ esset hypostaticè vnita diuinæ personæ, putà Filio, posset denominari etiam in concreto Filius Dei, vel Verbum diuinum, sicut licèt nunc quælibet pars humanitatis Christi Domini sit vnita hypostaticè verbo diuino, Verbi gratia, anima, VII.
C corpus, caput, manus, non potest tamen dici de anima Christi, *anima est Deus, anima est Filius Dei*: & econtrà, *Filius Dei est anima, Filius Dei est corpus, est manus*, & sic de cæteris: cuius rei hæc est ratio, quòd istæ denominationes & aliæ similes consequentes vnionem hypostaticam, competant solummodo naturis ex se & sua conditione aptis constituere totum & integrum aliquod suppositum, vel iis saltem, quæ possunt aduenire substantiæ completæ constituentis suppositum, cuiusmodi sunt accidentia: vt enim hæc communicatio & denominatio fundatur in identitate suppositi vtriusque naturæ, ita etiam vt natura assumpta possit in concreto enunciari de propria natura assumentis, vel de aliqua eius proprietate, debet ex suo genere & propria conditione ita esse completa in genere substantiæ, vt sit apta constituere suppositum aliquod integrum, aliàs fieret, vt VIII. aliquæ partes enunciarentur de toto contra communem regulam Dialecticorum: atqui in præsenti casu partes illæ naturæ, siue substantiales, siue integrantes, non sunt aptæ ex se & præcisa sua conditione constituere totum & integrum aliquod suppositum: quia quantumcumq; sint modo superius explicato terminatæ aliqua diuina subsistentia, attamen semper sunt aptæ coniungi alteri alicui, vt componant vnum totale integrum, & omnimodè completum suppositum: igitur in tali casu, propriè loquendo, communicatio idiomatum non dabitur, nec prædictæ illæ denominationes, quasi in illa fundatæ, poterunt legitimè fieri.

I.

Articvlvs VI.

Vtrùm accidens aliquod possit assumi ab aliqua ex personis diuinis.

NOTANDVM est aliquid posse duobus modis assumi hypostaticè. Primò, *immediatè*, qua ratione diximus supra personâ Verbi diuini assumpsisse humanitatem, scilicet terminando dependentiam illius immediata sui ipsius vnione ad illam. Secundò, *mediatè tantùm*, qua ratione eadé persona Verbi diuini terminando immediatè humanitatem à se assumptam terminat mediatè accidentia inexistentia humanitati.

Secundò notandum duo posse distingui in accidente. Primum est *actualis eius entitas*, secundum est, *actualis eius inhærentia in subiecto*: II. nam in Sacramento Altaris quantitas habet primum sine secundo.

Tertiò notandum accidens inhærens subiecto habere duo, vel quasi duo. Primum est, *quòd informet subiectum cui inest*, alterum est, *quòd dependentia illius terminetur à subiecto cui inest*. Iam præsens difficultas procedit tantùm de immediata vnione accidentis, non quæ fiat in ipsa natura vel existentia accidentis, vel qua persona aliqua diuina recipiat inhæsiuè aliquod accidens, cóque informetur, sicut anima rationalis informatur suis accidentibus: nam ista implicare, omnes facilè admittunt: primùm quidem ex iis omnibus, quibus suprà ostendimus vnionem non potuisse fieri in natura nec in existentia, quod amplius patebit infrà, vbi ex professo ostendemus humanitatem Christi Domini haberę propriam creatam suam existentiam distinctam ab existentia Verbi diuini. Secundùm item III. implicare patet ex eo quod *informari* dicat intrinsecè potentialitatem siue passiuam potentiam, & proinde imperfectionem, quæ nullomodo potest cadere in Deum: sed quæstio procedit tantùm de illa alia dependentia accidentis à subiecto interminari, an scilicet, quemadmodum subsistentia Verbi diuini ita immediatè vnitur humanitati existenti priùs ordine naturæ, vt terminet dependentiam eius à proprio supposito, sic etiam aliqua ex personis diuinis ita possit immediatè vniri alicui accidenti existenti extra subiectum, vt immediata illa vnione suæ personalitatis ad illud terminet illam dependentiam, quam habet à subiecto, sícque diuina illa personalitas & accidens sic vnitum constituant *aliquod vnum*, sicut personalitas IV. Verbi diuini & humanitas ab eo assumpta constituunt *vnum aliquod per se*.

Duæ sunt hac de re sententiæ, prima affirmans quam tradit Gabriel tertio sententiarum dist. 2. art. 1. & sequuntur Marcilius ibidem quæst. 3. Medina, Gregorius à Valentia, Aluares, & aliqui alij hac præsenti quæst. sancti Thomæ, præmittendo totalem terminum resultantem ex hac vnione non fore *personam*, cùm natura accidentis non sit *personabilis*, id est non sit apta habere rationem substantiæ constituentis personam, vt per se patet.

Secunda sententia, *cum quæ concludimus, est negans*, quam ex S. Thomæ interpretibus multi hac quæstione sequuntur, vt Cabrera, disputatione quinta: item ex Scoti discipulis plures, vt Maieronius tertio sententiarum, distinctione quinta, quæst. prima, Bassolis ibidem dis-

A tinctione secunda, quæst. prima, articulo secundo, de Rada in tertium sententiarum, controuersia quarta, conclusione vltima, & plures alij. Probatur, nullum accidens est capax terminari subsistentiâ propriè dictâ: ergo nec assumi hypostaticè ab aliqua ex personis diuinis: consequentia patet, quia accidens assumi hypostaticè nihil est aliud, quàm eius dependentiam terminari à subsistentia. Antecedens probatur, nihil est capax terminari modo omnimode oppositò suæ entitati, quia quod terminat alienam entitatem supplet vicem proprij eius termini, & proinde habet eumdem quasi effectum cum proprio termino illius, complétque talem entitatem in eodem genere, in quo proprius eius terminus compleret illam, quemadmodú etiam videre est in mysterio Incarnationis: atqui subsistentia propriè dicta ita est modus intrinsecus B subsistantiæ propriè dictæ, vt tamen omnimodè VI. opponatur intrinseco modo accidentis, qui est inhærentia, vt patet ex definitione personæ superiùs allata: igitur nullum accidens est capax terminari subsistentia propriè dicta. Maior confirmatur, linea n ópotest terminari superficie, nec superficies vel corpus possunt terminari punctis, quia scilicet sunt entitates ita distinctæ speciei, vt habeant rationes oppositas, quemadmodum patet ex definitionibus illarum, & in quolibet terminabili debet aliqua esse proportio habitudinis ad ipsum terminans, quæ hic nulla reperitur, cùm sint species quantitatis aliquo modo sibi oppositæ, quod idem facilè est animaduertere in aliis entitatibus.

Probatur secundò, sicut se habet inhærentia ad subsistantiam, ita subsistentia sese habet ad accidens. Nam sicut substantia & accidens diuidunt totú ens, ita subsistentia & inhærentia diuidunt totum modum existendi proprium ipsis speciebus entis: & sicut subsistentia est modus intrinsecus substantiæ, quo distinguitur ab accidente, ita & inhærentia est proprius & intrinsecus modus ipsius accidentis: & quemadmodum inhærentia in actu primo considerata est vltima differentia constitutiua accidentis: ita & subsistentia in actu primo sumpta est differentia vltima constitutiua substantiæ: ergo quæ erit ratio ipsius inhærentiæ actualis ad subsistantiam, eadem erit ratio actualis subsistentiæ ad aliquam subsistantiam: sed secundùm quamlibet potentiam Dei implicat subsistantiam verè & propriè inhærere, esse in alio tanquam in subiecto inhæsionis, quia sic deficeret à ratione intrinseca & essentiali subsistantiæ: ergo repugnat D etiam aliquod accidens propriè subsistere, quia VIII. sic deficeret à ratione accidentis: ergo repugnat etiam accidens terminari aliqua subsistentia: ergo & hypostaticè assumi ab aliqua persona diuina.

Vltimò probatur: si quæ ex personis diuinis assumeret hypostaticè aliquod accidens, iam ex tali accidente & diuina persona assumente illud aliquod vnum fieret, sicut & in mysterio Incarnationis ex humanitate & personalitate Verbi diuini, aliàs nulla esset assumptio, cùm omnis assumptio ordinetur ad aliquam vnitatem & identitatem, vt patet ex dictis ad secundam quæstionem: ergo totum illud quod ex tali vnione hypostatica personalitatis diuinæ ad aliquod accidens resultaret, esset vel *vnum aliquod per se*, *vel vnum solummodo per accidens*: non primum, quia iuxta omnes

V.

I. Philosophos ex substantia & accidente non fit aliquod vnum per se, & in præsenti hypothesi vnum componentium est substantia, scilicet diuina personalitas, & alterum accidens. Secundum item dici non potest, quia totalis terminus resultans ex vnione hypostatica debet esse *vnum aliquod per se*, illa enim vnio est talis, qualis est subsistentiæ cum propria sua substantia, vt patet ex dictis ad secundam quæstionem, & hæc ex omnibus Philosophis constituit *ens per se in genere substantiæ*, & apud Patres agentes contra Nestorium idem est, *aliquam vnionem esse hypostaticam & illam esse substantialem*, & in Concilio Chalcedonensi actio. prima, & Lateranensi primo consultatione quinta canone sexto: item in secundis Anathematismis sancti Cyrilli & epistola eius octaua, approbata per Concilium Ephesinum: igitur ex persona diuina assumente

II. aliquod accidens hypostaticè, & ex ipso accidente assumpto, non potest aliquod vnum resultare hypostaticè.

Neque huic rationi satisfacit, quòd de Petigianis in tertium sententiarum, dist. 2. quæst. 1. art. 8. in responsione ad vltim. ait, quòd scilicet, *tunc esset vnio ad vnitatem individui, vel singularis secundùm eam habitudinem, quam accidens habet ad suppositum alterius naturæ in ratione sustentati ad sustentans*: non, inquam, hoc satisfacit. Primò, quia, ex ipsomet de Petigianis ibi explicante suam sententiam, hæc vnio est tantùm *causæ efficientis cum patiente*, circa quod agitur talis vnio cum aliquo accidente, non potest vni soli personæ diuinæ competere aliis seclusis, sicut vnio hypostatica potest vni soli personæ competere, cùm omnis vera efficientia ad

III. extra sit totius Trinitatis. Deinde nulla efficientia propriè dicta potest competere subsistentiæ, quâ præcisè est subsistentia, vt suprà docuimus: ergo nec etiam talis vnio, vt sustentantis cum sustentato poterit dari inter diuinam personam & accidens.

Neque etiam dici potest vnionem hanc fore talem, qualis est ipsius individui singularis secundùm eam habitudinem, qua terminat ipsum accidens sublata informatione: quia talis vnio propriè loquendo est tantum purè & simpliciter accidentalis non per se, cùm sit ex aliquo substantiali & accidente, & talis qualis est inter subsistentiam creatam & accidens inhærens propriæ suæ substantiæ: at immediata vnio hypostatica debet esse substantialis, vt iam animaduertimus.

IV. ARTICVLVS VII.

Fundamenta contraria soluuntur.

OBICIVNT primò, nullam hîc apparere implicationem; non ex parte diuinæ personalitatis: hæc enim est tàm intimè præsens cuilibet accidenti, quàm cuilibet substantiæ, vt patet ex eius immensitate: habet præterea infinitam vim terminandi, & proinde potest seipsâ terminare quidquid in rebus creatis potest terminari, vbi illa actualis terminatio non est de intrinseco conceptu ipsius rei quæ terminatur: sic enim quia subsistentia non est de conceptu suæ substantiæ, sed aliquid posterius existentia illius, personalitas Verbi diuini potest terminare humanitatem, cámque sibi vnire hypostaticè: atqui accidens potest terminari à

A subiecto quoad dependentiam, & hæc actualis terminatio à subiecto non est de intrinseco conceptu ipsius accidentis, vt patet ex Sacramento Eucharistiæ, in quo accidens verè & propriè actu existens reperitur, nec tamen terminatur actu à subiecto. Igitur nulla est implicatio ex parte diuinæ personalitatis, quin accidens aliquod existens extra subiectum possit hypostaticè assumi ab illa. V.

Quòd item non repugnet ex parte ipsius accidentis, probatur: accidens est tam in potentia obedientiali, vt actualis eius entitas, quæ naturaliter postulat vltimò terminari quoad dependentiam à subiecto, terminetur ab aliqua subsistentia diuina, quàm humanitas sit in potentia obedientiali, vt actualis eius entitas terminetur vltimò à subsistentia Verbi diuini: B est enim accidens aliquid creatum, sicut & humanitas, & proinde cùm hæc potentia obedientialis fundetur in eo, quòd quidquid est creatum habet summam subimissionem ad Deum; est etiam accidens in pari potentia obedientiali per comparationem ad aliquam subsistentiam diuinam. VI.

Deinde, hæc actualis dependentia à subiecto est separabilis à suo accidente, vt iam obseruauimus ex Sacramento Eucharistiæ. Ergo sicut ex eo quòd subsistentia naturæ creatæ est ab illa separabilis, potest substantia creata ab illa separata assumi hypostaticè ab aliqua ex diuinis personis; ita etiam aliquod accidens, existens separatum ab omni subiecto, poterit sic hypostaticè assumi ab aliqua ex personis diuinis, vt actualis illa dependentia, quam habet à subiecto, suppleatur per diuinam illam subsistentiam sibi intimè connectam in ratione C VII. termini.

Confirmatur, personalitas diuina potest ita eleuare, & sursum ad se trahere existentiam substantiæ creatæ, vt ipsa innitatur alteri & dependeat ab alio, licèt ei non sit naturale inniti alteri, & dependere ab alio, quemadmodum patet in mysterio Incarnationis. Ergo à fortiori diuina personalitas poterit ita eleuare & sursum ad se trahere existentiam & naturam accidentis, cui est naturale inniti alteri & dependere ab alio, vt innitatur sibi diuinæ personalitati & à se dependeat in ratione vltimi termini.

Nec inde sequitur tunc accidens debere informare personam assumentem illud: nam vt obseruat Scotus libro tertio sententiarum distinctione prima, & ex illo Gabriel tertio sententiarum distinctione prima, quæstione 5. art. 1. corollario 7. & nos significauimus tertio nostro notabili, potest distingui duplex habitudo formæ ad subiectum, *vna vt informantis ad informatum*: altera, *vt posterioris naturaliter ad prius à quo dependet*, non tamquam ab aliqua causa, sed vt à terminante actualem eius existentiam, non in seipsa, sed in alio subsistente: quæ posterior habitudo potest concipi sine alia, & proinde accidens poterit concipi esse vnitum alicui tanquam termino absque eo quòd informet talem terminum sic vnitum sibi: & proinde cùm accidens non prædicetur de subiecto, nisi illud informet; in casu præsentis difficultatis, quo personalitas Verbi assumet hypostaticè albedinem, non poterit Verbum illi vnitum hypostaticè per communicationem idiomatum prædicari de albedine, nec è contrà, albedo de Verbo. D VIII.

I. Respondetur hanc repugnantiam se tenere ex eo quòd illa vis infinita terminandi, quæ est in qualibet personalitate diuina ad terminandum, non est ad quodlibet quomodocumque terminandum. sed ad terminandum in solo genere subsistentiæ : est enim vnumquodque attributum Dei, sumptum formaliter & vt virtualiter ab aliis distinctum, infinitum in suo tantùm proprio genere, non autem in quolibet alio, aliàs mera esset confusio inter singula attributa Dei, & eorum quasi effectus formales, quod nemo Theologorum admittit : at terminatio illa, qua subiectum terminat aliquod accidens, etiam informatione illius præcisâ per intellectum, est in alio genere quàm subsistentiæ, imò in genere omnino ei opposito, scilicet *vt faciente esse in alio ad modum accidentis* : deinde etiamsi ista habitudo accidentis ad subiectum penes dependentiam, *vt posterioris naturaliter ad prius* possit concipi, imò etiam dari (quod an sit verum necne non est huius loci discutere?) in accidente absque aliqua actuali informatione ipsius subiecti à quo sic dependet: nihilominus tamen illa adhuc non posset suppleri per aliquam diuinam personalitatem intimè vnitam accidenti existenti extra omne subiectum : nam hæc dependentia est eiusdem rationis (seruata tamen proportione) ac dependentia, quam forma materialis habet à materia, cui vnitur ad constituendum aliquod compositum : hæc enim forma non tantùm dicitur informare materiam, sed & ab illa dependere tanquam à sustentante: at hæc dependentia formæ materialis à materia, *vt à sustentante*, provt præscindit ab informatione, est propriè in genere causæ materialis, consistitque in eo quòd actio productiua & conseruatiua talis formæ recipiatur & sustentetur in materia, vt docent Philosophi agendo de causalitate materiæ : nulla autem diuina personalitas potest subire vicem alicuius causæ materialis sic consideratę propter imperfectionem illi intrinsecè annexam : igitur nulla etiam ex personis diuinis potest supplere hanc specialem dependentiam accidentis à suo subiecto, nec proinde poterit sibi vnire illud hypostaticè.

II. III.

Ad alteram eiusdem argumenti partem, qua accidens dicitur, tam esse in potentia obedientiali, vt terminetur à subsistentia Verbi, quàm quælibet substantia : Respondetur negando illam, cuius responsi ratio non est, quòd accidens non sit aliquid creatum, sed quòd potentia illa obedientialis quasi passiua, quæ ad hoc requiritur, debeat esse *non pura*, idest, talis esse debeat conditionis, vt id quod in se recipit aut quasi recipit, contineatur intra latitudinem obiecti, aut quasi obiecti specificatiui sui principij actiui, aut quasi actiui : cùm, vt prima nostra ratio probat, nihil sit capax terminari modo omnimodè oppositò suæ entitati : at talis potentia obedientialis *non pura*, hîc non reperitur in accidente respectu subsistentiæ cuiuscumque etiam diuinæ, est enim passiua terminatio accidentis omnimodè extra latitudinẽ *obiecti quasi specificatiui* subsistentiæ, cùm hæc respiciat solam substantiam, auersetur ipsum accidens, & substantia intrinsecè dicat ordinem ad subsistentiam, vnde subsistere continetur intra latitudinem obiecti quasi specificatiui cuiuscumque subsistentiæ, extra quod est ipsa terminatio accidentis.

IV. V.

Dices, si hæc obedientialis potentia, quæ reperitur in substantia creata, vt per alienam subsistentiam terminetur, est solummodò *non pura* : ergo aliquid debet illi superaddi, quo compleatur : nam primâ parte, quæst. 12. distinximus potentiam obedientialem *non puram à pura : quòd pura*, vt reducatur ad actum, solum imperium Dei, & applicationem causæ ad agendum postulet, *non pura verò* præter hoc vtrumque requirat aliquod, quo compleatur, vt patet in igne infernj, cuius potentia obedientialis, quia est omnino *pura*, nihil recipit, quo compleatur ad comburendum dæmones, è contrà quia intellectus creatus est in potentia obedientiali *non pura* ad Deum clarè videndum, exigit lumen gloriæ, quo virtus eius quæ tantùm erat inchoata, compleatur.

VI.

Respondetur, non esse necesse aliquid superaddi *potentiæ obedientiali quasi passiuæ* ipsius substantiæ, quia substantia, quæ terminatur aliena subsistentia, habet se merè quasi passiuè ad eiusmodi terminationem, ad quod ipsa non repugnantia & eius habitudo ad subsistendum sufficit ei; tunc enim requiritur aliquid superaddi potentiæ *obedientiali non puræ*, quando illa est actiua, quia tunc supponitur habere virtutem *inchoatam* ad producendum suum effectum, ideóque vt reddatur completa, aliquid debet ei superaddi.

Dices: ergo cùm suprà dixerimus posse absoluta Dei potentia fieri, vt aliqua subsistantia creata subsistat aliena creata subsistentia, tunc oportebit Deum aliquid superaddere tali subsistentiæ creatæ, quo compleatur in ratione principij quasi actiui facientis subsistere alienam substantiam.

VII.

Respondetur, negando id sequi, sed ei sufficere ipsum imperium Dei, & ipsius subsistentiæ applicationem à Deo factam ad id præstandum: nam prædictum discrimen habet solummodò locum *in obedientiali potentia verè & propriè actiua* : cùm enim tunc effectus producendus sit tantùm intra latitudinem *obiecti specificatiui* actiuæ potentiæ, & non intra latitudinem *obiecti eius motiui*, quod tamen requiritur vt effectus producatur de facto, talisque effectus constituatur intra latitudinem obiecti motiui, per id quod superadditur potentiæ, fit vt hæc actiua potentia obedientialis *non pura* requirat aliquid sibi superaddi, quo reddatur idonea ad proximè operandum: at vis terminatiua subsistentiæ, non est in genere causæ efficientis etiá reductiè, sed potiùs in genere causæ formalis, vt suprà docuimus. Vnde sicut formalis effectus causæ formalis nihil est aliud, quàm ipsamet actualis communicatio formæ, ita etiam ad hoc vt aliqua subsistentia creata suum quasi effectum formalem communicet alicui subsistantiæ sibi extrancæ, sufficiet efficax imperium Dei ad id cum sufficienti eius applicatione, nec hæc quasi actiua eius potentia desinet appellari *non pura*, quatenus ipsum facere subsistere, quod tunc communicat, continetur intra latitudinem obiecti eius specificatiui.

VIII.

Ad Confirmationem primi huius fundamenti; concesso antecedente, negatur consequentia, cuius negati hæc est ratio, quòd quando diuina personalitas attrahit subsistantiam alienam vt illi innitatur, iam trahit illam ad *esse in alio vt in supposito*, & *esse in supposito* est proportionatum & connaturale substantiæ : accidens verò postu-

I. lat tantùm inniti alteri, *vt subiectio inhæsionis*, omnisque alius modus inexistendi est ei oppositus, vt docuimus primâ nostrâ ratione: vnde cùm nulla substantia diuina possit esse subiectum inhæsionis, respectu alicuius accidentis, fit vt diuina personalitas, rectè possit terminare dependentiam humanitatis, non autem possit terminare dependentiam accidentis: nec obstat quòd talis terminatio non sit *naturalis* ipsi substantiæ: nam satis est quòd non sit contra eius naturam: at terminatio illa accidentis per subsistentiam, est contra ipsam naturam accidentis.

Ad id quod affertur ex Scoto ad remouendam receptionem accidentis in personalitate vt informata, respondetur, quicquid sit de distinctione istius duplicis habitudinis, hanc tamen vtramque esse *causæ materialis*, vt patet ex nostra responsione ad primum principale argu-

II. mentum: at repugnat Deum supplere causam propriè materialem. Ad id, quo negatur *tunc fore communicationem idiomatum*, respondetur, communicationem idiomatum sequi necessariò ipsam vnionem hypostaticam, quemadmodum ostendemus infrà agendo de illa, & proinde sicut nunc rectè dicimus, *Deus est homo, homo est Deus*, ita tunc deberet posse rectè dici, *Deus est accidens, & accidens est Deus*: item, *Deus est albedo, & albedo est Deus*: sumendo hoc nomen, *albedo*, in concreto: vnde cùm nixta priorem sententiam prædicatio accidentis de subiecto exigat inhæsionem, quæ hîc nulla reperitur, talis communicatio idiomatum reperiri non poterit, nec proinde aliqua vnio hypostatica.

Secundò obiiciunt: quidquid est capax alicuius modi existendi per se, & non in alio, illud

III. etiam est capax alicuius vnionis hypostaticæ: nam quia humanitas est capax subsistentiæ, qui est quidam modus existendi per se & non in alio, est capax vt assumatur hypostaticè, quemadmodum patet in mysterio Incarnationis: atqui accidens est capax alicuius modi existendi per se & non in alio, nam in Sacramento Altaris accidentia separata à suo subiecto habent secundùm plerosque Theologos aliquem modum, quo aliquâ ratione sunt in se & non in subiecto: igitur accidens est capax vnionis hypostaticæ.

Respondetur, concessâ Maiore intellectâ de modo existendi *per se positiuè in se & non in alio*, negando eius Minorem, ad cuius probationem, negatur etiam accidentia in Sacramento Altaris habere talem modum; nihil enim reale superadditur quantitati vel aliis accidentibus per

IV. transsubstantiationẽ, cuius vi & efficacia existant sine subiecto & sint in se ipsis positiuè, sed hæc tantùm mutatio fit in illis, quòd scilicet, cùm ante consecrationem Deus conseruaret duo in accidentibus, primò existentiam accidentium, deinde actualem eorum inhærentiam in subiecto, conseruat prius sine posteriori, desinendo conseruare substantiam panis & vini, cui illa prius inhærebant; quod totum est in genere causæ efficientis, aut quasi efficientis, & proinde à tota Trinitate, & non ab vna tantùm personalitate diuina, sicut assumptio ad vnitatem suppositi potest esse ab vnica tantùm persona diuina.

Addi etiam potest in sententia eorum, qui prædictum modum admittunt, illum esse *merè accidentalem*, quia secundùm illos distinguitur tantùm *modaliter* ab ipsa entitate accidentium,

A ideóque cùm id quod propriè & intrinsecè est substantiale, non possit supplere vicem terminiintrinsecè accidentalis, nulla ex diuinis personalitatibus poterit assumere hypostaticè aliquod accidens.

Vltimò obiiciunt. Illud potest assumi hypostaticè, quod potest vniri alicui in persona: atqui accidens aliquod potest vniri alicui in persona: Igitur &c. Maior videtur clara ex se; Minor probatur ex sancto Thoma hac tertiâ parte quæstione secunda, articulo secundo in corpore, ita dicente, *Omne quod inest alicui personæ, siue pertineat ad naturam eius siue non, vnitur ei in persona*: atqui accidens inest personæ Petri, exempli gratia, quia Petrus habet in seipso aliqua accidentia, & hoc accidens non pertinet ad eius naturam, vt per se patet: igitur tale accidens vnitur Petro hypostaticè: igitur, cùm ab

B actuali vnione ad possibilem consequentia valeat, accidens est capax vnionis hypostaticæ. VI.

Respondetur concessâ Maiore, negando Minorem, ad cuius probationem respõdetur, vnionem hypostaticam, prout abstrahit *ab immediata & mediata*, latis communiter à Theologis dici, *esse in persona*, & quod est assumptum latis etiam communiter dici vnitum *in persona*: quando verò sermo est de immediata tantùm vnione, vt condistincta à mediata, tunc talem vnionem dici esse factam *secundùm hypostasim, secundùm personam, secundùm subsistentiam*, vt videre est in Conciliis & Patribus superiùs citatis contra Nestorium, & nomen hoc, *vnio in persona*, item, *esse vnitum in persona*, esse relictum ad denotandam solummodò vnionem mediatam: vnde quod ait S. Thomas citato ibi loco

C procedit tantùm de sola mediata vnione hypostatica accidentis & mediata eius assumptione, de qua hîc non est difficultas. VII.

DISPVTATIO II.

De naturis integris, quas de facto Verbum diuinum assumpsit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Filius Dei assumpserit naturam humanam ab omnibus suis individuis abstractam, aut in illis omnibus existentem.

D



IT *vnica propositio negans*, quæ est communis omnium Catholicorum: probatur. Assumptio est rei existentis ad se sumptio: at natura humana abstracta ab omnibus suis individuis nullam habet veram, realem & propriè dictam existentiam, sed sola illa quæ est singularis & individua, ipsa autem vniuersalia propriè non existunt nisi beneficio singularium, vt Philosophi docent: igitur Filius Dei non assumpsit naturam humanam vniuersalem, sed singularem & individuam. Secundò probatur. Sacra Scriptura & Patres dum agunt de hoc mysterio, apertè significant illud esse singulare, seu in vnica numero humanitate peractum, ratione cuius terminus totalis resultans sit & dicatur *frater noster*:

VIII.

I. item, *nobis planè similis*, peccato & ignorantia exceptis: item passim dicunt illum, *satisfeciſſe pro nobis* omnibus, quæ omnia essent falsa, si Verbum diuinum assumpsisset hypostaticè singulas singulorum humanitates.

Neque hoc derogat nostræ redemptioni; non enim minùs sufficienter redemptio totius humani generis est facta per vnius tantùm singularis naturæ humanæ assumptionem, quàm per assumptionem singularum humanitatum: nam fructus vnionis hypostaticæ, qui est *ipsa remiſſio peccatorum, item gratia, gloria*, potest esse communis omnibus & singulis hominibus *communitate cauſalitatis*, licèt hæc vnio causans illū, non sit ei hoc sensu cōmunis, quòd sit facta cum omnibus, quin imò si Filius Dei assumpsisset singulas humanitates, tolleretur à Christo
II. Domino ratio *mediatoris & dignitas primogeniti* omnium hominum: tunc enim omnes essent inter se pares, nullus *redemptus*, nullus propriè *mediator Dei* & hominum eo modo quo est Christus Dominus, & reliqua huius mysterij beneficia, quę passim sacra Scriptura nobis commendat, tollerentur, quæ omnia sunt absurdiſſima.

Et licèt, vt rectè S. Thomas hac quæst. art. 6. notat ex S. Augustino, Filius Dei potuerit assumere aliam humanitatem, quàm ex stirpe Adam, & Christus debuerit esse quoad culpam segregatus à peccatoribus, vt habet Apostolus ad Hebræ. 7. cap. fuit tamen conueniens illum eamdem accipere specie humanitatem, quam habent ij, pro quibus satisfacturus veniebat: hoc enim facit ad commendationem *iuſtitiæ, dignitatis humanæ naturæ, & diuinæ potentiæ:*
III. *iuſtitiæ quidem*, quatenus satisfactio rigorosa fiebat in eadem specie natura, in qua primus parens & nos cum illo peccaueramus: *dignitatis* autem *humanæ naturæ*, quia sic victor nascebatur ex illo genere, quod fuerat victum per diabolum. Tandem id fuit conueniens *diuinæ potentiæ*, hæc enim relucet in eo, quòd naturam ex se & sua conditione valdè infirmam ad tantam dignitatem & virtutem promouerit.

Quæres, an non fuerit conueniens Filium Dei *assumere ipſammet ſingularem naturam Adæ*, vt sic ex eadem numero natura, quæ indigebat remedio, ipsa medicina pararetur peccato. Respondetur *negatiuè*, tùm quia non erat decens vt natura, quæ olim fuerat infecta, assumeretur: tùm etiam, quia id non poterat fieri, nisi destruendo personalitatem Adæ, cùm aliena subsistentia & propria non possint sese compati in
IV. eadem natura: at destruere personalitatem illius singularis naturæ humanæ, quam Deus primam omnium suæ speciei creauerat, non videbatur congruum.

Hæc autem humanitas singularis assumpta à Verbo, fuit potiùs ex populo Iudaïco, quàm ex quouis alio, ratione *diuinæ promiſſionis illi ſingulariter factæ*, Geneſ. 17. & 49. vnde etiam, vt obseruat S. Thomas hîc art. 6. in solutione ad 3. Deus instituit in tali populo quædam signa sanctitatis, id est, Sacramenta quæ hoc mysterium Incarnationis in lege veteri adumbrarent.

A

B

C

D

V.

VI.

VII.

VIII.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Filius Dei aſſumpſerit perſonam.

SENSVS articuli est, an Verbum diuinum assumpserit de facto humanitatem propriâ suâ personalitate subsistentem: *cuius pars negans eſt* de fide ex sacris Litteris, Concil. & Patribus superiùs relatis quæst. 2. contra Nestorium: sic enim duæ personæ de facto essent in Christo Domino, scilicet propria humanitatis, & illa Verbi diuini, quod est condemnatum in Nestorio: quibus non obstat, quòd aliqui Patrum loquendo de hoc mysterio satis frequenter dicant Verbum diuinum assumpsisse *hominem*, & quòd hic terminus, *homo*, sumptus in rigore dialectico significet *humanitatem exiſtentem in ſuppoſito*, vt S. Thomas hîc art. 3. rectè docet ex S. Damasceno. Nam Patres ibi vsurpant *concretum pro abſtracto*, ideſt, per hunc terminum, *homo*, intelligunt solummodò ipsam *humanitatem*, sic enim sunt piè exponendi, quemadmodum notat S. Thomas eodem art. in solutione ad primum: Et Ludouicus Viues non immeritò reprehenditur à Theologis, dum arguit Scholasticos existimantes hanc loquendi formulam, *Filius Dei aſſumpſit hominem*, esse impropriam suis annotationibus ad cap. 17. lib. 9. de Ciuit. Dei: hæc enim loquutio *Theologicè & Dialecticè* considerata est falsa: vnde Patres loquendo propriè eam negarunt, vt patet de sancto Felice relato à S. Thoma citat. art. 3. ex Concil. Ephesino.

Quæres, *an perſonalitas creata* sit immediatè assumptibilis: respondetur *negatiuè*, illud enim tantùm est assumptibile, quod ita potest communicari alteri, vt subsistat per illud quod ei communicatur, quemadmodum patet in mysterio Incarnationis: atqui subsistentia etiā creata est ex se & natura sua incommunicabilis alicui, vt subsistat per illud, quemadmodum patet ex eius definitione, imò subsistentia est, quæ facit subsistere substantiam: deinde si subsistentia posset assumi, iam illa non esset vltimus terminus naturæ, quia subsistentia assumens illam, esset vlterior terminus, & ipsamet subsistentia faciendo subsistere substantiam subsistit etiam seipsa, aliàs dandus esset progressus aliquis in infinitum; quod tamen omnes Philosophi reputant absurdum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſubſtantia creata terminata propria ſua ſubſiſtentia poſſit, retinendo illam, aſſumi hypoſtaticè per abſolutam potentiam Dei.

SENSVS huius articuli potest esse duplex: primus *de natura ſeu ſubſtantia à Deo poſita per reproductionem in duobus locis*, in quorum vno habeat propriam suam personalitatem, & in altero alienam. Secundus, *de eadem quidem ſubſtantia, ſed in vnico loco exiſtente*, an scilicet talis substantia retinens propriam suam subsistentiam possit simul alienam admittere. De primo sensu nulla est difficultas, *pars affirmans facilè admittitur ab omnibus*: Nam sicut idem numero Corpus Christi Domini existens in cœlo,

I. est coextensum spatio, & idem numero existens in Sacramento Altaris, non est extensum: item sicut per absolutam potentiam Dei potest fieri vt eadem numero anima vno in loco informet corpus, & in alio non informet illud: ita etiam Deus potest absolutâ suâ potentiâ facere vt eadem numero substantia existens simul in duobus locis, in vno illorũ subsistat propriâ creatâ subsistentiâ, sinendo illàm resultare ex tali substantia, provt existit in tali loco; in alio autem impedire ne resultet, vel subtrahendo suum concursum facere vt ipsa subsistentia desinat esse, & loco illius aliquam ex diuinis personalitatibus, vel etiam ex creatis substituere; tunc enim hæc substãtia creata æquiualeret duabus, & proinde quemadmodum duæ substantiæ ita possunt sese habere ad inuicem, vt vna subsistat per propriam personalitatem, & alia per alienam; sic Deus potest facere vt eadem numero

II. creata substantia, provt existit in vno loco, subsistat propriâ personalitate, & provt est constituta in alio loco subsistat tantùm subsistentiâ Verbi diuini, & ratione istius multiplicitatis virtualis quæ facit vt hæc substantia non consideretur secundùm idem & iuxta eundem planè statum, fiet vt nulla sit contradictio quòd hæc substantia simul & semel sit *in se, & in alio: in se, ratione propriæ subsistentiæ, & in alio, ratione subsistentiæ alienæ sibi hypostaticè vnitæ*, & si quæ hic reperiantur difficultates, illæ sunt eædem, ac in quæstione de existentia eiusdem numero corporis in pluribus locis, vnde solutiones illarum debent inde repeti.

Sola igitur restat difficultas de secundo sensu, pro cuius explicatione sit hæc nostra propositio. *Nulla substantia subsistens propriâ personalitate, eámque retinens, potest absolutâ Dei potentiâ assumi ab alieno supposito etiam increato.* Ita tradunt Scotus lib. 3. sent. dist. 1. quæst. 2. Durandus ibidem quæst. 3. & communiter Interpretes S. Thomæ ad secundum articulum huius quæstionis. Probatur autem primò ex Conciliis & Patribus, qui, ex eo quòd humana natura est hypostaticè vnita Verbo diuino, inferunt illam non habere propriam personalitatem, quæ consequentia nulla esset, si natura aliqua retinens propriam personalitatem, posset assumi: sic S. Cyrillus in expositione anathematismi 2. 3. 4. & 10. item Concilium Ephesin. tom. 1. cap. 2. & 14. item 5. Synodus, collatione 8. can. 3. item Agatho Papa in sua epistola, quæ habetur in 6. Synodo act. 4. & alij Patres.

IV. Quòd verò prædicta Patrum & Conciliorum consequentia esset nulla, probatur. Ideò Patres & Concilia negant naturam humanam à Verbo diuino assumptam habuisse proprium suppositum; quia hæc vnio est *substantialis*, & terminus idem resultans est *ens per se* in genere substantiæ, vt docuimus ad quæstionem secundam agendo contra Nestorium: atqui si natura humana à Verbo diuino assumpta (vel si quæ alia assumeretur) haberet, etiam per absolutam Dei potentiam, proprium suppositum, talis vnio non esset *substantialis*; nec terminus inde resultans esset *vnum per se, in genere substantiæ*; quia ex communi Philosophorum axiomate, *quidquid aduenit enti completo* (quale esset natura humana propriâ hypostasi subsistens) *facit cum eo ens per accidens*: ergo natura humana, vt à Verbo diuino assumpta, non potest habere, etiam per absolutam Dei potentiam, pro-

A prium suppositum: ergo quando Patres & Concilia negant ita esse factum in mysterio Incarnationis, significant fundamentalem rationem huius rei esse intrinsecam repugnantiam seu incompossibilitatem propriæ personalitatis in sua substantia cum aliena subsistentia seu personalitate. V.

Variant autem Theologi in assignanda legitima ratione huius incompossibilitatis: sed omissis aliorum rationibus, hæc videtur nobis sufficiens. Formalis ratio propriæ subsistentiæ, quatenùs est propria, importat in se actualem exclusionem omnis & cuiuscumque alienæ subsistentiæ à propria substantia quam de facto terminat: ergo repugnat aliquam substantiam creatam simul & semel terminari propria subsistentia & aliena; ergo & repugnat aliquam substantiam creatam retinentem propriam suam

B subsistentiam assumi hypostaticè ab aliqua aliena persona etiam diuina. Posterior consequentia patet ex se. Prior etiam, quia eo ipso quo duo ita se habent vt vnum excludat aliud, illa non possunt simul esse, quemadmodum patet in differentiis essentialibus sibi inuicem oppositis, exempli gratiâ, rationale & irrationale, & aliis id genus. Antecedens probatur, formalis ratio propriæ subsistentiæ, quatenus est propria, est, dare propriæ substantiæ incommunicabilitatem quæ ita faciat illàm esse actu in se ipsa, vt nullo modo (id est tam aptitudine proxima, quàm actu & reipsa) sit in alio à se realiter distincto, tanquam *in sustentante*, à quo vt sic dependeat, & cùm quo componat aliquod totum: subsistentiæ verò alienæ, quatenùs est aliena, ratio formalis est, dare substantiæ sibi vnitæ VI. VII.

III. C incommunicabilitatem quæ ita terminet eius dependentiam, vt tamen illam constituat in alio, *tanquam in sustentante*, seu cum aliquo alio sibi omninò extrinseco secundùm naturalem inclinationem, vt potest facilè intelligi ex dictis suprà de formali ratione subsistentiæ, & de vnione hypostatica Verbi diuini cum humanitate: ergo cùm *modus existendi in se positiuè, & non in alio* excludat *modum positiuè existendi in alio*, formalis ratio propriæ subsistentiæ quatenus est propria, importat actualem exclusionem alienæ subsistentiæ ab eadem numero substantia. Confirmatur, ideò essentia diuina admittit plures personalitates sibi proprias, quia per illas semper manet *existens per se, & non in alio* propter summam identitatem diuinitatis cum personalitatibus diuinis, quas ex sua naturali & intrinseca perfectione postulat: ergo à

D contrario quia substantia creata fit formaliter per propriam suam subsistentiam in se & per se subsistens; per alienam verò fit formaliter subsistens in alio, & isti duo modi sunt sibi inuicem oppositi respectu vnius & eiusdem, propterea substantia non potest esse simul & semel in subsistentia propria & aliena. VIII.

Articvlvs IV.

Soluuntur obiectiones.

Obiicies primò, de facto natura diuina terminatur pluribus diuinis personalitatibus sibi propriis: ergo multo magis aliqua creata substantia poterit, per absolutam Dei potentiam, suâ propriâ terminari, & aliqua alienâ diuinâ, vel etiam creatâ.

I. Respondetur plures modos *existendi in se* non esse sibi inuicem oppositos, sicut nec plures modi *existendi in alio*: vnde sicut non implicat vnam eandémque numero substantiam assumi à pluribus alienis subsistentiis, quia faciunt semper illam subsistere *in alio*: ita etiam, quia omnes diuinæ subsistentiæ faciunt subsistere diuinam essentiam *in se* (licèt diuersimodè, nimirùm *in esse Patris*, *in esse Filij*, *in esse Spiritus sancti*, & summa perfectio & infinitas diuinæ essentiæ postulat ex propria & naturali sua conditione ita terminari) sic etiam, quia illa capacitas obedientialis quæ est in qualibet substantia creata vt possit terminari ab aliena subsistentia, est eiusdem planè ordinis, & importat solùm plures modos *existendi in alio*, qui ad se inuicem

II. nullam habent oppositionem, vna eadémque numero substantia potest vniri hypostaticè simul & semel pluribus alienis subsistentiis: vnde præsens difficultas non prouenit ex eo quòd vna subsistentia sit increata, & alia creata. Licèt enim diuina natura sit increata, humana verò creata, non propterea tamen desinunt vniri inter se in Christo Domino, sicut immortale & mortale in nobis respectu diuersorum: sed ratio repugnantiæ prouenit ex eo quòd proprius modus *existendi per se per propriam subsistentiam* importet in vna & eadem numero substantia exclusionem alterius modi *existendi per se in alio vt in sustentante*, sicque isti termini *esse in alio*, & *esse in se*, respiciunt vnum & idem, quod non habet locum in ipso *esse creatum & increatum* in Christo, quod de illo dicitur respectu diuersæ & realiter distinctæ naturæ.

III. Obiicies secundò. Duplex est *aptitudo passiua ad terminari* in qualibet creata substantia, *vna naturalis*, cui soli tanquam actus terminatiuus correspondet propria personalitas seu subsistentia, *altera obedientialis* tantùm, cui etiam soli, tanquam actus terminatiuus, aliena subsistentia per modum termini vltimi coniuncta à Deo substantiæ, correspondet: Ergo sicut duæ istæ passiuæ terminationes sese compatiuntur: ita etiam & actus terminatiui correspondentes illis sese compatientur, præsertim cùm posterior aptitudo non expleatur per actum terminatiuum correspondentem priori.

Respondetur concesso Antecedente, negando consequentiam: non enim sicut actus repugnat actui & illum excludit; ita etiam vna potentia passiua repugnat altori, vel illam excludit, vt videre est in materia prima, quæ vt informata proximis dispositionibus habet potentiam ad formam illis correspondentem, &

IV. nihilominùs oppositam alteri formæ, ad quam etiam habet naturalem appetitum (inest enim materiæ primæ appetitus ad omnes formas naturales;) quia tamen vna ex illis duabus formis actuat reipsâ materiam, & hæc forma habet incompossibilitatem cum alia forma, ideò licèt ista potentia remaneat, quia tamen impeditur quoad executionem, non potest simul admittere aliam formam: sic etiam licèt in qualibet substantia creata reperiatur obedientialis potentia vt terminetur quauis subsistentiâ alienâ, quia tamen reductio istius potentiæ ad actum postulat, vt talis substantia creata ita *sit*, vt simul *non sit in alio*: ideò quando aliqua substantia creata retinet propriam suam personalitatem, non potest, sic remanens, ampliùs assumi ab aliena persona.

A Tertiò obiicies. Propria personalitas nullam habet contradictionem ad quamlibet alienam personalitatem, cùm contradictio attendatur penes affirmationem & negationem, illæ autem ambæ & singulæ personalitates sunt aliquid reale & positiuum, vt suprà docuimus. Igitur propria personalitas & aliena possunt diuinitùs poni simul in eadem substantia. V.

Respondetur, duobus modis *posse intelligi aliquam contradictionem* attendi penes affirmationem & negationem. Primò, quòd res enunciatæ per propositiones cõtradictorias debeant esse talis conditionis, vt vna earum sit aliquid formaliter positiuum, altera aliquid formaliter negatiuum, sicut ens & non ens. Secundo modo, vt licèt ambæ res enunciatæ per illas sint aliquid positiuum, attamen vna habeat intrinsecam repugnantiam cum alia, quam neget expresso suo conceptu, vt creatum & increatum,

B nascibile & innascibile, & sic de pluribus aliis VI.
quæ significant aliquid reale & positiuum, vt Theologi & Philosophi agendo de illis docent, ratione cuius negationis & affirmationis propositiones dicuntur esse contradictoriæ saltem *virtualiter*. Iam ad prædictam difficultatem, respondetur inter propriam subsistentiam & alienam non esse contradictionem priori modo, sed tantùm secundo, quæ est sufficiens vt aliqua res non possit fieri: & sicut implicat eandem numero entitatem esse *creatam & increatam*, quia esset creata & non creata simul, quod est contradictorium: ita etiam repugnat vnam & eamdem naturam habere propriam suam subsistentiam & alienam simul, quia *esset in se & non in alio, & simul non esset in se, sed in alio*,

C quæ est contradictio quam important propria VII.
personalitas & aliena, provt comparantur ad eandem numero naturam.

AD QVÆSTIONEM V.

DISPVTATIO VNICA.

De modo vnionis ex parte partium naturæ humanæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quod & quale corpus Filius Dei assumpserit.

D EXPOSVIMVS quænam possint assumi hypostaticè, iam explicabimus quænam de facto & reipsâ Filius Dei assumpserit, incipiemúsque à corpore, altera parte humanitatis. VIII.

Tempore ferè Apostolorum hæreticus quidam nomine Cerdon, vt referunt Tertullianus lib. de præscriptionibus cap. 51. S. Epiphanius hæres. 41. S. August. lib. de hæresibus hæres. 41. contendebat Christum Dominum *non habuisse verum corpus*, sed *solummodò phantasticum*, seu apparens, & sic quasi per vmbram tantùm apparuisse: idem voluit Marcion, vt constat ex Tertull. lib. contra illum scriptis, & lib. de carne Christi Domini cap. 1. S. August. hæresi 21. idem voluit Manes, & qui ab eo dicti Manichæi, vt patet ex S. Epiphanio hæresi 66. S. Au-

I. gust. lib de hæresibus hæres. 46. Item Prisciliánus, à quo Priscilianistæ, vt patet ex S. Leone epist. 91. ad Turribium cap. 4. & 17. notat autem Tertullianus lib. de carne Christi aliquos ex istis hæreticis abrasisse ex Euangelio ea quæ Euangelistæ ibi habent de generatione temporali Christi Domini.

Valentinianus circa annum Domini 145. vt significant S. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 4. Eusebius in Chronico, Theodoretus lib. 1. Hæreticarum fabularum; inter cæteras hæreses docuit Christum Dominum non habuisse *corpus terrenum*, id est ex quatuor elementis & quatuor humoribus compositum, *sed cœleste* quod aduexit secum è cœlo, proindeque nihil accepisse à beatissima Virgine, sed solummodò per illam quasi per canalem transfisse: quam hæresim Osiander Lutheranus suo Enchiridio cõtrouersiarum cum Anabaptistis tribuit Anabaptistis nostri temporis. Ad eamdem hæresim accessit quidam nomine Apelles, qui & si concederet Christo Domino veram carnem, attamen docebat eam esse compositam ex quatuor elementis ad eum modum, quo corpora quæ ipsi Angeli apparentes hominibus assumunt, & morte eius fuisse resolutam in eiusmodi elementa: sic refert S. August. citato libro de hæresibus hæres. 23.

II.

Attamen aduersus omnes hæreses istas sit hæc nostra propositio. *Filius Dei assumpsit verum & non phantasticum corpus, terrenum, & eiusdem rationis cum nostris corporibus.* Tota propositio est de fide definita in quampluribus Conciliis contra prædictos hæreticos, vel eorum sectatores, vt in Chalcedo. act. quinta, in quinta Synod. act. quinta, cap. septimo, in sexta Synod. generali act. vndecima, in Concil. Lateranensi sub Innocent. tertio, & tefertur cap. *Firmiter, extra. de summa Trinit. & fide Catholica*, & iis omnibus quibus definitur Christum esse verum hominem, eiusdémque naturæ nobiscum. Prima pars illius probatur his verbis sancti Ioannis capite primo, *Et verbum caro factum est*, quorum sensum esse Filium Dei assumpsisse veram humanitatem, esse factum verum hominem docuimus ex S. August. statim in initio huius partis, agendo *de nomine Incarnationis*: Item ex istis Verbis Christi Domini capite vltimo S. Lucæ, vbi post resurrectionem apparens Apostolis existimantibus illum esse quoddam phantasma, docet illos haec in re decipi, & se habere verum & reale corpus, *Palpate*, inquit, *& videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*: item ex iis omnibus Scripturæ locis quibus Christus Dominus probatur esse verus homo: nam veritas naturæ humanæ requirit verum corpus: sic Ioan. secundo, ad Heb. secundo & nono capite, quo vltimo capite, Christus comparatur cum lege, *vt veritas cum vmbra*: at si Christus non habuisset verum corpus, sed solummodò apparens non fuisset *veritas*, sed tantùm *apparentia veritatis*, & cùm affirmauerit se habere verum corpus, non tantùm nos fefellisset, sed etiam fuisset mentitus, si corpus tantùm imaginarium habuisset, quod vitium non potest cadere in Christum.

III.

Nec potest obiici Angelos etiam bonos apparuisse in corporibus, nec tamen dici decepisse eos quibus apparebant, vel mentitos fuisse: quia, quemadmodum ostendimus prima parte ad quæstionem 51. boni Angeli non ideo

A assumunt corpora hominum, vt existimentur esse veri homines, sed tantùm vt repræsentent aliquam ex suis proprietatibus; vel vt manifestent suum conceptum, quod vtrumque rectè explicatur per ista corpora assumpta, & si interdum apparuerunt tales vt fuerint creditti homines, sufficienter explicarunt se non esse veros homines, vt patet Tobiæ 12. vbi sanctus Raphaël, qui putabatur esse homo, declarat se non esse propriè hominem, nisi externa apparentia, sed se esse verè Angelum, vnum ex septem illis spiritibus, qui astant ante Dominum: at è contra Christus Dominus profitetur se habere *verum corpus*, vt citat. loco sancti Lucæ, item se esse *verum hominem*, se esse *fratrem* nostrum passim in Euangelio: vnde si haberet corpus tantùm *imaginarium*, seu *apparens*, tunc fuisset mentitus, nosque decepisset; quod vtrumque asserere, est blasphemum.

V.

B Altera item pars nostræ propositionis asserens *Filium Dei assumpsisse corpus terrenum eiusdem rationis cum corporibus aliorum hominum*, probatur primò iis omnibus sacræ Scripturæ locis, quibus *beatissima Virgo dicitur concepisse, & peperisse Christum* vt Isaiæ 7. Math. primo, Luc. 1. & 2. nam generatio est processio viuentis à viuente principio, in similitudinem naturæ: atqui ex iis & aliis similibus locis beatissima Virgo concepit & genuit Christum Filium Dei: ergo similem sibi, & proinde verum & propriè dictum hominem habentem verum & propriè dictum corpus humanum. Item ex iis quibus Christus Dominus dicitur *processisse ex semine Dauid*, vt Math. 1. capite Luc. 3. ad Rom. 1. vbi Christus dicitur esse *ex semine Dauid secundùm carnem*: at non potuit esse ex semine Dauid, si corpus eius fuerit cœleste, cùm Dauid non habuerit corpus cœleste, nec quando Christus natus est, esset in cœlo: sed corpus Christi hoc sensu dicitur esse ex semine Dauid secundùm carnem, quia fuit formatum ex purissimis sanguinibus beatissimæ Virginis, quæ erat de tribu Dauid, & ab eo tanquam antiquo suo progenitore descendebat, vt patet ex citatis capitibus sancti Matthæi primo, & sancti Lucæ tertio. Item probatur ex secundo capite ad Hebræos, vbi Apostolus ita ait de Christo Domino, *quia pueri communicarunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem*: idémque probatur iis omnibus aliis tàm Scripturæ sacræ quàm Concil. & Patrum testimoniis, quibus definitur Christum esse verum, propriè dictum hominem, verè esurisse, sitisse, fuisse fatigatum, passum, & mortuum: hæc enim omnia arguunt corpus verè & propriè terrenum: & si oppositum nostræ propositionis esset verum, totum Euangelium esset fabulosum, quod asserere est blasphemum, & pro nostra conclusione Patres relati initio huius articuli possunt legi.

VI.

C

VII.

D

IV.

VIII.

ARTICVLVS II.

Argumenta contraria soluuntur.

HÆRETICI articulo præcedenti relati primò obiiciunt, quòd Christus Dominus ad Philippenses secundo dicatur factus in similitudinem hominum, & habitu inuentus vt homo.

Respondetur, Christum Dominum dici fa-

I. *ctum secundùm similitudinem hominum*, quia fuit eiusdem speciei cum aliis hominibus secundùm humanam naturam, vt rectè explicat hîc sanctus Thomas articulo primo in responsione ad 1. nam nomine *similitudinis* ibi intelligitur *specifica & vniuoca similitudo*. Potest etiam addi, Filium Dei dici per *incarnationem factum in similitudinem hominum*, quatenus secundùm externam faciem, apparebat purus homo similis omnibus aliis puris hominibus, cùm tamen esset Deus homo, quemadmodum S. Chrysostomus & aliqui alij explicant ad illum locum Apostoli.

Obiiciunt secundò, quòd Christus Dominus secundò & sexto capitibus S. Ioannis dicatur descendisse de cœlo.

Respondetur istum descensum esse solummodo II. *metaphoricum*, & sumi pro *ipsa exinanitione*, qua Verbum diuinum dignatus est *formam serui*, id est hominis, accipere, seu fieri hominem. Potest etiam addi, quòd eo loci hæc particula, *Filius*, non designat ipsum corpus Christi Domini, sed solam eius personam, vt patet ex istis verbis sequentibus, *qui est in cœlo*: tunc enim Christus nondum erat in cœlo secundùm humanitatem.

Obiiciunt tertiò Angelum capite primo S. Matthæi dicere de Christo Domino, *quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, ergo Christus solummodo est natus in beatissima Virgine, non autem ex ea.

Respondetur, duas istas particulas (*natum esse in ea, & esse natum ex ea*) significare vnum & idem, quemadmodum patet ex illis verbis III. Angeli ad beatissimam Virginem Lucæ primo, *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*, & Christus dicitur, *esse de Spiritu sancto*, quia beatissima Virgo illum concepit non ex semine virili, sed sola virtute & operatione Spiritus sancti.

Obiiciunt quartò, quod primæ ad Corinthios decimo quinto Christus dicatur *Cœlestis*, & primus parens, quem constat habuisse corpus terrenum, *terrenus*: vnde secundæ ad Corinthios quinto ait Apostolus, *Et si cognouimus secundùm carnem Christum, sed nunc iam non nouimus*, id est, vt illi explicant, aliquando putaui Christum habere veram carnem, sed iam non puto. Item primæ ad Corinthios quinto, *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*. Ergo multominùs poterunt esse in Christo.

Respondetur, Corpus Christi Domini dici IV. *cœleste* eodem sensu, quo ibidem paulò antè nostrum corpus, quod est animale, dicitur *spiritale*. Nam Apostolus ibi agit de qualitate seu conditione nostrorum corporum post resurrectionem, quemadmodum patet ex ipso textu, illámque explicat hoc exemplo primi hominis, qui *terrenus* fuit, & secundi, id est Christi, qui *fuit cœlestis*: at nostrum corpus dicitur futurum *spirituale* post resurrectionem, non quòd mutabit suam substantiam, sed tantùm *quoad qualitates seu dotes*, quatenus habebit impassibilitatem, agilitatem, incorruptionem & claritatem, quæ perfectiones sunt propriæ spiritibus, & proinde quemadmodum nostra corpora tunc erunt & in perpetuum remanebunt *terrena quoad suam substantiam*, licèt immutentur quoad *praditas dotes*: ita etiam & Christi Domini corpus quoad suam substantiam *fuit & est terrenum*, licèt

A nunc post resurrectionem sit *quoad istas qualitates & conditiones cœleste*: atque hoc modo locum hunc S. Chrysostomus ad illum locum Apostoli intellexit. V.

Quòd si quis velit corpus Christi Domini ibi appellari simpliciter *cœleste*, etiam ab eo tempore, quo est formatum & vnitum Verbo diuino, & non tantùm pro tempore resurrectionis & sequenti, cùm Apostolus dicat illud *esse de cœlo cœleste*, sicut corpus primi hominis *de terra terrenum*, quod respicit ipsum tempus formationis, & primam constitutionem talis corporis: respondetur cum S. August. libro decimo tertio, de Ciuitate Dei, capite vigesimo tertio, tunc sensum huius loci esse, quòd quemadmodum primus homo, quia formatus est de terra, fuit terrenus quoad conditiones sui corporis, quatenus ex se & sua naturali conditioB ne fuit subiectum infirmitatibus huius vitæ, VI. verbi gratia passibilitati, corruptioni, grauitati, & inclinationi ad terrena: ita etiam secundus homo, quia *ratione suæ personæ* erat de cœlo, postulabat quantum est ex se quasdam conditiones *similes cœlestibus*, scilicet primò *immunitatem ab omni peccato*, & vt nullo modo esset illis obnoxius, deinde vt esset *immortalis & gloriosus*: quam tamen secundam conditionem non statim ac eius corpus est formatum habuit reipsa, sed factum est per dispensationem, vt sit tantùm illam consequutus post mortem, vt sic pro nobis pati & mori posset, atque iuxta hunc modum intelligitur quo sensu idem Apostolus secundæ ad Corinthios 5. dicat *se iam*, id est, *post resurrectionem*, non cognoscere *Christum secundùm carnem*, quatenus scilicet nouit Christum Dominum post resurC rectionem non esse amplius obnoxium infirmitatibus carnis, id est passibilitati & mortalitati, qualem illum fuisse ante mortem cognouerat. Quando autem primæ ad Corinthios 15. *caro & sanguis* dicuntur ab Apostolo *non possidere regnum cœlorum*, ibi nomine *carnis & sanguinis* significatur, non substantia corporis humani, nec eius partes, siue essentiales, siue integrantes, sed *sola corruptio affectuum humanorum* vt satis patet ex eodem Apostolo passim, & maximè capite quinto ad Galat. at vbi fusè enumerans opera carnis, recensèt deprauatas hominum concupiscentias, & addit hoc, *qui talia agunt regnum Dei non consequentur*. VII.

Tandem obiiciunt omnia terrena esse à malo principio seu dæmone, ideóque cùm Christus Dominus venerit dissoluere opera diaboli D primæ S. Ioannis tertio, non videtur conueniens vt Verbum diuinum assumeret corpus terrenum. VIII.

Respondetur, illud esse falsissimum: nam Philosophi ex professo in Physic. & Metaphy. similiter Theologi prima parte & 1. secundæ quæst. 71. docent vnum tantum esse rerum omnium principium.

ARTICVLVS III.

Vtrum Filius Dei assumpserit immediatè sanguinem.

QVIA in corpore humano plures partes distinguuntur, videndum est, an Filius Dei illas omnes & singulas assumpserit immediate. Notandum primò est præsentem diffi-

I. cultatem, & alias ei similes eo tantùm sensu procedere, quo præcedenti quæstione docuimus quascumque partes naturæ creatæ esse capaces vnionis hypostaticæ.

Notandum secundò, certum esse apud omnes Verbum diuinum assumpsisse immediatè, iuxta sensum prædictum, omnes illas partes humani corporis, quæ informantur anima rationali: similiter & omnes illas partes integrantes, quæ ei sunt necessariæ, vt sit verum & integrum corpus humanum: cuius communis assérti hæc est optima ratio. Verbum esse factum hominem, nihil est aliud quàm illud assumpsisse immediatè humanitatem in vnitatem suppositi, quemadmodum ostendimus ex sancto Augustino initio huius partis: ergo Verbum factum hominem integrum, & perfectum, tam perfectione essentiali, quàm integrante, nihil est aliud,

II. quàm Verbum diuinum assumpsisse immediatè ad vnitatem suppositi omnes partes humanitatis, tam integrantes, quàm essentiales: atqui Verbum diuinum factum est per incarnationem homo perfectus & integer, vt profitemur in Symbolo sancti Athanasij, & habemus definitum in Concilio Chalcedonensi superiùs relato: igitur Verbum diuinum assumpsit immediatè omnes partes humanitatis tam integrantes, quàm essentiales, & proinde omnes illas quas anima rationalis informat, vel quæ etiam integrant ipsum corpus.

Hoc supposito, vt apud omnes indubitato, quia aliquæ aliæ partes dantur in corpore, quæ non ita videntur spectare vel ad essentiam, vel ad integritatem corporis, ideò difficultas remanet de illis, an sint, modo superiùs explicato, immediatè vnitæ Verbo diuino hypostaticè.

III. Ac primùm de ipso sanguine, de quo tres sunt sententiæ. Prima negans, quæ est Durandi in 4. sententiarum, distinctione 10. quæstione 1. Richardi in 3. sententiarum, distinctione 2. quæst. 1. art. 2. Gabrielis in Canone Missæ lectione 53.

Secunda sententia est Siluestri hb. quem inscripsit rosa aurea tractatu 3. quæst. 31. item Aluares hac quæst. S. Thomæ disp. 28. in quam Caietanus inclinat infrà quæst. 54. art. 2. duplicem distingui sanguinem, *vnum nutrimentalem*, qui non est perfectè decoctus, & est alimentum corporis, vnde sortitur suum nomen, quatenus per actionem caloris illum transmutantis tendit ad perfectam formam sanguinis, & hic sanguis nutrimentalis non est per se necessarius ad compositionem corporis, nec pertinet ad veritatem naturæ humanæ. Alterum distinguunt *sanguinem perfectum & perfectè decoctum*, qui sit actu

IV. pars humani corporis, necessarius ad eius integritatem & consistentiam: hæc autem secunda sententia vult priorem *illum sanguinem*, non fuisse *immediatè assumptum* hypostaticè à Verbo diuino propter rationes primæ sententiæ afferendas & soluendas sequenti articulo, posteriorem verò sanguinẽ fuisse immediatè assumptum à Verbo diuino propter aliquot rationes afferendas pro tertia sententia, atque hanc distinctionem duplicis sanguinis videntur sibi desumere ex sancto Thoma, quodlibeto 5. art. 5. in corpore.

Tertia sententia quam loco nostræ propositionis ponimus est, *Verbum diuinum assumpsisse immediatè totum sanguinem, qui fuit in corpore Christi Domini, quomodocumque sanguis ille vocetur, siue nutrimentalis, siue perfectè decoctus.* Ita communiter omnes Interpretes sancti Thomæ

A hîc, item Maior tertiæ sententiarum distinctione 37. quæstione 2. Soto in 4. sentent. dist. 10. quæst. 1. art. 2. & plures alij, & hæc propositio simpliciter intellecta de sanguine ita est certa apud omnes Scholasticos, vt opposita non possit defendi sine graui nota temeritatis, imò & alicuius erroris, vt iidem auctores locis nunc citatis obseruant, & patebit ex iis quæ afferemus pro nostra propositione. V.

Probatur itaqi primò, ex Extrau. Clemẽtis VI. titulo de pœnitentiis & remissionibus, quæ Extrauagans incipit *Vnigenitus*, vbi summus Pontifex ait, *vnam guttam etiam modicam sanguinis Christi Domini fuisse sufficientem pro redemptione totius humani generis, atque propter vnionem ad Verbum*, quæ postrema verba referuntur ad sanguinem tanquam ad rem infiniti valoris præcisè propter sui vnionem hypostaticam ad Ver-

B bum: vnde Maior, & item Siluester locis nunc VI. citatis referunt eundem summum Pontificem condemnasse oppositum primæ parti nostræ propositionis, & coegisse quendam concionantem Barcinone reuocare assertionem illam, qua inter concionandum dixerat *sanguinem in triduo mortis non fuisse hypostaticè vnitum Verbo diuino.*

Probatur secundò ex sacris Litteris, vt capite secundo ad Hebræos, vbi Apostolus loquens de Filio Dei, *Quia*, inquit, *pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem*, id est vt esset eiusdem naturæ cum seruis à se ipso redimendis habuit sibi vnitam carnem & sanguinem: ibi enim hæc duo nomina, *caro, sanguis*, non possunt sumi vel pro peccato, vel etiam pro inclinatione, vel affectu ad peccatum, cùm nihil tale fuerit in Christo, vt ostendemus infrà. Item ex illis verbis S. Ioannis, *Verbum*

C *caro factum est*, quæ iuxta explicationem in Con- VII. cilio Ephesino receptam, idem significant ac communicauit similiter vt nos carni & sanguini, & in Concilio Chalcedonensi, actione primâ lecta & approbata est quædam epistola S. Cyrilli, in qua verba illa, *Verbum caro factum est*, ita explicantur, *carnem & sanguinem assumpsit*. Probatur item omnibus iis Scripturę testimonijs, quę nostram omnium redemptionem singulariter attribuunt *sanguini Christi Domini*, tanquam pretio condigno, quæ condignitas ad rigorem strictæ iustitiæ, quam Christus seruauit satisfaciendo pro nobis, vt fusè ostendimus ad 1. quæst. non potest ei competere, nisi quatenus sanguis ille fuit vnitus hypostaticè Verbo diuino, & sic fuit valoris infiniti, 1. S. Petri 1. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.* S. Matthæi 26. VIII.

D S. Lucæ 22. ait Christus Dominus de suo sanguine, *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* primæ S. Ioannis primo, *Sanguis Iesu Christi Filij eius emundat nos ab omni peccato.* & passim alibi.

Neque potest responderi duplicem distingui condignitatem, vnam quæ tantùm attenditur *penes conditionem & dignitatem offerentis*, alteram quæ tantùm attenditur *penes dignitatem rei oblatæ*, vt intelligitur ex dictis de valore ad primam quæst. huius partis: relata verò testimonia sacræ Scripturæ tribuere quidem sanguini Christi Domini rationem pretij condigni ad nostram redemptionem, sed priorem, vt potest intelligi ex eo quòd loquantur de ipsa effusione sanguinis Christi Domini, & eius oblatione: at hęc prior hæc dignitas fuerit in sanguine Christi Domini

I. valoris infiniti, illa tamen non infert necessariò posteriorem, quæ fundatur in ipsa immediata vnione hypostatica ad Verbum, nam lachrymæ Christi Domini fuerunt primo hoc modo valoris infiniti, quas tamen fuisse vnitas immediatè Verbo paulò pòst negabimus.

Non est, inquam, quòd quis hoc respondeat: licèt enim ad realem exhibitionem & solutionem pretij redemptionis generis humani ipsa realis effusio sanguinis Christi Domini fuerit ex dispositione Dei, & Christi Domini necessaria, attamen modus ipse loquendi sacræ Scripturæ talis est, vt exprimat *ipsam condignitatem pretij & valoris*, in esse suo modo *sanguini Christi Domini, prout præcisè est sanguis Christi*, præcisa etiam illa dignitate, quam habet à persona, vt est offerens illum, pro nobis: nam imprimis S. Petrus suprà comparat illum in ratione *condigni pretij*, cùm II. argento & auro, & proinde vt hæc comparatio valeat, sicut aurum & argentum non habent suam condignitatem pretij ad rem emendam à dignitate & conditione eius, qui dat vel numerat aurum istud, vel argentum, sed à dignitate suæ materiæ & suo morali valore, quæ præsupponuntur ipsi solutioni: ita & sanguis Christi Domini non tantùm habet suum valorem infinitum à persona Christi Domini, vt effundentis illum in passione & morte, sed etiam ante illam effusionem habet quòd sit infinitæ dignitatis, quæ infinita dignitas non potest alio refundi, quàm quòd sit vnitus hypostaticè Verbo diuino. Deinde si sanguis Christi Domini habet tantùm condignitatem pretij pro nostra redemptione ab ipsa dignitate personæ Christi Domini vt offerentis illum, quare sacræ Scripturæ vocant peculiari quodam titulo sanguinem Christi Domini pretium nostræ redemptionis, sudorem verò illum sanguineum quem passus est in horto, minimè: cùm tamen sudor ille haberet alteram illam condignitatem petitam à dignitate personæ vt operantis & offerentis, nisi quòd sudor iste non fuit immediatè assumptus hypostaticè, sanguis verò fuerit? Tertiò, Christus Dominus Ioannis sexto, parem facit conditionem sui sanguinis in ordine ad viuificandum nos, ac ipsius sui corporis: nam vtrique tribuit quòd habeat vim dandi vitam æternam, & sicut de sua carne ait, *caro mea verè est cibus*, sic etiam de suo sanguine ait, *sanguis meus verè est potus*: atqui quòd caro Christi Domini viuificet, habet ab ipsa immediata vnione hypostatica sui ipsius ad Verbum diuinum, vt Christus Dominus significat ibi dicens, *Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam*: ergo & sanIV. guis Christi Domini habet similiter ab ipsa immediata vnione hypostatica sui ipsius ad personalitatem Verbi diuini quòd viuificet: sicque sanguis Christi Domini est immediatè vnitus hypostaticè Verbo diuino. Quartò, tam benè sanguis Christi Domini est pars totius hostiæ oblatæ pro nobis Deo, quàm ipsum Christi Domini corpus, nec sanguis est pars minùs digna, præsertim cùm sacrificium nouæ legis habeat in se ipso omnes omnium sacrificiorum veteris legis perfectiones, & in istis sanguis semper esset præcipua pars sacrificij, vt intelligitur ex eo quod Deus volebat semper illum sibi totum offerri, nihil eius reseruando in vsum vel Sacerdotis, vel offerentis, quemadmodum præcipiebat de aliis rebus, vt videre est passim in Leuit. ergo sanguis Christi Domini debet tantam habere dignitatem, quantam eius corpus habet: atqui Christi Domini corpus vt res oblata in sacrificio nouæ legis habet infinitam dignitatem fundatam in immediata sui vnione ad Verbum diuinum: ergo & ipse sanguis Christi Domini habebit etiam illam à tali immediata vnione. Tandem hæc solutio refelletur ex dictis suprà de satisfactione Christi Domini, quæ fuit secundùm leges strictæ iustitiæ requirentis æqualitatem rei ad rem, vt est ibi probatum. Hinc S. Augustinus in Psalm. 65. explicans istum versiculum, *terribilis super omnes Deos*, ait, *sanguinem Christi Domini tanti valere, vt sit pretium totius orbis*.

Probatur secundò etiam propositio ratione. Verbum diuinum assumpsit immediatè quicquid est necessarium ad constitutionem & consistentiam veri, integri & perfecti corporis B humani, tum ex secundo nostro notabili, tum etiam quia corpus illud ordinabatur ad vitam & ad exercendum opera vitæ: atqui sanguis est necessarius ad consistentiam veri humani corporis: igitur Verbum diuinum assumpsit immediatè sanguinem. Minor probatur ex eo quod homo non potest naturaliter subsistere sine sanguine: vnde aliquando in sacris Litteris *anima hominis* dicitur *esse in sanguine*, & vita consistit in humido & calido, quæ sunt qualitates sanguinis, & sanguis maximè fouet calorem natiuum, quo deficiente ipsum animal extinguitur, & Aristoteles lib. 2. de partibus animalium cap. 2. & lib. 3. de historia animalium cap. 19. asserit sanguinem esse partem corporis, quod saltem intelligitur de parte necessaria ad conseruandam vitam: item ex eo quod sanguis sit etiam futurus in corporibus resurgentium, quemadmodum S. Augustinus epist. 146. docet, illum fuisse in corpore III. C Christi Domini resurgentis: igitur sanguis est necessarius ad consistentiam corporis verè humani.

Tota hæc ratio confirmatur ex eo quod Concilium Tridentinum sessione decimaterriâ, cap. tertio, vocat sanguinem Christi Domini partem humanitatis eius, dum ait *sanguinem esse sub specie panis, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini non amplius morituri copulantur inter se*: ex quo deducitur hæc ratio. Eodem modo & ob eandem causam Verbum diuinum est per *concomitantiam* in sacramento altaris sub specie vini, quomodo & propter quam rationem est *per concomitantiam* in eodem sacramento sub specie panis: atqui Verbum diuinum est in sacramento altaris sub specie panis per proximam *concomitantiam* fundatã in ipsa immediata vnione hypostatica Verbi D diuini ad corpus Christi Domini, vt significat Tridentinum capite nunc citato, & Scholastici communiter tradunt: igitur & Verbum diuinum est etiam sub specie vini per immediatam *concomitantiam*, fundatam in immediata vnione hypostatica ad ipsum sanguinem, & ex consequenti Verbum assumpsit immediatè sanguinem. Maior hæc vltima confirmatur ex eo quod S. Ioannis sexto, Christus Dominus eandem vim viuificandi animas tribuit suo sanguini in sacramento ac suo corpori, & ex eadem radice, vt iam annotauimus. Minor confirmatur, quia aliàs si quis in triduo consecrasset, Verbum diuinum nullomodò fuisset sub specie vini consecrati, sed solus sanguis, & proinde non habuisset efficaciam viuificandi animas, quòd tamen est contra citatum verbum Christi Domini eodem mo-

V. VI. VII. VIII.

I. do loquentis suprà de suo sanguine, ac de suo corpore.

Quòd denique Verbum diuinum assumpserit immediatè totum sanguinem, nulla factâ distinctione *nutrimentalis & perfectè decocti*, probatur, ex eo quòd Scriptura, Patres & Concilia, quando significant Verbum assumpsisse sanguinem, loquuntur simpliciter & absolutè absque aliqua distinctione sanguinis: imò Clemens VI. in citatâ suâ Extrauagante, ait *vnam guttam modicam, indistinctè loquendo, sanguinis fuisse sufficientem ad redimendum genus humanum.* Vnde cùm propositio indefinita in dogmate æquipolleat vniuersali (nisi aliunde constet illam esse accipiendam in aliquo sensu specialiter determinato) Scripturæ, Patres & Concilia significant quemlibet sanguinem propriè dictum cuiuscumque sit conditionis, existentem in corpore Christi Domini fuisse assumptum immediatè II. à Verbo, & distinctionem istam sanguinis in *nutrimentalem & non nutrimentalem*, seu qui est iam perfectè decoctus, nullam esse tam secundùm Aristotelem, quam secundùm Medicos Conimbricenses docent ex professo ad caput quartum libri primi de corruptione & generatione quæstione 23. articulo 2. sed distingui tantùm *accidentario*, quòd vnus sit purior & subtilior, & eum quem volunt esse vitalem & perfectè decoctum esse etiam nutrimentalem Medici tradunt, vt iidem auctores obseruant, & si sanguis ille quem isti vocant *nutrimentalem* non est assumptus immediatè à Verbo, nullus sanguis fuit immediatè assumptus à Verbo: is enim tantùm in sacris Litteris, & aliis auctoritatibus superius citatis significatur esse assumptus immediatè à Verbo, qui est natus & aptus diffluere III. & effundi. Nam passim loquuntur de sanguine Christi Domini effuso pro nobis; at sanguis ille, quem auctores secundæ sententiæ vocant nutrimentalem, est aptus natus primò diffluere & effundi, cùm sit fluidus, & hoc nomen sanguis sumitur communiter iuxta vsum loquendi pro sanguine nutrimentali: ergo cùm verba sacræ Scripturæ sint accipienda iuxta communem vsum, nisi contrarium aliunde constet, & hîc nihil tale possit assignari, dum Scriptura & Patres significant Verbum assumpsisse immediatè sanguinem, sunt intelligendi de sanguine nutrimentali.

Neque sanctus Thomas fauet huic distinctioni sanguinis: licèt enim quodlib. quinto, articulo quinto, dicat totum sanguinem nutrimentalem non pertinere ad veritatem humanæ naturæ, non tamen negat omnem sanguinem IV. qui est in animali esse nutrimentalem seu aptum nutrire, sed tantùm vult totam illam quantitatem sanguinis, quæ sæpè est in animali, non esse absolutè necessariam ad veritatem humanæ naturæ, sed illam posse conseruari cum minori quantitate, quod non est dicere dari aliquam speciem sanguinis in humanitate, qui nullomodò sit pars ad consistentiam eius necessaria, quod tamen hîc requiritur vt non sit assumptus immediatè à Verbo diuino. Atque ex his patet secundam sententiam nullo firmo argumento stabiliri.

A

B

C

D

ARTICVLVS IV.

Argumenta contraria soluuntur.

AVCTORES primæ sententiæ articulo præcedenti relatæ, multa in illius confirmationem proferunt. Primum est, sanguis humani corporis nõ informatur anima rationali, sed alia forma sibi propria, vt probant ex Aristotele & pluribus aliis: ergo nec fuit assumptus immediatè à Verbo diuino. Consequentiam probant variis mediis. Primò, si Verbum assumpsisset immediatè sanguinẽ non informatum animâ rationali, sed aliâ formâ sibi propriâ, tam assumpsisset immediatè duas naturas, vnam scilicet animatam qua habet animam rationalem pro forma sua naturali; & alteram non animatam, distinctam genere à priori: sicque Christus non esset VI. aliquid vnum per se, sed tantùm per accidens. Secundò, Verbum diuinum assumpsit tantummodò immediatè partes illas quæ informantur anima rationali: ergo cùm sanguis in homine non informetur anima rationali, Verbum diuinum non assumpsit illum immediatè. Tertiò, Verbum diuinum eas tantùm partes humanitatis assumpsit immediatè, quas propria subsistentia in aliis hominibus terminat immediatè, quia supplet tantùm vicem propriæ subsistentiæ, & eadem est ratio propriæ subsistentiæ in humanitate Christi Domini, si adesset, ac in aliis hominibus, cùm Christus Dominus, penes ipsa naturalia præcisè sumpta, hoc solo distinguatur à nobis, quod habeat subsistentiam Verbi diuini; atqui in aliis hominibus subsistentia creata eas solùm partes terminat quæ informantur anima rationali, illæ verò quæ habent proprias suas formas, VII. habent & proprias suas subsistentias quibus terminẽtur. Igitur cùm sanguis in homine nõ informetur anima rationali, debebit habere propriam suam subsistentiam, & proinde non esse immediatè assumptus hypostaticè à Verbo diuino. Quartò, Verbum diuinum assumpsit tantùm corpus mediante anima, ex S. Thoma sequenti quæstione: ergo illud in quo anima non fuit, non assumpsit: ergo cùm anima rationalis sit tantùm in eo quod informat, & non informet sanguinem humanum, Filius Dei non assumpsit immediatè sanguinem.

Respondetur, quicquid sit de ipso antecedente (quod tamen cõmunior pars Philosophorum & Medicorum censet esse verũ, sed eius discussio ad nos non pertinet) negatur eius consequentia: nam veritas nostræ propositionis non fundatur VIII. in ista propositione *(sanguis humanus informatur anima rationali)* sed in condignitate pretij sanguinis Christi Domini ad nostram redemptionem, & in eo quòd sanguis sit aliqua pars necessaria humani corporis, vt suprà ex sacris Litteris, & ipsa ratione deduximus.

Ad primam probationem consequentiæ respondetur, non magis sequi Verbum assumpsisse duas naturas, vnã scilicet animatam, & alteram inanimatam, distinctas genere, quam ex eo quòd iuxta communem sententiam assumpsit immediatè corpus & animam, sequitur Verbum assumpsisse duas naturas: nam quoad præsentem difficultatem est vtrobique par ratio, vt vnusquisq; potest facile animaduertere: vnde quemadmodum non obstante ista distinctione partium humanitatis à se inuicem, Verbum diui-

I. num dicitur vnam tantùm assumpsisse naturam, & Christus Dominus terminus totalis resultans vnus, & aliquod vnum per se, quia scilicet partes illæ habent inter se aliquam naturalem connexionem ad componendum vnum per se physicum: ita etiam, quia caro & sanguis habent naturalem inter se connexionem ad constituendum corpus humanum in statu consistentiæ, & propria forma sanguinis est tantùm velut quædam dispositio ad animam rationalem vt ad formam principalem, ideò corpus & sanguis vt simul sumpta dicuntur vna tantùm pars totius humanitatis, & Verbum diuinum dicitur vnam tantùm assumpsisse naturam non plures nisi partiales, quæ vnum totum per se, *vel secundùm essentiam, vel secundùm integritatem, vel secundùm statum consistentiæ & conseruationis in suo esse* constituant, quomodo etiam ossa &

II. nerui sunt partes vnius corporis humani, licèt secundùm plerosque diuersas habeant formas substantiales.

Ad secundam probationem eiusdem consequentiæ, tam ipsum antecedens quàm eius consequentia negatur: & huius vtriusque, nimirum antecedentis & consequentiæ, falsitas satis intelligitur ex nunc dictis ad primum istud principale argumentum, & primam eius consequentiæ probationem. Ad tertiam probationem, concessa Maiore, ad Minorem respondetur ex dictis suprà quæstione 2. partes, propriè loquendo, non subsistere, nec habere subsistentiam, sed hãc esse totalem modum totalis naturæ, & proinde sicut vnica est totalis subsistentia complens vltimò totam humanitatem in vnoquoque hominum, ita etiam in Christo Domino subsistentia Verbi diuini complet vltimò, & facit subsistere non solum corpus, vel solum sanguinem, sed

III. totam ipsam humanitatem, cum hoc tamen discrimine à subsistentia creata, quòd hæc sit composita ex pluribus modis-afficientibus singulas partes substantiæ vnam totalem constituentibus, vt ibi est explicatum: at subsistentia Verbi diuini sit vna simplicissima carens partibus siue essentialibus, siue integrantibus, nullomodò in se distincta secundùm partes essentiales, aut integrantes eius totalis naturæ quam sustentat, sed ipsa existens vna simplicissima terminat totam humanitatem, & omnes eius partes, vltimatè, provt illæ postulant terminari à propria sua subsistentia si adesset.

Ad quartam probationem eiusdem consequentiæ respondetur, Verbum diuinum non hoc sensu dici assumpsisse corpus *mediante anima*, quasi ei vniatur tantummodò *mediatè*, hoc

IV. enim esse falsum patet ex dictis, sed isto sensu, quòd assumptio corporis est in hunc finem, vt scilicet corpus seruiat animæ, *& anima est causa finalis & motiua ob quam corpus est assumptum*, vt explicabitur sequenti quæstione: quo etiam modo sanguis potest dici assumptus *per animam, seu mediante anima, vel propter animam*, quia anima rationalis vtitur ipso sanguine tanquam instrumento ad suas functiones: & ex hoc patet istam consequentiam (ergo Filius Dei non assumpsit illud immediatè in quo anima non fuit) esse malam, si iste terminus, *non fuit*, sumatur loco istius, *informat*, quia terminatio hypostatica latiùs patet ipsa informatione præcisè facta per animam rationalem.

Secundum fundamentum huius primæ sententiæ est. Verbum diuinum assumpsit tantummodò quod spectat ad integritatem naturæ humanæ: atqui sanguis non est eiusmodi, vt patet ex sancto Thoma primâ parte, quæstione 119. articulo 1. & hac tertiâ parte, quæstione 31. articulo quinto, in solutione ad primum. Et probatur etiam facilè ex Aristotele libro de partibus animalium capite tertio, docente alimentum non esse partem actu, sed tantùm potentiâ. at sanguis est tantùm alimentum partium humani corporis. Hæc ratio confirmatur ex sacramento Eucharistiæ, si sanguis esset propriè aliqua pars integri corporis humani, deberet poni vi verborum sub speciebus panis, quia integrum, & non mutilum corpus Christi Domini ponitur vi verborum: atqui sanguis Christi Domini ponitur sub speciebus panis solummodò per concomitantiam, vt docet Tridentinum sessione duodecima capite tertio: igitur sanguis

B non est propriè aliqua pars humani corporis, nec proinde fuit assumptus à Verbo diuino.

Respondetur, Verbum diuinum non tantùm assumpsisse immediatè ea quæ spectant ad integritatem humanitatis, sed etiam quæ sunt necessaria ad constitutionem & conseruationem vitæ, cuiusmodi est sanguis. Deinde si corpus sumatur provt *ordinatur ad constituendum, integrandum & perficiendum animal*, iam sanguis pertinet ad integritatem corporis, quia est necessarius animæ vt hæc informet illud, suasque naturales actiones exerceat: vnde cùm corpus Christi Domini deberet esse viuum Verbum, etiam debuit assumere immediatè ipsum sanguinem, & hac de causa Aristoteles libro tertio de historia animalium capite decimo nono, vocat sanguinem *partem corporis*, eo modo quo

C cerebrum & medullæ sunt partes, & sanctus Thomas infrà quæstione 54. articulo 2. dicit *sanguinem esse de veritate naturæ humanæ, sicut caro & ossa sunt*: at nemo negat Verbum assumpsisse immediatè carnem: ergo & ipsum etiam sanguinem assumpsit. Vnde quando Aristoteles, S. Thomas & Philosophi communiter negant sanguinem esse partem, id tantùm intelligunt *de partibus essentialibus* cuiusmodi sunt materia, forma, *& integrantibus propriè dictis*, cuiusmodi sunt caput, & pedes, non autem de iis quæ sunt necessariæ ad *consistentiam & conseruationem vitæ*, cuiusmodi est sanguis, scilicet sumpto nomine partis in ampliori significatione, iuxta quam acceptionem Aristoteles lib. 3. de historia animalium capite secundo, reponit sanguinem in serie partium similarium, quia scilicet non constat aliis partibus dissimilium rationum, cuiusmodi sunt caput & aliquot aliæ par-

D tes, quæ constant carne, ossibus, neruis & aliis eiusmodi, & hæc ratio partis conueniens sanguini non impedit, quin sit etiam alimentum, cùm vt sic nondum sit propriè loquendo actu pars, sed tantùm in potentia, quatenus est in via & in transitu ad alias partes, quemadmodum Philosophi docent in libro de anima.

Ad confirmationem petitam ex Sacramento Eucharistiæ, negatur Maior, ad cuius probationem respondetur, hoc nomẽ, *corpus*, habere duas significationes, quando est sermo de corpore animalis vel hominis. Prima est, qua sumitur modo iam expositio, scilicet *pro toto corpore etiam complectente sanguinem*, quatenus est tota & integra pars hominis componentis totum hominem, cùm anima tanquam forma illius. Secun-

V. VI. VII. VIII.

I. da est, qua sumptum præcisè significat tantummodò *partes solidas corporis & consistentes*, animâ etiam separatâ: quo sensu corpus exangue & separatum ab anima rationali solet etiam satis communiter appellari *corpus*. Iam hoc nomen *corpus*, in verbis consecrationis non sumitur priori modo, sed tantùm posteriori, quo abstrahit à sanguine: nam verba vtriusque formæ, provt formæ illæ comparantur ad se inuicem, id satis significant: est enim hoc sacramentum memoriale Passionis Domini, & viua repræsentatio cruenti sacrificij in cruce peracti à Christo Domino: quare sicut in hoc, corpus fuit factum exangue, totus Christi Domini sanguis positus extra corpus, seu effusus; ita etiam verba consecrationis secundùm suam vim practicam, præcisè & formaliter consideratam, significant corpus Christi Domini hoc secundo modo spectatum,

II. sicque nunc seu post Resurrectionem Christi B Domini ponitur tantùm per concomitantiam sub speciebus panis, quemadmodum significat Tridentinum suprà, nec tamen sub alia consideratione superiùs explicata sanguis ille non desinit esse aliqua pars eiusdem corporis.

Tertiò obiiciunt. Vbi duo aliqua habent idem numero suppositum, ibi vnum sumptum *in concreto*, prædicatur de alio etiam sumpto *in concreto per communicationem idiomatum*: exempli gratiâ, quia diuina natura & humana in Christo Domino habent idem numero suppositum Verbi diuini, hæ propositiones sunt veræ *Deus est homo, & homo est Deus*, sed hæc propositio formata de sanguine Christi Domini, *sanguis est Deus*, similiter & hæc *Deus est sanguis*, est falsa: ergo & hæc duo ibi recensita non habent idem

III. numero suppositum, nec ex consequenti sanguis C Christi Domini fuit immediatè vnitus hypostaticè Verbo diuino.

Respondetur, communicationem idiomatum fundari in identitate suppositi, non quomodocumque spectati, sed considerati *in ratione totalis subsistentiæ integræ & perfectæ naturæ*: qua ratione solet appellari à Philosophis *suppositum*: nam ipsa communicatio fit tantùm inter ea quæ *tanquam ens aliquod integrum* prædicantur, & non inter ea quæ tantùm sunt assumpta *tanquam partes*: nunquam enim parsin recto casu enunciatur de toto, vel è contrà, & licèt Theologi omnes agnoscant Verbum assumpsisse immediatè corpus, item animam, nullus tamen eorum admittit hanc propositionem esse legitimam vi ipsius communicationis idiomatum, *Deus est corpus, Deus est anima*, vel è contrà, *anima est Verbum, anima est Deus*, cuius falsitatis ratio est hæc,

IV. quòd anima & corpus sese habeat ibi per modũ D partis, & non per modum alicuius totius integri: ergo id quod minùs propriè loquendo est aliqua pars hominis, cuiusmodi est sanguis, multò minùs poterit etiam per communicationem idiomatũ prædicari de Verbo assumente illud immediatè.

Vltimò obiiciunt. Quod Verbum diuinum semel assumpsit, nunquam dimisit, vt habet receptissimum axioma: atqui ex sanguine Christi D. multæ partes effusæ tempore passionis & mortis eius adhuc remanent in terris, quæ tamen nunc non sunt vnitæ immediatè Verbo diuino, cùm nullam ampliùs retineant rationem partis, nec habitudinem ad sanguinem illum qui nunc est in corpore glorioso Christi Domini; vtpotè nunquam illi reuniendæ, sed nunc sunt totum quoddam: igitur cùm sanguis ille existens in ter-

A ris sit eiusdem rationis cum illo qui nunc est in corpore Christi Domini, sicut ille non est assumptus immediatè, ita nec iste. V.

Respondetur, axioma istud solummodò intelligi, de præcipuis partibus, & iis quæ sunt necessaria ad integritatem, veritatem, perfectionem, consistentiam & conseruationem humanitatis: non autem de particulis minùs præcipuis, non necessariis ad conseruationem humanitatis, in qua tamen possunt reperiri.

Ad Minorem eiusdem argumenti S. Thomas infrà quæst. 54. art. 2. in solutione ad 3. respondet, Christum in sua resurrectione resumpsisse totum sanguinem, quem effudit in passione, nihil veri sui sanguinis reliquisse in terris, & sanguinem illum qui tanquam Christi Domini asseruatur in quibusdam Ecclesiis esse productũ à Deo miraculosè. Sed licèt istud sit verum de illo sanguine qui, exempli gratiâ, interdum apparet in B VI. sacramento Eucharistiæ, vel defluxit ex aliqua imagine Christi Domini percussa, non tamen id videtur esse verum de omni & quolibet sanguine, qui in quibusdam Ecclesiis asseruatur tanquam sanguis Christi Domini, & vt talis colitur à fidelibus: tum quia certum est spinas, clauos, crucem & id genus instrumenta Passionis Dominicæ remansisse rubra ex sanguine Christi Domini, quod non fuit factum nisi aliquantulum substantiæ sanguinis Christi Domini adhæsisset illis: tum etiam quia Pius II. in quadam Bulla, quam Siluester loco superiùs cit. refert, non tantùm ait, *fidei non repugnare Christum Dominum aliquam partem sui sanguinis reliquisse in terris, sed insuper addit idipsum piè credi*. & Leo III. teste Platina in vita eius, profectus est Mantuam ad

III. visendum sanguinem Christi Domini tunc ibi C VII. clarum miraculis, eiúsque cultum approbauit: & Nicephorus lib. 1. cap. 3. refert beatissimam Virginem & S. Ioannem assistentes Christo patiẽti, collegisse aliquid eius sãguinis, cõseruasse in vasculo, additque Siluester suprà, se, cùm viseret antrum S. Magdalenæ in Prouincia, vidisse vasculũ vitreum plenum terrã medij coloris inter rubrũ & nigrum aspersã sanguine Christi Domini à S. Magdalena collectã in morte Christi; seque ab incolis istius loci accepisse feriã sextã sanctæ hebdomadis sanguinem hunc, perlectã historiã Passionis Dominicæ, solere ebullire: at non videtur credibile Deum tot miraculis & summorũ Pontificum decretis approbasse deuotionem populi colentis hunc sanguinem tanquam sanguinem Christi Domini, qui tamẽ non esset sanguis Christi, & summos Pontifices suis Bullis dixisse *piè credi*, quod falsò creditur. Néque huic deuotioni

IV. fidelium & historiis nunc relatis sufficit respon- D VIII. dere sanguinẽ illum fluxisse miraculosè de quadam imagine percussa Christi Domini, licèt enim id sit verum de alio sanguine alibi asseruato, non tamen videtur posse dici de hoc sanguine sic effuso in morte Christi Domini & collecto, iuxta relationem historiarum nunc commemoratarum: vnde sanguis ille adhuc videtur retinere veram suam formam sanguinis, licèt sit concretus, tum quia aliàs falsò diceretur esse sanguis Christi Domini, & contra communem æstimationem populi habentis singularem deuotionem erga illum vt talem: tum etiam quia miraculosa illa ebullitio sanguinis vt feruentis, videtur veritatem entitatis eius indicare: nec propterea tamen manet vnitus hypostaticè Verbo, sed nunc propriam habet subsistentiam, quia

I. nullum habet ampliùs ordinem partis, siue in actu, siue in potentiâ proximâ ad humanitatem Christi Domini, sicut nec partes illę corporis quę per nutritionem decidebant, dum Christus Dominus esset mortalis, ideóque cùm sanguis iste sit tantùm aliqua minima pars integræ humanitatis, eius ab illa separatio & à Verbo diuino *in sustentari*, non aduersatur veritati prædicti axiomatis: sanguis autem effusus in morte & in resurrectione reassumptus mansit semper vnitus hypostaticè Verbo etiam in triduo, cùm tunc haberet ordinem & habitudinem partis in proxima potentia ad humanitatem.

Dices, Christus Dominus resurgens ad perfectionem sui corporis debuit totum suum sanguinem resumere, inaximè cùm maior quàtitas sanguinis requiratur corpore glorioso quàm in
II. mortali, in quo quædam fęces & excrementa reperiuntur, quæ non sunt in corpore glorioso: sicque, quia loca illa sunt replenda purissimo sanguine, Christus Dominus debuit resumere totum suum sanguinem, & nihil relinquere in terris.

Respondetur primò, Christum Dominum etiam absque miraculo potuisse facere vt haberet satis sanguinis tam resumendi pro statu corporis glorioſi, quàm relinquendi in terris, scilicet minuendo ieiunia, potuit prouidere ante passionem suã vt tempore illo haberet plus sanguinis quàm requireretur absolutè ad perfectionem corporis conseruãdam, quo liberalius posset illum effundere, & aliquid illius effusi nobis relinqueret ad excitandam deuotionem populi. Deinde aliter, scilicet resumendo sanguinem effusum in circumcisione, aut aliquid ex illo, vt sic repleret locum illum quem fęces admixtæ sanguini existenti in corpore mortali occupant.
III.

Articvlvs V.

Vtrùm tres reliqui humores, & spiritus, siue animales, siue vitales immediatè à Verbo diuino sint assumpti.

Sit hæc primâ propositio. *Reliqui tres humores sunt immediatè assumpti à Verbo diuino.* Ita Caietanus hîc, Siluester suprà, & communior sententia Interpretum S. Thomæ. Probatur, eodem modo tres illi humores pertinent ad integritatem & consistentiam humanæ naturæ, quo ipse sanguis: ergo quemadmodum ob has causas sanguis est assumptus immediatè à Verbo diuino, quemadmodum docuimus præcedenti articulo, ita & tres reliqui humores sunt immediatè assumpti à Verbo diuino. Consequentia pater,
IV. Antecedens probatur: primò, auctoritate sancti Damasceni lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 12. dicentis *corpora animalium constare quatuor humoribus*, item Innocentij III. *cap. in quadam, de celebratione Missarum*, dicẽtis *habere quatuor humores esse de ratione compositionis veri corporis humani*: at Verbum assumpsit verum corpus humanum: ergo & constans quatuor humoribus: ergo sicut immediatè assumpsit sanguinem, ita & alios tres humores. Deinde illud fuit immediatè assumptum à Verbo, quod est necessarium ad consistentiam & conseruationem & debitum temperamentum corporis humani, item & ad operationes animales: atqui tres reliqui humores sunt eiusmodi, vt Philosophi & Medici docent agendo de illis. Vnde & Theologi agendo A de conditione corporum glorioſorum docent communiter illos futuros in corporibus beatorum, & illos esse de facto in corpore glorioso Christi Domini S. Augustinus ait expresè epist. 146. Tãdem ex Philosophis & Medicis suprà, tres isti humores ita sunt permixti sanguini, vt videantur aliquid omninò vnũ cum illo constituere: ergo cùm sanguis fuerit assumptus immediatè à Verbo, similiter & tres alij fuerunt assumpti.

Obiicies Aristotelem interdum vocare tres istos humores excrementa, vt lib. 4. de partibus animalium cap. 1. & alibi: ergo cùm excrementa non spectent ad aliquam integritatem & consistentiam corporis humani Verbum diuinum illos non assumpsit. Respondetur tres istos humores posse duobus modis considerari; primo, quatenus sunt *permixti cum sanguine*, & cum illo per totum corpus diffusi, deinde *quatenus sunt ab*
B *illo separati*: priori modo sunt partes eadem ratione necessariæ ad consistentiam corporis humani, quà sanguis: at posteriori modo dicuntur excrementa. Addi etiam potest istos humores dici *excrementa*, respectu *nutritionis*, non respectu *constitutionis & temperamenti* corporis debiti; quatenus solus sanguis est per se & sua natura ordinatus ad nutritionem, tres verò reliqui humores non ita referuntur ad hunc finem ex sua naturali conditione. V. VI.

Secunda propositio. *Spiritus tam animales quàm vitales sunt assumpti immediatè à Verbo diuino.* Ita plerique recentiorum hac quæstione S. Thomæ, & probatur. Verbum assumpsit immediatè, quæ sunt necessaria ad consistentiam & perfectionem totius humanitatis: at vtrique illi spiritus sunt tales, sunt enim instrumenta proxima quibus anima regit & mouet suum corpus.
C Deinde eiusmodi spiritus erunt in corporibus glorioſis: ergo pari iur quo tres reliqui humores sunt assumpti immediatè hypostaticè, & isti vtrique spiritus erunt etiam assumpti immediatè hypostaticè. VII.

Nec obstat quòd isti spiritus in hac mortali vita non habeant statum permanentem: nam ex eo tantùm fit, vt postquam desierint esse in corpore, desinant etiam subsistere subsistentiâ Verbi diuini, sicut partes materiæ, quæ per continuam nutritionem adnascentes corpori mortali Christi Domini assumebantur, & quæ resoluebantur seu deperdebantur, dimittebantur à Verbo diuino, & propriam suam subsistentiam acquirebant, cùm nunquam essent resumendæ à Christo Domino in sua resurrectione.

Articvlvs VI.

Vtrùm dentes, capilli, & barba fuerint immediatè assumpta à Verbo diuino.
VIII.

Sit primâ propositio. *Dentes & vngues fuerunt assumpti immediatè à Verbo diuino.* Ita omnes qui volunt dentes & vngues esse animatos, vt S. Thomas in 4. sentent. dist. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 2. in solutione ad 3. Nam ex nostro secundo notabili præcedenti 3. art. omnes illæ partes corporis humani sunt immediatè assumptæ à Verbo quæ informãtur anima rationali: eandem sequuntur sententiam aliqui etiam alij ex iis, qui existimant dentes & vngues non informari anima rationali: & quia non spectat ad præsentem quæst. discutere, an dentes & vngues informentur anima rationali, probamus

I. nostram propositionem independenter ab ista difficultate ex dictis præcedentibus articulis. Verbum assumpsit immediatè quæcunque non tantùm ad integritatem humanitatis pertinent, sed etiam partes alias substantiales, quæ faciunt ad illius perfectionem, & deseruiunt humanis functionibus: atqui dentes, & vngues sunt eiusmodi, nam dentes deseruiunt comestioni, & formandæ etiam locutioni, vt per se patet; vngues item ad perfectionem, conseruationem, & ornatum digitorum.

Dices, vngues esse quædam excrementa; deinde illos satis frequenter resecari; sicque ob tam facilem separationem non fuisse conueniens Verbum diuinum illos immediatè assumere. Ad primum respondetur hæc duo distingui, *esse purum excrementum* nullo modo, tam secundario, quàm primario ordinatum à natura ad aliquid ipsius corporis, & ab illa neglectum: item
II. aliud *ita esse excrementum, vt tamen non sit purum*, sed ordinetur à natura ad perfectionem eius cui inest, & in quo remanet, nec ab illa contemnitur: fuit conueniens res posterioris generis assumi immediatè à Verbo, quia ita sunt excrementum, vt tamen dentur à natura ad perfectionem & ornatum corporis, neque negligantur: cùm ergo Verbum diuinum assumpserit naturam humanam omnimodè integram, perfectam & ornatam (nam & plerique interpretantur illud Psalmi, *Speciosus forma præ filiis hominum*, de Christo Domino) & ipsi vngues ita in nobis sint excrementa naturæ, vt tamen sint non pura excrementa, sed conferantur ad aliquot partes corporis protegendas, nec natura illos negligat, conueniens fuit illos immediatè assumi à Verbo.

III. Econtrà verò, quia *sudores*, *lachrymæ*, & alia eis similia sunt pura quædam excrementa naturæ, nullo modo pertinentia ad perfectionem, vel ornatum corporis (non enim repetientur in corporibus Beatorum) ideò non fuerunt immediatè assumpti à Verbo diuino.

Ad secundum respondetur eandem esse quoad hoc rationem illorum, ac partium materiæ, quæ quotidie per nutritionem adgenerabantur ipsi corpori, & quotidie decidebant: vt enim hæc illarum conditio non impediebat, quin quandiu remanebant in corpore Christi Domini essent immediatè vnitæ Verbo diuino, licèt à corpore decisæ, & nunquam resumendæ, obtinerent propriam suam subsistentiam: ita etiam & partes illæ vngiuium, quæ resecabantur, quandiu manebant coniunctæ toti corpori, erant immediatè vnitæ hypostaticè Verbo diuino: vbi
IV. verò erant resectæ propriam suam subsistentiam obtinebant. Nec hoc aduersatur prædicto axiomati sancti Damasceni, nam id exposuimus de partibus præcipuis, & de iis, quæ ita semel fuerunt assumpta à Verbo, vt tamen essent reuniendæ suo toti, itavt si quæ fuerunt assumpta, quæ tamen ita separarentur à suo toto, vt ei nunquam essent reuniendæ; tunc quia carent omni ratione partis, tam secundùm proximam potentiam, quàm secundùm actum, dimittantur à Verbo diuino in ratione sustentantis, & suam propriam consequantur subsistentiam.

Secunda propositio: *Barba & capilli videntur etiam immediate assumpti à Verbo diuino*: ita censent qui existimant eos esse animatos ob fundamentum superiùs assignatum: quâ tamen ratione omissâ, probatur ex eo quòd tam capilli, quàm A barba sunt ad completum ornamentum corporis, vt patet ex eo quòd reperiantur in corporibus Beatorum, quemadmodum sanctus Augustinus docet in Enchiridio capite 88. & lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 19. Item quòd carentia illorum arguat quandam imperfectionem, vt habet communis sensus hominum: vnde etiam *detonsio comæ* est signum luctus & pœnitentiæ, & apud Romanos fuit signum seruitutis: ergo cùm Verbum diuinum assumpserit immediatè omnes illas partes substantiales corporis, quæ faciunt ad eius integritatem & perfectionem, & ornamentum, fuit conueniens illud etiam assumere immediatè barbam & capillos. Atque illud confirmatur ex sancto Ambrosio libro de sacramento Dominicæ Incarnationis, & sancto Athanasio epistola ad Epictetum, vbi ita scribunt contra hæreticos existimantes Verbum per mysterium
B Incarnationis fuisse conuersum in carnem & capillos, vt supponant esse verum quod Filius Dei assumpserit immediatè capillos; & quod potest obiici de eorum resecatione, eodem modo soluitur, quo suprà responsum est ad alias similes difficultates de spiritibus vitalibus, & aliis eiusmodi.

V. VI.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vtrùm Verbum diuinum assumpserit animam & intellectum.

DVÆ fuerunt hac de re hæreses: Prima Arij & Apollinaris, qui, vt ex sancto Augustino refert hîc sanctus Thomas articulo tertio, existimarunt Verbum diuinum solùmodò assumpsisse carnem seu corpus, & ipsum Verbum
C fuisse corpori loco animæ. Arius autem dicitur inductus ad id asserendum, vt hac aliâ suâ hæresi euitaret responsionem Catholicorum ad ea argumenta, quibus Ariani nitebantur ostendere Filium Dei esse minorem Patre, vt ex eo quòd multa passim reperiantur in Nouo Testamento, quæ tribuunt Christo Domino infirmitatem humanam, vt quòd sit admiratus, quòd timuerit, quòd orauerit, & plura id genus: cùm enim Catholici responderent ista dici & conuenire Christo, prout consideratur *secundùm naturam humanam*, dicebant illa non posse competere, nisi naturæ intellectuali, & propterea dici de Filio Dei incarnato, qui erat aliqua specialis creatura, & vice animæ in illo corpore assumpto.

VII.

Altera hæresis fuit ipsius Apollinaris; is enim conuictus pluribus Scripturæ testimoniis, Verbum diuinum assumpsisse veram animam, negauit tamen illud assumpsisse intellectum, seu mentem, sed Verbum esse loco illius.

D VIII.

Cæterùm, cùm intellectus & mens possint duobus modis sumi: Primo, pro *ipso subsstantiali, & radicali principio intelligendi*, vt docet sanctus Thomas primâ parte, quæstione 79. art. 1. Deinde *pro ipsa potentia intelligendi*, quam vulgò appellamus *intellectum*, potentiam intellectiuam ab essentia animæ rationalis aliquo modo distinctam, non satis constat quo sensu prædictus Apollinaris negauerit Verbum assumpsisse intellectum; nam sanctus Epiphanius hæresi 77. numero 23. & 24. notat tam ipsum Apollinarem, quàm eius sectatores in hac re fuisse obscuros, nec satis seipsos explicasse; & nihilominùs interrogatos an mens esset substantia, respondisse tandem non esse substantiam; & sanctus Augu-

I. stinus hæresi 55. referēs hanc hæresim ait, eos dixisse mentem, quā anima est rationalis, non fuisse in anima Christi Domini: iuxta quam explicationem Apollinaristæ videntur solummodò negasse *potentiam intellectiuam* in anima Christi Domini, quo modo illos impugnat sanctus Epiphanius suprà. Alij verò existimant eos negasse *ipsum substantialem gradum intelligendi*, & solam animam sentientem admisisse in Christo Domino: sed quidquid sit de illorum intelligentia, nos iuxta vtramque explicationem huius particulæ *intellectus*, præsentem controuersiam dirimemus: sit itaque

Prima propositio: *Verbum diuinum assumpsit immediatè animam rationalem.* Propositio est de fide expressè definita in Concilio Ephesino primo, Canone tertio: *Non dicimus*, inquit Concilium, *quòd Dei natura conuersa, vel immutata,* II. *facta sit caro, nec quòd in totum hominem, qui est ex anima & corpore, transformata sit; sed magis quòd carnem animatam animâ rationali sibi copularit, Verbúmque substantialiter, ineffabiliter, & incomprehensibiliter factum sit homo.* Et quinta Synodus collatione 8. Canone 4. habet, *Qui non confitetur vnitatem Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali, & intellectuali, secundùm compositionem, siue subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerunt; & ideò vnam eius subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Iesus Christus, vnus de sancta Trinitate, talis anathema sit.* Sic & in pluribus aliis Conciliis.

Probatur autem primò iis omnibus Scripturæ testimoniis, quæ passim tribuunt Christo Domino animam rationalem, item operationes eius, vt quando dicitur *contristatus, admiratus, iratus, loquutus, orasse*, & id genus cætera fecisse, III. quæ sunt propria animæ rationalis, nec potest responderi Christo Domino ista tribui tantùm metaphoricè: nam, vt rectè ait sanctus Thomas hîc articulo tertio in corpore, si hæc solutio admittatur, *peribit fides Euangelicæ narrationis*, quæ ista recensent, vt verè & propriè conuenientia Christo Domino, perit etiam & ipsa vtilitas Incarnationis: si enim Verbum non assumpsit animam, illam non curauit, quæ tamen maximè egebat curatione, cùm illa sit subiectum peccati, quod tantùm est in carne, *per denominationem quandam extrinsecam*. Deinde si illam non assumpsit, non satisfecit pro nobis, nec quidquam nobis meruit, cùm hæc fiant per animam rationalem prædictam libero arbitrio, & datâ tali hypothesi, Christus Dominus esset potiùs quædam bellua sub figura humana, quàm IV. homo; quod est blasphemum.

Probatur secundò iis omnibus rationibus, quibus suprà probauimus Verbum assumpsisse immediatè corpus; nam illæ omnes applicatæ animæ rationali probant nostram propositionem. Tertiò, iis omnibus, quibus suprà ad quæstionem secundam docuimus etiam in Christo Domino dari vnionem animæ & corporis. Tandem ex eo, quòd anima sit propriè causa formalis, & ipsamet forma corporis humani: at Deus, nec proinde Verbum, quod est Deus, potest esse forma corporis, vt cum sancto Thoma omnes Theologi communiter docent primâ parte, quæstione tertiâ.

Secunda propositio: *Verbum diuinum assumpsit intellectum, voluntatem, & omnes facultates, seu potentias tam corporis, quàm animæ.* Hæc propositio, prout abstrahit ab immediata & mediata assumptione, est de fide; nam Concilia superiùs citata definiunt, *Verbum assumpsisse humanitatem integram, perfectam, item animam rationalem.* Deinde sacræ Scripturæ tribuunt animæ Christi Domini veram scientiam, sapientiam, consilium, & cæteras perfectiones intellectus, vt Isaiæ 19. & hæc fuisse in anima Christi Domini ostendemus infrà: igitur cùm hæc insint intellectui, tanquam proximo & immediato suo subiecto, debet Christus Dominus habere intellectum, & Verbum diuinum debet illum assumpsisse.

Quòd verò Verbum diuinum non suppleuerit intellectum in anima Christi Domini, potest intelligi ex dictis; nam Verbum diuinum nullum habet specialem influxum realem, prout distinguitur à morali, in humanitatem assumptam, quemadmodum suprà docuimus: at intellectus habet realem influxum, vel dum producit intellectionem, vel dum format verbum mentis, & animam Christi Domini non posse intelligere per intellectum diuinum, ostendemus infrà, agendo de scientia animæ Christi Domini.

Idem patet de voluntate, quia Scripturæ, Concilia, & Patres passim illam tribuunt animæ Christi Domini contra Monothelitas; de quibus infrà: item ei tribuunt liberum arbitrium, gratiam, dilectionem, meritum, & satisfactionem pro nostris peccatis: at hæc non possunt esse sine voluntate, & Verbum non potest supplere voluntatem, vel alias potentias animæ, ob eas rationes, quibus diximus illud non posse supplere intellectum in anima Christi Domini. Tandem Verbum diuinum assumpsit ea omnia quæ spectant ad integritatem, consistentiā, & conseruationem naturæ humanæ: similiter & quæ requiruntur, vt illas suas functiones exerceat, VII. quemadmodum ostendimus in præcedentibus: at quæ enumerantur hac secundâ propositione sunt talis conditionis, vt Philosophi docent lib. de anima: igitur Verbum diuinum assumpsit illa omnia.

Nec obstat, quòd intellectus possit ab anima separari, & tota substantia animæ rationalis dari per absolutam potentiam Dei, siue intellectu: nam quicquid sit hac de re, illud tamen non habuit locum in anima Christi Domini, vt patet ex citatis Scripturis: & rationes allatæ probant id esse contra perfectionem animæ Christi Domini, quia sic careret vsu rationis & libertatis, esséque istud contra finem Incarnationis, vt factæ modo passibili, qui est redimere genus humanum.

Quæres, an Verbum assumpserit immediatè hypostaticè intellectum, & alias potentias ani- VIII. mæ, an verò solummodò mediatè. Respondetur, solutionem huius quæsiti pendere ab ista quæstione, an potentiæ animæ distinguantur *realiter & entitatiuè ab anima*: an verò sint idem *realiter entitate*, & substantialiter cum anima, seruando tamen distinctionem aliquam virtualem, vel rationis. *Qui dicut distingui realiter*, debent consequenter dicere *fuisse tantùm assumptas mediatè*, quia iuxta hanc sententiam sunt, loquendo propriè, quædam accidentia de genere qualitatis: vnde cùm accidens non possit immediatè assumi, sed tantùm mediatè, vt suprà docuimus, istæ etiam potentiæ non fuerunt assumptæ immediatè à Verbo: qui verò aliam sequuntur sententiam debent consequenter dicere, *istas potentias fuisse immediatè assumptas à Verbo diui-*

I. *ro*: quia sunt aliquid subſtantiale, aptum terminari, pertinens ad perfectionem & propriam operationem ipſius naturæ humanæ.

AD QVÆSTIONEM VI.

DISPVTATIO PRIMA.

De modo aſſumptionis, quantum ad ordinem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm caro priùs tempore fuerit aſſumpta, quàm anima, vel econtrà, an verò vtraque ſimul fuerit aſſumpta.

II. QVIA partes humanitatis aliquem inter ſe ſeruant ordinem, & docuimus Verbum diuinum aſſumpſiſſe humanitatem perfectam, integram, & completam; nunc de ordine aſſumptionis illarum agendum eſt. Poteſt autem hic triplex ordo diſtingui: primus *durationis, ſeu temporis*: ſecundus *dignitatis*: tertius *cauſalitatis*, qui iterùm eſt duplex; primus *intentionis*, iuxta cauſalitatem finalem: alter *qui reſpicit cauſam* efficientem, aut quaſi efficientem: & hic adhuc duplex; primus, *qui ſit ſecundùm veram aliquam durationem temporis, aut alicuius ſaltem inſtantis temporis*: alter, *qui nullam durationem temporis etiam inſtantaneam importet, ſed ſolam anteceſſionem naturæ*. Et de his omnibus prioritatibus varia mouentur dubia circa præſens myſterium: nos hìc diſputabimus de prima.

III. Origenes, vt refert ſanctus Thomas in epiſt. ad Hebræos lectione quartâ, & intelligitur ex 2. libro Origenis περὶ ἀρχῶν cap. 6. exiſtimauit animam Chriſti Domini fuiſſe creatam ab initio mundi, & aliquandiu pòſt, merito ſingularis ſuæ dilectionis erga Deum, fuiſſe aſſumptam à Verbo diuino, tandem poſt aliquot annorum millia, tempore per Deum ordinato, fuiſſe vnitam carni, ſeu corpori; ſicque Verbum diuinum priùs tempore aſſumpſiſſe animam, quàm corpus.

IV. Hæc tamen ſit noſtra propoſitio: *Anima Chriſti Domini non fuit priùs tempore aſſumpta à Verbo, quàm caro, nec econtrà, ſed anima & caro ſimul & eodem tempore aſſumpta fuerunt à Verbo diuino*. Tota propoſitio eſt de fide; eam enim habemus definitam in ſexta Synodo; nam vndecimâ eius actione, epiſtola Sophronij eſt perlecta, & decima-tertiâ actione approbata, in quâ habetur expreſsè, nec animam Chriſti Domini, nec eius carnem præextitiſſe vnioni ad Verbum: *Simul*, ibi inquit Sophronius, *quippe caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro animata rationalis, ſimul Dei Verbi caro animata rationalis*. & apud Nicephorum lib. 17. hiſtoriæ cap. 28. ſecundus iſte Canon quintæ Synodi refertur: *Si quis dicit, aut ſentit animam Domini præextitiſſe, vnitámque eſſe Dei Verbo ante Incarnationem & natiuitatẽ ex Virgine, anathema ſit*. Quo loci hæc particula, *ante natiuitatem ex Virgine*, non ſumitur pro natiuitate *extra vterum*, quaſi ſenſus

A ſit, vnionem hypoſtaticam fuiſſe factam poſt natiuitatem, vel in ipſa tantùm natiuitate, quà Chriſtus Dominus egreſſus eſt ex vtero Beatiſſimæ Virginis, hoc enim eſt Neſtorianum; ſed prædicta particula ſumitur *pro ipſa conceptione & generatione Chriſti Domini in vtero Beatiſſimæ Virginis*, quomodo ſatis communiter ad diſtinctionem alterius natiuitatis appellatur à Philoſophis & Theologis, *natiuitas in vtero*, conformiter ad illud Angeli ad ſanctum Ioſeph, Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, id eſt, quod conceptum & genitum, vt ibi notant Interpretes. V.

Eſt item hæc opinio Origenis condemnata in Concilio primo Bracharenſi Can. 6. & noſtram propoſitionem tanquam de fide docent Patres: ſanctus Ambroſius lib. de ſacramento Dominicæ Incarnationis cap. 7. S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 18. S. Leo epiſt. 11. ad Iulian. B VI. S. Cyrillus lib. 1. in S. Ioannem: S. Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 6. & probatur ex ſacris litteris ibi, quæ dicunt hoc myſterium fuiſſe factum *in plenitudine temporis*, vt ad Galatas. 4. ibi, quia miſſio Filij viſibilis fuit facta, quando Verbum factum eſt homo ex muliere, exprimitur hæc vnio facta tantùm in plenitudine temporis, ac ſi anima Chriſti Domini longè priùs fuiſſet creata, & Verbo diuino vnita hypoſtaticè, tam hæc viſibilis miſſio longè præceſſiſſet. Probatur deinde ex illo Symboli, *Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt*: quâ parte profitemur, quando & quomodo myſterium hoc vnionis hypoſtaticæ fuerit peractũ. Tertiò iis omnibus, quibus Theologi & Philoſophi probant animas rationales eodem tempore creari, & vniri ſuis corporibus. Tandem ratione: caro humana eo tantùm tempore eſt vnita Verbo, quo fuit caro perfecta: atqui eo inſtanti temporis quo caro eſt perfecta, vnitur animæ, quia tunc eſt vltimò diſpoſita ad illam recipiendam: ergo eodem tẽpore quo caro fuit perfecta, & vnita animæ, fuit etiam aſſumpta à Verbo diuino. Deinde, ſi Verbum diuinum aſſumpſiſſet animam vel corpus poſteriùs tempore, quàm caro & anima eſſent vnitæ inter ſe, Beatiſſima Virgo non eſſet propriè loquendo mater *Dei-hominis*; eſt enim mater propriè, ex eo quòd vniat animam cum corpore, & vltimam diſpoſitionem ad id neceſſariò requiſitam introducat. C VII.

Obiicit Origenes Pſalm. 44. Chriſtus Dominus dicitur *vnctus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis, quia dilexit iuſtitiam, & odiuit iniquitatem*: at iſta vnctio nihil eſt aliud, quàm ipſa eius aſſumptio à Verbo diuino: ergo anima Chriſti Domini fuit priùs aſſumpta à Verbo, quàm ipſa eius caro. *Aut li*, inquit ibi Origenes, *ad eum*, ſcilicet Chriſtum, *Prophetam dicentem: dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Dilectionis ergo merito vngitur oleo lætitiæ, id eſt, anima Chriſti cum Verbo Dei vnum efficitur: vngi namque oleo lætitia, non aliud intelligitur, quàm Spiritu ſancto repleri: quòd autem præ participibus dixit, indicat, quia non gratia Spiritus ſicut Prophetis ei data eſt, ſed ipſius Verbi Dei in ea ſubſtantialis inerat plenitudo, ſicut & Apoſtolus dixit, In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Hactenùs Origenes, & ibidem in confirmationem ciuſdem ſuæ ſententiæ profert illud Iſaiæ 8. de Chriſto Domino prænuntiatum, *Prinſ-* D VIII.

I. *quàm sciret puer patrem, aut matrem vocare, auerit se ab iniquitate.*

Respondetur, locum hunc esse quidem intelligendum de Verbo incarnato, vt communiter Patres illum intelligunt, sed respondetur primò, ibi per oleum lætitiæ intelligi gloriam corporis, quâ Christus Dominus in sua resurrectione est donatus, itavt sensus sit, quia Christus in sua Passione dilexit iustitiam, & oduit iniquitatem, (pro nobis enim satisfecit ex rigore iuris, & *deleuit chirographum quod erat contra nos*) ideò Deus vnxit eum oleo lætitiæ, id est, donauit illum gloriâ sui corporis, iuxta illud ad Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, propter quod Deus exaltauit illum.* & apud S. Lucam, *Sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Deinde quia aliqui Patrum per *istam vnctionem* intelligunt assumptionem humanæ na-

II. turæ in vnitatem suppositi, respondetur, particulam istam *propterea* ibi propriè non esse *causalem*, quasi sensus sit, ideò Deum vniuisse animam Christi Domini Verbo, quia anima Christi Domini exercuit actum dilectionis erga Deum, & odij erga peccatum, sed tantùm indicare, seu explicare quid ex tali vnione sit consequutum, id est, singularem aliquem effectum, qui in Christo Domino sit consequutus istam vnionem, scilicet ex tali vnione hypostatica factum esse, vt Christus Dominus singulari quodam modo *dilexerit iustitiam, & habuerit odio iniquitatem*, quatenùs nimirum ipsa impeccabilitas in anima Christi Domini est sequuta talem vnionem, velut quædam eius proprietas, quomodo apud Isaiam cap. 61. Christus Dominus ait, *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me ad annunciandum mansuetis, misit me vt mererer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem.* Hunc enim locum Christus Dominus ait de seipso intelligendum cap. 4. S. Lucæ: at ibi hæc particula *eo quòd*, quæ respondet huic *propterea*, denotat vnctionem illam, de qua ibi est sermo, esse in hunc finem, vt Christus euangelizaret pauperibus, aliáque similia præstaret, quæ ibi enumerat, quemadmodum intelligitur ex eo quòd Christus ipse exercens hæc officia, dicat vaticinium istud fuisse tunc in seipso adimpletum: ergo pari iure ista particula *propterea* apud Psalmistam est tantùm explicatiua effectus ad quem talis vnctio, seu assumptio humanitatis est à Deo ordinata: in quem sensum S. Hieronymus ad cap. 67. Isaiæ explicat tam locum hunc Psalmistæ, quàm locum illum Isaiæ 61. locus autem ille, quem ex capite 8. Isaiæ citat Origenes, non ita habetur ad verbum, quemadmodum videre

IV. est in ipso textu, sed potest reduci ad eundem sensum: nam & S. Hieronymus illum de Christo sic explicat, *futurum* scilicet vt *Christus adhuc existens in vtero matris, & ante adultam ætatem, sit nobis promeriturus saluationem*: infrà enim ostendemus Christum Dominum cæpisse mereri à primo instanti suæ creationis.

A Propositio hæc nō videtur esse de fide, quia non inuenitur definita, nec expressa in sacris litteris: attamen accedit ad fidē, quia formatio corporis Christi Domini & eius animatio dicuntur fuisse simul peracta in cit. epist. Sophronij per 6. Synodum approbata. Probatur autem nostra propositio, primùm authoritate Patrum, S. Basilij hom. 25. de humana Christi Domini generatione; S. Damasceni lib. 3. de fide cap. 2. Deinde dignitas Christi Domini id requirebat; aliàs enim oportuisset carnem eius priùs habere formam embryonis, quàm esse animatam, & priusquam subsisteret subsistentia Verbi diuini: at hoc erat indecens, nam forma hæc embryonis est rudis & indigesta moles carnis, quæ propter suam imperfectionem non congruebat dignitati naturæ Christi Domini; ideóque conuenientiùs fuit ipsum corpus Christi formari in instanti, & in eo-

B dem instanti vniri Verbo diuino. Tandem fauet ratio: formatio corporis fit per longum tempus ex defectu virtutis in ipso principio agente, & etiam propter resistentiam patientis: atqui principium quod formauit corpus Christi Domini in vtero beatiss. Virginis est Spiritus sanctus, iuxta illud Symboli, *Qui conceptus est de Spiritu sancto.* & Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* & Matt. 10. *Quod natum est in ea de Spiritu sancto est*: at Spiritus S. habet virtutem infinitam, cui omnia obediunt: igitur cùm corpus istud deberet esse humanum, & anima primo instanti temporis suæ creationis informauerit illud, illáque eodem instanti temporis fuerit assumpta à Verbo, quo ipsummet eius corpus, corpus istud debuit eodem instanti fuisse conceptum, formatum, & etiam diuino Verbo vnitum.

III. C Obiicies primò S. Augustinum lib. 83. quæstionum quæst. 65. explicando verba illa S. Ioannis. *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc*, dicere carnem, seu corpus Christi Domini fuisse formatum in vtero beatiss. Virginis quadraginta sex diebus. Respondetur ex S. Thoma infrà qu. 32. art. 2. S. Augustinum loqui de *augmento perfectæ quantitatis*, itavt Christus Dominus primo illo instanti habuerit corpus in minima illa quantitate, quæ iuxta eius complexionem poterat esse ei naturalis: reliquo verò tempore, quo fuit in vtero beatiss. Virginis creuerit & peruenerit ad eam mensuram quantitatis, quæ erat accommoda compositioni sui corporis pro illo statu.

D Obiicies secundò, plus requiri sanguinis ad formationem totius corporis, quàm beatiss. Virgo tam citò, scilicet vnico instanti temporis, posset subministrare: cùm enim hæc formatio fiat per condensationem, & rarefactionem, vt Philosophi & Medici docent, opus est multo sanguine ad formam vnius membri: ergo si omnia membra corporis Christi Domini ponantur esse formata simul & semel, oportuit beatiss. Virginem conferre totum sanguinem vitæ suæ conseruandæ necessarium: hoc autem est contra ordinem naturalem generationis.

VIII. Respondetur beatiss. Virginem potuisse sine aliquo suo detrimento exhibere sanguinem sufficientem tali corpori formando, quia in mulieribus iuuenilis & florentis adhuc ætatis, cuiusmodi tùnc erat beatiss. Virgo, natura non confert solummodò sanguinem necessarium ad conseruationem vitæ, sed etiam sufficientem ad generationem. Deinde Spiritus S. à quo beatiss. Virgo speciali curâ & gratiâ dirigebatur, prouidit vt il-

ARTICVLVS II.

Vtrùm corpus Christi Domini fuerit eodem instanti temporis conceptum, & Verbo diuino vnitum.

PRIMA sit hæc nostra propositio: *Corpus Christi Domini eodem instanti temporis fuit conceptum, seu formatum & vnitū à Verbo diuino.*

I. la eo modo viueret, quo posset sanguiné vtrique officio sufficientè, vitæ scilicet & propagationis habere. Quod autem alii respondent, vt soluant hoc incommodum, scilicet Deum formasse integrum corpus Euæ ex costa Adæ, pari etiam modo potuisse formare totum corpus Christi Domini, est quidem verissimum: at non videtur ita esse factum, quia ratio veræ conceptionis, & maior dignitas beatiss. Virginis postulabant illud formari ex solo eius sanguine.

Tertiò obiicies: si corpus Christi Domini tam citò formatum est, Christus Dominus debuit, vel nasci citiùs, quàm alii pueri soleant post ipsam animationem, vel saltem in aliqua quantitate longè maiori: at hoc vtrumque est falsum, primò quidem, quia ex S. August. lib. 4. de Trinit. cap. 8. & aliis Patribus: item ex festo natiuit. Domini celebrato in Ecclesia constat Christũ Dominum

II. fuisse nouem mensibus in vtero beatiss. Virginis, sicut & alii pueri sunt in vtero matrum suarum: secundum item est falsum; nam S. Leo ser. 4. de Epiph. Domini ita ait, *Inuenerunt Magi puerum Iesum in nullo ab humanæ infantiæ generalitate discretũ*: quod tamen aliàs esset falsum. Confirmatur: si Christus D. primo instanti suæ conceptionis tantam habuit quantitatẽ quantam alii communiter habent 46. die, cùm Christus Dominus semper ab eo tempore vsque ad suam natiuitatem creuerit, necessarium est cum fuisse longè maiorẽ, quàm alii infantes cõmuniter nascantur.

Aliqui respondent corpus Christi Domini in primo instanti temporis suæ cõceptionis habuisse tantam quantitatem, quantam alij habent die 46. eius tamen accretionem ita fuisse à Deo temperatam, vt sit facta valdè pedetentim, ne ante

III. tempus ad magnitudinem sibi debitam peruenieret: sed hæc solutio non placet, quia multiplicat miracula sine necessitate, & admittit impedimentum, ne corpus Christi Domini augeretur per illud tempus, quod tamen spectato naturæ ordine non debuit fieri. Respondemus itaque, iuxta solutionem superiùs allatam, corpus Christi Domini in primo illo instanti habuisse quantitatem minimam quidem, sed nihilominùs suo statui sufficientem, & posteà per nouem menses creuisse, & peruenisse ad maiorem quantitatem, quàm simpliciter & absolutè loquendo sit necessaria ad natiuitatem pueri, non tamen peruenisse ad maiorem, quàm optimus status corporis humani nascituri patiatur: hæc enim magnitudo non consistit in indiuisibili, sed quandem habet latitudinem intra quam potest consistere.

Sed quæres, quonam instanti temporis corpus Christi Domini formatum fuerit: an illo,

IV. quo Angelus sic salutauit beatiss. Virg. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* an illo alio quo beata Virgo sic præbuit consensum, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.* Aliqui Patrum videtur existimasse tunc corpus Christi Domini fuisse conceptum & formatum, quando Angelus salutauit B. Virg. sic Petrus Alexandr. libro quem inscripsit de deitate, vt refertur in Concil. Eph. tom. 2. cap. 7. & in Conc. Chalced. act. 1. sic etiam S. August. ser. 14. de natiuit. S. item Bernard. ser. 3. in Euangelium *Missus est*, hæc enim verba Angeli, *Dominus tecum*, videntur esse practica, & continere efficacitatem aduentus Spiritus sancti: sit tamen hæc

Secunda propositio. Instans temporis quo corpus Christi Domini fuit cõceptum & formatum non est illud quo Angelus sic salutauit beatiss. A Virg. *Aue gratia plena, Dominus tecum*, vel al: quod aliud præcedens consensum beatiss. Vir. sed illud quo expressit suum consensum, itaut eo momento quo hæc verba consentius eius *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, sunt finita, conceptio & formatio corporis Christi Domini fuerit perfecta: ita S. Thomas infrà qu. 30. art. 1. Scotus 3. sent. dist. 2. & communiter alij. Prior pars probatur ex sacris litteris; nam Angelus priùs salutauit beatiss. Virg. quàm ei explicaret hoc mysterium esse in illa peragendum, vt patet ex 1. cap. S. Lucæ, vbi beatiss. Virgo ad salutationem Angeli refertur esse *turbata, & cogitasse qualis esset ista salutatio*: tum Angelus explicat ei ad quid venerit: at quãdo Angelus Dei explicat, corpus Christi Domini nondum erat conceptum, seu formatum, nec tum concipiebatur, vel formabatur, quia Angelus loquitur ei,

B non de præterito, vel præsenti tempore, sed de futuro, *Ecce concipies in vtero, & paries Filium.* Deinde beatiss. Virgo loquitur etiã in futuro, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* item S. Lucæ 2. cap. Christus Dominus dicitur vocatus *Iesus ab Angelo antequam conciperetur.* At Christus Dominus fuit vocatus Iesus ab Angelo Luc. 1. *Et vocabis nomen eius Iesum*: item ibid. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ergo cùm hæc omnia dicantur de futuro, corpus Christi Domini nondum erat formatum, nec proinde eo instanti, quo Angelus salutauit beatiss. Virginem, vel aliquo alio præcedenti. Posterior pars nostræ propositionis probatur: primò authoritate Patrũ, S. August. ser. 18. de Sanctis, *Noli*, inquit, *morari*

C *Virgo nuncio, respondè festinanter verbum, & suscipe Filium, da fidẽ, & sentì virtutem.* Item S. Greg. lib. 18. Moral. cap. 27. S. Damasc. lib. 3. de fide capite 2. S. Bernardi hom. 4. in Euang. *Missus est.* Deinde ratione valdè congruenti. Mysterium Incarnationis, quemadmodum rectè obseruat S. Thom. infrà qu. 30. art. 1. est matrimoniũ quoddam spirituale inter Deum & naturã humanam, cuius vices beatiss. Virgo gerebat: ergo sicut matrimonium temporale non perficitur, nisi dato consensu vtriusq; partis, ita nec conceptio Christi Domini, quæ importat Incarnationem Verbi diuini, fuit, nisi dato & posito consensu beatiss. Virginis: at consensus iste continetur his verbis, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ergo formatio & cõceptio corporis Christi Domini fuit tãtùm post hæc verba beatissimæ Virginis, *Ecce ancilla Domini*, &c. Secunda, beatiss. Virgo debuit priùs cõcipere Christum mente,

D quàm ventre; nam satis frequenter dicitur à Patribus, *Felicior concipiendo corde, quàm gestando ventre*: & Christus Dominus id significauit S. Lucæ 11. quando mulieri exclamanti matrem eius esse beatissimam, sic respondit, *Quinimò beati qui audiunt verbũ Dei, & custodiunt illud.* Item S. Elisabeth S. Lucæ 1. *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino*: At spiritalis ille conceptus Christi Domini per beatiss. Virginem est singulari modo per actum illum, quo fide consensit in hoc mysterium Incarnationis: ergo consensus ille præcessit conceptioné & formationé corporis Christi Domini.

Dices hæc quidem probare formationem corporis Christi Domini fuisse tantùm factam post hunc consensum datum, non tamen ostendere fuisse factam statim post cõsensum illum datum,

V. VI. VII. VIII.

I. vt vult noſtra propé ſitio : reſpódetur non deeſſe ex Patribus, qui velint fuiſſe hoc myſterium peractum ſtatim poſt diceſſum Angeli, & Angelo amplius non præſente, vt S. Athan. ſerm. de Deipara : alios tamen velle fuiſſe peractum, Angelo etiam adhuc præſente, vt Euthymius, & ratio nunc ex S. Thom allata id oſtédit, & teſtimonia Patrum pro noſtra cõcluſione allata id indicant.

Patres autem relati initio propoſitæ dubitationis, qui videntur dicere Chriſtum Dominũ fuiſſe conceptum ad illa verba Angeli, *Aue gratia plena, Dominus tecum*, non loquuntur præcisè de ſolis iſtis verbis, ſed comprehendunt totum colloquium habitũ cum Angelo, volũtate ad colloquium iſtud finitum & terminatum, provt includit conſenſum beatiſſ. Virginis, factam fuiſſe & completam conceptionem Chriſti Domini : nam aliqui ex iiſdem Patribus, vt S. Auguſt. & S. II. Bernar. locis pro noſtra propoſitione citatis, clarè B VI.
tenent noſtrã ſententiã; vnde vtroque loco idem nobis cõſenſerunt, ſed in vno minùs clarè ſũt loquuti, in altero clariùs mentẽ ſuã expreſſerunt.

ARTICVLVS III.

Vtrùm congregatio ſanguinis ad locum generationis & organiſatio corporis Chriſti Domini facta ſit in inſtanti per motum localem.

NOTANDVM primò eſt ex S. Thoma infrà qu. 33. art. 1. in cõceptione corporis duo potiſſimùm poſſe diſtingui : Primum eſt *ipſa congregatio ſanguinis* ad locum generationis, vt ex illo ſingula membra formentur : alterum eſt *ipſa formatio corporis*, ſeu organiſatio ac diſtinctio membrorum habentium diuerſos ſitus & figuras : in III. C VII.
quo poſteriori ipſa conceptio præcisè conſiderata conſiſtit propriè, vt S. Thomas ibidem animaduertit; eſt enim prædicta congregatio ſanguinis præambulum aliquod ad illam.

Notandum ſecundò, poſſe 2. modis intelligi organiſationem, ſeu omnium membrorũ formationẽ fieri in inſtanti. 1. quatenùs omnia membra eiuſdem corporis conſiderantur *in ſuo facto eſſe*, & omnia in vno & eodem inſtanti terminatuo ſunt perfecta & cõpleta. 2. quatenùs illa omnia membra conſiderantur *in ſuo fieri*, itavt in vno & eodem inſtanti temporis ſanguis mutauerit locum, & pro diuerſa ratione membrorum, ac illorum ſitu diuerſa etiam loca acceperit. Præcedẽti articulo diſputauimus de ipſa cõceptione corporis Chriſti Domini, vt conſideratur *in facto eſſe*, quatenùs vno eodémq; inſtanti terminatuo ſingula membra corporis Chriſti Domini fuerunt IV. completa, & formata, nũc agendũ de illa eadem D VIII.
conceptione, vt cõſideratur *in fieri*, & videndum an ipſa congregatio ſanguinis ad locum generationis & organiſatio corporis, vt nunc explicata, ſint factæ in inſtanti. Maior in 3. ſent. diſt. 2. qu. 3. & diſt. 3. qu. 2. exiſtimat hoc vtrumq; fuiſſe à Deo factum in inſtanti, & beatiſſ. Virginem, vt ad hoc vtrumque cõcurreret, fuiſſe diuinitùs eleuatam. Melior tamen eſt aliorum ſententia, quam ſequenti noſtrã propoſitione explicamus. *Congregatio ſanguinis ad locũ generationis non fuit facta à Deo per motum localem in inſtanti, nec item ipſa organiſatio.* Ita S. Thomas infrà de ipſa congregatione qu. 33. art. 1. in ſolut. ad 2. Probatur : implicat dari verum motum localem in inſtanti, quia ex Ariſt. in Phyſic. & communiori Philoſophorũ ſentẽtia, talis motus eſt intrinſecè ſucceſſiuus, includit A prius & poſterius, eſt actus entis in potẽtia, provt V.
in potentia, & ex conſequẽti ſemper fit in aliquo tempore : ergo implicat congregationẽ ſanguinis fieri in inſtanti ad ipſum locum generationis per motum verè & propriè localẽ, ſimiliter implicat ipſam organiſationem fieri in inſtanti per verum motum localem. Antecedens patet ex Phyſicis : Conſequẽtia probatur : vbi implicat aliquid poni tãquam viam ad determinatũ aliquem terminum, ibi implicat, & talem terminũ hac ratione poni, nam via & terminus ſeſe inuicẽ reſpiciunt : atqui prima illa ſententia conſtituit motum localem, tanquam viam aliquam, vt congregatio ſanguinis fiat in loco generationis, & organiſatio membrorum ponatur tanquam aliquis terminus motus localis facti in inſtanti, quẽ tamen ſic fieri implicat : ergo & implicabit prædictã congregationem ſanguinis, & organiſationẽ corporis fieri per eiuſmodi motum in inſtanti : vnde cùm potentia creaturæ non poſſit eleuari ad id quod implicat, beatiſſ. Virgo nõ fuit diuinitùs eleuata ad ſic congregandum ſanguinem in loco generationis pro efformando corpore Chriſti Domini.

Obiicit Maior : Quòd virtus eſt ad mouendum maior, eò mouet celeriùs : ergo cùm Spiritus S. habeat vim infinitam ad mouendum, infinitã & ex conſequenti momentaneã celeritate poterit mouere : ergo Spiritus S. potuit vno & eodẽ inſtanti temporis cõgregare ſanguinẽ pro formando corpore Chriſti D. & illud organiſare. Quòd autẽ beatiſſ. Virgo potuerit cooperari iſti inſtantaneæ congregationi ſanguinis, & organiſationi membrorum, probat ex eo quòd illa potuerit accipere à Spiritu S. infinitum aliquod auxilium, vt iſtis duobus cooperaretur, vel certè maius, vel ſemper maius, quò celeritas & ſemper celeriùs exequeretur hoc vltimũ quicquid : ergo vt etiam in inſtanti poſſet prædictum ſanguinem congregare, & ex illo efformare; ergo vt etiam hoc vtrumque præſtaret in inſtanti. Quòd verò ita de facto conſtiterit, probatur ex eo quòd Patres citati articulo præcedenti dicant totum corpus Chriſti Domini fuiſſe formatum in inſtanti.

Verùm hoc argumentum Maioris non vrget, 1. quia ſupponit motũ fieri in tempore ſolũmodò, *vel ex reſiſtentia medij*, *vel mobilis*, quod ratione *ſuæ grauitatis* non ita obedit ad nutũ ipſius mouentis, vel ex *limitatione virtutis* in mouẽte, quæ tamen ſingula, licèt ad id conducant, non ſunt tamẽ tota & adæquata ratio cur motus localis poſſit tantùm fieri in tempore, cùm ſublatis iſtis omnibus, adhuc ſuperſit *ipſa diſtantia extremorum*, quæ ſola, omnibus aliis etiam ſeclusis, poteſt impedire ne motus localis fiat in inſtanti : vnde cùm à venis, in quibus ſanguis continetur, ad locũ generationis aliqua detur diſtantia, & à loco illo ad illum, in quo membrum aliquod debet formari, & membra efformentur ex ſanguine per condenſationem, & rarefactionem, quas motus localis concomitatur, talis congregatio ſanguinis, & efformatio corporis non poterunt fieri in inſtanti per aliquem motum localem.

Secundò, idem fundamẽtum Maioris non vrget; eſt enim hoc eius argumentũ *calculatorium*, vt communiter Philoſophi vocãt, & per ſe patet : vnde ſicut in calculatione, & ſupputatione ſẽper comparatio debet fieri inter res eiuſdem proportionis, aliàs calculatio erit inepta; ſic etiam vt argumẽtum calculatorium habeat aliquam efficacitatem, debet ſemper fieri inter res eiuſdem ordinis & rationis, itavt non fiat tranſitus à re vnius

ordinis

I. ordinis ad rem alterius ordinis: at in præsenti argumento Maior facit eiusmodi transitum, scilicet *à re successiua*, nimirũ tempore, in quo motus localis fit velocius, & velocius *ad rem* instãtaneam, improportionatã motui, qui est de genere successiuorũ: sed ratio Maioris modo legitimo constituta euincit solũmodò Deũ, qui ad mouendũ est infinitæ virtutis, posse in quolibet minori & minori tẽpore in infinitũ sẽper mouere velocius, & velocius; ex quo tamen nõ sequitur posse mouere in instanti: quia sic transitus fit ad aliũ ordinem.

Articvlvs IV.

Vtrùm prædicta congregatio sanguinis facta fuerit per mutationem instantaneam.

SVAREZ hac 3. parte, qu. 33. sect. 1. & 2. partem affirmantem sequitur, quam Maior suprà, & II: plures alij iudicant esse probabilem: imò de Petigianis lib. 3. sent. dist. 4. ita probat, vt existimet illam esse Scoti. Opposita tamen sententia nobis videtur esse melior, pro qua sit 1. hæc nostra propositio: *Congregatio sanguinis ad locũ generationis, & formatio corporis non est facta per mutationẽ instantaneam, qu. isti sanguis in vno & eõdem momento transierit de suo loco ad locũ generationis non transeundo per medium, & pari sanguinis ad illũ locum, in quo membrum aliquod statim ex illo formandum debet esse*, iuxta illum modum quo S. Th. 1 parte, qu. 53. docet Angelũ posse moueri de loco ad locũ, impertransito medio. Hæc nostra propositio inter est omnium illorum Scholastic. qui negant quæst. nunc cit. 1. partis, Angelũ etiam virtute supernaturali posse transire de loco ad locũ distantem, impertransito medio. Probatur autem in primis propositio: hæc est propria ratio medij, III. quòd facit distare duo loca à se inuicẽ, vt nunquã permittat aliquã substantiã, factã solùm mutatione prioris loci, peruenire ad locũ distanté, in quo hæc substãtia nõ erat, nisi ipsum eiusmodi mediũ priùs peruadatur: ergo implicat istã congregationem sanguinis, & organisationẽ membrorũ fieri per talem mutationẽ instantaneam. Consequẽtia patet. Antecedens probatur 1. ex eo quòd habetur apud Arist. lib. 10. Metaph. cap. 10. tex. 22. & 6. Physic. cap. 9. tex. 77. Deinde ex ipso nomine, *medium*, quod sic appellatur, quia priùs debet attingi, quàm extremũ: nam medium, *quà medium*, est alicuius alterius medium. Tertiò, ex eo quòd idẽ ordo videtur esse à Deo cõstitutus inter loca, qui est inter ipsa agentia: at nullum agens potest agere in distans, nisi priùs agat aliquid circa mediũ, ratione cuius actio eius pertingat extremum: IV. ergo pari iure aliqua substantia non poterit solã mutatione loci transire ad locũ distanté, nisi priùs transeat locum, seu spatium intermediũ. Quartò, hic ordo videtur esse necessarius inter ipsa loca, vt statim atque aliqua substantia deserit vnũ locum, excipiatur etiã inuitus ab alio sibi proximo; & noster intellectus nõ potest capere quomodo aliqua substãtia, sine aliqua suæ entitatis desitione, & reproductione sui in altero extremo, sed solã tantùm mutatione loci possit relinquere priorem locũ, & acquirere nouum distantem à priori, nec transeundo per medium: igitur hæc congregatio sanguinis, & organisatio corporis non potest fieri per talem mutationem instantaneam. Confirmatur ampliùs nostra propositio iis omnibus, quibus Theologi 1. parte, quæst. 53. docent Angelum non posse transire ab vno loco ad alium distantem, impertransito medio.

A Deinde quòd ista congregatio sanguinis de facto non sic fuerit in cõceptione Christi D. probatur. 1. quia per illã instantaneã mutationem loci, efficientia illa, quam habet vera & naturalis mater (qualis est beatiss. Virgo respectu Christi D.) tollitur: nam hæc efficientia cõsistit in eo, quòd vterus mulieris à virili semine, aut ab alio illud supplente excitatus attrahit vitaliter ex venis sanguinẽ conuenientem fœtui formãdo: at vterus mulieris nõ potest attrahere in instãti per actionem vitalem ipsum sanguinẽ, quia attractio sumpta formaliter dicit intrinsecè motũ localem, qui non potest fieri in instãti: igitur congregatio sanguinis per solam mutationẽ instantaneam loci tollit efficientiam illam, quæ matri generanti conuenit; & proinde cùm beatiss. Virgo obierit munia matris in generatione Christi, talis cõgregatio sanguinis nõ fuit facta per solã instãtaneam B mutationẽ sine transitu per medium, & eiusmodi congregationem sanguinis fuisse factam in tempore tradit expressè S. Thom. cit. quæst. 33. V. VI.

Dices 1. efficientia huius cõgregationis sanguinis ad locũ generationis posse 2. modis considerari: 1. *secundùm suam substantiam*: deinde *quoad modum*, qui est *fieri in instanti*: hanc efficientiam priori modo spectatã esse naturalẽ, & esse factam per naturalem facultatem beatiss. Virg. nõ enim est extra obiectum attractiuæ & impulsiuæ eius potentiæ: at iuxta 2. modum esse supernaturalem, & ad illam, vt sic producendam, beatiss. Virginem fuisse à Deo eleuatam; sicque semper obiisse munus veræ & naturalis matris, quoad congregationem sanguinis in loco generationis.

Dices secundò, efficientiam beatiss. Virginis in hac conceptione saluari per hoc, quòd subministrauerit materiam, id est sanguinem ex quo corpus C Christi D. est formatũ, & quòd præterea suo VII. naturali calore illum fouerit. Verùm hoc vtrumque refellitur: primum quidem, quia instantanea localis mutatio, secundùm suã substantiã spectata, est omninò extra ordinẽ motuum naturalium animæ vegetantis; nam motus animæ vegetantis, quibus potentia naturalis agit in aliquod corpus sibi extrinsecum, sunt *impulsus*, & *attractio*: at motus isti dicunt intrinsecè successionem. Secundum item refellitur, quia Adam subministrauit materiam ex qua Eua est formata; nec propterea tamen potest dici pater, aut mater eius. Tertium denique refellitur, nõ enim alio calore fuit opus ad fouendũ sanguinẽ, pro tam breui illo instanti tẽporis, nam proprius ille calor, quẽ sanguis habebat, sufficiebat ei, nec tã citò poterat deficere.

Postremò probatur nostra conclusio: admittere hanc congregationem sanguinis fuisse factam D VIII. localiter in instanti, est multiplicare miracula sine necessitate: admissã enim tali cõgregatione, infinitæ quasi mutationes locales instãtaneæ debent concedi, aut Deum creasse de nouo aliquod corpus: nam quando Deus per mutationem instantaneam transtulit sanguinem à suo loco, oportuit istũ locũ repleri alio corpore, ne daretur vacuũ, vel igitur corpus illud replés erat aliquod corpus de nouo creatũ; quod tamen authores contrariæ sententiæ non assignãt, vel erat corpus proximũ, seu aër proximus, qui suo accessu replebat locum illum, & tunc id fiebat, vel per motum localẽ, vel per mutationẽ instantaneam: non per motum localem, ob dicta tertio superiori articulo; cùm enim motus fiat tantùm successiuè, & in tempore, aliquod tempus intercessit inter prædictã instantaneam mutationẽ, quã sanguis transiit à loco suo

I. ad locũ generationis, quo quidẽ tempore venæ, in quibus erat prædictus sanguis, erãt vacuæ omni corpore, antequam per motum illum localem replerentur, quod est absurdum: si autem hæc repletio fiebat per localẽ mutationẽ instantaneam: cum non solus sanguis mutauit suũ locum in instanti, sed omnia etiam alia corpora, quæ replebant præcedentia loca aliorum corporum, & sic in infinitũ, donec tandem deueniatur ad aliquod corpus ibi de nouo creatum pro replendo vacuo, quod inde fuisset assequutum: igitur congregatio sanguinis pro formando corpore Christi Domini ad locum generationis non videtur facta per mutationem localem instantaneam.

ARTICVLVS V.

Argumenta prioris sententiæ soluuntur.

II. AVTHORES prioris sententiæ putant prædictam mutationem esse possibilem: Primò, quia Patres agendo de agilitate corporis glorioſi, dicunt illud posse in momento eò diuertere, quo spiritus voluerit: item corpus gloriosum fore æquale Angelis in velocitate: item posse tam citò reali præsentia transire ad locum distãtem, quàm ipsa cogitatio potest: sic S. August. lib. de cognitione beatæ vitæ, cap. 48. in Enchiridio 90. sic S. Bernard. lib. 4. in festo omnium sanctorum: ergo & mutatio localis potest fieri in instanti.

Respondetur, quando Patres dicunt corpora gloriosa posse in momento diuertere quò spiritus voluerit, ibi per hanc particulam, *momento*, tantùm intelligere tempus breuissimum, & quasi imperceptibile à nobis, ad eum modum quo eadem particula sumitur à S. Paulo 1. ad Cor. 15. cap. quando agens de vniuersali resurrectione corporũ ait illam futuram in momento: nam addens ibi hanc aliam particulã, *in ictu oculi*, quasi explicatiuam præcedentis, satis denotat *momentum* ibi sumi pro *breuissima temporis mora*, nam ictus oculi non fit in instãti, sed tantùm in tempore quàm breuissimo, vt est certum apud omnes. Vnde ad explicandã celeritatẽ motus localis, quẽ corpora gloriosa efficient, Patres dicunt motũ illũ futurũ in momento: quã etiã ratione satis communiter solemus explicare velocitatẽ actionis alicuius, & quòd corpora beatorũ non poterunt sese mouere localiter in instanti, sed summodò in tempore, omnes Theologi docẽt cõmuniter ex professo in 4. sent. & S. Th. in suppl. qu. 84. art. 3.

III. Secundò, idem conãtur sic probare: si istud implicet, vel ex parte medij, vel ex parte successionis quæ ibi necessariò interuenit, vel ex ipsa quantitatiua dispositione & situ partium ipsius mobilis, quarũ aliæ sunt aliis priores, & propterea debent occupare locum prius aliis, sed ex nullo istorum capitũ implicat: non ex primo, quia datur in Angelo mutatio instantanea de loco ad locũ quam ipsum mediũ nõ impedit ex S. Thom. 1. parte qu. 53. art. 2. vbi Molina sequitur hanc sententiã: non item ex secundo, quia successio reperitur tantùm in transitu, qui fit per motum: at hic nõ est motus propriè, sed tantũ mutatio, cui non repugnat fieri in instanti: non item repugnat ex 3. cap. quia Deus potest tãbenè facere, vt singulæ partes sanguinis simul & semel respõdeãt singulis partibus loci; quam facit vt anima rationalis simũl & semel coextẽdatur toti corpori, & adsit substantialiter, & entitatiuè singulis eius partibus: igitur talis mutatio instantanea localis non implicat.

IV. Respondetur, repugnare ex parte *ipsius medij*, vt probat ratio nostræ propositionis: deinde in præ-

A senti difficultate mediũ habet aliquam extensionẽ, cuius partes ipsũ mobile det prius decurrere, quàm perueniat ad alterum eius extremum, & in illis est quædã successio, non quidem durationis, sed *situs & dispositionis* illarũ ad se inuicem, & ad vtrumq; extremũ. Ad illud quod affertur de motu Angelorũ, negatur talem motũ instantaneum esse possibilẽ Angelis, etiã absolutã Dei potentiã, vt ex professo ostẽdimus 1. parte ad illã qu. S. Th. ex quo loco plura possunt desumi in cõfirmationẽ nostræ propositionis art. præced. explicatam. V.

Ad illud quod affertur de anima rationali simul & semel toti corpori, & singulis eius partibus coextensa, respondetur, istud nõ fieri per aliquẽ verum realẽ motum, vel mutationẽ purè localẽ, sed fieri per ipsam creationẽ animæ in corpore, & varias eius replicationes in variis partibus corporis: at creatio animæ & quælibet eius replicatio est in-

B stantanea, nec fit per purã derelictionem prioris VI. alicuius loci, & acquisitionem alterius longè distantis à suo priori loco, vt in præsenti difficultate, quã idem numero sanguis perseuerans in suo esse, sine aliqua illius desitione deserit venas, in quibus continebatur, & venit ad locum generationis distantem à venis.

Terrtiò, sic vrgẽt: multi Theologi, & præcipuè Scotus, existimant corpus & sanguinẽ Christi D. poni sub speciebus sacramẽtalibus per actionem quam vocant *adductiuam*, quæ actio adductiua nihil est aliud quàm mutatio quædam localis instãtanea, quã corpus & sanguis Christi D. ponuntur sub speciebus in vltimo instanti terminatiuo prolationis verborum formæ: ergo Deus idem poterit præstare circa sanguinem necessarium efformando corpori Christi D. Respondetur, concessã Maiore, negando Minorem; nam Scotus, &

C alij authores istius sentẽtiæ per *actionem adductiuam* VII. non intelligunt puram & meram aliquam mutationem localem, quasi velint corpus & sanguinem Christi D. deserere locũ illum quem habẽt in cælo, & eodem instanti acquirere aliũ locum in altari sub speciebus consecratis; aliàs enim hæc non ponerẽtur per transubstantiationẽ contra definitiones Conciliorũ, & doctrinã Patrum, sed per simplicem translocationẽ, & proinde per actionem purè accidentalẽ, quod tamen omnes Scholastici negant: sed Scotus & eius sectatores, vt distinguant hanc actionem, per quam corpus Christi D. iam existens in cælo, ibique remanens ponitur sub speciebus cõsecratis ab actione creatiua, aut simpliciter productiua illius, vocãt eam adductiuam, quemadmodum Bellarm. sequens hanc opinionem Scoti, notat lib. 3. de sacramẽto Euchar. cap. 19. nam quotiescunque res aliqua VIII.

D ponitur in instanti secundùm suã substantiã in loco distanti, in quo priùs nõ erat; tunc præter mutationem loci semper aliqua substantialis mutatio intercedit, quemadmodum videre est in ipsa transubstantiatione, & positione vnius & eiusdem corporis in pluribus locis.

Quartò, iidem authores, vt probent quòd hæc instãtanea localis mutatio fuerit facta in congregatione sãguinis, & organisatione corporis Christi D. obiiciunt relatos Patres docere organisationem corporis Christi non fuisse factam tacitis incremẽtis, quod tamen aliàs necessariò sequitur. Respondetur, Patres tantùm velle organisationem corporis Christi D. non fuisse factam *tacitis incrementis*, prout illa consideratur *in facto esse*, *seu terminatiuè*, hoc sensu, quòd vnum membrum non priùs fuit perfectum & completum,

I. quàm aliud, quemadmodum fit ordinariè in quotidiana generatione: Patres autem prædictos non negare durationem formationis corporis Christi D. considerati secundùm suum fieri, habuisse tacita quædam incrementa.

Vltimò obiiciunt: si hæc vtraque mutatio sit tantùm facta in tempore, materia illa sanguinis, ex quo corpus Christi D. est formatũ, non transiit immediatè à sua forma ad animam rationalem, ac proinde beatiss. Virgo priùs concepit aliquam aliam substantiam creatam & suppositam, quàm Deum-hominem: nam quãdo sanguis successiuè condensatur, nouæ qualitates aduenient omninò contrariæ, sub quibus forma sanguinis non potest amplius conseruari: nam condensatio habet frigiditatem & siccitatem sibi annexas; sanguis verò calorem & humiditatem: igitur hæc materia tunc deperdit formam sanguinis, & II. acquirit aliam, sicque non transit immediatè à forma sanguinis ad animam rationalem.

Respondetur *formam sanguinis* semper remansisse in illa materia, etiam naturaliter, quandiu ipsa rarefactio, & condensatio erant in fieri, cùm hoc videamus contingere in ipsa nutritione, quæ fit per sanguinem, qui est vltimum alimentum; nam deperditâ suâ formâ transit in substantiam aliti, nec tamen ante sui conuersionem in ipsam substantiam aliti desinit habere varias & multiplices dispositiones & qualitates pro diuersitate membrorum in quæ sanguis ille debet conuerti: ergo pari ratione forma sanguinis in ipsa conceptione corporis Christi Domini potuit naturaliter conseruari simul cum ipsa densitate, & raritate, vt consideratis in suo fieri.

III. ARTICVLVS VI.

C *Quòd prædicta congregatio sanguinis fuerit facta in tempore.*

SIT hæc vnica propositio: *Congregatio sanguinis & formatio corporis Christi Domini, prout spectantur secundùm suum fieri, sunt facta in breuissimo tempore, per motum localem: at formatio omnium membrorum corporis Christi Domini terminatiuè & in suo facto esse considerata fuit simul & semel facta*, itavt iecur, vel cor non fuerit priùs completè formatum, quàm pes, vel aliud membrum, sed simul & in eodem instanti. Probatur ex dictis contra præcedentes opiniones: nam quidquid propriè loquendo fit, aut fit in tempore, aut in aliquo instanti temporis, quia non datur medium. sed vt docuimus articulis præcedentibus, non est facta in aliquo instanti, secundùm suum IV. fieri: ergo secundùm illud suum fieri fuit facta D tantùm in tẽpore, non in longo, vt patet ex commemoratis Patribus, & dictis suprà: ergo in breuissimo. hinc duo miracula admittimus in conceptione corporis Christi D. Primum *in duratione*, nam in conceptione aliorum hominum 45. dies expenduntur; in hoc autem corporis Christi D. tempus quàm breuissimum: secundum miraculum est, quòd in conceptione corporis Christi D. omnia eius membra sunt *simul & semel terminatiuè, & completiuè formata*: at in communi conceptione aliorum hominũ, vnum membrum in sui formatione præsupponit perfectã & consummatam formationem alterius, & hæc dantur miracula in ista conceptione, quatenùs sese tenet ex parte beatiss. Virginis, nam & aliud datur ex parte Spiritus S. supplẽtis efficientiã virilis seminis in generatione hominis, iuxta illud, *Quod natum est* A *in ea de Spiritu sancto est: & Spiritus S. superueniet in te, virtus Altissimi obumbrabit tibi*: sic itaque conceptio corporis Christi D. videtur facta, vbi beatiss. Virgo interiùs præbuit consensum tempore illo, quo eum declarabat exteriùs & istis verbis exprimebat, *Ecce ancilla Domini*, &c. sanguis congregabatur in eius vtero, & ita velociter condensabatur pro diuersitate membrorum, vt in instanti terminatiuo hæc verba eius responsionis, *Fiat mihi secundùm Verbum tuum*: totum Christi D. corpus sit completè & consummatè formatum. Propositio nostra sic explicata probatur: eo modo corpus Christi D. est conceptum, & formatum, ex quo beatiss. Virgo habet, vt sit naturalis mater Christi D. quia naturalis maternitas fundatur etiam in ipsa conceptione & formatione corporis, vt patet ex dictis articulo quarto: atqui ex modo à nobis posito beatiss. Virgo habet quòd sit naturalis mater B VI. Domini: ex aliis verò opinionibus suprà reiectis minimè, vt constat ex dictis contra illas: igitur corpus Christi Domini est conceptum & formatum modo à nobis hîc explicato.

Obiicies, modum conceptionis, & efformationis corporis Christi D. non debere esse minùs perfectum, quàm sit modus ille, quo in resurrectione generali corpora efformabuntur & organisabuntur: at corpora resurgentium in resurrectione generali organisabuntur, & efformabuntur in instanti, vt habet communis opinio Theologorum, 4. sentent. dist. 43. imò illa etiam fiet ab Angelis, vt indicat S. Thom. in supplem. qu. 76. art. 3. igitur fuit etiam conuenies corpus Christi D. organisari in instanti, & non solum in aliquo rẽpore breuissimo. Fauet ratio, quia ad hoc, vt organisatio totius corporis fiat in instanti, requiritur tantùm in ipso generãte virtus sufficiens VII. quã totã resistentiam ad introductionẽ animæ rationalis possit simul & semel vincere, & in materiã introducere vltimam dispositionẽ ad animam rationalẽ: ideò enim homo in vltimo instanti alterationis generat hominẽ, quia in illo nullã reperit resistentiã, quam statim nõ superet; ob hãcq; rationem potest in instanti vltimã dispositionem, quæ sit primò incompossibilis cum forma cõtraria corrumpenda, introducere, & quæ sit primò connaturalis cum anima rationali introducenda: atqui Deus potuit dare beatiss. Virgini (illã scilicet eleuando, & confortando) sufficientem virtutem ad superandam totam istam resistentiam, & facere, vt sine vlla præuia alteratione produceret prædictam vltimam dispositionem, quia hoc totum est in genere causæ efficientis, ad quod beatissimæ Virgo habebat virtutem naturalem, VIII. quam Deus poterat semper & semper augere; itavt tandem vno tantùm instanti vinceret totam illam resistentiam, simúlque introduceret prædictam vltimam dispositionem: igitur organisatio corporis Christi Domini fuit potiùs hoc modo facta, quàm breuissimo tantùm tempore.

Respondetur, posse dupliciter modũ distingui in ipsa formatione, seu organisatione alicuius corporis, *vnũ tenẽte se ex parte principij effectiui illius*, alterum *tenentem se ex parte durationis* organisatiuæ actionis: Primus est fieri *modo vitali*, per actiones vitales, quatenùs vitales sunt, & à principio vitali, vt vitaliter operante: Secundus est, *fieri breuiori tempore, vel vno tantùm instanti*: iam hic modus posterior tunc tantùm arguit perfectionem in organisatione corporis eius, qui accipit esse per veram & propriè dictam generatio-

I. nem, quando est compossibilis ei modo, quo corpus efformatur à generante: quando verò est illi incompossibilis dicit potiùs imperfectionẽ, quia tollit rationem veræ maternitatis: at in præsenti casu organisatio corporis est eius, scilicet Christi Domini, qui accipit esse à beatissima Virgine per veram & propriè dictam generationem, cui veræ generationi repugnat corpus, secundùm *suum fieri*, organisari, seu formari in instanti, quia hæc organisatio debet fieri per condensationem, & rarefactionem, vt *per potentiã vitalem vitali modo factũ*, quæ intrinsecè importãt motum localem: sunt enim ab anima, vt vegetante, quémadmodum Philosophi & Medici docent: econtrà in resurrectione vniuersali organisatio corporum non fiet à principio, *vt vitali & modo vitali*, sed *vt purè & simpliciter effectiuo*, non agente per attractionem, depulsionem, condensationem, rarefactionem: ideóque quia non repugnat agens hoc modo agere in instanti, non etiam repugnat vt corpora resurgẽtium organisentur in instanti.

II. B

Ad id autem, quo hæc organisatio corporum resurgentium dicitur fieri ab Angelis, respondetur, plerosq; Scholasticos id negare, vt Scotum, Durandum, Soto, & aliquos alios cit. distinct. 43. lib. 4. sentent. velle illam à solo Deo esse faciendam: potest autem commodè intelligi sic fieri in instãti, quatenùs cineribus corporum per Angelos congregatis, & præparatis (S. enim Thomas loco nunc citato hæc duo tãtùm tribuit Angelis) Deus desinet conferre esse partibus dilatatis, vbi anteà illud eis conferebat, & conferet illis per reproductionem esse in spatio contractiori.

Ad rationem subiectam huic obiectioni respondetur, concessâ Maiore, negando Minorem, si (vt debet intelligi) procedat de efficientia propria matris verè generantis, quia modus istius efficientiæ est per prædictas actiones vitales factas vitaliter, quæque omnes & singulæ important aliquem motum localem: vnde Deus tantùm potuit facere, vt beatissima Virgo celeriùs & celeriùs semper ageret; & proinde vt in breuissimo tempore istas omnes actiones exerceret modo proprio & connaturali matri verè & propriè generanti: ex quibus omnibus patet quæ sit disparratio, cur organisatio corporum in vniuersali resurrectione fiet in instanti: hæc verò corporis Christi Domini non potuerit fieri à beatissima Virgine in instanti; sed tãtùm in breuissimo tempore; quòd scilicet prior non fiet per prædictas actiones vitales motum localem intrinsecè includentes, per quas hæc posterior est facta.

III. C

ARTICVLVS VII.

IV. D

Quo ordine dignitatis & congruitatis partes humanitatis, & quæ in illa sunt, assumptæ sint à Verbo diuino.

NOTANDVM est imprimis, hæc duo, *esse assũptum, mediante alio*, & *esse assumptum prius aliquo ordine*, in hac difficultate esse quædã synonyma: quod enim mediat censetur prius eo modo quo mediat attingi, quàm id ad quod vt sit attingendum mediat, nam omne medium est aliquâ ratione prius eo ad quod est medium.

Notandum secundò, distingui multiplex medium: Primum *colligantiæ*, vt vocant, & est illud, quo duo extrema copulantur inter se, cuiusmodi est gluten, quo duæ tabulæ coniungũtur. Secundum illud dicitur esse medium, quod est via omninò necessaria perueniendi ad terminum, sic in ædificatione domus ipsa erectio parietum dicitur esse medium respectu tecti; & hoc medium ab aliis vocatur *medium necessitatis*. Tertium illud dicitur esse medium, quod tanquam finis est ratio assumendi aliud, & vocatur *medium congruitatis*: hoc autem tertium medium distinguitur à duobus præcedentibus, quòd simpliciter *morale sit*: duo verò priora *sint media physica* ipsius assumptionis spectatæ physicè, sicut eadem assumptio spectata *moraliter*, *seu in genere moris*, habet prædictum tertium medium.

V.

Notandum 3. ad hoc vltimũ genus medij posse reuocari aliam illam diuisionem medij, quam plerique Interpretum S. Thomæ hic inculcant, scilicet *medij vt quod, & quo*, simul & *medij vt quo tantùm*: illud appellant *medium vt quod, & quo simul*, quod verè & de facto assumitur, & simul est causa moralis, vt etiam & alterum assumatur: illud autem appellant *medium vt quo tantùm*, quod est causa moralis vt alterum assumatur, quatenus conducit vt alterum possit assumi, nec tamen assumitur immediatè, quomodo aliquâ ratione intellectus & voluntas posunt dici *medium vt quo* assumendi animam. Quarrò, ad explicandum rationes mediorum, & ordinem dignitatis & congruitatis, qui potest reperiri in assumptione humanitatis facta à Verbo diuino, notandum est, varias posse fieri comparationes: Prima est totius humanitatis ad partes quibus constat: secunda est partium humanitatis ad se inuicem: tertia est ipsius animæ ad mentem, seu spiritum: vbi postremò notandum est, *animam & spiritum, seu mentem in nobis esse vnam & eandem rem*: sed quæ ob duas diuersas considerationes appellatur duobus nominibus, scilicet *anima* & *spiritus*; vocatur *anima*, quatenus est fons & principium virium vegetatiuarum, & sensitiuarum: dicitur verò *spiritus*, vel *mens*, quatenus est fons & principium virium superiorum, seu intellectus, & voluntatis, & iuxta partem superiorem: vnde qui viuunt *secundùm rectam rationem* dicuntur passim in sacris litteris & Patribus *spirituales*: qui verò *secundùm sensum & appetitum inferiorem*, dicuntur *animales*, iuxta illud epistolæ S. Iudæ, *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes*: His itaque præsuppositis, sit

VI.

Prima propositio: *In assumptione partium humanitatis à Verbo, anima non est medium colligantiæ, vel necessitatis, quo caro est assumpta à Verbo diuino, nec econtrà*. Probatur: partes humanitatis in triduo mortis erant à se inuicem separatæ; & nihilominùs diuino Verbo vnitæ: ergo neutra illarum est alteri medium colligantiæ, vel necessitatis. Antecedens patet ex dictis præcedenti quæstione. Consequentia patet explicatione vtriusque medij.

VII.

VIII.

Secunda propositio: *In assumptione partium humanitatis à Verbo diuino anima est medium tum dignitatis, quàm congruitatis, respectu carnis assumptæ; est item comparatione illius medij quod & quo simul: item humana natura fuit medium tam dignitatis, quàm congruitatis assumendi corpus & animam*. Propositio videtur esse de fide; habetur enim in 6. Synodo act. vlt. & Patres eam tradunt, S. Greg. Naz. epist. ad Chelidonium, S. Augustin. epist. 3. ad Volus. & lib. 2. de agone Christiani capite 18. S. Damasc. lib. 3. de fide orthodoxa cap. 6. Probatur primò ordine dignitatis: totum est prius qualibet suâ parte: at humanitas est totum quoddã, cuius partes sunt corpus & anima: item

I. anima est nobilior corpore; est enim substantia spiritalis propter quam corpus est, vt instrumentum propter id cuius est instrumentum. Deinde probatur de ordine *congruitatis*, nam anima fuit aliquo modo causa finalis assumpt. carnis; est enim assúpta caro, vt exerceret suas actiones modo naturali, & per has posset mereri: vnde quòd S. Thom. hac qu. art. 1. dicit *carnem non esse per se assumptibilem*, non intelligitur *absolutè*, ostendimus enim cõtrarium esse verum, sed intelligitur, *præsuppositá tantùm ordinatione Dei*, qui ideò voluit Verbum incarnari, *vt esset nobis pastor, doctor, legislator, sponsus, & caput Ecclesiæ, mediator, glorificator, & etiam redemptor hominum*, cuiusmodi non esset, nisi veram carnem humanam etiam assumpsillet; sicq; quia caro non est finis animæ, cùm anima non existat, vt benè sit ipsi carni, seu corpori, sed econtrà: ideò non rectè potest ita dici, *anima est assumpta, mediante carne*: ex quo etiam patet esse verum, quod habet S. Thom. hac qu. art. 1. in respons. ad 1. scilicet, *corpus non posse eodem modo dici esse creatum mediante anima*, mirum quia licèt corpus sit creatum propter animam, attamen secundùm se spectatum est per se aptum creari in ordine ad eum finem, ad quem Deus illud creat, scilicet ad demõstrandam suam omnipotentiam, sapientiam, & gloriã, quæ relucent in humano corpore etiã separato ab anima: at non ita est de ipso fine Incarnationis, nam corpus etiam assũmptum hypostaticè, seclusá in perpetuum animá, nihil conferebat ad finem Incarnationis, nec enim *oues pascere, docere, leges ferre, aliquid promereri*, & id genus cæt. poterat præstare, quæ tamen intendebantur à Deo per hoc mysterium. Secúda item pars propositionis probatur, scilicet animã comparatione corporis esse simul *medium quod* & *quo*, nam vt nũc probatum est, est medium *quo*, & quia Verbum etiam immediatè terminauit ipsum corpus, vt ostendimus præced. quæst. est etiam simul *medium quod*. Vltima denique pars propositionis probatur, scilicet *naturam humanam fuisse medium tam congruitatis, quàm dignitatis assumẽdi corpus & animam*. Probatur de dignitate, quia assũmptio totius est perfectior ipsã assumptione singularũ partium: de ipsa congruitate etiam patet, quia finis assũmptionis partium, scilicet animæ & corporis, erat vt Verbum esset homo: ergo natura humana fuit mediũ congruitatis assũmẽdi corpus & animam.

II. III. IV.

Tertia propositio: *In assumptione animæ à Verbo diuino, ipsa mens, seu spiritus fuit medium tam dignitatis, quàm congruitatis, respectu animæ*. Probatur ex Patribus relatis 2. propositione, dicentibus, *Verbum, mediãte spiritu & mente, assumpsisse animam*. Deinde probatur eodem modo, quo præcedens assertio: nam anima, vt intelligens, & volens, est longè melior seipsã, tantùm vt vegetante, & sentiente: isti enim gradus sunt longè his perfectiores: ergo in assumptione animæ à Verbo diuino, mens, seu spiritus fuit *medium dignitatis*, respectu animæ, fuit etiam medium congruitatis, quia finis Incarnationis fuit, vt Verbum esset homo, qui multa bona nobis promereretur: at meritum postulat mentem, seu spiritum.

Vltima propositio: *Nulla datur vera pars humanitatis Christi Domini, quæ fuerit solummodò medium quo*. Hæc propositio sequitur ex his omnibus, quæ præced. quæst. tradidimus: ex quibus sic probatur; illud haberet tantùm rationem mediũ *quo*, in assumptione humanitatis à Verbo, quod ita esset ratio assũmendi alterum, vt tamen non sit immediatè terminatũ à Verbo, quemadmodum patet ex 3. nostro notabili: at nulla est vera pars humanitatis Christi, quantumuis minima, quæ nõ sit immediatè terminata à Verbo, vt iusè ostendimus præced. quæst. agendo sigillatim de illis: igitur nulla etiã est vera pars humanitatis Christi, quæ tantùm fuerit medium *quo* assumptionis.

V. VI. VII. VIII.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm priùs natura, siue ordine intentionis, siue executionis, anima sit assumpta à Verbo, quàm corpus, vel econtrà.

QVIA in vnò & eodem instãti temporis plura instãtia naturæ possunt distingui, & partes humanitatis seruãt ordinariè aliquẽ ordinem inter se; ideò licèt ostendimus eodem instanti tẽporis corpus & animã fuisse vnita hypostaticè Verbo diuino, adhuc tamen difficultas remanet discutiẽda. *an etiã corpus & anima sint assumpta à Verbo eodẽ instãti naturæ*. Pro cuius explicatione repetendũm est ex dictis suprà, nos non id ita inquirere, quasi sensus sit, an vnio Verbi ita sit facta priùs natura, vel ad animã, vel ad corpus, vt persona resultauerit ex illa; nam satis patet ex dictis ad 2. quæst. de formali ratione personæ, non fore personam: sed sensus tantùm est, an sumpto nomine subsistentiæ in illa ampliori significatione, in qua illud vsurpauimus suprà, quando docuimus vnam partem subsistantialem posse assumi ab aliqua ex personis diuinis, an iuxta hunc sensum Verbum diuinum de facto priùs natura assumpserit animam, quàm corpus, vel econtrà, an verò vtrumque simul.

Notandum secundò, duplicem posse distingui *ordinẽ naturæ*, in assumptione humanitatis à Verbo; *vnum intentionis*, secũdùm quem sensus præsentis difficultatis est, quidnam prius, iuxta nostrum modum intelligendi. Deus intenderit assumere, quid posterius: alterum verò ordinem naturæ *esse executionis*, quem cõsiderare nihil est aliud, quàm quærere, quidnã sit illud quod Verbũ diuinum priùs natura terminarit, quid posterius.

His ita præmissis, Durand. in 3. sent. dist. 2. qu. 2. num 12. & sequent. negat in hac assumptione aliquem fuisse ordinem naturę inter ipsas partes, sed solummodò rationis. Alij, admisso aliquo ordine reali in hac assumptione, volunt animã ordine executionis fuisse priùs natura assumptam à Verbo, quàm ipsum corpus: ita Aluares hac qu. S. Thomæ disp. 30. 1. conclus. & in respons. ad 1. Alij tertiò volunt eodem instanti naturæ corpus & animam fuisse assumpta à Verbo diuino, hánc que esse sententiam S. Thomæ hac quæst. art. 5.

Sit prima propositio: *Datur quidam ordo naturæ in assumptione corporis, & animæ à Verbo diuino*. Propositio est cõtra Durand. suprà: probatur, Verbum diuinum in assũmptione animæ & corporis eum seruauit ordinem, quem illæ partes in ratione subsistendi seruant inter se, quia eo instanti vnamquamque terminauit, quo fuisset terminanda propriâ sui subsistentiâ; nec enim miracula sunt hîc multiplicanda sine necessitate: atqui corpus & anima in subsistendo seruant aliquem ordinem naturæ, siue secundùm intentionem, vt patet ex dictis præcedenti articulo, siue secundùm executionem, vt patebit infrà: igitur realis quidam ordo naturæ datur in assumptione corporis & animæ à Verbo diuino.

Obicit Durandus contra hanc propositionem: quãdo aliquid vnitur duobus, nõ vt duo sunt, sed

I. vt vnũ tunc neutrum illorũ est medium: atqui diuina persona Verbi est vnita per se animæ & carni, nõ vt plura sunt, sed vt vnũ, scilicet inquantũ faciunt vnã humanitatẽ: ergo vnũ istorũ non fuit assumptũ, mediãte altero, seu priùs naturã altero.

Respondetur, quãdo aliquid vnitur duobus, vt ordinatis ad vnum totũ componendũ, tunc quia duo illa sunt partes istius totius, seruãtque inter se aliquem ordinem naturæ, etiam quoad executionem, provt componunt totum, assumptionem illorum esse multiplicem, sicut & illæ partes sunt multiplices; & cùm assumantur vt cõponant, ibi naturæ ordinem seruari quantũ potest, ne miracula multiplicentur sine necessitate: quare cùm anima & corpus in ordine ad componẽdũ vnam totalem subsistentiam, seruent aliquem ordinem naturæ, sicut & in ordine ad componendum vnum hominẽ, aliquis etiam ordo naturæ datur in

II. assumptione animæ & corporis à Verbo diuino.

B Secunda propositio: *Ordine intentionis anima fuit priùs natura assumpta à Verbo, quàm corpus.* Probatur ex dictis art. præced. nam assumptio animæ fuit ratio & finis assumendi corpus; sicut enim corpus est propter animam, ita vnio Verbi cum corpore fuit facta propter vnionem Verbi diuini cum anima.

Tertia propositio: *Ordine executionis corpus fuit priùs natura assumptum à Verbo diuino, quàm anima.* Probatur, corpus eodem instanti fuit assumptum à Verbo diuino, quo sibi relictũ subsitisset propriã suã partiali subsistentiã, quia terminatio Verbi diuini fuit illi & aliis humanitatis partibus loco propriæ subsistentiæ: atqui corpus Christi D. sibi relictum habuisset priùs natura secundùm ordinem executionis propriã suam partialem subsistentiam, quàm ipsa eius anima sibi

III. etiam soli relicta habuisset suam: igitur & priùs

C ordine naturæ secundùm executionem corpus Christi D. fuit assumptum à Verbo diuino, quàm ipsa eius anima rationalis. Maior satis patet ex se, & illi adiunctis. Minor probatur: eo instanti naturæ secundùm ordinẽ executionis corpus Christi D. sibi soli relictum habuisset propriam partialem subsistẽtiam, quo fuit perfectè organisatum, quia eo instanti incipit esse humanum per proximum ordinem, quem habet ad animam rationalem, vt proprium suum actum physicum; est enim anima secundùm Aristot. *actus corporis organici potestate vitam habentis*: atqui corpus est priùs ordine naturæ organisatum, perfectum, quàm ipsa anima rationalis creetur à Deo, & ex consequenti priusquàm habeat propriam suam partialem subsistentiam; nam anima rationalis hîc &

IV. nunc creatur à Deo, quia eius corpus ita est organisatum, vt illam exigat: igitur corpus Christi D.

D fuit secũdùm executionẽ priùs ordine naturæ organisatum perfectè, quàm anima rationalis esset creata. Confirmatur: ordo intentionis & executionis ita se habent ad se inuicem, vt quod est vltimum in intentione sit primum in executione, quemadmodum Caiet. hac quæst. art. 5. rectè notat, & patet exemplo eius qui domum ædificat, vbi fundamentum, quod est vltimum in intentione, est primum vnde ipsa executio ædificandi incipit: atqui caro, seu corpus est fundamentũ humanæ structuræ: ergo secundùm ordinem executionis priùs natura assumitur à Verbo diuino, quàm anima rationalis assumatur. Tandem probatur iis omnibus quibus Philosophi agendo de subsistentia, tam latè, quàm præcisè sumpta, docent illam priùs esse in eo, cuius est subsistentia,

A quàm quodcunque aliud perficiens illud solummodò extrinsecè, & in ordine ad aliud, quia est proprium eius complementũ: vnde cùm corpus perficiatur intrinsecè & in ordine ad se per suam propriam partialem subsistẽtiam, & per animam tantùm in ordine ad aliud, scilicet ad faciendum compositum, debet habere priùs natura suam eiusmodi subsistentiam, quàm animam recipiat, vt formam ad constituendum cum illa compositum; & proinde cùm corpus Christi fuerit assumptum à Verbo eo instanti, quo propriam suam partialem subsistentiam habuisset, fuit assumptum à Verbo diuino priùs natura, etiam ordine executionis, quàm anima Christi Domini. V.

Sed contra hanc propositionem tertia sententia obicit: prioritas naturæ potest tantùm esse ratione dependentiæ, sed vnio corporis, seu carnis cum Verbo diuino non dependet ab vnione animæ cum eodem Verbo, nec ecõtrà: igitur neutra

VI. vnio est prior ordine naturæ, similiter neutra posterior. Respondetur, istam prioritatem naturæ, loquendo propriè, non fundari in eo quòd vnio animæ cum Verbo dependeat ab vnione corporis, seu carnis cum eodem Verbo; nam absolutè loquendo, Verbum diuinum potuit assumere vnum istorum, alio non assumpto, vt suprà docuimus; sed hæc prioritas naturæ fundatur in eo ordine, quem corpus & anima seruant inter se per comparationem ad suas partiales subsistentias, quia subsistentia Verbi assumens ista, supplet vicem eiusmodi subsistentiarum: ideòque cùm anima rationalis in suo partiali subsistere supponat ordine naturæ ipsum subsistere corporis organici & humani; sicque est *aliqua dependentia*, saltem *præsuppositionis animæ ad ipsum corpus*: ideò Verbum diuinum priùs ordine naturæ secundùm

VII. executionem assumpsit corpus, seu carnem, quàm eius animam rationalem.

Articvlvs IX.

Vtrùm anima & corpus sint assumpta à Verbo diuino priùs natura, quàm vnita sint inter se.

Sit prima propositio, *Vnio animæ cum corpore, spectata secundùm ordinem intentionis, est priùs natura, quàm vnio eiusdem animæ vel corporis cum Verbo diuino.* Probatur, quod habet rationẽ finis est priùs natura secundùm ordinẽ intentionis, eo cuius est finis, quia finis semper est primus in intentione: atqui *ipsum esse hominem*, quod est corpus & animã esse vnita inter se, est aliquo modo finis vnionis hypostaticæ, quatenùs illa fuit ad faciendum Verbum diuinum hominem: igitur

VIII. ipsa vnio animæ cum corpore est secundùm ordinem intentionis prior natura ipsã assumptione corporis & animæ à Verbo diuino.

Secunda propositio: *Ordine exequutionis & existentiæ anima & corpus priùs natura sunt assumpta à Verbo diuino, quàm inter se vnita.* Probatur: corpus iuxta ordinem executionis est priùs natura assumptum à Verbo diuino, quàm sit vnitum animæ rationali: item anima rationalis secũdùm ordinem executionis, & existentiæ est priùs natura assumpta à Verbo diuino, quàm sit vnita corpori: ergo corpus & anima Christi D. priùs natura secundùm ordinem executionis & existẽtiæ sunt assumpta à Verbo diuino, quàm vnita inter se. Consequentia patet: ea enim sunt simpliciter & absolutè loquendo priùs natura assũpta, quàm inter se vnita, quorum vnũquodque seorsim ab

I. alio est priùs natura assumptum: sic enim ipsa assumptio singulorũ antecedit aliquo modo secundùm existẽtiam & executionem ipsam eorum vnionẽ ad se inuicem. Antecedens verò probatur, & de ipso corpore patet ex dictis præcedenti art. propositione 4. illud enim fuit à Verbo diuino assumptum eo instanti, quo fuit perfectè organisatum, vt ibi ostendimus: at, vt ibidem ostendimus, fuit perfectè organisatum priùs secundùm ordinem executionis, quàm anima eius crearetur, & ex consequenti priùs natura, quàm hæc vniretur illi. De anima idem probatur: eo instanti anima Christi Domini fuit assumpta à Verbo diuino, quo sibi soli relicta habuisset propriam suam partialem subsistentiam: nam Verbum diuinum est vice subsistentiæ, vt sæpè diximus. Atqui anima rationalis Christi Domini, sibi soli relicta, habuisset priùs natura suam propriam subsistentiam, seu partem subsistentiæ totalis iuxta ordinem executionis & existentiæ, quàm de facto fuerit vnita suo corpori: primò, quia secundùm ordinem executionis & existentiæ priùs natura fuit creata, quàm vnita corpori: creatio autem est rei non tantùm existentis, sed subsistentis, ex S. Thoma 1. parte quæst. 75. art. 2. & 76. art. 1. ergo anima Christi Domini debuit priùs natura secundùm ordinem executionis & existentiæ subsistere, quàm vniri suo corpori. Idem secundò probatur, eis omnibus quibus art. præcedenti illud idem confirmauimus de subsistentia corporis ante sui vnionem ad animam.

II.

Tertiò probatur. Sicut priùs est aliquam substantiam subsistere, quàm operari: ita etiam priùs est partialem substantiam subsistere sua partiali subsistentia, seu habere suam partem totalis subsistentiæ, quàm cum alia substantia facere vnum per se & se illi vnire, maximè cùm totalis subsistentia resultet ex partialibus inter se vnitis, vel ex partibus totalis subsistentiæ coniunctis inter se, partes autem sint priores toto: ergo cùm Verbum tam respectu corporis quàm animæ in Christo Domino suppleat vicem subsistentiæ, sublata tamen imperfectione partis, vt suprà notauimus, sicut in nobis corpus & anima, priùs ordine naturæ secundùm executionem, suas habent partiales subsistentias, seu suas partes componentes totales subsistentias, antequam partes illæ humanitatis vniantur inter se, ita & eædem partes humanitatis Christi Domini antequam vnirentur se, erant priùs natura secundùm executionem assumptæ à Verbo diuino. Quid autem ista terminatio corporis & animæ nondum vnitorum inter se illis contulerit, docuimus suprà quæst. 4. disp. 1. art. 5. propositione secundâ.

III.

IV. Obiicies: Si caro Christi Domini secundùm ordinem executionis & existentiæ fuerit priùs natura assumpta à Verbo diuino, quàm esset animata animâ rationali Christi Domini: ergo caro illa Christi Domini fuit assumpta adhuc existens sub forma sanguinis, vel alia simili antecedente animam rationalem in ipsa formatione corporis, & ex consequenti, cùm hæc forma constitueret carnem illam in alia aliqua specie à natura humana, Verbum diuinum assumpsit de facto aliquam aliam naturam ab humana, quæ deinde fuit ab illo dimissa, quando loco istius formæ sanguinis, vel alterius anima rationalis successit, contra illud axioma toties inculcatum, *quod semel assumpsit nunquam dimisit*, & contra id quod suprà diximus, scilicet *personam Verbi diuini, aut aliam ex diuinis nullam aliam naturam de facto*

A *assumpsisse, præter humanam, eámque singularem & individuam.*

Respondetur, instans illud temporis, in quo forma sanguinis fuit expulsa, & anima rationalis introducta, posse diuidi in tria instantia naturæ, ita vt in primo instanti naturæ forma sanguinis fuerit expulsa, in secundo, in qua caro erat perfectè organisata, & proximè disposita ad animam rationalem, fuerit terminata à Verbo diuino, quia tunc nisi præuenta fuisset, debebat habere suam propriam partialem subsistentiam: in tertio anima rationalis fuerit introducta, sicque terminatio hæc à Verbo diuino, prout correspondet huic instanti, est carnis non amplius existentis sub forma sanguinis, sed existentis immediatè sub forma animæ rationalis: nec proinde tunc Verbum assumpsit aliquam substantiam constitutam in alia specie ab ipsa natura humana, nec

B per aduentum animæ rationalis Verbum dimisit aliquam substantiam, quam anteà assumpserit hypostaticè. Nec est quòd quis dicat iuxta hanc responsionem carnem Christi Domini in secundo illo instanti naturæ fuisse destitutam omni forma, cùm non esset amplius sub forma sanguinis, nec adhuc esset sub forma animæ rationalis. Nam hoc totum est solummodò quidã transitus ipsius materiæ ab vna forma ad aliam, huic præcedenti formæ incompossibilem, per cuius introductionem & informationem denudetur præexistenti, itavt primum *esse vnius, sit primum non esse alterius*, & hoc inconueniens (si quod est inconueniens) habet locum in omni generatione: nam expulsio formæ præcedentis, & priuatio formæ introducendæ debet præcedere introductionem alterius. Vnde sicut in generatione naturali materia nunquam est sine ali-

C qua forma, sed transit immediatè ab vna ad aliam, ita & in præsenti casu.

Secundò obiicies. Nulla substantia etiam partialis potuit assumi à Verbo, quandiu illa retinuit propriam suam partialem subsistentiam, quia subsistentia propria & aliena sunt sibi incompossibiles in eadem natura, vt docuimus: atqui materia corporis Christi Domini, quandiu non fuit informata anim[illegible]tionali, tandiu retinuit propriam suam par[illegible]lem subsistentiam, quia tunc non erat pars humanitatis quæ est assumpta: ergo non potuit tunc assumi à Verbo, nec ex consequenti caro Christi Domini fuit assumpta à Verbo diuino priùs natura secundùm executionem & existentiam, quàm animata per animam rationalem Christi Domini.

Respondetur, admissâ Maiori, ad Minorem: materiam corporis Christi Domini deperden-

D do formam sanguinis, simul etiam perdidisse suam partialem subsistentiam, & cùm ad introductionem animæ rationalis deberet habere aliam sibi propriam, ita data pro eo statu, in quo erat scilicet perfectè organisata, impoditam fuisse accipere, & Verbum diuinum loco illius suam supposuisse, hâneque carnem, pro tali statu, fuisse humanam ratione proximæ habitudinis, quam tunc habebat ad animam rationalem.

V.

VI.

VII.

VIII.

ARTICVLVS X.

Soluuntur obiectiones.

PRIMA obiectio est, sanctum Thomam hac quæstione art. 1. nolle animam & corpus fuisse assumpta à Verbo diuino priùs natura quàm fuerint inter se vnita, dum ait, *carnem non esse assumptibilem, nisi per ordinem quem habet ad*

I. *animam rationalem, secundùm quam habet quòd sit caro humana.* & articulo 4. dum ita ait in corpore. *Caro non debuit ante assumi quàm esset caro humana, quod factum est anima rationali, adueniente.* & ibidem in solutione ad tertium, *Vnione,* inquit, *personali priùs secundùm intellectum oportet quòd caro vniatur animæ quàm Verbo.*

Respondetur, istas auctoritates sancti Thomæ, ab eo tantùm intelligi de durationè temporis, itavt caro, aliquo instanti temporis, non debuerit priùs assumi, quàm esset informata animâ rationali: nam articulo primo notat expresè se loqui de prioritate temporis, secundùm quam diximus suprà, carnem fuisse simul informatam anima rationali, & assumptam à Verbo diuino, & quod secundùm eandem durationem loquatur articulo 4. præter quam quòd id obseruant eius interpretes Medina & alij ad illum

II. articulum, satis intelligitur ex eo quòd ibi ait esse contra naturam animæ, vt priùs sit quàm corpori vniatur: quod potest tantùm intelligi de existentia animæ in aliqua reali & vera durationè temporis, non autem de eius existentia secundùm aliquam tantùm prioritatem naturæ, vt patet ex dictis. At nos hic tantùm loquimur de prioritate naturæ secundùm ordinem executionis & existentiæ, iuxta quem corpus perfectè organisatum, licèt nondum habeat in seipso animam, quia tamen est vltimò dispositum ad illam, potest rectè appellari *humanum ratione tam proximæ habitudinis*, quam habet ad animam rationalem, præsertim cùm intriduo mortis Christi Domini factâ dissolutione animæ à corpore, solis puræ naturæ viribus non reparanda, ipsum Christi Domini corpus esset, & diceretur humanum, actúque vnitum hypostaticè

III. Verbo, propter illam habitudinem quam habebat ad animam, cui erat breui reuniendum. Quo autem sensu S. Thom. dicat, carnè fuisse tantùm assumptibilè per ordinè quem habet ad animam rationalem, explicatum est à nobis superiùs.

Ad tertiam auctoritatem eiusdem S. Thomæ respondetur, eum ibi nomine, *vnionis personalis*, non intelligere quamlibet assumptionem hypostaticam, seu quamlibet terminationem substantiæ à Verbo diuino, sed eam solam quæ loquendo propriè constituit *personam*, quæ tunc tantùm est, quando assumptio est totalis substantiæ: est enim personalitas, sumpta propriè, modus substantialis non quilibet, sed totalis & totius substantiæ, vt expresè docuimus suprà quæstione 2. iuxta quem modum assumptio carnis vel etiam animæ nondum illi vnitæ, licèt sit ab

IV. hypostasi Verbi diuini, non tamen dicitur *persona, vel constituere personam.*

Secunda obiectio. Caro quæ est assumpta à Verbo diuino debuit esse priùs naturâ verè & propriè humana, quàm assumeretur, quia Verbum assumpsit carnem verè & propriè humanam, & quòd assumitur præsupponitur assumptioni, sed caro non est propriè & de facto humana, nisi quatenus est de facto vnita animæ: igitur anima & corpus Christi Domini priùs natura sunt inter se vnita, quàm assumerentur à Verbo diuino.

Respondetur, Maiorem eius ita debere intelligi, quòd caro, quæ est assumpta à Verbo, debuerit esse priùs natura verè & propriè humana, quàm assumeretur secundùm ordinem intentionis, quia Deus ordinauit vnionem hypostaticam, vt Verbum esset homo, & ideò eius intentio debuit sese terminare ad carnem humanam. Deinde respondetur, carnem Christi Domini priùs natura, quàm assumeretur à Verbo, fuisse etiam de facto humanam, quia ad talem denominationem sufficit esse vltimò dispositam ad animam rationalem, & habere proximam habitudinem ad illam, quam caro Christi Domini habuit antequam vniretur, quemadmodum paulò antè explicatum est. V.

Tertia obiectio. Illud per quod anima & corpus reddunturidonea quæ assumantur, est priùs naturâ illorum assumptione hypostatica: nam omne medium, quâ medium, est priùs eo ad quod est medium, atqui anima & corpus reddunturapta quæ assumantur hypostaticè à Verbo per ipsam vnionem sui ad inuicem. Primò, quia vnio hypostatica est, vt Verbum sit homo, iuxta illud Ioannis primo, *Verbum caro factum est*, & ad

B esse hominem actualis vnio animæ cum corpore necessariò requiritur. VI.

Respondetur, Maiorem intellectam de ordine executionis & existentiæ esse tantùm veram de *medio colligantiæ & necessitatis*, non autem de *medio solùm congruitatis*, cuiusmodi est vnio animæ ad corpus respectu assumptionis quæ est à Verbo: sufficit enim si illud sit priùs ordine tantùm intentionis, quo modo vnio animæ ad corpus est prior ipsa assumptione animæ & corporis, vt prima nostra propositio asserit.

Quarta obiectio. Substantia non est apta personari proximè, nisi quando omnes illas partes substantiales essentiales habet coniunctim completas, quia personalitas est quidam terminus totalis complens vltimò totam substantiam; atqui natura humana nò habet hoc modo omnes suas

C partes essentiales substantiales completas, nisi quando illæ sunt inter se vnitæ: igitur partes illæ VII. Christi Domini, corpus & anima, priùs naturâ fuerunt sibi inuicem vnitæ, quàm assumerentur.

Respondetur totam hanc obiectionem, procedere de ea tantùm assumptione per quam persona propriè dicta constituitur, id est, sumpto nomine personalitatis, seu subsistentiæ pro totali termino complente vltimò totalem substantiã, qua in significatione hîc non sumitur, hoc enim loco vsurpatur pro simplici terminatione alicuius substantiæ, etiam incompletæ, per aliquam partialem subsistentiam, seu partem totalis subsistentiæ, aut per aliquid supplens eius vicem in præciso munere terminandi, iuxta quam acceptionem ipsa terminatio per hypostasim sese latiùs extendit quàm assumptio in vnitatem personæ, vt iam animaduertimus.

D

Articvlvs XI. VIII.

Vtrùm anima & corpus priùs natura sint assumpta quàm humanitas.

IN præcedentibus comparauimus partes humanitatis ad se inuicem, nunc illas comparamus cum tota humanitate, & quærimus, an humanitas, vt est totum aliquod, fuerit in aliquo priori naturæ assumpta, quàm eius partes. Cuius difficultatis solutio est facilis ex præcedentibus: quare sit ista

Prima propositio. *Tota humanitas secundùm ordinem intentionis priùs natura fuit assumpta à Verbo, quàm eius partes.* Ita S. Thomas hîc art. 5. Caiet. Medina, & alij S. Thomæ Interpretes. Probatur, illud quod est perfectius, & ad quod alia ordinantur, priùs naturâ assumitur secun-

dùm ordinem intentionis, quàm quę ad illud ordinantur: atqui tota humanitas est aliquid perfectius singulis suis partibus, anima & corpore: item anima & corpus ordinantur ad totam humanitatem, partes enim ordinantur ad suum totum: igitur tota humanitas secundùm *ordinem intentionis*, priùs natura est assumpta à Verbo quàm eius partes.

I.

Secunda propositio. *Ordine executionis & existentiæ partes humanitatis, anima scilicet & corpus, priùs naturâ sunt assumptæ à Verbo, quàm ipsa humanitas.* Probatur: illud est priùs natura ordine existentiæ, ex quo esse alterius pendet, & non è contrà: atqui vnio Verbi diuini cum ipsa humanitate, pendet quoad sui existentiam ab vnione eiusdem Verbi cum anima & corpore: igitur secundùm ordinem executionis & existentiæ vnio animæ & corporis cum Verbo diuino, est prior

II. ipsa vnione humanitatis cum Verbo. Maior patet ex se. Minor probatur: qualis est dependentia ipsius humanitatis in existendo ab anima & corpore, talis etiã est dependentia eiusdem humanitatis in subsistendo, & ex consequenti in ipso assumi à Verbo, quia Verbum est loco subsistentiæ & ad existentiam subsistentiæ statim propria subsistentia sequitur, nisi impediatur per miraculum: atqui humanitas, quatenus est totum quoddam, dependet in existendo ab ipsis suis partibus, anima & corpore, ex his enim ista resultat, similiter & totalis existentia ex partium simul vnitarum existentia: igitur & humanitas in subsistendo dependet etiam à suis partibus, anima & corpore, quæ proinde priùs naturâ, ordine executionis & existentiæ fuerunt assumptæ à Verbo diuino. Secundò probatur: assumptio humanitatis à Verbo diuino, spectata secundùm

III. executionem, est aliqua veluti operatio agentis: sed operatio agentis incipit à partibus, & sese terminat ad totum: igitur & assumptio humanitatis à Verbo diuino considerata secundùm executionem incipit ab assumptione corporis & animę, & sese terminare ad assumptionem totius humanitatis, sicque priùs naturâ secundùm ordinem existentiæ corpus & anima sunt assumpta à Verbo diuino, quàm ipsa humanitas.

Cæterùm notandum primò est, hæc omnia tantùm procedere de ea assumptione humanitatis & partium eius, quæ importat præcisè nudã terminationẽ alicuius naturæ à Verbo diuino: nam *si ipsum subsistere vel reddi subsistens* per assumptionẽ à Verbo sumatur in rigore, provt tantùm *conuenit toti*, & dicitur de illo solo, vt obseruauimus quęst. 2. agendo de subsistentia, tunc ipsa humanitas dicetur esse primò per se assumpta à Ver-

IV. bo, & mediante illa tanquam toto, partes eius dicentur assumptæ à Verbo diuino, quia subsistere & subsistentia sic sumpta in rigore priùs conueniunt toti, & illo mediante, partibus eius.

Secundò notandum, hoc corolarium sequi ex hactenus dictis, nimirum plures esse partiales vniones factas à Verbo diuino, vnam scilicet *cum corpore*, & aliam *cum anima*. Probatur: in priori illo naturæ quo corpus erat vnitum Verbo nec dum vnitum animæ, hæc erat vna partialis vnio, & alia ab ea qua sequente instanti naturæ anima vniebatur Verbo diuino: deinde in triduo mortis Christi Domini, vnio Verbi cum corpore mãsit, similiter vnio eiusdem Verbi cum anima, nec tamen corpus & anima erant inter se vnita: ergo vnio illa quæ est animæ cum Verbo est alia ab ea vnione quæ est corporis cum Verbo.

A Tandem vniones distinguuntur penes subiecta, quibus suo modo insunt, & penes ea ad quæ sese terminant: atqui anima & corpus sunt res omninò distinctæ realiter à se inuicem, & illa vnio, quæ respicit animam, illa eadem præcisè non respicit corpus, quia loquendo absolutè vna potest esse sine alia. Confirmatur ex 115, quibus 2. quæst. agendo de formali termino actionis vnitiuæ, qua Verbum diuinum est vnitum humanitati, ostendimus modum illum substantialem, quem pro tali termino assignauimus, esse partim spiritalem & partim corporeum habita proportione ad partes humanitatis: ergo plures sunt vniones partiales humanitatis ad Verbum.

V.

Quæ res, cùm per nutritionem plures partes substantiales aduenerint, de nouo plures etiam desierint, quatenus aliquæ etiam decidunt, quomodo axioma illud, *quod semel assumpsit nunquã*

B *dimisit*, verum erit: & an sicut per *nutritionem nouæ partes substantiæ aduenebant, ita etiam nouæ fierent quotidie vnio*: vel illa primò facta transiret quasi de subiecto in subiectum. VI.

Respondetur, prædictum illud axioma ita intelligi de præcipuis partibus etiam corporis, vt intelligatur tantùm de *partibus primigenijs*, quæ semper manent eædem in corpore naturali, ratione quarum homo quandiu viuit dicitur *semper esse idem*, nec illa mutatio quæ ad nutritionem, etiam longi annorum serie factam, sequitur in eius corpore, facit illum esse alium hominem, vel non accepisse corpus, quo nunc constat, ab ipsis suis parentibus. Vnde sicut partes aliæ ita decidebant à corpore Christi Domini per nutritionem, vt nunquam essent illi reuniendæ, ita etiam desinebant vniri Verbo diuino hypostaticè, & quæ per nutritionem ei accedebant

C ipso instanti quo fiebant proximè aptæ informari anima rationali vniebantur Verbo diuino hypostaticè absque aliquo transitu vnius eiusdémque vnionis seu modi vnitiui ab vno quasi subiecto ad aliud. VII.

Articvlvs XII.

Vtrùm prater vnionẽ ad partes humanitatis, sit alia vnio distincta Verbi diuini, ad totam humanitatem Christi Domini.

QVIA docuimus ipsas partes humanitatis fuisse priùs naturâ etiam ordine executionis, & existentiæ assumptas à Verbo diuino, quàm vnitæ essent inter se, seu vnam totam humanitatem componerent: præsens difficultas nascitur, an scilicet Verbum diuinum, hoc solo titulo assumpserit humanitatem, quòd prædictæ illæ partes, quas priùs naturâ seorsim positas assumpserat, sint sibi inuicem vnitæ ad componendum vnam totam humanitatem: an verò Verbum diuinum insuper habuerit aliam immediatam vnionem ad totam humanitatem, vt iam ex suis partibus coalescentem, sicque totam humanitatem assumpserit etiam immediatè, & non tantùm mediantibus eius partibus, quas priùs natura seorsim positas assumpserat immediatè.

D VIII.

Notandum secundò, quæstionem hanc posse moueri duobus modis, iuxta duplicem opinionem distinctionis totius à suis partibus, quatenus nimirum alij volunt totum distingui realiter à suis partibus, alij minimè. Notandum certiò, etiam in posterion sententia de distinctione totius à suis partibus adhuc posse duobus modis

I. intelligi, in hoc mysterio Incarnationis vltrà partiales vniones ad corpus & animam, adhuc dari aliam vnionem, quæ sit ad totam humanitatem: Primò, itavt partes illæ humanitatis iam seorsim assumptæ à Verbo iterum sibi inuicem vnitę assumantur, sicque corpus sit bis assumptũ, similiter & anima bis assumpta à Verbo diuino, semel ante vnionem sui ad inuicem, & iterum post sui vnionem qua componunt vnam numero completam humanitatẽ. Secundò, itavt duæ illæ vniones partiales sibi inuicem vniantur ad componendum vnam totalem, & sicut duæ partiales substantiæ, corpus nimirũ & anima, vniuntur inter se ad componendum totum hominem, datúrq; aliquis modus substantialis illas inter se coniungens, & ratione istius vnitionis habentis pro sue formali termino modum illum substantialem, homo dicitur etiam generare hominem,

II. ita etiam duæ illæ partiales vniones sibi inuicem vniantur, detúrque aliquid substantiale ratione cuius connectentur inter se ad componendum vnam totalem vnionem, ratione cuius compositionis diuinum Verbum dicatur assumere totam humanitatem, cùm ante vnitionem partialium vnionum assumpsisset solummodò corpus seorsim, animam seorsim, non autem vt actu componunt hamanitatem.

Notantum vltimò, nos hîc nolle discutere, an totum distinguatur realiter à suis partibus, vel non, quia hoc propriè spectat ad Philosophos, & licèt ea pars, quæ existimat totum non distingui realiter ab omnibus suis partibus vnitis, seu vt intellectis cum vnione, sed solummodò distingui ratione, videatur nobis probabilior: nihilominùs tamẽ dicemus quid etiam censendum sit de difficultate proposita consequenter ad aliam opinionem. Istis itaque omnibus prænotatis, sit nostra

III. Prima propositio. *Supposito quòd totum distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis, sibique inuicem vnitis, tunc in mysterio Incarnationis præter duas partiales vniones Verbi diuini cum corpore & anima, datur alia tertia vnio eiusdem Verbi diuini cum tota humanitate.* Probatur, tot sunt vniones in hoc mysterio, quot sunt res & substantiæ realiter distinctæ vnitæ Verbo diuino, quia, vt obseruauimus præcedenti articulo, vniones distinguuntur penes subiecta, quibus suo modo insunt & penes ea, ad quæ illæ sese terminant: atqui iuxta hanc opinionem de distinctione totius à suis partibus vt vnitis dantur tres res, seu substantiæ à se inuicem realiter distinctæ, vnitæ tamen Verbo diuino, scilicet *corpus, anima, & tota humanitas*: igitur supposita distinctione reali totius à

IV. suis partibus inuicem vnitis, alia vnio datur eiusdem Verbi cum tota humanitate vltrà duas partiales ad corpus & animam. Secundò, tota humanitas quatenus constituit vnam integram, & completam substantiam in illo priori, quo est proximè apta habere subsistentiã, & sic cum illa constituere vnum hominem, fuit hypostaticè vnita Verbo diuino, quia proximus finis huius mysterij est facere diuinum Verbum hominem, iuxta illud S. Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, & humanitas eo instanti fuit Verbo diuino vnita, quo debebat habere propriam subsistentiam, vt intelligitur ex dictis: atqui tota humanitas, quatenus sic constituit vnam integram, & completam substantiam, dicit aliquid reale distinctum realiter à partibus etiam simul vnitis, iuxta sententiam quam hîc supponimus, & debebat eo instanti habere totalem subsistentiam: igitur &

A vnio Verbi diuini cum humanitate tanquã cum toto debet esse alia omninò distincta ab ea vnione, quam habet cum partibus humanitatis. V.

Secunda propositio. *Supposita opinione de indistinctis ine reali totius à suis partibus vt vnitis, seu includentibus vnionem ad se inuicem, alia vnio immediata Verbi ad totam humanitatem non datur in hoc mysterio vltrà prædictas duas partiales vniones ad corpus & animam*, iuxta primum sensum tertij nostri notabilis. Probatur: tot tantùm vniones partium humanitatis ad Verbum debent admitti in hoc mysterio, quot essent propriæ subsistentiæ, sumpto hoc nomine in ampliori significatione, in ipsa humanitate sibi soli relictã, quia vnio Verbi est hypostatica, & ad supplendam vicem subsistentiæ: atqui in partibus humanitatis ita sibi relictis, totam tamen humanitatem componentibus, nulla alia daretur de nouo subsistentia, B VI. distincta à duabus partialibus subsistentiis animæ & corporis, quia duæ illæ sic vnitæ facerent aliquod totum indistinctum à suis partibus sibi inuicem vnitis, quemadmodum docet sententia quam hæc nostra propositio supponit: igitur præter duas illas partiales vniones Verbi diuini ad corpus & animam non datur alia immediata, quę sese terminet ad totam humanitatem. Deinde eo tantùm modo vnio Verbi ad totam humanitatem, vt includentem suas partes sibi inuicem vnitas, sese habet ad vniones partiales humanitatis ad Verbum, quo tota humanitas vt includens vnionem suarum partium sese habet ad suas partes, illam totam sic componentes: atqui in sententia iuxta quam procedimus, tota humanitas non est aliqua alia entitas re distincta à suis partibus vt includentibus vnionem: igitur nec ipsa vnio totius humanitatis ad Verbum diuinum est aliqua alia ab vnionibus partialibus vt C VII. vnitis. Maior patet ex dictis, nam vnio sequitur conditionem eorum quæ vnit, & est quid realiter indistinctum ab vno suorum extremorum. Tertiò probatur, ex eo quòd nihil possit assignari, propter quod sit necessaria iterata illa vnio Verbi ad partes vt iam inter se vnitas, cùm sola prima vnio Verbi ad vnamquamq; partem seorsim sit sufficiens: ergo, cùm Deus nihil faciat frustra, dicendum est nullam aliam immediatam vnionem dari vltrà prædictas duas partiales corporis & animæ. Tandem probatur, si tertia illa vnio daretur, istud axioma, *quod semel assumpsit nunquam dimisit*, intellectum de omnibus quæ Christus Dominus viuens in terris habuit & adhuc retinet in cælo, esset falsum, quia hæc immediata vnio ad humanitatem fuit dissoluta per mortem: igitur non est dicendum aliquam aliam

B VIII. vnionem immediatam dari præter duas prædictas partiales.

Obiicies primò, ipsa humanitas, vt est totum quoddam resultans ex partibus vnitis inter se, addit suprà suas partes illam componentes aliquem modum subsistantialem quo inter se coniunguntur, & coniunctæ faciunt illam vnam totam completam humanitatem: ergo vt tota hæc humanitas dicatur immediatè assumpta à Verbo diuino, debet dari alia vnio immediata ad illam, vt modus ille etiam assumatur.

Respondetur, concesso antecedente, negando consequentiam, cuius negati ratio est, quòd illud tantùm debeat assumi immediatè, quod est capax subsistentiæ vel totalis vel saltem partialis, & ex consequẽti quod est quædam subsistantia completa vel incompleta, vt patet ex dictis quæst. 2.

I. de subsistentia: atqui modus ille substantialis vnitiuus partium subst ãtiæ ad se inuicem non est capax subsistentiæ etiam partialis, quia non est substantia etiam incompleta, sed solùm modus quidam substantialis. Vnde cùm per illum nulla aduenerit substantia propriè dicta propter illum partibus superadditum, non debet admitti propter illum aliqua noua vnio immediata ipsius Verbi ad humanitatem.

Obiicies secundò. Assumptis partibus spectatis præcisè, & secundùm se, ipsa humanitas non censetur assumpta, aliàs enim humanitas fuisset assumpta saltem simul naturâ ac ipsæ eius partes sunt seorsim assumptæ à Verbo, cuius tamen contrarium suprà docuimus; atqui Verbum diuinum non solummodò assumpsit partes humanitatis, sed ipsammet etiam humanitatem: igitur præter duas istas partiales vniones II. debet dari aliqua alia vnio ad humanitatem.

Respondetur, antecedens esse verum de illis partibus vt non vnitis: at esse falsum de illis vt includentibus vnionem propter dicta in solutione præcedentis obiectionis.

Tertia propositio. *Præter duas immediatas vniones partiales Verbi diuini ad corpus & animam superius explicatas, datur & alia immediata vnio eiusdem Verbi ad totam humanitatem*, iuxta secundùm sensum tertij nostri notabilis: est contra Vasquesium hac quæstione, disput. 39. capite 2. numero 9. & sequentibus, est tamen Capreoli libro 3. sententiarum distinct. 15. quæst. 1. art. 3. Suaris hac quæst. disp. 17. sect. 5. & plurium aliorum. Probatur, quoad singulas partes, & primò, quòd partiales illæ vniones corporis & animæ vniantur inter se ad componendum vnam totalem. III. Probatur: vnio hypostatica Verbi diuini eo modo sese habet siue ad partes humanitatis, siue ad totam humanitatem, quo propria subsistentia, si adesset, sese haberet ad istas partes humanitatis & ad illam totam, quatenus componitur ex illis simul vnitis: cùm enim in hoc mysterio subsistentia Verbi diuini sit vice propriæ subsistentiæ, eius vnio debet proportionari propriæ subsistentiæ humanitatis, si illa adesset, sublatis tamen omnibus imperfectionibus: atqui propria subsistentia humanitatis, si adesset, ita se haberet, vt illa eius pars, seu illa partialis subsistentia, quæ est corporis, & illa quæ est animæ, sese vniret ad componendum vnam totalem correspondentem totali & completæ substantiæ, modi enim substantiales sequuntur conditionem substantiarum quarum sunt modi, & substantiæ illæ partiales vniuntur sibi inuicem ad componendum IV. vnam totalem & completam substantiam: igitur duæ illę partiales vniones, corporis scilicet & animæ, vnientur inter se ad componendum vnam totalem vnionem totalis humanitatis assumptæ.

Probatur deinde propositio quoad secundam partem, scilicet dari aliquem modum substantialem connectentem istas partiales vniones inter se: primò, his omnibus rationibus, quibus suprà quæst. 2. agendo de actione vnitiua humanitatis cum Verbo probauimus necessariò esse admittendum aliquem modum substantialem tanquam *terminum formalem eius*: nam omnes rationes ibi allatæ possunt applicari præsenti propositioni, quia tam propriè loquendo partes illæ substantiæ totalis seu partiales subsistentiæ coniunguntur inter se actione vnitiua, quàm humanitas coniungitur Verbo etiam actione vnitiua: illæ enim partes seu partiales vniones tam bene supponuntur esse priùs natura quàm sint sibi inuicem vnitæ ad componendum totalem vnionem: at Verbum & humanitas supponuntur existere priùs natura quàm vniantur: ergo quo iure hæc posterior actio est propriè vnitiua, & propterea aliquis terminus substantialis debet illi assignari, qui sit modus vnitiuus: eodem iure, quia hæc actio vnitiua partialium subsistentiarum est substantialis, debet habere modum aliquem substantialem vnitiuum extremorum ad se inuicem tanquam proprium suum terminum. Probatur secundò, modi vniuntur inter se, sicut res quarum sunt modi vniuntur inter se: nam vt illorum res faciunt aliquod vnũ per se in genere substantiæ, ita & modi rerum constituunt vnum aliquod totum in suo genere: atqui corpus & B anima, quorum vniones illæ sunt modi, vniuntur sibi inuicem intermedio aliquo modo substantiali, tanquam *formali termino*, quemadmodum annotauimus quæstione secunda: igitur & in præsenti casu partiales illæ vniones ad corpus & animam vnientur inter se ad componendum vnam totalem vnionem integræ & completæ humanitatis intermedio aliquo substantiali modo. Tertiò, noua actio ex natura rei ab aliis diuersa debet habere diuersum terminum, &, si sit substantialis, terminum diuersum substantialem: atqui hæc actio, quâ non tantùm partes humanitatis priùs naturâ existentes coniunguntur inter se, sed etiam ipsæ partiales vniones illarum, est noua actio diuersa ex naturâ rei ab aliis quibus corpus & anima acceperunt existentiam: item fuerunt vnita Verbo diuino, quia istæ sunt priùs naturâ hæc de qua nunc loquimur, & potuerunt esse sine illa, vt de facto fuerunt in triduo mortis Christi Domini, omnésque illæ C actiones sunt substantiales: igitur hæc actio vnitiua partialium eiusmodi vnionum inter se ad componendum vnam totalem vnionem, debet habere alium distinctum terminum substantialem à termino substantiali istarum partialium vnionum, & proinde nouum substantialem modum, cùm nihil aliud possit assignari pro tali termino. Tertia denique pars nostræ propositionis, scilicet, Verbum diuinum ratione istius vnitionis rectè dici *assumpsisse totam humanitatem immediatè*, & habere aliam immediatam vnionem ad illam distinctam ab aliis duabus partialibus, probatur. Tot sunt immediatæ vniones Verbi cum humanitate & partibus eius, similiter tot assumptiones factæ à Verbo diuino, quot sunt actiones vnitiuæ, quia IV. vnio respondet actioni vnitiuæ, & assumptio D VIII. distinguitur ab vnitione, quòd hæc importet tãtùm principium efficiens vnitionis, ista verò importet personam cui tribuitur non tantùm esse principium efficiens illius, sed etiam esse terminum, vt cum S. Thoma obseruauimus suprà quæstione secunda: atqui in mysterio Incarnationis tres dantur actiones vnitiuę, prima corporis cum Verbo: secunda, animæ cum Verbo eodem: tertia, totius humanitatis cum eodem Verbo diuino: igitur tres etiam erunt immediatæ assumptiones Verbi diuini cum ipsa humanitate & eius partibus. Maior satis patet ex se, Minor probatur: omnes illæ actiones sunt plures & distinctæ, quarum prima est natura prior, quàm sint secunda, & tertia; & item secunda est distincta à tertia, cui priùs natura supponitur, quia

V. VI. VII.

I. vna & eadem actio non est prior & posterior seipsa: atqui in mysterio Incarnationis vnitio, quæ est Verbi ad corpus, est prior naturâ secundùm ordinem existentiæ vnitione eiusdem Verbi cum anima: item hæc vnitio Verbi cum anima est secundùm existentiam prior vnitione animæ cùm corpore, & similiter vnitione partialium vnionum inter se, habéntque diuersos formales terminos, scilicet vniones partiales, quemadmodum patet ex doctrina præcedentium articulorum, duæque illæ partiales vniones possunt dari sine tertia, vt patet in triduo mortis Christi Domini: igitur actiones illæ vnitiuæ sunt distinctæ.

Secundò eadem pars probatur: illud omne de facto fuit immediatè assumptum à Verbo diuino, quod ex propria sua conditione est assumptibile, & capax subsistentiæ, quia Verbum est loco
II. subsistentiæ in hoc mysterio: atqui tota humanitas est maximè assumptibilis, & capax subsistentiæ, cùm sit vna totalis & completa substantia propriissimè dicta: igitur tota humanitas fuit etiam immediatè vnita Verbo, & ab illo immediatè assumpta.

Neque est quòd quis dicat Maiorem esse veram de eo quod iam non erat vnitum Verbo diuino, in præsenti autem casu partes, quæ componunt humanitatem, supponi immediatè assumptas à Verbo, & cùm tota humanitas vt resultans ex illis inter se vnitis nihil addat præter vnionem, quam diximus esse modum substantialem incapacem subsistentiæ, non debere dari aliam vnionem totius humanitatis cum Verbo, quæ sit immediata. Non est, inquam, quòd quis id respondeat, nam tota humanitas vt est
III. aliquid resultans ex duabus partibus inter se vnitis, est aliquid distinctum ab illis sumptis tamen collectiuè absque actuali vnione à se inuicem, & iuxta hunc modum est aliter assumptibilis quàm omnes partes essent, provt sumuntur tantùm collectiuè, quia est alio modo substantia, cùm sic sit vna totalis & completa substantia, priori autem modo sit tantùm quoddam aggregatum plurium partialium substantiarum sibi inuicem subsistentialiter non vnitarum: ergo sicut humanitas, vt est aliquod totum resultans ex suis partibus inter se vnitis, est alio speciali modo substantia, sic etiam debet esse alio speciali modo assumptibilis & capax subsistentiæ.

Confirmatur, datur quædam proportio vnionis Verbi diuini cum tota humanitate, & constitutionis Christi Domini ex subsistentia Verbi diuini & tota humanitate ad constitutionem totius hominis ex anima & corpore, quemad-
IV. modum patet ex illo Symboli sancti Athanasij, *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus*: atqui ad hoc vt corpus & anima faciant humanitatem, loquendo propriè & physicè; partes illæ iam existentes partialibus suis existentiis debent vniri inter se, itavt partiales illæ existentiæ componant vnam totalem, sicut partiales substantiæ debent componere vnam totalem substantiam, & homo, vt dicatur hominem generare, debet illas partes humanitatis iam præexistentes sibi inuicem vnire: ergo pari modo vt corpus & anima, quæ priùs naturâ quàm vnirentur sibi inuicem, erant vnita Verbo diuino, faciant totam humanitatem esse diuino Verbo vnitam, partiales eorum vniones debent sibi inuicem vniri, vt vnam totalem vnionem componant: ergo cùm

A istud vniri sit à tota Trinitate vt à principio effectiuo, & Trinitatem vnire humanitatem Verbo importet diuinum Verbum illam immediatè assumere, Verbum diuinum immediatè assumpsit humanitatem, sicque aliam habuit cum illa vnionem immediatam. V.

Neque argumẽta, quibus stabilitimus secundam propositionem, militant contrà hanc partẽ præsentis propositionis: nam eo tantùm modo volumus aliam dari vnionem immediatam Verbi ad totam humanitatẽm, quo tota humanitas, vt coalescens ex suis partibus vnitis inter se, est apta habere aliam subsistentiam. Vnde cùm hoc tãtùm modo tota humanitas sit apta habere aliã subsistentiam à subsistentiis suarũ partium, quòd illæ simul iunctæ componant vnam totalem, ita etiam volumus istas vniones partiales simul vniri, & componere vnam totalem; & sicut totalis
B subsistentia, si adesset, composita ex partialibus, faceret subsistere totam substantiam: & beneficio subsistentiarum partialium quas includit, similiter faceret subsistere partiales substantias: ita etiam totalis hæc vnio facit totam humanitatem esse immediatè vnitam Verbo diuino, & per suas partiales vniones, facit partiales eius substantias secundùm se spectatas esse etiam diuino Verbo vnitas: sicque quia toto, quatenus totum est, immediatè assumpto, partes eius coassumuntur, partes humanitatis vt inter se vnitæ, coassumuntur hac totali assumptione: & sicut partes simul sumptæ, & quatenus sibi vnitæ, non distinguuntur à toto, & quælibet illarum etiam vnita, sumpta tamen sine aliis, distinguitur à suo toto: ita partiales illæ vniones corporis & animæ rationalis cum Verbo simul sumptæ, quatenus vnitæ, non distinguuntur ab ipsa to-
C tali vnione, quælibet tamen illarum etiam vnita, seorsim tamen seu sine aliis considerata, distinguitur à totali vnione quam componit cum alia. VI. VII.

ARTICVLVS XIII.

Duo conclusaria colliguntur, & tria dubia soluuntur.

EX hactenùs dictis sequitur primò, istas vniones partiales aliter se habere quando sunt separatæ, & aliter quando sunt sibi inuicem vnitæ, sicut anima & corpus seipsis habent aliter separata, & aliter coniuncta: nam quemadmodum hæc, dum coniunguntur, accipiunt aliquem modum substantialem vnionis per quem coalescunt in vnam numero naturam, seu substantiã completã, ita & istæ vniones, dum iungũtur inter se tanquã
D duo quędam extrema, accipiunt etiam quendam modum vnitiuum, per quem ita modificantur, vt coalescant in vnam totalem & completam vnionem hypostaticam, quæ licèt sit vna, non est tamen simplex, sed ex duabus partialibus sibi inuicem vnitis composita: modus tamẽ vnitiuus partialium vnionum propriè non assumitur, quia nõ est capax subsistẽtiæ, cùm non sit substãtia: potest tamen rectè dici assumi vt *quo*, quatenus est ratio seu medium necessarium, vt humanitas, quatenus est totum quoddam, fit assumptibilis. VIII.

Secundò, sequitur totalem istam vnionem in triduo mortis fuisse dissolutam, quatenus partiales illæ vniones fuerunt à se inuicem separatæ, cùm sequantur conditionem humanitatis, cuius partes in triduo mortis Christi Domini fuerunt

I. à se inuicem diuiſę: neque propterea falsum illud eſt, *quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit*, nam intelligitur de ipſis partibus humanitatis, quæ etiam in triduo manſerunt vnitæ ipſi Verbo, quemadmodum in arcu funis etiamſi per medium ſui diuidatur, ſemper tamen remanet vnitus arcui.

Sed quæres primò, cùm non detur modus modi, & partiales iſtæ vniones nihil ſint aliud quàm aliqui modi, quanam ratione admittamus hunc tertium modum?

Reſpondetur, iſtud (*non datur modus modi*) ſolùm intelligi de pluribus modis eiuſdem ordinis & conditionis, exempli gratia, non datur ſubſiſtentia ſubſiſtentiæ, nec inhærentia inhærentiæ: cùm enim ſint *id quo* formaliter ſubſtantia ſubſiſtit & accidens inhæret, nec præcisè loquendo ſint ſubſtantia vel accidens, ſed quædam tantùm modificationes illorum, non poſtulant alios modos ſubſtantiales vel accidentales ſibi proportionatos, quibus ſubſiſtant vel inhæreant: at modus ille vnitionis quem aſſignamus pro coniungendis inter ſe vnionibus partialibus animæ & corporis, non eſt eiuſdem conditionis & ordinis, ac ſunt partiales iſtæ vniones: hæ enim ſunt ad coniungendum corpus ſecundùm ſe ſumptum Verbo diuino, & ſimiliter animam nondum vnitam corpori eidem Verbo: præſens autem modus eſt tantùm ad partiales iſtas vniones inter ſe coniungendas, ſicque licèt vniones illæ partiales ſint propriè loquendo modi, non tamen impedient quin modus iſte etiam illis adueniat.

II. Quæres ſecundò. Cùm aſſignemus hunc modum, vt duas illas partiales vniones tanquam duo extrema vniat, An non etiam erit opus aſſignare alium modum, quo tertius iſte modus vniatur ſuis extremis, & ſic in infinitum?

III. Reſpondetur hoc eſſe proprium modorum, vt quia ſunt aliquid omnino realiter indiſtinctum ab iis entitatibus, quarum ſunt modi, illis vniantur ſeipſis & immediatè, vt videre eſt in propria ſubſiſtentia reſpectu ſuæ ſubſtantiæ, in inhærentia reſpectu ſui accidentis: at in præſenti caſu vna partialis vnio non eſt modus alterius partialis vnionis, cùm ſit realiter omnino diſtincta ab illa, ſicut nec vna partialis ſubſiſtentia eſt modus alterius partialis ſubſiſtentiæ, cum qua componit vnam totalem: econtra verò hæc vnio, quam admittimus pro partialibus vnionibus coniungendis inter ſe, eſt tantùm aliquis modus entitatiuè identificatus cum vno extremorum quæ coniungit, vnde non indiget alio

IV. modo quò ei vniatur, nec ex conſequenti aliquis progreſſus in infinitum hîc debet admitti.

Quæres tertiò. Cuinam partialium iſtarum vnionum iſte modus inſit ſubiectiuè, & quare potiùs vni quàm alteri, & ex conſequenti cuius ſit entitatis, ſpiritalis an materialis.

Reſpondetur, modum iſtum eſſe *quaſi ſubiectiuè* (non enim eſt accidens) in ipſa partiali vnione corporis, *terminatiuè* tamen in altera partiali vnione animæ, & ex conſequenti eſſe *entitatiuè aliquid corporeum*, quod tamen *propria ſua habitudine* reſpicit ſpiritalem terminum, ſcilicet alteram partialem vnionem animæ cum Verbo diuino. Probatur: modus iſte eà ratione ſe habet qua modus ſubſtantialis vniens formam materiæ ſeſe habet ad ſua extrema, quia iſti modi vnitiui corporis & animæ cum Verbo ſequuntur conditiones partialium ſubſiſtentia-

A rum, & partiales ſubſiſtentiæ in componenda vna totali ſubſiſtentia ſequuntur conditionem partialium ſubſtantiarum in componenda vna totali ſubſtantia, nam modi ſequuntur conditionem rerum quarum ſunt modi: atqui modus ille ſubſtantialis, qui vnit formam materiæ, eſt ſubiectiuè in materia, eſt enim in illo in quo fit vnitio & generatio: vnitio autem & generatio fit in materia: nam homo generans in illam introducit vltimam diſpoſitionem, ſimul coniungit formam materiæ, ſicque hominem generat: ergo modus iſte vnitiuus eſt in ipſa partiali vnione corporis ad Verbum diuinum, & ex conſequenti eſt aliquid corporeum. V.

Quòd autem modus iſte ſit tantùm *terminatiuè* in alio extremo, & quòd aliqua vnio poſſit eſſe *ſubiectiuè in vno, & ſolùm terminatiuè in alio*, patet *in puncto copulante duas partes lineæ*: cùm enim ſit aliquid indiuiſibile, eſt ſolùm modò in vna parte lineæ *ſubiectiuè*, & in altera ſolùm *terminatiuè*: idem etiam patet in modo illo, quem quæſtione ſecunda diximus produci in humanitate, & circa hunc modum eodem modo philoſophandum eſt, ſeruata proportione, quo ſuprà ſumus philoſophati de modo illo ſubſtantiali producto per actionem vnitiuam humanitatis cum Verbo diuino. B VI.

ARTICVLVS XIV.

Vtrùm partes humanitatis ſint priùs aſſumptæ à Verbo diuino, quàm accidentibus informatæ.

C VII.

DVæ ſunt hæc de re ſententiæ, prima affirmãs partes humanitatis priùs eſſe à Verbo diuino aſſumptas, quàm eſſent informatæ propriis ſuis accidentibus, exempli gratia, animam rationalem priùs natura fuiſſe aſſumptam à Verbo diuino, quàm eſſet de facto prædita intellectu & voluntate, ſimiliter & corpus: ita Suares ad præſentem quæſtionem ſancti Thomæ, diſputationis 17. ſectione 6. & nonnulli alioruu.

Melior tamen eſt ſententia contraria, quam hac propoſitione explicamus. *Tunc ipſæ partes humanitatis Chriſti Domini, quàm ipſa tota humanitas, ſeruata proportione, fuerunt priùs natura informatæ propriis & naturalibus ſuis accidentibus, quàm ſint aſſumptæ à Verbo diuino.* ita recentiores nonnulli hac quæſt. S. Thomæ, cum Vaſqueſio ſuprà ad ſecundam queſtionem, diſput. duodecima, capite tertio & ſequentibus, circa quam propoſitionem duæ illæ particulæ ſunt notandæ (*ſeruata proportione, & propriis ſeu naturalibus ſuis accidentibus.*) Prior enim ſignificat ſenſum noſtræ propoſitionis hunc tantùm eſſe ſcilicet, quòd corpus priùs natura habuerit ſua propria accidentia, quàm aſſumeretur à Verbo, ſimiliter & anima ſua, ſic etiam totam humanitatem priùs naturâ habuiſſe accidentia propria toti humanitati, ſi quæ ſint talia, quàm aſſumeretur, ſicque hæc comparatio prioritatis, & poſterioritatis inter aſſumptionem ſubſtantiæ, & informationem accidentium eius, ſit penes idem ſeu *penes eamdem ſubſtantiam partialem*, ſi accidens iſtud ſit tantùm partialis ſubſtantiæ, & *penes totalem*, ſi accidens ſit tantùm totalis ſubſtantiæ. D VIII.

I. posterior verò particula indicat nullam hîc moueri difficultatem de aliis accidentibus *non debitis* ipsi naturæ humanæ, vel eius partibus considerandis *secundùm sua naturalia*, cuiusmodi sunt gratia habitualis, & aliæ perfectiones supernaturales, imò & aliquæ aliæ ordinis naturalis, quæ successu temporis homines possunt sibi acquirere: sed præsens propositio procedit de iis tantùm accidentibus, quæ animæ vel corpori humano vel toti humanitati incipiunt inhærere statim atque vel tota substantia, vel partes illæ ex quibus coaluerit, incipiunt existere. quo præsupposito notabili,

Propositio nostra probatur primò, ex modo loquendi Patrum & Concil. nam præcedenti quæstione obseruauimus ex sanctis Augustino, & Epiphanio Apollinarem censuisse Verbum

II. diuinũ ita assumpsisse animam, vt tamẽ negaret illud assumpsisse potẽtiam intellectiuam, quem Apollinarem Patres & Concilia ibi relata condemnant, docéntque Verbum diuinum assumpsisse intellectum, & vt id explicent, dicunt Verbum diuinum assumpsisse animam mediante mente seu spiritu. Deinde ex Concilio Chalcedonensi, & aliis relatis suprà cõtra Eutychetem quæst. secunda, definientibus Verbum diuinum assumpsisse naturam humanã integram & perfectam: quod verò hæc perfectio non tantùm intelligatur de *perfectionibus substantialibus*, seu quoad entitatem & gradum substantialibus, sed etiam *de perfectionibus illis accidentalibus*, quæ communiter appellantur à Philosophis *proprietates*, intelligitur ex S. Damasceno lib. 3. de fide orthodoxa cap. 6. vbi expressè docet Verbum diuinum assumpsisse totam naturam humanam

III. cũ omnibus suis proprietatibus & perfectionibus: ex quibus omnibus hæc prima ratio formatur pro nostra propositione. Quicquid assumitur præsupponitur assũptioni, ita vt si assumatur *immediatè* præsupponatur existens tali assumptioni, si tantùm *mediatè* præsupponatur existens in eo quod assumitur immediatè vel saltem ei coniunctum, vt illo immediatè assumpto assumatur mediatè, & ex consequenti: atqui ex citatis Patribus, & iis quæ tradidimus præcedenti quæstione, Verbum diuinum assumpsit intellectum & voluntatem, quæ sunt quædam accidentia: ergo illæ potentiæ præsupponebantur tali suæ assumptioni vt inexistentes ipsi substantiæ animæ rationalis, quam Verbum diuinum assumebat immediatè: ergo hæc accidentia informabant hanc animam rationalem

IV. Christi Domini priusquam assumeretur à Verbo diuino.

Secunda ratio. Corpus Christi Domini priùs natura fuit perfectè organizatum, quàm assumptum à Verbo diuino, quia Verbum assumpsit non quodlibet corpus sed humanũ, non quamlibet carnem sed humanam, & corpus tunc tantùm incipit esse verè & propriè humanum, quando ac statim est perfectè organizatum, ex dictis hac disputatione art. 8. & 9. atqui corpus organizatum includit intrinsecè aliqua accidentia, exempli gratia quantitatem, cõst at enim pluribus partibus integrantibus habentibus etiam naturaliter aliquam extensionem, habet similiter aliquas qualitates quibus fit proximè dispositum ad animam rationalem: ergo Christi Domini corpus habuit priùs aliqua accidentia, quàm assumeretur à Verbo diuino.

A

B

C

D

Articvlvs X.

Soluuntur fundamenta affirmantis sententiæ articulo præcedenti relatæ.

V.

VI.

VII.

VIII.

DVo sunt potissima illius fundamenta. Primum est eiusmodi. Assumptio partium humanitatis intelligitur facta à Verbo eo instanti quo propria illarum subsistentia erat futura; hæc enim assumptio est ad faciendum subsistere tàm partes humanitatis, quàm ipsam humanitatem, & Verbum in mysterio Incarnationis est loco subsistentiæ, vt sæpè diximus: at propria subsistentia debet esse in sua substantia, & partialis eius subsistentia in eius partibus priùs naturâ, quàm vel substantia vel partes illius recipiant accidentia. Ergo & partes humanitatis priùs natura sunt assumptæ à Verbo diuino quàm suis accidentibus informatæ. Maior patet. Minor probatur duplici ratione. Prima, illud quod magis est intrinsecum substantiæ ineſt illi priùs naturâ quàm quod est ei extrinsecum: atqui subsistentia est aliquid intrinsecum substantiæ, est enim modus eius intrinsecus eique consubstantialis, accidens verò minimè, cùm sit ab illa separabile. & quemadmodum aliqua requiruntur accidentia ad complementum substantiæ creatæ, sic & subsistentia, sed cum hoc discrimine, quod hęc sit necessaria ad complementum substantiæ, vt patet ex eius definitione, illa verò minimè. Secunda ratio eiusdem minoris est: id quod sustentat & terminat debet supponi priùs saltem naturâ esse sustentatum & terminatum quàm sustentet & terminet aliud, quia priùs est aliquid compleri in se quàm in ordine ad aliud sed subsistentia sustentat & terminat suam substantiam, vt patet ex eius definitione, substantia verò sustentat & terminat omnia sua accidẽtia, hæc enim subiectiuè recipiuntur in illa: igitur subsistentia est priùs naturâ in sua substantia, quàm recipiat accidentia. Respondetur, concessa Maiore, negando Minorẽ: ad cuius probationem, respondetur Maiorem eius purè & simpliciter intellectam esse falsam: nam forma est magis intrinseca composito naturali quàm sint vltimæ proximæ dispositiones ad illam, quia aliqua forma physica per absolutam potentiam Dei posset informare corpus, sícque totum aliquod physicum componere sine præuiis dispositionibus, nec tamen potest secundùm eamdem absolutam potentiam Dei totum aliquod physicum componi sine forma: neque prioritas & posterioritas naturæ inter multa, quæ reperiuntur in vna & eadem re, fundatur præcisè in eo, quod vnum eorum sit magis intrinsecum, sed in *ea tantùm subordinatione*, quam aliqua *necessariò vel naturaliter seruant ad inuicem quoad existendum*: at nulla datur necessaria vel etiam naturalis eiusmodi subordinatio quoad existendum in eiusmodi accidentibus, puta intellectu & voluntate respectu animę ad ipsam partialem subsistẽtiam animæ, vel in illis dispositionibus, quibus aliquod corpus organizatur, ad ipsam corporis partialem subsistentiã, subsistantia enim non constituitur subiectum alicuius accidentis per subsistentiã: nam Verbum diuinum posset dimittere naturâ humanam à se assumptã relinquendo illã cum iisdem potentiis, intellectu, voluntate & aliis eiusmodi suis accidẽtibus quæ nunc habet, tuncque hæc humanitas sibi soli relicta haberet

I. propriam suam subsistentiam, & secundùm Suarem in Metaphysicis disp. 34. sect. 7. numero 15. Deus potest non tantùm priuare aliquam substantiam propria subsistentia, & alienam substituere, sed potest illam priuare propria nullam ei substituendo, & hoc solo miraculo posito, hæc substantia operabitur easdem actiones ac antea: ergo ex opinione ipsiusmet Suaris non datur necessaria vel naturalis subordinatio ipsius facultatis operatiuæ, vt inhæreat suo principio substantiali, ad ipsam existentiam subsistentiæ in substantia.

Ex quo patet solutio ad secundam probationem eiusdem primæ rationis, scilicet Maiorem eius ita esse veram, vt quod sustentat & terminat per *modum subiecti inhæsionis*, debeat quidem esse priùs eo, quòd sic sustentat & terminat: at subsistentia non sic terminat
II. vel sustentat, sed solummodo *in ratione termini*, vnde cùm subsistentia sustentet substantiam in alio genere, quàm substantia sustentet accidens, nec ratio subsistentiæ postulet necessariò ex sua natura, vel ex aliquo alio, esse priùs in substantia quàm proprium accidens, quemadmodum responsio ad primam rationem ostendit, non erit priùs natura aliquam substantiam subsistere propria vel aliena subsistentia, quàm habere propria sua accidentia, maximè cùm ex doctrina ipsiusmet Suaris suprà, accidentia quæ sunt in substantia habente suam, vel alienam subsistentiam, possint sine vlla sui mutatione etiam quoad inhæsionem eadem planè remanere, & eodem planè modo operari citra miraculum ex illorum parte requisitum, licèt substantia, cui insunt, mutet subsistentiam, & aliam atque aliam subinde recipiat, vel conseruetur à Deo sine vlla
III. subsistentia.

Secundum fundamentum est. Non tantùm actiones, sed etiam passiones sunt suppositorum, hoc sensu, quòd vt aliqua substantia patiatur, vel recipiat aliquid, postulat per modum cuiusdam conditionis esse subsistens seu suppositum: ergo vt tàm partes humanitatis Christi Domini, quàm ipsa eius humanitas recipiat in se subiectiuè intellectum, voluntatem & alia sua accidentia, debet supponi subsistens: ergo cùm tàm partes humanitatis Christi Domini, quàm ipsa eius humanitas subsistant tantùm subsistentia Verbi diuini, debent esse priùs natura assumptæ ab illo, quàm in se ipsis recipiant vlla accidentia.

Respondetur actiones esse in duplici differentia: aliæ sunt extra ipsum agens, & appellantur *transeuntes* ad aliquod patiens omnino extrinsecum agenti: aliæ sunt intra ipsum agens,
IV. & dicuntur *immanentes*, quarum effectus est in ipsomet agente per aliquam simplicem resultantiam & emanationem à suo radicali principio: actiones prioris generis viâ naturali & ordinariâ sunt hoc sensu suppositorum, quod vt exerceantur requirunt per modum cuiusdam conditionis, vt ipsum agens, quod eas exercet, sit priùs subsistens, quàm illas exerceat: actiones verò posterioris generis id non postulant: cuius discriminis hæc est ratio, quòd actiones prioris generis perficiant solummodò ipsum agens in ordine ad aliud sibi omnino extrinsecum, hæcque ipsa operatio exterior, sit potiùs extrinseca quædam perfectio actiuæ potentiæ, quæ est in ipso agente, quàm ipsius agentis: imò est ad

A perficiendum ipsum patiens, vel saltem ad perficiendum ipsum agens in ordine ad alterum omnino sibi extrinsecum: vnde cùm vnumquodque naturaliter postulet priùs perfici in seipso, & in ordine ad seipsum, quàm in ordine ad aliud omnino sibi extrinsecum, vel quàm illud perficiat, & subsistentia sit aliquod complementum ipsius agentis, quatenus est substantia, sit vt actiones illæ prioris generis præ requirant naturaliter in tali agente ipsam subsistentiam per modum cuiusdam conditionis, seu postulent ipsum agens esse priùs subsistens, quàm sic agat: at actiones posterioris generis perficiunt intrinsecè ipsum suum agens, sunt enim productiuæ proprietatum & potentiarum eius, quæ potentiæ magis perficiunt suum proprium subiectum quàm subsistentia compleat & perficiat suam substantiam: quare illarum emanatio antecedit ordine naturæ ipsam subsistentiæ resul-
B tantiam in sua propria substantia. Quòd autem potentiæ magis perficiat suum proprium subiectũ quàm subsistentia perficiat propriam substãtiam patet, nam hæc perficit tantùm agens secũdum gradum suum genericum scilicet substantiæ, illæ verò secundùm gradum suum differentialem, qui est perfectior: sic intellectus & voluntas ita perficiunt hominem, vt homo habens propriam subsistentiam, destitutus tamen intellectu & voluntate censeatur potiùs esse quædam bellua cum figura humani corporis, quàm verus aliquis homo, cùm S. August. lib. 83. quæstionum qu. 80. relatus à S. Thoma præcedente quæst. art. vltimo agens contra Apollinarem negantem Verbum diuinum assumpsisse intellectum dicat, iuxta hunc errorem, etiam ex confessione Apollinaristarum, fatendum esse Filium
C Dei susceptisse belluam quandam cum figura humani corporis. Confirmatur hæc solutio: proprietates istæ eodem modo sunt ab anima suo principio, quo propria subsistentia à sua substantia, vt etiam docet Suares in metaphys. cit. disp. 34. sect. 6. num. 9. at subsistentia est à sua substantia, vt non subsistére, & solùm per simplicem emanationem, ex eodem Suare ibi: ergo quidni etiam eiusmodi proprietates erunt ab anima nondum habente subsistentiam, præsertim cùm, vt obseruauimus, illæ magis perficiant animam quàm substantia.

Eodem modo philosophandum est de passionibus, scilicet prædictum axioma, *passiones sunt suppositorum*, non esse intelligendum de iis passionibus quæ sunt ad terminos *necessarios constitutiui, perfectioni essentiali, vel integritati ipsius*
D *patientis*: sed tantùm de aliis, ob rationem nunc allatam de ipsis emanationibus, quæ sunt à substantia nondum subsistente: & quòd non sit simpliciter & absolutè necessarium substantiam, à qua aliquid emanat, esse priùs natura subsistentem quàm producat terminum, patet ex mysterio Trinitatis, in quo Pater producit Filium, nec tamen est priùs naturâ quàm illum producat, nec item Filius est priùs naturâ productus quàm personalem suam subsistentiam habeat, quia in diuinis nihil datur prius aut posterius natura, vt Theologi communiter docent primâ parte: igitur cùm intellectus, voluntas & aliæ potentiæ emanent à suis principiis, non est necesse subsistentiam priùs naturâ supponi in ipsa eorum substantia.

V. VI. VII. VIII.

DISPVTATIO II.

De gratia habituali vt medio ad vnionem hypostaticam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm gratia habitualis fuerit, aut esse potuerit medium necessitatis ad vnionem hypostaticam.

REPETENDA est ex dictis suprà ad secundam quæst. multiplex acceptio gratiæ, & imprimis notandum gratiam hoc loco sumi pro ea, quam Theologi appellant communiter, *habitualem*, quam ex dicendis sequenti quæst. supponimus in Christo Domino. Notandum secundò duplex medium posse distingui, *vnum necessitatis*, alterum *solius congruitatis vel ornatus*. prius illud dicitur sine quo extrema, loquendo absolutè, non possunt coniungi inter se: posterius illud dicitur, quod est conueniens dari, licèt non sit absolutè necessarium: vnde vocatur *medium morale* ad distinctionem prioris, quod propterea rectè potest vocari *medium physicum*.

Notandum tertiò præsentem difficultatem posse moueri duobus modis, primo de facto, an scilicet gratia habitualis fuerit reipsa aliquod tale medium vnionis Verbi diuini cum humanitate, vel eius partibus. Secundo de possibili, an habitualis gratia potuerit esse tale medium faciendæ talis vnionis.

Quidam affirmant hanc gratiam fuisse medium necessarium tanquam physicam aliquam dispositionem necessariò prærequisitam ad hãc vnionem: sic Alensis tertia parte quæst. 7. memb. secundo, art. primo: vnde gratiam habitualem Christi Domini appellauit *gratiam vnionis*, & quia sola rationalis creatura est capax gratiæ habitualis, existimauit consequenter cum nonnullis aliis solam creaturam rationalem esse capacem vnionis hypostaticæ, qua de re egimus suprà ad 4. quæst. S. Thomæ.

Melior tamen est sententia negans: pro cuius explicatione sit hæc

Prima propositio. *Habitualis gratia non fuit de facto medium siue necessitatis, siue decentiæ & congruitatis, ad faciendam hypostaticam vnionem humanæ naturæ cum Verbo diuino.* Ita S. Thomas hac quæst. art. 6. & omnes eius Interpretes communiter. Probatur primùm: eo modo facta est vnio hypostatica Verbi cum humana natura & eius partibus, quo propria subsistentia fuisset in illis, quia subsistentia Verbi diuini est ipsi humanitati & eius partibus loco propriæ subsistentiæ, nec miracula sunt multiplicanda sine necessitate: atqui substantia nullo præuio medio siue necessitatis, siue congruitatis, & decentiæ disponitur ad suam propriam subsistentiam, vt fatentur omnes Philosophi: igitur neque humana natura Christi Domini vel eius partes fuerunt dispositæ præuio aliquo medio siue necessitatis, siue decentiæ ad vnionem hypostaticam cum Verbo diuino: ergo gratia habitualis non fuit de facto medium siue necessitatis, siue decentiæ ad faciendam vnionem hypostaticam. Secundò probatur: illud omne quod reipsà est posterius alio, non est de facto medium aliquod necessitatis, ad illud aliud, quia omnis talis dispositio debet aliquo modo antecedere id, ad quod est dispositio: atqui gratia habitualis est de facto posterior naturâ in anima Christi Domini ipsa eius vnione ad Verbum diuinum, quia hæc vnio est eo instanti facta quo propria humanitatis vel partium eius subsistentia resultasset: at hæc priùs resultasset quàm hæc gratia foret, cùm gratia habitualis sit aliquod accidens omnino extrinsecum tàm ipsi constitutioni quàm integritati humanitatis & partium eius, hæcque accidentia sint posteriora ipsa subsistentia, vt obseruauimus disputat. præcedenti, art. 14. & 15. Tertiò probatur, quia sacræ Scripturæ & Patrum testimonia, quibus sequenti quæst. ostendemus gratiam habitualem infusam fuisse Christo Domino primo instanti suæ conceptionis, significant vnionem hypostaticam præcessisse gratiam habitualem, & cætera dona supernaturalia: sic Isaiæ 11. habetur, *Flos de radice eius ascendet*, id est Verbum incarnatum, seu Christus Dominus de beatissima Virgine, quêadmodum ad illum locum Prophetæ S. Hieronymus explicat, & plures alij: deinde subiungitur, & *requiescet super eum spiritus Domini*, id est gratia habitualis, vt sequenti quæst. ostendemus ex Patribus, & intelligitur ex illo verbo *requiescet*, quod rationem habitus, quæ est, *esse qualitatem permanentem*, denotat, quo loci Prophetæ, tàm hæc particula *&*, quàm ista, *super eum*, & ipsa enumeratio donorum insinuant hanc infusionem fuisse tantùm subsequutam vnionem hypostaticam.

Neque his obstat, quòd S. Thomas sequenti quæst. artic. 13. in solutione ad secundum, appellet gratiam habitualem Christi Domini, *dispositionè humanæ naturæ ad vnionem personalem*: ibi enim expressè ait illam non esse hoc sensu dispositionem, quòd præcedat vnionem istam, quin potiùs expressè ait subsequi illam, sed sumit ibi nomen *dispositionis* in ampliori significatione pro *qualitate bene afficiente & exornante suum subiectum*: vnde cùm habitualis gratia sequatur vnionem hypostaticam in Christo Domino, tanquam aliquod ornamentum animæ tali modo vnitæ, vocat illam dispositionem.

Secunda propositio. *Implicat gratiam habitualem esse medium physicum vniendæ humanitatis hypostaticè cum Verbo diuino.*

Probatur primò: hæc est natura & conditio medij physici, seu dispositionis necessariæ ad introductionem alicuius formæ, quòd ex se & sua natura ordinetur ad formam cuius est dispositio, quemadmodum videre est in omnibus dispositionibus naturalibus ad ipsas formas naturales, quam ob causam Philosophi dicunt quamlibet formam secundùm propriam suam speciem respicere materiam, non quidem nudã, sed per dispositiones sibi connaturales præparatam: atqui habitualis gratia, quantacumque illa sit, nullo modo ordinatur ex se & sua natura ad vnionem hypostaticam, sed ad æternam gloriam; vnde dicitur esse *semen illius*, & ratione huius virtutis seminalis satis frequenter in sacris Litteris & Patribus vocatur *vita æterna*, vt ad Romanos 6. capite, *Gratia Dei*, inquit Apostolus, *vita æterna in Christo Iesu Domino nostro*. Igitur habitualis gratia nullomodo potest esse medium physicum vniendæ humanitatis hypostaticè Verbo diuino, & proinde implicat gratiam habitualem esse medium physicum

I. vniendæ humanitatis cum Verbo diuino. Vltima hæc consequentia probatur. Implicat Deum mutare rerum naturas, quia iam non essent amplius eædem substantialitèr: sed natura medij physici seu dispositionis physicæ & necessariæ ad aliquam formam est, vt ex se & natura sua ordinetur ad illam, & hoc non competit gratiæ habituali respectu vnionis hypostaticæ. Ergo implicat gratiam habitualem esse medium physicum vniendæ humanitatis hypostaticè Verbo diuino.

Deinde probatur. Repugnat habituali gratiæ extendi etiam in ratione dispositionis necessariæ supra id quod illam vltimò consummat, quodque illo eam sic consummante est longè excellentius, & in alio genere. Tùc enim desineret illam consummare, quia per istud aliud perficeretur vlterius: atqui vita æterna seu beatifica II. visio consummat vltimò gratiam habitualem, ista enim vocatur à Theologis gratia consummata, & vnio hypostatica est donum longè excellentius ipsa vita æterna seu visione beatifica & in alio genere doni supernaturalis, vt superiùs ex professo docuimus: igitur repugnat habituali gratiæ extendi in ratione dispositionis necessariæ ad vnionem hypostaticam.

ARTICVLVS II.

Soluitur fundamentum sententiæ contrariæ.

FVNDAMENTVM primæ sententiæ est eiusmodi; implicat naturam humanam ex mera & pura sua naturali conditione nullo supernaturali sibi superaddito eleuari & disponi III. ad diuinam vnionem: ergo implicat humanam naturam vniri hypostaticè Verbo diuino sine gratia habituali. Prima pars consequentiæ patet, quia vnio Verbi cum humanitate est aliqua vnio diuina, vnio maxima omnium, vt docuimus ad 2. quæst. S. Thomæ. Secunda item pars eiusdem consequentiæ patet ex eo quòd nullum medium potest assignari magis proportionatũ, cùm infrà vnionem hypostaticam nihil possit dari maius etiam ordinis supernaturalis quàm sit ipsa habitualis gratia, quæ reddit eos quibus inest consortes diuinæ naturæ, vt habet S. Petrus 2. sua epistola, cap. 1. Antecedens probatur, quia vnio hominis per gloriam necessariò postulat gratiam in anima hominis, vt per illam sit proximè dispositus ad gloriam, & in ipso eius IV. intellectu requirit lumen gloriæ, quo confortatus possit vniri Deo in ratione principij cognoscitiui, & obiecti cogniti; imò repugnat sublatâ omni gratia supernaturali tàm actuali quàm habituali; similiter sublato omni lumine gloriæ tàm actuali, quàm habituali, ipsam animam cõiungi Deo per vnionem supernaturalis amicitiæ, similiter & intellectum videre diuinam essentiam clarè & intuitiuè, vt communiter Scholastici docent tàm 1. parte, quæst. 12. quàm 1. 2. agendo de necessitate gratiæ: ergo cùm vnio hypostatica humanitatis cum Verbo, sit diuina quædam vnio, longè excellentior aliis supernaturalibus vnionibus, illa non poterit fieri nisi mediante aliquo eleuante humanitatem ad talem vnionem, & cùm nihil magis proportionatum possit assignari quàm habitualis gratia, hæc erit tale medium respectu Incarnationis faciendæ. Posset etiam eadem sententia probari ex illo

A) Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus oleo lætitiæ.* Vbi hæc particula, *propterea*, videtur fauere huic sententiæ, sed locus hic à nobis est explicatus suprà ex partibus alio sensu, qui præsupponat vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo diuino ipsi gratiæ habituali. V.

Respondetur, omnes diuinas seu supernaturales vniones creaturæ rationalis cum Deo, esse in duplici differentia, *alias esse quæ primò per se sunt ad essendum seu existendum in aliquo statu supernaturali, alias autem esse quæ primò per se sunt ad operandum, & consistunt in actuali operatione.* Prioris generis sunt simplex vnio cum Deo per habitualem gratiã, & vnio hypostatica: nam per primam constituimur in esse & statu supernaturali, quo sumus adoptiui Filij Dei, consortes diuinæ naturæ: per secundam humanitas assumpta habet esse subsistens diuinum, *homo est Deus.* VI. Vniones posterioris generis sunt, vnio creaturæ rationalis cum Deo, etiam in via per actus fidei, spei, & dilectionis in patria per visionem, & fruitionem diuinæ essentiæ: nam per ista omnia sumus aliquid cum Deo, vt patet ex pluribus sacræ Script. testimoniis, & ex professo Theologi docent agendo sigillatim de illis: est autem id discriminis inter istas vniones, quòd vniones prioris generis ex sua propria & naturali conditione non postulent necessariò aliquam dispositionem præparantem vel eleuantem subiectum ad recipiendum in se formam dantem illi tale esse supernaturale, vel etiam ad præparandum vel eleuandum illud quod admittit aliquid in seipso per modum termini ad communicandum ei tale esse supernaturale, vt patet in gratia sanctificante quæ infunditur infantibus per Baptis- VII. C mum in re illis collatum absque aliquo præuio eleuante vel disponente illos ad suscipiendam gratiam, quemadmodum omnes Theologi docent. Patet etiam in intellectu beati, qui vt coniungatur diuinæ essentiæ se se habentis ad instar speciei impressæ pro elicienda visione beatifica, non postulat præcisè ex vi talis receptionis in seipso aliquid, quo vel præparetur vel eleuetur ad talem receptionem, sicut nec præcisè ad hoc, vt in seipso tanquam in subiecto recipiat visionem beatificam, vt ostendimus ex professo prima parte ad qu. 12. agendo de lumine gloriæ. Vniones verò posterioris generis, quæ sunt per actus vitales, postulant necessariò aliquam dispositionem præparantem seu eleuantem principium efficiens eiusmodi vnionem, & propterea cùm vnio hypostatica sit prioris generis, nihil præ- D) quirit in humanitate, quo disponatur vel eleue- VIII. tur ad recipiendum in se subsistentiam Verbi per modum termini illam vltimò complentis, sicut propria subsistentia illam compleret.

Ratio autem huius discriminis inter istas vniones est, quòd in tantùm aliquid requirit disponi vel eleuari, in quantum est disproportionatum ei cui debet vniri, vel quod debet tanquam formam aliquam in seipso admittere: nam necessitas præuiæ dispositionis non fundatur *in excessu & perfectione formæ* introducendæ considerata præcisè, vt patet allato exemplo gratiæ habitualis, quæ confertur infantibus, sed præcisè *in ipsa disproportione subiecti vel extremorum*, quod hoc loco & in aliis vnionibus & formis est valde obseruandum, vt pleraque argumenta quæ aliàs videntur aliquam habere apparentiam, dissoluantur: at in vnionibus

I. prioris generis extrema in quantum extrema eiusmodi vnionum habent sufficientem proportionem ad se inuicem, scilicet *habitudinis, potentiæ passiuæ obedientialis, ad actiuam potentiam. De correspondentem sibi*. esto *in ratione entis* extrema illarum habeant *disproportionem inter se*: Eo enim ipso quo vnum extremum est res creata, habétque summam subiectionem ad Deum, habet etiam vt pati possit, & in se ipso recipere aut quasi recipere quicquid Deus voluerit quomodocumque ei placuerit, quod non implicat contradictionem, ac proinde potest, cùm anima habeat se tantùm passiuè in istis vnionibus, vt per se patet, illæ omnes & singulæ possunt rectè fieri sine præuiis dispositionibus vel aliquo eleuante animam, aut id quod habet rationem subiecti vel quasi subiecti: in vnionibus verò

II. posterioris generis datur *disproportio ipsius principij* purè simpliciter & sine aliquo sibi superaddito considerati ad ipsos eiusmodi actus vitales eliciendos, puta dilectionis, spei, fidei, visionis, fruitionis beatificæ: habent enim nostræ potentiæ sic consideratæ inchoatam & incompletam tantùm vim ad eliciendos actus illos vitales supernaturales, quemadmodũ ex professo docuimus prima parte ad qu. 12. & ideo ratione istius disproportionis, vt principia reddantur cõpleta qualia debent esse, debent necessariò aliquid accipere quo in tali ordine & genere agentium compleantur. Atque ex his patet quid sit respondendum ad probationem antecedentis huius primi argumenti: ad eius confirmationem respondetur, humanitatem spectatam solummodò *secundùm naturalem suam passiuam vim terminatiuam*, esse quidem improportionatam

III. diuinæ subsistentiæ Verbi, at non *secundùm obedientialem suam passiuam vim terminatiuam*, iuxta quam terminatur à Verbo, vt patet ex dictis.

Articvlvs III.

Vtrùm gratia habitualis fuerit medium morale ad vnionem hypostaticam.

Sunt qui volunt gratiam habitualem esse medium aliquod morale, seu humanitatem fuisse de facto dispositam ex quadam decentia per gratiam habitualem ad hanc vnionem, sicque habitualem gratiam priùs naturâ fuisse in anima rationali, quàm hæc esset vnita Verbo diuino. Ita aliquando sanctus Thomas tertio sententiarum distinctione secunda quæstione

IV. secunda. Sanctus Bonauentura eadem distinctione, articulo tertio, quæstione secunda, & aliqui alij ibidem.

Quòd si quis obiiciat, datâ hac sententia, vnionem Verbi cum humanitate futuram accidentalem, quia fit intermedio accidente, & esse de fide illam esse substantialem, vt suprà docuimus, potest responderi, id non magis sequi quàm vnionem animæ cum corpore, quæ fit mediantibus dispositionibus accidẽtalibus, esse accidentalem, & *vnionem diiudicari substantialem vel accidentalem*, non à dispositionibus præparantibus vel ornantibus ipsa extrema vnienda, sed *à conditione extremorum & eorum nexu, seu termino formali vnitionis illorum inter se*, quæ omnia in præsenti vnione hypostatica non desinunt esse substantialia.

Melior tamen est sententia contraria, pro qua

A sit hæc nostra propositio. *Gratia habitualis non fuit morale aliquod medium, quo ex aliqua decentia humanitas Christi Domini fuerit de facto dispositа ad vnionem sui cum Verbo diuino.* Hæc propositio sequitur ex dictis articulo præcedenti & eius rationibus, quibus hæc possunt addi. Primò auctoritas S. Aug. lib. de prædestinatione Sanctorum ca. 15. relata à S. Thoma superiùs quæst. 2. art. 10. comparantis gratiam, qua homo ab initio fidei suæ fit Christianus, cum ea gratia, qua ab initio suo tactus est Christus: vnde sicut prima illa omnium gratia, qua vocamur primò ad fidem Christianam, non est aliqua gratia de genere qualitatis, sed est ipsamet gratuita voluntas Dei, nec habemus in nobis aliquid, quo positiuè disponamur ad gratiam vocantem & excitantem, sed hæc sine vlla tali

B dispositione datur ex mera & gratuita voluntate Dei: ita etiam nulla fuit in ipsa humanitate Christi Domini gratia, qua dispositiuè vniretur Verbo diuino, sed sola liberalis & gratuita voluntas Dei fecit vt humanitas Verbo vniretur. Secundò probatur: omnis gratia supernaturalis de genere qualitatis data de facto puræ creaturæ, saltem humanæ (quia de gratia Angelorum nonnulli disputant, vt infrà videbimus) fundatur in meritis Christi Domini, vt nos infrà agendo de eius merito ostendemus: atqui Christus Dominus non meruit de facto suam Incarnationem nec aliquid eius, nec item ipse vel anima eius ante sui vnionem ad Verbum diuinum meruit, vt infra docebimus. Tertiò omnis dispositio est aliquo modo eiusdem ordinis cum sua forma, datúrque vt forma vniatur modo connaturali suo subiecto affecto tali dispositione:

C atqui gratia habitualis, quantacumque illa sit, est ordinis longè inferioris ab vnione hypostatica, vt patet ex dictis de excellentia vnionis hypostaticæ ad quæst. 2. S. Thom. nec facit ipsam humanitatem connaturalem vnioni hypostaticæ, aliàs enim qui illam habent, deberẽt & istam habere, aut saltem essent in statu aliquo modo violento, quod admittere est absurdum: tandem tàm bene Verbum diuinum est vnitum hypostaticè carni seu corpori Christi Domini, quàm eius animæ, & eodem modo, quia vtrique est loco propriæ suæ subsistentiæ: atqui Verbum diuinum vnitur hypostaticè carni seu corpori Christi Domini de facto, absque gratia habituali disponente vel eleuante illud, quia cùm sit accidens spirituale, corpus est incapax illius; similiter etiam absque aliqua qualitate alia corporea præparante vel eleuante illud ad hanc

D vnionem, quia nulla talis qualitas potest assignari, nam summa illa pulchritudo, quæ vigebat in corpore Christi Domini, non potuit esse talis dispositio, cùm semper relinquat corpus Christi Domini intra purum ordinem naturalem, extra quem est vnio hypostatica: igitur habitualis gratia non fuit aliquod morale medium, quo humanitas Christi Domini fuerit de facto dispositа ad vnionem sui cum Verbo diuino.

V. VI. VII. VIII.

Articvlvs IV.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

Primvm fundamentum est. Humana natura nudè, solitariè & secundùm se spectata, est infimæ dignitatis, per vnionem verò hy-

I. postaticam eò euehitur vt altius non possit extolli : ergo fuit quàm congruentissimum eam ad id disponi ; at nulla dispositio potest esse conuenientior respectu animæ quàm gratia habitualis, sicut respectu corporis nulla melior perfecta corporis pulchritudine, qualis fuit in Christo Domino, iuxta illud Psal. 44. *Speciosus formâ præ Filiis hominum*, quod Patres interpretantur de Christo Domino : igitur gratia habitualis fuit ex decentia dispositio humanitatis ad vnionem hypostaticam.

Respondetur, humanitatem secundùm se & solitariè sumptam esse infimam inter creaturas intellectuales, fuisse per hanc vnionem altissimè euectam, inde tamen non sequi fuisse congruentissimum illam ad id disponi per gratiam habitualem, tùm ob rationes allatas pro propositionibus præcedentium articulorum, tùm quia

II. sic omnipotentia Dei, & eius ergà nos benignitas commendantur, dùm res adeò inter se distantes coniungit mirabiliter, & infimum sibi summo tàm indissolubiliter non dedignatur coniungere.

Secundum fundamentum. Videtur tàm congruum fuisse humanitatem disponi ad hanc vnionem per gratiam sanctificantem, quàm beatissimam Virginem disponi ad maternitatem Dei-hominis per gratiam, maximè cùm vnio hypostatica sit aliquid excellentius ipsa maternitate, vt docuimus art. 20. ad 2. quæst.

Negatur antecedens & respondetur esse disparem rationem ipsius conceptionis & maternitatis Dei-hominis in beatissima Virgine, ac ipsius humanitatis ad vnionem hypostaticam. Primò, quòd non tantùm apud prophanos, sed etiam apud sacros auctores, filij solent commendari à sanctitate parentum, vt de S. Ioanne

III. Baptista notat S. Ambros. lib. 1. in Lucam : vnde cùm Christus deberet tali gradu & titulo sanctitatis esse præditus, vt singulari nomine esset appellandus *iustus*, vt patet Actuum 7. vbi S. Stephanus loquens de Christo Domino ita ait, *Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti*, id est Christi Domini, & esset vocatus à S. Gabriele Archangelo apud Daniel. cap. 9. *Sanctus Sanctorum*, fuit valde congruum proximam & immediatam eius parentem disponi per gratiam habitualem ad illum concipiendum & generandum, iuxta illud quod canit Ecclesia in Collecta Antiphonæ, *Salue Regina. Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis matris Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur Spiritu Sancto præparasti.*

IV. Secundò respondetur, disparem esse rationem, quatenus fuit valdè congruum, vt quæ futura erat vera & naturalis mater Dei-hominis, priùs illum cõciperet *mente quàm ventre*, vt iam animaduertimus ex Patribus, & cùm Christus nasceretur ex spiritali quodam matrimonio inter Deum & naturam humanam inito, cuius beatissima Virgo vices gerebat, & matrimonium fiat ex consensu, consensus autem beatissimæ Virginis consisteret in actibus omnino supernaturalibus ex gratia habituali productis, valde conueniens fuit illam mediante habituali gratia præparari ad talem conceptionem & maternitatem : at assumptio humanitatis in vnitatem suppositi Verbi diuini non debebat fieri, *ex deliberato consensu ipsius naturæ assumendæ, sed obedientialis potentiæ*, quæ est in humanitate ad

A ipsum Deum respectu cuiuscumque rei, quam voluerit, sufficiebat ad id, nec proinde debebat disponi per gratiam. V.

Tertium fundamentũ. Vnie adulti cum Deo per gratiam sanctificantem prærequirit aliquas dispositiones, vt sunt actus fidei, spei & contritionis, & hoc tantùm ex decentia : nam loquendo de potentia Dei absoluta, Deus posset infundere gratiam iustificantem alicui adulto sine præuiis eiusmodi dispositionibus ; igitur cùm vnio hypostatica sit longè sublimior, fuit valdè congruum humanitatem disponi ad illam per gratiam habitualem.

Respondetur disparem esse rationem iustificationis adultorum, ac assumptionis humanæ naturæ ad subsistentiam Verbi diuini. Primò, quod actus illi dispositiui scilicet fidei, spei, &

B contritionis sint eiusdem ordinis ac est ipsa gratia habitualis, illis enim debitè positis statim sequitur infallibiliter infusio gratiæ habitualis, vt VI. omnes Theologi docent prima secundæ agendo de iustificatione adultorum, ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. 6. & 7. vnde adulti possint per illos disponi ad gratiam habitualem. Secundò, quia iustificatio hominis tàm infantis quàm adulti est quædam adoptio illius in filium Dei, vt etiam habet Concilium Trident. dicta sess. 6. cap. 4. hinc enim passim vocamur in sacris Litteris & Patribus *filij adoptionis vel adoptiui* : ergo sicut vera adoptio secundùm leges humanas fit iuxta conditionem non tantùm adoptantis, sed etiam adoptati, ita vt si is qui adoptatur sit adultæ ætatis eius consensus requiratur, quemadmodum ius ciuile definit lege in

C adoptionibus, lege infantes §. de adoptionibus, & prædicti actus exprimunt consensum eius qui VII. iustificatur, quatenus per illos significat displicentiam antecedentem prioris vitæ, feruens desiderium, imò propositum melioris, valde congruè & conuenienter prædicti actus dispositiui requiruntur ad gratiam habitualem : at assumptio humanitatis ad Verbum nullam importat rationem adoptionis, Christus enim nullo modo est filius adoptiuus Dei, sed propriè naturalis, vt infrà docebimus : ideóque sicut in nullo nostrũ prærequiritur voluntas vt sit talis & tam alterius patris filius, sic etiam non fuit congruum humanitatem à Verbo assumendam disponi per aliquos actus sibi liberos ad naturalem filiationem Dei. Cæterùm quòd auctores cõtrariæ sententiæ dicunt inter explicandum illam, scilicet,

D dato quòd gratia habitualis esset talis dispositio, non sequi vnionem Verbi cum humanitate fore accidentalem, admittimus, & iam obseruauimus circa 2. qu. huius partis, nec hæc est ratio VIII. præsentis nostræ propositionis vt nõnullis videtur, sed quam præcedenti articulo protulimus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm gratia habitualis potuerit esse medium morale ad vnionem hypostaticam.

NOTANDVM est medium morale posse distingui duplex ; vnum præparans subiectum ad formam, & ad illam illud inclinandum. Alterum exornans tantum subiectum, eique solummodò conferens proportionem aliquo modo maiorem cum ipsa forma. Præsenti articulo agitur de medio iuxta priorem cõsideriationem. Pro cuius explicatione sit hæc

I. Prima noſtra propoſitio. *Gratia habitualis non potuit eſſe medium aliquod morale, præparans humanitatem ad vnionem hypoſtaticam.* Ita Cabrera ad articulum decimum ſecundæ quæſtionis huius partis, diſputatione ſecunda §. 10. Probatur: illud cenſetur eſſe medium morale, quod exiſtens in ſuo ſubiecto mouet, inclinat, & quantum eſt ex ſe, determinat ipſum agens liberum ad conferendum formam illam, reſpectu cuius tale medium dicitur eſſe morale, ſic actus fidei, ſpei, & contritionis rectè poſſunt dici medium morale reſpectu remiſſionis peccatorum, quia inclinant Deum ad illam concedendam, ſic etiam Sacramenta vt continent merita Chriſti Domini & pretium noſtræ redemptionis, poſſunt dici eſſe morale medium eius gratiæ ſanctificantis, quæ nobis per illa confertur, quia ratione dignitatis rei quam in ſe continent, habent aliquam proportionem cum infuſione iuſtificantis gratiæ: atqui gratia habitualis, etiam exiſtens in anima Chriſti Domini ante vnionem hypoſtaticam ſui ad Verbum diuinum, non potuiſſet mouere, inclinare, vel quantum eſt ex ſe determinare Deum ad vniendum ſuum ſubiectum hypoſtaticè Verbo diuino, vel enim id haberet ex ſe & ſua conditione, aut ex ſumma ſua intenſione, vel tantùm ex extrinſeca ordinatione Dei ſtatuentis ita rem fieri: primum & ſecundum dici non poſſunt, quia beatiſſima Virgo habuit perfectiſſimam gratiam ſuprà omnes creaturas, nec tamen habitualis gratia fuit illi morale aliquod medium ad vnionem hypoſtaticam, & vt oſtendemus infrà loquendo abſolutè, non repugnat Deum dare alicui intenſiorem gratiam quam dederit de facto animæ Chriſti Domini, nec tamen hæc gratia moueret Deum, vel eum quaſi determinaret ad vniendam iſtam animam, tali gratia informatam, alicui ex perſonis diuinis: ergo habitualis gratia non habet ex ſe vt poſſit eſſe medium aliquod morale ad vnionem hypoſtaticam, cuius rei ratio fundamentalis eſt, quod tale medium vt congruè & rationabiliter excitet, moueátque agens liberum, debeat habere aliquam proportionem & habitudinem cum forma illa reſpectu cuius eſt medium morale, aliàs enim non habebit in ſeipſo vnde excitet tale agens ad communicandum talem formam: ſed habitualis gratia, quantacumque illa ſit, cùm ſit ordinis longè inferioris à gratia vnionis, eſt ei improportionata, totáque eius habitudo terminatur & conſummatur per vitam æternam ſeu viſionem & fruitionem beatificam, quæ eſt aliquid inferius vnione hypoſtatica: igitur gratia habitualis non habet ex ſua conditione, vt ſit morale medium præparans humanitatem ad vnionem cum Verbo diuino.

II. Quòd item habitualis gratia non poſſit eſſe tale *medium morale ex ſola extrinſeca ordinatione Dei*, patet: licèt enim non repugnet Deum ſtatuere ſe daturum vnionem hypoſtaticam habenti gradum talem gratiæ ſanctificantis (quia vt vnio hypoſtatica eſt illi abſolutè libera, ita fuit ei liberum velle illam cum hac conditione illam non deſtruente) & præterea dare gradum illum gratiæ alicui animæ rationali primo inſtanti ſuæ creationis ante reſultantiam ſuæ partialis ſubſiſtentiæ vel admiſſionem alienæ, item ei conferre auxilia gratiæ, tàm adiuuantis quàm excitantis, quibus de facto illum promereatur, adhuc tamen iſte gradus gratiæ non haberet

A propriè rationem moralis alicuius diſpoſitionis ad vnionem hypoſtaticam, ſed alicuius puræ tantùm conditionis, ad cuius poſitionem Deus ex vi tantùm pacti faceret prædictam vnionem, quia de ratione diſpoſitionis præparantis ſubiectum eſt, vt aliquid habeat in ſe per quod in *genere cauſæ efficientis vel materialis* ſubiectum adaptetur formæ, cui antea non erat aptum: at vnio hypoſtatica non magis adaptatur humanitati per gratiam ſanctificantem quàm ſine gratia, cùm hæc tota adaptatio fundetur in *obedientiali eius potentia*, quæ ſemper eſt eadem, ſiue gratia ſanctificans infundatur eius animæ, antecedenter ad vnionem hypoſtaticam, ſiue non infundatur: igitur repugnat gratiam habitualem eſſe propriè moralem diſpoſitionem præparantem humanitatem, vel aliquam eius partem ad vnionem hypoſtaticam. V.

B VI.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm habitualis gratia potuerit eſſe medium morale exornans humanitatem, & ei conferens proportionem aliquo modo maiorem cum vnione hypoſtatica.

III. CABRERA loco præcedenti articulo citato cenſet implicare contradictionem, vt gratia ſanctificans ſit aliquo modo medium morale ipſi humanitati ad vnionem hypoſtaticam.

C Melior tamen videtur eſſe contraria ſententia, cum qua concludimus gratiam habitualem potuiſſe eſſe (ſi Deus voluiſſet) medium exornans animam Chriſti Domini, & dans ei proportionem aliquam maiorem cum ipſa vnione hypoſtatica. Probatur primò, quod potuerit exornare animam, nemini poteſt eſſe dubium, nam omnis forma ſupernaturalis reddens ſubiectum ſuum gratum Deo, ſupernaturali gratitudine ornat illud: at gratia habitualis hoc præſtat animæ cui ineſt, eſt enim hoc proprius & formalis eius effectus, deinde gratia habitualis opponitur peccato: ergo vt hoc deturpat animam, & propterea vocatur labes, macula, & iis aliis nominibus, ſic gratia ſanctificans exornat illam, & rectè vocatur decor & ornamentum animæ. VII.

IV. Quod etiam habitualis gratia potuiſſet à Deo communicari humanitati, vt ſic haberet maiorem proportionem cum vnione hypoſtatica, probatur primò: quod eſt formaliter ſanctum ſupernaturali ſanctitate, eſt magis proportionatum vnioni hypoſtaticæ, quàm quod caret omni ſanctitate: eſt enim maior conuenientia veræ alicuius ſanctitatis ad aliquam ſanctitatem propriè dictam ordinis ſuperioris, quàm non ſanctitatis ad ſanctitatem: atqui anima Chriſti Domini, ſi accepiſſet gratiam priuſquam vniretur Verbo, fuiſſet formaliter ſancta, Deo formaliter grata, qualis non erat antea, quia nuda obedientialis potentia paſſiua, quæ eſt in illa, non facit eam formaliter ſanctam, & præterea vnio hypoſtatica facit illam formaliter ſanctam ſanctitate altioris gradus & ordinis ſcilicet diuinæ perſonalitatis: igitur potuit Deus dare gratiam habitualem animæ Chriſti Domini antequam vniretur Verbo diuino, vt maiorem proportionem haberet cum vnione hypoſtatica. Proba- D VIII.

I. tur secundò : quod est magis supernaturale, est magis proportionatum vnioni hypostaticæ, quàm quod est minus supernaturale, quia sic magis accedit ad illam, cùm sit maior quædam participatio ipsius Dei provt Deus transcendit omnes creaturas, penes quod esse participatum, attenditur vera ratio entis supernaturalis propriè dicti, vt obseruauimus primâ parte, ad quæst. 12. atqui anima rationalis Christi Domini informata habituali gratia est magis supernaturalis, seipsa sola vt habente potentiam passiuam obedientialem ad hoc vt assumatur à Verbo diuino : ergo habitualis gratia informans animam Christi Domini faceret illam magis proportionatam vnioni hypostaticæ.

Maior satis confirmatur iis quæ ei sunt addita. Minor probatur : quod est supernaturale per formam tam *entitatiuè quàm quoad modum* II. *existendi & operandi supernaturalem*, sibi formaliter & permanenter inexistentem, est magis supernaturale eo, quod entitatiuè & solummodò est supernaturale per ordinem ad aliud, seu quatenus consideratur penes subordinationem, quam potest habere ad supremum agens diuinum operans modo excedente statum naturæ rerum creatarum, quemadmodum patet ex ipsis terminis : atqui anima Christi Domini est tantùm apta vniri Verbo diuino ratione passiuæ suæ obedientialis potentiæ, quæ potentia entitatiuè sumpta est ipsamet anima, est enim indistincta à re cuius est talis potentia, & proinde sicut anima rationalis Christi Domini est entitatiuè naturalis, ita & hæc potentia, estque solùm ordinis supernaturalis, quatenus comparata ad omnipotentiam Dei importat quamdam coaptationem passiuam ad personam diuinam, vt scilicet possit terminari hypostaticè ab III. illa, quemadmodum patet explicatione talis potentiæ : igitur anima Christi D. vt informata habituali gratia est magis supernaturalis seipsa tantùm, vt habente obedientialem passiuam potentiam, qua potest assumi hypostaticè à Verbo diuino, & ex consequenti anima Christi Domini fuisset aliqua ratione magis proportionata vnioni hypostaticæ recipiendo habitualem gratiam antè, quàm habendo tantùm potentiam suam obedientialem.

Dices, quare ergo Deus non ita fecit : respondetur, primò voluntatem Dei facientis esse pro ratione : nam ex S. Augustin. ad Volusi. loquente de hoc mysterio, *tota ratio facti est voluntas facientis*. Deinde respondetur, vnitionem humanitatis cum Verbo posse duobus modis considerari. Primò, per *comparationem extremorum* IV. *illius ad se inuicem*, quatenus licèt habeant sufficientem accommodationem vt vniantur sibi inuicem, adhuc tamen vnum eorum redditur aliquo modo magis conueniens alteri. Secundò, per *comparationem ad diuina attributa* omnipotentiam, sapientiam, benignitatem Dei, & quia Deus voluit sua hæc attributa maximè relucere in hoc mysterio, hæcque magis resplendent in vnione animæ Christi Domini cum Verbo diuino ante infusionem gratiæ habitualis, & infusio gratiæ ante vnitionem animæ cum Verbo est tantùm conuenientior priori modo, ideò absolutè & simpliciter loquendo habita ratione *ad intentionem Dei*, conuenientius fuit Deum infundere animæ Christi Domini gratiam habitualem solummodò post eius vnionem hypostaticam cum Verbo diuino.

A

B

C

D

ARTICVLVS VII.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentium duorum articulorum.

V.

PRIMA obiectio est similis ei argumento, quo sanctus Thomas sequenti quæstione articulo vltimo in corpore probat animam Christi Domini fuisse priùs vnitam Verbo, quàm acciperet habitualem gratiam : est autem eiusmodi. Habitualis gratia & vnio hypostatica se habẽt ad inuicem sicut missio Filij, & missio Spiritus sancti comparatæ ad inuicem, quia missio Filij est ipsamet Verbi diuini Incarnatio, & humanitatis assumptio. Missio autem Spiritus sancti est sanctificatio animæ per gratiam : sed missio Filij est prior missione Spiritus sancti, quia persona Filij est origine prior Spiritu sancto, tum VI. etiam quia omnis causa est prior suo effectu, & diuinitas Filij existens in humanitate est causa gratiæ sanctificantis : ergo hypostatica vnio est prior gratia habituali, & proinde humanitas Christi Domini debuit priùs esse vnita Verbo diuino, quia haberet gratiam habitualem, & ex consequenti hæc gratia non potuit esse medium aliquod morale exornans animam Christi Domini, eique conferens maiorem proportionem cum ipsa vnione hypostatica.

Respondetur : vel hæc obiectio procedit tantùm de missione visibili, qualis fuit missio Filij per incarnationem, & missio Spiritus sancti in die Pentecostes ; vel de inuisibili, qualis est in iustificatione per illustrationem fidei in intellectu, per amorem & gratiam in voluntate : si agatur de missione visibili & exteriori, falsum est VII. missionem inuisibilem Spiritus sancti, quæ est per gratiam, præsupponere visibilem missionem Filij siue respectu vnius & eiusdem, vt patet in nobis, siue respectu diuersorum, vt patet in Patribus veteris testamenti, qui verè & propriè fuerunt iustificati ante peractum mysterium Incarnationis : si autem hæc ratio procedat tantùm de missione inuisibili, non etiam cogit, vt infusio gratiæ, quæ respondet inuisibili missioni Spiritus sancti, præsupponat visibilem missionem Filij, quæ est per vnionem hypostaticam, vt patet prædicto exemplo Patrum veteris Testamenti : sed ad summum euincit vt isti inuisibili missioni Spiritus sancti, quæ est per gratiam, præsupponatur proportionata missio Filij, scilicet per illustrationem intellectus quoad res supernaturales cognoscendas, quæ debent amari, quod fieri potuisse in intellectu animæ Christi VIII. Domini antequam Verbo vniretur, non repugnat, cùm talis cognitio habuerit locum in Christo post vnionem, & videatur magis incompossibilis cum vnione hypostatica iam peracta, quàm cum peragenda, vt intelligetur ex dicendis infrà de ea cognitione creata, quam anima Christi Domini habuit de mysterio Trinitatis.

Ad id autem quod additur, scilicet vnionem hypostaticam esse causam gratiæ habitualis quæ est in Christo Domino, & omnem causam esse priorem suo effectu ; Respondetur esse tantùm causam moralem : at non est necesse vt causa moralis semper præcedat suum effectum quoad existentiam, quia potest mouere per solum suum esse apprehensum, vt patet in ipsa passione Christi Domini, & effusione sanguinis

I. eius, quæ fuerunt causæ morales iustificationis Sanctorum, qui mortui sunt longè ante peractum mysterium Incarnationis, & quia in præsenti hypothesi causa quæ moueret Deum ad dandum habitualem gratiam, esset ipsa vnio tanquam finis talis gratiæ, tunc vnio rectè constitueretur moralis causa illius.

Secunda obiectio. Omnis mensura est prior suo mensurato, sed gratia vnionis, seu vnio hypostatica est mensura omnis gratiæ habitualis, quia omnis talis gratia quæ datur hominibus desumit suam mensuram à gratia vnionis, quæ tamen iuxta hypothesim doctrinæ præcedentis articuli nondum esset; igitur nec in illa hypothesi gratia sanctificans fuisset medium illud morale ad vnionem hypostaticam.

II. Respondetur duplicem distingui ordinem, vnum existentiæ & executionis, alterum intentionis, non esse necesse vt semper mensura sit ordine executionis & existentiæ prior ipso mensurato, sed sufficere quòd sit prior ordine intentionis, maximè vbi mensuratum habet rationem medij ad ipsam suam mensuram vt ad aliquem suum finem; igitur media accipiunt suam mensuram ex ipsa habitudine ad suum finem: at in præsenti hypothesi gratia habitualis ita esset prior ordine executionis seu existētiæ ipsa vnione hypostatica, vt tamen esset aliquod morale medium ad illam modo superiùs explicato, & ita desumeret suam mensuram ab illa.

Tertia obiectio. Deus non potest immutare rerum naturas, sed natura substantiæ est hæc, vt priùs habeat subsistentiam propriam vel alienam quàm recipiat vllum accidens: ergo repugnat animam Christi Domini accipere gratiam habitualem velut præuiam dispositionem ad sui vnionem cum Verbo, quàm ab illo assumatur, maximè cùm gratia habitualis non sit accidens ordinis naturalis debitum ipsi humanæ naturæ.

III. Respondetur, hæc duo distingui inter se, *Deum immutare rerum naturas, & Deum immutare seriem, quam res aliquæ seruant ordinariè ad inuicem.* Primùm quidem implicare, quia naturæ illæ non essent amplius, sed penitus destruerentur, sicque propriè non immutarentur; attamen Deus potest secundum, vbi res tali serie dispositæ non dicunt immediatum ordinem inter se ipsas ita essentialem, vt præcedentes habeant intrinsecam dependentiam à sequentibus, nec illæ sequentes postulent immediatam connexionem cum antecedentibus ex intrinseca sua natura: tunc enim quia talis ordo est tantùm accidentalis, Deus potest pro sua libertate illum immutare, sicque non est de intrinseca natura substantiæ, vt priùs habeat aliquam subsistentiam quàm recipiat aliqua accidentia, tùm quia habere subsistentiam non est de essentia substantiæ, sed tantùm ordo ad illam, quia Deus potest facere, vt aliqua substantia existat & operetur destituta omni subsistentia: tùm etiam quia subsistentia non est suæ substantiæ ratio recipiendi, vel etiam conseruandi in seipsa accidentia, vt docuimus: nec obstat quod gratia sanctificans sit aliquod accidens non debitum humanæ naturæ, hoc enim tantùm arguit animam spectatam secundùm pura sua naturalia non habere ordinem positiuum ad illam, non tamen arguit implicare Deum illam ponere in anima ante subsistentiam, cùm non sit absolutè necesse ea omnia quæ sunt ordinis tātùm

A naturalis præsupponi quoad existentiam in subiecto iis, quæ sunt ordinis supernaturalis, sed ea tantùm sine quibus implicat tale subiectum existere, vel in se recipere accidentia illa, quæ sunt ordinis supernaturalis. V.

Quarta obiectio. Eo instanti quo humanitas intelligitur cum habitu charitatis, potest etiam intelligi operari ex tali habitu, & proinde mereri de condigno: ergo si anima Christi Domini potuit priùs natura habere gratiam habitualem, vt moralem dispositionem ad vnionem hypostaticam sui cum Verbo diuino, hæc anima Christi D. vt informata tali gratia & operans ex illa potuit mereri de condigno vnionem hypostaticam, quia tunc omnia ad tale meritum requisita reperiri possent: atqui repugnat animā Christi Domini potuisse promereri de condigno vnionem hypostaticam, igitur & repugnat animam Christi Domini habuisse gratiam habitualem ex decentia & congruitate vt præuiam dispositionem vnionis hypostaticæ.

B VI.

Respondetur, simpliciter & absolutè loquendo, non repugnare animam habentem vsum rationis, informatam cognitione supernaturali, & gratia ei correspondente, mereri aliquid etiam de condigno, ante sui vnionem ad proprium corpus, si omnes conditiones ad tale meritum requisita concurrerent, inde tamen non sequi animam Christi Domini, si priùs natura quàm vniretur corpori habuisset gratiam sanctificantem, tunc promerituram de condigno vnionem hypostaticam. Primò, quia, iuxta communem legem, anima debet priùs simul cum corpore componere hominem, quàm liberè operari, deinde etiamsi anima Christi Domini nondum vnita Verbo, informata tamen gratia sanctificante, potuisset aliquid mereri de condigno, non tamen vnionem hypostaticam, quia nullum opus puræ creaturæ, etiam elicitum ex gratia sanctificante, potest habere condignitatem ad vnionem hypostaticam, quæ tamen condignitas est necessaria ad meritum de condigno, & anima Christi Domini sic considerata, esset pura res creata.

C VII.

DISPVTATIO III.

De merito Patrum veteris Testamenti tanquam medio Incarnationis.

IV. D VIII.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Patres antiqui meruerint Incarnationem de condigno.

VIA meritum fundatur in gratia, & ratione sui fundamenti & radicis est quædam gratia: ideo cùm ostenderimus vnionem hanc non fuisse factam mediante habituali gratia, tanquam aliqua dispositione existente in anima Christi Domini ante sui vnionem ad Verbum diuinum, nunc est videndum, an saltem aliqua Sanctorum merita disposuerint Deum ad faciendum vnionem humanitatis cum Verbo. Præsens difficultas potest moueri de tribus, de Christo Domino, de antiquis Patribus veteris Testamenti, & de beatiss. Virg. De primo agetur infrà ad quæst. 19.

I. duo tantùm posteriora discutiemus hac quæst. & primo præsenti articulo.

Notandum primò est, nos posse distinguere tria in mysterio Incarnationis: primum est *prædestinatio eius seu decretum efficax Dei de illo faciendo*, qua ratione qui suis bonis operibus excitaret Deum ad habendum tale decretum, diceretur promereri substantiam huius mysterij. Secundum est *ipsa executio huius mysterij* simpliciter & absolutè sumpta, quæ distinguitur à decreto, cùm hoc sit ab æterno, ista verò facta fuerit tantùm in tempore. Tertium, quod distinguimus, sunt circunstantiæ huius mysterij.

Secundò notandum est eiusmodi circunstantias esse in duplici differentia. *Aliæ per se & necessariò* requiruntur ad incarnationem, vt in carne passibili futuram, exempli gratia quòd nascereturex aliqua gente, aliqua muliere, quòd aliquo tempore saltem indeterminato moreretur. Aliæ requiruntur tantùm *per accidens*. & non necessariò, vt, exempli gratia, quod Verbum incarnetur præcisè hoc vel illo determinato tempore, nascatur ex tali gente, tali tribu, tali virgine, tam citò, & aliæ id genus.

II. Notandum tertiò duplex distingui meritum à Theologis: vnum *de condigno*, quando scilicet ipsum opus habet æqualitatem cum præmio, inducítque tale meritum obligationem iustitiæ ad reddendum præmium. & insuper postulat gratiam sanctificantem in operante, & in præmiante pactum seu promissionem dandi tale bonum in præmium istius operis: alterum meritum est *de congruo*, quando scilicet præmium excedit quidem ipsum opus, est tamen conueniens, vt detur propter aliam rationem: vnde in eo intercedit tantùm quædam ratio benevolentiæ & congruitatis, vt fusiùs docent Theologi prima secundæ.

III. Vltimò notandum præsentem difficultatem posse moueri duobus modis, nimirum *de facto, & de possibili*: & hoc posteriori sensu adhuc dupliciter, nimirum, supposito quòd pij illi homines non habuissent suam gratiam ex præuisis meritis Christi Domini, deinde supposito quòd illam haberent ex Christi D. meritis præuisis, sicut de facto omnes homines illam habuerunt.

His ita prænotatis variæ sunt de re præsenti Doctorum sententiæ: quia tamen ex sequentibus nostris propositionibus satis constat quid veritatis vel falsitatis singulæ contineant, & solutio eorum quæ proferunt facilè colligetur ex dicendis pro nostra sententia, absque nobis ab illis recensendis. Sit itaque

IV. Prima hæc nostra propositio. *Patres antiqui non meruerunt de condigno ipsam Incarnationem, nec eius executionem*, ita communiter omnes Scholastici, tàm tertio sententiarum dist. 3. quàm quæst. 2. huius partis. Probatur 1. ex sacris Litteris, quæ agentes de hoc mysterio solent tribuere puræ misericordiæ & charitati Dei, tàm illius substantiam quàm eius exhibitionem, sancti Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Ad Ephes. 2. *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, conuiuificauit nos Christo*, & alibi passim apud Apostolũ: quibus locis hæ particulæ, *daret, visitauit*, & aliæ similes sunt obseruandæ; important enim executionem huius mysterij. Probatur deinde

A ex Patribus, vt S. Augustin. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 15. relato præcedenti disput. art. 3. item in Euchiridio ad Laurentium cap. 32. item lib. 13. de Trinitate cap. 17. item Sermone 8. de Verbis Domini, & sæpè alibi: vbi comparat primam gratiam nobis collatam cum gratia Incarnationis, & ex eo quòd præsens mysterium est factum à Deo ex nullis præcedentibus meritis, infert simili modo primam gratiam vocantem nobis dari ex nullis nostris præcedentibus meritis. Tertiò probatur iis omnibus, quibus quæst. 1. ostendimus Christum Dominum fuisse primò omnium intentum à Deo, volente sese communicare ad extra. Vltimò ratione. Ad meritum de condigno ex parte operis requiritur condignitas, & ex parte præmiantis pactum seu promissio de danda tali re in præmium & mercedem talis operis, ex tertio notabili: atqui B nullum opus potest assignari in Patribus veteris legis, quod habuerit condignitatem cum mysterio Incarnationis: nam hoc mysterium est aliquid excellentius, quàm sit quodlibet opus à pura creatura exercitum ex gratia habituali quantumlibet perfecta, cùm hæc sit tantùm semen gloriæ æternæ nec tendat suprà illam, supra quam tamen est hoc mysterium. vt ostendimus agendo de eius excellentia: nec item potest ostendi Deum pepigisse cum istis Patribus, vel aliqua alia creatura rationali de dando hoc mysterio propter bona opera illorum, nam quæcumque possunt asserri procedunt solummodò de quibusdam circunstantiis illius, vt patebit infra: igitur antiquì Patres non meruerunt de condigno ipsam Incarnationem, nec eius exC ecutionem.

V. VI.

VII. Secunda propositio. *Patres veteris Testamenti, vel aliquæ aliæ puræ creaturæ, sine haberent gratiam fundatam in meritis Christi Domini, siue sine illis eam haberent, non potuerunt mereri de condigno substantiam Incarnationis, nec eius executionem.* Probatur primò ratione præcedentis propositionis: nam opera eiusmodi hominum fuissent semper opera puræ creaturæ: at nulla opera puræ creaturæ, quantumcumque procedant ex summa habituali gratia, & actualibus auxiliis et correspondentibus, sunt proportionata tanto dono seu substantiæ & executioni mysterij Incarnationis, vt docet ratio præcedentis propositionis: ergo siue gratia eiusmodi Patrum daretur ex Christi Domini meritis, siue non esset in illis fundata, Patres illi nunquam potuerunt ista duo, vel vnum illorum promereri de condigno; imò etiamsi Deus id pepigisset cum illis, D quia hoc meritum præter actum postulat condignitatem operis ad ipsum præmium, quæ semper hic deficit: vnde licèt posito tali pacto meritum istud haberet aliquam similitudinem cum merito de condigno, quatenus ex vi talis pacti Incarnatio esset aliquo modo debita isti operi, non tamen esset perfectum meritum de condigno, quatenus opus illud quod exercerent non haberet ex se condignitatem ad præmium, sed ex voluntate Dei acceptantis illud ad tantũ præmium, quod diminuere rationem perfectæ iustitiæ patet ex iis quæ prima qu. tradidimus. Secundò probatur hæc propositio. Si Patres isti vel aliquæ aliæ puræ creaturæ etiam informatæ excellenti gratia possent hoc vtrumque mereri de condigno, possent etiam totum genus humanum redimere ex perfecta iustitia: quia qui meretur de condigno medium, meretur etiam de

VIII.

I. condigno finem ad quem eiusmodi medium tendit : verbi gratia qui meretur de condigno augmentum gratiæ, quia illud tendit ad augmẽtum gloriæ, meretur etiam de condigno illud augmentum gloriæ : atqui substantia & executio Incarnationis sunt medium redimẽdi totum genus humanum ex perfecta iustitia, ad id enim fuit ordinatum à Deo in carne passibili, vt ostẽdimus 1. quæst. igitur Patres veteris Testamenti vel aliqui alij puri homines vel Angeli potuisset redimere totum genus humanum ex perfecta iustitia: at istud consequens est absurdum, vt fusè ostendimus cit. 1. quæst. igitur nec Patres veteris testamenti, nec aliqui alij puri homines vel Angeli quantacumque gratia instructi, fundata in Christi Domini meritis, vel etiam non fundata in illis, potuerunt mereri de condigno substantiam vel executionem Incarnationis.

II.

Articvlvs II.

Vtrùm meruerint de congruo.

SIt hæc nostra propositio. *Patres veteris Testamenti non meruerunt de congruo ipsam Incarnationem, nec eius executionem.* Prior pars est communis apud omnes Scholasticos, & probatur ex citatis Scripturis, S. item Augustino relato pro prima propositione, & aliis Patribus, vt S. Hierony. dialogo primo cõtra Pelagianos, S. Fulgentio lib. de Incarnatione cap. 7. qui cũ absolutè & simpliciter negẽt Incarnationem esse factam ex meritis, videntur etiam excludere meritũ de congruo, maximè dum cõparant primam gratiam nobis datam cum ipsa Incarnatione, & dicunt priorem esse respectu nostri merè gratuitam, sicut & posterior est absolutè & simpliciter gratuita : atqui ex omnibus Theologis prima illa gratia nobis datur sine vllis nostris meritis, etiam de congruo præcedentibus : ergo & Incarnatio secundùm substantiam. Deinde probatur : id quod mouet agens liberum ad decernendum aliquid, debet priùs præuideri vt sic excitans, quàm tale quid absolutè & simpliciter decernatur ; quia causa moralis efficiens, qualis est hæc, debet esse prior suo effectu, saltem secũdùm cognitionem & apprehensionem : atqui meritum illud de congruo in Patribus veteris Testamenti, respectu ipsius Incarnationis, est aliquid excitans Deum ad decernendum Incarnationem, sic enim meritum agit : ergo debuit à Deo priùs præuideri vt sic eum excitans, quam decerneret Incarnationem : sed factum est contra. Deus enim priùs absolutè & simpliciter decreuit mysteriũ Incarnationis quàm nostro modo concipiendi præuiderit tale meritum de congruo in Patribus veteris Testamenti, vt patet ex dictis ad primam quæst. huius partis disput. 7. vbi ostendimus, Deum priùs absolutè & simpliciter decreuisse hoc mysterium, quàm voluerit alios homines in particulari, eisque præuiderit in particulari de mediis ad vitam æternam.

III.

IV.

Posterior pars propositionis, quæ procedit de *executione Incarnationis*, est contra nonnullos recentiores, vt Suarem hac parte disp. 10. sect. 6. cõtra quos probatur. Primò ex citatis Scripturis & Patribus pro prima propositione, qui exhibitionem seu exequutionẽ huius mysterij tribuunt puræ Dei misericordiæ & charitati : nam verba ista, *daret, visitauit*, denotant executionem, vt obseruauimus, & pura misericordia Dei excludit omne meritum etiam de congruo. Probatur secundò ratione : quod est simpliciter & absolutè futurum ex vi absoluti & efficacis decreti facti ante præuisionem meritorum, non potest impetrari, vt sit futurum vi istorum eiusmodi meritorum, quia ista futuritio talis rei est iam determinata, & omnis causa efficiens etiam moralis, debet esse prior suo effectu saltem in præuisione : atqui executio huius mysterij erat absolutè & simpliciter futura ex vi decreti, quo Deus determinauit efficaciter Incarnationem, quia Deum sic illam decernere nihil est aliud quàm firmiter statuere vniri actu humanitatẽ hypostaticè Verbo, & hoc est statutum à Deo ante præuisionem quorumcumque meritorum Patrum veteris Testamenti, vt docuimus : ergo ipsa executio Incarnationis non potuit vt futura impetrari vi & efficacia meritorum Patrum veteris Testamenti.

V.

VI.

Deinde qui meretur rem aliquam fieri, censetur suo modo mereri volitionem, qua alter decreuit talem rem fieri : verbi gratia, quia Deus decreuit saluare homines per gratiam habitualem, & auxilia actualis gratiæ, & his tantũ saluamur, Christus autẽ meritus est nobis ista, rectè dicitur nobis promeruisse prædestinationem, vt patet ex modo loquendi, tàm Scripturæ quàm Patrum, dum agunt de Christo vt causa nostræ prædestinationis : atqui ex sententia quam hîc impugnamus, Patres veteris Testamenti meruerunt de congruo vt eiusmodi mysterium fieret, id enim sonat eius executio : ergo & secundùm eamdem sententiam iidem Patres meruerunt saltem de congruo volitionem qua decreuit tale mysteriũ fieri, seu meruerunt de congruo vt volitio eius efficax sese terminaret ad faciẽdũ hoc mysteriũ, & ex cõsequenti meruerunt de cõgruo ipsam Incarnationẽ, quod est contra primã partem huius propositionis quam admittũt prædicti auctores.

VII.

C

Posterius nunquam est causa prioris eodem modo & iuxta vnũ & eumdẽ ordinẽ considerati, sed merita Patrum veteris Testamenti iuxta ordinem intentionis & præscientiæ Dei, sunt posteriora ipsa executione huius mysterij in carne passibili, iuxta eumdẽ ordinem intẽtionis & præscientiæ : ergo merita eiusmodi Patrum veteris Testamenti non possunt esse in intentione Dei causa executionis huius mysterij, nec proinde Patres illi meruerunt ipsam exigentiam huius mysterij. Minor probatur. Omnis effectus est in eodem ordine posterior sua causa : at merita Patrum etiam iuxta ordinem intentionis diuinæ voluntatis sunt quidam effectus huius mysterij peracti, nam omnia merita hominum fundantur in Christo Domino saltem post lapsum Adæ, vel vt determinatè venturo in carne passibili, vel vt qui iam de facto sic venit. Igitur merita Patrum veteris Testamenti non sunt aliqua causa executionis huius mysterij.

VIII.

Dices hîc tam bene posse distingui intentionẽ ab executione, quàm in prædestinatione ad gloriam : ac proinde sicut in prædestinatione electorũ facta ex solo beneplacito Dei, homines possunt mereri executionem illius, ita licèt Patres non meruerint Incarnationem, eius tamen executionem potuerunt mereri. Respondetur, non esse parem rationem prædestinationis ad gloriã ac Incarnationis, eo quòd efficax decretũ Incarnationis faciendæ includat futuritionem illius, determinãdo media quibus deducatur ad actũ, *scilicet in carne passibili*, secundũ quam Christus Dominus erat pro nobis redimendis moriturus :

I. & ita, cùm hoc iam esset determinatum, & decretum istud fuerit simpliciter ablolutum, nullo modo factum sub conditione meritorum Patrum veteris testamẽti, sit vt Patres non dicantur propriè promeriti executionem illius, cùm hæc eorũ merita sese tantùm *per accidens* habuerint ad illam. At efficax decretum dandi gloriam purè & simpliciter sumptum non determinat in particulari media, quibus prædestinatus perueniet ad illam, ideóque cùm hæc sint multiplicia, vbi ille accepit à Deo omninò liberaliter primam gratiam, potest consentire in illam mediantibus auxiliis gratiæ ei correspondentibus, tum promereri de congruo gratiam iustificantem: deinde per actus ex illa elicitos promereri augmentum gratiæ, & sic deinceps, donec deuenerit ad eum gradum gratiæ, qui respondeat ei gradui gloriæ, ad quem Deus efficaci decreto ex pura

II. sua liberalitate prædestinauit illum: sicque cùm executio huius suæ electionis ad gloriam, consistat in exercitio eiusmodi actuum meritoriorum, quibus promeretur gratiam sanctificantem & augmentum eius, rectè dicitur promereri executionem suæ prædestinationis.

Atque omnes istæ rationes tam bene probant prædictos Patres, & quasuis alias puras creaturas (quia eadem est planè ratio de istis ac de Patribus, & specialis mentio hîc tantùm fit à Theologis, eo quòd in veteri Testamento quædam testimonia extent quibus illi videntur promeruisse aliquid huius mysterij) non potuisse mereri etiam de congruo tam executionem huius mysterij, quàm substantiam illius: nam in opere meritorio de congruo debet esse quædam honestas seu congruitas ad consecutionem eius

III. quod datur tanquam præmiũ talis meriti, exempli gratiâ, quòd opus sit quædam dispositio ad bonum illud quod datur in præmium, quemadmodum patet in actibus supernaturalibus dispositiuis ad gratiam habitualem, vel quòd persona, quæ talem actum exercet, habeat sanctitatem seu dignitatem, ratione cuius congruum sit actum eius meritorium compensari tali præmio, vt Theologi docent 1. 2. At nullum opus puræ creaturæ elicitum ex gratia quantumuis intensa habet aliquid istorum; non primum, quia nullâ gratia potest propriè esse dispositio ad vnionem hypostaticam, vt iàm ostendimus: non item secundum, quia vnio hypostatica tam secundùm executionem quàm secundùm substantiam, est in alio superiori ordine, quàm sit gratia & actus eius: nec hæc vnio hypostatica est aliquod complementum illius gratiæ, quæ est in tali creatura exercente actum meritorium de congruo: hæc

IV. enim gratia consummatur per gloriam, nec honestas postulat vt bonum illud, quod est omnium, quæ possint concedi, perfectissimum, detur tanquam aliquod præmium operis longè inferioris tanto bono: igitur nullum potuit dari opus puræ creaturæ ex gratia quantumuis perfecta elicitum, quo intellectualis creatura possit mereri de congruo subſtantiam Incarnationis vel eius executionem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm prædicti Patres meruerint aliquas circunstantias huius mysterij.

SIt hæc prima nostra propositio. *Neque de condigno, neque de congruo prædicti Patres me-*

A *ruerint circunstantias incarnationis per se & necessariò requisitas, siue illæ spectentur secundùm executionem, siue tantùm secundùm intentionem.* Probatur imprimis. Quod est priùs efficaciter à Deo volitum in particulari vt tale & tale futurum, non potest vt sic cadere sub meritum, quod est posterius præuisum & volitum à Deo: sic enim nihil habet à tali merito, cùm eius existentia sit plenè determinata, & maximè quando istud meritum accipit vim suam promerendi à re decreta vt tali & tali modo futura; priùs enim non pendet à posteriori, effectus autem meriti, & eius præmium dependet à merito: atqui circunstantiæ quæ sunt ipsi incarnationi necessariæ, per se sunt priùs nostro modo concipiendi volitæ efficaciter à Deo tam secundùm executionem quàm intentionem in particulari, quatenus tales & tales futuræ, quàm Deus præuideret aliquod meritum antiquorum Patrum in par-

B ticulari, quia eiusmodi circunstantiæ includuntur in volitione, qua Deus voluit Christum Dominum, vt redemptorem & mediatorem humani generis per suum sanguinem: Deus autem prius voluit nobis efficaciter Christum vt redemptorem & mediatorem, quàm vellet in particulari hos & illos contentos in massa perditionis saluare, vt patet ex dictis primâ quæstione de fine incarnationis. Item meritum cuiuscumque hominis fundatur in merito Christi Domini: igitur circunstantiæ incarnationis per se necessariæ non potuerunt cadere sub meritum, siue de condigno, siue de congruo, Patrum veteris testamenti: deinde quod est principium omnis & cuiuscumque meriti non potest præcisè vt sic cadere sub meritum, quia idem esset causa & effectus: esset enim causa, quatenus est principium

C talis meriti: esset item effectus, quatenus obtineretur vi & efficacia talis meriti: atqui incarnatio vt facta cum suis circunstantiis ad eam per se necessariis tam secundùm executionem quàm secundùm intentionem, est principium omnis & cuiuscumque meriti quod fuit & potuit esse in Patribus antiquis, quia Christus Dominus tam de facto quàm ex intentione Dei fuit decretus caput omnium hominum etiam quoad influxum gratiæ, provt ille futurus erat redemptor, & ratio redemptoris in Christo Domino importat necessariò & efficaciter istas circunstantias: igitur nec ipse Christus vt redemptor, nec circunstantiæ ad hanc eius rationem per se necessariæ cadunt vel cadere potuerunt sub aliquod meritum Patrum veteris Testamenti, siue meritum istud sit tantùm de congruo, siue sit de con-

VIII. D digno.

Secunda propositio. *Patres antiqui meruerunt de congruo eas circunstantias, quæ per accidens & non necessariò requiruntur in Incarnatione.* Iuxta hanc propositionem intelligendus est S. Thomas suprà quæst. 2. art. 11. in corpore, vbi ait Patres antiquos meruisse de congruo Incarnationem. Probatur, Genes. 22. Deus sic dicit Abrahæ, *Benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Quo loci hæc particula causalis, *quia*, significat Deum dedisse Abrahæ in præmium illius obedientiæ suæ singularis, vt Christus nasceretur ex suo semine. Vnde quando S. Thomas 1. 2. quæst. 8. art. 4. in corpore, ait talem promissionem non fuisse factam Abrahæ ex eius meritis, id tantùm intelligit de meritis vt prouenientibus ex solis viribus naturæ, vel ad

I. summum de merito de condigno, quod vocatur simpliciter meritum. Item Isaiæ 16. cap. *Emitte agnum dominatorem terræ*, & cap. 45. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet salvatorem.* Daniel. 9. cap. dicitur tempus Incarnationis faciendæ *abbreuiatum*, & pluribus aliis Scripturæ locis acceleratio huius mysterij, & aliæ similes circunstantiæ promittuntur Patribus à Deo ob insignia quædã opera.

Et quòd promissio factæ Abrahæ sit tantùm de circunstantia, & non de substantia huius mysterij, patet ex dictis tam præcedenti propositione, quàm articulis antecedentibus, & ampliùs confirmatur. Deus isto loco promittit Abrahæ, tanquam quid magnum ob insignem eius obedientiam, quòd Christus nasceretur ex eius semine: at istud non videbatur esse quid magnũ & dari in tale præmiũ, si, vt alij volunt, ante prævisionẽ huius obedientiæ Christus erat ex decreto Dei nasciturus ex semine Abrahæ: hæc enim loquendi formula Deus significat aliquid lucri aduenire Abrahæ ex tali eius obediẽtia, quod tũc esset falsũ.

Obiicies primò. Si istæ circunstantiæ fuissent à Deo decretæ ob merita Abrahæ, & aliorum eiusmodi Patrum, alij etiam sanctissimi viri id sibi promeruissent, vt Moyses, qui potest æstimari sanctior ipso Dauide, cui tamen facta est specialis promissio, quòd Christus esset descensurus ab illo, & nihilominùs isti alij viri sanctissimi non sunt id consecuti suis meritis.

Respondetur, negando consequentiam. Vt enim Patres illi exercuerunt singulares actus virtutum, ita singulares prærogatiuas à Deo sunt promeriti etiam de congruo, nec hoc singulare præmium datur ex congruo pro quocumq; bono opere facto ex gratia sanctificãte, sed provt Deus decernit, & provt opus illud habet aliquam singularem cõuenientiam cum illo: vnde cùm obedientia Abrahæ talem habeat conuenientiã cum excellentissima obedientia Christi, & sacrificium eius cum sacrificio Christi, factum est vt Deus huic obedientiæ ex congruo tribuerit, vt Christus nasceretur ex eius semine: similiter & Dauid pro salute totius populi Iudaici vitam suam exposuit in prælio cum Goliath, eúmque superauit: at singulares illos virtutum actus meritorios quos Moyses & alij ex speciali gratia exercuerunt, ipse Deus alio etiam speciali præmio eis correspondente compensauit.

Obiicies secundò. Si hæ circunstantiæ essent à Deo decretæ propter merita Patrum; attamen propter eorum peccata, vt Dauidis, vel posterorum vt Salomonis, & aliorum eius successorum istud fuisset impeditum.

IV. Respondetur, merita mortificata reuiuiscere, ideóque licèt Dauid post promissionem sibi factam exciderit à gratia, quia tamen mortuus est in gratia, & peccata posterorum nihil obstant meritis suorum parentum, obtinuit vt de facto Christus nasceretur ex suo semine.

Obiicies tertiò, sequi ex hac nostra propositione absurdum, quod aliis obiicimus; scilicet principium meriti cadere sub meritum: nam principiũ meriti fuit vnio hypostatica vt nũc est facta: at est facta cum his circunstantiis sese etiam habẽtibus per accidens ad substantiã incarnationis.

Respondetur, hæc duo distingui *esse principium meriti*, seu etiã tenere se ex parte principij meriti, & *cõcomitari principium meriti*, hoc secundum sumptum præcisè nullomodo esse principium meriti, sed sese habere ad illud *quasi per accidens:*

A at principium meriti Christi, etiam in carne passibili, *est quòd natus est pro nobis, multa passus, tandem mortuus*, non autem præcisè *quòd tali tempore, tali stirpe, & talibus parentibus* in particulari, & aliis id genus sit natus: si enim alio tempore, ex alia stirpe, & aliis parentibus fuisset natus, vt poterat, absolutè loquendo, semper nos redemisset. V.

ARTICVLVS IV.

Soluitur dubium.

QVÆRES vtrùm Patres antiqui non potuerint mereri de congruo vt Christus Dominus pateretur pro nobis. Ratio dubitãdi petitur ex vltima nostra propositione, quã docuimus antiquos Patres promeruisse de congruo circunstantias non necessariò, sed tantùm per accidens requisitas, tam ad executionem mysterij Incarnationis,

II. B quàm ad eius substantiam: passio enim & mors VI.
Christi D. videntur esse de genere istarum circunstantiarũ, quia iuxta nostram sententiã Deus decreuit efficaciter hoc mysterium ante prævisum Adæ peccatum, & si hic non peccasset, Christus Dominus non desisset venire. Nihilominùs respondemus negatiuè, quia vt iam obseruauimus, nemo promeretur etiam de congruo illud quod est principium huius sui meriti, & multominùs illud quod est principium omnium suorũ meritorum: atqui passio & mors Christi Domini sunt reipsa, & de facto principium cuiuscumque meriti purorũ hominum: igitur omne & quodcumque illorum meritum fundatur in merito Christi, D. quod propriè fuit dumtaxat in eius passione, & morte consummatum ex ipsa Christi Domini ordinatione, vt agendo de eius satisfactione docuimus. Deinde Patres antiqui nõ pro-

III. C meruerunt etiam de congruo circunstantias in- VII.
carnationis per se necessariò requisitas, quamuis illæ spectentur secundùm executionẽ huius mysterij, vt docuimus: atqui *ipsa passio & mors Christi Domini*, sunt circunstantiæ per se & necessariò requisitæ in mysterio Incarnationis, provt illud de facto fuit demandatũ executioni, venit enim Christus in carne passibili vt pro nobis redimendis pateretur, & moreretur: igitur antiqui Patres non meruerunt etiam de congruo, vt Christus Dominus pro nobis pateretur & moreretur.

Ad rationem dubitandi respondetur, passionem & mortem Christi Domini duobus modis considerari. Primò, per ordinem & comparationem *ad substantiam huius mysterij vt possibilem reduci ad actum*. Secundò per ordinem & comparationem, *ad modum executionis huius mysterij importatum in efficaci decreto illius*, per hanc par-

IV. D ticulam *(modo conuenientiori ipsi vniuerso)* iam VIII.
passio & mors Christi Domini consideratæ primo modo, habent se quasi per accidens ad mysterium Incarnationis, quatenus illud potuit reduci ad actum in carne impassibili. Consideratæ verò posteriori modo, non habẽt se ad illud quasi per accidens, sed sunt circunstantiæ ad illius executionem necessariæ, & in prædicto efficaci decreto futuræ Incarnationis Verbi diuini implicitè & virtualiter inclusæ. Nam eo ipso quo Deus statuit Verbum fore incarnandum modo conuenientiori ipsi vniuerso, & in alio sequenti signo rationis prævisio Adæ peccato, modus ille *veniendi in carne passibili* visus est conuenientior, statim fuit consequens quòd Christus Dominus sua passione & morte nos redimeret. Cui non obstat quòd peccatum Iudæorum, à quibus ille

I. erat occidendus, nondum in isto signo rationis, iuxta imperfectum nostrum concipiendi modum præuideretur: tunc enim passio & mors Christi Domini fuerunt decretæ, *tantùm absolutè, & quoad suam substantiam*, non autem *quoad causas in particulari illas infligente*, hoc enim est decretum. In alio posteriori signo quo Deus, præuisâ Iudæorum malitiâ, voluit illa vti in bonum nostræ redemptionis: sicut rectè intelligimus Deum priùs in aliquo signo rationis voluisse Verbum incarnari quàm voluerit hanc vel istam in particulari fore matrem illius, priùs voluisse Christum Dominum venire, quàm voluerit illum nasci ex semine ipsius Abrahami & Dauidis.

DISPVTATIO IV.

II. ### *De merito beatissimæ Virginis circa maternitatem Dei.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quædam monita præmittuntur.

SENSVS totius huius disputationis est: cùm Christus Dominus ex efficaci decreto Dei esset nasciturus ex aliqua Virgine, an beatissima Virgo, vel de condigno, vel de congruo, sit consecuta suis meritis vt esset mater eius. Variæ sunt hac de re Theologorum sententiæ: alij enim existimant beatissimam Virginem istud promeruisse de condigno, alij tantùm de congruo: denique alij non propriè promeruisse maternitatem, sed dignam tantùm dispositionem ad illam.

III. Vt autem totum istud discutiamus, notandum primò est, aliud esse loqui de facto & suppositâ electione beatissimæ Virginis in matrem Deihominis ante præuisionem meritorum eius, & aliud de possibili tantùm & suppositâ tantùm eius electione in matrem post præuisionem meritorũ eius, si ita facta fuisset eius prædestinatio.

Notandum secundò, hoc nomen, *meritum*, posse sumi duobus modis, vno *propriè & præcisè*, pro aliquo actu studioso, qui vel ex se, & sua intrinseca bonitate, vel ex aliqua relatione eius qui illum exercet, refertur ad aliquid obtinendum, & inducit ipsum agens liberum, auctorem ipsius boni ad conferendum illud, vel de condigno, vel de congruo, tanquam aliquod eius præmium quod vel condignè debeatur, vel sit congruum dare ob rationem motiuam quæ est in IV. tali operante & eius actione: iuxta quem modum bona opera liberè exercita ab homine viatore, constituto in statu gratiæ dicuntur esse meritoria. Altero modo nomen hoc *meritum*, sumitur *minùs propriè* pro aliqua tantùm coaptatione & correspondentia vnius ad alterum: quo sensu sæpè dicimus virum probum, & valde doctum mereri talem dignitatem, qua loquendi formula non intẽdimus aliud dicere, quàm eum habere cõditiones ad istud munus obeundũ cõuenientes, non autẽ quòd talis dignitas sit ei debita, vel quòd suis actibus illam sibi promeruerit.

Tertiò, notandum hæc duo distingui, *promereri sine de condigno, sine de congruo gradum illum perfectionis & sanctitatis, quo quis efficitur conueniens alicui dignitati*, vel bono recipiendo: & A *promereri sine de condigno, sine de congruo dignitatem illam*, vel bonum, ad quod per talem perfectionem & sanctitatem efficitur conueniens. Nam ad primum non sequitur aliqua obligatio ex debito iustitiæ vel decentiæ ad dandum bonum illud, ad quod talis perfectio reddit suum subiectum conueniens. Ad secundum verò sequitur aliqua ex dictis obligationibus, exempli causâ, ponamus per hypothesim Deum facere vt aliquis ex gratia sanctificante sibi infusa promereatur longo, multiplici, & valde difficili exercitio virtutum sibi infusarum per se maius augmentum gratiæ sanctificantis, quàm anima Christi Domini de facto habuerit, vt esset conuenienter ornata, quòd non implicare patebit ex dicendis sequenti quæstione: hoc tamen posito Deus non teneretur ex aliquo debito iustitiæ vel decentiæ vnire talem animam hypostaticè alicui B ex personis diuinis. Cuius rei hæc est ratio, quòd VI. in secundo debeat esse quædã *connexio & habitudo vnius ad alterum*, vt patet in merito tam de congruo quàm de condigno: at in primo illa non requiritur, vt patet exemplo nunc allato: sic & in præsenti casu hæc duo distinguuntur, beatissimam Virginem promeruisse eum gradum gratiæ sanctificantis conuenientem maternitati Dei-hominis, & beatissimam Virginem promeruisse sibi maternitatem Dei-hominis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm beatissima Virgo promeruerit gradum illum sanctitatis, quo facta est decens mater Christi.

C HIS ita prænotatis sit hæc nostra propositio. VII.
Beatissima Virgo propriè meruit de condigno gradum illum gratiæ & sanctitatis, quo est facta conueniens & decens mater Dei. ita S. Thomas 2. quæst. huius partis art. 11. in solutione ad 3. vbi etsi neget illam meruisse incarnationem, affirmat tamen eam meruisse gradum illum puritatis & sanctitatis, vt congruè seu conuenienter esset mater Dei: agit enim ibi de merito de condigno, vt patet ex toto articulo, ideóque hic eius terminus, *congruè*, non se tenet ibi ex *parte meriti*, sed *ex parte termini*, seu rei promeritæ: itaut sensus eius sit iste, beatissima Virgo meruit de condigno, vt esset congruè & conuenienter mater Dei, & in hac propositione omnes Theologi conueniunt. Probatur primò ex Patribus, vt S. Hieronymo epistola 22. S. Ambrosio libro 2. de Virginitate, S. Epiphanio hæresi 78. S. Bernardo sermone 4. de assumptione, asserentibus VIII. D beatissimam Virginem sua puritate fuisse dignam ex qua Filius Dei nasceretur: & quòd hunc gradum puritatis obtinuerit vi suorum meritorum satis declarat Ecclesia, quando in oratione Antiphonæ, quæ incipit *Salue regina*, ita Deum alloquitur, *qui gloriosæ Virginis Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, præparasti*: nam verba illa, *mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti*, apertè declarant beatissimã Virginẽ, speciali auxilio Dei adiutam promeruisse gradum illum puritatis, qui conueniebat dignitati eius, quæ futura erat mater Dei. Probatur etiam ratione. Ad rationem meriti de condigno sufficit condignitas in opere, gratia sanctificans in operante, & pactum seu promissio ex parte præmiantis: at hæc tria fuerunt in actibus me-

I. ritoriis beatissimæ Virginis, comparatione istius gradus sanctitatis: sanctitas quidem, & gratia, quia à primo instanti suæ conceptionis habuit gratiam habitualem, nec ab eâ vnquam excidit: fuit etiam condignitas in opere, quia opera insigniter meritoria habent condignitatem ad insigne augmentum gratiæ sanctificantis & donorum eius, sicut & opus liberum factum ex gratia sanctificante, habet condignitatem ad aliquod augmentum gratiæ sanctificantis, hoc enim ab isto respicitur ex propria sua conditione in viatoribus: atqui gradus iste sanctitatis, quo beatissima Virgo facta est conueniens quæ esset mater Dei, nihil est aliud quàm singulare quoddam augmentum gratiæ sanctificantis & donorum eius, vt patet ex Patribus relatis, solent enim explicare istam conuenientiâ enumeratione variarum perfectionum & summæ cuiusdam
II. gratiæ quæ fuit in beatissima Virgine, ratione cuius dicitur singulari quodam modo *plena gratia*, & alia ex parte quamuis beatissima Virgo acceperit gratiam habitualem, carentiam fomitis & alia quædam priuilegia ex mera liberalitate Dei, & solis meritis Christi Domini, nihilominùs instructa istis supernaturalibus habitibus, exercuit quamplures actus liberos nobilissimos horum habituum, quorum meminerunt Patres agendo de eius laudibus, quibus semper promeruit augmentum gratiæ & habituum anteà acceptorum: & tandem gradum istius sanctitatis consummauit eximiâ illâ obedientiâ, qua Angelo sibi annuncianti hoc mysterium respondit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: denique pactum interuenit, quia Deus pepigit cum hominibus, se daturum illis in præmium bonorum suorum operum augmen-
III. tum gratiæ correspondens eorum operibus, vt Theologi, agendo de merito, docent: atqui gradus iste gratiæ & sanctitatis, quo beatissima Virgo fuit facta conueniens, vt esset mater Dei-hominis, est insignis quidam gradus gratiæ correspondens bonis eius operibus elicitis ex prædicta gratia sanctificante & aliis supernaturalibus habitibus: igitur, cùm particulare includatur in generali, Deus pepigit etiam se daturum beatissimæ Virgini ob prædicta eius opera, hunc insignem gradum gratiæ & sanctitatis, quo efficiebatur conueniens vt esset mater Dei.

A mâ parte ad quæst. vigesimam-quartam, & fusiùs probant ex Patribus, Suarez tomo secundo huius partis disputatione primâ, & alij agentes de prædestinatione beatissimæ Virginis: igitur beatissima Virgo, sumpto nomine meriti in propria & rigorosa significatione, non meruit siue de congruo, siue de cõdigno maternitatem Dei-hominis: deinde in nullo actu meritorio beatissimæ Virginis reperitur condignitas ad maternitatem Dei, quæ sit vel intrinseca tali actui, vel ei conueniat ex relatione beatissimæ Virginis, vel quæ etiam fundet debitum decentiæ ad hoc requisitum, vt Deus det beatissimæ Virgini, tanquam promerenti, maternitatem Dei-hominis: ergo beatissima Virgo propriè non meruit maternitatem Dei-hominis, siue de cõdigno, siue de congruo. Consequentia patet ex secundo notabili & dictis disput. præcedenti. Antecedens
B probatur quoad primam partem. Actus meritorij beatissimæ Virginis fuerunt eiusdem speciei cum nostris, sicut & eius gratia: at actus meritorij quantumuis perfecti non habent in aliis virginibus hanc condignitatem sibi intrinsecam, vt patet ex tertio nostro notabili, & tam gratia habitualis, quàm eius actus primò per se & ex sua conditione respiciunt suum augmentum, gloriam, & augmentum gloriæ, sic enim appellatur *semen vitæ æternæ*, nec tales actus sunt propriè loquendo dispositiones ad maternitatem Dei vt formam sibi correspondentem, sicut nec ad Incarnationem, quam talis maternitas aliquo modo sequitur quoad ordinem: ergo neque actus meritorij beatissimæ Virginis habuerunt condignitatem intrinsecam ad Dei maternitatem.

V.

VI.

Idem antecedens probatur, quoad posteriorem
C partẽ: primò, quia ante aduentum Angeli annuncIantis hoc mysterium, nunquam venit in mentem beatissimæ Virgini, hoc expectare, vel postulare à Deo, vt esset mater Dei, quemadmodum intelligitur ex eo quòd acceperit hoc nuncium vt rem sibi inopinatam, sancti Lucæ capite primo, quemadmodum verba illa Euangelij indicant, *Turbata est in sermone eius & cogitabat qualis esset ista salutatio*: item hæc particula, *ecce*, in explicatione huius mysterij, *ecce concipies & paries*, &c. Quæ omnes particulæ explicant aliquid nouum & inopinatum. Deinde probatur ex eo quòd istud sibi polliceri, vel postulare à Deo, non ita videbatur conueniens perfectæ eius humilitati, quâ se admodum vilem & abiectam profitetur ibidem in suo Cantico, dum ait, *Respexit humilitatẽ ancillæ suæ*: nam ibi nomine humilitatis non significatur virtus illa, quam Patres

VII.

IV. SIT hæc nostra propositio. *Sumpto nomine meriti in propria sua significatione, beatissima Virgo nec de condigno, nec de congruo promeruit de facto maternitatem Dei.* Probatur: Quod est à Deo efficaciter decretum & beatissimæ Virgini volitum ante præuisionem cuiuscumque meriti illius vt excitantis Deum, agens liberum ad sui collationem, illud beatissima Virgo nulla ratione, siue de condigno, siue de congruo, sibi promeruit, vt intelligitur ex primâ parte nostri secundi notabilis, & ex dictis disputatione præcedenti: atqui maternitas Dei-hominis fuit à Deo efficaciter decreta & volita beatissimæ Virgini in particulari, & in indiuiduo ante præuisionem cuiuscumque boni operis illius vt mouentis & excitantis Deum ad conferendum illi hanc dignitatem maternitatis, vt docuimus pri-
D & Theologi solent exprimere hoc nomine, sic enim commendaret suam virtutem, sed significatur eius paruitas & vilitas comparatione tanti boni collati sibi à Deo, quam vilitatem profitendo exercet actum virtutis illius, quam humilitatem appellamus. Nec obstat quòd eodem cap. S. Elizabeth sic ei dicat, *Et beata quæ credidisti, quoniam perficiẽtur in te quæ dicta sunt à Domino*: nam hoc non intelligitur de assumptione humanitatis à Verbo in vtero, & ex vtero beatissimæ Virginis, cùm hæciam esset perfecta, vt patet ex verbis præcedentibus quibus sancta Elizabeth beatissimam Virginem salutat matrẽ Dei; & ex eo quòd hæc verba intelligantur de re nondum facta, sed futura, cuiusmodi sunt, *Quòd pareret Deum-hominem, illum vocaret Iesum, quòd esset regnaturus in domo Iacob*, & his similia, quæ ad-

VIII.

ARTICVLVS III.

Vtrùm beatissima Virgo promeruerit de facto maternitatem Dei

I. huc erant futura. Tandem non potest aliquod pactum Dei ostendi, quo promiserit istis actibus beatissimæ Virginis maternitatem hanc loco alicuius mercedis: licèt enim multæ prophetiæ reperiantur quibus Deus promittit Deum-hominem nasciturum ex Virgine, Virginem esse pariturам Deum-hominem, illam futuram de tribu Iuda, de radice Iesse: ista tamen ita à Deo promittuntur, vt non dicantur dari vel fieri intuitu bonorum operum beatissimæ Virginis, quod tamen absolutè requiritur ad veram rationem meriti: sed duntaxat prænuntiantur, vel etiam promittuntur tantum absolutè ex pura & simplici bonitate & misericordia Dei.

Addidi in propositione hanc particulam, *sumpto nomine meriti in sua propria significatione*: quia si meritum sumatur minus propriè, iuxta obseruationem secundi nostri notabilis, tunc

II. beatissima Virgo dicetur promeruisse maternitatem Dei: nam quatenus fuit prædictis illis gratiæ ornamentis instructa, habuit coaptationem & correspondentiam ad dignitatem maternitatis Dei, iuxta quam acceptionem huius nominis, *meritum*, Patres satis frequenter dicunt beatissimã Virginem meritam fuisse hanc maternitatẽ: sic S. Augustinus sermone 10. de Natiuitate, S. Greg. lib. 1. Reg. cap. 1. sic etiam in relatis 1. art. Antiphonis Ecclesiæ, ad quod insinuandum iidem Patres satis frequenter explicant istud meritum per *esse & constitui dignam*. Sic S. Ambrosius libro 2. de Virginitate, sanctus Chrysostomus homilia 49. in Genes. S. Epiphanius suprà. At esse dignum re aliqua, & esse promeritum illam, idem sonant, sumpto hoc nomine *meritum* in hac significatione minùs propria: nã rectè intelligimus beatiss. Virginem fuisse factam à Deo dignam hac

III. maternitate modo superiùs explicato, absque eo quod propriè illam sibi meruerit. Et confirmatur amplius ex eo quòd aliqui Patrum expressè tradunt eam obtinuisse hanc maternitatem non ex proprio merito, sed ex clementia & gratia Dei; sic sanctus Hieronymus dialogo 2. contra Pelagianos circa medium, sic sanctus Bernardus sermone de Natiuitate.

Articvlvs IV.

Soluuntur obiectiones.

Obiicies primò, meritum beatissimæ Virginis longè excedit meritum quorumcumque Patrum veteris testamenti: atqui Patres veteris testamenti promeruerunt de congruo illas

IV. circunstantias, quæ non necessariò, sed tantùm per accidens requiruntur in Incarnatione, de quarum genere est ipsa maternitas. Incarnatio enim semper fuisset, si Verbum diuinum ex alia muliere vel Virgine assumpsisset carnem, & tam verus esset homo, quàm nunc, eiusque meritum tantæ virtutis, cùm fundetur in vnione hypostatica quæ semper fuisset. Ergo beatissima Virgo videtur promerita non tantùm de congruo, sed etiam de condigno, vt esset mater Christi.

Respondetur, disparem esse, quo ad hoc, rationem beatissimæ Virginis, & Patrum veteris testamenti; quòd nimirum Deus ideò voluit efficaciter beatissimæ Virgini singulares gratias & prærogatiuas, quia illam elegerat in matrem Dei: itaut maternitas Dei sit primò decreta illi à Deo efficaciter: deinde propter istam dignitatem purè, gratuitò & liberaliter ei decretam, voluit eam tot & specialibus gratiis præuenire, quibus euaderet conueniens tantæ dignitati. At modo opposito se habuit ad Patres veteris testamenti; nam post efficacem illorum electionem ad gloriam ex meritis Christi Domini, pro illius executione, inter alia voluit eis priùs insignia quædam opera, verbi gratiâ, singularem obedientiam Abrahæ, & sic de Dauide & aliis, quibus prædictas circumstantias exequendæ Incarnationis promererentur de congruo. Vnde cùm id quod est prius rectè constituitur causa posterioris, non autem è contrà, fit vt illæ singulares gratiæ & actus meritorij tali gratiæ correspondentes, post maternitatem efficaciter beatissimæ Virgini decretam à Deo ordinati & præuisi, non potuerunt promereri istam maternitatem etiam de congruo: è contrà verò prædicti actus Patrum veteris testamenti, vt potè priores in ipsa ordinatione & præuisione Dei, prædictis circunstantiis determinatè & in particulari consideratis, potuerunt illas apud Deum promereri de congruo. Ad id autem quod ibi affertur de excellentia gratiæ & meritorum beatissimæ Virginis suprà excellentiam gratiæ & meritorum veteris testamenti. Respondetur nostram assertionem non fundari in maiori efficacitate gratiæ: hanc enim gratiæ & meritorum beatissimæ Virginis excellentiam suprà gratiã & merita prædicta rum Patrum admittimus, sed afferre istud, est afferre non causam pro causa, quod argumentandi genus esse nullum communiter tradunt Dialectici: causæ verò ob quas Patres istas circunstantias sint promeriti de congruo, scilicet antecessio operum meritoriorum in præuisione ad definitionem eiusmodi circunstantiarum,

C item eorum ordinatio ad eas obtinendas & promissio Dei, quæ omnia non habuerunt locum in beatissima Virgine. VII.

Obiicies hinc sequi beatissimã Virginem non fuisse dignam quæ esset mater Dei co instanti rationis, quo volumus illam fuisse efficaciter electam à Deo in matrem Dei, sed tantùm postea fuisse redditam dignam vi & efficacia gratiæ sanctificantis, aliorum habituum supernaturalium, actuum meritoriorum & prærogatiuarum præuisorum tantùm in alio sequente instanti: at videtur absurdum Deum eam eligere in matrem Dei, quæ non sit digna esse talis.

Respondetur, hæc duo sumpta in rigore loquendi esse distincta, scilicet *non esse dignam*, & *esse indignam*: Primùm enim dicit nudam carentiam earum perfectionum, quæ sunt congruæ subiecto in ordine ad formam, de qua tunc est

D sermo. Secundum verò præter id addit aliquam deformitatem, & deordinationem in subiecto, ratione cuius habet aliquam repugnantiam cum forma, comparatione cuius dicitur indignum: sic rectè dicimus eum qui iacet in peccato, nec vult de illo conteri, vel aliquid aliud simile facit, esse indignum remissione peccati. Iam in primo illo instanti rationis quo beatissima Virgo fuit electa in matrem Dei, non erat indigna, sed tantùm non digna, quatenus in illo priori nondum habebat in præuisione Dei gratiam habitualem, reliquas perfectiones & prærogatiuas, quas Deus in alio sequente instanti decreuit efficaciter vt esset *positiuè digna*, quæ de facto esset mater Dei. Cùm enim fuerit prædestinata & electa in matrem Dei, vel statim post decretum Incarnationis ante præuisionem peccati originalis, vel post VIII.

I. præuisum peccatũ originale, sed antequam præuideretur illud contraxisse, sicque nullam haberet maculam peccati, non fuit hac ratione indigna quæ eligeretur, sed tantùm non digna: at Deum eam eligere in matrem suam, quæ hoc modo sit non digna, nullam arguit imperfectionem in Deo, quin potiùs ostendit discrimen diuinæ voluntatis à creata in eligendo, quòd scilicet nostra præsupponat bonum propter quod eligit aliquid, diuina verò eligat, vt quod eligit faciat bonum: sic Deus dum eligit homines ad primam gratiam excitandam, non tantùm eligit non dignos, sed etiam indignos, cùm illi sint infecti peccato, nec hoc arguit aliquid imperfectionis in eo, sed summam eius erga nos dilectionem ostendit, vt testatur Apostolus. Hinc quãdo in primo illo signo rationis Deus voluit efficaciter beatissimam Virginem esse matrem Dei, im-
II. plicitè voluit illi prærogatiuas quibus redderetur digna positiuè, quas sequente instanti decreuit expresè, sicut quando prædestinauit illam efficaciter ad gloriam ante præuisionem quorumcumque meritorum eius in particulari, & voluit ei implicitè merita quibus peruenirent ad tantam gloriam.

Tertiò obijcies ex doctrina præcedentis articuli, sequi consanguinitatem illam, quam Patres veteris testamenti habuerunt cum Christo, esse illis maiori laudi & honori, cùm illam suis meritis comparauerint, quàm maternitas Dei sit beatissimæ Virgini, cùm illam ex mera gratitudine Dei sine suis meritis acceperit; est enim nobilius aliquid consequi suo merito, quàm pura donatione concedentis. At hoc consequens est absurdum.

Respondetur, non semper cedere maiori laudi & honori aliquid obtinere suis potiùs meritis
III. quàm illud habere mera gratitudine, sed cæteris tantùm paribus: at quando omnia non sunt paria, vt in præsenti casu, quo Deus ex singulari quodam affectu erga beatissimam Virginem, præfert illam omnibus quibuscumque siue virginibus, siue mulieribus, nobilius est eligi in matrem Dei ex pura gratitudine, quàm promereri talem maternitatem: sic enim amor Dei videtur esse erga illam magis specialis, quàm erga cæteras quascumque puras creaturas, ratione cuius specialis amoris Deus rectè dicitur eam non tantùm elegisse, sed etiam præelegisse.

Quæres cùm beatissima Virgo sit suis meritis consecuta gradum illum sanctitatis, quo constituebatur digna quæ esset mater Dei, an possit rectè dici promeruisse hanc maternitatem quoad executionem: sicut prædestinati adulti dicuntur promereri gloriam & prædestinationem
IV. quoad executionem.

Respondetur, non posse loquendo propriè, quia tunc tantùm aliquid secundùm executionem spectatum dicitur cadere sub meritum, quãdo ea quæ tali merito acquiruntur habent vel ex se, vel ex relatione operantis tale meritum, aliquam connexionem cum eo: exempli causâ, quia actus supernaturales fidei, spei, contritionis sunt dispositiones ad gratiã habitualem, & actus meritorij eliciti ex gratia habituali, habent connexionem cum gloria æterna, (gratia quippe est semen vitæ æternæ) ideò prædestinati rectè possunt dici mereri suam prædestinationem & electionem ad gloriam quoad executionem: at gradus ille gratiæ & sanctitatis, quo beatissima Virgo est effecta digna quæ esset mater Dei, nul-
A lam habet ex se vel ex ratione beatissimæ Virginis, & diuinæ promissionis ei factæ habitudinem ad talem maternitatem, vt suprà ostendimus: ideóque non potest dici meruisse executionem maternitatis, sed solummodò prædictum illum gradum sanctitatis, quo etiam sensu aliqui Patrum sunt intelligendi, quando loquuntur de hoc merito beatissimæ Virginis. V.

ARTICVLVS V.

Vtrùm beatissima Virgo potuerit promereri maternitatem.

SIT hæc nostra propositio. *Si Deus (vt absolutè potuit) aliam seruasset ordinè in prædestinanda & eligenda beatissima Virgine sciliret prædestinãdo illam ex præuisis tantùm bonis operibus, & statuisset quòd illa quæ talem & talem sanctitatem acquireret, esset mater Dei incarnandi: tunc beatissima*
B *Virgo si eadem habuisset merita quæ de facto habuit, potuisset mereri, imò meruisset etiam de condigno, vt Deus potiùs ex seipsa, quàm ex quauis alia Virgine vel mulliere nasceretur*: hæc propositio facilè admittetur, vt iacet, ab omnibus. VI.
Probatur: datâ tali hypothesi omnia ad tale meritum de condigno concurrissent, scilicet res nondum à Deo efficaciter definita, & decreta in particulari quoad hanc circunstantiam, promissio istius rei à Deo facta sub onere operis & talis gradus sanctitatis, item gratia singularis, & sanctitas eximia, in ipso promerenti. Tertiò, in opere condignitas: nam licèt bona opera facta ex sanctificante gratia non habeant intrinsecam condignitatem & habitudinem ad maternitatem Dei, attamen tunc haberent extrinsecam ex
C ordinatione beatissimæ Virginis referentis illa in hunc finem à Deo propositum, & etiam ex pacto Dei: cùm enim maternitas Dei non sit quædam dignitas simpliciter infinita, sicut est naturalis filiatio Dei per incarnationem, sed nudè & solitariè spectata minor quàm sit adoptiua filiatio Dei, vt docuimus suprà ad secundam quæstionem, & spectata moraliter, scilicet ratione habitudinis ad talem Filium Deum hominem, sit aliquid maius ipsa habituali gratia & eius actibus secundùm se spectatis, quemadmodum animaduertimus suprà: attamen hæc dignitas nõ est ita simpliciter infinita, vt singulares quidam actus eliciti ex singulari gratia (quales fuerũt actus meritorij beatissimæ Virginis) sufficientem proportionem non potuerint habere ad illam tanquam ad præmium, vbi prædicta promissio Dei & relatio merentis reperiuntur. VII.

D Neque sequitur ex his tunc beatissimam Virginem promereri de condigno subsantiam incarnationis, cùm maternitas, vt hìc spectatur, sit tantùm vna ex circunstantiis illius per accidens, quæ eam vt certò futuram ex Virgine supponit quidem, sed tamen duntaxat vagè & indeterminatè: vnde sola specialis determinatio ad hanc Virginem in particulari cadit hoc loco sub meritum, non autem ipsa Incarnatio, & hoc meritum Virginis fundaretur in iis meritis Christi Domini, quę aliquem intrinsecum ordinem non dicunt ad hanc numero matrem. VIII.

Neque his obstat, quòd Christus Dominus sit decretus & præuisus à Deo indiuiduus & maximè singularis homo: sicut enim sancti illi homines obtenti à Deo precibus suorum parentum priùs prædestinantur à Deo, quàm decer-

I. nantur nascituri ex talibus parentibus, cùm talis natiuitas sit aliquis effectus prædestinationis illorum; & nihilominùs prædestinantur indiuidui & singulares, quia prædestinatio est suppositi: ita etiam Christus Dominus potuit decerni & præuideri à Deo indiuiduus & singularis absque eo, quòd in eodem instanti rationis decerneretur, & præuideretur nasciturus ex tali matre in particulari; nam ipsi parentes sunt tantùm causæ quædam extrinsecæ, sine quibus effectus potest cognosci.

Et licèt hæc maternitas dicat submini-
strationem huius materiæ pro formando hoc corpore, similiter hunc concursum matris in illius efformatione, & sic de cæteris, quæ vera mater præstat in generatione prolis; quia tamen aliud est loqui *de indiuiduatione actionis, eiúsque identitate numerica*, & aliud *de indiuiduatione termini illius*; potéstque illa variari, hoc non variato, vt
II. patet in resurrectione, quâ iidem resurgemus, qui nati sumus ex parentibus, & Deus poterat facere vt hæc numero pars materiæ, ex qua corpus Christi Domini erat componendum, esset in beatissima Virgine, illam disponeret ad informationem & vnionem cum anima, simúlque vniret: ideò Deus semper potuit decernere Christum Dominum, indiuiduum & singularem, etiam vt generandum à matre, licèt quænam esset illa futura in particulari adhuc non definiuisset, nec definiret, sed in alio tantùm sequenti signo rationis, & ad summum potest inferri ibi illo signo rationis maternitatem Christi Domini non fuisse definitâ in particulari, sed tantùm vagè & indeterminatè; & si quæ alia à beatissima Virgine istud promeruisset, tunc aliam numero futuram maternitatem, sicut & fuissent aliæ actiones
III. numero vitales, quibus corpus fuisset formatum, organisatum, vnitum animæ, quod libenter admittimus, nec aliquo modo variat rationem indiuidui in Christo Domino, vt patet allato exemplo resurgentium, & in corpore Christi Domini, quod idem numero vi consecrationis ponitur sub speciebus panis à variis & variis Sacerdotibus celebrantibus sacrificium Missæ, quod conceptum, & natum est ex beatissima Virgine, & ab illa eadem in eius vtero vnitum animæ Christi Domini.

A tionem, aliam & distinctam ab ea quam habuit à gratia habituali. Duæ sunt hac de re sententia vna negans, quæ in re est Paludani lib. 3. sentent. dist. 3. quæst. 2. dum vult gratiam illam sanctificantem, quâ nos formaliter iustificamur, fuisse absolutè necessariam animæ Christi Domini vnitæ Verbo diuino, vt esset sancta & grata Deo, sanctitate & gratitudine supernaturali; talis enim necessitas arguit nullam sanctitatem ei aduenire ab ipsa eius vnione cum Verbo diuino. Melior tamen est cõmunis aliorum sententia, quam loco conclusionis ponimus, affirmans *animam Christi Domini vnitam hypostaticè Verbo, seclusâ omni aliâ gratiâ, tam actuali, quàm habituali, fuisse vi talis vnionis singulariter sanctam, gratam & acceptam Deo, sanctitate & gratitudine supernaturali*, quam ad distinctionem cuiuscumque gratiæ possumus rectè vocare *personalem*.

B Vt autem hæc propositio melius intelligatur & probetur, præmittendum est nos, quantum spectat ad præsentem difficultatem, posse distinguere *duplicem sanctitatem*, & gratitudinem; vnam *personalem*, alteram *formalem*: ea censetur esse *personalis*, quæ ipsi obiecto & subiecto inest, & conuenit ex præcisa ratione suæ personalitatis & subsistentiæ: sic Psalmo 15. corpus Christi in triduo mortis separatum ab anima, vocatur *sanctum*, scilicet vi vnionis hypostaticæ, quatenus tunc etiam manebat vnitum hypostaticè Verbo; sicque sanctificabatur, vt etiam S. Augustinus ad illum locum Psalmi, & S. Athanasius apud Theodoretum relatus à Genebrardo ad eundem locum Psalmi. Sanctitas autem *formalis* est, quâ obiectum amatum & gratum, est formaliter tale per aliquam formam sibi intrinsecè inhærentem, & quatenùs per istam formam,
C tanquam per quoddam principium sibi inexistens, redditur potens elicere actus supernaturales diuinæ dilectionis: hæc autem vtraque sanctitas primò conuenit in eo, quòd proueniat ab aliquo reali & physico, non tantùm moraliter, sed etiam realiter vnito ipsi obiecto, quod denominat sanctum & gratum Deo: prior quidem, quia est ab *ipsa personalitate Verbi* velut à forma, quæ personalitas est *vnita realiter*, tam corpori Christi, quàm eius animæ, & non solùm *per affectum*, seu amorem, vt volebat Nestorius: vnde rectè potest appellari *realis*, ad distinctionem illius sanctitatis, quâ locus aliquis dicitur *sanctus, propter habitudinem ad specialem præsentiam Dei*, quemadmodum Exodi 3. dicitur, *Locus in quo stas, terra sancta est*: nam inter eiusmodi locum & Deum, non est aliqua realis vnio, & propterea sanctitas illius est tantùm moralis: at inter per-
D sonalitatem Verbi & humanitatem est realis vnio. Posterior etiam sanctitas est realis, quia fit per gratiam iustificantem, quæ est vera, & realis qualitas inhærens animæ, quam formaliter sanctificat. Secundò, duæ istæ sanctitates conueniunt, quòd ipsum obiectum, quod denominant sanctum & gratum, eleuent ad aliquod esse diuinum & supernaturale; prior ad esse supernaturale Verbi, quatenus per illam homo est Deus, & naturalis Filius Dei: posterior ad esse diuinum per participationem modo superiùs explicato: ex quibus facilè intelligitur quæ sit inter illas sanctitates distinctio.

Iam hoc supposito probatur conclusio: Primò, ex sacris litteris, ex Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*. Quem

V. VI. VII. VIII.

AD QVÆSTIONEM VII.

DISPVTATIO PRIMA.

IV. *De sanctificatione humanitatis per ea, quæ ipsi Verbo diuino ei vnito competunt.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm humanitas Christi Domini vi solius vnionis hypostaticæ sit singulariter sancta.

VONIAM hypostatica vnio præsupponitur habituali gratiæ in Christo Domino, vt intelligi potest ex dictis, & ampliùs intelligetur ex dicendis: ideò priùs videndum est, an humanitas eius sit inde consequuta singularem aliquam sanctifica-

I. locum S. Paulus epistolâ ad Hebr. capite 1. intelligit de Christo, & hæc particula, *vnxit*, significat *sanctificationem*, quæ passim in sacris litteris explicatur nomine *vnctionis*, quia materialis vnctio in veteri lege assumebatur pro sanctificandis, & etiam deputandis tam hominibus, quàm aliis rebus ad specialè cultum Dei, vt Exodi 29. & 30. & alibi. Deinde nomine istius *vnctionis*, non intelligitur quælibet sanctificatio, sed ipsamet *vnio humanæ naturæ cum subsistentia Verbi*, quæ quia immediatè seipsâ sanctificat Christum, seu ipsam eius humanitatem, rectè vocatur vnctio, à qua Christus ipse suum nomen accepit: sic apertissimè S. Anselmus ad 1. caput epist. ad Hebr. post medium, vbi ita loquitur de hac vnctione Christi, *Ab eodem Spiritu vnctus est vbi conceptus, nec antè conceptus, & postmodum vnctus est, sed hoc ipsum de Spiritu sancto, & carne Virginis concipi, à Spiritu sancto vngi fuit.* Ab hac autem sanctificatione factum est, vt mysteriū Incarnationis vocetur etiam in sacris litteris, *vnctio*: Danielis 9. vbi est sermo de aduentu Christi, ait S. Gabriel Danieli, *Vngatur Sanctus Sanctorum*: id est concipiatur Christus, Verbum diuinum vniatur hypostaricè humanitati. Item vocatur *sanctificatio*, vt Ioan. 1. vbi Christus ita de seipso loquitur, *Quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemo, quia Filius Dei sum.* Quo loco istud, *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum*, idem est ac Christum fecit, & cui per vnionem hypostaticam contulit sanctitatem, vt S. Hilarius libro 7 de Trinitate paulò post medium, Athanasius libro de incarnat. Christi: S. Chrysostomus homliâ 6. in S. Ioannem explicant.

II. P

III. C

Confirmatur hæc expositio, ex eo quòd Christus ibi vult probare se verè & propriè esse Filium naturalem Dei, ratione huius sanctitatis, quem admodum patet ex ipso textu Euangelij: ergo vt ex hac sanctitate id probet efficaciter, hæc sanctificatio debet eo loci accipi pro ipsa coniunctione, seu vnitione Verbi ad humanitatem, seu pro conceptione Christi Dei-hominis, quæ conceptio & vnctio vocatur hoc nomine, *sanctificatio*, quia hæc vnio hypostatica sumpta præcisè, sanctificat & gratum reddit Deo ipsum Christum, & eius humanitatem.

Probatur secundò ex Patribus, vt S. Athanasio oratione contra Arianos: S. Gregorio Nazianzeno oratione 4. de Theologia: S. Damasceno libro tertio, de fide cap. 12. Item ex Patribus 6. Synodi generalis actione 17. qui omnes dicunt animam Christi, & eius voluntatem fuisse sanctificatam, seu, vt illi loquuntur, *deificatam ipsâ vnione*. Neque authoritates istæ possunt explicari in sensu *tantùm causali, & dispositiuo*, quòd scilicet vnio hypostatica fuerit causa aliqua moralis, ob quam Deus vel dederit, vel voluerit infundere habitualem gratiam animæ Christi: nam sensus iste non respondet modo loquendi sacræ Scripturæ & Patrum locis nunc citatis; ille enim importat aliquid longè amplius, scilicet *sensum formalem*, vt patet ex loco Psalmi 44. iuxta expositionem allatam ex S. Anselmo, cuius hæc postrema verba, *Hoc ipsum de Spiritu sancto, & carne Virginis concipi, à Spiritu sancto vngi fuit*, satis declarant sensum formalem: item & illud Ioan. 10. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum*: nam significat sanctificationem Christi, & eius missionem in mundum, idem sonare; & proinde sicut missio Verbi in mundum est ipsa eius

IV. D

A incarnatio, ita & sanctificatio Christi.

V. Tandem probatur ratione: Prima, vnumquodque ens substantiale intellectuale est ex vi huius sanctum supernaturali sanctitate, & Deo gratum supernaturali gratitudine, ex vi cuius præcisè sumpti habet ius ad vitam æternam: atqui Christus est ens substantiale intellectuale, cuius humanitas ex vi vnionis hypostaticæ præcisè sumptæ, habet ius ad vitam æternam: ergo Christus ipse, seu etiam ipsa eius humanitas est sancta sanctitate supernaturali, & Deo grata gratitudine supernaturali ex vi ipsius vnionis hypostaticæ præcisè sumptæ. Maior probatur, sumpto argumento à gratia habituali, quæ quia dat iustis hominibus ius ad vitam æternam, facit illos sanctos sanctitate supernaturali, & gratos Deo supernaturali gratitudine. Minor quoad primam partem patet ex se; quoad posteriorē probatur. Christus, seu etiam ipsa eius humanitas habet ius ad vitam æternam præcisè ex vi istius, ex cuius vi Christus præcisè habet vt sit Filius naturalis Dei; nam vita æterna est hæreditas, & ius hæreditatis adeundæ fundatur in filiatione, iuxta illud Apostoli ad Galat. 4 *Quod si filius & hæres per Deum*: atqui Christus præcisè habet ab vnione hypostatica vt sit naturalis Filius Dei, vt ex professo infrà docebimus, agendo de filiatione Christi: igitur Christus, seu etiam humanitas Christi habet ius ad vitam æternam præcisè ab ipsa vnione hypostatica.

VI.

Secunda ratio: omne constitutum aliquo substantialiter & intrinsecè diuino, est obiectum sanctum sanctitate supernaturali, & gratum Deo gratitudine supernaturali: atqui Christus, vt Christus, constituitur intrinsecè & substantialiter ipso Verbo, quia *Christus dicit constitutum ex subsistentia Verbi & humanitate*: Verbum autem est intrinsecè & substantialiter diuinum: igitur Christus est præcisè sanctus supernaturali sanctitate, & Deo gratus supernaturali gratitudine, vt Christus est, quo tamen modo præscindit ab omni alia gratia, distincta à gratia vnionis hypostaticæ.

VII.

Vltima ratio; inde anima Christi habet vt sit sancta supernaturali sanctitate, & simili gratitudine grata Deo, vnde habet vt ei repugnet peccare, & vnde etiam habet vt non possit eleuari ad aliquod esse altius, quia sanctitas consistit in remotione ab omni peccato, & in eleuatione ad aliquod esse diuinum: nam Leuitici 11. sic Deus loquitur, *Ego sum Dominus Deus vester, sancti estote, quia ego sanctus sum*: atqui anima Christi habet vt ei repugnet peccare præcisè ex eo quòd est vnita hypostaticè Verbo, vt infrà ostendetur, agendo de impeccabilitate illius: item habet ab eadem vnione hypostatica, vt non possit euchi altiùs, vt docet S. Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum capite 15. igitur anima Christi habet præcisè ab vnione hypostatica quòd sit sancta supernaturali sanctitate, & simili gratitudine Deo acceptissima.

VIII.

Articvlvs II.

Soluuntur fundamenta negantis sententiæ.

PRIMVM fundamentum est: reddere hominem Deo gratum gratitudine supernaturali, & sanctum sanctitate supernaturali, est formalis effectus gratiæ creatæ sanctificantis: ergo sine tali gratia anima Christi non potest esse positiuè

I. sancta sanctitate, & beatitudine supernaturali. Consequentia est per se euidens : Antecedens patet ex eo quòd hic effectus communiter assignetur gratiæ iustificanti à Theologis primâ secundæ ; & confirmatur ex S. Thoma hic articulo 1. in solutione ad primum, vbi ex eo quòd anima Christi, etiam vt vnita Verbo non est diuina per essentiam, seu suam entitatem, colligit oportere illam fieri diuinam per participationem, quòd fit formaliter per gratiam sanctificantem, & proinde oportuisse gratiam hanc poni ad hunc effectum in anima Christi; quæ consequentia S. Thomæ nulla esset, si *esse sanctum, & Deo gratum supernaturali gratitudine*, posset aduenire animæ Christi sic vnitæ ab aliqua forma distincta à gratia iustificante.

Respondetur, reddere obiectum sanctum *sanctitate* tantùm *formali* superiùs explicatâ, esse proprium & formalem effectum habitualis gratiæ, non autem reddere illud sanctum *sanctitate personali*, quâ ratione hypostatica vnio reddit Christum sanctum & gratum Deo; & Scholastici dum tribuunt pro formali effectu gratiæ sanctificantis, reddere subiectum sanctum & gratum sanctitate & gratitudine supernaturali, loquuntur tantùm de illa sanctitate, quâ obiectum reddatur particeps diuinæ naturæ, quatenùs sit potens elicere connaturaliter actus supernaturales dilectionis, quæ est formalis tantùm sanctitas, præterquam datur & personalis.

Ad confirmationem petitam ex S. Thoma respondetur, eum ibi solummodò negare animam Christi esse formaliter sanctam *sanctitate essentiali*, sicut est natura diuina, & proinde quemadmodum anima rationalis Christi est quædam participatio Dei, ita oportet illam fieri sanctam per participationem : at sanctitas hæc per participationem respondens animæ rationali est præcisè *formalis*, & per gratiam habitualem : vnde rectè S. Thomas ait, ad hunc effectum oportere animam fieri sanctam per gratiam habitualem : at in Verbo, vt includente diuinam essentiam, & propriam personalitatem, sicut distinguimus essentiam ab eius hypostasi, & vtrumque est diuinum, ita etiam præter personalem sanctitatem in nostro notabili explicatam, possumus & aliam distinguere *essentialem* correspondentem naturæ diuinæ, quam S. Thomas eo loci negat conuenire formaliter animæ rationali Christi, non autem agit ibi de ea sanctitate, quam personalem vocamus.

Secundum fundamentum est. Quod necessariò, & ex vi alicuius ponitur, debet semper poni eo posito : atqui per absolutam potentiam Dei IV. vnio hypostatica Verbi ad aliquâ naturam creatam, tam rationalem, quàm irrationalem potest poni, itavt sanctitas & gratitudo supernaturalis non sequatur in tali natura. In rationali quidem : primò, quia assumptio naturæ rationalis ad vnitatem suppositi diuini est Deo libera, cùm sit opus ad extra : at eorum quæ sunt ad extra, nihil potest esse ipsi Deo prima ratio diligendi necessariò aliquam creaturam, & eam ordinandi ad bonum supernaturale. Deinde quia simpliciter & absolutè loquendo, liberum est Deo assumere naturam rationalem in puris suis naturalibus : ergo cùm pura naturalia præcisè sumpta excludant quamcunque sanctitatem & gratitudinem supernaturalem, natura creata vnita hypostaticè Verbo (cuiusmodi est anima rationalis) non est præcisè ex vi talis vnionis sancta & grata Deo sanctitate & gratitudine supernaturali. De natura creata irrationali vnita hypostaticè Verbo idem patet, quia hæc est incapax sanctitatis & gratitudinis supernaturalis, nam hæc soli naturæ rationali possunt conuenire : ergo sanctitas & gratitudo supernaturalis non sequuntur necessariò ad vnionem hypostaticam. V.

Confirmatur. Sanctificatio & gratitudo supernaturalis importat aliquid factum & productum in natura quæ sanctificatur, quo sibi inexistente, de non sancta & grata fit formaliter sancta & grata sanctitate & gratitudine supernaturali, vt patet in nostra iustificatione, quæ fit per infusionem gratiæ habitualis : atqui vi vnionis hypostaticæ Verbi cum humanitate, quatenùs formaliter est vnio, seu vt differt ab vnitione, nihil producitur in anima Christi, vel alia parte humanitatis eius : *Vnio* enim *hypostatica*, sumpta formaliter, *dicit tantùm nudam terminationem humanitatis in ratione subsistendi* : igitur anima Christi II. B VI. Domini non est formaliter sancta & grata Deo aliquâ sanctitate & gratitudine supernaturali, vi solius vnionis hypostaticæ : igitur vt illa sit hoc modo sancta & grata Deo, postulat necessariò gratiam sanctificantem.

Respondetur, negando Minorem, ad cuius probationem respondetur esse quidem liberum Deo assumere aliquam naturâ creatam, vel non assumere : at si quam assumat, esse necessarium ex hypothesi vt talis natura sanctificetur sanctitate diuinæ subsistentiæ, quia hæc importatur in tali vnione ; necessitas autem ex hypothesi non aduersatur diuinæ libertati, sicut nec nostræ, quemadmodum docent omnes Philosophi & Theologi.

Cæterùm, stando Scholastici dicunt Verbum, aut aliam ex personis diuinis potuisse assumere aliquam naturam creatam in puris naturalibus, id tantùm intelligunt de donis illis gratuitis supernaturalibus, quæ inhærent ipsi naturæ, vel quæ præscindunt ab vnione hypostatica, cuiusmodi non est hæc sanctitas personalis, quæ reperitur in Christo. III. C VII.

Ad confirmationem primò respondetur, Maiorem eius, de potentia etiam absoluta Dei intellectam, esse falsam, vt habet communior sententia Theologorum primâ secundæ, agendo de formali causâ iustificationis. Deinde respondetur, Maiorem illam ad summum esse tantùm veram de *formali sanctitate*, propriè sumpta, & non *de personali*, de qua tamen nostra propositio tantùm procedit : cuius disparitatis hæc est ratio, quòd personalis sanctitas sequitur conditionem personalitatis, sicut formalis conditionem formæ propriè dictæ : at non est de ratione personalitatis, quatenùs præcisè est personalitas, vt per sui inhæsionem in natura illam personet, seu faciat subsistere, sed solùm vt illam vltimò terminet, quemadmodum suprà docuimus quæstione secundâ, disputatione secundâ, articulo sexto & sequentibus : & ipsum *esse vnitum* in verbo terminante humanitatem esse quid intrinsecum humanitati, & non nudam quandam denominationem extrinsecam, docuimus expresè eadem quæstione, disputatione sextâ, articulo tertio : sicque ad hoc vt personalis dignitas sanctificet naturam, non est necesse quòd ex vi talis sanctificationis sumptæ præcisè, aliquid producatur in natura, sed sufficit vt personalitas illam terminet : quod hîc habet locum. VIII.

I.

Articvlvs III.

Quædam monita præmittuntur ad proximum articulum, & status difficultatis aperitur.

IN PRIMIS est notandum, in Verbo incarnato hæc posse distingui: Primum est *diuinitas*, seu *essentia diuina*: Secundum est *propria subsistentia*, seu *personalitas Verbi*, vt condistincta virtualiter ab essentia diuina: Tertium est *modus substantialis*, qui producitur in humanitate per eius vnitionem ad Verbum: Quartum est *actualis terminatio humanitatis per subsistentiam Verbi diuini*. Secundò notandum est, sanctitatem increatam sic à S. Dionysio libro de diuinis nominibus cap. 12. definiri, *Sanctitas est ab omni scelere libera, perfectaque, ac omni ex parte incontaminata puritas.* Tertiò notandum est, tres posse concipi sanctitates in Verbo incarnato: Prima, quæ sit propria ipsi diuinæ eius essentiæ, quatenùs diuina essentia condistinguitur à suis attributis, & vocatur *essentialis*: item etiam *radicalis*, quia essentia cui competit est radix attributorum, & eorum quæ illis competunt. Secunda potest appellari *moralis*, item *formalis*, & nihil aliud est, quàm ipsamet diuinæ voluntatis rectitudo in ipso Deo tam in amando, quàm in liberè operando ad extra: nam conformatio affectus cum lege æterna est vera sanctitas; hinc enim omnia Dei opera dicuntur in sacris litteris *iusta & sancta*: hæc autem sanctitas appellatur *moralis*, non quòd non sit realiter in Deo, est enim aliquod eius attributum, sed quòd attendatur penes actus ipsius voluntatis diuinæ, qui respectu obiectorum ad extra sunt planè liberi. Tertia sanctitas potest appellari *transcendentalis*, quâ quicquid ex particulari sua ratione est propriè & formaliter diuinum, est etiam sanctum; nam esse propriè & formaliter diuinum, infert esse propriè & formaliter sanctum, cùm esse formaliter diuinum sit etiam esse maximè purum, omni modo incontaminatum, & immune ab omni scelere & inquinamento: hæc autem sanctitas ad distinctionem duarum aliarum vocatur *transcendentalis*, quia sicut *res* est aliquod transcendens in diuinis, & dicitur de omnibus entitatibus quæ sunt in Deo, sic etiam & hæc sanctitas, quia sequitur eiusmodi realitatem diuinam quæ est in Deo, dicitur *transcendentalis*, & sicut talis distincta realitas in Deo *est personalis*, ita etiam & hæc sanctitas, quæ propterea alio nomine potest appellari *personalis*, ad distinctionem aliarum: an autem detur de facto, patebit inferiùs.

II.

III.

IV.

His ita prænotatis, sensus præsentis articuli est, quidnam ex numeratis sit forma sanctificans humanitatem Christi sanctitate hîc propositâ. Facilè omnes conueniunt de duobus posterioribus, scilicet de modo illo substantiali, & de vnione hypostatica, prout sonat vnitionem humanitatis ad Verbum, neutrum illorum esse talem formam: Primò, quia hoc vtrumque est aliquid creatum, vt intelligitur ex dictis suprà de illis: at sancti Patres dum loquuntur de forma huius sanctificationis, volunt illam esse aliquid increatum, & entitatiuè diuinum, vt patet ex eo quòd dicunt humanitatem Christi fuisse *deificatam, diuinitate delibutam*, & aliis similibus loquendi formulis vtuntur.

A

B

C

D

Secundò, quia hæc duo sic sese habent ad hanc sanctificationem, quomodo actualis gratiæ productio, seu infusio, & inhærentia eius sese habent in iustificatione hominum per gratiam habitualem: est enim ipsa infusio, seu productio gratiæ habitualis, actio tantùm, eius autem inhærentia, modus illam cõnectens cum suo subiecto, & formalis huius vnitionis terminus; sed neutrũ istorum est forma huius sanctificationis iustorum, seu id quod formaliter sanctificat hominem, sed est ipsa habitualis gratia: & illa duo prædicta sunt tantùm *id quò*, seu via ad hanc iustificationem per sanctitatem: ergo pari iure nec ipsa vnio hypostatica, seu vnitio humanitatis ad Verbum, nec modus per istam vnionem productus erunt propriè loquendo forma sanctificans humanitatem Christi, seu non erunt *id quod* illam formaliter sanctificat *vt quod*, sed tantùm, *vt via*, ad talem sanctitatem, seu quòd illam *vt quò*, tantùm sanctificant.

V.

VI.

Tandem hæc sanctitas humanitatis Christi Domini, cuius causam hîc inquirimus, est infinita in genere sanctitatis, prout secundùm se, & solitariè consideratur, vt intelligitur ex Patribus citandis, & ex dictis de infinito valore meritorum Christi Domini: at prædictus ille modus substantialis & prædicta terminatio sunt aliquid finitum, cùm sint aliquid creatum: igitur neutrum istorum potest esse, loquendo propriè, forma hoc speciali modo sanctificans humanitatem Christi Domini.

Neque hîc obstat, quòd vnio hypostatica sumpta hoc vtroque modo sit aliquid dignius ipsâ habituali gratiâ, vt intelligitur ex dictis suprà ad quæstionem 2. nam formalis ratio formæ sanctificantis postulat, vt sit vel *entitatiuè diuina*, vel *imitatiuè*, id est, vt ipsâ sui communicatione det ipsi suo subiecto imitari Deum in supernaturali cognitione & amore; sic enim redditur consors & particeps naturæ diuinæ, & ex cõsequenti sanctum: at vnio hypostatica secundùm neutrum istorum est aliquo ex his duobus modis diuina; contrà verò, gratia habitualis est imitatiuè diuina, vt docent Theologi primâ secundæ, quando explicant quâ ratione sit specialis quædam participatio naturæ diuinæ.

VII.

Quod ergo hîc controuertitur inter Theologos est, an sola diuina essentia, vt condistincta virtualiter ab omnibus suis attributis, sit forma sanctificans humanitatem Christi: an verò præter diuinam essentiam, ipsum etiam attributum sanctitatis illam sanctificet: an denique & ipsa diuini Verbi personalitas.

Articvlvs IV.

VIII.

Vtrùm personalitas Verbi diuini, vt condistincta virtualiter ab essentia diuina, sanctificet humanitatem Christi Domini.

DVÆ sunt hac de re sententiæ: vna negans, quam tradunt & sequuntur Vasquesius hic disputatione quadragesimâ primâ, capite primo: Turrianus tractatu de gratia, disputatione primâ de natura gratiæ habitualis, dubio sexto & septimo: item in selectis disputat. parte primâ, disputatione quartâ, dubio tertio & quarto, & aliquot alij recentiores. Melior tamen est affirmans sententia, quam loco nostræ propositio-

I. nis ponimus, & sequuntur ex discipulis sancti Thomæ Nazarius hac quæstione, articulo primo, controuersiâ secundâ, conclusione quartâ: Item Vincentius relectione de gratia Christi, quæstione primâ, vbi agens de gratia vnionis, sanctitatem ex vi illius concessam humanitati vocat *personalem*, & docet illam esse præcisè à personalitate Verbi, vt illi vniti. Ex discipulis Scoti de Rada controuersiâ quartâ, articulo vltimo, in solutione argumentorum, in responsione ad primum, vbi distinguens sanctificationem humanitatis per gratiam vnionis ab eius sanctificatione per gratiam habitualem, ait: Verbum *seipso*, & quasi formaliter tribuisse priorem humanitati, omni informatione semotâ: *Tota enim*, inquit, *hæc humanitatis sanctitas est ipsum Verbum personaliter ei vnitum.* Est etiam Petri Lorcæ hac parte, disputatione trigesimâ-sextâ, Tanneti hac eadem parte, disputatione primâ, II. quæstione quintâ, dubio primo, numero decimo-quarto: de Lugo hîc disputatione decimaseptimâ, sectione secundâ, conclusione secundâ.

Probatur primùm ex modo loquendi Patrum articulo præcedenti relatorum, quando dicunt hæc, *Christum vngi de Spiritu sancto, & ipsum concipi de Spiritu sancto ex carne Virginis*, esse vnum & idem: sic enim hæc *vnctio*, hæc *sanctificatio*, est ipsamet incarnatio Verbi diuini, nomine *vnctionis*, & *sanctificationis* explicata, ob singularem sanctitatem, quam persona Verbi confert humanitati illam assumendo. Quare quemadmodum hæc vnio non est immediatè facta in natura diuina, sed tantùm in hypostasi, seu personalitate Verbi diuini; ita etiam hæc singularis sanctitas humanitatis prouenit immediatè à sola III. personalitate Verbi, vt vnita humanitati, & ipsa eius vnio est ei via & ratio, vt illam sanctificet. Ex quibus hæc ratio formatur pro nostra propositione. Humanitas Christi Domini per id immediatè sanctificatur personali sanctitate, in quo illius vnio ad Verbum est immediatè facta, vt significant testimonia Patrum nunc allata: atqui vnio humanitatis ad Verbum diuinum est immediatè facta in personalitate Verbi diuini, vt conditincta virtualiter à natura diuina, quemadmodum fusè docuimus suprà quæst. 1. & 2. igitur humanitas Christi Domini est formaliter, præcisè & immediatè sanctificata per ipsam personalitatem Verbi diuini, vt virtualiter conditinctum à natura diuina.

Secundò, illud immediatè sanctificat humanitatem Christi Domini, quod ipsâ sui communicatione sic eam eleuat ad esse diuinum, vt sit ei IV. positiuè prima radix fundans in ea ius aliquod beatitudinis supernaturalis obtinendæ (sic enim gratia habitualis, quia in nobis, & in Angelis est positiuè prima radix vitæ æternæ obtinendæ; lumen verò gloriæ minimè, sed illam supponit, nos & Angelos sanctificat) atqui personalitas Verbi, vt conditincta virtualiter à diuina essentia, ita est immediatè vnita humanitati, vt vi ipsius immediatæ vnionis sit ei positiuè prima radix fundans in ea ius aliquod obtinendæ beatitudinis supernaturalis: hæc enim, vt infrà docebitur, fuit ei debita positiuè ex vi vnionis istius: & si per impossibile personalitas Verbi diuini esset distincta realiter ab essentia diuina; & nihilominùs facta fuisset vnio humanitatis ad Verbum, absque vlla vnione mediata ad essentiam, tunc humanitas vi talis vnionis eleuata ad A tale diuinum esse, quo altiùs non potest euehi? haberet aliquod ius ad vitam æternam, vt ostendetur inferiùs: ergo personalitas Verbi, vt conditincta realiter ab essentia diuina, est quasi forma sanctificans immediatè & seipsa formaliter humanitatem Christi Domini. V.

Tertiò, quidquid intrinsecè & formaliter est diuina entitas, illud ipsâ sui communicatione sanctificat immediatè subiectum, cui communicatur sanctificatione tali subiecto congruâ, & eius statui proportionata: sed personalitas Verbi diuini conditincta virtualiter ab essentia est intrinsecè & formaliter diuina quædam entitas, & communicatur humanitati assumptæ, vt est relatiua, quia personalitas Verbi, quatenùs relatiua, facit illam subsistere, vt ostendimus suprà, & humanitas est idonea, & capax sanctitatis illam ordinantis ad vitam supernaturalem: B igitur personalitas Verbi diuini est forma, seu VI. quasi forma sanctificans seipsâ formaliter immediatè humanitatem Christi Domini. Maior patet, quia talis sanctificatio est aliquis effectus formalis, aut quasi formalis talis entitatis, & proinde inseparabilis à reali actuali communicatione talis entitatis. Minor verò probatur, & primò, quòd personalitas Verbi sit intrinsecè & formaliter entitas realis, ipsa fides docet, quæ admittit tres reales personas in diuinis; nam formale constitutum entis realis, quoad specialem rationem entis realis, debet esse reale: at Verbum diuinum est vera & realis persona in diuinis, cuius reale constitutum est propria eius personalitas: ergo hæc debet esse entitas aliqua intrinsecè & formaliter realis. Quòd autem hæc eius entitas sit intrinsecè & formaliter diuina, probatur. Relatio propriè dicta est C intrinsecè & formaliter talis, qualis est eius or- VII. do actualis ad proprium suum terminum, & ad id quod ex speciali sua ratione essentiali postulat, quia talis ordo & respectus est ipsamet propria, & specialis natura, & essentia relationis, seu entis relatiui, vt formaliter relatiui, cuius ipsum formale esse, est *respicere*: sed ille specialis ordo actualis, quem personalitas Filij diuini dicit, quæ formaliter est relatio, est actualis respectus ad Patrem, vt ex propria & essentiali sua ratione postulans identificari cum diuina essentia, quemadmodum docetur primâ parte, agendo de relationibus & personalitatibus diuinis: igitur personalitas Verbi diuini est intrinsecè & formaliter diuina quædam entitas, & per consequens sumpta præcisè, sufficiens ad sanctificandum omne subiectum, cui realiter vnitur: ergo cùm de facto IV. D sit immediatè vnita humanitati Christi Domini, eam immediatè, formaliter & seipsâ sanctificat eâ sanctitate, quâ formaliter est Deo grata in ordine ad supernaturalem amicitiam, & beatitudinem æternam. VIII.

Quartò: illud præcisè & formaliter sumptum est sanctum, quod vt sic adoratur absolutâ adoratione latriæ, quia tunc adoratur tantùm propter diuinam suam excellentiam, & non propter aliquid aliud sibi annexum: atqui ipsa personalitas Verbi diuini, vt virtualiter conditincta à diuina essentia, adoratur absolutâ adoratione latriæ, vt intelligitur ex ipsa Præfatione Missæ de Sanctissima Trinitate, in qua vniuersalis Ecclesia tribuit adorationem latriæ ipsis personalitatibus, seu proprietatibus personalibus, vt ab essentia diuina conditinctis,

I. dum sic canit, *Vt in confessione vere sempiterneque deitatis, & in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur aqualitas.* Ergo & ipsa personalitas Verbi diuini, quæ est personalis quædam proprietas, vt virtualiter distincta ab essentia diuina, est formaliter & intrinsecè sancta: ergo cùm in ipsa sui vnione ad humanitatem habeat se ad instar formæ cuiusdam faciendo illam subsistere, simul etiam seipsâ, velut aliquâ formâ, eam formaliter & intrinsecè sanctificabit.

Tandem probatur, discurrendo per singulas acceptiones huius termini, *sanctitas*, nam quomodocunque explicetur, potest dici de vnaquaque personalitate diuina: si enim sumatur, vt idem sonat quod Græcè ἅγιος, quasi ἀνευ γῆς, id est sine terra; iuxta quem modum, vt obseruat sanctus Thomas secundâ secundæ, quæstione octogesima-primâ, articulo octauo, signi-
II. ficat munditiam, puritatem, & separationem B
ab omni immunditia: rectè de illis dicitur; nam singulæ sunt sine vlla macula, quantumuis minima, & ipse Christus Sapientiæ septimo capite vocatur, *Candor lucis æternæ, Speculum sine macula*, & ab Apostolo ad Hebræos capite primo, *Splendor gloriæ Patris.* Si etiam hæc particula, *sanctitas*, sumatur pro *perfecto, delectabili, & congruo obiecto ad diligendum supernaturaliter.* Idem patet capite decimo-septimo sancti Matthæi, vbi Deus Pater dicit de Christo, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*: Quod quidem non dicit ratione solius essentiæ diuinæ, & per generationem communicatæ, sed etiam ratione personalitatis, vt indicat terminus iste, *Filius*, &
III. hæc particula, *in quo*: tum etiam quia ipsa C
Verbi diuini personalitas, sicut & ipsa personalitas Patris & Spiritus S. ingreditur ἀdæquatum obiectum dilectionis, quæ est in Deo Patre, sicut & adæquatum obiectum eius cognitionis beatificæ. Similiter si terminus iste, *sanctus*, sumatur pro *firmo*, & *sanctitas* pro *firmitate*, personalitas Verbi præcisè sumpta est formaliter sancta: nam firmitas tali significatione importata intelligitur ea esse, ratione cuius id quod denominatur sanctum non debet violari, quemadmodum sanctus Thomas explicat loco citato: *Ea enim*, inquit, *antiquis dicebantur esse sancta, quæ legibus ita erant munita, vt non deberent violari.* At eo ipso quo diuinæ personalitates, testimonio Ecclesiæ superiùs relato, sunt adorandæ cultu absolutæ latriæ, illas violare prohibemur. Ergo quouis modo & sensu sumatur *sanctitas*, item & *sanctus*, ipsa perso-
IV. nalitas Verbi diuini, vt condistincta virtualiter D
ab essentia diuina, formaliter & intrinsecè est sancta, & ex consequenti ipsa sui vnione, instar alicuius formæ, ad humanitatem, sanctificabit illam seipsâ formaliter.

ARTICVLVS V.

Soluuntur fundamenta negantis sententia.

PRIMVM est, quòd Sancti Patres dum loquuntur de hac sanctificatione, faciant mentionem solius diuinitatis, tali nomine ipsam Dei essentiam præcisè sumptam solummodò intelligentes; dicunt enim *humanitatem deificari*, quod non potest intelligi, nisi de deitate, seu diuinitate: sic sanctus Gregorius Nazianzenus oratione decima-quintâ, numero decimo-octauo, & oratione quartâ de Theologia, quæ est ordine trigesima-sexta, numero quadragesimo-sexto. Item, quòd explicent istud exemplo *carbonis igniti*, similiter & *ferri*, quorum vtrumque ignescit ipsâ ignis substantiâ: sic sanctus Cyrillus libro primo in Isaiam, oratione quartâ in hæc verba capitis sexti, *Et missus est ad me vnus ex Seraphim*: & in Scholis de Incarnatione vnigeniti capite octauo. Item quòd alij dicant, *Christum esse naturâ sanctum, essentialiter sanctum*: quod quidem non potest intelligi, nisi ratione diuinitatis, quæ est in illo, & mediatè vnita humanitati: sic Idelphonsus libro de parturitione, & purificatione beatæ Mariæ tomo nono Bibliothecæ: sanctus Basilius in Psalmum quadragesimum-quartum, ad illud Psalmistæ, *vnxit te Deus*: sic Patres Con-
V. cilij Frankfordiensis in epistola ad Episcopos VI.
Hispaniæ.

Respondetur, Patres ibi citatos, & alios loquentes similiter, loqui tantùm ad mentem primæ nostræ propositionis, sequenti articulo, vt illam explicando ibi obseruabimus, nec vlla in illis extat particula, quâ excludant personalitatem Verbi diuini ab ipsa collatione sanctitatis humanitatis Christi Domini, vt facilè potest intelligi ex diligenti lectione illorum: imò dum dicunt *eundem esse qui vngit, & vngitur*, satis insinuant ipsam personalitatem Verbi diuini, vt hanc humanitatem assumentis, esse aliquam causam huius vnctionis spiritalis, seu sanctificationis humanitatis: tunc enim sic loquendo faciunt mentionem solius Verbi incarnati, cui speciatim sanctificationem humanitatis tribuunt: & eo ipso quo vnionem hy-
VII. postaticam, quæ immediatè facta tantùm est in personalitate Verbi, vocant *vnctionem*, satis exprimunt ab hac etiam personalitate humanitatem illam sanctificari.

Deinde ad illam loquendi formulam ibi relatam, quâ sancti Patres dicunt, *Christum esse naturâ sanctum, essentialiter sanctum*, respondetur. Vt aliquid sit naturâ & essentialiter sanctum propriè & formaliter, satis est quòd vnum vel plura eorum, ex quibus in ratione talis entis essentialiter constat, sanctificet illud; sic enim homo est naturâ suâ, & essentialiter rationalis, quia vnum ex quibus essentialiter constat, est ipsum rationale: at Christus est aliquod compositum, constans essentialiter duabus naturis, diuina & humana, vnitis in simplicissima personalitate Verbi; est enim, vt sic, aliquid subsistens in duabus naturis, diuina &
VIII. humana, quemadmodum docuimus secundâ D
quæstione: & si nullam sanctitatem acciperet ab essentia diuina, semper tamen rectè diceretur *sanctum naturâ, & essentialiter*, sumendo nomen hoc, *natura*, pro aliquo sibi intrinseco & essentiali, quatenùs ipsi Christo, vt toti composito, ipsa etiam personalitas Verbi diuini est essentialis & intrinseca, quæ eius humanitatem sanctificat.

Secundum fundamentum. Illud solùm est forma sanctificans, quod est radix æternæ beatitudinis, visionis beatificæ, & impeccabilitatis in subiectis, quia non quælibet perfectio est sanctitas, sed ea tantùm quæ perficit subiectum in ordine ad beatitudinem supernaturalem per modum primæ radicis, quatenùs est ei causa cur natura diuina ei communicetur,

I. & sit consors illius: atqui sola diuina essentia, vt virtualiter condistincta à personalitatibus, est prima radix æternæ beatitudinis, & visionis beatificæ, quia Deus est beatus per essentiam, vt omnes Theologi admittunt: igitur sola diuina essentia est forma sanctificans humanitatem Christi Domini.

Respondetur, aliquid posse duobus modis intelligi esse *primam radicem beatitudinis æternæ*. Primo, *absolutè & simpliciter*. Secundo, *comparatione determinati alicuius subiecti*: Diuinam autem essentiam ratione sanctitatis suæ radicalis, & essentialis esse primo modo primam radicem beatitudinis æternæ, sed hanc conditionem primæ radicis non requiri in eo omni quod sanctificat subiectum aliquod etiam in ordine ad vitam æternam patet in nostra habituali gratia; quare cùm sanctitas personalis nihilominùs det humanitati Christi Domini ius

II. aliquod, saltem maximæ congruitatis & decentiæ ad vitam, seu æternam beatitudinem, erit ei etiam prima & immediatior radix & sanctitas ei adueniens ex vnione mediata diuinæ essentiæ, erit etiam radix, sed remotior; & hæc vtraque moralis tantùm, non physica; quippe cùm ius istud non fundetur in aliquo reali per istas sanctificationes effectiuè producto in humanitate, quod habeat ordinem intrinsecum ad visionem beatificam, sed in quadam congruitate & decentia, vt intelligetur ex iis quæ infrà dicemus de iure, quo anima Christi habuit visionem beatificam.

Tertium. Sanctum idem est ac ratum, firmum, stabile; sed firmitas in diuinis est ab essentia, & non à subsistentia, seu personalitate: ergo & ipsa sanctitas est ab essentia: ergo

III. cùm in Christo Domino sit essentia diuina & personalitas, sola essentia diuina erit forma sanctificans eius humanitatem.

Respondetur, ex vltima nostra ratione intelligi quamlibet personalitatem diuinam esse sanctam, sumpto nomine sanctitatis pro *firmitate*. Ad id autem quod hìc affertur in contrarium, respondetur, quamlibet naturam subsistentialem habere aliquam firmitatem à sua subsistentia, cùm per illam reddatur incommunicabilis, subsistens per se, nulli alteri innitens, & ex consequenti firma: sed natura diuina est subsistentia verè & propriè dicta, tribus relatiuis personalitatibus subsistens: ergo sicut ab illis accipit quòd per se subsistat, accipit etiam quòd sensu nunc exposito sit firma.

IV. Quartum. Si personalitas Verbi esset aliqua forma sanctificans, quemadmodum ex eo quòd datur relatiua subsistentia in Verbo, rectè intelligimus diuinum Verbum dare diuinæ essentiæ subsistere: sic etiam possemus intelligere illud idem Verbum dare sanctitatem diuinæ essentiæ, seu facere illam formaliter sanctam, cùm eam increatâ suâ subsistentiâ terminet formaliter. At nemo Theologorum dicet, essentiam diuinam esse formaliter sanctam sanctitate Verbi diuini, sed prædicato, vel attributo absoluto sanctitatis.

Respondetur, naturam diuinam adæquatè

A sumptam, provt includit tam essentiale quàm relatiuum quàm absolutum, posse dici sanctam, non tantùm essentiali sanctitate, sed etiam personali, sicut rectè dicitur existere tam tribus relatiuis existentiis, quàm vnâ absolutâ; & cùm diuina personalis sanctitas sit ipsamet diuina personalitas, quemadmodum eius terminatio est ei subsistentialis ratio faciendi illam subsistere, sic etiam actualis terminatio diuinæ naturæ potest dici subsistentialis ratio illam sanctificandi relatiuè & personali sanctitate, & sic rectè dici à sancto Damasceno trinè sanctificari. V.

Postremum fundamentum contrariæ sententiæ est. Si personalitas Verbi, vt virtualiter condistincta ab essentia diuina & eius attributis, sanctificaret humanitatem, id faceret, vel quatenus præcisè est aliqua perfectio, vel

B quatenùs est relatio, vel vt est diuina, vel vt VI. substantialis, vel denique vt est filiatio, sub qua peculiari ratione terminat humanitatem: sed nullo istorum modo sanctificat formaliter humanitatem Christi Domini. Non primo, quia aliàs omnia & singula attributa diuinæ essentiæ illam similiter sanctificarent, cùm illa omnia & singula sint speciales quædam perfectiones à se inuicem, & ab essentia diuina virtualiter distinctæ, quod tamen nemo Theologorum dixit. Non item secundo modo, seu vt est relatio, quia vt sic importat tantùm *esse ad*, *seu ipsum respicere* proprium terminum sibi correspondentem: quod respicere, vt sic sumptum, præcisè non sanctificat, aliàs Filius in diuinis sanctificaret Patrem, quem suâ filiatione respicit: & item Spiritus sanctus sanctificaret Patrem, quem

C suâ spiratione passiuâ respicit: quod tamen VII. vtrumque est falsum, cùm Pater nihil accipiat à Filio, similiter Pater & Filius nihil accipiant à Spiritu sancto. Non item tertio & quarto modo, quia omnibus & singulis attributis diuinæ essentiæ conuenit quòd sint diuina & subsistentialia, nec tamen sunt formæ sanctificantes humanitatem. Non item modo vltimo, seu vt est filiatio, quia vt sic nihil aliud importat, quàm specialem subsistentialem relationem, quâ secunda persona Trinitatis respicit primam personam, vt principium, à quo per veram & propriè dictam generationem procedit, quâ ratione, vt iam obseruauimus, non est forma sanctificans: sic enim est ad Patrem, quem tamen non sanctificat: igitur ipsa Verbi diuini personalitas, vt condistincta virtualiter ab essentia diuina, non

D sanctificat formaliter humanitatem Verbi di- VIII. uini.

Respondetur, personalitatem Verbi diuini, vt consideratam iuxta suam particularem rationem, secundùm quam importat aliquod esse diuinum personale in suo conceptu præciso ipsâ sui communicatione factâ humanitati assumptæ, illam sanctificare, attributa verò essentialia, licèt sint etiam diuina, quia tamen non communicantur humanitati, ideò sic illam non sanctificare.

I.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm diuina essentia & attributum eius sanctitas humanitatem Christi Domini sanctificent.

SIT hæc prima propositio: *Natura diuina, vt mediatè vnita humanitati, illam etiam mediatè sanctificat.* Ita nobiscum sentiunt omnes authores prioris sententiæ, & Patrum authoritates, quas illi fusè congestunt, eam tantùm docent; nulla quippe particula reperitur in illis, quâ ipsa personalitas Verbi, vt condistincta virtualiter ab essentia diuina, excludatur ab ipsa actuali sanctificatione humanitatis, & per vnionem hypostaticam adueniente. Sed exempla quibus sancti Patres explicant hanc sanctificationem, tantùm declarant hanc mediatam sanctificationem; desumuntur enim à duabus naturis, seu substantiis integris impermixtis, sibi tamen inuicem vnitis, quarum vna sic communicat alteri suas proprietates, vt illam videatur in seipsam transformare: ita Origenes libro secundo Περὶ ἀρχῶν, capite septimo explicat hanc sanctificationem exemplo *ferri candentis*, & Nicetas Scholiastes sancti Gregorij Nazianzeni eius oratione quintâ, & plures alij: &

II.

Probatur: tam latè patet sanctificatio humanitatis per Verbum diuinum, quàm latè pateat vnio Verbi diuini ad humanitatem, vt obseruauimus quarto præcedenti articulo, & sacra Scriptura, & Patres explicant vnum per aliud; sed Verbum diuinum ita fuit vnione immediatâ vnitum humanitati in sua propriâ hypostasi, vt etiam natura diuina in illo, vt in concreto enuntiato importata, fuerit etiam vnione mediatâ ipsi humanitati assumptæ vnita, vt ex professo docuimus suprà: igitur & ipsa Christi Domini humanitas fuit etiam mediatè per naturam diuinam sanctificata.

III.

Addidi huic nostræ propositioni hanc particulam, *in illo*, id est Verbo, *vt in concreto enunciato*, quia hæc sanctificatio, cùm non sit in genere causæ efficientis, sed tantùm quasi formalis, non est ipsius diuinæ essentiæ, vt hæc est totius Trinitatis, seu in tribus personis diuinis, sed cùm sit solùm mediata, postulat necessariò ex naturali conditione istiusmodi agendi (sumendo hunc terminum, *agere*, tantùm grammaticaliter) coniungi ei quo mediante agit: quare cùm diuina essentia non sit apta hoc modo sanctificare creaturam aliquam rationalem, seu intellectualem, nisi mediante vnione hypostaticâ alicuius ex personis diuinis: sola autem Verbi personalitas sit de facto humanitati Christi Domini vnita, fit vt etiam diuina natura illam tantùm sanctificet, provt est in Verbo diuino enunciato per modum concreti.

IV.

Obiicies: si quis Angelus in gratia sanctificante constitutus, per absolutam Dei potentiam hypostaticè vniretur alicui humanæ naturæ, illam non sanctificaret etiam mediatè: ergo nec diuina natura sanctificabit mediatè humanitatem Christi Domini.

Respondetur, disparem esse vtriusque conditionem: Primò, quòd diuina natura sit sancta per essentiam, & ipsa essentialis sanctitas, gratia verò sanctificans sit tantùm sanctitas participata seu per participationem: at sanctitas per essentiam est longè potentior ad sanctificandum, quàm sit sanctitas per participationem, quæ est in gradu longè inferiori.

V.

Deinde habitualis gratia sanctificat solummodò mediâ sui inhærentiâ in subiecto quod sanctificat, quia eius sanctificatio est ab illa, vt à forma verè & propriè informante subiectum quod denominat sanctum: at in ista suppositione habitualis gratia inhæreret tantùm ipsi essentiæ, aut voluntati Angeli, & nullo modo ipsi humanitati, aut alicui parti tunc ab Angelo assumptæ: diuina autem natura non sanctificat humanitatem, mediante sui inhærentiâ in humanitate, aut aliqua vera & reali informatione, sed mediante hypostaticâ vnione personalitatis diuinæ cum humanitate Christi Domini.

VI.

Secunda propositio: *Hæc sanctitas humanitatis à diuina natura, vt illi mediatè vnita, non est loquendo propriè formalis, seu à natura diuina, tanquam forma propriè dicta.*

Probatur: illud omne reale, quod tanquam forma, aut quasi forma propriè dicta, facit subiectum aliquod formaliter tale, debet vel propriâ suâ entitate illud informare per realem sui existentiam in illo, vel per intimam coniunctionem cum eo illud actuare, vt sic constituatur formale principium illius formalis effectus, quem ei communicat: sic enim sumptus propriè fundatur, imò & est idem cum ipsa actuali communicatione causæ formalis: atqui diuina natura, quatenùs sanctificat humanitatem Christi Domini, non informat illam per realem sui existentiam; licèt enim diuina natura sit intimè in omnibus & singulis rebus, & ex consequenti in ipsa humanitate Christi Domini, talis tamen eius existentia habet se per accidens ad hanc sanctificationem, cùm non sic sanctificet omnes creaturas rationales, in quibus tamen sic existit; nec item est illi immediatè vnita, sed impermixta, inconfusa, & realiter distincta: ergo natura diuina non est propriè forma, aut quasi forma sanctificans formaliter humanitatem.

VII.

Secundò: ideò personalitas Verbi diuini communicat humanitati suum formalem effectum, qui est subsistere, quia illi intimè vnitur, & cum ea facit aliquid vnum in genere subsistentis: & econtrà attributa Dei essentialia, quia non vniuntur immediatè humanitati, nec cum ea faciunt aliquod vnum, suos effectus proprios & formales ei non communicant; sed natura diuina, ratione huius suæ sanctitatis, vel cuiuscumque alterius attributi, assumpta à Verbo, non facit aliquid vnum per aliquam intimam coniunctionem sui cum humanitate, quia duæ illæ naturæ in Christo Domino sunt & manent realiter à se inuicem distinctæ, inconfusæ, & impermixtæ, vt fides ipsa docet, & nos suprà tradidimus: igitur natura diuina, vt formaliter sancta sanctitate radicali & essentiali, non sanctificat formaliter humanitatem Christi Domini.

VIII.

Tertiò probatur: natura diuina & humana in Christo Domino ita sunt impermixtæ, vt

I. tamen vnaquæque illarum agat, & operetur tantùm quæ sunt illi propria, & hoc non solùm in genere causæ efficientis etiam vitalis, quod tradunt Patres sextæ Synodi generalis actione decima-septimâ in definitione fidei, sed etiam in genere causæ, aut quasi causæ formalis, vt patet in omnibus attributis essentialibus, quorum nullum formaliter communicat seipsum, & suum quasi effectum formalem humanitati: igitur nec illa radicalis, seu essentialis sanctitas essentiæ diuinæ seipsam communicabit formaliter humanitati, nec eam formaliter, & quasi in genere causæ formalis sanctificabit.

Dices, si hæc mediata sanctificatio humanitatis per naturam diuinam illi vnitam mediatè, non est loquendo propriè ab ipsa diuina essentia, tanquam forma, quasi propriè

II. dicta, quo igitur modo illam sanctificat iuxta modum secundæ nostræ propositionis.

Respondetur, eodem modo esse hîc philosophandum, quo primâ quæstione agendo de valore meritorum Christi Domini sumus philosophati: quare eodem sensu, quo ibi diximus valorem à diuina essentia dimanantem in opera Christi Domini esse tantùm moralem: sic etiam hoc loco dicendum est de præsenti sanctitate, quæ eodem modo resultat in humanitate Christi Domini ad mediatam eius vnionem cum personalitate Verbi, quo prædictus ille valor dimanat ab eadem diuina essentia mediatè tantùm vnita ad actus meritorios Christi Domini: & quo sensu ille est aliquid reale, morale tamen & non physicum: eodem etiam sensu hæc sanctitas humanitati proueniens ab essentia diuina illi mediatè vnita est realis.

III. Tertia propositio: *Attributum diuinæ sanctitatis, prout est moralis sanctitas & rectitudo diuinæ voluntatis, explicata secundo membro tertij notabilis, articulo tertio superiori, non sanctificat formaliter in tali genere sanctitatis humanitatem Christi.* Hæc propositio est contra Turrianum locis suprà citatis, & aliquot recentiores ab hac sanctitate repetentes impeccabilitatem voluntatis humanæ Christi Domini. Contra quos

Probatur: hæc sanctitas ab eo formaliter est in humana voluntate Christi Domini, à quo eius conformatio ad legem æternam, & ad voluntatem Dei, est formaliter, quia hic est proprius & formalis effectus huius sanctitatis, & hæc consistit in tali rectitudine: atqui hæc rectitudo, seu conformatio sumpta formaliter

IV. non est à diuina illa sanctitate morali. Primò, quia hæc considerata in actu secundo, est in Deo per modum actus vitalis, vt etiam vult Turrianus suprà, quia est idem omninò cum illo amore, quo Deus seipsum amat, vt summè bonum: at vitalis actus Dei non est seipso alicui creatæ naturæ communicabilis, ita vt illam reddat formaliter talem, qualis est ipse actus: nam sicut creatus intellectus non potest intelligere increatâ Dei intellectione, ita nec voluntas creata velle increatâ Dei volitione, de cuius genere est ipsa eius dilectio & amor: ergo amor ille Dei, seu moralis illa eius sanctitas & rectitudo diuinæ voluntatis per modum actus secundi concepta, non potest sanctificare formaliter voluntatem creatam Christi Domini.

A Quod item hæc eadem rectitudo, vt concipitur per modum actus primi, non possit id præstare seipsâ, probatur primò. Cui ab intrinseco & extrinsecis naturæ suæ principiis repugnat actus secundus, & primus etiam repugnat; est enim talis primus actus propter secundum, & ordinem dicit ad eum; sed hæc sanctitas moralis Dei, seu rectitudo diuinæ eius voluntatis, quoad affectum sic consideratæ in actu secundo, non potest formaliter sanctificare hac speciali sanctitate animam Christi Domini, vt ratio præcedens probat: igitur huic eidem diuinæ sanctitati, seu rectitudini diuinæ voluntatis consideratæ per modum actus primi repugnat sic sanctificare formaliter animam Christi Domini. V.

Deinde, vel hæc sanctitas voluntatis in Christo Domino per increatum attributum sanctitatis Dei, sequitur necessariò & ex præcisa con-

B ditione vnionis hypostaticæ cum humanitate Christi, vel tantùm ex aliquo speciali beneficio, quod poterat non poni, etiamsi hæc vnio fieret, quatenùs est tantùm præcisè hypostatica: non primum, quia non repugnat dari vnionem hypostaticam Verbi diuini cum humanitate aliqua remanente in puris naturalibus, quoad virtutem agendi, in quo tamen casu voluntas istius humanitatis non haberet de facto in suis actibus hanc rectitudinem defectu illustrationis in intellectu, & auxiliorum specialium, pro remouendis omnibus peccatorum occasionibus, quia hæc transcendunt conditionem, & statum purorum naturalium. Secundum item dici non debet, quia in ista hypothesi hæc specialis sanctificatio non tam esset formaliter ab essentiali attributo sanctita-

C tis, quàm ab aliquibus auxiliis specialibus intellectum animæ Christi Domini illustrantibus, & eius voluntatem præmouentibus, & adiuuantibus ad bonum prosequendum, & amplectendum: ergo sanctitas increata, quæ est attributum Dei, non isto speciali modo formaliter sanctificat humanitatem Christi Domini. VI. VII.

DISPVTATIO II.

De habituali gratia Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS. VIII.

Vtrùm habitualis gratia fuerit in anima Christi Domini.

D SVPPONENDVM est ex prima secundæ dari aliquam gratiam habitualem, quâ sumus formaliter sancti, iusti, & consortes diuinæ naturæ: vnde satis communiter vocatur à Theologis, *Gratia sanctificans, iustificans*, & aliis similibus titulis, & de hac gratia præsens articulus procedit. Paludanus in tertium sententiarum distinctione tertiâ, quæstione secundâ, refert quosdam negare habitualem gratiam esse in anima Christi.

I. Communior tamen sententia Theologorum tertio sententiarum, distinctione secundâ, quam loco conclusionis ponimus, est, *Gratiam habitualem fuisse, & esse in anima Christi.* Probatur primò ex sacris Litteris: Isaiæ vndecimo dicitur de Christo, *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ*: quo loci per particulam illam, *spiritus Domini*, gratia sanctificans intelligitur, vt sanctus Cyrillus explicat initio libri secundi in Isaiam: & hæc particula, *requiescet*, exprimit permanentiam istius gratiæ in Christo, & proinde esse habitualem: quod etiam significat apud sanctum Ioannem capite primo descensus Spiritus sancti in specie columbæ manentis suprà Christum; nam declarabat gratiam ita permanenter fuisse collatam Christo, vt nunquam esset ab illo recessura, quemadmodum explicat sanctus Hieronymus ad caput trigesimum-quintum Ezechielis: sanctus Ambrosius libro de Noë & arca capite tertio: sanctus Gregorius libro secundo Moralium, capite vigesimo-octauo, & vigesimo-nono.

II. Probatur secundò ex capite primo sancti Ioannis, vbi Verbum incarnatum dicitur *plenum gratiæ & veritatis*: & quòd ista plenitudo gratiæ intelligatur de gratia creata, eâque habituali, patet ex illo quod statim subiicitur, *& de plenitudine eius nos omnes accepimus*; nam quod accipitur de plenitudine alicuius fontis, debet esse eiusdem conditionis, quoad entitatem, cum aliquo ex iis quæ implent fontem, vt patet in aqua à fonte deriuata constituente riuum: atqui illa plenitudo gratiæ Christi, de qua omnes accepimus, est ad modum fontis, vt explicabitur infrà, & inter alia accepimus gratiam iustificantem de illa, vt patet ex eo quòd passim in Scripturis Christus vocatur *nostra iustificatio, nostra iustitia*; quia scilicet illam causat, & hæc nostra iustitia deriuatur à iustitia Christi: igitur sicut gratia nostra iustificans est creata & habitualis ex communi consensu Theologorum primâ secundæ; ita etiam gratia illa, quæ est in Christo, tanquam in fonte respondens ei, est creata & habitualis.

III. Neque est quòd quis cum Erasmo & Caietano ad illum locum Euangelij dicat, verba illa, *plenum gratiæ & veritatis*, non esse construenda cum istis antecedentibus, *Et Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius*, &c. sed cum his sequentibus, *Ioannes testimonium perhibet*: eo quòd in Græcis codicibus hæc particula πλήρης, id est *plenus*, sit masculini generis, & nominatiui casus, sicut & hæc, *Ioannes*, cùm tamen deberet esse accusatiui casus, si referretur ad illud, *Verbum caro factum est*, vt indicat hæc verbalis particula, *vidimus*. Hoc, inquam, non obstat, nam Græci & Latini codices, imò & communis vsus totius Ecclesiæ Latinæ, quo in fine Missæ Euangelium sancti Ioannis recitatur, ponunt punctum post citata illa verba, *plenum gratiæ & veritatis*: ergo censent ea non pertinere ad proximè sequentia, sed ad antecedentia, & proinde ad Verbum incarnatum. Deinde verba illa dicuntur de eo, de cuius gratiæ plenitudine omnes homines paulò pòst dicuntur accepisse, & de eo

IV. per quem gratia & veritas ibidem dicuntur factæ; sic enim plenitudo, & eius redundantia sibi inuicem correspondent: atqui non dicimur accepisse de plenitudine gratiæ sancti Ioannis Baptistæ, sed de plenitudine Christi: nec item gratia & veritas dicuntur factæ per sanctum Ioannem Baptistam, sed per Christum, vbi expresè habetur: igitur verba illa, *plenum gratiæ & veritatis*, dicuntur de Verbo incarnato, seu Christo.

Nec fauet Caietano & Erasmo, quòd Græci codices legant πλήρη in masculino genere, & nominatiuo casu; nam λόγος, quod respondet huic termino *Verbum*, Græcis est masculini generis; & hæc verba, *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre*, leguntur per parentiesim: vnde sicut ibi, *Verbum caro factum*, Græcè λόγος est masculini generis, & nominatiui casus, ita & hoc eius adiectiuum, πλήρης.

V. Probatur propositio ex Patribus, non tantùm dum citata testimonia explicant, sed etiam quando illud Psalmi quadragesimi-quarti interpretantur de gratia sanctificante collata animæ Christi Domini: sic sanctus Athanasius fusè oratione secundâ contra Arium paulò post medium: sic sanctus Hieronymus in Psalmum 132. ad illum versiculum, *Sicut vnguentum in capite*: & sanctus Augustinus libro decimo-quinto de Trinitate capite vigesimo-sexto, ait Christum dedisse Spiritum sanctum hominibus, vt Deum, & vt hominem accepisse illum, ob idque esse plenum gratia.

VI. Probatur ratione. Prima fundatur in doctrina sancti Pauli ad Romanos octauo: vbi est conformitas sanctitatis, ibi eadem forma sanctificans debet esse quæ sit fundamentum talis conformitatis: atqui inter Christum & prædestinatos est conformitas sanctitatis, ex citato loco Apostoli ita dicentis, *Quos præscuit & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*: igitur cùm forma sanctificans prædestinatos sit habitualis gratia, ex communi Theologorum sententia, hæc ratio debet esse in Christo.

VII. Secunda ratio desumitur ex pulchritudine animæ Christi suprà omnes intellectuales creaturas, quæ proinde debet habere quæcunque à Deo donantur Angelis & hominibus, vt sint pulchriores, dummodo illa nullam includant imperfectionem, vel repugnantiam cum hypostatica vnione: atqui gratia habitualis datur Angelis & hominibus à Deo, vt habeant supernaturalem aliquam pulchritudinem, & gratia sanctificans importat perfectionem sine imperfectione, quia nos facit consortes diuinæ naturæ ex primo capite secundæ sancti Petri, nec repugnat vnioni hypostaticæ; hæc enim primò & per se dicit tantùm oppositionem cum propria subsistentia humanitatis assumptæ, quæ est aliquid omninò distinctum à gratia habituali: non item repugnat aliis, quæ sequuntur vnionem hypostaticam, vt sunt visio beatifica, impeccabilitas, libertas, & id genus illæ perfectiones, quandoquidem in beatis remanet, imò conducit ad ista omnia. Vltima petitur à necessitate habituum supernaturalium, quam commodiùs exponemus infrà.

VIII.

I.

ARTICVLVS II.

Solutio obiectionum prioris sententiæ.

FVNDAMENTVM primum est. Quisquis est incapax diuinæ filiationis adoptiuæ, est etiam incapax gratiæ habitualis: quia diuina filiatio adoptiua est formalis effectus gratiæ habitualis, vt indicat Apostolus ad Romanos octauo, & Tridentinum sessione sextâ, capite decimo, dum definit iustificationem (cuius formalis causa est gratia habitualis) transfationem à statu peccati ad statum adoptionis filiorum Dei: atqui Christus est incapax diuinæ filiationis adoptiuæ, vt infrà ex professo ostendetur: ergo etiam est incapax gratiæ habitualis.

II.

Respondetur, concessâ Minori, negando Maiorem, ad cuius confirmationem negatur filiationem diuinam adoptiuam esse primarium & formalem effectum gratiæ habitualis; hæc enim est forma quædam absoluta, cùm sit qualitas permanens; adoptiua autem filiatio diuina est de genere relationum: at nulla relatio est primarius & formalis effectus alicuius qualitatis permanentis, sed solummodò resultat ad positionem illius in subiecto capaci: primarius itaque & formalis effectus gratiæ habitualis est, *reddere suum subiectum gratum Deo gratitudine formali & inhærente*, ad quem effectum diuina filiatio adoptiua sequitur, vbi & quando subiectum, quod hæc gratia afficit, est capax diuinæ filiationis adoptiuæ. Vnde

III.

cùm Christus etiam pro eo instanti, quo gratia habitualis fuit illi infusa, fuerit incapax diuinæ filiationis adoptiuæ, quia iam erat naturalis Filius Dei, *naturalis* autem *filiatio* habet oppositionem cum *adoptiua*, ipsa habitualis gratia non potuit dare Christo esse adoptiuum filium Dei: at in nobis & aliis puris creaturis intellectualibus, vbi statim est recepta gratia habitualis, quia filiatio adoptiua nullam reperit oppositionem, statim resultat: vnde sacræ Scripturæ & Patres loquentes de illa, secundùm conditionem quam habet in nobis,

IV.

vocant illam, *spiritum adoptionis*, *adoptionem*, & similibus nominibus; & licèt anima Christi, vt iustificata habituali gratiâ, sit particeps naturæ diuinæ, & iusti homines aliquando in sacris Scripturis vocentur *Dij*, scilicet per participationem, ratione habitualis gratiæ quam habent; attamen Christus non potest absolutè & simpliciter dici *Deus per participationem*, quia esse tale per participationem absolutè & simpliciter enunciatum, includit implicitè negationem essendi tale per *essentiam*, seu *naturam*. Vnde cùm Christus, ratione diuinæ naturæ quam includit, verè, propriè & formaliter sit Deus, non potest absolutè, & simpliciter dici Deus per participationem.

Fundamentum secundum est: Vbi subiectum continet in seipso eminenter aliquam perfectionem, tunc ei repugnat habere formam, quæ dat formaliter talem perfectionem: exempli gratiâ, quia anima rationalis continet eminenter gradum vegetatiuum, & sensitiuum, repugnat homini habere animam propriè & formaliter sensitiuam, & vegetatiuâm, provt illæ sunt in brutis animantibus: atqui Christus habet in se gratiam vnionis, ratione cuius est sanctus & gratissimus Deo, vt præcedenti disputatione ostensum est; & hæc gratia vnionis continet in se eminenter gratiam habitualem, cùm reddat Christum Deo gratum, sanctum, longè nobiliori modo, quàm habitualis gratia, quæ tantùm accidentariò perficit suum subiectum: igitur repugnat Christo habere in se gratiam habitualem.

A

B

C

D

V.

VI.

VII.

VIII.

Respondetur, quidquid sit de maiori propositione, quam examinare propriè spectat ad Physicos libro secundo Physicorum, respondetur negando Minorem; nam continentia eminentialis verè & propriè dicta importat vim efficiendi proprium & formalem effectum illius formæ, quæ dicitur contineri eminenter: at nec personalitas Verbi, nec eius vnio cum humanitate, quam Theologi communiter vocant, *gratiam vnionis*, est efficienter productiua alicuius effectus in anima Christi, cùm sit in genere personalitatis, & personalitas nullo modo sit efficienter actiua: sed hæc vnio potest tantùm dici afferre humanitati vnitæ Verbo aliam sanctitatem longè nobiliorem, & altioris ordinis, vt explicatum est præcedenti disputatione, quæ tamen sanctitas rectè potest simul compari cum gratia habituali, sicut satis frequenter plures perfectiones diuersi ordinis, aliæ aliis excellentiores, sese compatiuntur in eodem subiecto.

ARTICVLVS III.

Vtrùm habitualis gratia Christi sit eiusdem speciei cum nostra.

NOTANDVM est gratiam habitualem Christi posse spectari duobus modis: Primò secundùm *suam entitatem*, & rationem physicam, quo modo habitus specificantur à suis actibus, & obiectis formaliter consideratis. Secundò, hæc gratia Christi potest considerari *in genere moris*, quo modo consideratur secundùm dignitatem illam, & efficientiam moralem, quam habet à personalitate Verbi sustentantis animam, cui subiectiuè inest. Hoc ita præmisso, sit ista

Prima propositio: *Habitualis gratia Christi physicè, & secundùm suam naturam spectata, est eiusdem speciei cum nostra.* Ita communiter omnes Scholastici locis superiùs citatis. Probatur primò, ex capite octauo ad Romanos, vbi prædestinati dicuntur *fieri conformes imagini Filij Dei, & coheredes illius per gratiam habitualem*: ergo cùm conformitas sit inter ea, quæ eandem specie formam participant, debet habitualis gratia Christi esse eiusdem speciei cum nostra.

Probatur secundò ex Patribus, qui eodem modo loquuntur de gratia Christi, ac de nostra: sanctus Ambrosius libro tertio de Spiritu sancto, capite vndecimo; sanctus Augustinus libro decimo-quinto de Trinitate, capite vigesimo-sexto, dicendo Christum, vt hominem, accepisse Spiritum sanctum, quem vt Deus aliis dabat: at homines dicuntur in sacris litteris accipere Spiritum sanctum, quatenùs accipiunt gratiam habitualem, & dona illi annexa.

I. Probatur tertiò ratione : habitus specificantur à suis actibus & obiectis formaliter sumptis, vt docent Philosophi, agendo de illis : atqui habitualis gratia Christi habet idem specie obiectum cum nostra, quia tendit in Deum sub eadem formali ratione : est item ad eundem primarium finem, scilicet ad eliciendum connaturaliter, & per principium quoddam internum & permanens supernaturales actus correspondentes actibus nostræ habitualis gratiæ, vt patebit ex dicendis infrà de eius necessitate in anima Christi : igitur habitualis gratia Christi spectata *physicè*, est eiusdem speciei cum nostra.

Neque his obstat, quòd habitualis gratia existens in Christo, sit in nobiliori, imò & in increato supposito, vel quòd sit maior, quàm in qualibet pura creatura, vel quòd sit inamissibilis : hæc enim omnia sunt ei extrinseca, provt spectatur physicè, nec variant eius speciem; nam & animal in homine est in nobiliori supposito, & coniungitur nobiliori differentiæ, quàm in bruto; nec tamen est diuersæ speciei : similiter gratia in Beatis, licèt sit inamissibilis, est eiusdem speciei cum nostra, & si linea daretur infinitæ longitudinis, esset etiam eiusdem speciei cum finita : ergo licèt habitualis gratia Christi sit in anima subsistente, supposito infinito & increato, & sit in perpetuum mansura, & perfectior omni gratiâ existente in Angelis, vel puris hominibus, attamen *physicè* considerata semper remanebit eiusdem speciei cum nostra.

II.

Secunda propositio : *Habitualis gratia Christi spectata in genere moris, & vt est gratia talis personæ, est alterius, & sublimioris speciei à nostra.* Probatur : gratia illa quæ est valoris infiniti, & aliquod generale principium omnis & cuiuscumque gratiæ existentis in hominibus; illa, inquam, gratia est in genere moris alterius speciei ab iis omnibus aliis particularibus, quarum est tale principium : atqui habitualis gratia Christi, propter sui coniunctionem ad personam Verbi diuini, est valoris infiniti, vt patet ex dictis totâ disputatione quintâ ad primam quæstionem huius partis, & ex dicendis hac quæstione, disputatione quartâ, articulo quarto, & est vniuersale quoddam principium omnium & singularum gratiarum, quæ sunt in hominibus, iuxta illud sancti Ioannis capite primo, *De plenitudine eius nos omnes accepimus* : igitur habitualis gratia Christi Domini est in genere moris alterius speciei à nostra.

III.

IV.

Articvlvs IV.

Vtrùm sit de fide gratiam esse in Christo, eámque habitualem.

NOTANDVM est, gratiam sanctificantem posse duobus modis spectari : Primò, quatenùs est *donum quoddam creatum, sanctificans formaliter* interiori sanctitate animam, in qua recipitur, *abstrahendo ab eo quòd sit aliquid permanens, vel tantùm transiens.* Secundò, potest considerari in *ratione habitus*, quatenùs scilicet est tale donum permanens, inhærens ipsi animæ. Hoc prænotato, sit

Prima propositio : *Est de fide gratiam sanctificantem sumptam priori modo esse in anima Christi.* Probatur, quia sacræ Scripturæ loquentes de gratia animæ Christi locis superiùs citatis, & aliis similibus, non possunt iuxta explicationem Patrum intelligi, nisi de aliquo dono creato supernaturali, sanctificante interiùs animam Christi, vt ex illorum consideratione patet; nam Isaiæ vndecimo capite ita septem dona Spiritus sancti dicuntur sigillatim futura in Christo, vt prima illa particula, *requiescet super eum Spiritus Domini*, denotet gratiam sanctificantem : quod idem Isaias significat capite quadragesimo-secundo, relatus à sancto Matthæo capite duodecimo, apud quem Deus ita loquitur de Christo, vt iam constituto ex subsistentia Verbi, & humanitate, *Ecce puer meus, quem elegi, ponam Spiritum meum super eum* : id est gratiam, vt etiam sanctus Hieronymus explicat ad vndecimum caput Isaiæ, & ad quadragesimum-secundum. Item, ex eo quòd satis frequenter in sacris Litteris, *Vngi Spiritu sancto* idem sit ac *accipere gratiam sanctificantem* : vt Actum decimo Christus dicitur *vnctus Spiritu sancto, & virtute.*

A

B

V.

VI.

Deinde probantur assertiuæ propositiones, quæ ex communi consensu fidelium reputantur blasphemiæ in Deum, aut contra Christum, sunt contra fidem, & ex consequenti propositiones illis oppositæ sunt de fide, vt colligitur ex sancto Thoma secundâ secundæ, quæstione decima-tertiâ, articulo primo : atqui hæc propositio assertiuè prolata, *Anima Christi non est formaliter sancta interiori sanctitate*, reputatur ex communi consensu fidelium blasphemia in Christum, vt significat sanctus Ambrosius libro tertio de Spiritu sancto, capite vndecimo, vbi loquens de Christo, quem hæretici fatebantur esse natum de Spiritu sancto, & negabant eum esse renatum, sic eos alloquitur, *Magna insipientia est, vt quod singulare est hominum confiteamini, quod commune est hominum denegetis* : & prædictam propositionem esse blasphemam in Christum prudens Lector iudicabit, vbi attentè consideraverit quæ de gratia Christi habentur in sacris Litteris & Patribus : ergo hæc propositio, quæ prædictæ propositioni blasphemiæ opponitur, *Anima Christi est formaliter sancta sanctitate interiori*, est de fide.

C

VII.

Quod spectat ad eandem gratiam posteriori modo consideratam, maior est difficultas : Suares hîc disputatione decima-octauâ, sectione secundâ, & nonnulli recentiores existimant esse de fide gratiam animæ Christi esse habitualem : nihilominùs sit

D

VIII.

Secunda propositio : *Licèt sit proximum fidei gratiam animæ Christi esse habitualem, attamen adhuc non est de fide illam esse habitualem.* Prior pars propositionis patet ex iis sacræ Scripturæ locis, quibus iuxta Patrum communem expositionem, gratia diuina significatur semper mansisse in Christo, nunquam ab eo recessisse : tum etiam ex eo quòd sacræ Scripturæ & Patres eodem modo loquuntur de gratia Christi, ac de gratia sanctificante cæterorum hominum, vt patet ex dictis : at gratiam nostram esse habitualem, est saltem proximum fidei, vt docent Theologi prima secundæ agendo de causa formali iustificationis hominum.

I. Posterior pars propositionis probatur: hæc veritas est nullibi apertè definita sub hoc termino, *habitus*, vel æquiualenti irrefragabiliter apud omnes Patres & Scholasticos, vt patet inductione facta per Scripturas & Concilia: hæc enim nunquam habent hunc terminum, *habitus vel habitualis*, dum agunt de gratia, & particula hæc Isaiæ vndecimo, *requiescet super*, licèt rectè explicet permanentiam gratiæ in Christo, & proinde illam habitualem, non tamen cogit vt asseratur *tanquam de fide*: nam plura requiruntur ad esse certum certitudine fidei, quàm ad esse verum, & non est etiam certum certitudine fidei, hanc particulam Isaiæ vndecimo, *Spiritus Domini requiescet*, denotare gratiam sanctificantem provt hæc distinguitur à donis Spiritus sancti, & siid esset certum, adhuc tamen permanentia eius in ratione habitus veri & propriè

II. dicti non habetur vt de fide ex prædicta particula, *requiescet*, vt ibi apponitur: nam posset dici, ibi designare differentiam gratiæ Christi à nostra, quòd nos, quia sæpè peccamus mortaliter, non quouis momento, ita possumus operari ex illa, provt distinguitur à gratia excitante & adiuuante: ac anima Christi quæ erat impeccabilis, & ideò verbum istud *requiescet*, dici de illa, sicut virtus ad faciendum miracula dicitur semper mansisse in Christo, non quòd esset aliqua qualitas habitualis, permanenter inhærens eius humanitati, sed quòd Christus toties, quoties volebat, operabatur miracula, quod tamen aliis puris hominibus non conuenit: quo sensu dicitur tantùm habitualis *per quandam analogiam* cum vero habitu. Deinde quicquid habetur per discursum, & vi ipsius discursus, ex

III. sacris Litteris, Conciliis, & Traditionibus, id, vt sic, non est certum certitudine fidei; quia certitudo fidei non innititur discursu: atqui quod gratia animæ Christi sit verè & propriè loquendo habitualis, habetur solùm per discursum, & vt discursus, vt patet ex citatis locis Scripturæ & Patrum: igitur non est de fide gratiam animæ Christi esse habitualem.

Articvlvs V.

Obiectionum solutio.

PRIMA obiectio. Communis consensus Patrum & Scholasticorum in rem, vt de fide, vel vt contentam in sacris Litteris, facit certitudinem fidei: at talis est eorum consensus in assertionem de gratia Christi vt habituali.

IV. Respondetur, concessa Maiore, negando Minorem. Patres enim & Scholastici non vtuntur prædictis Scripturæ testimoniis, tanquam indubitatis ad statuendam gratiam Christi habitualem tanquam aliquid de fide vt sic, vt patet ex eo quòd plerique illorum explicant hæc testimonia aliter quàm de gratia habituali.

Secunda obiectio. Est de fide gratiam sanctificantem in puris hominibus, esse habitualem ex Tridentina sessione sextâ: ergo cùm gratia Christi sit eiusdem speciei, & sacræ Litteræ eodem modo loquantur de illa, ac de nostra, erit etiam de fide gratiam animæ Christi esse habitualem.

Respondetur, nondum esse absolutè & simpliciter de fide gratiam iustificantem nobis in-

A hærentem formaliter, esse habitualem: nam Dominicus Soto, qui interfuit Concilio Tridentino, ait Patres citata sessione abstinuisse de industria ab ipso nomine *habitus*, ne controuersiam purè scholasticam de inutilis habitibus viderentur definire, cùm imputatiuam tantùm iustitiam Christi, introductam à Lutheranis, vt formalem causam nostræ iustificationis, condemnarent, & ad summum modus loquendi illorum innuit quidem nostram gratiam esse habitualem, sed non ita id definit apertè, vt videatur satis ad certitudinem fidei: deinde etiamsi ibi definirent illud de nostra gratia sanctificante, inde tamen non haberetur vt de fide, idem esse iudicium de gratia animæ Christi: non enim est de fide, illam esse eiusdem speciei cum nostra, & suppositâ distinctione sanctificantis gratiæ Christi à nostra,

B nihilominùs tamen adhuc conformitas nostræ sanctitatis ad sanctitatem animæ Christi posset asserri: quia vt hæc gratia reddit animam Christi gratam & sanctam interiori sanctitate, ita & nostra habitualis gratia; & esset tantùm dispar ratio, quòd vna est verus habitus; altera, quædam qualitas transiens, sicut si quis beatorum viderit diuinam essentiam cum solo actuali lumine & non habituali, rectè diceretur habere quandam conformitatem visionis beatificæ cum alio illam eliciente ex habituali lumine gloriæ, sicque ex tali conformitate non potest efficaciter colligi, tanquam de fide, gratiam Christi esse habitualem.

DISPVTATIO III.

C

De necessitate gratiæ respectu animæ Christi Domini.

Articvlvs Primvs.

Vtrùm habitualis gratia fuerit animæ Christi Domini necessaria ad exercendos actus supernaturales.

SENSVS præsentis articuli est, an Christi humanitas, secluso habituali gratiâ, posset exercere actus meritorios alicuius præmij de condigno, ratione solius personalis sanctitatis su-

D periùs explicatæ: & cùm productio actuum supernaturalium importet aliquam efficientiam ex parte principij, an prædicta personalis sanctitas potuerit esse tale principium: vel an gratia habitualis sanctificans aut actualis fuerit ad id requisita.

Est autem notandum, actus meritorios alios esse *quoad suam substantiam supernaturales*, vt est dilectio Dei super omnia tanquam auctoris gratiæ & gloriæ: alios esse tantùm *supernaturales quoad modum*, qui scilicet sunt naturales quoad suam entitatem, sed quia diriguntur in finem supernaturalem, & fiunt ab homine iusto, seu existente in gratia, sunt & dicuntur supernaturales, exempli gratia, dare pauperi propter Christum scyphum aquæ frigidæ.

V. VI. VII. VIII.

I. Notandum secundò, adhuc posse duobus modis intelligi actum supernaturalem quoad substantiam produci; primò, *connaturaliter*, id est per principium intrinsecum permanenter inhærens principio vitali elicitiuo talis actus, ratione cuius vitale principium corroboratur ad exercendum tales actus: deinde actus supernaturalis quoad substantiam potest intelligi exerceri per aliquod supernaturale auxilium actuale seu transiens corroborans ipsam potentiam, vel per aliquid aliud supplens illud.

Notandum tertiò, plura requiri ex parte potentiæ ad exercendum actus supernaturales secundùm suam substantiam, quàm ad simpliciter merendum etiam de condigno: nam ad hoc secundum sufficit quòd persona sit sancta & grata Deo, sanctitate & gratitudine æquali vel maiori ipsi præmio, & actus sit moraliter bonus, directus tacitè vel expresè in finem supernaturalem. Ad primum requiritur vt potentia elicitiua actus confortetur aliquo, vt sic eleuata possit eum efficienter producere tanquam aliquod principium illius. His ita prænotatis,

II. Prima sententia est Durandi in tertium sententiarum, distinctione decima-tertiâ, numero 8. & apertius Paludani eadem distinctione, quæstione secunda in quarta opinione, conclusione secundâ & tertiâ, Christum indiguisse habituali gratia, tam vt posset mereri, quàm vt posset exercere actus supernaturales.

Communis tamen Theologorum sententia hîc, & citato loco libri tertij sententiarum, est omninò opposita, quam sequentibus propositionibus explicamus.

III. Prima propositio. *Christus, seclusâ habituali gratiâ, potuit per absolutam potentiam Dei exercere actus supernaturales quoad substantiam:* nec proinde habitualis gratia fuit ei ad hunc effectum necessaria. Hæc propositio probatur iis omnibus rationibus, quibus Theologi primâ parte, quæstione duodecimâ, probant habituale lumen gloriæ non esse absolutè necessarium beatis, vt clarè videant Deum, & sicut per intimam vnionem seu assistentiam suæ diuinæ essentiæ in ratione virtutis actiuæ ad intellectum creatum, Deus tunc potest supplere efficientiam, & necessitatem luminis gloriæ, ita & in præsenti casu per intimam assistentiam diuinæ suæ essentiæ, in ratione virtutis actiuæ ad ipsam voluntatem animæ Christi, potuit supplere efficientiam gratiæ habitualis in anima Christi, ad hoc vt posset elicere actus supernaturales secundùm suam substantiam.

IV. Deinde quantum est necesse ad præsens dubium, sic probatur breuiter. Deus potest per se aut per aliquod auxilium actuale fortius supplere omnem efficientiam causæ secundæ, modò talis efficientia sit tantùm *extrinseca, & non vitalis*, vt docent communiter Philosophi & Theologi: atqui efficientia, quâ gratia concurrit ad actus supernaturales producendos, est mere extrinseca, est enim ab illa, vt ab habitu; omnis autem efficientia habitus, est extrinseca, vt patet inductione facta per omnes habitus: igitur Deus potest per se, vel per aliquod auxilium fortius, supplere efficientiam gratiæ habitualis, & proinde facere vt anima Christi exerceret actus supernaturales quoad substantiam, sine gratia habituali.

A Secunda propositio. *Christus, seclusâ habituali gratiâ, potuit, etiam de potentia ordinaria Dei, exercere aliquos actus meritorios de condigno bonorum supernaturalium, qui tamen actus essent secundùm suam entitatem ordinis tantùm naturalis:* nec proinde gratia habitualis fuit ei simpliciter & absolutè necessaria ad merendum. Probatur: hæc ad meritum sufficiunt, ex parte merentis, sanctitas, & ordinatio, saltem tacita, boni sui operis in finem bonum, & supernaturalem: ex parte operis libertas, & bonitas moralis, & condignitas ad præmium: ex parte Dei præmiantis, conditio seu pactum de dando tali præmio pro tali opere, vt communiter docent Scholastici vbi agunt de merito: atqui, seclusâ gratiâ habituali à Christo, ista omnia possunt reperiri tam in eo quàm in eius opere: de sanctitate patet ex dictis suprà ad hanc B quæstionem disputatione prima: de ordinatione idem patet, nam anima Christi potuit habere aliquam cognitionem de Deo vt nostro fine supernaturali, & obiecto dilectionis supernaturalis absque eo, quòd haberet in se gratiam habitualem, cùm non sit necessaria connexio inter cognitionem de Deo tanquam obiecto & fine supernaturali, & ipsam habitualem gratiam, quemadmodum patet in Catholicis infectis peccato mortali, qui tamen possunt actus suos, moraliter tantùm bonos, ordinare in finem supernaturalem. De libertate & bonitate morali idem patet, quia vnio hypostatica non destruxit humanam naturam in Christo nec proprietates eius: ergo quemadmodum possumus liberè exercere actus bonos tantùm moraliter, qui secundùm suam entitatem sunt ordinis merè naturalis, ita & humanitas Christi. De condi- C gnitate operis ad bonum supernaturale tanquam præmium, probatur: hæc maximè attenditur penes dignitatem operis deriuatam à dignitate suppositi, vt patet ex eo quòd nostri actus fidei, spei, & contritionis proximè dispositiui ad gratiam iustificantem non sint ex communi sententia Theologorum meritorij de condigno ob hanc causam, quòd scilicet eliciantur à persona nondum perfectè grata, & accepta Deo, ob peccatum mortale habituale adhuc ei inexistens: ergo vbi actus illi erunt à persona perfectissimè sancta, & grata Deo, erunt condigna: at actus liberi & boni moraliter eliciti à Christo habent infinitam dignitatem à supposito Verbi, quod vt sustentans humanam naturam est etiam Deo gratissimum & acceptissimum, vt in præcedentibus docuimus, & hæc omnia etiam iuxta potentiam ordinariam D Dei.

Tandem patet de promissione Dei, quia hoc est maximè liberum Deo, nec vllam arguit in illo imperfectionem vel repugnantiam: igitur Christus, seclusâ habituali gratiâ, quantum est ex se, potuit exercere actus quosdam liberos, bonos moraliter, ordinis tantùm naturalis quoad suam entitatem, qui tamen essent meritorij de condigno aliquorum bonorum supernaturalium; & quoniam hæc dignitas & valor eiusmodi operum Christi est infinitus, vt pote prouenientis à persona infinita, illorum etiam meritum esset infinitum. Cui non obstat quòd hæc opera spectata secundùm suam entitatem essent ordinis purè naturalis, vt nostra propositio supponit, nam quantitas meriti est potiùs attendenda *penes formam sanctificantem & modum quo*

V.

VI.

VII.

VIII.

formâ illa communicando seipsam operi honesto & libero, illud dignificat, quàm penès *physicam eius entitatem*, vt intelligimus ex eo quòd Deus Genesis quarto, *priùs respexit ad Abel quàm ad eius munera*. & ex eo quòd Christus ipse S. Marci 12. & S. Luc. 21. prætulit duo illa minutâ quæ vidua misit in gazophylacium, illi copiosæ pecuniæ quam diuites coniiciebant in idem gazophylacium: at forma sanctificans hæc opera Christi ordinis naturalis quoad entitatem, est *personalis sanctitas* Verbi seipsa communicans, vnde & illa, siue sint ordinis tantùm naturalis in entitate, siue supernaturalis, semper infinitè dignificat.

Tertia propositio. Humanitas Christi etiam vt hypostaticè vnita Verbo, exclusâ omni gratia habituali, itemque omni alio illam supplente, non potuisset elicere actus supernaturales secundùm suam entitatem & substantiam. Probatur: humanitas Christi etiam vt vnita Verbo est eiusdem speciei cum nostra, item eius potentiæ & facultates sunt eiusdem conditionis cum nostris, etiam quoad vim physicam & modum operandi, quia vnio hypostatica præcisè est solummodò ad terminandum, & hypostasis etiam Verbi non est principium operandi efficienter, vt alibi ostendimus, & proinde vnio hypostatica, secundùm se spectata, non confert humanitati assumptæ maiores virtutes operandi efficienter, quàm illa, secundùm se spectata, haberet in se: atqui nostræ facultates seu intellectus & voluntas indigent supernaturalibus habitibus, aut aliis actualibus auxiliis istos habitus supplentibus, ad eliciendum actus supernaturales secundùm suam entitatem, vt ex professo docent Theologi tam primâ secundæ, quàm secundâ secundæ, & patet ex Conciliis, Arausicano II. can. 6. Trident. sess. 6. de iustificatione cap. 5. & canone 2. & 3. definientibus gratiam nobis esse necessariam, non tantùm vt faciliùs, sed *vt simpliciter possimus credere, sperare, diligere, pœnitere sicut oportet*: igitur humanitas Christi, vel eius facultates, seclusâ omni gratiâ actuali, habituali, & quouis alio illam supplente, non potuissent exercere actus supernaturales quoad suam substantiam.

Addidi inter probandum particulam *(efficienter)* hæc enim nostra propositio procedit tantùm de principio effectiuè productiuo, ad distinctionem præcedentis propositionis procedentis tantùm *de morali efficientia*, quæ rectè competit hypostasi, cùm talis efficientia sit tanta & tanta, *quod valorem*, ratione dignitatis ipsius personæ.

Neque huic nostræ propositioni obstat vulgare illud Philosophorum axioma, *modus operandi sequitur modum essendi*, at esse personale Christi est supernaturale, cùm sit diuinum: nam istud axioma intelligitur tantùm *de principio & modo influendi physicè* in actionem, vel ad illam conferente efficienter per se: at hypostasis seu personalitas non concurrit efficienter ad actiones suæ naturæ, vt Philosophi communiter admittunt, sed illas tantùm dignificat pro ratione suæ sanctitatis & dignitatis, sicque moraliter tantùm concurrit ad illas.

ARTICVLVS II.

Ad quid habitualis & actualis gratia, siue excitans, siue adiuuans, fuerit animæ Christi Domini necessaria.

PRIMA propositio. *Habitualis gratia fuit animæ Christi vnitæ Verbo hypostaticè necessaria ad eliciendum connaturaliter actus dilectionis, & cæteros eiusmodi secundùm suam substantiam supernaturales.* Probatur: communicatio proprij & formalis effectus alicuius formæ postulat necessariò formam talis effectus, quia hic ab ea est inseparabilis: atqui formalis & proprius effectus gratiæ sanctificantis, vt est habitus, est ita sanctificare animam, vt ei inhærendo permanenter reddat illam potentem elicere connaturaliter, id est, per principium sibi permanenter inexistens, actus dilectionis supernaturales quoad suam substantiam, vt docent Theologi primâ secundæ, tam agendo de necessitate habituum infusorum per se, quàm de formali ratione gratiæ habitualis: igitur vt anima Christi etiam vnita hypostaticè Verbo eliciat connaturaliter actus dilectionis supernaturales quoad suam substantiam, postulat necessariò gratiam habitualem.

Secunda propositio. *Anima Christi vt vnita Verbo & informata habituali gratia adhuc indiget adiuuante gratia, ad exercendum actus quoad suam entitatem supernaturales.* Hæc propositio sequitur ex præcedentibus, & ex illis probatur. Anima Christi non est per vnionem hypostaticam facta potentior ad agendum, & tam habitualis eius gratia, quàm eius facultates seu potentiæ sunt eiusdem speciei & conditionis, ac sunt nostra habitualis gratia & nostræ facultates animæ: sed ex communi sententia Theologorum primâ secundæ, anima nostra etiam informata habituali gratia indiget adhuc gratiâ adiuuante ad eliciendum actus supernaturales secundùm suam entitatem: igitur & anima Christi vnita hypostaticè Verbo, & informata habituali gratia, indigebat adiuuante gratiâ ad exercendum actus supernaturales secundùm suam substantiam.

Qua autem ratione humanitas Christi assumpta à Verbo in puris naturalibus posset euitare peccatum, & qua ratione Deus id faceret, dicetur infrà agendo de impeccabilitate Christi Domini.

Tertia propositio. *Anima Christi vnita hypostaticè Verbo, ratione status beatifici in quo erat, nulla gratia actuali excitante seu præueniente indigebat, sitamen non vidisset Deum clarè & per essentiam, indiguisset illa.* Duæ sunt partes propositionis. Prior probatur. Beati in cælo nullâ indigent gratia excitante seu præueniente, quia clara visio Dei & amor eius illis sufficiunt: clara quidem visio essentiæ diuinæ, qui enim illam eliciunt, habent satis luminis gloriæ ad considerandum ea, quæ suo statui conueniunt, cùm videant clarè quæcumque spectant ad statum illorum: habent item & sufficientem attractum voluntatis quo sese moueant ad implendum opere, quod cognitione intellectus apprehenderunt sibi esse faciendum, aliàs non essent propriè beati: ergo cùm anima Christi fuerit à primo instanti conceptionis eius beata, non indiguit excitante gratia.

I. Posterior pars propositionis probatur ex dictis. Anima Christi etiam vnità hypostaticè Verbo non est facta potentior ad operandum, & habet se eodem modo quo nostræ animæ: nostræ autem animæ, quauis gratia habituali informatæ, indigent excitante gratia, vt omnes communiter docent primâ secundæ.

Nec obstat, quòd anima Christi sit impeccabilis vi & efficacia hypostaticæ vnionis. hoc enim est tantùm verum in *sensu morali & radicaliter*, quatenus posita vnione hypostatica animæ ad Verbum, Deus consequenter tenebatur dare ei media quibus infallibiliter euitaret omnia peccata, quemadmodum infrà explicabitur: non autem *in sensu formali*, & quasi vnio hypostatica præcisè & formaliter considerata, nullo alio ex parte Dei superaddito, faceret vt eiusmodi anima non peccaret.

II. Atque ex his constat ad quid, simpliciter & absolutè loquendo, fuerit opus animæ Christi gratiâ, siue habituali, siue actuali, quidve potuerit facere sine illis.

Articvlvs III.

Dubium quoddam soluitur.

Cvm ex hactenus dictis constet gratiam habitualem non fuisse simpliciter & absolutè necessariam Christo, siue vt esset sanctus, siue vt mereretur etiam de condigno, quæritur an Christus rectè posset dici *consummatè sanctus*, per receptionem gratiæ habitualis. Vasquesius hîc disputatione quadragesimâ primâ capite quarto, negat: quia, inquit, nihil perfectionis aduenit III. Christo ex gratia habituali; sicut nec ex bonis operibus quæ exercuit, cùm personalis eius gratia esset infinita.

Meliùs tamen est pars affirmans, quam Suarez, Nazarius, & aliqui alij recentiores tradunt hoc loco, & probatur facilè: nam formalis sanctitas, quæ confertur per habitualem gratiam, est aliqua perfectio, per illam enim efficimur consortes diuinæ naturæ, & tamen non confertur Christo per sanctitatem personalem, ex dictis suprà: ergo dum hæc habitualis gratia ei confertur, quædam perfectio aduenit illi, sicque cùm sanctitas personalis antecedat infusionem gratiæ habitualis, Christus per hanc gratiam habitualem fit consummatè iustus & sanctus. Deinde hæc duo debent distingui (quod tamen Vasquesius non satis animaduertit) scilicet *sanctitatem suppositi Christi, quæ est personalis, consummari seu perfici*; & *humanitatem Christi, terminatam supposito Verbi, & iam sanctam personali sanctitate, adhuc augeri & perfici & consummari in sanctitate*. Nam primum significat aliquid perfectionis accessisse sanctitati Verbi, quæ cùm sit infinita alterius omninò ordinis à gratia habituali, nihilque intrinsecum, & inhærens aduenerit ei per mysterium Incarnationis, rectè personalis eius sanctitas negatur augeri, perfici, & consummari per gratiam habitualem. At secundum rectè affirmatur, nam Verbum personando seu terminando hypostaticè humanitatem, non contulit ei omnem & quamlibet perfectionem tali terminatione hypostatica præcisè sumptâ, nec eam fecit potentiorem ad producendum efficienter actus supernaturales secundùm substantiam, vt suprà

A ostendimus: quod tamen gratia habitualis ei dat, & specialem quandam sanctitatem arguit: igitur Christus rectè potest dici consummatè sanctus per infusionem seu receptionem gratiæ habitualis. V.

Atque ex his patet id quod ait Vasquesius, scilicet, *Nihil perfectionis aduenisse Christo*, esse falsum: ad cuius confirmationem desumptam ex operibus Christi respondetur, & per illâ aliquid aduenisse Christo, scilicet meritum, gloriam corporis, & exaltationem nominis, vt patebit infrà agendo de merito Christi.

Ad vltimum quod dicit Vasquesius, respondetur: sanctitatem personalem Christi fuisse infinitam *quoad dignitatem & valorem*, non tamen quoad *realem efficientiam*, quæ est propria habitualis gratiæ, nec proinde impedire, quin Christus fuerit per illam consummatus in B sanctitate, prout sanctitas sumitur *non in particulari*, pro personali, *sed in communi*. VI.

Articvlvs IV.

Fundamenta prioris sententiæ, articulo primo explicata, soluuntur.

Avctores prioris sententiæ tria potissimum vrgent fundamenta in fauorem suæ opinionis: primum est: actus perfectus est tantùm à potentia perfecta, sed actus tam supernaturalis quàm meritorius est actus voluntatis, & voluntas non est ad illum eliciendum perfecta, nisi per gratiam habitualem: ergo tam actus supernaturalis quàm meritorius debet esse à voluntate perfecta per gratiam habitualem: igitur vt Christus exerceret actus supernaturales vel etiam meritorios debuit habere gratiam C habitualem. VII.

Respondetur, Maiorem esse veram de perfectione necessaria potentiæ, & correspondente perfectioni, quæ inest actui, seu quam talis actus postulat necessariò in sua potentia, quæque non potest aliunde suppleri, cuiusmodi non est gratia habitualis respectu meriti, nam suprà ostendimus illam posse suppleri, vt habet rationem alicuius principij, efficienter productiui actus meritorij.

Secundum fundamentum: actus meritorius requirit in merente principium meriti, sed gratia habitualis est principium meriti de condigno, vt fatentur omnes Theologi: igitur cùm Christus esset homo, eiusdem speciei nobiscum, actus eius vt essent meritorij prærequirebant habitualem gratiam. Confirmatur hæc IV. ratio: in tantùm vnumquodque agit, in quantum habet in seipso principium agendi: atqui principium exercendi tam actus supernaturales quàm meritorios de condigno, est ipsa habitualis gratia; hæc enim datur nobis à Deo in hunc finem, & ad hunc effectum: igitur hæc gratia fuit animæ Christi Domini necessaria ad exercendum actus supernaturales. D VIII.

Respondetur, duplex in Christo distingui principium meriti, vnum *purè & simpliciter morale*, nullo modo efficienter productiuum meriti: alterum *ita morale, vt etiam simul sit illius productiuum efficienter*: ad rationem meriti simpliciter & absolutè loquendo alterutrum istorum sufficere, si modo cæteræ conditiones requisitæ ad meritum concurrant; vnde quia in

I. Christo, præcisâ gratiâ habituali ab illo, primum illud principium remanet, Christus habet in seipso sufficiens principium meriti: at in nobis, quia caremus isto primo, & nostri actus meritorij de condigno eliciuntur à nobis connaturaliter, gratia habitualis requiritur; ideóque respectu nostri & comparatione meriti, vt connaturaliter à nobis eliciti, vocatur communiter à Theologis *principium meriti*. Vnde ad confirmationem huius fundamenti patet solutio, est enim anima Christi, vi vnionis hypostaticæ, potens actu ad merendum de condigno: item vi & efficacia actualis auxilij supernaturalis sibi à Deo concessi, vel essentiæ diuinæ sibi vnitæ in ratione virtutis actiuæ, est potens ad eliciendos actus supernaturales quoad substantiam sine gratia habituali.

Tertium fundamentum est. Sicut labor & II. præmium debent esse sibi proportionata, ita & actus meritorij ipsis donis supernaturalibus, quæ dantur à Deo loco mercedis: sed (gratiâ habituali vel etiam actuali præcisâ à Christo) actus eius, quantumlibet liberi, non sunt proportionati donis supernaturalibus, siue gratiæ, siue gloriæ, hæc enim sunt ordinis & entitatis supernaturalis; illi verò sunt ordinis & entitatis naturalis, sic enim spectati nihil habent præter gratiam vnionis hypostaticæ; at hæc non facit principia agendi naturæ humanæ potentiora ad agendum, cùm illa sit simpliciter ad terminandum hypostaticè humanitatem: igitur vt actus liberi sint meritorij de condigno, proportionatè ad gloriam & præmium per illos promeritum, ipsa habitualis gratia necessariò requiritur etiam in Christo.

Respondetur, concessa Maiore ad Minorem, III. duplicem posse distingui proportionem operis meritorij ad præmium, vnam *physicam seu entitatiuam*, alteram *moralem* fundatam in dignitate, siue substantiali, siue accidentali ipsius merentis: in opere meritorio, etiam de condigno: hanc potiùs attendi, quàm istam, imò hac sublatâ secundùm vtramque rationem, & remanente priori, ipsum opus nullius esset meriti, vt ipsemet Apostolus primæ ad Corinthios capite decimo-tertio, fusè explicat, *Si tradidero corpus meum itavt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: è contrà si prior absit, & posterior adsit, ipsum opus adhuc est meritorium de condigno boni supernaturalis secundùm suam entitatem, vt tradit idem Apostolus secundæ ad Corinthios quarto, *id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate eternum gloriæ pondus operatur in nobis*: at gratiâ habituali præcisâ à Christo, actus eius liberi, exerciti in via, semper haberent secundam proportionem *seu moralem*, ad quamcumque mercedem supernaturalem, cùm hæc dignitas in Christo sit valoris infiniti.

A

DISPVTATIO IV.

De perfectione & magnitudine gratiæ habitualis animæ Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm plenitudo gratiæ habitualis fuerit in Christo.

NOTANDVM est primò hunc terminum, *plenitudo*, dupliciter sumi in Scripturis. Primò, *in amplissima significatione*, quatenus significat quandam *abundantiam gratiæ ad aliquam veluti redundantiam*. sic Actuum sexto, *Considerate viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu sancto & sapientia*. sic ad Romanos decimo-quinto, *Deus spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo: vt abundetis in spe, & virtute Spiritus sancti*: quo loci hæc particula, *vt abundetis*, est explicatiua huius prioris, *repleat*, sic etiam ad Ephesios tertio & decimo-quinto, & sæpè alibi: iuxta quam acceptionem, *plenum*, idem sonat ac *multum*, in qua significatione satis frequenter sumitur in sacris Litteris, vt Ezechielis secundo & alibi. Deinde plenitudo gratiæ sumitur *magis strictè pro tota gratia tam secundùm latitudinem & quantitatem*, seu intensionem, quàm secundùm eius virtutem ad effectus & opera ad quæ gratia potest extendi: & iuxta hanc acceptionem *plenitudo gratiæ est duplex*, ex sancto Thoma hic articulo decimo. *vna ex parte subiecti tantùm*, quando scilicet aliquis habet tantum C VII. gratiæ quantum requirit singulare munus illud ad quod specialiter ordinatur à Deo: quæ acceptio est per comparationem ad vas, quod tunc censetur plenum esse aqua, exempli gratiâ, quando tantum habet, quantum potest capere, licèt non contineat totam aquam: altera plenitudo gratiæ *est ex parte gratiæ*, quando quis non solummodò habet tantam gratiam quantam singulare eius officium postulat, sed in tanta abundantia & excellentia, in quanta potest haberi tam in se, quàm quoad suos effectus secundùm intensionem & extensionem possibiles.

Notandum secundò, hanc posteriorem plenitudinem gratiæ adhuc posse intelligi duobus modis: primò de possibilitate illa gratiæ *iuxta ordinariam tantùm potentiam Dei*, secundùm IV. quam Deus Sapientiæ vndecimo dicitur omnia D VIII. fecisse *in numero, pondere & mensura*. Deinde potest hæc eadem possibilitas intelligi *secundùm absolutam potentiam Dei*.

Notandum tertiò, inter effectus possibiles gratiæ alios esse qui dicant vel *supponant aliquam imperfectionem in proprio suo subiecto*: exempli causâ, detestatio proprij peccati facta ex motiuo amoris supernaturalis Dei: alios esse qui *nullam talem imperfectionem dicant*, vt meritum. His ita prænotatis, sit

Prima propositio. *In Christo fuit plenitudo gratiæ, & hæc tam ex parte gratiæ iuxta potentiam ordinariam Dei, quàm ex parte subiecti quoad illos effectus, qui nullam includunt imperfectionem*. Ita sanctus Thomas hic art. 9. & 10. & communiter omnes Theologi. Probatur, quoad singulas partes, & primò quòd plenitudo gratiæ sit in

V. VI.

I. Christo, habetur expresè Ioan. primo, vbi Verbum incarnatum dicitur, *plenum gratiæ*, & postea subiicitur, *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, quod hac quæst. disp. 2. art. 1. ostendimus esse intelligendum de Christo.

Deinde quòd hæc plenitudo sit *totius gratiæ quantum est ex parte gratiæ*, iuxta potentiam ordinariam Dei, probatur ex eodem Euangelista, qui non dicit simpliciter Christum fuisse *plenum gratiæ & veritatis*, sed explicat modum istius plenitudinis ista parenthesi *(vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre)* sic enim loquendo insinuat istam plenitudinem gratiæ tantam, & talem esse in Christo, qualis & quanta maximè decet naturalem Filium Dei: atqui illa plenitudo gratiæ quæ attenditur penes ipsam gratiam, de potentia ordinaria Dei concessam, & concedendam omnibus puris creaturis, maximè decet naturalem Filium Dei, cuiusmodi est Christus, quia hæc eius dignitas excedit omnes & quaslibet dignitates etiam sumptas coniunctim omnium eiusmodi creaturarum quę fuerunt, sunt, & erunt, iuxta potentiam ordinariam Dei & leges ab eo iam præscriptas, vt per se patet, & Apostolus expressit capite primo ad Hebræos, sic loquens de Christo, *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit: cuis enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* igitur Christus talem & tantam habuit plenitudinem gratiæ habitualis, qualis & quanta, imò maior nunquam fuerit concessa vel aliquando concedetur secundùm potentiam ordinariam Dei ipsis creaturis intellectualibus.

II.

Atque huic nostræ probationi hæc ratio sancti Thomæ articulo nono potest accommodari.

III. Quò aliquis propiùs & perfectiori vnione coniungitur Deo, eò maiorem debet, saltem ex decentia, accipere gratiam, & maiorem influentiam gratiæ: quantò enim aliquod receptiuum est propinquius causæ influenti, eique perfectiùs coniunctum, tantò abundantius recipit: atqui anima Christi ita est propinqua Deo, ratione vnionis hypostaticæ, vt nihil ex rebus creatis, sit illi propinquius & magis coniunctum perfectiori vnione, vt patet ex dictis suprà de excellentia vnionis hypostaticæ, & ipse Deus est causa gratiæ habitualis, iuxta illud Psalmistæ, *gratiam & gloriam dabit Dominus*: igitur Christus habet gratiam longè maiorem, quàm sit gratia habitualis omnium creaturarum rationalium seu intellectualium.

IV. Idem patet ex Patribus, vt sancto Cyrillo libro primo in Ioannem capite decimo-septimo, vbi ait, quòd sicut filius accipit à patre totam hæreditatem, seruus autem munera quædam: ita Christus totam substantiam gratiæ, reliqui aliquas eius particulas: *Sancti*, inquit, *veluti vernæ in domo sunt, filius autem in domo sua versatur*: quod habet fundamentum in Apostolo ad Ephesios quarto, dicente, *Vnicuique nostrùm gratia data est secundùm mensuram donationis Christi*: Item sancto Hieronymo in caput nonum Isaiæ, sancto etiam Thoma primâ parte quæstione vigesima, articulo quarto in solutione ad secundum dicente, *Deum plus amare naturam humanam Christi quàm omnes Angelos, & hanc esse istis meliorem, maximè ratione vnionis*, vbi addendo particulam, *maximè*, innuit istum amorem non tantùm fundari in vnione hypostatica, sed & in aliquo alio, quod nihil potest esse aliud quàm ipsa habitualis gratia concessa animæ Christi, cùm post vnionem hypostaticam nihil excellentius possit esse in illa. A V.

Quòd item hæc plenitudo gratiæ Christi Domini sit ad omnes, & quoscumque effectus gratiæ habitualis, nullam includentes imperfectionem, patet, quia aliàs non esset vera plenitudo gratiæ quantum est ex parte gratiæ; cùm enim gratia habitualis sit ad operandum, quia est habitus operatiuus, quemadmodum totalis plenitudo graduum gratiæ qui sunt, fuerunt, vel aliquando erunt, est in anima Christi, ita & ipsa vis & efficacia gratiæ ad operandum omnes & quoslibet effectus correspondentes habituali gratiæ.

Addidi tam in propositione, quàm inter probandum, hanc particulam *(nullam includentes imperfectionem)* quia enim anima Christi non B est capax imperfectionum, circa quas habitualis VI. gratia sese interdum occupat in nobis, ideò habitualis gratia animæ Christi non debuit sese extendere ad eiusmodi operationes, non quidem *defectu virtutis in se*, sed *ex carentia occasionis & subiecti*, ad illas exercendas circa seipsam: & hæc pars est sancti Thomæ hîc articulo nono in solutione ad primum, vbi illam illustrat exemplo ignis, in quo non sunt omnes modi defectui caloris, sed tantùm quicquid pertinet ad perfectionem caloris.

Tandem quòd plenitudo gratiæ ex parte subiecti fuerit in Christo patet ex eo, quòd hæc attenditur penes conditionem, statum, & officium, ad quod is qui habet gratiam ordinatur, vt obseruauimus ex S. Thoma, hîc articulo 10. in corpore: at conditio Christi est quòd sit caput hominum & Angelorum, vt sequenti quæst. C ostendetur, quòd sit principium aliquod vniuer- VII. sale, per quod, & ex quo, gratia habitualis quodammodo transfunditur in alios, vt sanctus Thomas hîc loquitur art. 9. hinc enim se vocat *vitem & nos palmites* in Euangelio: ergo cùm vniuersale principium debeat continere in se omne illud cuius in aliis est principium, ipsa plenitudo gratiæ, provt attenditur ex parte subiecti, debet esse in anima Christi. Atque hæc ratio videtur desumpta ex sancto Paulo ad Colossenses capite primo, dum sic ait de Christo, *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*, quemadmodum etiam hunc locum Apostoli explicat sanctus Chrysostomus homiliâ tertiâ ad istam epistolam: nam ex eo quòd Christus habet hanc plenitudinem D VIII. gratiæ, Apostolus ibi probat eum esse caput Ecclesiæ, vt hæc eius particula, *quia*, satis apertè significat. Et conformiter ad hanc partem nostræ propositionis potest rectè dici, quòd *sicut in capite vigent omnes sensus, ita & in Christo, qui est caput Ecclesiæ, habitat omnis plenitudo diuinitatis*.

Obiicies contra hanc partem nostræ propositionis. Datur quędam proportio capitis mystici ad verum & naturale caput, hæc enim denominatio fundatur in aliqua analogia vnius ad alterum: atqui naturale caput non habet tantam quantitatem molis in se solo, condistincto à reliquis omnibus membris sui corporis, quantam omnia eius membra collectiuè sumpta habent, vt satis per se constat: igitur nec Christus, qui est caput mysticum omnium hominum & An-

gelorum,

I. gelorum, habebit in se solo tantam gratiam habitualem, quantam omnes Angeli & homines simul sumpti habent.

Respondetur, Analogiam capitis mystici ad caput naturale non debere attendi penes omnia quæ competunt capiti naturali, vt etiam patet in corpore politico, cuius ipse Rex est caput politicum, sed vt sequenti quæstione explicabitur, hæc analogia attenditur tantùm *penes nobilitatem maiorem*, & perfectionem maiorem, quàm sit in eius membris, & potissimum *in ipso eius influxu in ista membra*: vnde cùm Christus cum hac tanta gratia habituali possit longè perfectiùs totum istud præstare & habere, quàm cum minori gratia, è contra caput physicum non posset cum tanta quantitate molis exercere propria munia capitis naturalis, eo quòd forma naturalis determinatam quantitatem molis

II. postulat, tàm in toto corpore, quàm in singulis membris ad exercendum suas operationes, quemadmodum Philosophi docent ex professo in physicis, habitualis verò gratia non postulat intensionem ita præcisè determinatam, fit vt nullum sit inconueniens Christum solitariè sumptum tantum habere gratiæ habitualis, vt etiam quoad illam excedat omnes omnium purarum creaturarum intellectualium gratias habituales simul sumptas.

ARTICVLVS II.

Quæ plenitudo gratiæ habitualis fuerit Christo Domino propria.

SIT hæc nostra propositio. *Ex duabus prædictis plenitudinibus gratiæ sola illa quæ desumitur*

III. *ex parte gratiæ modo explicato in præcedenti articulo est propria soli Christo, altera verò est ei communis cum pluribus aliis.* Propositio est communis, quam sanctus Thomas hic articulo decimo tradit. Prior eius pars probatur ex eo, quòd reliqui omnes à Christo tantùm acceperint gratiam habitualem quasi secundùm aliquot illius partes; Christus verò totam siue quoad intensionem siue quoad extensionem, & in ordine ad effectus illi correspondentes & proprios. Nam de gratia collata nobis, ait Apostolus ad Ephesios 4. eam esse datam *vnicuique nostrùm secundùm mensuram donationis Christi*: de gratia autem collata animæ Christi dicitur Deus Ioann. tertio, *Eam ei dedisse non ad mensuram*, id est sine mensura & limitatione, quemadmodum sanctus Augustinus explicat tractatu decimo quarto in Ioannem,

IV. & sanctus Thomas hic ex illo articulo vndecimo in solutione ad primum, quod etiam patet ex citato loco Apostoli ad Colossenses primo, vbi Apostolus loquens de plenitudine gratiæ Christi, ait illum tenere *primatum in omnibus & quoad omnia*: ergo quemadmodum solus Christus habet hunc primatum, ita & solus ille habet totam hanc plenitudinem gratiæ habitualis: & tàm rationes quàm Patrum authoritates allatæ pro doctrina præcedentis articuli confirmant hanc partem nostræ propositionis, quibus addi potest S. Hieronym. ad caput vndecimum Itaiæ.

Posterior pars propositionis probatur, ex eo quòd sancti Lucæ primo capite, beatissima Virgo salutetur ab Angelo *plena gratia*, Actuum primo Apostoli in die Pentecostes dicantur *repleti Spiritu sancto*, id est gratia, Actuum

A sexto sanctus Stephanus dicatur *plenus gratia*: at ista plenitudo non potest intelligi de plenitudine quæ est *ex parte gratiæ*, quia tertium est, omnes istas non fuisse æquales Christo in gratia, imò nec sibi inuicem, cùm isti omnes non sint æquales in gloria, nam Ecclesia verè canit, *Beatissimam Virginem esse exaltatam super choros omnes Angelorum, esse reginam cælorum*: ergo debet istis omnibus esse excellentior in gloria, & cùm hoc respondeat gratiæ habituali vt fructus semini, beatissima Virgo habuit maiorem plenitudinem gratiæ habitualis, quàm reliqui alij habuerint: ergo talis plenitudo gratiæ ei, & quibusdam aliis Sanctis attributa in sacris litteris, non debet esse ea, quæ desumitur ex parte gratiæ: ergo debet esse ea, quæ attenditur penes subiectum, quatenus vnusquisque eorum, qui dicuntur *pleni gratia*, habet cum aliqua abundantia sufficientem gratiam ad eum statum, ad quem est à Deo specialiter deputatus. Hinc quia beatissima Virgo ante conceptionem Christi erat tantùm electa in matrem Dei, tunc aliam, minorem tamen habuit plenitudinem gratiæ, & aliam lògè maiorem accepit, vbi est facta mater Dei, vt ex SS. Patribus docet Toletus annotat. 67. ad primum caput S. Lucæ.

Ex hac posteriori parte huius propositionis deo sequuntur corollaria. Primum est, dari *duplicem plenitudinem gratiæ ex parte subiecti; vnam omnibus sanctis communem*, vt etiam obseruat sanctus Thomas hic articulo vndecimo in solutione ad secundum: quæ, quia omnes homines ordinantur à Deo in vitam æternam, ideo consistit in eo, vt omnes habeant

VII. gratiam sufficientem ad merendum sibi vitam
C æternam, de qua plenitudine sanctus Thomas explicat Apostolum desiderantem plenitudinem Dei Ephesiis, ad quos scribebat, capite tertio, *Vt impleamini*, inquit, *in omnem plenitudinem Dei. Alteram plenitudinem esse specialem plenitudinem*, secundùm quam aliqui deputantur à Deo ad aliquod munus speciale supernaturalis ordinis, & hæc plenitudo consistit in eo, vt habeant specialem gratiam cum aliqua abundantia tanto muneri obeundo proportionata: nam, quemadmodum sanctus Thomas eodem articulo decimo in solutione ad tertium obseruat, sicut in Beatis quædam prærogatiuæ dantur non communes omnibus Sanctis, ita & in iustis viatoribus quædam plenitudo gratiæ datur, provt hæc attenditur ex parte subiecti, quæ ibi est specialis: & de hac

VIII. D plenitudine intelliguntur ea Scripturæ testimonia, quibus beatissima Virgo & Apostoli, & sanctus Stephanus dicuntur *pleni gratia*.

Alterum corollarium est, hanc specialem plenitudinem gratiæ desumptam *ex parte subiecti* habere *aliquam latitudinem*, vnam esse alia maiorem & ampliorem: exempli causa, plenitudinem gratiæ quæ fuit in beatissima Virgine excedere omnem aliam plenitudinem gratiæ quæ fuit in omnibus aliis Sanctis puris creaturis, quia hæc plenitudo tota desumitur ex ordine ad statum & officium, ad quod quis vocatur à Deo, & in quo ab eo constituitur: ideóque cùm vnus ordinetur ad aliquod munus longè dignius quàm alius, exempli gratia beatissima Virgo: fit vt ex his plenitudinibus vna sit maior alia.

Qui tamen habent hanc plenitudinem gra-

I. tiæ, non dicuntur hoc sensu repleti gratia habituali etiam per ordinem ad seipsos, vel ad statum ad quem sunt vocati, quasi ampliorem gratiam, seu augmentum gratiæ suæ habitualis non possint amplius recipere: nam in Concilio Viennensi, vt refertur *in Clementina, ad nostrũ, de hæreticis*, damnantur tanquam hæretici, qui asserũt hominem posse in hac vita peruenire ad tantam gratiam, vt in ea non possit amplius proficere, & Beatissimam Virginem post illam salutationem Angeli, *Aue gratia plena* adhuc recepisse augmentum gratiæ concipiendo Christũ Deum hominem docent sanctus Athanasius homil. de Deipara, ex Scholasticis Soto in 4. distinct. 5. art. 2. Vega in Concil. Trident. lib. 2. cap. 10. sed dicuntur *pleni gratia*, quod tunc quando tales dicti sunt tàm eminentem & excellentem

II. gratiam habuerunt etiam cum aliqua abundantia, quanta fuit illis aliquo singulari modo conueniens pro opportunitate temporis & cæteris circumstantiis ad exequendum excellens illud munus ad quod tunc vocabantur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm habitualis gratia animæ Christi fuerit physicè aliquo modo infinita, vel ratione alicuius effectus.

PRÆSENS difficultas procedit tàntùm de facto, de qua variæ sunt Doctorum sententiæ pro varia infinitate quæ potest excogitari in gratia Christi. Vt igitur à longa earum enumeratione abstineamus, nec tamen desinamus scire quid veritatis vel falsitatis singulę contineant,

III. præmittemus varios modos, quibus hæc gratia habitualis possit apprehendi esse de facto infinita, tùm veritatem quæstionis iuxta illos singulos explicabimus, varias de hac re sententias perstringendo.

Imprimis itaque notamus gratiam habitualem Christi posse intelligi esse infinitam sex modis. Primò, *in ratione entis & qualitatis*. Secundò, *ratione alicuius modi physici* intrinseci gratiæ Christi, eíque aduenientis ex eius coniunctione ad Verbum, qui modus sit infinitus in ratione modi, & modificando gratiam conferat illi infinitatem. Tertiò, habitualis gratia animæ Christi potest intelligi esse infinita *in ratione gratiæ*, quatenus scilicet potest præstare aliquem effectum infinitum. Quartò, *per ordinem & moralem habitudinem, quam habet ad suppositum Verbi*, provt talis gratia existit in Christo. Quintò,

IV. *per solam extrinsecam acceptationem Dei*. Sextò & vltimò hoc sensu, quòd licèt in seipsa & secundùm seipsam considerata, tàm secundùm entitatem quàm secundùm intensionem, sit finita, attamen dicatur infinita, quatenus secundùm ordinariam potentiam Dei *nulla alia* habitualis gratia *potest dari maior*, quatenus hæc seipsa se extendit ad eos omnes effectus, qui iuxta hanc potentiam ordinariam possunt fieri ab aliqua gratia habituali. Hoc prænotato sit hæc

Prima propositio. *Habitualis gratia Christi fuit de facto finita tàm in ratione entis & qualitatis, quàm intensionis.* Ita S. Thomas hic, & plures alij. Probatur à nonnullis, vt à Vasquezio hic disputat. 37. à posteriori ex quibusdam

A absurdis, quæ, vt illi putant, sequerentur data opinione contraria: exempli gratia quòd visio beatifica ei correspondens esset infinita, & proinde comprehensiua diuinæ essentiæ. Item quòd contra naturam gratiæ illa non posset amplius crescere ex bonis operibus, & reddere suum subiectum magis gratum Deo.

Hæc tamen fundamenta videntur parum firma. Primùm quidem, quia tunc tantùm verè & propriè est comprehensio, quando obiectum cognoscitur cùm tanta penetratione cognoscitiua, cum quanta est in se, ex se & secundùm se cognoscibile, & proinde cognitio comprehensiua postulat in intellectu cognoscente tantam vim intelligendi, quanta est intelligibilitas in obiecto, vt fusiùs explicatur

B primâ parte quæstione duodecima: sed positâ habituali gratiâ infinitâ in anima Christi: item infinito lumine gloriæ, eius tamen intellectus, VI. licèt ex hypothesi videret omnia attributa Dei, tes omnes præteritas, præsentes, futuras, & possibiles, nondum cognosceret diuinam essentiam, vel eius attributa cum tanta vi intelligendi, cum quanta intelligibilitate sunt cognoscibilia: semper enim esset creatus, item lumen gloriæ, & eius visio creata: at diuina essentia eiúsque attributa sunt tantùm ab intellectu increato vt sibi adæquatè proportionato cognoscibilia.

Secundum item fundamentum est satis debile, nam supponit esse intrinsecum gratiæ habituali crescere ex bonis operibus, quod tamen est falsum: cùm Beati extra visionem & amorem beatificum exerceant bonas & liberas actiones, per quas tamen gratia habitualis non augetur. Addi etiam potest, iuxta Vasquesium relatum supra, gratiam Christi non

C posse crescere ex bonis operibus, & proinde sequi potiùs contra illum gratiam Christi esse de facto infinitam, cùm iuxta illum *non posse amplius crescere ex bonis operibus* sit argumentum infinitatis in gratia. VII.

Neque facit ad rem, quòd Vasquesius suprà ait gratiam habitualem non potuisse in Christo crescere ex bonis operibus, nec illum reddere magis gratum Deo, quia iam est naturalis Filius Dei per gratiam vnionis: at in aliis puris hominibus existens potest semper & semper reddere illos magis gratos Deo ex bonis operibus. Hoc, inquam, non satisfacit, quia magis inde sequitur gratiam Christi esse de facto infinitam: nam quando duæ formæ sese compatiuntur, & sunt in eodem subiecto, si vna earum sit ex sua

D natura capax augmenti, non impeditur consequi illud ex vi solius consortij alterius, si altera forma nullomodò sit actiua, sed gratia VIII. vnionis & gratia habitualis sunt quasi duæ formæ, sese simul compatientes in Christo, & gratia vnionis nullo modo est actiua, quia est tantùm ad terminandum hypostaticè, & gratia habitualis est capax augmenti, etiam per bona opera, & reddere suum subiectum magis gratum Deo: ergo habitualis gratia existens in Christo non impeditur crescere & reddere Christum magis gratum Deo gratitudine sibi correspondente per gratiam vnionis: ergo *ipsum eius non posse crescere* in Christo, seu non reddere Christum magis gratum Deo est potiùs aliquod signum eius infinitatis. Omissis igitur eiusmodi fundamentis,

Probatur propositio, primò ex eo quòd nul-

V.

I. lum de facto detur ens creatum infinitum, quia Sapientiæ it. dicitur Deus fecisse omnia *in numero, pondere, & mensura*, & Philosophi idem docent in physicis: atqui habitualis gratia Christi, tàm spectata in ratione entis seu qualitatis, quàm in ratione intensionis, est ens actu creatum: ergo gratia Christi neutro modo est infinita. Deinde habitus & principium alicuius effectus vel operationis debent esse proportionata suis effectibus & operationibus, ita vt ipsi habitus, si sint infusi, per se tales infundantur, quales eos postulant operationes illæ quarum sunt principia, & illi effectus ad quos ordinantur: atqui gratia Christi, de qua hîc loquimur, est quidam habitus infusus per se, ad exercendum connaturaliter actus supernaturales secundùm suam substantiam, vt intelligitur ex præcedentibus art. & ad promerendum aliquid, quorum

II. neutrum requirit gratiam entitatiuè, vel etiam intensiuè infinitam, sed tantùm dignitatem ex coniunctione ad Verbum, quæ dignitas est extra rationem gratiæ habitualis Christi vtroque modo præcisè consideratæ: igitur habitualis gratia Christi est tantùm finita tàm secundùm suam intensionem quàm secundùm entitatem.

An autem de absoluta potentia Dei gratia Christi potuerit esse infinita hoc vtroque modo, est eadem fere difficultas, ac an absoluta potentia Dei aliquod infinitum in qualitate possit produci: cuius difficultatis explicatio propriè spectat ad lib. Phys. & ad primam partem S. Thomæ, quando agitur de infinitate Dei. Qui sequuntur partem negantem negabunt consequenter gratiam habitualem posse esse infinitam in entitate & intensione, qui verò contendunt gratiam Christi hoc vtroque modo esse

III. infinitam, id potissimum vrgent, ex eo quòd non repugnet Deum facere aliquod infinitum, & infinitam qualitatem, siue quoad intensionē, siue quoad entitatem, vt videre est apud Maiorem libro tertio sententiarum distinctione decima tertia, quæstione 3. & alios.

Secunda propositio. *Habitualis gratia Christi non fuit infinita, ratione modi alicuius physici intrinseci aduentitij tali gratiæ, ex ipsa eius coniunctione ad Verbum.* Probatur, quia non potest explicari quid modus iste infinitus sit, & à quo producatur efficienter. Primùm quidem, quia si quid sit, non potest concipi esse aliud, quàm quòd hæc gratia habitualis terminetur à supposito Verbi, mediante animâ & voluntate

IV. Christi terminantur à Verbo: atqui *hoc eiusmodi terminari* non est aliquid entitate modali infinitum, tùm quia omnia accidentia humanitatis Christi essent similiter infinita, cùm eodem modo terminétur à Verbo, tùm etiam quia verbum potest absoluta potentia relinquere humanitatem cum omnibus suis accidentibus eodem immediato modo sese habentibus ad illam, quoad intimam sui coniunctionem cum illa: atqui tunc nec gratia, nec alia accidentia haberent modum aliquem infinitum, sibi intrinsecum, sicut nec habent in nobis, & hoc potest explicari sumpto exemplo à Sacramento Eucharistiæ, in quo fit tantùm aliqua immutatio in quantitate, cætera verò accidentia, quæ immediatè insunt quantitati, sese habent eodem modo ac ante.

Secundum item probatur, quòd scilicet *principium efficienter productiuum istius modi infiniti non possit assignari*: vel enim est solum Verbum, vel tota Trinitas: non solum Verbum, quia hoc nihil efficienter influit in humanitatem, vt sæpè docuimus: non item tota Trinitas, quia vt ab illa fieret vi vnionis, hæc vnio deberet illum postulare ex sua natura, vel saltem ex aliqua congruitate: at non postulat primo modo, sic enim tantùm petit nudam terminationem dependentiæ animæ cui inest à Verbo: non item ex congruitate, quia hæc esset, vt opera Christi, facta ex hac habituali gratia, essent valoris, pretij, & meriti infiniti: at rectè possumus intelligere opera Christi esse infiniti valoris absque tali modo, vt patet ex dictis disputatione quinta ad primam quæstionem huius part. & etiam ex dicendis: igitur habitualis gratia Christi non fuit infinita ratione alicuius

B modi, realis, intrinseci, sibi aduenientis ex sui mediata vnione ad Verbum diuinum.

Tertia propositio. *Habitualis gratia Christi præcisè secundum se, & in se sumpta tantùm, non est infinita in ratione gratiæ, respectu alicuius effectus infiniti, quem illa possit producere.* Probatur: nam vel illum produceret efficienter, vel tantùm moraliter meritorie: non priori modo, quia sicut est finita in sua entitate & intensione, ex prima propositione, sic & in physica sua efficientia, cùm hæc sequatur istam: non item posteriori modo; licèt enim multi effectus Christi sint infiniti valoris, pretij & meriti, vt diximus de singulis eius liberis operibus, quæ exercuit dum adhuc esset mortalis, hæc tamen non accipiebant istam infinitatem præcisè ab ipsa eius gratia habituali, sed ab ipso

C supposito Verbi influente moraliter, vt citata disputatione quinta ostendimus: igitur habitualis gratia Christi in se & secundùm se spectata, non est infinita in ratione gratiæ.

Quarta propositio. *Habitualis gratia Christi non est infinita per veram tantùm extrinsecam acceptationem Dei.* Probatur: quod solà hâc ratione est infinitum, hâc seclusâ, nullam aliam habet infinitatem, etiam iuxta moralem æstimationem vel habitudinem ad aliquid distinctum à se, quemadmodùm facilè intelligitur ex ipsis terminis: atqui habitualis gratia Christi præcisa omni acceptatione extrinseca habet aliquam infinitatem, vt paulò pòst explicabitur: igitur habitualis gratia Christi non est infinita per veram tantùm extrinsecam acceptationem Dei.

D

ARTICVLVS IV.

Quo sensu habitualis gratia Christi sit infinita.

SIT hæc nostra propositio. *Habitualis gratia Christi duobus modis est infinita.* Primo, *per moralem habitudinem, quam existens in Christo habet ad suppositum Verbi: deinde eo sensu, quòd nulla alia habitualis gratia possit dari maior secundùm ordinariam potentiam Dei.*

Duæ sunt partes huius propositionis: prior est sancti Thomæ hîc articulo vndecimo in respons. ad secundum. Probatur: moralis dignitas rei alicuius attenditur penes dignitatem eorum ad quæ res illa habet necessariam habitudinem,

V.

VI.

VII.

VIII.

I. vt intelligitur in rebus humanis, & fusè exposuimus ad 1. quæst. huius partis disputat. 3. 4. & 5. atqui habitualis gratia Christi, vt existens in illo habet necessariam habitudinem ad Verbum diuinum, vt suppositum animæ in qua est: ergo habitualis gratia Christi erit infinita per ordinem ad suppositum Verbi quod est infinitum.

Cæterùm notandum est hanc infinitam dignitatem habitualis gratiæ animæ Christi esse aliam ab ea, quam bona opera Christi vt satisfactoria & meritoria habent: hæc enim habent infinitam personalem dignitatem, & illum valorem infinitum, quem citatâ disputat. 5. appellauimus *radicalem*, quatenus vt satisfactoria & meritoria includunt ipsam personam Verbi diuini sese simul cum suis operibus subiicientem & II. offerentem Deo in satisfactionem: habitualis verò gratia animæ Christi eum tantum habet valorem infinitum, quem ibi appellauimus *derivatum* & resultantem.

Deinde notandum est hanc esse distinctionem habitualis gratiæ animę Christi, ac aliorum accidentium, putà coloris & aliorum id genus, *quoad hanc infinitam dignitatem*: quod licèt omnia accidentia humanitatis Christi accipiant singularem quamdam dignitatem ex sua mediata coniunctione ad Verbum quod est immediatè vnitum humanitati cui insunt, non propterea tamen possunt dici & appellari *infinita* per ordinem ad personam Christi, nec ex tali sua coniunctione crescere in proprio suo genere, sicut gratia sanctificans, quæ ratione talis habitudinis appellatur rectè infinita, & crescit III. in suo genere: exempli causa, color qui est in Christo, habeat eximiam dignitatem ex eo, quòd sit coniunctus personæ Filij Dei, ratione cuius est conspiciendus cum summa reuerentia; hæc tamen eius digniras non auget in eo rationem valoris, nec ei confert hanc infinitatem, vt ratione talis suæ coniunctionis habeat moralem bonitatem in ordine ad meritum & satisfactionem: at habitualis gratia Christi ex hac mediata sui coniunctione ad personam Verbi in Christo, hoc vtrumque accipit: cuius discriminis hæc est ratio, quòd proprium gratiæ habitualis est reddere suum subiectum gratum Deo, & opus bonum ex ea elicitum meritorium: vnde quando infinita dignitas ei accidit ex supposito, ita crescit in suo genere, vt fiat infinitè grata & amabilis, adeò vt bonum opus liberum ex ea elicitum in via, sit infiniti meriti; sicque per habitudinem ad personam Christi IV. rectè censetur esse infinita *in suo genere seu gratia*, quod est reddere suum subiectum & proprium actum Deo gratum infinitè: alia verò accidentia non sunt de genere eorum, quæ ex se, & propria sua conditione reddant suum subiectum magis gratum & bonum gratitudine & bonitate morali, in ordine ad meritum & satisfactionem, & his similia, sicut facit habitualis gratia, vt facilè omnes intelligunt: ideòque sit vt defecta talis capacitatis non possint ratione suæ habitudinis ad personam Christi crescere *in suo genere*, nec eo modo *dici infinita* quo habitualis gratia Christi.

Posterior pars propositionis, quæ asserit gratiam habitualem Christi eo sensu esse infinitam, quòd iuxta ordinatiam potentiam Dei nulla alia possit dari maior, manet sufficienter probata ex dictis suprà de plenitudine habitualis gratiæ Christi: cùm enim hæc sit maior totâ gratiâ omnibus creaturis intellectualibus collatâ, & conferendâ iuxta potentiam ordinariam Dei; hæc eadem habitualis gratia Christi, eo sensu est infinita, quo illud censetur esse infinitum, quo, in eodem genere, nihil maius poteſt dari secundùm potentiam ordinariam Dei.

Neque hæc vtraque pars vltimæ propositionis repugnat primæ propositioni articuli præcedentis, qua diximus hanc gratiam Christi esse finitam in genere entis, & qualitatis: nam istud tantùm significat gradus entitatiuos istius qualitatis esse in aliquo determinato numero: at quando hæc gratia dicitur à nobis esse *infinita* priori parte huius propositionis, consideratur tantùm *in esse moris*, vt patet ex dictis circa illius probationem, quod genus infinitatis est omnino aliud; nec quicquam repugnat id *quod est infinitum in genere moris*, esse *finitum in genere entis*; quando verò posteriori parte huius propositionis dicitur esse infinita, tantùm significatur, illam fuisse collatam Christo ita amplam, vt longè superet omnes alias puratum creaturarum intellectualium gratias.

V.

VI.

VII.

VIII.

ARTICVLVS V.

Soluuntur tria dubia.

EX superioribus allatis tria oriuntur dubia. Primum est: si ex hypothesi gratia habitualis infinita in genere entis esset possibilis absolutâ potentiâ Dei, an, data tali hypothesi, debuisset dari animæ Christi ob excellentem illam coniunctionem quam habet cum persona Verbi.

Aliqui recentiores respondent affirmatiuè, nos tamen respondemus negatiuè: cuius responsionis hæc est ratio, quòd habitualis gratia animæ Christi debeat esse proportionata, vel vnioni hypostaticę animæ cum Verbo, tanquam suæ rationi formali vel radici, à qua vel physicè, vel moraliter dimanat, aut ipsi Verbo quod vnitur animæ, vel dignitati Christi, quæ est quòd sit naturalis Filius Dei, & item caput omnium hominum: at ex nullo horum capitum gratia habitualis animæ Christi debet esse, *quoad entitatem & intensionem infinita*: non ex primo capite, nam vnio hypostatica spectata in ratione entis est simpliciter & absolutè finita, cùm sit aliquid factum & creatum, vt patet ex dictis suprà disputatione sexta ad secundam quæstionem: nec item ex secundo capite, quia perfectiones illæ quæ communicantur animæ Christi, ratione Verbi ei vniti, non debent proportionari quoad suam physicam entitatem ipsi Verbo spectato secundùm se & simpliciter, quia ad illud sic spectatum, anima Christi, vel eius perfectiones non dicunt maiorem habitudinem, quàm animæ reliquorum hominum, sed debent tantùm ei proportionari, vt de facto communicatur humanitati, quia sic anima habet ad illud specialem quamdam habitudinem, & ad illud solum pertinet, cùm sic terminetur à Verbo hypostaticè: atqui ratio illa, per quam Verbum de facto communicatur humanitati, est ipsa vnio hypostatica, quæ secundùm suam entitatem est finita, vt nunc est dictum: neque item ex tertio capite, quia naturalis filiatio Christi, sumpta formaliter & præcisè,

I. est quædam relatio, eáque temporalis & creata, sicut & ipsa vnio est quid creatum & factum in tempore, vt patebit infrà agendo de illa: ergo quoad suam entitatem est finita: ergo ex vi illius physicè & entitatiuè spectatæ, gratia habitualis Christi non debet esse infinita quoad entitatem & intensionem.

Neque dici potest hanc filiationem ita esse aliquid finitum & creatum, vt tamen id, quod per illam communicatur, & in quo, vt communicato, talis relatio fundatur, sit aliquid infinitum in entitate, scilicet Verbum: nam tunc recurrunt quæ nunc diximus pro excludendo 2. capite. Neque similiter dici potest dignitatem tanti suppositi coniuncti animæ Christi postulare habitualem gratiam infinitam, si sit possibilis, nam hæc assumptio animæ, seu etiam totius humanitatis ad vnitatem suppositi Verbi, est aliquod spirituale matrimonium, vt explicat S. Gregorius homil. 38. in Euangelia, in quo diuinum Verbum desponsauit sibi humanitatem, eius comparatione abiectissimam, & vilissimam tat quando Rex aliquis potentissimus accipit in vxorem mulierem abiectissimæ conditionis, non est necesse vt dos ipsa vxoris respondeat omnino nobilitati tanti Regis, sed tantùm requiritur vt respondeat ei excellentiæ quæ deriuatur ab ipso rege in istam mulierem dum illam accipit in vxorem: ergo à pari quando Verbum assumpsit humanitatem velut in vxorem per hoc mysterium, non fuit necesse vt ipsa habitualis gratia, quæ cum aliis donis supernaturalibus est veluti dos humanitatis, adæquetur infinitati Verbi, sed ei tantùm perfectioni, quam humanitas intrinsecè recipit in seipsa ratione talis vnionis quæ ei huitur ad tale coniugium: at hæc perfectio est ipsa vnio hypostatica entitatiuè finita.

II.

III. Denique hæc gratia habitualis non debet esse infinita ex 4. capite, quia hæc dignitas capitis tantùm postulat, vt habitualis gratia sit in illo cum tanta abundantia, tanquam in aliquo vniuersali principio, à quo omnis gratia, quæ communicatur, deriuetur ad alios: at hoc, ex propria sua conditione, non postulat habitualem gratiam esse entitatiuè & intensiuè infinitam, sed plenitudo gratiæ, quam suprà exposuimus esse propriam animæ Christi, est sufficiens, quæ tamen simpliciter & absolutè loquendo non includit infinitatem in ratione entis & intensionis: igitur etiam si habitualis gratia entitatiuè & intensiuè infinita esset possibilis, anima tamen Christi non illam iure suo sibi postularet.

IV. Secundum dubium est: cùm ex dictis hæc gratia sit finita, & ex Concilio Viennensi superiùs relato, homo possit semper, & semper proficere in gratia, quare nullus hominum possit peruenire ad tantam habitualem gratiam, quanta est habitualis gratia animæ Christi, præsertim cùm multi homines diutissimè vixerint & perseuerauerint in sanctitate?

Respondetur, id prouenire ex carentia specialissimorum auxiliorum excitantis & adiuuantis gratiæ ad tantam gratiam vel etiam maiorem consequendam necessariorum, quàm sit in anima Christi: Deum autem noluisse dare puris hominibus ista specialissima auxilia huius vtriusque gratiæ pro consequenda æquali vel maiori gratia quàm sit in anima Christi, eo quòd constituerit Christum exemplar prædestinationis omnium hominum, & caput etiam: at plus

A est perfectionis in exemplari & in capite, quàm sit in exemplato & in aliquo tiulo. V.

Tertium dubium est: cùm hæc gratia animæ Christi tam quoad entitatem & intensionem sit absolutè & simpliciter finita, an tamen possit absolutè & simpliciter dici infinita, quia habet aliquam infinitatem, vt explicatum est articulo præcedenti.

Respondetur, gratiam habitualem animæ Christi posse dici, *simpliciter infinitam in genere gratiæ*, quia quoad hoc, eadem videtur esse ratio illius ac meriti, & satisfactionis Christi: cùm tam eius meritum & satisfactio, provt de facto fuerunt, fundentur etiam in habituali gratia Christi, hæc enim in Christo fuit etiam aliquod principium meriti: atqui Patres & Concilia vocant meritum Christi *simpliciter & absque aliquo addito infinitum*, similiter & satisfactionem eius. Deinde, dicere gratiam habitualem animæ Christi esse simpliciter infinitam in genere gratiæ, est aliquem infinitum valorem tribuere, ratione cuius opera meritoria Christi ex illa exercita habeant valorem infinitum saltem in actu primo: atqui ex communi consensu Catholicorum totum istud competit gratiæ Christi, dum agnoscunt infinitam sufficientiam in sanguine, & meritis Christi ad redimendos infinitos mundos, si tot essent: igitur habitualis gratia animæ Christi potest dici esse simpliciter infinita in ratione gratiæ. B VI.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm habitualis gratia Christi Domini potuerit augeri.

VII.

C NON agitur hoc loco de hac gratia spectata secundùm *moralem dignitatem*, quam habet ex habitudine ad personam Verbi diuini: sic enim certum est eam ne absoluta quidem potentia Dei posse augeri intensiuè, cùm non possit habere habitudinem magis intimam ad aliquid intensiuè dignius ipso Verbo, quippe quod est æquè perfectum intensiuè, ac sunt duæ aliæ personæ diuinæ, vt docetur primâ parte agendo de mysterio Trinitatis; & accidens, cuiusmodi est habitualis gratia, eo quòd non est capax alicuius subsistentiæ, potest mediatam tantùm habere habitudinem ad aliquam ex personis diuinis: sed agitur solummodò de habituali gratia animæ Christi spectata *in esse physico & etiam morali gratiæ*, quatenus est quædam entitas ordinans suum subiectum ad participationem essentiæ diuinæ modo superius explicato: An scilicet illa potuerit augeri in Christo, siue de potentia ordinaria Dei, siue de absoluta sit? VIII.

Prima propositio. *Habitualis gratia non potuit augeri iuxta potentiam ordinariam Dei*: ita communiter omnes hîc & tertio sententiarum, distinct. 13. & probatur ex Patribus, quos satis fusè Melchior Canus lib. 12. de locis Theologicis capite decimo tertio refert: vnde etiam sanctus Gregorius Nazianzenus epistola prima ad Cledonium paulò post principium inter exponendum fidem Catholicam ita habet. *Si quis Christum ex operibus perfectum fuisse dixerit, anathema sit*: ex qua loquendi formula patet nostram propositionem esse de fide, ex communi consensu Patrum in rem tamquam de fide.

I. Probatur ratione, vbi datur de facto plenitudo gratiæ, quantum est ex parte gratiæ, ibi habitualis gratia non potest augeri, quia aliàs non esset talis plenitudo gratiæ: atqui plenitudo gratiæ, quantum est ex parte gratiæ iuxta potentiam ordinariam Dei, fuit de facto in anima Christi ex dictis suprà, & hæc statim atque conceptus est, vt paulò pòst ostendetur. Igitur habitualis gratia animæ Christi non potuit augeri iuxta ordinariam potentiam Dei. Adde quòd gratia tantum augeatur per merita & bona opera: atqui Christus nihil sibi meruit quoad animam & perfectiones illi inexistentes, vt dicetur infrà.

Nec his obstat quod S. Lucæ 2. sic dicatur, *Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*: nam vt rectè animaduertit S. Thomas hîc art. 12. in respons. ad tertium, istis particulis, *sapientiâ, gratiâ*, non intelliguntur ipsi habitus sapientiæ & gratiæ, sed ipsa opera sapientiæ & gratiæ, ita vt sensus Euangelistæ sit, Christum pro ætatis suæ progressu perfectiora opera sapientiæ & gratiæ verè & de facto exercuisse: nam est satis commune sacræ Scripturæ, *opera virtutum appellare ipsomet nomine virtutum*, sic S. Luc. 1. opera & verba Salomonis, quæ erant effectus quidam habitualis sapientiæ residentis in Salomone, vocantur à Christo sapientia. *Regina Austri*, inquit Christus, *venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis*, sic S. Iacobi 1. opera religionis dicuntur religio, *Religio munda*, inquit, *hæc est visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum*: iuxta quam explicationem rectè intelligitur Christum tàm verè profeciisse in sapientia & gratia, quàm verè profecerit in ætate, quatenus sicut verè & propriè crescebat in ætate, ita & per incrementa ætatis faciebat verè & propriè maiora opera sapientiæ & gratiæ.

II.

III.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm habitualis gratia animæ Christi, per absolutum Dei potentiam, augeri potuerit.

DVæ sunt hac de re sententiæ, prior negans, quæ est Scoti tertio sentent. distinct. tertia, quæst. prima. Altera affirmans, quæ videtur esse sancti Thomæ hîc artic. 12. in responsione ad secundum, quam vltimam sententiam vt veriorem loco propositionis ponimus.

IV. Propositio. *Per absolutum potentiam Dei habitualis gratia animæ Christi, vt hîc à nobis consideratur, potest augeri*: hæc propositio videtur esse S. Thomæ hîc art. 12. in respons. ad secundum, quando ait *diuinam virtutem posse facere aliquid maius, & melius, quàm sit habitualis gratia Christi*: nam in rebus spiritualibus, de quarum genere est gratia, hi termini, *maius & melius*, idem sonant ac perfectius: at ea gratia censetur esse perfectior & maior *in esse gratiæ*, quæ ordinat hominem ad maiorem & perfectiorem gloriam, & proinde S. Thomas vult Deum posse facere, vt gratia animæ Christi sit maior, aliàs non responderet secundo argumento, quo ibi sibi obiicit, *virtutem diuinam, cùm sit infinita, nullo termino coarctari*, ne habitualis gratia animæ Christi possit esse maior: & apertius tradit nostram propositionem infrà qu. 10. art. 4. in responsione ad tertium, quando

A ait, *non posse dari maiorem gratiam quàm sit gratia Christi per respectum ad vnionem Verbi, licèt absolutè considerando, possit esse aliquis gradus altior, sublimiórque secundùm infinitatem diuinæ potentiæ*. Est etiam hæc propositio satis cõmunis inter Scholasticos, vt videre est apud plerosque Interpretes Magistri sentent. lib. 3. distinct. 13. & S. Thomæ hac quæst.

V.

Probatur, si habitualis gratia animæ Christi non posset per absolutam potentiam Dei augeri, talis repugnantia teneret se, vel ex ipsa habituali gratia, qua præcisè est gratia, vel ex anima Christi, quæ est eius subiectum, quatenus non est capax maioris gratiæ, vel ex modo quo hæc gratia est in tali subiecto, vel ex statu & conditione animæ Christi, quo à primo instanti suæ creationis, quo vnita est Verbo diuino, & suo corpori, semper habuit actus beatificos visionis & fruitionis diuinæ essentiæ, vel denique ex parte principij eius productiui, quod non habet vim producendi maiorem gratiam, quàm sit illa quæ est in anima Christi: at ex nullo horum capitum repugnat. Non ex primo, quia S. Thomas expresse 2 secundæ quæst. 24. art. 7. docet ipsam charitatem (quæ licèt in eius sententia sit distincta realiter à gratia sanctificante, à qua secundùm nos non distinguitur realiter, nihilominus tamen debet sequi conditionem gratiæ, cùm in sententia S. Thomæ gratia sit ad essendum supernaturaliter, charitas ad operandum, & ipsum operari eiúsque principium sequatur ipsum esse, cique proportionetur) secundùm rationem propriæ speciei non habere aliquem terminum augmenti, cuius rei hanc rationem reddit, *est enim charitas quædam participatio infinitæ charitatis, quæ est Spiritus sanctus*: nos dicamus de gratia, est enim gratia quædam participatio naturæ diuinæ, vt animaduertimus ex S. Petro: at essentia Dei est magis & magis participabilis ab aliqua rationali creatura per absolutam potentiam Dei, eo modo quo gratia sanctificans facit animam participem illius, quam de facto participetur ab anima Christi, quia hæc diuina essentia ex se est semper & semper magis participabilis: ergo non repugnat ex parte habitualis gratiæ Christi, quatenus præcisè est gratia, quin augeatur siue per additionem graduum charitatis ad præcedentes gradus, siue per maiorem eius radicationem in subiecto (quod disputandum reliquimus proprio suo loco scilicet secundæ secundæ quæst. 24.) & hoc est quod ait S. Thomas relatus à nobis ex quæst. 10. art. 4. in respons. ad tertium.

B

VI.

C

VII.

D Confirmatur hæc ratio. In tantum repugnat habitualem gratiam animæ Christi augeri ex præcisa ratione gratiæ, in quantum essentialis ratio destruitur per tale augmentum, aliàs si quæ sit implicatio, ea non petitur præcisè ex parte gratiæ quâ gratia est: atqui essentialis ratio habitualis gratiæ animæ Christi non destruitur, si quod augmentum ei superaddatur, quia non desinit esse vera quædam participatio diuinæ naturæ, sed tantùm redditur maior, sicut & essentia diuina est in hoc genere magis & magis participabilis.

VIII.

Confirmatur secundò: habitualis gratia, lumen gloriæ, & visio beatifica sibi inuicem proportionantur, ex communi doctrina Theologorum primâ parte quæst. 12. at non repugnat dari aliquod lumen gloriæ maius ipso lumine gloriæ, spectato secundùm se, quod est in Christo:

I. similiter dari maiorem visionem beatificam, non tantùm extensiuè, quatenus tunc plura ex possibilibus videbũtur, quàm nunc anima Christi videat, sed etiam intensiuè, quatenus diuina essentia & eius attributa magis penetrabuntur per aliquam visionem beatificam, quàm pene trentur de facto per visionem beatificam animæ Christi: cùm enim anima Christi non comprehendat diuinam essentiam, nec aliquod eius attributum, & detur maxima distantia inter visionem beatificam animæ Christi, & comprehensionem diuinæ essentiæ, vel alicuius ex eius attributis, non repugnat ex parte visionis beatificæ aliquam dari, quæ sit infrà comprehensionem diuinæ essentiæ, & tamen sit maior ipsâ visione beatificâ animæ Christi: ergo simili modo non repugnabit dari lumen aliquod gloriæ maius eo, quod de facto est in anima Christi; ergo

II. tandem non repugnabit etiam ex parte gratiæ, dari gratiam habitualem maiorem ea quæ est in Christo.

Quod item hæc maior gratia non repugnet ex parte subiecti, seu animæ Christi, probatur primò: quia quando aliquod accidens est talis conditionis, vt ex sua essentiali, eáque specifica ratione respiciat subiectum capax, ita vt *eius formale esse sit dare subiecto aliquam capacitatem*, tunc tale accidens non potest secundùm se, & extra subiectũ magis intendi quàm quando est in subiecto, quia *ipsum eius dare capacitatem* est totum in ordine ad subiectum quod informat: ideóque si tale accidens supponatur posse augeri, debet ex consequenti concedi tale eius augmentum ei non repugnare ex parte subiecti sui, seu quatenus est in illo: atqui ex nunc dictis pro parte præcedenti, non repugnat ex parte gratiæ

III. animæ Christi, quatenus hæc gratia spectatur secundùm se, quin possit augeri, & proprium seu formale munus gratiæ habitualis est facere animam capacem alicuius consortij cum natura diuina, seu illam facere participem naturæ diuinæ, vt sæpè notauimus: igitur non repugnabit ex parte animæ Christi habitualem eius gratiam fieri maiorem.

Deinde, capacitas animæ ad recipiendum gratiam habitualem non est *naturalis*, sed *obedientialis*, nam gratia recipitur in potentia, non naturali, sed obedientiali: ergo vt hæc potentia commensuratur Deo imperanti, sicut Deus potest suo imperio facere gratiam maiorem, quàm sit illa quæ est in anima Christi, ita etiam & obedientialis potentia animæ Christi poterit esse maior, & ita recipere maiorem gratiam: imò

IV. S. Thomas cit. 7. art. quæst. 24. expresè ait *excrescente charitate, semper superexcrescere habilitatem ad vlterius augmentum.*

Quod item augmentum istud non repugnet ex parte modi, quo hæc gratia est in anima Christi, probatur: quia vel modus iste est aliquid *reale physicum*, inexistens ipsi gratiæ vt existenti in anima Christi terminata à Verbo, vel est tantùm *aliquid morale*, scilicet summa illa dignitas, & valor aduenies ei ex mediatâ coniunctione sui ad Verbum, vel est ipsamet actualis eius vnio mediata ad personalitatem Verbi, quia nihil aliud videtur posse excogitari: at primum non reperitur in gratia animæ Christi, vt ostendimus præcedenti 2. disputat. art. 3. item non impedit hoc augmentum, quia, vt iam sumus argumentati, quando duæ formæ sese compatiuntur in eodem subiecto, si vna est capax aug-

A menti, non impeditur illud accipere ex vi solius consortij cum altera, præsertim si alia forma non sit actua physicè, sintque duæ istæ formæ diuersi generis & ordinis, quod totum habere locum in habituali gratia animæ Christi, patet. V.

Quod etiam actualis mediata vnio gratię cum personalitate Verbi non sit modus aliquis impediens augmentum huius gratiæ in anima Christi, patet ex eo, quòd hæc vnio est compossibilis cum gratia habituali in anima Christi, nec aliquo modo est actiua, nisi forsan moraliter, quatenus dignificat infinitè: ergo cùm hæc infinita moralis dignitas sit compossibilis cum gratia habituali animæ Christi, & in alio distincto genere, nec sit efficienter actiua, rectè poterit secum compati augmentum prædictæ habitualis gratiæ in anima Christi.

B Similiter, quòd hoc augmentum non repugnet ex quarto capite superiùs assignato, probatur: primò, quia non magis repugnat actus beatificos animæ Christi intendi, quàm actus beatificos aliorum Sanctorum iam regnantium in cœlo, est enim quoad hoc eadem conditio: at tantum abest vt eiusmodi intensio repugnet fieri in actibus beatificis Sanctorum iam à longo tempore fruentium ipso Deo clarè viso, quin potiùs insignes quidam Patres Ecclesiæ, vt S. August. lib. 12. in Genes. cap. 35. lib. primo retractat. cap. 14. S. Bernardus Serm. tertio, in festo omnium Sanctorum, similiter & quidam non postremæ notæ Scholastici, vt Magister sentent. lib. 4. sentent. distinct. 49. S. Thomas ibidem (licèt postea mutauerit sententiam) & nonnulli alij existimarunt visionem beatorum forè intensiorem post resurrectionem corporum: VI.

C & hanc opinionem esse dignam quæ defendatur tradit Ægidius de præsentatione in suo appendice ad libros quos composuit de beatitudine quæst. 2. §. 2. & quamuis opposita sententia sit longè verior, vt cum S. Thomâ ostendunt Theologi prima secundæ, quæst. 4. & citata distinct. 49. lib. 4. sentent. nullus tamen eam improbat ex hoc speciali capite, nimirum quòd istud fieri repugnet, sed aliis fundamentis, vt ibi videre est: ergo licèt verum sit beatificam visionem animæ Christi de facto, & iuxta potentiam ordinariam non posse intendi, similiter lumen eius gloriæ & habitualem gratiam, non tamen inde sequitur id non posse fieri de absoluta potentia Dei, de qua tamen præsens disputatio solùm instituitur. Deinde ipsum lumen gloriæ est capax intensionis, quia in quibusdam est maius, in aliis minus: similiter intellectus habet

D obedientialem potentiam ad illud maius, vel minus recipiendum, provt Deus voluerit illud infundere: est item aptitudo in diuina essentia & eius attributis, vt magis penetrentur per aliquam visionem beatificam, quam de facto penetrentur ab intellectu creato Christi, qui illam non cõprehendit: ergo nihil obstat quin Deus possit iuxta absolutam suam potentiam intendere eiusmodi visionem, & ex consequenti habitualem gratiam ei correspondentem. VII. VIII.

Tandem non implicare ex parte principij productiui gratiæ, quin illa possit augeri in anima Christi, patet: quia nunquam implicatio rei alicuius faciendæ tenet se ex defectu sufficientis virtutis in Deo, vt principio in genere causæ purè efficientis, aliàs enim non esset omnipotens: ergo cùm Deus sit principium productiuum gratiæ habitualis, quæ est in anima Christi,

I. non implicat ex parte illius quin hæc de absoluta eius potentia augeri possit.

ARTICVLVS VIII.

Soluuntur fundamenta sententiæ negantis articulo præcedenti relata.

PRIMVM fundamentum, quod est proprium Scoti, est. In singulis qualitatibus datur certus terminus perfectionis, vltra quem nullâ potentiâ augeri possunt: sed habitualis gratia collata animæ Christi Domini est vera quædam qualitas, & fuit ei concessa in sua totali & adæquata perfectione: igitur gratia animæ Christi Domini non potest etiam de absoluta Dei potentia augeri.

II. Respondetur, ex iis *quæ traduntur in physicis*, naturales qualitates posse spectari dupliciter, primò, *secundùm se*, secundò, *vt ordinantur ad conseruationem sui subiecti, vel formæ in subiecto*: illas priori modo nullum habere determinatum terminum suæ intensionis: posteriori modo habere, quia vt rectè ait S. Thomas hîc art. 12. in corpore, *mensura illis præfigitur ex ordine ad suum finem*, vnde cùm illarum finis sit conseruare subiectum in suo esse, vel formam in tali subiecto, ideo fit vt sic spectatæ præfigant sibi terminum: at habitualis gratia, etiam in anima Christi, non ordinatur ad conseruationem alicuius formæ quæ sit ab illo penitus recessura, nisi habeat hunc determinatum gradum gratiæ sanctificantis, quin potiùs ex ipsa propria habitudine ad proprium suum finem

III. nullum sibi præfigit certum terminum, vt iam animaduertimus, sicque poterit etiam existens in anima Christi semper augeri, si spectetur iuxta absolutam potentiam Dei.

Secundum fundamentum petitur ex S. Thoma hîc articulo 12. in corpore. Gratia habitualis habet suam mensuram ex fine ad quem ordinatur, sed per absolutam potentiam Dei non potest dari finis perfectior ad quem gratia ordinetur, quàm sit vnio hypostatica ad quam ordinatur in Christo: ergo neque etiam in Christo maior habitualis gratia potest dari, quàm sit ea quam nunc habet.

Respondetur, apud Philosophos *duplicem distingui finem: vnum cui*, & is nihil est aliud quàm res cui bonum volumus; *alterum qui*, & is nihil est aliud quàm ipsum bonum quod mouet nos ad sumenda media pro suipsius assecutione: exempli causa, finis *cui* potentiarum animæ nostræ,

IV. est ipsamet nostra anima, potentiæ enim dantur vt inseruiant illi: at cognitio, est finis *qui* potentiæ intellectiuæ, quia intellectus ideo datur nobis, vt anima informata illo consequatur cognitionem: iam quando S. Thomas hîc ait gratiam habitualem animæ Christi mensurari per comparationem ad suum finem, & ibidem in responsione ad secundum ait illam non posse ordinari ad aliquid maius quàm sit vnio personalis, loquitur tantùm *de ipso fine cui*, quo modo sententia S. Thomæ est verissima, vt iam animaduertimus, non autem agit *de fine qui*, cui tamen ratio finis magis conuenit, vt patet ex eo quòd res ipsæ apud Philosophos soleant penes illum magis diiudicari, quemadmodum videre est in physicis lib. 2. hic autem finis in re præsenti est participatio naturæ diuinæ, quę admittit intensionem, vt suprà ostendimus.

A Tertium fundamentum. Si hæc gratia potuit augeri: ergo & gloria animæ Christi: ergo & visio beatifica quam habuit à primo instanti suæ conceptionis: similiter ipsum eius lumen gloriæ, quia visio beatifica proportionatur lumini gloriæ, & hoc habituali gratiæ, vt docent Theologi, primâ parte: at visio beatifica animæ Christi non potuit augeri in illo, quia nequit immutari, vel interrumpi, cùm sit æterna, & ex sancto Augustino lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 6. *In illa cogitationes non sint volubiles*, nec in illa reperiatur successio, vt citata quæstione articulo decimo docent Theologi. Huic argumento respondetur ex dictis vltimâ parte præcedentis articuli: ibi enim ostensum est non implicare lumen gloriæ, & visionem beatificam augeri. Ad id autem quod obicitur de immutatione & interruptione beatitudinis respondetur, hæc procedere tantùm de facto; nos autem loqui de possibili, & duplicem posse distingui mutationem seu interruptionem, vnam propriè *physicam*, alteram *moralem*: hanc vtramque adhuc esse duplicem, *corruptiuam vnam*, & *alteram perfectiuam*; iam in casu nostræ propositionis, esset quidem *immutatio physica*, sed hæc mutatio esset *perfectiua*, quatenus anima beati non deperderet cognitionem eorum quæ ante intensionem sui luminis gloriæ cognoscebat, sed loquendo moraliter persisteret in illa, addendo ei aliquid perfectionis, scilicet *maiorem penetrationem obiecti*: vnde licèt *loquendo physicè* cognitio hæc esset *vera interruptio* actus beatifici, attamen *loquendo moraliter* esset quædam illius *continuatio*, sicut apud nos qui attentè considerat aliquod obiectum, & sequentibus instantibus melius illud penetrat, videndo plura in illo quàm antea, dicitur moraliter continuare talis obiecti cognitionem: neque propterea visio beatifica definiret dici & *esse æterna*, iuxta moralem æstimationem & loquendi modum Scripturæ: nam & pœna damnatorum passim in sacris Litteris appellatur *æterna*, & nihilominus damnati dicuntur in iisdem sacris Litteris transire ab vno genere pœnæ ad aliud Iob. 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium*, quod de cruciatu damnatorum S. Thomas explicat primâ parte, quæst. 10. art. 3. in responsione ad 2.

Quartum fundamentum. Datâ contrariâ sententiâ posset dari gratia puræ alicuius creaturæ rationalis, quæ superaret totam gratiam animæ Christi, & ex consequenti gloriam eius, quod

D videtur esse absurdum.

Respondetur, posse dupliciter intelligi Deũ posse dare alicui creaturæ rationali maiorem gratiam, & ex consequenti gloriam, quàm sit tota habitualis gratia animæ Christi: Primò, ita vt Christus, Deus-homo, sit & remaneat caput omnium hominum & Angelorum: Secundò, vt nullo modo sit constitutus à Deo caput illorum. Iam si Christus consideretur posteriori modo, non implicat nec videtur esse absurdum, Deum posse absoluta sua potentia dare puræ alicui creaturæ maiorem gratiam habitualem quàm concesserit de facto animæ Christi, quia tunc habitualis gratia spectatur solummodo *secundùm se*, & ex consequenti secundùm illam habitudinem ad diuinam essentiam participabilem à creatura rationali, non autem per ordinem ad suum subiectum: & sicut Deus de facto statuit dare Angelis gratiam habitualem

V. VI. VII. VIII.

I. iuxta proportionem suorum naturalium, vt S. Thomas docet primâ parte, ita etiam loquendo de potentia absoluta, potuit velle dare hominibus nullo peccato infectis gratiam iuxta proportionem perfectionum suarum naturalium, ac proinde sicut Deus potuit facere vt Verbum assumeret humanitatem destitutam omni ornamento gratiæ præterquam vnionis, ita etiam potuit facere vt anima Christi tunc haberet habitualem gratiam longè minorem, quàm sit illa quæ de facto reperitur in Angelis, imò & in multis hominibus.

At inquies, dato quòd anima alicuius puræ creaturæ rationalis haberet maiorem gratiam habitualem quàm esset habitualis gratia Christi, cùm gloria, seu visio beatifica respondeat gratiæ, pura illa creatura deberet habere maiorem gloriam, & perfectiorem visionem beatificam quàm anima Christi, quod tamen est absurdum, cùm Christus maneat semper naturalis Filius Dei, & alter, purus homo, vel Angelus, Filius Dei tantùm adoptiuus: est autem indecens Filium merè adoptiuum plus hæreditatis accipere à patre, quàm proprius & naturalis Filius accipiat, vbi hic nullomodo læsit Patrem, vt contingit in præsenti casu.

II.

Respondetur, quemadmodum in Christo duplex reperitur gratia, *vnionis vna*, & *altera habitualis*, ita etiam dari in illo duplex ius ad vitam æternam, seu ad visionem beatificam, vnum fundatum in gratia vnionis, alterum in gratia habituali, & licèt visio beatifica, seu gloria vt sic summodò correspondens habituali gratiæ nudè sumptæ, deberet in tali casu esse minor, quàm in alia pura creatura habente maiorem gratiam: quia tamen gloria datur de facto secundùm totum ius quod est in rationali creatura vt sanctificata & grata Deo, fieret vt in tali casu anima Christi semper haberet maiorem visionem beatificam, quàm pura alia creatura habens gratiam habitualem longè maiorem, & eius lumen gloriæ commensuraretur non eius gratiæ habituali nudè sumptæ, sed vt habenti consortium sanctitatis personalis: vnde quia hæc filiatio naturalis, quoad dignitatem quam affert naturæ, transcendit omnem quamcumque aliam dignitatem, & sanctitatem communicabilem puræ creaturæ, fit vt etiam si Christus non esset constitutus à Deo caput omnium hominum & Angelorum, semper tamen illos excederet in gloria seu visione beatifica, quod multo magis erit verum, vbi, sicut nunc, Christus constituitur caput illorum omnium: tunc

III.

IV. enim quia est caput omnium sanctificatorum per gratiam, debet habere illam magis intensam quàm sit in quocumque alio, sub se, tanquam capite contento.

A

DISPVTATIO V.

De fide & spe Theologicis virtutibus in ordine ad animam Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm fides fuerit in Christo.

EXPLICATA existentia & conditione vnius virtutis Theologicæ in Christo, agendum est de reliquis virtutibus Theologicis: vnde notamus nos hic non loqui de fide, provt significat fidelitatem seu constantiam & veritatem in promissis, nam fidem sumptam hoc modo verè & propriè fuisse in Christo habemus, Isa. 11. vbi prophera agens de Christo sic ait, *& erit fides cinctorium renum eius*, id est fidelitas, vt sanctus Hieronymus, suis ad illum locum commentariis, obseruat, & cùm hæc fides sit quædam virtus moralis nullam imperfectionem includens, sicut morales virtutes, vt infra docebimus, fuerunt in Christo, ita & hæc similiter. Sed *fides* sumitur hoc articulo provt significat *cognitionem siue actualem siue habitualem quâ assentimur fidei mysteriis*, & propositionibus nobis obscurè reuelatis à Deo, qua ratione est in vnoquoque fideli viatore.

B VI.

Notandum secundò, ex S. Thom. secunda secundæ, quæst. 2. art. 1. & quæst. 4. art. 2. ad fidem, & eius actum qui tenet se ex parte intellectus, prærequiri in voluntate *piam affectionem erga res creditas*, qua voluntas captiuet intellectum in obsequium fidei, seu moueat illum ad assentiendum rebus à Deo obscurè reuelatis. Nunc autem quæritur, an fides, siue quoad vnũ tantùm, siue quoad vtrumq; modo explicatum, fuerit de facto in Christo: nam quod spectat ad quæstionem de possibili, eadem est difficultas ac de Beatis, quam Scholastici tractant ex professo secunda secundæ. His ita præsuppositis sit

C VII.

Prima propositio: *Fides, quatenus includit solummodo id, quod in illa se se tenet ex parte intellectus, nullo modo fuit in Christo, siue quoad actum, siue quoad habitum.* Ita S. Thomas hac quæst. art. 3. & communiter omnes Scholastici. Probatur: quicquid dicit intrinsecè imperfectionem & aliquam oppositionem cum visione beatifica, illud non fuit in Christo, quia Christus fuit beatus à primo instanti suæ conceptionis, & proinde quod habet repugnantiam cum illa, dedecet statum eius: atqui fides infusa, siue secundùm actum, siue quoad habitum spectata, dicit intrinsecè imperfectionem & oppositionem cum visione beatifica, quia hæc est intrinsecè clara, & diuinæ essentiæ in se sicuti est, & facie ad faciem, ista est intrinsecè in ænigmate, & ex parte tantùm, id est, obscura, vt S. Paulus expressè habet 1. ad Corinth. 13. *Clarum* autem & *obscurum* sibi inuicem opponuntur respectu vnius & eiusdem obiecti.

D VIII.

Confirmatur. Illud quod tantùm est ex parte in viatoribus, & euacuandum in Beatis, non est in Christo, quia est beatus: atqui illud quod cognoscitur per fidem, est euacuandum in patria, vt idem Apostolus habet. Neque his obstat quòd hæc fides sit virtus infusa per se, habens Deum pro suo obiecto immediato, pro-

I. pter quam excellentiam vocatur *Theologica*, virtutes autem morales quæ sunt dignitatis longè inferioris fuerint in Christo. Hoc, inquam, non obstat, nam non quæcumque nobilitas virtutis facit vt aliqua virtus sit in Christo, sed ea tantùm quæ nullam imperfectionem habet sibi annexam, vel oppositionem cum statu Christi, quemadmodum S. Thomas hîc significat art. 3. in solutione ad 2. vnde quia fides in suo formali conceptu hoc vtrumque importat, vt iam animaduertimus, virtutes autem morales minimè, nonobstante nobilitate fidei, supra virtutes morales, hæ erunt in Christo, ista verò non item.

A

Articvlvs II.

Vtrùm pia affectio voluntatis circa res creditas fuerit in Christo.

II. ALIQVI recentiorum existimant piam hanc affectionem fuisse de facto in Christo, & habuisse rationem veri cuiusdam habitus dantis ei promptitudinem ad credendum mysteriis nostræ fidei propter diuinam auctoritatem, si intuitiua eorum cognitio & euidentia defuisset ei.

Verùm contraria sententia nobis videtur melior, pro qua sic Hæc propositio. *Pia illa affectio, qua voluntas inclinat & determinat intellectum ad assensum fidei, non fuit in Christo.* Probatur: denegato principali & eo quod habet rationem finis, debet etiam denegari id quod est minus principale, & habet rationem medij ad illud tanquam ad finem, quia necessitas & congruitas

III. medij attenditur penes necessitatem & congruitatem finis: atqui hæc pia affectio voluntatis admittitur vt determinet intellectum ad credendum rebus reuelatis, & habet rationem cuiusdam medij ad eliciendum actum fidei, quæ tamen fides infusa, neque quoad actum, neque quoad habitum fuit in Christo ex præcedenti articulo: igitur neque hæc pia affectio ad captiuandum intellectum vt præbeat assensum rebus fidei, fuit in Christo.

Explicatur vis argumenti. Vbi aliquid ita subordinatur alteri, vt sit in eius subsidium, & ad deseruiendum ei, si id, cui ita subordinatur, absit penitus, neque illud quod est in tale subsidium debet reperiri, tunc enim esset quasi violenter & omnino otiosè: at hæc pia voluntatis affectio ita subordinatur fidei infusæ, & est vt

IV. intellectus eliciat actum fidei: igitur hæc pia affectio non est in voluntate Christi. Deinde hæc pia affectio primò, & per se inclinat ad aliquid imperfectum & repugnans statui Christi, vt iam explicatum est: ergo debet remoueri à Christo.

Neque potest dici idem posse obiici de potentia generatiua & nutritiua, quæ non tantùm inclinant, sed etiam dant Christo posse exercere actus, qui numquam erunt nec esse possunt in Christo pro eo statu in quo nunc est: longè enim dispar est ratio, quòd nimirum virtutes illę, vt considerantur in actu primo, nullam dicant imperfectionem, quæ priuet Christũ aliquo bono sibi intrinseco vel etiam statui suo conuenienti, sicut ipsa fides, quæ intrinsecè importat obscuritatem: deinde potentiæ illæ pertinent ad naturæ humanæ integritatem, vnde non sunt frustra in Christo.

B

Articvlvs III.

Fundamenta affirmantis sententiæ præcedenti articulo relatæ soluuntur.

PRIMVM fundamentum desumitur ab auctoritate S. Thomæ hac quæst. art. 3. in responsione ad secundum, docentis fidem fuisse in Christo quoad meritum: at hoc nihil est aliud quàm fuisse in Christo obedientiam ad assentiendum iis quæ fide creduntur à nobis, vt sanctus Thomas ibidem exponit, & proinde piam hanc affectionem fuisse in illo. Respõdetur hæc duo distingui, *meritum fidei esse in aliquo, & obedientiam ad assentiendum iis quæ fide creduntur à nobis esse in aliquo.* Primum solum asseritur à S. Thoma, non item secundum: nam secundum VI. dicit ipsam fidem verè & propriè ibi esse: non enim potest hæc actualis obedientia reperiri in aliquo, quin simul ponatur & ipse assensus fidei: similiter hæc habitualis obedientia non potest poni nisi & habitus fidei ponatur: ergo sicut habitus fidei negatur esse in Christo, ita & hæc obedientia. Primum verò tantùm affirmat id, vnde ipsa fides habet meritum ex parte credentis, reperiri in Christo, quod est verum, etiam si nec ipsa fides in intellectu, nec pia affectio applicans intellectum ad assensum fidei reperiatur in voluntate. Illud enim vnde fides sic habet meritum, est ipsa virtus obedientiæ simpliciter & absolutè spectata, quæ in Christo fuit perfectissima, vt etiam S. Thomas explicat hic art. 3. in solutione ad secundũ, licèt non sese extenderit ad applicandum intellectum pro formando

C assensu fidei, quia talis actus repugnabat statui VII. eius in quo erat.

Secundum fundamentum est. Iste habitus, & eius actus nullam dicunt imperfectionem quæ repugnet beatitudini: nam aliquis potest ita dicere, *Bone Deus sum paratus ad credendum te esse trinum, & vnum, propter diuinam tuam auctoritatem si te non viderem*; actus iste est actus voluntatis, sonat enim promptitudinem eius, & est alicuius virtutis habentis connexionem aliquam cum habitu & actu veræ fidei: ergo cùm non possit tribui alteri habitui, quàm ipsius piæ affectionis, quæ præsupponitur in voluntate ad actum fidei, hæc pia affectio, tàm habitualis quàm actualis, debet habere locum in Christo Domino.

Negatur antecedens, & eius falsitas patet ex

D rationibus allatis pro nostra propositione: deinde VIII. quod spectat ad illum actum qui ibi asseritur posse esse in Beatis, respondetur imprimis illum videri otiosum, quia norunt optimè, actum fidei repugnare suo statui, nec se habere principium productiuum illius: præterea si actus ille est possibilis, erit potiùs virtutis *obedientiæ* prout est *virtus quædam generalis ad obediendum Deo in omnibus*, aut *studiositatis*, quàm ipsius fidei vel piæ illius affectionis prærequisitæ in voluntate ad actum fidei infusæ, qua de re disputant Theologi ex professo secunda secundæ.

Articvlvs IV.

Vtrùm spes fuerit in Christo.

QVIA præsens difficultas est fere tota communis Christo viatori, cum Sanctis

I. iam in cœlo regnantibus, & Scholastici eam tractant ex professo secunda secundæ quæst. 18. art. 2. quantum spectat ad omnes Sanctos, paucis eam attingemus, provt præsens institutum postulat.

Quidam recentiores, vt Suarez hîc in explicatione 4. art. Coninch. secunda secundæ, disp. 19. dub. 11. existimant verum habitum spei fuisse in Christo, & actum illum quo Christus adhuc mortalis desiderauit beatitudinem seu gloriam sui corporis, item exaltationem sui nominis fuisse actum veræ spei virtutis Theologicæ.

Melior tamen est aliorum sententia, quam loco propositionis ponimus, scilicet *neque habitum spei virtutis Theologicæ, neque aliquem eius actum fuisse in Christo, dum adhuc esset mortalis.* Ita S. Thomas hac quæst. art. 4. vbi in corpore

II. ait expresse *Christum non habuisse virtutem spei,* & in solutionibus argumentorũ semper negat spem, virtutem Theologicam fuisse in Christo, & secundæ secundæ quæst. 18. art. 2. in solutione ad primum negat virtutem spei fuisse in Christo, & actum illum supernaturalem, quo ante mortem sperabat gloriam corporis, fuisse actum virtutis spei. Eamdem sententiam sequuntur quamplures eius Interpretes, vt Medina hic ar. 4. Lorca secunda secundæ disput. 7. sect. 2. & plures alij.

Probatur primò iis omnibus Scripturæ & Patrum testimoniis, quibus Theologi prima secundæ loco nunc cit. probant spem esse euacuatam in patria, dum explicant locum illum Apostoli 1. ad Corinth. 13. *nunc manent fides, spes, charitas,* & illud ibidem, *charitas nunquam excidit:* Patres enim ponunt tale discrimen, vt

III. tres illæ virtutes tàm quoad actum, quàm quoad habitum manent in viatoribus: at ex illis sola charitas remaneat in Beatis, seu quod illa nunquam excidat, quod discrimen esset falsum, si in anima Christi adhuc mortalis fuisset habitus spei, vel aliquis eius actus propriè dictus: nam quoad hoc Christus ante resurrectionem erat eiusdem conditionis, ac nunc sunt Sancti in patria ante resurrectionem suorum corporum. Ita prædictum locum Apostoli de tota euacuatione spei explicant S. Chrysost. homil. 34. in priorem ad Corinth. Theodoretus ad illum locum Apostoli, Glossa & communiter alij Interpretes, & cùm certius sit Patres id intelligere de actibus spei & fidei, quàm de ipsis habitibus, quia certius est ista dari in ratione actus quàm in ratione habitus, cùm nondum constet inter omnes Doctores Scholasticos, an sit de fide ista dari in ra-

IV. tione habitus supernaturalis; constat certissimè Patres censere omnes & quoslibet actus veræ fidei & spei nullomodò reperiri in Beatis, nec proinde istos actus fuisse aliquando in Christo viatore.

Probatur secundò ratione. A quo abest essentialis ratio specificativa alicuius habitus, ab eo penitus abest & habitus illi correspondens, quia nihil potest esse sine suo constitutiuo essentiali: atqui essentialis ratio specifica habitus spei veræ virtutis Theologicæ abest ab omni eo quod est in Christo, quia talis ratio est ipse Deus, *vt possidendus & fruendus,* quæ ratio semper abfuit à Christo, cum ille à primo instanti suæ conceptionis fuerit beatus.

Neque est quòd quis dicat hanc formalitatem *(Deus vt possidendus, vt fruendus)* tunc habuisse locum in Christo, quatenus Christus de-

A bebat possidere Deũ plenũ & perfectum, & cum maiori perfectione frui illo post resurrectionem, quando esset beatus tàm corpore quàm anima, ideóque semper mansisse in illo formale specificatiuum habitus virtutis Theologicæ spei. Non est, inquam, quòd quis hoc dicat, nam quando aliquis habitus inclinat potentiam, etiam confortando illam ad duo obiecta, ad vnum tanquam *primarium*, & ad alterum vt solummodò *secundarium*: tunc specificatio talis habitus desumitur à solo primario, & non præcisè à secundario, quia sola habitudo ad primarium est illi intrinseca, & præcisâ habitudine ad secundarium, remanente tamen habitudine ad primarium, talis habitus intelligitur idem specificè remanere, non tamen econtra, scilicet sublatâ habitudine ad primarium, quia aliàs tale obie-

B ctum diceretur ineptè primarium: cuius rei hæc est ratio, quòd habitus inclinans potentiam etiam confortando illam ad eiusmodi duo obiecta, illam non inclinat ad secundaria obiecta, nisi mediatè & præsuppositâ inclinatione & confortatione potentiæ ad obiectum suum primarium: hæc enim secundaria obiecta sunt quædam participationes primarij obiecti, seu quædam appendices ad primarium obiectum, vt videre est in ipso lumine gloriæ, quod primò per se confortat & inclinat simul intellectum beati ad videndum clarè diuinam essentiam, & ab ea, tanquam primatio & suo essentiali obiecto, specificatur, & mediante tali inclinatione & confortatione corroborat & inclinat intellectum vt videat aliquot creaturas in Verbo, ita vt si nullæ creaturæ viderentur ab aliquo beato, & nihilominus diuina essentia videretur, semper lumen

C gloriæ propriè dictum verè esset in illo: & econtra si quis non videat diuinam essentiam, videbit aliquas creaturas in Verbo: atqui habitus virtutis spei Theologicæ confortat animam, eámque inclinat ad Deum, vt possidendũ & fruendum, tanquam ad primarium suum obiectum, & ad illum eundem vt per gloriam & immortalitatem corporis perfectum & plenum possidendum tanquam ad aliquod obiectum secundarium: ergo cùm spes non confortauerit nec inclinauerit animam Christi ante resurrectionem sui corporis ad primarium suum obiectum, scilicet *Deum vt possidendum & fruendum*, nec etiam illum confortauit vel inclinauit ad Deum plenius possidendum & fruendum per gloriam corporis. Deinde sublato fundamento, debet & denegari quod ædificatur suprà tale fundamentum: atqui ex dictis primo articulo fides in-

D fusa, virtus Theologica in Christo non fuit, & spes Theologica fundatur in ipsa fide Theologica, iuxta Apostolum in epistola ad Hebræos dicentem *fidem esse fundamentum rerum sperandarum*: ergo neque spes virtus Theologica fuit in Christo.

Potest idem amplius probari iis omnibus, quibus Theologi locis suprà citatis docent virtutem spei Theologicæ, loquendo propriè, non reperiri in Beatis.

V. VI. VII. VIII.

ARTICVLVS V.

Soluuntur obiectiones.

PRIMA est tàm contra nostram propositionem, quàm aduersus eius fundamentum. Reprobus existens in statu peccati mortalis, qui

I. per absolutam re . lationem Dei, sic à se cognitam, crederet fide divinâ se certò & infallibiliter damnatum iri, licèt ex veriori sententia Theologorum secunda secundæ, vbi agunt de spe Theologica, non posset in tali casu elicere actũ spei Theologicæ circa primarium eius obiectum, seu non posset sibi sperare beatitudinem æternam, nihilominùs posset & teneretur sibi sperare auxilia supernaturalia ad faciendum aliqua bona opera, & ad vitandum singula peccata; & tamen hæc auxilia sunt solummodò obiectum quoddam secundarium spei Theologicæ: ergo pari iure licèt Christus Dominus, vt homo existens adhuc in via, non potuerit exercere actum spei Theologicæ circa primarium eius obiectum, quia iam fruebatur Deo clarè viso, potuit tamen exercere actum spei circa

II. gloriam sui corporis, & eius beatitudinem quã nondum potiebatur, quæ gloria & beatitudo est tantùm aliquod obiectum secundarium spei Theologicæ: ergo falsum etiam est, eum qui non potest exercere actum alicuius habitus circa primarium eius obiectum, non posse etiam ex consequenti exercere aliquem actum eiusdem habitus circa aliquod secundarium eius obiectum, quale est beatitudo corporis respectu Theologicæ spei.

Respondetur concesso antecedente, negando cõsequentiam. Est enim in tali exemplo dispar ratio istius reprobi, ac Christi Domini quoad exercitium eiusmodi actuum, quòd Christus Dominus numquam habuerit habitum spei Theologicæ; nam anima eius fuit beata à primo instanti temporis suæ creationis. quare nunquam habuit vnde aliquis actus eius voluntaris

III. posset specificari ad hoc vt esset spei Theologicæ & subista speciali ratione illum exerceret. At iste reprobus supponitur non tantùm retinere fidem infusum, sed etiam habitum spei Theologicæ, à Deo sibi infusæ. sicque habet principium cõpletum exercendi actus eius, tàm circa primarium obiectum eius, quàm circa secundarium, quatenus completum hoc principium coalescit ex potentia vitali, & habitu supernaturali illam eleuante & confortante ad producendum connaturaliter suos actus; quia tamen principium istud, alioquin ex parte sui completum, non potest applicari à voluntate ad exercitium actus circa aliquid obiectum, nisi eius intellectus priùs apprehendat, & iudicet illud esse sibi acquisitu & obtentu possibile, (quemadmodum ibi docent Theologi) & istud in hac

IV. hypothesi non habet locum respectu beatitudinis æternæ: fit vt tunc, defectu huius conditionis prærequisitæ in obiecto sperato, tale principium impediatur applicari, & exire in actum circa primarium suum obiectum: econtrà, quia hæc conditio reperitur in isto reprobo comparatione obiecti secundarij commemorati in obiectione, possit eius voluntas ex isto habitu infuso sibi inexistente exercere actum eius circa secundarium istud obiectum ibi assignatum. Vnde formale & genuinum fundamentum nostræ propositionis non est, quòd qui, ex aliquo impedimento sese tenente ex parte obiecti primarij, non potest circa illud exercere actum habitus sibi correspondentis & proprij; is etiam non possit exercere actum illum eiusdem habitus circa secundaria aliqua eius obiecta. Hoc enim simpliciter & absolutè sumptum patet esse falsum, tàm ex ipsa obiectione, quàm ex respo-

A sione illi facta; sed fundamentum nostræ propositionis petitum à ratione, est illud quod prima nostra ratione exposuimus, ad quod sequitur eum, qui caret tali habitu, nõ posse ex illo exercere actus correspondentes obiectis secundariis sui habitus, nec proinde Christum Dominum, qui nunquam habuit habitum spei Theologicę, potuisse vero actu spei Theologicę, sperare beatitudinem & gloriam sui corporis.

Secunda obiectio. Beatitudo, seu gloria corporis Christi Domini, & exaltatio eius nominis, comparatione animæ Christi Domini, sunt tale bonum, vt vtrumque illorum habeat in se omnes conditiones requisitas in obiecto spei; est enim bonum honestum, & supernaturale, vt per se patet, item arduum iuxta illud S. Lucæ vltimo, *oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam*

B *suam*; similiter erat adhuc futurum pro illo tempore, quo Christus erat adhuc mortalis: item erat, vt Christus ampliùs & perfectiùs frueretur Deo, & proinde cùm finis & medium amentur eadem virtute, sicut Deus fruendus est obiectũ virtutis spei, ita actus ille, quo sperabat hoc vtrumque bonum, vt sic perfectiùs frueretur Deo, erit verè & propriè loquendo actus spei virtutis Theologicæ: ergo & ipse habitus spei vt virtutis Theologicæ fuit in Christo ante eius mortem. Consequentia patet. Actus studiosi arguunt realem existentiam eorũ habituum quorum sunt proprij: atqui prædicti actus elicìti à Christo ante mortem sunt actus veræ spei virtutis Theologicæ, vt nunc ostensum est. Ergo arguunt habitum spei Theologicæ fuisse in Christo adhuc mortali.

C Respondetur negando antecedens: nam vt pater ex dictis, actus isti, cùm supponantur esse tantùm circa obiecta secunda rea spei, non habent omnes conditiones requisitas in tali obiecto, vt nostra ratio ostendit, nec insuper gloria corporis habuit propriè loquendo respectu Christi arduitatem, cùm Christus iam haberet in se actu *& de facto infallibile principium* illius efficiendæ scilicet gloriam animæ, & quòd gloria corporis in illo non fuerit sequuta gloriam animæ, factum est solummodò ex aliqua dispensatione & libera voluntate Christi, vt S. Thomas expressè notat infrà qu. 14. art. 1. in responsione ad secundum, & quæst. 45. art. 2. quatenus statuit illam non aliter consequi, quàm patiendo, & moriendo pro nobis. Sicut enim Math. 17. liberum fuit Christo manifestare vnam ex dotibus corporis glorioſi ad aliquod rempus, scili-

D cet *claritatem*, ita etiam ex eius libertate fuit non permittere omnes illas dotes redundare in suum corpus, pro toto tempore antecedente suam resurrectionem, vt sic pateretur pro nobis, & totum genus humanum redimeret. Vnde actus ille, quo adhuc viuens in terris expectabat & desiderabat gloriam sui corporis, non erat ab habitu spei sed charitatis, nam id desiderabat modo perfectissimo, nimirùm ad gloriam Dei propter eius bonitatem, quod est proprium charitatis infusæ. Si quæ autem difficultates ei occurrerint in obtinenda tali re, eas potuit facilè superare per fortitudinem sibi insusam, & ipsemet Apostolus ad Hebræos secundo explicans illud Psalm. 17. de Christo Domino, *Deus meus adiutor meus, & sperabo in eum*, ita reddens sensum Psalmistæ: *Ego ero fidens in eum*, satis innuit actum istum non fuisse spei, sed fuisse solummodò *confidentiam* similem, ei qua

V. VI. VII. VIII.

quis

I. quis confidit alteri suam salutem. Hinc, quando S. Thomas hîc art. 4. in solutione ad 1. & 2. ait *Christum habuisse spem, respectu aliquorum, quæ nondum adepta erat,* non sumit nomen *spei* pro habitu vel aliquo actu veræ virtutis spei infusæ & Theologicæ, quia ibidem negat expresè talem spem fuisse Theologicam, sed accipit in amplioni significatione, scilicet pro *expectatione alicuius boni futuri :* cui explicationi non obstat, quod ibidem ait discrimen fuisse inter fidem & spem Christi, quòd *illa fuerit totaliter exclusa à Christo, quia plenè cognoscebat omnia, hæc verò minimè, eo quòd nondum habebat omnia, quæ pertinebant ad eius perfectionem,* scilicet immortalitatem corporis : sensus enim eius est tantùm iste, quòd Christus sese aliter habuerit ad omnia obiecta cognoscibilia, & aliter ad omnia ista dona: habuit prima omnia à primo instanti suæ conceptionis probè nota etiam in particulari, hæc verò omnia non possedisse similiter à primo instanti suæ conceptionis, sed quod desiderauerit & exspectauerit aliqua. Hunc enim sensum satis indicat, dum semper negat spem Theologicam fuisse in Christo.

Tertia obiectio. Actus ille, quo Beatus amat Deum tanquam suum bonum & gaudium de illo percipit, sunt actus supernaturales, & nullius alterius virtutis quàm spei Theologicę: sed Christus Dominus videns Deum clarè habuit istos duos actus amoris & gaudij: ergo habuit & virtutem spei ex qua eliciebantur illi actus.

Respondetur, istos actus esse quidem secundùm suam subsistantiam supernaturales, vt colligitur ex 1. ad Corinth. 2. & ex Isaiæ 64. sed iuxta nonnullos esse actus charitatis infusæ : quia inquiunt, amor ille amicitiæ quo Deum amamus II. includit, vel saltem habet sibi annexum amorem illum, quo nobis amamus Deum, tanquam nostrum bonum, ideóque licèt actus isti sint aliquo modo distincti, quia tamen maximam habent inter se connexionem, nec habent difficultates adeò diuersas, voluntas facilè potest ab vno & eodem charitatis habitu eleuari, & confortari ad illos eliciendos: sed hoc ampliùs examinare spectat propriè ad citatam quæst. 2. 2. de spe.

DISPVTATIO VI.

De virtutibus moralibus.

Articvlvs Primvs.

III. *Vtrùm omnes virtutes morales infusæ per se fuerint in Christo.*

IV. Hic tantùm agitur de virtutibus quæ aliqua ratione perficiunt voluntatem, de iis enim quæ perficiunt intellectum agitur infrà quæst. 9. & sequentibus. Est autem imprimis notandum eas virtutes dici *per se infusas*, quæ propriis actibus creaturæ rationalis non possunt produci seu acquiri, sed ex propria sua natura & conditione postulant infundi à Deo, cuiusmodi sunt omnes virtutes Theologicæ.

Notandum secundò, præsentem difficultatem moueri tantùm de aliis virtutibus à charitate : Cùm enim apud nos charitas non distingua- A tur realiter à gratia habituali, ostendendo gratiam habitualem fuisse in Christo, simul etiam ostendimus charitatem fuisse in illo. V.

Notandũ tertiò, hanc difficultatem proponi, supposita communiori Theologorum sententia, quæ cum S. Thoma 1. 2. quæst. 63. art. 3. docet dari aliquas virtutes morales infusas per se : nam in doctrina Scoti, & aliquorum aliorum, qui negant dari tales virtutes, hæc difficultas non habet locum, & quia eam examinare non est præsentis loci, partem affirmantem vt veriorem supponimus.

Notandum vltimò, ex virtutibus moralibus infusis per se, alias esse quæ nullam imperfectionem includunt, vel connotant in ipso habente illas, vt sunt fortitudo & iustitia : alias esse, quæ aliquam imperfectionem includunt, vel connotant in habente illas, vt sunt continentia, & B pœnitentia præcisè & formaliter spectatæ : nam VI. continentia cohibet exorbitantes motus voluntatis, qui solent excitari ex impulsu passionum appetitus sensitiui mouentis voluntatem ad ea, quæ sunt contraria rectæ rationi, & continentia efficit ne voluntas vincatur ab eiusmodi insultibus, non autem impedit quin existant, sicque semper præsupponit in eo in quo est, immoderatas affectiones, ratione cuius imperfectionis connotatæ, dicitur *virtus solummodò inchoata, & aliquid minus ipsa virtute*, vt expresè notat S. Thomas hîc art. 2. in responsione ad 3. similiter pœnitentia importat dolorem de propriis peccatis. His ita præmissis sit hæc

Vnica propositio. *Virtutes morales infusæ per se, quæ nullam includunt vel cõnotant imperfectionem in habente illas, fuerunt in Christo : quæ verò includunt, vel connotant imperfectionem, non fuerunt in Christo.* Ita S. Thomas hîc art. 2. & communiter omnes qui tales virtutes admittunt. C VII. Prior pars probatur. Christus habuit omnes illas perfectiones, quæ in quouis iusto homine consequuntur gratiam habitualem, nec arguunt aliquam indecentiam vel oppositionem cum vnione hypostatica, aut supernaturali beatitudine, aliàs enim esset deterioris conditionis quàm reliqui omnes : atqui omnes iusti accipiendo gratiam habitualem simul etiam accipiunt virtutes morales infusas per se, vt Theologi communiter docent cum sancto Thoma primâ secundæ agendo de iustificatione, & illæ virtutes nullam habent repugnantiam cum vnione hypostatica, vt per se patet, nullam important indecentiam in Beato, cùm remaneant in Beatis, vt docet sanctus Thomas primâ secundæ quæstione 67. articulo primo : ergo istæ virtutes D morales infusæ per se fuerunt, & adhuc rema- VIII. nent in Christo.

Deinde decebat operationes Christi esse perfectissimas, & proinde quòd eas exerceret modo connaturali : atqui Christus aliquando exercuit actus virtutum infusarum per se, exempli gratiâ, fortitudinis, patientiæ moriendo pro nobis, vt patet ex decursu Euãgelij : & ad istos actus modo connaturali exercendos habitus eiusmodi virtutum sunt absolutè & simpliciter necessarij, vt intelligitur ex dictis suprà de necessitate gratiæ habitualis suprà in Christo : igitur eiusmodi virtutes morales infusæ per se fuerunt in Christo.

Posterior pars propositionis probatur. Status Christi est perfectissimus : ergo non admittit in Christo virtutes quæ habent imperfectionem si-

I. bi adiunctam vel repugnantiam cum vnione hypostatica. Cæterùm si virtus continentiæ considereturiuxta *gradum suum heroïcum*, secundùm quem non distinguitur à temperantia, vt sanctus Thomas notat ex Aristotele hac quæst. articulo 2. ad 3. quatenus is dicitur *temperatus*, qui non habet prauas concupiscentias; Christus dicetur habere continentiam. Similiter si pœnitentia sumatur tantùm provt est ad detestandum peccatum, & resarciendum iniuriam Deo illatam per peccatum alienum, tunc hæc virtus rectè dicetur fuisse in Christo, vt patet Isaiæ 3. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra*, qua de re fusiùs agendo de sacramento Pœnitentiæ.

A in Christo scientiam acquisitam, vltra beatam & infusam: atqui morales illæ virtutes, quæ possunt acquiri humanis actibus, faciebant ad perficiendum Christum & potentias animæ eius intra limites ordinis naturalis, nam facilitabant illas ad exercendum actus humanos secundùm suam substantiam naturales, illisque conferebant promptitudinem, imò erant ei necessariæ in ratione habitus ad exercendum connaturaliter actus illarum, vt intelligitur ex dictis de necessitate gratiæ in ratione habitus. V.

Tandem, aliqua potuit esse difficultas in Christo in exercēdis actibus istarum virtutum: exempli causâ, quando tempore mortis humanitas eius refugiebat mortem: ergo tunc fuit conueniens Christum habere virtutem fortitudinis ad superandam hanc difficultatem, & ita de cæteris.

Articvlvs II.

II. *Vtrùm virtutes morales, quæ naturæ viribus acquiri possunt, fuerint in Christo.*

B Quòd autem virtutes istæ fuerint in Christo *secundum gradum heroïcum*: Probatur, primò ex S. Thoma hac quæst. art. 2. in respons. ad secundum, vbi postquam distinxit duos *gradus virtutis moralis, vnum communem*, secundùm quem talis virtus est cōmuniter in homine, scilicet ad refrenandas passiones: alterum *heroïcum seu purgatis animi*, quo scilicet virtus moralis possidetur perfectiori modo, quàm communiter soleat esse in hominibus, putà, pacatis, & moderatis passionibus, ad perfectè eliciendas actiones secundùm regulam rationis, circa propriam suam materiam: cuius duplicis gradus in virtute Aristoteles meminit lib. 3. Ethicorum cap. 1. ait Christum habuisse virtutes perfectissimè vltra communem modum, & infrà quæst. 15. art. 2. inter multa, quibus docet fontem peccati sublatum fuisse à Christo, recenset virtutes morales existētes in Christo iuxta perfectissimum gradum: & quòd locus ille non possit intelligi de solis virtutibus moralibus infusis per se, cum exclusione acquisitarum, patebit ex dicendis ad primam obiectionem contrariæ sententiæ. VI.

III. C VII.

Probatur etiam hæc pars ratione. Qui caret passionibus immoderatis eásque habet bene compositas & nihilominùs habet morales virtutes ordinatas ad illas, is habet eiusmodi virtutes in gradu perfectissimo & heroico, vt intelligitur ex S. Thoma nunc relato, hinc virtutes istæ vt sic possessæ dicuntur esse *purgati animi*, quemadmodum ibidem S. Thomas refert ex Plotino: atqui Christus semper caruit immoderatis passionibus, vt infrà ostendetur, & nihilominùs habet omnes morales virtutes, quæ possunt acquiri humanis actibus, quemadmodum probatum est præcedenti parte propositionis:

IV. D igitur Christus habet omnes istas virtutes in gradu heroïco. VIII.

Deinde Christus vt homo fuit etiam plenus virtute: ergo sicut plenitudo gratiæ Christi importat gratiam habitualem Christi fuisse tam perfectissimam vt omnes omnium hominum & Angelorum gratias superauerit, ita etiam perfecto eiusmodi moralium virtutum Christi tanta fuit, vt etiam quoad intensionem superauerit omnes alias similes virtutes aliorum hominum, & sicut gratia Christi nunquam fuit aucta per actus meritorios Christi, ita neque isti habitus virtutum moralium per suos actus, cùm etiam actus ex illis exerciti non essent æquè intensi ac erant eiusmodi virtutes.

I.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta sententiæ negantis, præcedenti articulo relatæ.

PRIMVM fundamentum est triplex sancti Thomæ auctoritas. Prima habetur hac quæstione artic. 2. in corpore, dum eas tantùm virtutes tribuit Christo, quæ sunt quædam derivationes gratiæ: at hoc solis virtutibus per se infusis competit. Secunda ibidem in responsione ad secundum & tertium, quando dicit virtutes nunquam fuisse in Christo secundùm statum imperfectum; at virtutes acquisitæ semper includunt aliquem statum imperfectum. Tertia habetur 3. sententiarum distinctione 35. quæstione
II. 1. articulo 4. vbi negat istas virtutes remanere in Beatis.

Respondetur, S. Thomam in 1. loco potissimũ agere de virtutibus infusis, quas, ex eo quòd moraliter dimanent à gratia habituali, vocat *quasdam derivationes illius*, nullum tamen verbum ibi habere quo neget illas virtutes, quæ ex sua natura possunt acquiri, esse in Christo, quin potiùs in solutione argumentorum indicat nostram propositionem, vt obseruauimus. 2. locus eiusdem S. Thomæ probat 2. partem nostræ propositionis. Cuius rationes ostendunt istas virtutes non semper includere statum imperfectum. tertius fuit ab eodem sancto Thoma correctus, quando postea mutauit hanc sententiam, vt notauimus.

Secundum fundamentum est. Tales virtutes
III. essent superfluæ in Christo, quia ex dictis in præcedentibus, habebat virtutes morales per se infusas, correspondentes istis virtutibus acquisitis, quarum beneficio perficiebatur in ordine ad exercendum actus eiusmodi virtutum acquisitarum.

Negatur positis in Christo virtutibus moralibus per se infusis, has virtutes illis correspondentes fore superfluas, quia habitus supernaturales per se infusi propriè non facilitant potentiam naturalem, nec ei dant promptitudinem ad exercendum operationes, quas solis naturæ viribus potest exercere, sed dant ei vim & robur vt purè & simpliciter sit potens in actu primo elicere actus supernaturales quoad suam substantiam: vnde communiter apud omnes Theologos, habitus supernaturalis infusus per se in eo distinguitur à naturali seu acquisito, quòd hic
IV. supponat potentiam *completam in actu primo ad operandum, eámque tãtùm facilitet*, & promptam reddat, iste verò *illam compleat & faciat potentem in actu primo*, dicitúrque dare illi *ipsum posse*: & quod habitus per se infusus non facilitet potentiam in ordine ad actus naturales, seu quos solis naturæ viribus potest exercere patet ex eo, quòd si ita esset, vbi quis habet tales habitus, inclinatio eius ad aliquod malum per peccatum acquisita deberet vel omninò tolli, vel saltem diminui: at hoc esse falsũ ipsa experientia docet. Nam si quis vixerit diutissimè in peccatis, & per attritionem iunctam sacramento pœnitentiæ receperit gratiã habitualem, & ex consequenti morales virtutes per se infusas, adhuc tamen vitiosi habitus remanebunt in eo, grauémque difficultatem sentiet in bene operando, & quòd illam superet prouenit non præcisè ab ipso supernaturali habitu correA spondente virtuti acquisitæ, cui talis habitus vitiosus opponitur, sed ab auxilio speciali tum præuementis tum adiuuantis gratiæ. Ergo cùm virtutes morales acquisitæ sint idoneæ ad sic facilitandam potentiam in ordine ad actus naturales circa obiecta naturalia, nec ipsæ morales virtutes per se infusæ istud conferant, eiusmodi virtutes morales, quæ naturâ suâ possunt acquiri, non fuerunt superfluæ in anima Christi. V.

Tertium fundamentum est. Virtutes morales acquisitæ admittuntur à Philosophis & Theologis ad moderandum passiones, & refrænandum appetitum sensitiuum: at Christus Dominus nullas habuit immoderatas passiones, imò neque ipsum fomitem peccati.

Respondetur, in virtutibus moralibus acquisitis distingui duplicem gradum, vt notauimus, vnum *communem*, alterum *heroïcum*: illas *se-*
B *cundùm gradum suum communem dari ad moderandas passiones*, & iuxta hunc non fuisse in Christo: at *secundum gradum suum heroïcum*, nullas supponere exorbitantes passiones in habente illas, & tunc *dari ad promptè & perfectè eliciendas actiones secundùm regulas rationis, circa proprias suas materias*, vt videre est in primis parentibus, in quibus erant durante statu innocentiæ, & in Beatis, qui illas adhuc retinent in gradu heroico: ideóque cùm fuerit conuenientissimum; Christum exercere actus istarum virtutum secundùm perfectam electionem, fuit etiam quàm congruentissimum, eum habere istas virtutes in gradu heroico. VI.

Quartum fundamentum est. Si Christus habuisset istas virtutes, potuisset citra vllam indecentiam actus earum exercere ex motiuo purè naturali, seu non ordinando illas in finem
C supernaturalem, quia nulla est indecentia vti re aliqua bona, eo fine ad quem ex sua propria & naturali conditione refertur: atqui Christus non potuit sine aliqua indecentia exercere tales actus ex motiuo purè naturali, quia videtur indecens operari ex inferiori tantùm motiuo, vbi ipsa operatio potest exercerì ex perfectiori, Christus verò semper habuit morales virtutes infusas per se, quæ versantur circà illud idem obiectum eiusmodi virtutum moralium, quæ naturâ suâ possunt acquiri: ergo nunquam fuit decens Christum operari ex solis illis virtutibus moralibus, & proinde fuissent frustra in illo. VII.

Respondetur, duobus modis posse intelligi aliquem actum moralem virtutis naturalis seu acquisitæ fieri ex motiuo purè naturali, nec ordinari in finem supernaturalem: primò, quatenus exercetur solummodò propter honestatem
D intrinsecam, cum *actuali formali & expressa exclusione ordinationis in finem supernaturalem*: secundò, quatenus exercetur quidè propter suam honestatem intrinsecam naturalis ordinis, ita tamen vt actus ille *per actualem extrinsecam relationem exercentis illum ordinetur ad finem supernaturalem*, vel talis relatio non excludatur *positiuè*, vt sæpè contingit in nobis exercentibus actus virtutum acquisitarum, in quarum exercitio non cogitamus actu & expresè de tali relatione in finem supernaturalem. Iam prior ille modus exercendi actus virtutum moralium acquisitarum videtur continere aliquam indecentiam in Christo; imò & in nobis, qui tenemur referre omnia ad nostrum finem vltimum. Vnde cùm noster finis ille sit de facto supernaturalis, VIII.

I. videmur non posse absque aliqua culpa excludere positiuè & actu expresso relationem bonorum nostrorum actuum in talem finem supernaturalem : & sic nunquam Christus exercuit actus eiusmodi virtutum ex motiuo purè naturali, cum tali adiuncto. Posterior autem modus nullam importat imperfectionem, vt patet in nobis: vnde nulla etiam fuit indecentia Christo, exercere actus virtutum acquisitarũ ex naturali motiuo, seu propter propriam illarum honestatem, ordinando tamen expresè vel implicitè illos in honorem Dei. Nec aliqua videtur esse indecentia, relicto perfectiori modo operandi possibili, reipsa operari modo inferiori & minùs perfecto, cùm hoc arguat libertatem in operante, nec sit indecens ipsi Deo creasse vniuersum cum ea tantùm perfectione quæ illi inest, quod nihilominùs potuit longè excellentius facere.

II. Quintum fundamentum est. Magnificentia est vna ex virtutibus moralibus acquisitis, quæ tamen non potuit esse in Christo : nam consistit in faciendis magnis sumptibus, quos Christus propter suam paupertatem facere non potuit.

Respondetur primò, rationem virtutis non consistere in exercitio actus studiosi, sed in qualitate permanente quæ sit productiua actus sibi proprij, vt docetur in Ethicis & 1. 2. ideóque illam posse esse sine aliquo actu. Deinde ex S. Thoma 2. 2. quæst. 134. art. 2. distingui duplicem actũ magnificentiæ, *vnum principalem qui est interior electio*, qua quis ita disponitur vt cùm oportet, & decet, velit dispensare diuitias, & hunc actum interiorem posse etiam haberi ab aliquo paupere, qui hoc modo erit magnificus : *alterum* verò *actum minùs principalem qui est exterior*, quo scilicet ipsæ diuitiæ de facto dispensantur magnifi- III. cè; sumptus fiunt. Iam magnificentia fuit in Christo secundùm priorem actum qui sufficit ad hoc, vt hæc virtus dicatur fuisse in eo, sicut possumus admittere multas alias virtutes : exempli gratiâ, iustitiam commutatiuam, forensem, quarum tamen actus exteriores nunquam exercuit.

Tandem potest responderi, magnificentiam fuisse in Christo secundùm actum exteriorem non tantùm eo ipso, quo omnia temporalia, quę suberant eius dominio, abiecit & paupertatem est professus, sed etiam quando semel atque iterum satiauit maximam hominum multitudinem sancti Mathæi 14. & 15.

DISPVTATIO VII.

IV.

De donis Spiritus sancti, & gratiis gratis datis animæ Christi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quædam monita præmittuntur.

NOTANDVM primò, præsentem quęstionem procedere tantùm iuxta doctrinam S. Thomæ 1. 2. quæst. 68. qua præter virtutes tam morales infusas per se, quàm Theologicas, admittit specialia quædam dona Spiritus sancti, distincta à prædictis virtutibus. Nam multi etiam ex recentioribus confundunt illa cum prædictis virA tutibus, volúntque ea nihil esse aliud, quàm *excellentiores quosdam actus prædictarum virtutum.* V. Quibus Doctoribus si locus Isaiæ 11. mox citandus obiiciatur, respondent hoc testimonio Scripturæ constare quidem dona Spiritus sancti dari, non tamen exprimi quòd sint aliquid distinctum à prædictis virtutibus, quæ cùm sint per se infusæ, rectè possunt appellari dona Spiritus sancti : sicque in eorum doctrina præsens articulus est superfluus : quia tamen sequimur ordinem S. Thomæ, suppositâ prædictâ eius sententiâ, non tamen discussâ, explicamus illa conformiter ad eius doctrinam.

Notandum secundò, hæc dona esse habitus infusos, cùm sint perfectiones permanentes quæ conferunt ad bene operandum, vt Verbum illud, *requieuerit*, indicat apud Isaiam 11. capite, vbi sermo est de illis tanquam infusis animæ Chri- B sti : hæc verò dona distinguit à virtutibus, quòd VI. virtutes sint, vt homo possit exercere *Actus communes propria directione & consilio* : ista, vt homo *sit aptus moueri à Spiritu sancto motione quadam speciali & extraordinaria quoad actus quosdam extraordinarios*, quos homo ipse operatur speciali influxu Spiritus sancti : vnde proprium munus donorum est *disponere animam eiusque facultates ad recipiendam motionem Spiritus sancti mouentis & agentis hominem*, per regulas non solùm virtutibus naturalibus seu acquisitis, sed etiam supernaturalibus seu infusis per se aliquo modo superiores, id est, vt homo per illa dispositus obediat promptè Deo cum per modum cuiusdam spiritus vehementis motione aliqua speciali mouenti & quasi rapienti ad agendum aliquid excellens : sicque *in vsu donorum homo nō tam aliquo modo agit, quàm agitur*, quate- C nus licèt voluntas eius ita moueatur à Spiritu VII. sancto vt ipsa consentiat & liberè operetur, non ita tamen vt id faciat ex propria sua directione, & possit vti isto dono vbi & quando voluerit, sed tantùm vbi specialem motionem Spiritus sancti accipit ab extrinseco, quam non habet semper paratam : at *in vsu virtutum homo habet se vt agens & operans ex propria deliberatione*, potéstque iis vti quando & vbi voluerit, cùm ad id habeat auxilium Dei semper paratissimum.

Notandum tertiò, dona illa Spiritus sancti esse septem numero, vt citato loco Isaiæ recensentur, tria illorum pertinere ad voluntatem, hæc scilicet *timor*, *pietas* & *fortitudo* : reliqua quatuor ad intellectum, hæc scilicet, *intellectus*, *sapientia*, *scientia*, & *consilium*.

Notandum vltimò, Christum Dominum, dum D ageret in terris, fuisse simul viatorem & com- VIII. prehensorem seu beatum, vt infrà docebitur : vnde quæri potest, an hæc singula dona fuerint in illo vt tantùm viatore : an etiam vt comprehensore, sicque adhuc in illo remaneant : & quia donum timoris habet specialem difficultatem, ideò sicut S. Thomas, hîc explicabimus illud donum speciali articulo, & tantùm agemus de reliquis, his prænotatis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm dona Spiritus sancti fuerint in Christo Domino.

DVRANDVS in 3. sentent. distinct. 34. quæst. 3. numero sextò, existimat hæc do-

I. na fuisse in Christo vt viatore tam quoad actum quàm quoad habitum : at in Christo vt solùm comprehensore, qualis nunc est, ea tantùm esse etiam quoad actum, quæ hominem perficiunt in vita speculatiua, quæ verò illum perficiùt quoad vitam actiuam, esse solummodò quoad habitum.

Melior tamen est aliorum sententia, quam hac nostra propositione explicamus. *Dona Spiritus sancti, præcedenti articulo explicata, fuerunt in Christo Domino viatore, & adhuc remanent in illo puro comprehensore.* Ita sanctus Thomas hîc art. 5. & omnes eius Interpretes, tam hac quæst. quàm citata quæst. 68. 1.2. art. 1. quæ propositio, quatenus solummodò procedit de perfectionibus confusè significatis per nomina prædictorum donorum non determinando an sint idem cum virtutibus infusis per se, an aliquid aliud, est de fide, scilicet ista dona fuisse in Christo saltem viatore : nam expressè Isaias cap. 11. II. loquens de Christo ita ait, *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini* : quem locum omnes Patres & Interpretes intelligunt ad litteram de Christo & prædictis septem donis Spiritus sancti.

Hæc prior pars propositionis, quæ procedit de Christo viatore, probatur primùm, ex consensu Patrum ad cit. locum Isaiæ. Deinde probatur ratione. Quicquid in aliquo iusto est de facto supernaturalis perfectio potentiarum eius, nec in suo formali conceptu includit imperfectionem, vel etiam ratione modi quo est à propria sua causa, vel ratione modi quo agit, nec habet aliquam repugnantiam cum vnione hypostatica, vel beatitudine, illud etiam est in Christo viatore, aliàs III. enim esset deterioris conditionis quàm sint cæteri, nec plenitudo gratiæ & donorum Dei esset in illo, contra superiùs dicta : atqui singula dona Spiritus sancti superiùs enumerata, sunt quædam perfectiones potentiarum animæ, quia illas habilitant & disponunt ad promptè obediendum Deo, dum ab illo mouentur extraordinariâ motione, vt patet ex secundo notabili, & illa de facto infunduntur saltem aliquibus iustis hominibus : licèt enim Verba Isaiæ superiùs relata intelligantur ad litteram de Christo, quemadmodum patet ex antecedentibus, consequentibus, & ex Patribus, vt sanctis Hieronymo, Cyrillo ad illum locum, S. Augustino in Symbolo ad Catechumenos cap. 3. & aliis, nihilominùs tamen etiam extenduntur ex explicatione Patrum ad aliquos puros homines iustos coram Deo vt sanctorum Chrysostomi in Psal. 44. Ambrosij in Psal. 118. ad IV. illa verba *initium sapientiæ timor Domini*, Augustini sermone 109. de tempore & sermone 17. de Sanctis, Gregorij homil. 19. in Ezechielem : nec insuper ista dona in formali suo conceptu includunt aliquam imperfectionem, siue spectata secundùm suam genericam rationem, siue secundùm specificam : non secundùm genericam, cùm enim sint ad promptè obediendũ Deo iuxta extraordinariam regulam, talis illorum singularitas denotat aliquam excellentiam in illis : non item includunt imperfectionem spectata secundùm specificam suam rationem, vt patebit discurrendo per singula : nam *Sapientia est habitus quo intellectus est facile mobilis à Spiritu sancto, vt firmiter iudicet de rebus diuinis propter rationes supernaturales, & vt subtili quadam ratione penetret mysteria fidei : intellectus, quo potentia intellectiua redditur facilè mobilis à Spiritu sancto, vt deducat conclusiones ex principiis fidei : consilium, quo intellectus redditur facilè mobilis à Spiritu sancto, vt in particulari iudicet quid hîc & nunc sit agendum : donum pietatis, vt voluntas sit facilè mobilis ad cultum Dei, seu ad religionem*, vel vt alij explicant, *ad misericordiam & beneficiendum aliis : fortitudo, vt voluntas sit facilè mobilis ad constanti animo resistendum difficultati operis*, quæ omnia nullam dicunt imperfectionem, vt per se patet.

A V.

Neque tertio loco hæc dona includunt aliquid imperfectionis *ex modo quo sunt à sua causa*, scilicet per motionem extrinsecam : nam motio ab extrinseco non dedecet Christum, quemadmodum patet eo quòd, S. Math. 4. S. Marc. 1. S. Luc. 4. dicatur, *ductus, impulsus, actus à Spiritu sancto in desertum, vt tentaretur à diabolo.*

Neque quarto loco dicunt imperfectionem *ratione modi quo agunt*, nam si quæ sit talis imperfectio, est quòd ita moueant hominem, vt tamen ille non intelligat à quo, & ad quid moueatur, & hæc ignorantia dedeceat Christum : atqui talis ignorantia non est de intrinseca ratione doni Spiritus sancti, quatenus est tale donum, sed est ei tantùm accidentalis : nam ei dono solummodò conuenit ratione subiecti & status eius qui mouetur, quòd is homo scilicet ambulet in via per fidem : sed essentia doni Spiritus sancti est præcisè in eo, *vt promptè obediat Deo*, modo superiùs explicato, qui modus potest benè stare cum ipsa cognitione prædictarum rationum : Deus enim potest interiori illuminatione istas rationes manifestare homini, & eum potest exteriori motione eáque supernaturali extraordinaria impellere ad agendum : hinc si quis sit in statu perfecto, quemadmodum fuit Christus Dominus etiam viator, potest rectè operari ex aliquo C VII. dono Spiritus sancti, simúlque scire vnde, à quo, & ad quid moueatur, & ita contigit de facto Christo Domino, quando S. Math. 4. cap. *est ductus à Spiritu sancto in desertum* : nam Christum id fecisse ex speciali dono Spiritus sancti satis denotat modus ipse loquendi Euangelistarum, S. enim Marc. cap. 1. ita ait, *& statim spiritus expulit eum in desertum*, vbi nomine spiritus omnes Patres, sanctus Hilarius canone tertio in S. Math. S. Chrysost. homil. 13. in S. Math. S. Gregorius homil. 16. in Euangelia, & alij communiter intelligunt Spiritum sanctum, & hæc particula, *expulit*, apud S. Marc. exprimit exteriorem motionem, qua, velut quodam impetu, Christus extraordinariâ efficaciâ Spiritus sancti excitabatur & mouebatur in desertum, vt ibi fortiter aggrederetur diabolum, cúmque superaret : & D quòd talis motio fiebat cum sufficienti cogni- VIII. tione ex parte Christi, vnde illa motio esset, & quo tenderet, significat sanctus Matthæus hac particula *ductus est* : hæc enim iuxta S. Ambros. lib. 4. in S. Lucam & S. Hyeronymum, ad illum locum S. Math. significat Christum non ignarum, sed consilio, liberè, & cum certa cogitatione tunc venisse in desertum.

Tandem, quòd ista dona nullam habeant repugnãtiam cum vnione hypostatica, patet, quia nullam cõtinent indecentiam quocumque modo spectẽtur, vt nunc probatum est, quin potiùs sunt singularia quædam ornamenta animę Christi Domini : ergo ista dona Spiritus sancti fuerunt quoad habitum in Christo Domino viatore.

Et quòd etiam fuerint in illo viatore quoad actum, patet ex multis eius operibus, vt quando

I. Math. 4. *Ductus est in desertum*, quando ibidem *ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, item quando S. Lucæ 6. post multos labores, motus est ad pernoctandum in oratione Dei: item quando prudentissimè respondit tam interrogantibus, an census esset reddendus Cæsari, quàm iis, qui mulierem adulteram condemnandam adduxerant: item quando motus misericordia pauit in deserto tot hominum millia, & sic discurrendo per singula opera Christi Domini, reperiemus eum habuisse dona Spiritus sancti etiam quoad actum.

Posterior item pars nostræ propositionis quæ asserit dona ista fuisse, & adhuc esse in Christo Domino puro comprehensore, probatur imprimis ex eo, quòd omnis illa perfectio quæ est in Beatis in patria, est etiam in Christo Domino puro comprehensore, vt sæpè sumus argumentati: at hæc dona sunt quædam perfectiones, vt patet ex dictis, & sunt de facto in Beatis, vt S. Ambros. expressè tradit in Psal. 45. ad illum versiculum *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*, & omnes Scholastici docent communiter cum Magistro sentent. lib. 3. distinct. 34. S. Thomas primâ secundæ quæst. 68. art. 6. eiúsque Interpretes, qui omnes loquuntur de istis donis vt remanentibus in Beatis, nullum donum excipiendo: igitur hæc etiam dona Spiritus sancti fuerunt, & adhuc etiam remanent in Christo Domino puro comprehensore.

II.

Deinde, hæc dona nullam habent repugnantiam cum vnione hypostatica & beatitudine, vt suprà probatum est, imò quemadmodum beati perfectiori modo in patria coniunguntur Deo, quàm cùm essent in via, ita etiam sunt magis disposiri vt promptè sequantur specialem instinctum Dei, illos extraordinaria motione quasi rapientis ad operandum aliquid valde excellens: ergo quemadmodum Christus, vt purus comprehensor, perfectiori modo coniungitur Deo, quàm quilibet Angelus, vel homo purus etiam Beatus, quia omnes illos excedit in beatitudine, ita etiam est perfectiori modo dispositus, vt promptè sequatur extraordinariam illam motionem Dei, illum quasi rapientis ad aliquos singulares actus exercendos eiusmodi donorum Spiritus sancti, quàm sint alij quilibet: ergo cùm hæc talis dispositio sit per eiusmodi dona Spiritus sancti, vt habent rationem habitus, Christus Dominus etiam purus comprehensor habuit illa dona, etiam in ratione habitus, in perfectione longè maiori quam sint in omnibus reliquis beatis, vt sic habeat omnem totius gratiæ plenitudinem.

III.

IV.

Articvlvs III.

Soluuntur fundamenta negantis sententiæ.

Primvm est. Ea tantùm dona Spiritus sancti sunt in Christo Domino vt puro comprehensore, quæ respiciunt vitam speculatiuam, quia in hac consistit tota beatitudo patriæ, quæ verò respiciunt vitam actiuam minimè, quia vita actiua non habet locum in beatitudine supernaturali: sed ex donis Spiritus sancti superiùs enumeratis quædam dantur quæ respiciunt vitam tantùm actiuam, vt consilium & fortitudo: igitur hæc dona non sunt in Christo vt puro comprehensore.

Respondetur, Christum Dominum in patria non solùm agere vitam contemplatiuam, sed etiam actiuam, quatenus circa nos & Angelos exercet munia veri capitis moralis: hæc enim munia non consistunt in pura puta speculatione, sed in aliquo influxu & actuali directione, vt explicabitur sequenti quæstione: at totum hoc, loquendo propriè, pertinet ad vitam actiuam, cùm ibi non sistatur in nuda & simplici cognitione speculatiua alicuius obiecti, sed ad aliquid præstandum membris sibi subiectis constitutis: & illuminatio Angeli inferioris à superiore, item instructio & custodia hominum, facta per bonos Angelos, spectat propriè ad vitam actiuam, nec tamen propterea desistunt à beatifica visione diuinæ essentiæ, vt testatur Christus Dominus ita dicendo de illis, *Angeli eorum semper vident faciem Patris*: & quod beati Angeli interdum consulant Deum, tam circa illuminationes quas causant in inferioribus Angelis, quàm circa ea quæ pertinent ad eos quorum sunt custodes, notat sanctus Augustinus lib. 5. de Genesi ad literam cap. 14. & ex illo S. Thomas secunda secundæ, quæst. 52. art. 3. in corpore: vnde ea tantùm actiua vita negatur esse in beatitudine, quæ est *laboriosa, corporea*, quæque sese circa proprias passiones edomandas occupat, & alia id genus quæ respiciunt corpus humanum, quatenus est aliquid graue ipsi nostræ animæ. Et potest confirmari ex iis, quæ Patres tradunt de hac vtraque vita & earum actibus, veluti sibi inuicem oppositis: ita enim loquuntur de actiua, vt semper explicent graues, & valde laboriosas eius occupationes circa ipsum corpus humanum, vt obnoxium infirmitatibus præsentis vitæ, sic S. Augustinus illas in duabus mulieribus Maria Magdalena & Martha repræsentatas explicat sermone vigesimo septimo de verbis Domini: sic sanctus Gregorius libro sexto Moraliu m, capite vigesimo octauo, & homiliâ decima-quartâ in Ezechielem, sanctus etiam Thomas secunda secundæ, tota quæst. 179.

A B C D

V. VI. VII. VIII.

Secundum fundamentum est. Hæc dona non possunt exire in actum, nisi vbi obiectum & materia illorum reperitur: at in patria obiectum seu materia istorum donorum non reperitur. Obiectum enim pietatis est miseria proximi, est enim pietas ad compatiendum proximo, at in beatitudine nulla est: item obiectum fortitudinis est grande periculum, & res valde difficilis, at nihil tale respectu Beati: nec item ibi reperitur consilium, quia ibi tantùm adhibetur consilium, vbi est hæsitatio & ignorantia de eo quod est faciendum, at in Beatis perfecta datur cognitio, & in Christo Domino fuit amplior & perfectior cognitio quàm sit in vllo alio beato homine vel Angelo: ergo hæc dona Spiritus sancti non sunt in Christo.

Respondetur, ex sancto Thoma primâ secundæ, quæst. 68. art. 6. cùm dona Spiritus sancti sint quidam habitus, ad hoc vt maneant in patria, non esse necessarium quòd ibi exeant in actum: habitus enim potest esse in proprio suo subiecto, licèt non prorumpat in actum secundum sibi proprium, sicque tunc tantùm erit secundùm propriam suam naturam.

Deinde respondetur ex eodem sancto Thoma ibi in solutione ad secundum, hæc dona Spiritus sancti, etiam vt exeunt in actum, posse duobus modis considerari, scilicet *secundum ea, quæ pertinent ad eorum essentiam*, quòd est perficere potentias animæ ad promptè sequendum aliquam

I. extraordinariam motionem Dei. Secundò, *quoad illa quæ illis coniunguntur ratione viæ*, seu præsentis vitæ mortalis: verbi gratiâ, quòd sint ad iuuandum virtutes Theologicas, quòd aliquod istorum donorum versetur circa proprium periculum eius in quo est, & sic de aliis. Iam hæc dona priori modo spectata sunt etiam quoad actum in Beatis; vt enim illi sunt Deo coniuncti perfectiori modo, ita etiam sunt perfectiori modo dispositi ad recipiendam & sequendam exteriorem motionem Spiritus sancti: & quòd singula ista dona maneant in patria secundùm aliquem actum sibi proprium S. Thomas fusè explicat citato articulo 6. in solutione ad secundum, ex sancto Gregorio libro secundo Moralium capite 36.

Nec obstat quod Durandus obiicit de *materia circa quam donum pietatis* sese occupat; nam præterquam quòd hæc pietas consistit in cultu II. B diuino, vt habet communior opinio Theologorum, qui cultus diuinus est perfectissimus in Beatis, si tamen eius materia constituatur esse miseria proximi, adhuc donum istud erit in Beatis, quatenus illud *magis consistit in affectu, quàm in actu externo.*

Nec item obstat quod idem obiicit *de fortitudine*: licèt enim nulla pericula ampliùs occurrant Beato, ipsa tamen fortitudo habet, quòd det ipsi homini aliquam confidentiam, vt sanctus Thomas ibidem obseruat ex sancto Gregorio, quæ confidentia reperitur in Beatis.

Denique falsum est, consilium præcisè & formaliter sumptum importare dubitationem & ignorantiam in consultante: nam passim in sacris Litteris & Patribus tribuitur Deo, cui nulla inest etiam nescientia; sed consilium præcisè & III. C formaliter sumptum importat actum intellectus, quo ipsa electio voluntatis dirigitur. Quòd verò consilium, vt est in nobis, habeat dubitationem & ignorantiam sibi annexas, id tantùm prouenit ex nostræ imperfectione: vnde S. Thomas quæst. 11. sequenti articulo tertio in solutione ad primum, illud admittit in Christo.

Tertium fundamentum ex doctrina S. Thomæ primâ secundæ quæstione 68. articulo 2. & 4. hæc dona dantur viatoribus, vt habeant virtutes Theologicas perfectissimas, & vt homo promptissimè operetur ex illis: vnde ibidem docet hæc dona, *intellectus, sapientiæ, scientiæ*, data ad iuuandam fidem: atqui fides & spes Theologicæ non fuerunt in Christo Domino etiam viatore, vt ostendimus, & aliæ virtutes infusæ per se fuerunt in illo quàm perfectissimè, vt pa- IV. tet ex dictis de illarum plenitudine: igitur dona D ista non sunt in Christo.

Respondetur, hunc finem, scilicet *iuuare hominem, vt promptissimè operetur ex virtutibus Theologicis*, esse solummodò *accidentarium*, & non essentialem, scilicet *ratione subiecti*, seu hominis ambulantis in via per fidem, vt obseruauimus in responsione ad secundum ex S. Thoma: vnde cùm Christus nunquam ambulauerit per fidem, dona Spiritus sancti non habuerunt in eo hunc finem, vel effectum.

Vltimò obiiciunt: ipse modus operandi per dona Spiritus sancti repugnat perfectioni Christi Domini etiam viatoris; qui enim operatur ex illis donis ita mouetur à Spiritu sancto, vt nesciat, seu non intelligat quo modo, seu quâ ratione moueatur, quod dicit imperfectionem ex parte eius qui mouetur: at Christus Dominus etiam viator optimè nouerat quo modo & quâ V. ratione moueretur, cùm haberet scientiam infusam perfectissimam, careretque omni ignorantia & errore; ergo dona Spiritus sancti, vt distincta à virtutibus per se infusis, non videntur fuisse in Christo etiam viatore.

Respondetur, patere solutionem ex dictis articulo secundo, quartâ parte primæ nostræ rationis: ibi enim docuimus modum istum sic operandi esse duntaxat accidentarium istis donis, nec impedire quin illa sint in Christo Domino.

Articvlvs IV.

Vtrùm donum timoris fuerit in Christo Domino.

Difficvltas est specialis, an hoc donum fuerit in Christo, & remaneat in Beatis. Notandum est hîc non agi de *timore seruili*, VI. quo scilicet peccatum euitatur propter pœnam: hic enim non consistit cum perfecta charitate, qualis est in Christo, vt docet S. Ioannes primâ suâ Canonicâ cap. 4. *Timor*, inquit, *non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Nec item agitur de *mundano timore*, quo scilicet quis ita timet aliquod malum temporale, vt pro illo vitando agat aliquid contra Deum & eius legem: satis enim patet illum maximam in se continere deordinationem: at ne minima quidem deordinatio fuit in Christo Domino; vnde hîc agitur tantùm de *timore filiali*, quo ex charitate illa, quâ Deum amamus, etiam timemus illum offendere.

Sanctus Augustinus libro 14. de Ciuitate Dei cap. 9. videtur dubitasse an timor aliquis considerandus secundùm actum remaneat in Beatis: VII. ibi enim illud Scripturæ, quo *timor sanctus dicitur permanere in sæculum sæculi*, explicat *quoad effectum & præmium*, quatenus scilicet Beati obtinent in patria præmium illius timoris, quem in via conceperunt de offendendo Deo. Sanctus Bernardus epistolâ 190. quæ est ad Innocentium summum Pontificem, refert Petrum Abailardum negasse timorem esse in Christo, & in Beatis. Durandus libro tertio sententiarum distinctione 34. quæst. 3. admittit timorem quoad habitum esse nunc in Christo ad ornatum, negat tamen esse in illo, quoad actum. His tamen non obstantibus,

Communior sententia Scholasticorum, quam loco nostræ propositionis ponimus, est, *donum timoris, etiam quoad actum, fuisse & adhuc esse in Christo Domino.* Probatur primò ex eo VIII. quòd S. Bernardus citatâ suâ epistolâ refert contrarium vt erroneum, dum recenset errores prædicti Abailardi, & inter epistolas sancti Bernardi habetur epistola Innocentij II. summi Pontificis numero 194. quâ condemnat vniuersa pertersa dogmata prædicti Abailardi, quorum vnum erat negare donum hoc timoris, vt refert S. Bernardus citatâ suâ epistolâ: vnde etiam prædictus Abailardus suâ epistolâ 10. ad vniuersos Ecclesiæ filios, seu in sua Apologia iuxta Parisiensem editionem operum eius anno Domini 1616. correxit prædictum suum errorem, solúmque negauit imperfectum timorem, excludentem securitatem beatitudinis, admittítque tam in Christo Domino, quàm in Beatis timoremreuerentialem: *Castum*, inquit Abailardus, *timorem in sæculum sæculi permanentem, qui pro-*

I. *priè charitatis reuerentia dicitur, tam ipsi animæ Christi Domini, quàm electis Angelis, & hominibus ineſſe ſemper recognoſco.*

Hæc noſtra propoſitio probatur expreſſo teſtimonio ſacræ Scripturæ, Iſaiæ 11. vbi dum eſt ſermo de Chriſto Domino, ita habetur, *& replebit eum*, ſcilicet Chriſtum, *ſpiritus timoris:* quod maximè debet intelligi contra Durandum de actu timoris, cùm Scriptura & Patres explicantes hunc locum & alios ei ſimiles loquantur de actu, nec ſit de fide dari quoſdam habitus infuſos per ſe; & hunc timorem etiam quoad actum dari in Beatis, Theologi cum S. Thoma docent ex profeſſo ſecundâ ſecundæ quæſt. 19. art. 11. ex Scripturis & Patribus, vnde erit etiam in Chriſto Domino.

Difficultas tantùm eſt in explicando modo, quo timor ille eſt in Chriſto Domino & Beatis; II. qua de re ibi diſputant. Nos breuiter reſpondemus duos in nobis diſtingui actus timoris filialis: Primus eſt *timere culpam*, quatenùs contraria eſt bono diuino, & propter ſummum aliquod malum, quod poteſt nobis contingere per commiſſionem alicuius peccati. Secundus eſt *honos quidam & reuerentia* erga diuinam Maieſtatem, quæ reuerentia naſcitur ex conſideratione diuinæ Maieſtatis vt eminentiſſimæ, & propriæ vilitatis noſtræ naturæ, quâ fit, vt quis fugiat omnem compárationem ſui cum Deo, & quaſi aliquem acceſſum ad eum, quatenùs ex vehementi apprehenſione ſummæ excellentiæ eius, ſe quaſi indignum reputat qui cum eo communicet, eiúſque ſublimitatem nimiùm curioſè ſcrutari veretur, licèt nullum malum illi immineat à Deo: ita enim aliquando ſolemus timere & reuereri homines, qui poteſtate & dignitate nos III. longè præcellunt, quamuis ex parte illorum nullum malum nobis immineat; & quia talis actus includit aliquam fugam, & fuga eſt actus timoris, ideò vocatur *timor:* præterea quoniam per talem actum aliqua reuerentia & cultus exhibetur ei quem ſic timemus, quatenùs conſideratione ſummæ eius eminentiæ, & noſtræ vilitatis excitamur ad aliquam erga eum reuerentiam, fit vt talis timor vocetur *reuerentialis.* Hinc ſanctus Ambroſius libro 3. de Spiritu ſancto cap. 12. ſignificat Angelos cap. 6. Iſaiæ velare faciem ſuam, quaſi præ reuerentia non audentes inſpicere Deum: vnde fit vt ſatis frequenter in ſacris Litteris nomen hoc, *timor*, ſumatur pro cultu, & verbum *timere*, pro colere, honorare, vt libro quarto Regum cap. 17. & paſſim alibi: & quia cognitio tantæ eminentiæ & poteſtatis eius, qui hoc timore reuerentiali IV. timetur, parit in timente admirationem, fit vt etiam interdum *timor* ſumatur in ſacris Litteris pro *admiratione*, & timere pro admirari: & ſancti Lucæ ſeptimo capite, *Accepit omnes timor, & glorificabant Deum.* Iam primus horum duorum actuum fuit & permanet in Chriſto, etiam beato, ratione primæ illius rei, quam formaliter & primò per ſe dicit, ſcilicet *timere culpam*, quatenùs illa eſt contraria bono diuino; nam eo ipſo quo Chriſtus Dominus ſimul amat Deum clarè viſum, & apprimè nouit malitiam peccati eſſe contrariam diuinæ bonitati, illam deteſtatur, exhorreſcit, auerſatur, & refugit tanquam aliquod maximum malum: ſi autem primus ille actus timoris filialis ſpectetur ſecundùm id quod communiter connotat in nobis, nempe quòd apprehendamus obiectum talis timoris, vt imminens, aut poſſibile nobis euenire, niſi caueatur, tunc talis timor nec eſt, nec vnquam fuit in Chriſto Domino, nec eſt in Beatis; ſunt enim maximè certi & ſecuri de ſua beatitudine: ſicque Chriſtus Dominus nunquam apprehendit futurum vt Verbum diuinum eâm quam ſemel aſſumpſit humanitatem deſereret, & futurum peccatum, etiam quantumuis leue, in illa. V.

Et quòd timor ille filialis, vel etiam actus poſſit nobis dari abſque tali connotato, quotidiana experientia docet. Qui enim ex altiſſima turri intuetur inferiùs, pedémque eius conſiderat, quantumuis certò ſciat ſe ita tuto & apto loco eſſe poſitum, vt nullo modo poſſit cadere, nihilominùs ſæpè timorem & horrorem concipit: ſimiliter nos ſæpè vultum potentiſſimi refugimus, licèt abeo nihil mali nobis timeamus, ob ſolâ inproportionem excellétiæ eius cum noſtra B vilitate: ſic S. Petrus S. Lucæ cap 5. cùm videret VI. ſe vnà cum ſociis totâ nocte laboraſſe, nihil cepiſſe, & ad verbum Chriſti Domini vnico iactu rętis copioſam piſcium multitudinem concluſiſſe, procidit ad genua Chriſti Domini dicens, *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine:* ergo pari iure, licèt anima Chriſti Domini beata nullum apprehendat malum, vt ſibi imminens ex parte Dei, vel ex ſua conditione, quia tamen probè nouit ſe nullo modo eſſe comparandam diuinæ & increatæ excellentiæ, non deſinet concipere timorem filialem circa Deum, vt à ſe cognitum: & quia talis actus aliquem importat cultum & reuerentiam, cultus verò diuinus maximè decet Chriſtum, nec quicquam habet imperfectionis: ideò timor ille filialis, etiam quoad ſecundum illum actûm, quem ſuprà ei aſſignauimus, eſt & perſeuerat in Chriſto Domino C puro comprehenſore. VII.

Neque eſt quòd quis dicat hunc actum eſſe virtutis religionis, vel humilitatis, vel vtriuſque ſimul, nec proinde donum timoris eſſe, vel permanere in Chriſto beato quoad actum: nam ſuppoſitâ ſententiâ S. Thomæ de diſtinctione donorum à virtutibus, reſpondetur, nihil repugnare vnum eundémque actum eſſe à virtute humilitatis, à virtute religionis, & à dono timoris: ab hoc quidem dono, quatenus ſit ex aliqua ſpeciali extraordinaria, eáque extrinſecâ motione, & impulſu Spiritus ſancti: à virtute autem humilitatis & religionis, quatenùs elicitur à voluntate, vt iſtis virtutibus informata, & per illas regulata: nam dona Spiritus ſancti correſpondere aliquibus virtutibus docent Interpretes ſancti Thomæ primâ ſecundæ quæſtione 67. vnde etiam virtuti humilitatis donum timoris corre- VIII. D ſpondet, ex S. Auguſtino libro de ſermone Domini in monte.

Neque etiam implicat actum quendam heroïcum, habentem plures formales rationes diſtinctas à ſe inuicem virtualiter, elici ſimul & ſemel à pluribus virtutibus per agens perfectiſſimum, cuiuſmodi eſt Chriſtus Dominus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm gratiæ gratis datæ fuerint in Chriſto Domino.

NOTANDVM eſt nomine *gratiæ gratis datæ* nihil aliud intelligi à Theologis, quàm *donum aliquod ſupernaturale, principaliter inſtitutum ad ſalutem & vtilitatem ſpiritalem alio-*

I. *rum; seu vt alij loquuntur, principaliter ordinatum ad ministerialiter reducendum alios homines in Deum. Hæc autem gratia diuiditur ab Apostolo primæ ad Corinthios duodecimo in nouem species, quando ita ait, Alij per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alij gratia sanitatum in vno Spiritu; alij operatio virtutum; alij Prophetia; alij discretio spirituum; alij genera linguarum; alij interpretatio sermonum.* De qua diuisione Theologi cum S. Thoma disputant ex professo primâ secundæ à quæstione 171. vsque ad 178. & quantum spectat ad præsentem articulum, propria ratio illarum singularum satis patebit ex dicendis in probatione nostræ propositionis. Hoc ita prænotato, hæc sit vnica

II. Propositio: *Omnes gratiæ gratis datæ fuerunt perfectissimæ in Christo Domino*: Ita S. Thom. hîc art. 7. & 8. & omnes Theologi communiter, excepto vno Abulensi, qui in caput vndecimum libri Numerorum quæstione 64. negat Prophetiam propriè sumptam fuisse in Christo Domino: & nostra propositio est sancti Augustini epistolâ 57. ad Dardanum; vbi sic ait, *Sicut in capite sunt omnes sensus, & in Christo omnes gratiæ.* Item tractatu 14. in S. Ioannem, dum explicat illud Euangelij, *Non enim ad mensuram Deus dedit Spiritum.* S. Cyrilli libro 2. in S. Ioannem cap. 20. & aliorum ad illum locum Euangelistæ, *De plenitudine eius omnes accepimus.* & ad illum alium locum Apostoli ad Ephesios quarto, *Vnicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.*

III. Ex quibus locis nostra propositio sic primò probatur generatim. In quocunque est plenitudo omnis gratiæ, & à quo omnis & quælibet gratia redundat in alios, is debet etiam habere omnes & singulas gratias gratis datas, quæ de facto dantur aliquibus, nisi quid obstet: verbi gratiâ, quòd repugnent eius conditioni, vel statui, vel aliquam imperfectionem includant; aliàs omnis plenitudo totius gratiæ non esset in illo, & gratia esset data illi ad mensuram: atqui plenitudo omnis gratiæ est in Christo Domino, vt suprà ostendimus, & ex locis Scripturæ nunc citatis. Item omnis gratia existens in aliquo homine est deriuata à Christo Domino in illum, vt patebit quæstione sequenti, & citata Scripturæ testimonia ostendunt: insuper omnes & singulæ gratiæ gratis datæ sunt quædam gratiæ, vt tam ipsum earum nomen, quàm propria cuiusque illarum ratio ostendunt. Item singulæ eiusmodi

IV. gratiæ ex Apostolo primæ ad Corinthios duodecimo distributæ sunt à Deo quamplurimis hominibus, nec illæ omnes, vel aliqua earum repugnabat spiritui Christi existentis in via, vt patebit inductione paulò post faciendâ per singula, quâ ostendetur ipsam etiam Prophetiam fuisse in eo: igitur singulæ gratiæ gratis datæ fuerunt in Christo Domino.

Probatur secundò. Omnes & singulæ perfectiones, quæ conferunt ad benè & perfectè exequendum munus Doctoris perfectissimæ iustitiæ, & vitæ æternæ, debent esse in Doctore omnium perfectissimo; aliàs enim si quæ illarum deesset, non esset in isto genere adæquatè perfectissimus: atqui Christus Dominus fuit Doctor omnium perfectissimus eorum quæ faciunt ad doctrinam vitæ æternæ: nam Isaiæ 55. & Ioëlis 2. vbi est sermo de Messia, ita habetur, *Lætamini*

A *in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ.* Ioannis 13. Christus Dominus sese professus est Doctorem, *Vos*, inquit, *vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim*: & ex toto Euangelio patet illum exercuisse munus Doctoris longè perfectius, quàm vnquam quisquis alius Doctor, vt Toletus ad citatum locum S. Ioannis explicat: item omnes & singulæ illæ gratiæ gratis datæ conferunt ad perfectè exequendum munus Doctoris iustitiæ, & vitæ æternæ, quia dantur principaliter ad salutem, & vtilitatem spiritalem aliorum, vt patet ex nostro notabili: igitur omnes illæ gratiæ fuerunt in Christo.

Tandem probatur inductione factâ per singulas species gratiæ gratis datæ. De fide probatur: ea nihil est aliud, quàm excellens quædam fiducia, per quam impetrantur quæ petuntur à

B Deo, quæque Doctor iudicat hîc & nunc habere conditiones, ob quas bonitas diuina est parata eum, vel miraculo, vel alio effectu iuuare ad confirmandum & manifestandum quod docet, iuxta illud Marci 11. *Habete fidem Dei, amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei.* Atqui talis fiducia fuit in Christo Domino Ioannis vndecimo, scilicet quando voluit suscitare Lazarum, *Gratias ago tibi, ego autem sciebam quia semper me audiet.*

De sapientia probatur: ea nihil est aliud, cuìm perfecta cognitio mysteriorum fidei, quâ res fidei probè intelligimus, conclusiones ex illis per causas altissimas deducimus, & aliis facilè explicamus: atqui id fuit in Christo Domino, vt patet Lucæ secundo, quando sedit in medio

C Doctorum audiens & interrogans eos, *Stupebant autem*, inquit Scriptura, *omnes qui eum audiebant super prudentia*, id est super intelligentia, quâ acutissimè & facillimè profunda mysteria fidei, & sacræ Scripturæ illis explicabat: nam pro eo quòd Latina editio habet *super prudentia*, Græca legit ἐπὶ τῇ συνέσει, id est *super intelligentia*: & Matthæi 22. tam subtiliter & acutè explicat sacram Scripturam, probat aduersùs Saduceos resurrectionem futuram, contra Pharisæos suam diuinitatem, vt vtrique confusi discedant cum admiratione aliorum, & alij passim in Euangelio auditores mirantur doctrinam eius.

De scientia patet: ea nihil est aliud quàm cognitio rerum creatarum, & peritia deducendi conclusiones ex eiusmodi rebus, easque proponendi aliis: at Christus Dominus id habuit, vt

D cùm docuit obediendum esse Magistratui, parentes esse honorandos, quo pacto homo possit sibi procurare primos accubitus & honores.

De gratia sanitatum & virtutum patet: illæ enim nihil sunt aliud, quàm donum aliquod, quo sanitas redditur ægroto, & opus miraculosum fit: at Christum Dominum sanasse ægrotos & fecisse miracula clarissimè constat ex Euangelio passim.

De discretione spirituum idem patet: ea enim nihil est aliud quàm cognitio, quâ diiudicatur, & penetratur, quo spiritu quis impellatur ad aliquid dicendum, vel faciendû: at id fuit in Christo D. vt quando Matth. 22. iudicauit Pharisæos proposuisse sibi quæstionem de censu reddendo Cæsari, *vt caperent illum in sermone*: item quando quærimoniâ Iudæ proditoris de effusione vn-

V. VI. VII. VIII.

I. guenti, diiudicauit prouenire ex affectu auaritiæ.

De interpretatione sermonum patet: quià ea nihil est aliud quàm peritia interpretandi obscuros & reconditos sensus sacræ Scripturæ, cum facundia & facilitate explicandi eos aliis, vel vt alij explicant, peritia interpretandi, quæ alij linguâ peregrinâ proferunt, & explicandi clatiùs, quæ illi obscuriùs per metaphoras, vel alio modo enunciant: at hæc vtroque modo fuit in Christo: Priori, quemadmodum patet ex citato loco sancti Lucæ capite secundo: Posteriori, quia licèt non legamus expressè in sacris Litteris Christum fuisse loquutum variis linguis, id tamen potest facilè conijci ex eo quòd loquutus sit multis Gentilibus, vt Chananæ Matthæi 22. & cùm in festo Pentecostes ex omni gente & diuersi idiomatis homines conuenerint Hierosolymam, vt intelligitur ex capite primo Actuum,

II. verisimile est Christum fuisse alloquutum illos B
propriâ eorum linguâ, vel si, vt vult S. Thomas hîc articulo 2. ad 3. nunquam de facto loquutus est variis linguis; id tamen non impedit, quin earum peritiam habuerit, cùm sit perfectio nullam includens imperfectionem.

Postremò idem probatur de Prophetia: Primò ex capite 8. Deuteronomij, vbi Christus Dominus prædicitur, & exprimitur nomine Prophetæ: ita enim Moyses ait, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Quem locum S. Petrus Actuum 3. explicat de Christo Domino: imò Eusebius lib. 3. de demonstratione Euangelica cap. 2. probat locum illum intelligi de solo Christo; & Christum fuisse Prophetam S. Hieronymus epistolâ ad Damasum de tribus quæstionibus veteris Testamenti: S. Augustinus libro 16. contra

III. Faustum capite 18. & ipsa denique ratio ostendunt: nam esse Prophetam propriè & præcise loquendo, nihil est aliud quàm supernaturali cognitione viatoris intelligere ea, quę longè distant ab ordinaria cognitione viatorum, eáque annunciare hominibus; nam Prophetia sumpta præcisè abstrahit à clara & obscura cognitione, quemadmodum S. Thomas hîc art. 8. in responsione ad primum rectè animaduertit. Vt enim quidam, exempli gratiâ, Caiphas prænuntiauit quæ erant sibi obscura, sic & aliqui alij prædixerunt quæ sibi nota erant: verbi gratiâ, obsidionem vrbis solutum iri tali die, triticum dandum esse pretio quàm vilissimo: atqui Christus Dominus multa eiusmodi intellexit cognitione supernaturali, eáque pronunciauit hominibus: verbi gratiâ, Antichristum venturum, excidium Hierosolymitanum futurum, effusionem vnguenti factam

IV. à S. Magdalena esse prædicandam vbique, se D
tertiâ die resurrecturum, & id genus quamplurima, vt constat ex Euangelio: igitur Christus Dominus verè & propriè fuit Propheta.

Articvlvs VI.

Soluuntur obiectiones, & incidens dubium soluitur.

Obicies primò: Beati, licèt possint aliqua futura nobis reuelare, quia tamen illa vident in Verbo, non sunt propriè loquendo Prophetæ, sed Christus Dominus ante suam passionem fuit etiam beatus, vt patebit inferiùs: ergo etiamsi multa futura reuelauerit, non propterea tamen, propriè loquendo, fuit Propheta.

Respondetur, Christum Dominum præter conditionem Beati habuisse conditionem viatoris: item quòd tùc esset aliquo modo membrum Ecclesiæ militantis, quatenùs caput potest dici membrum aliquod totius sui corporis, & pro tali tempore visibile, & insuper cognoscebat futura per aliam scientiam à beata, scilicet per infusam; at Deus & Beati nullo modo sunt viatores, vel membra Ecclesiæ militantis, sed tantùm spectant ad triumphantem, neque sunt nobis visibiles: est autem de ratione Prophetæ, vt sit actu vel potentia membrum Ecclesiæ militantis, quia vt indicat Apost. 1. ad Cor. 12. gratiæ gratis datæ distribuuntur à Deo quibusdam membris Ecclesiæ militantis in vtilitatem aliorum, & cõsummationem corporis Christi. quod est Ecclesia militans, & insuper quæ reuelantur per Prophetiam debent distare à communi statu & cognitione reue-

V. lantis illa; Christus verò Dominus erat viator, à
VI. cuius communi statu & cognitione reuelantis illa: res futuræ quas reuelabat maximè distabant, eásque sciebat per scientiam infusam per se, quæ omnia non habent locum in Deo, vel Beatis.

Obicies secundò, S. Ioannes Baptista dicitur plusquàm Propheta, eo quòd esset eodem tempore quo Christus, cuius tamen erat prænuntius, viuebat in terris, & ab illo cognoscebatur: ergo pari iure, quia omnia quæ Christus reuelabat futura erant eius animæ præsentia per visionem beatificam, non erit propriè loquendo Propheta.

Respondetur S. Ioannem Baptistam ibi non negari esse Prophetam, cùm S. Lucæ capite 1. appelletur isto nomine: *Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis*: sed solummodò significatur cum habuisse gradum aliquem perfectionis vltrà

C gradum Prophetiæ, quod hæc particula, *plus-*
VII. *quam*, isti elogio apposita, satis denotat: potest etiam addi hac particulâ significari S. Ioannem non esse Prophetam communi more præcedentium Prophetarum, qui communiter ea tantùm prænuntiabant, quæ longo pòst tempore erant futura, cùm tamen S. Ioannes Christum Dominum quem annunciabat, etiam demonstraret digito.

Obicies tertiò: nihil quod esset euacuandum fuit in Christo, quia euacuatio dicit imperfectionem: at ex Apostolo 1. ad Cor. 13. Prophetiæ euacuabuntur: ergo donum Prophetiæ sumptum propriè non fuit in Christo, nec Christus propriè Propheta.

Respondetur, concessâ Maiore, ad Minorem, verbum istud Apostoli intelligi de actu Prophetiæ, quatenùs post finem mundi nullus locus erit amplius Prophetiæ, quia tunc omnia finem ha-

VIII. D bebunt, & tota Ecclesia erit solummodò triumphans, nulla militans.

Quæres, an istæ gratiæ gratis datæ fuerunt in Christo Domino quidam habitus? Respondetur, eandem esse rationem ac de illis iisdem, vt sunt in aliis hominibus, quod Scholastici locis superiùs citatis disputant; potest tamen dici eas gratias gratis datas, quæ in aliis hominibus non habent rationem habitus, sed solùm consistunt in actu, fuisse in Christo Domino *per modum habitus*, hoc sensu, quòd toties quoties voluit agere per istas gratias gratis datas semper habuit paratissimum speciale auxilium Dei ad id necessarium, quod tamen non habet locum in aliis hominibus istas gratias, aut aliquid earum habentibus, vt constat ex veteri Testamento, in quo passim est animaduertere Prophetas non

I. ita habuisse donum Prophetiæ ad proprium suum nutum, vt eo possent vti toties quoties vellent.

ARTICVLVS VII

Quando Christus acceperit gratiam & dona Spiritus sancti.

SIT hæc nostra propositio: *Christus Dominus in primo instanti suæ conceptionis accepit gratiam habitualem & cætera dona gratiæ per se infusa.* Ita S. Thomas hac quæstione art. 13. & lib. 3. sent. distinct. 13. quæst. 1. & hæc conclusio est tam certa, vt opposita videatur esse erronea, quemadmodum patebit ex testimoniis sacræ Scripturæ, quibus illam probauimus, & Patrum authoritate ea exponentium.

Probatur primò ex illo Angeli apud S. Lucam capite 1. annunciantis hoc mysterium beatissimæ Virgini, *Quod enim ex te nascetur sanctum:* id est tam simul cum ipsa sua conceptione, quàm ex ipsamet sua conceptione habebit sanctitatem; istud enim verbum *nascetur*, intelligitur de ea natiuitate, quæ *fit in vtero matris*, & non de ea, quæ *fit extra vterum*: si enim voluisset tantùm loqui de ea sanctitate quæ sequitur aliquo etiam tempore conceptionem in vtero, fuisset locutus hòc vel simili modo, quo de Ioanne Baptista, *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* II.

Probatur deinde ex capite 11. Isaiæ ita dicentis, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* Quo loci per *virgam*, Beatissima Virgo intelligitur; per *florem*, Christus Dominus; per particulam, *spiritus Domini*, & alias sequentes particulas intelligi gratiam habitualé, & cætera dona supernaturalia gratiæ infusæ per se, satis fusè ostendimus, agédo singillatim de illis: & huius totius sententiæ sensus est, Spiritus sanctus cum plenitudine gratiæ requieuisset in Christo, dum tanquam flos ascendet de radice Iesse, id est, dum concipietur in vtero Beatissimæ Virginis. Hinc Ieremiæ 31. capite dicitur, *Fœmina circumdabit virum:* quod intelligitur de conceptione Christi Domini in vtero Beatissimæ Virginis, qui pro tali instanti, ratione gratiæ sanctificantis, & aliorum donorum supernaturalium, quibus perficiebatur, vocabatur vir. III.

Idem probatur ex Patribus: S. Augustino lib. 15. de Trinitate cap. 26. libro 2. de peccatorum meritis & remissionibus cap. 29. S. Gregorio homil. 62. S. Cyrillo ad locum citatum Isaiæ, & aliis docentibus Christum in ipsa Incarnatione, seu in sua conceptione, fuisse omninò plenum gratiæ, & in Baptismo quando Spiritus sanctus in forma columbæ descendit super eum, nullum augmentum gratiæ fuisse ei collatum, sed tantùm gratiam anteà ei collatam fuisse nouo speciali signo manifestatam, vel gratiam per illum dandam Ecclesiæ tunc fuisse præfiguratam: quo modo intelligitur S. Hieronymus ad caput 61. Isaiæ loquens de gratia Christi Domini. IV.

Idem patet de virtutibus moralibus infusis per se; nam Isaiæ 7. dicitur de Christo Domino adhuc infante, *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum:* id est, vt S. Hieronymus ad illum locum explicat, *Adhuc pannis inuolutus, & butyro pastus ac melle, habebit boni malique iudicium, vt reprobans mala, eligat bona.*

A Probatur etiam ratione. Omnis perfectio supernaturalis aliquando collata puræ alicui creaturæ, carens omni repugnantia ad vnionem hypostaticam, & ea quæ consequuntur illam, debuit conferri Christo Domino; aliàs caput mysticum esset aliquo modo deterioris conditionis, seu saltem minùs perfectæ, quàm aliquod eius membrum: quod est absurdum: atqui accipere gratiam habitualem & cætera dona supernaturalia per se infusa statim à primo instanti suæ conceptionis est aliqua perfectio, quia perfectius est & optabilius esse ab initio omnimodè perfectum, & plenum gratia, & donis eius, quàm paulatim crescere & perfici in illis. Item, gratia sanctificans, & virtutes morales per se infusæ, nullam habent repugnantiam ad vnionem hypostaticam, vel ea quæ illam consequuntur, etiam vt habitain primo instanti suæ conceptionis, quemadmodum patet ex dictis: & hæc perfectio, scilicet gratiam accipere in primo suæ creationis instanti, fuit concessa Angelis; sunt enim creati in gratia, vt docet S. Thomas 1. parte quæst. 62. Item, tam ipsa gratia, quàm virtutes morales per se infusæ fuerunt collatæ primis parentibus statim in illorum creatione, vt idem S. Thomas docet 1. parte, quæst. 95. art. 1. & 3. quorum tamen hominum & Angelorum Christus Dominus est caput mysticum: igitur tam habitualis gratia, quàm virtutes morales per se infusæ fuerunt collatæ Christo Domino in primo instanti suæ conceptionis. V.

ARTICVLVS VIII.

Quomodo Christus Dominus acceperit gratiam habitualem & alia dona supernaturalia.

SIT hæc nostra propositio. *Christus Dominus non habuit gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia gratiæ infusa per se, per aliquam emanationem verè & propriè physicam ab vnione hypostatica: sed per moralem tantùm, quatenus Deus infudit hæc omnia animæ Christi Domini in primo instanti eius conceptionis, ratione vnionis hypostaticæ.* VI.

Vt hæc propositio intelligatur, & simul probetur, notandum est, apud Theologos duplicem distingui emanationem, vnam *moralem*, alteram *physicam: physica* est resultantia alicuius entis, quod ipsum agens ex se & ex sua entitate fundit actiuè, quomodo potentiæ animæ dicuntur emanare ab essentia animæ: *emanatio moralis* nihil est aliud, quàm duorum, vel pluriũ ordinata quædam positio, quatenùs vnum est talis conditionis, vt eo posito, & aliud ponatur consequenter: inter quas duas emanationes est distinctio *in ratione principij*, quòd in priori ratio principij verè & propriè sumpta reperiatur, in posteriori minimè: sed talis tantùm *connexio*, seu *congruentia*, quæ aliquo modo postulet, vt vno posito, aliud consequenter ponatur, licèt inter ea non sit necessaria connexio, nec posterius propriè oriatur, seu originetur ab alio sibi priori. Hoc ita prænotato, VII.

Prior pars nostræ propositionis probatur. Nihil est in ipsa vnione hypostatica sumpta adæquatè, quod sit propriè principium actiuum respectu gratiæ habitualis, & aliorum donorum supernaturalium, quæ sunt in Christo Domino: ergo habitualis gratia & cætera supernaturalia dona gratiæ, quæ sunt in anima Christi D. non sunt in eo VIII.

I. per aliquam emanationem verè & propriè physicam. Consequentia patet ex notabili nunc prætermisso. Antecedens probatur: vnio hypostatica, vt sic præcisè & adæquatè sumpta, dicit personalitatem Verbi diuini; humanitatem & vnionem huius cum illa: at nihil horum sese habet actiuè ad productionem gratiæ habitualis & donorum eius: non Verbum diuinum, vt fusè docuimus suprà ad 2. quæst. non etiá humanitas, quia hæc non est facta potentior ad operandum physicè, ex eo quòd sit vnita Verbo, quàm secundùm se, vt sæpius animaduertimus: at humanitas siue secundùm se totam sumpta, siue secundùm aliam sui partem, scilicet animam, non est principium actiuum gratiæ habitualis, seu quod illam fundit ex se, cùm sic spectata sit entitas purè naturalis, & gratia habitualis sit entitatiuè & intrinsecè supernaturalis: igitur ista dona gratiæ non emanant physicè.

II. Neque potest recurri ad obedientialem eius actiuam potentiam, quia anima Christi D. vnita Verbo sese habet in ratione principij effectiui eodem modo ad productionem gratiæ habitualis, & donorum eius supernaturalium ac anima vniuscuiusque nostrûm ad gratiam habitualem, quam accipit à Deo, cùm, vt nunc diximus, per hanc vnionem non sit facta potentior ad operandum actiuè: at anima nostra non fundit ex se gratiam habitualem, nec est actiuum principium illius à quo emanet physicè, etiam secundùm potentiam suam actiuam obedientialem.

Nec tertiò hæc gratia & dona supernaturalia possunt emanare physicè ab vnione hypostatica, quatenùs hæc est formalis terminus actionis vnitiuæ; quia sic est tantùm modus quidam substantialis, quemadmodú docuimus ad 2. quæst. disp.

III. 6. cuius totum & proprium munus est solummodò *modificare substantiam* cui identificatur, *quatenùs est modus, & quatenùs est vnitiuus, eam alteri vnire*, seu dare ei intrinsecam, & actualem habitudinem, quâ actu & de facto sit vnita alteri extremo, vt patet factâ inductione per modos vnitiuos: at hoc non importat esse aliquod principium propriè actiuum alicuius rei, nec, esse aliquod principium, sequitur ad eiusmodi modum.

Ex quo patet solutio ad id quod potest obiici contra hanc rationem, scilicet relationem vnius extremi vniti ad aliud emanare, item & eius vbicationem: est enim longè dispar ratio tam huius relationis, quàm vbicationis istius modi substantialis ab ipsa gratia habituali, & cæteris supernaturalibus donis quoad hanc enunciationé physicam, quòd nimirùm modus ille, cùm sit vnitiuus duorum extremorum inter se, ipsâ sui positione

IV. fúdat necessariò, & ex ipsa rei natura relationem vnius extremi ad alterú, quatenùs positis terminis & fundamento relationis ipsa relatio resultat necessariò ex cómuni doctrina Philosophorum, quod seruatâ proportione est dicendum de vbicatione istius modi. nam eo ipso, quo res aliqua per sui productionẽ ponitur actu extra suas causas ponitur alicubi, & ad ipsam sui positionem vbicatio ei correspondens, seu esse affectum vbi sibi correspóndentis tatim necessariò sequitur: quare cùm iste modus substantialis sit realis quædam entitas per actionem vnitiuam humanitatis cum Verbo producta de nouo, debet necessariò, & ex vi ipsius suæ positionis extra suas causas accipere quoddam vbi sibi correspondens: at in præsenti difficultate ille idem modus substantialis nihil habet in se, vi cuius postulet necessariò gratiam

A habitualé, & dona supernaturalia gratiæ poni in anima humanitatis assumptæ, vel esse principium actiuũ huius gratiæ habitualis & donorũ supernaturalium humanitatis quam vnit cum Verbo. V.

Deinde, id ex quo habitualis gratia emanat physicè debet se habere ad modum alicuius primi & radicalis actus vitalis, quia habitualis gratia, eiúsque dona supernaturalia sunt ad connaturaliter eliciendos actus vitales supernaturales secundùm suam substantiam, cuiusmodi sunt actus dilectionis supernaturalis, & ex cõsequenti istud idem quod habet se ad modum actus primi & radicalis debet habere proportionem cum eo, cuius respectu est radix, & actus primus: atqui vnio hypostatica sumpta pro isto modo substantiali, non se habet ad modum alicuius primi & radicalis actus vitalis, nec aliquam habet proportionem ad illũ, quia nullus actus, siue intellectus, siue voluntatis fingi potest, qui procedat à tali B modo substantiali, tanquam à suo principio radicali: igitur gratia habitualis, & alia dona supernaturalia per se non emanant physicè ab vnione hypostatica sumpta pro modo illo substantiali, qui est formalis terminus actionis vnitiuæ humanitatis cum Verbo diuino. VI.

Nec denique gratia habitualis, & reliqua dona supernaturalia possunt dici emanare physicè ab vnione hypostatica, provt hæc sumitur pro coniũctione actuali: sic enim est vel actio vnitiua humanitatis cum Verbo, vel relatio resultans ad illam, vel ipsamet actualis coniunctio humanitatis cum Verbo semper & in æterno perseuerans: at non primo modo, quia actio transiens, cuiusmodi est hæc, propriè nõ est principium ex quo aliqua qualitas permanens, qualis est gratia habitualis, emanet physicè, nam proprietas, quæ vt sic emanat ab alio, debet in tali principio recipi, tanquam immediato suo subiecto, quemadmodum patet inductione factâ per proprietates, quæ dimanant à suis subiectis: gratia autem habitualis Christi D. nõ recipitur immediatè in tali actione, cùm hæc à longo tempore iam desierit, & illa semper perseueret esse in Christo D. Non item secundo modo, quia relatio non est actiua, nec aliquod principiũ agendi, vt omnes Philosophi docent communiter. Non denique tertio modo, quia sic dicit tantùm humanitatem esse actu coniunctã Verbo, seu hypostaticè terminatã ab illo, & in tali statu perseuerare: at hoc non dicit, vel importat esse aliquod principiũ actiuum, ex quo aliquid emanet, sed meram terminationẽ humanitatis à Verbo diuino, aliàs aliquid daretur effectum ad extra, quod esset ab vna tantùm persona diuina, & non à tota Trinitate: quod satis abundè reiecimus in superioribus. VII.

Neque potest responderi Christum D. vt est aliquod mirabile compositum ex personalitate Verbi diuini, & humanitate, esse quoddã constitutum ad eliciendos actus vitales supernaturales, sicque semper aliquid in eo præsupponi proportionatum actibus prædictis vitalibus, quod in Christo D. sese habet per modum actus primi & radicalis, & sic posse esse principium actiuum ex quo gratia sanctificans emanet physicè: hoc, inquam, non potest dici, quia vt iam ostẽdimus, totũ istud non est maioris actiuitatis physicè, quàm sit purus homo: ergo cùm in puro homine nec anima eius, nec totũ constitutũ ex humanitate & supposito habeat se per modũ actus primi & radicalis, ex quo gratia habitualis emanet physicè, nec etiam istud mirabile constitutum ex perso- D VIII.

nalitate

I. nalitate Verbi & humanitate in Christo Domino erit tale principium, ex quo habitualis eius gratia emanet physicè.

Posterior pars eiusdem propositionis, asserens *habitualem gratiam, & alia dona eius supernaturalia emanare morali resultantiâ ex vnione hypostaticâ*, probatur ex præmisso notabili. Tunc de facto moralis resultantia, seu emanatio datur, quando ob aliquam congruentem rationem, vno posito, alterum à Deo confertur, vel alio modo ponitur: atqui datur congruens ratio propter quam gratia sanctificans data fuerit animę Christi D. à primo instanti suæ conceptionis, quemadmodum superiùs ostendimus, & est moralis quædam connexio fundata in simili congruentia inter dona supernaturalia gratiæ infusa per se, & habitualem gratiam, saltem ad minimum respectu Christi D. ratione suæ dignitatis, & conditionis, quemadmodum patet ex præcedentibus, II. & gratia sanctificans, eiusque dona sunt à Deo B per infusionem, iuxta illud Psalmistæ, *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: igitur gratia sanctificans, & cætera id genus dona per se infusa animæ Christi Domini, emanant ab vnione hypostatica per emanationem tantùm moralem.

ARTICVLVS IX.

Quando Christus habuerit virtutes morales.

SIT hæc propositio. *Anima Christi Domini habet à primo instanti suæ conceptionis virtutes morales, quæ naturâ suâ possunt acquiri, per infusionem à primo instanti suæ conceptionis.* Propositio hæc indicatur à S. Thoma hac quæst. art. 2. in solutione ad 3. Probatur quoad primam partem ex citato capite Isaiæ, vbi de Christo adhuc infante dicitur, *Butyrum & mel comedet, vt sciat* III. *reprobare malum, & eligere bonum.* Hoc enim etiam fit per virtutes naturâ suâ acquisibiles. C

Deinde Christus Dominus ad minimum fuit æquè perfectus, ac primi parentes: at primi parentes statim atque creati sunt, habuerunt omnes virtutes morales etiam ex suo genere acquisitas, vt docet S. Thomas 1. parte, quæst. 95. art. 1. & 3. Tandem Christus D. à primo instanti suæ conceptionis fuit perfectus, tam quoad voluntatem, quàm quoad intellectum: ideò enim pro eo instanti vocatur *vir* in sacris Scripturis, Hier. 31. at perfectio voluntatis secundùm ordinem naturæ fit maximè per virtutes morales naturâ suâ acquisibiles: igitur Christus Dominus habuit à primo instanti suæ conceptionis virtutes morales, quæ naturâ suâ possunt acquiri.

Altera pars propositionis, scilicet *istas virtutes fuisse infusas animæ Christi Domini*, probatur. IV. Anima Christi Domini pro eo instanti conceptionis non potuit istas virtutes propriis suis actibus sibi comparare: ergo cùm ex præcedenti parte illas habuerit, debuit eas habuisse per infusionem à Deo. Antecedens patet: potentiæ animæ Christi D. sunt eiusdem rationis ac nostræ, dum spectantur physicè: ergo quemadmodum potentiæ nostræ non possunt istas virtutes sibi comparare eo instanti quo concipiuntur, nec etiam anima Christi Domini.

Nec est quòd quis dicat potentias animæ Christi D. corroborari ex sui coniunctione ad suppositum Verbi, sicut potentia sensitiua in nobis, ex sui coniunctione ad potentiam rationalem: est enim dispar ratio, quia potentia sensitiua in homine radicatur in anima rationali, vt docet sanctus Thomas 1. parte quæst. 77. art. 5. & explicant Philosophi libris de anima, vbi agunt de cogitatiua: at potentiæ animæ Christi Domini nullo pacto radicantur in Verbo diuino. A V.

Nec est quòd quis dicat, *synderesim*, (quæ est habitus naturalis, quo intellectus practicus intelligit prima principia practica per se nota) proposuisse voluntati Christi Domini omnes fines virtutum moralium, non tantùm in vniuersum, sed etiam in particulari; nam obiecta synderesis sunt sola prima principia practica per se nota, circa quæ & fines eius etiam in singulari spectatos intellectus non potuit sese occupare pro eo instanti; cùm hæc synderesis consideret etiam singula principia, & fines singularum virtutum in particulari. Adde quòd maior est perfectio habuisse pro tali instanti omnes eiusmodi virtutes morales, quàm aliquando iis caruisse, & postmodù eas sibi cõparasse: ergo anima Christi VI. habuit istas virtutes morales sibi à Deo infusas.

AD QVÆSTIONEM VIII.

De gratia capitis Christi Domini, seu secundùm quod est caput Ecclesiæ.

DISPVTATIO I.

De Christo Domino, tanquam capite totius Ecclesiæ, hominum & Angelorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Christus Dominus sit caput Ecclesiæ. VII.

NOTANDVM primò ex S. Thom. hîc in corpore, ratione capitis mystici, qualis est Christus D. desumi ex proportione ad caput naturale, cui in ordine ad sua membra tria competunt: scilicet quòd sit primum, deinde quòd suâ perfectione superet reliquum corpus, cùm in eo omnes sensus tam interiores, quàm exteriores vigeant, non autem in reliquis membris. Tertiò, quòd reliqua membra suum motũ ab illo accipiant: ideò quærere an Christus D. sit caput Ecclesiæ, idem est ac quærere an hæc tria reperiantur in Christo Domino respectu Ecclesiæ.

Notandum secundò: cùm in Christo D. sint duæ naturæ, diuina & humana, sensum quæstionis non esse, an Christus vt Deus, seu ratione diuinitatis sit caput Ecclesiæ, sed an ratione humanitatis. Prius enim est ei commune cum aliis personis diuinis; hîc autem agitur de iis quæ ei competunt, ratione humanitatis, & provt distinguitur ab aliis personis. VIII.

Notandum tertiò, particulam istam, *inquantum*, in sensu tituli expositi, nõ sumi *reduplicatiuè*, sed solummodò *specificatiuè*, vt Dialectici loquuntur, id est sensum articuli non esse, an Christus sit caput Ecclesiæ, propter suâ humanitatem, quasi humanitas sit ratio formalis cur sit caput, aliàs enim homo quilibet cùm habeat veram humanitatem esset caput Ecclesiæ, quod est manifestè falsum: sed sensus est, an ratio illa capitis ita conueniat Christo D. vt exequatur, seu exerceat officium capitis per ipsam suam humanitatem.

I. Notandum postremò, nomen *Ecclesiæ* hîc non sumi pro sola militante Ecclesia, sed *pro tota*, provt hæc comprehendit militantem, purgantem, & triumphantem simul. His ita prænotatis, sit ista

Propositio: *Christus Dominus est caput Ecclesiæ.* Ita S. Thom. hîc, & est de fide, ad Ephes. 1. *Ipsum dedit*, scilicet Deus, *Christum caput supra omnem Ecclesiam*: ad Coloss. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Et quod ibi sit sermo de Christo vt homine, patet; nam semper aliquid ibi adhibetur quo id denotetur, vt cit. cap. 1. ad Ephes. quando ait, *Suscitans eum à mortuis.* Hanc etiam conclusionem Patres docent: S. Hilarius libro 8. de Trinit. sub finem, dum ita ait de Christo, *ob dispensationem corporis nostri ipse est caput.* S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 5. S. Augustinus tractatu 80. in Ioannem.

II. Probatur ratione, quæ ostendit tria prædicta ad rationem capitis mystici requisita reperiri in Christo homine, ac imprimis Christum D. esse primum in Ecclesia patet ex eo quòd sit primus prædestinatorum, & causa prædestinationis hominum. Deinde quòd superet reliquum corpus Ecclesiæ quoad perfectionem, patet ex dictis de plenitudine eius gratiæ: quòd denique Ecclesia accipiat ab illo motum, seu influxum spiritalem, patet ex cap. 15. S. Ioannis, vbi Christus D. sese comparat viti, omnia verò membra Ecclesiæ palmitibus, &c. ibi explicat se dare illis influxum spiritalem, sicut vitis confert suis palmitibus influxum vitalem, qui locus totus intelligitur de Christo capite, vt S. August. notat expressè tract. 80. in Ioannem.

Nec obstat, quòd Deus sit caput Ecclesiæ, influat gratiam & reliqua dona supernaturalia, III. quibus singula Ecclesiæ membra exercent sua officia, & diriguntur in suos fines: in corpore autem naturali (ad cuius analogiam Christus D. dicitur esse caput Ecclesiæ) vnum tantùm sit caput, non duo, vel plura. Hoc, inquam, non obstat: nam, vt obseruat S. Thomas hîc in responsione ad secundum in locutionibus metaphoricis, non oportet similitudinem esse quantum ad omnia, sed tantùm quoad ea, in quibus fit comparatio: vnde cùm inter ea in quibus caput mysticum comparatur naturali, non recenseatur quòd nullum aliud caput detur, & in Republica, familia, & aliis corporibus politicis plura capita dentur sibi inuicem subordinata: rectè etiam fit vt Christus Dominus sit caput Ecclesiæ, ita tamen vt ipse Deus sit caput Christi Domini.

Respondetur secundò: plures rationes capitis respectu Ecclesiæ reperiri in Christo D. quàm in Deo: licèt enim Deus gratiam, & alia dona supernaturalia influat in Ecclesiam *magis principaliter*, & *magis authoritatiuè*, quemadmodum S. Thomas hîc loquitur in responsione ad primum, Christus tamen D. habet conformitatem naturæ cum ipsis membris Ecclesiæ, quam Deus non habet.

Nec item obstat, quòd caput in corpore naturali sit etiam membrum & pars sui corporis; nam cùm caput mysticum non debeat capiti naturali correspondere quoad omnia, ita fatemur Christum D. esse caput Ecclesiæ, vt tamen non negemus cũ propriè, & in rigore loquendi esse membrum, aut partem sui corporis, quia vt rectè notat S. Thomas 3. sent. dist. 13. quæst. 2. art. 1. ad 6. propria ratio membri requirit, quòd accipiat aliquid ab aliis membris: exempli gratiâ, nutrimentum, & alia necessaria ad sui conseruationem: item pars, vt pars sumpta in rigore, dicit dependentiã à toto, & ab aliis partibus: at Christus ita est caput Ecclesiæ, vt nihil perfectionis, vel influentiæ accipiat ab Ecclesia; nec item aliquo modo dependeat ab illa, in quo longè differt à S. Petro & eius successoribus, qui ita caput fuit Ecclesiæ, vt tamen precibus & sacramentis Ecclesiæ indigeret: vnde Apost. 1. ad Cor. 11. ita ait, *Vos estis corpus Christi, membra de membro*, id est de me, qui etiam sum maius aliquod membrum Ecclesiæ, cùm sim Apostolus, & vos estis membrum de me, quia *ego vos genui per Euangelium*, vt ipsemet ait 1. ad Corinth. cap. 4.

Etsi licèt hoc nomen, *membrum*, comparatum ad hoc nomen *caput*, sit nomen generis, & quicquid dicatur de genere dicatur de specie in vero ente reali, non propterea tamen Christus D. qui rectè dicitur *caput Ecclesiæ*, poterit etiam rectè VI. nominari *membrum Ecclesiæ*, quia in metaphoricis locutionibus, qualis est hæc, nõ est absurdum nomen speciei dici de aliquo, de quo tamen ipsum nomen generis non dicitur, ob aliquam imperfectionẽ, quam connotat, quam tamen ipsum nomen speciei nõ designat: exempli gratiã, Christus D. rectè appellatur *Leo* in sacris Litteris: at *bestia*, vel *brutum* minimè, quia iuxta communem vsum hominũ duo hæc nomina important aliquam imperfectionem, quæ non ita significatur hoc nomine, *Leo*: cuius disparitatis hæc est ratio, quòd in ipsis rebus, quatenùs sunt veræ entitates reales, tota ratio generis inest suæ speciei, & inferioribus: at in metaphoricis locutionibus omnis similitudo rei, à qua metaphora desumitur, non inest rei de qua dicitur metaphoricè, sed tantùm quoad hoc, penes quod fit comparatio: C ideóque quia metaphora quæ est in capite, est ipsa significatio *eminentiæ perfectionis*, & *influxus*; VII. & præterea nihil, fit vt Christus D. possit rectè dici caput Ecclesiæ, non autem membrum, quia ratio membri importat dependentiam ab aliis commembris, quæ nulla est in Christo Domino.

Cæterùm: licèt cor habeat influentiam in corpus, sit que aliquid nobilius capite, quia tamen eius influentia est occulta & inuisibilis, influentia autem capitis magis apparens & visibilis; idcò *Spiritus sanctus*, qui inuisibiliter vnit & viuificat Ecclesiam, rectiùs comparatur *cordi*, & *Christus Dominus*, qui per sacramenta quæ sunt visibilia qnædam signa, & per alia id genus illam gubernat, comparatur *capiti*, vt rectè S. Thom. animaduertit art. 1. in solutione ad tertium.

Articvlvs II.

Vtrùm Christus Dominus sit caput omnium hominum.

IV. NOTANDVM primò, omnes homines posse reduci ad tres classes, iuxta in prima sint omnes Beati: in secunda omnes viatores, inter quos reponimus eos qui sunt in Purgatorio: in tertia denique sunt damnati. D VIII.

Notandum secundò, duobus modis posse aliquem esse membrum Christi D. & ex consequenti habere Christum D. caput: Primò, *actu*, quatenus de facto accipit aliquem influxum à Christo D. Deinde *tantùm in potentia*, quatenùs potest influxum accipere à Christo.

Notandum 3. adhuc 2. modis posse intelligi aliquem esse caput alicuius, non tantùm potentiã,

I. sed actu: Primus modus est, *quoad actum primum solummodò*, quando scilicet habet reipsa in seipso omnia ad rationem talis capitis requisita: exempli gratiâ, quòd de facto sit legitimè ordinatus in caput, habeátque eminentiam potestatis suprà alios, & vim influendi in illos, reliquáque munia capitis exercendi. Alter modus est *quoad actum secundum*, scilicet quãdo insuper de facto influit, & eius influxus recipitur in aliis inferioribus, tanquam membris eius: quod potest illustrari exemplo sumpto à rebus politicis; quando aliquis Rex habet ciuitatem aliquam sibi iure subiectam, de facto tamen rebellem, & eius imperium omninò detrectantem, semper verè & propriè est caput illius, sed quoad actum 1. solummodò, & non quoad actum 2. seu in actu exercito; cùm ciuitas hæc nullum de facto recipiat ab illo influxũ gubernationis, & aliorum id genus munerũ capitis,

II. & sic cõparatione actus 2. est tantùm membrum illius in potentia morali proxima, comparatione factâ ad dignitatẽ illam capitis, quam habet suprà illam quoad actum 1. & Rex sistendo in eadem consideratione actus 2. est tantùm respectu talis ciuitatis caput illius in potentia; factâ tamen comparatione ad actum 1. superiùs explicatum, est in re, & non tantùm in potentia caput illius, licèt hæc non sit actu membrum eius: nam *caput & membrum sic spectata non sunt correlata categorica*, & propriè, sed solummodò *secundùm dici*, vt loquuntur Dialectici, quorum vnum potest esse sine alio, vt in re præsenti, quia *membrum actu* dicit actualem connexionem cum corpore & capite, & actualem receptionem influxus ab illo: *ad esse* verò *caput quoad actum primum*, sufficit habere eminentiam potestatis, & vim influendi in membra.

III. Notandum postremò, hunc influxum Christi D. capitis in sua membra maximè attendi penes dona supernaturalia, quæ nos constituũt, & conseruant in ipso esse supernaturali, quatenùs habemus ista omnia, & possumus habere ex meritis & passione Christi Domini. His præmissis, sit

Prima propositio: *Christus Dominus est de facto, & in actu secundo, seu exercito, caput omnium hominum, scilicet beatorum, existentium in Purgatorio, & eorum omnium viatorum, qui actu & de facto habent charitatem, vel saltem fidem.* Ita S. Thom. hîc art. 3. Tres sunt partes propositionis: Prima, quæ est *de Beatis*, probatur; licèt fides & spes sint euacuatæ in Beatis, illi tamẽ adhuc semper & in perpetuum retinent gratiam & charitatem, similiter habent visionem beatificam, quæ succedit eorum fidei: at hæc omnia habent ex

IV. meritis Christi D. Secunda pars, quæ est *de puris & perfectis viatoribus*, probatur: homo fit membrum Christi D. per fidem; fides enim est fundamentum vitæ spiritalis, licèt sola non sufficiat, vnde & Catholici vocantur fideles, & omnia dona gratiæ, quæ recipiũt, consequũtur ex Christi D. meritis: igitur Christus D. est etiam caput actu & de facto eorum omnium viatorum qui fidem retinent, & adhuc mortales existunt. Tertia pars, quæ est *de iis qui sunt in Purgatorio*, patet, quia ibi fidem, gratiam sanctificantem retinent ex Christi D. merito, imò & accipiunt remissionem pœnarum vi & efficacia sacrificij Missæ instituti à Christo Domino.

Secunda propositio: *Christus Dominus est tantùm in potentia caput viatorum carentium ipsâ fide, prout esse in potentia opponitur esse in actu secundo, iuxta pennltimum nostrum notabile.* Probatur: eo

A modo Christus D. est caput hominũ, quo influit fidem, gratiam, & reliqua dona supernaturalia: atqui Christus D. influit tantùm in potentia ista dona supernaturalia in viatores carẽtes fide; omnes enim & singuli homines, quandiu sunt in via, possunt saluari per Christum D. quatenus illis prouidit sufficienter de mediis: & hæc vtraque conclusio intelligitur tam de hominibus qui præcesserunt aduentum Christi D. imò & de primis parentibus constitutis in statu innocentiæ, quàm de iis qui sunt subsequuti Christum D. Nam primos parẽtes accepisse & gratiam, & dona supernaturalia ex meritis Christi D. ostendimus disp. 7. ad 1. quæst. agendo de motiuo huius mysterij, & Patres communiter docent, homines ante aduentum Christi D. fuisse tantùm saluatos in fide Christi D. & quoad hoc differre à nobis, quòd crederent in Christum venturum, nos verò in

B Christum qui venit, vt S. August. lib. de catechizandis rudibus cap. 19. vnde Iustinus Martyr oratione ad Antoninum ait eos esse nominandos Christianos. VI.

Nec obstat, quòd Christus D. nondum existeret: est enim ex S. Thoma hîc art. 3. inter corpus naturale & mysticum differentia, quòd naturale requirat actualem existentiam omnium suorum membrorum, actualem vnionem sui cum eis: corpus verò mysticum minimè, eo quòd istud influat physicè: at ad influxum capitis mystici moralis quædam efficientia sit sufficiens, quæ potest competere rei adhuc futuræ.

Nec obstat quòd Christus de facto det multis viatoribus infidelibus gratiam excitantem: nam ad rationem capitis hic considerati non est satis quòd aliquis influxus emanet ab illo, sed præterea requiritur, vt talis influxus de facto recipiatur

C in membro, quemadmodum patet in capite naturali, quod licèt quantum est ex se semper influat, si tamen aliquod membrũ corporis sit mortuum, & proinde influxum & motũ non accipiat à capite, propriè non dicitur esse membrum talis capitis: addi potest, hunc influxũ non tam esse à Christo D. tanquam capite, quàm à Christo D. vt generante, aut incũbente spiritali generationi. VII.

Tertia propositio: *Christus Dominus est iuxta primum modum tertij nostri notabilis caput in actu primo omnium viuentium, tam fidelium, quàm adhuc existentium in vteris maternis.* Probatur: ad sic esse caput in actu primo sufficit eminẽtia potestatis, quæ insit ei quod denominatur caput, & ipsa vis, seu efficacia expedita & parata in actu 1. ad influendum, quantum est ex parte eius: atqui Christus D. habet eminentem potestatem supra

D omnes quoscumque homines etiam infideles, & infantes adhuc vteris maternis inclusos: habet enim singulare quoddam & sibi soli proprium dominium, ratione cuius *est Rex Regum, Dominus dominantium*, cui Deus ipse omnia subiecit. Deinde Christus D. quantum est ex se, est paratus dare ipsis hominibus influxum vitæ spiritalis, non tantùm regenerando illos spiritaliter per baptismum in re, vel in voto, quatenùs instituit illum, eisque offert media sufficiẽtia ad salutem, vt docent Scholastici 1. parte & 1.2. sed etiã quatenùs suppositâ eorum spiritali regeneratione, est paratissimus conseruare illos in statu gratiæ, eiúsque augmentum illis conferre, & quodcumque beneficiũ ordinis supernaturalis datur homini, ei datur ex influxu Christi D. siue vt incũbentis generationi eius spiritali, & proinde vt iã de facto parati ad nutriendũ illũ in gratia, si vitã accipiat, VIII.

I. siue vt fouentis illam, tanquam membrum suum, in actu exercito constitutú: atqui datur omnibus hominibus etiam infidelibus bonus Angelus in custodiam statim ab eorú natiuitate, vt S. Thom. docet ex S. Hier. 1. parte qu. 113. art. 5. & Angelus custos matris habet etiam curam prolis adhuc existentis in vtero, vt habet ibid. S. Thomas in respons. ad 3. & hæc deputatio Angelorum custodum est aliquod beneficium supernaturale, quia est in ordine ad vitam æternam, & Angeli sunt administratorij spiritus, vt ij quibus deputantur capiant hæreditatẽ salutis: ergo tale beneficium datur istis hominibus ex beneficio Christi D. & per eius influxum: ergo Christus D. est etiam caput illorum, saltem in actu primo, ad modum superiùs explicatum.

Vltima propositio: *Christus Dominus nec actu, nec potentia, est caput hominum damnatorum:* vbi II. nota nomine *damnatorum*, tam intelligi eos qui cum solo originali, quàm qui cum actuali mortali peccato decesserunt ex hac vita. Probatur, quicunque est incapax fidei, charitatis & gloriæ, is non habet Christum pro suo capite, siue potentiâ, siue actu; omnis enim influxus Christi D. tendit ad assequutionem gloriæ, & beatitudinis tanquam ad suum finem: atqui homines damnati sunt incapaces fidei, charitatis & gloriæ, quia iam sunt in termino, & Deus statuit nulla gratiæ auxilia conferre damnatis: vnde si pueri morientes cum solo originali habent aliquod solatium, non habent illud ex Christi D. meritis, sed ex generali prouidentia Dei, sicut quòd characteres impressi per sacramenta remaneant in Christianis damnatis, non prouenit ex meritis Christi, sed ex eo quòd sint in subiecto spiritali & immortali, nihilque habeant sibi contrarium per quod destruantur, III. & remanent in illis potiùs ad ignominiam, & tormentum, quàm ad honorem & bonum.

Articvlvs III.

Soluuntur duo dubia.

QVÆRES primò, quomodo Christus D. tanquam caput diffundat vitam spiritalem in membra. Respondetur, Christum D. diffundere in omnes quotquot sunt, fuerunt, & erunt, influxum suum, seu vitam spiritalem, & quæ ad illam conferunt: Primò, in genere *causæ moralis*, quatenus promeruit omnibus & singulis hominibus gratiam, auxilia gratiæ, & gloriam, secundùm rigorosam iustitiam, vt ostendimus ad 1. quæst. disp. 6. & adhuc inferiùs disput. 6. in initio quæst. 19. etiam iis qui extiterunt ante peractum mysterium Incarnationis, quorú etiam respectu est caput, IV. vt S. August. docet in Psal. 36. in initio ad illum versiculum, *Iunior fui, etenim senui.* Secundò, Christus D. tanquam caput influit *per modum causæ efficientis, etiam quodammodo principalis*, respectu eorum qui extiterút post mysterium Incarnationis peractum: nam ipse suâ quasi authoritate, quando vult, quantum vult, quibus vult, largitur dona sua gratiæ, quemadmodum colligitur ex illo Apost. ad Ephes. 4. *Vnicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* & ex illo Christi D. apud S. Ioann. cap. 5. *Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat:* quo loci hæc particula, *quos vult*, ita intelligitur de Christo D. quatenus est Deus, eandémque habet cum suo Patre voluntatem, & virtutem, per quam mortuos suscitat, vt etiam significet eundem Christum D. per suam A creatam voluntatem habere vt possit viuificare quos voluerit, & quatenus ex voluntate sua libera humana poterat vti diuinâ suâ potentiâ ad suscitãdum quos volebat, vt rectè explicat Toletus ad illum locum Euangelistę, & intelligitur ex illo dicto leprosi ad Christum D. *Si vis, potes me mundare.* & ex prompta illa Christi D. responsione efficaci, *volo, mundare*, S. Matth. 8. V.

Quæres secundò, cùm ratio capitis ita conueniat Christo, vt tamẽ illam exequatur per humanitatem, & humanitas constet duplici parte, anima scilicet & corpore, an Christus D. sit tantùm caput nostrum ratione solius animæ, an verò etiam ratione corporis.

Respondetur, Christum D. *ex sua parte* esse nostrum caput *ratione suæ animæ, & sui corporis.* Item, *ex parte nostri esse* etiam nostrum caput, tum respectu animæ, tum respectu nostri corporis. Prior pars probatur ex eo quòd Christus D. VI. exequutus est officium capitis, non tantùm per animam, sed etiam per corpus: non enim sola animâ, sed etiam corpore, afflictione illius, effusione pretiosissimi sui sanguinis promeruit nobis gratiam & dona supernaturalia: item incruentâ oblatione sui corporis & sanguinis in sacrificio Missæ influit in nos.

Posterior item pars probatur: tum ex eo quòd vt author gratiæ influat non tantùm in animas nostras bona quædam supernaturalia, sed etiam & alia quædam in nostra corpora: exempli gratiâ, in præsenti vita, *vt exposita martyrio possint sustinere grauissima tormenta*, sese exhibere in commodum animæ ad vitam æternam: quòd item vim quandam illis conferat ad immortalitatem & resurrectionẽ: iuxta illud apud S. Ioannem 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Item, in altera vita influit dotes gloriosas corpori: vnde ad Philipp. 3. dicitur, *Reformaturus corpus humanitatis nostræ, & illud configuraturus corpori claritatis suæ.* VII.

Tandem respondetur: si anima & corpus Christi D. comparentur ad se inuicem, quoad rationem capitis & eius influxum, hunc *principaliùs competere eius animæ, & principaliter eius corpori:* quia licèt vtrumque sit immediatè vnitum hypostaticè Verbo diuino, attamen influxus ille est per actus meritorios Christi D. qui actus sunt principaliùs ab anima, & à corpore, vt instrumento: similiter quia nostra corpora sunt quid minus principale in nobis, cùm sint velut instrumenta nostrarum animarum, & gloria corporis prouenit ex gloria animæ: ideò Christus D. est principalius caput hominum quantum ad animas, & VIII. minùs principaliter, & quasi secundariò ad corpora.

Articvlvs IV.

Vtrùm Christus D. sit caput Angelorum.

PRÆSENS difficultas intelligitur de Christo, vt homine, nam de eo vt Deo nulla est difficultas: est autem notandum primò, hoc nomen, *caput*, sumptum metaphoricè posse sumi in *sua stricta significatione capitis mystici, vel politici*, vt 1. articulo est explicatum: deinde *in latiori*, seu *ampliori*, provt tantùm significat Principem & præexcellentem aliis dignitate & excellentiâ, nullum significando influxum in inferiores, quomodo aliqui maximè nobiles & diuitiis potentes, nullos tamen sibi subiectos habentes, possunt interdum

I. appellari *capita*, vel si quem habeant influxum directionis, & ius gubernationis, non tamen vt in membrum, sic 1. ad Cor. 11. *Vir* dicitur *caput mulieris*.

Notandum deinde, *duplicem posse distingui influxum prouenientem à capite mystico: vnum interiorem*, verbi gratiâ, quoad sanctificanté gratiam, specialia eius auxilia, & quoad gloriam: *alterum exteriorem tantùm*, scilicet quoad dominium & gubernationem, quomodo qui dicitur caput, ita est aliis superior, vt iis imperet quoad exteriora, eósque dirigat quoad officia illa, quæ circa alios exercent.

Notandum tertiò, adhuc *duplicem distingui influxum interiorem: vnum vitæ spiritalis*, seu gratiæ sanctificantis, & *essentialis gloriæ*, seu beatitudinis: *alterum accidentalis tantùm*, vt est illuminare, docere aliquid eum qui beatus est, vel
II. aliquam perfectionem eius statui beato accidentalem conferre illi. His præ notatis,

Variæ sunt de re proposita Theologorum sententiæ: Altissiodorensis lib. 3. suæ summæ tract. 1. cap. 4. cum nonnullis aliis negat Christum Dominum, vt hominem, esse caput Angelorum, Gabriel cum aliquibus 3. sentent. dist. 13. quæst. v. nicâ solùm concedit Christum Dominum esse caput Angelorum secundo modo primi nostri notabilis, non autem primo modo, id est ratione influxus. Alensis 1. parte, quæst. 12. in 2. art. 2. & communiter omnes asserentes Christum non fuisse venturum, si primus parens non peccasset, & decretum Incarnationis fuisse solummodò post præuisum peccatum Adæ: volunt Christum Dominum, vt hominem, esse quidem caput Angelorum primo modo, quoad dominiú, directionem, gubernationem exteriorem, & secundo
III. modo, quoad interiorem influxum accidentalem, non tamen quoad influxum interiorem vitæ spiritalis, & essentialis gloriæ, seu beatitudinis. Pro huius difficultatis explicatione sit

Prima propositio: *Christus Dominus, vt homo, est caput Angelorum, saltem ad minus iuxta secundum modum primi nostri notabilis.* Hæc propositio, vt iacet, videtur esse de fide; habetur enim satis expressa in sacris litteris, vt ad Ephes. 1. vbi Apost. ita loquitur de Christo Domino, *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Cuius testimonij Apostolici singula verba indicant singulas partes nostræ propositionis; nam hæc prima
IV. particula, *Suscitans illum à mortuis*, significat Christum D. vt hominem, esse talem, qualem eum ibi describit; nam Christus D. solummodò quatenùs homo resurrexit. Deinde hæc particula, *constituens eum ad dexteram suam in cælestibus, super omnem principatum*, &c. significat eundem Christum D. vt hominem esse longè nobiliorem & excellentiorem: ideóque in gradu excelsiori beatitudinis euectum à Patre, qu'im sint omnes Angeli; ad hoc enim conducit ipsa inductio per varias Angelorum Hierarchias ibi facta ab Apostolo.

Tertiò, hæc eiusdem loci particula, *& omnia subiecit sub pedibus eius*, denotat principatum illum Christi D. vt hominis esse principatum dominij in ea omnia quę immediatè antè recensuit; sic enim hæc particula copulatiua, *&*, prædictæ inductionis enumerationi subiecta significat hãc subiectionem esse ad Christum, respectu eorum, quæ ibi recensentur; ac proinde cùm variæ Angelorum Hierarchiæ nominentur, & non vnus tantùm aut alter Angelus, imò tam quæ sunt in futuro sæculo, quàm in præsenti: S. Paulus ibi vult omnes bonos Angelos, quotquot illi sunt, esse subiectos Christo D. tanquam suo Principi.

Quartò, quòd hæc eminentia Christi D. cum potestate nunc explicata super Angelos, sit talis conditionis, vt etiam dicat in eodem Christo D. vt homine, dignitatẽ capitis, respectu eorundem Angelorum: Apostolus explicat hac sequenti particulâ, *& ipsum*, scilicet Christum D. vt hominem, *dedit*, nimirum Deus, *caput super omnem Ecclesiam*: quo loci hæc particula, *omnem Ecclesiam*, non significat totam solummodò Ecclesiam fidelium hominũ, quæ coalescit ex variis partialibus Ecclesiis: veluti gratiâ, Corinthiorum, Ephesiorum, & cæteris eiusmodi, vt nonnulli volunt exponere, sed totam Ecclesiã ex omnibus tam bonis Angelis, quàm fidelibus hominibus compositam; aliàs enim hæc positiua particula non aptè subiungeretur præcedenti inductioni generali, quâ ait Deum subiecisse Christo D. vt homini *omnia quæ sunt in cælo & in terra*: cùm ergo hîc apud Apost. sit quædam gradatio, sicut verbis immediatè præcedẽtibus asserit principatũ Christi D. vt hominis, suprà ea omnia quæ sunt in cælo, & in terra, suprà omnes Angelos & homines; ita etiam dum statim ait Deum illi subiecisse omnia, eúmque dedisse caput suprà omnem Ecclesiam, debet consequenter intelligi de *tota Ecclesia, prout illa includit Angelos & homines*: est & alter locus apud eundem Apost. satis affinis huic, scilicet ad Colossenses 2. Nec obstat quòd aliqui Patrũ hunc vtrumque locum explicẽt de Christo D. vt Deo, id enim ita faciunt, vt tamen nostram expositionem non negent de Christo D. vt homine; & alij huius vtriusque loci Interpretes si consulantur, probant hanc explicationem huius loci à nobis allatam, vt maximè genuinam, & authoritates Patrum afferendæ pro sequentibus propositionibus probant etiam hanc primam: ideóque possunt illi applicari.

Secunda propositio: *Christus Dominus quatenus homo est etiam caput Angelorum, quoad dominationem, & gubernationem exteriorem.* Probatur 1. ex cap. 19. Apocalyp. vbi cùm S. Ioannes vellet adorare Angelum, Angelus id prohibens, ita dixit, *Vide, ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.* Ex quo loco sic nostra propositio probatur. In tantum aliquis est conseruus alteri, in quantum habet cum illo dominium, & proinde habet idem
VIII. caput quoad gubernationem, & dominationem: atqui Angelus ille alloquens S. Ioannem est vnus de beatis Angelis eiusdem quoad præsens institutum conditionis, ac sunt cæteri beati Angeli; & tam S. Ioannes, quàm reliqui homines fideles habent Christum D. vt hominem, tanquam dominum & caput suum, quoad gubernationem & dominationem exteriorem: summus enim Pontifex, Episcopi, & reliqui alij Superiores Ecclesiæ nos regunt vice Christi Domini: igitur beati Angeli habent Christum vt hominem eundem dominum ac idem caput nobiscũ: ac proinde sicut Christus D. est etiam nostrũ caput, quoad dominationẽ, & gubernationẽ exteriorẽ, ita etiã vt homo erit caput omniũ bonorũ Angelorũ, quoad gubernationem & dominationem exteriorem.

V. VI. VII.

I. Deinde probatur ex Patribus S. Augustcione 3. in Psal. 36. idem ex eodem in Enchir. cap. 56. dicente Christum esse caput Ecclesiæ, quæ est in cælo & in terra, S. Hier. in 1. cap. epist. ad Ephes.

Tandem probatur duplici ratione: Prima: vnius tantùm corporis, seu vnius totalis multitudinis, ad vnum & eundem finem ordinatæ, vnum tantùm debet esse caput, vt sic perfecta vnitas membrorum & Reipublicæ seruetur: atqui omnes Beati, Angeli, & omnes fideles homines faciunt vnum tantùm corpus mysticũ, vnam tantùm Ecclesiam, seu multitudinẽ ordinatam ad vitã æternam, vt significat Apost. ad Heb. 12. ita scribens, *Accessistis ad Sion montẽ, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem, & multorũ millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis.* Igitur sicut Christus Dominus quatenùs homo est caput omnium fi-

II. delium, quoad dominationem, & gubernatio- B
nem exteriorẽ, ita est & beatorum Angelorum.

Secunda: qui vtitur ministerio Angelorũ in regẽdis in ordine ad vitã æternam hominibus, tanquam sibi subditis, quoad gubernationẽ & dominationem, is etiam est caput Angelorum, quoad dominationem & gubernationem, quia sic illis imperat, vt hæc & ista faciãt, his & istis faciendis sese applicent, & illorum ministerium dirigit in finem à se intentum: atqui boni Angeli sunt respectu Christi Domini vt hominis, *Spiritus administratorij missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*, ex Apost. ad Heb. 1. id est hominum fidelium, quos Christus, vt homo, tanquam caput dirigit ad vitam æternam, quia sunt illius serui & subditi, ex cit. loco Apoc. ergo Christus D. est etiam bonorũ Angelorum caput, quoad dominationẽ & gubernationem exteriorem.

III. Tertia propositio: Christus D. quatenus homo C
est etiam caput bonorum Angelorum, quoad interiorem influxum accidentalem. Probatur 1. ex eo quòd Christus D. illuminauit Angelos; nam Isaiæ 63. Angelis sic interrogantibus, *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra.* Christus D. ascendens in cælũ respondet, *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Quo loci notat S. Hier. Christũ D. ibi docere Angelos interrogantes aliquid circa mysteriũ Incarnationis, putà circa passionẽ eius, quod ipsemet Christus fusè ibi explicat, vt desinant scisitari, quemadmodum S. Hier. ibi obseruat. S. Dionysius lib. de cælesti Hierarchia cap. 7. eandem veritatem probat. S. item Thomas ex illa 1. parte, quæst. 57. art. 5. in responsione ad primum, & communiter eius Interpretes ibi.

IV. Secundò, eadem pars probatur de gloria acci- D
dentali causata in bonis Angelis, ex eo quòd magnoperè delectentur contemplando humanitatem Christi D. vt S. Chrysost. ait homil. de Ascensione Christi D. Item restaurando ruinam eorum factam ab aliis malis Angelis, scilicet saluando maximam multitudinem hominum, qui in patria sunt similes Angelis, de quorum consortio illæ etiam beatæ mentes gaudent, qui similiter vident Deum clarè & intuitiuè, vt docent Theodoretus ad 1. caput epist. ad Ephes. S. Bernardus serm. 68. in Cantica Canticorum.

Vltima propositio. Christus Dominus quatenus homo, est etiam caput bonorum Angelorum, quoad influxum interiorem vitæ spiritalis. Probatur ex capite primo ad Ephesios, vbi ita habetur de Christo vt homine: *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus* A *ipsius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpler.* Quo loci notandum est primò, Christum D. dici esse datum in caput *supra omnem Ecclesiam*, etiam Angelicam, vt ostendimus primâ nostrâ propositione. Secundò, eundem Christum, vt hominem dici *adimplere omnia in omnibus*: nam Interpretes ibi notant hanc particulam, *adimpletur*, rectè explicari actiuè, quia participium illud, quo hæc particula, *adimpletur*, exprimitur in textu Græco, est verbi medij: ex primo habemus Christum D. vt hominem, esse caput Angelorum, quemadmodum iam deduximus: ex secundo habemus Christum vt hominem, esse principium omnium donorum supernaturalium, quæ sunt in Angelis, quia Apostolus ibi ait Christum adimplere omnia in omnibus; quod maximè debet intelligi de gratia sanctificante, & gloria æterna, cùm hæc sint bona longè maiora ipsis reuelationibus rerum occultarum: & hunc locum Apostoli magis vrgebimus infrà disp. 5. ad quæst. 19. vbi fusiùs ostendemus meruisse Angelos gratiam & gloriam; quod hîc obiter tantùm probamus, vt eius dignitas capitis intelligatur sese etiam extendere ad hunc gratiæ & gloriæ influxum.

Secundò, eadem propositio probatur authoritate S. Thomæ in sua cathena ad primum caput S. Ioannis, vbi explicans illud, *De plenitudine eius omnes accepimus*, inter eos qui acceperunt gratiam sanctificantem à Christo D. enumerat Angelos: item præced. quæst. 7. art. 4. ait Christum D. fuisse principium vniuersale in genere & ordine habentium gratiam, quod anteà dixit primâ parte, quæst. 57. art. 5. ad 1. quæ omnia essent falsa, si Angeli habuissent gratiam sine Christo D.

Neque potest respondeti S. Thomam hîc reuocasse istam sententiam, vel tantùm fuisse locutum de influxu interiori accidẽtali; nam docet simpliciter & absolutè, nullâ factâ exceptione interioris influxus vitæ spiritalis, Christum D. vt hominem esse caput Angelorum, quinimò hîc art. 4. ad 1. ait, eum vt hominem, esse propriè caput Angelorum, quia eius influxus proprie & principaliter attenditur secundùm animam, in cuius gradu ipso conuenit cum Angelis: ergo pari iure quia spiritalis, seu interior influxus magis præcipuè attẽditur penes gratiam habitualem & gloriam essentialem, Christus D. debet potiùs dici caput Angelorum, quoad influxum gratiæ sanctificantis & gloriæ, quàm quoad interiorem influxum; summodò accidẽtalem: ob quas rationes idem S. Thomas videtur potiùs retractasse contrariam sententiam, quam olim docuerat lib. 3. sentent. dist. 13. & quia, vt nunc monuimus agendo de merito Christi D. ostendemus ex professo eum meruisse Angelis gratiam & gloriam, breuiter tantùm in præsentiarum hac vnâ ratione probabimus bonos Angelos esse etiam membra Christi D. ratione influxus vitæ spiritalis. Membrum, quatenus membrum, debet cõstitui in suo esse membri per formam intrinsecam & essentialem corpori, cuius est membrum, & quæ dat esse istis membris, & non solùm per aliquam formam sibi, quatenùs est membrum, extrinsecam & accidentalem: atqui essentialis forma corporis Ecclesiæ non est reuelatio facta per Christum D. alicui priuatæ personæ; Christus enim D. potest reuelare alicui Gentili diem extremi iudicij, qui tamen propterea non dicitur membrum Ecclesiæ militantis; nam forma corporis Ecclesiæ militantis sunt fides & gratia, respectu triumphantis,

V. VI. VII. VIII.

I. gratia & gloria: igitur forma secundùm quam boni Angeli sunt membra caput Ecclesiæ, cuius Christus D. est caput, jest eorum gratia & essentialis gloria: igitur sicut Beati homines sunt membra Christi Domini tanquam capitis, quia habent gratiam & gloriam ex eius meritis: ita & beati Angeli, sicque Christus Dominus erit etiam caput bonorum Angelorum quoad interiorem effectum vitæ spiritalis.

ARTICVLVS V.

Argumenta contrariæ sententiæ, & dubium incidens soluuntur.

OBIICIVNT primò. Caput debet esse homogeneum & consubstantiale suis membris: at Christus Dominus, vt homo, non est homogeneus seu consubstantialis Angelis, qui II. sunt substantiæ spiritales. Ergo Christus non est caput Angelorum.

Respondetur imprimis ad rationem capitis moralis & mystici non requiri absolutè vt sit eiusdem planè naturæ cum iis quorum est caput, vt videre est in Deo, qui est nostrum & Angelorum caput omninò primum, & in homine quem Deus constituit Genes. 1. *Caput & dominum omnium bestiarum*, licètid requiratur in capite naturali, quia in metaphoris, de quarum genere est esse caput morale & mysticum, non est necesse omnia esse paria.

Respondetur secundò, ex S. Thoma hîc art. 4. in solutione ad 1. Christum Dominum, vt hominem, non esse quidem, secundùm se totum, *homogeneum* ipsis Angelis, sed *quoad sui partem magis principalem* scilicet animam, quatenus est III. *intellectualis*, secundùm quam magis præcipuè influit in Angelos: nam & minùs præcipuè influxisse in nos etiam per suum corpus facilè intelligitur ex dictis: cùm enim influxus ille sit per merita & actiones liberas quas mediante corpore & potentiis corporeis exercuit, sicut actiones illæ *in ratione meriti*, sunt magis præcipuè ab anima, & minùs præcipuè à corpore, ita & influxus Christi Domini etiam in Angelos fuit magis præcipuè per animam & minùs principaliter per eius corpus. Addi etiam potest hoc argumentum tantùm ostendere, plures esse in Christo Domino rationes secundùm extensionem, propter quas sit nostrum caput, quàm Angelorũ.

Secundò obiiciunt. Beati Angeli acceperunt gratiam, gloriam, & quæ illam consequuntur, longè ante mysterium Incarnationis: ergo non IV. sunt membra Christi Domini tanquam capitis quoad influxum interiorem.

Respondetur, ad rationem capitis moralis & mystici, non requiri vt priùs sit de facto seu existat actu in rerum natura quàm influat, vel quòd existat dum influit: sed satis est quòd sit in præuisione principalis agentis, & illud moueat & excitet: tunc enim agit solùm in genere causæ finalis, vel efficientis quidem, sed solummodò moraliter: atqui Deus, qui tanquam agens principale contulit gratiam & gloriam Angelis, priùs decreuit Christum Dominum, etiam vt caput hominum, quàm daret Angelis gratiam & gloriam, vt dictum est quæst. 1. art. 9.

Quæres, cùm priùs sit Angelos & homines vniri Christo Domino, & fieri aliquod membrum illius, quàm ab eo accipere influxum; sicut priùs est surculum inseri arbori, quàm ab illa accipere A influxum vegetationis. Quæres inquam, per quid tam Angeli, quàm homines vniantur Christo Domino capiti, vt gratiam & gloriam accipiant ab illo. V.

Respondetur, Angelos fuisse priùs vnitos Christo Domino tanquam capiti per illos actus fidei & amoris, quibus sese disposuerunt ad gratiam iustificantem, & per ipsos habitus fidei & gratiæ: homines verò per sacramenta in re vel in voto sumpta; quæ responsio habet aliquod fundamentum in Concilio Tridentino sessione sexta, capite quarto: vbi ait quòd, quemadmodum ad contrahendum peccatum originale, requiritur vt contrahens sit propagatus ex semine Adæ: ita vt homo fiat iustus per gratiam, ex merito passionis Christi Domini, requiritur vt renascatur per baptismum: nec obstat quòd bonum istud supernaturale, quo Angeli & homi- B nes vniuntur Christo Domino ad recipiendum VI. eius influxum, sit etiam ex merito Christi Domini: nam duplex officium potest distingui in Christo Domino circa Ecclesiam & membra eius; vnum est *Patris*, secundùm quod facit membra spiritalia, eáque sibi coniungit: vnde Isa. 11. cap. Christus Dominus vocatur, *Pater futuri seculi*: alterum officium *est capitis*, quo in membra sibi iam vnita influit motum spiritalem, per gratiam & alia huiusmodi dona: iuxta priorem influxum est *generans* & *Pater*, iuxta posteriorem, *caput*.

Neque est quòd quis obiiciat in naturalibus generans, & caput non esse vnum & idem: nam in corpore morali, quale est Ecclesia, id sæpenumerò locum habet, vt videre est in Rege habente filios Principes, in Rectore ciuitatis & patrefamilias, qui omnes pro diuersa consideratione C sunt capita & patres suarum familiarum, & VII. sibi subiectorum.

DISPVTATIO II.

Quid sit gratia capitis, per quid Christus illam habuerit, & an illi soli competat.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm gratia vnionù sit gratia capitis.

NOTANDVM est in dignitatibus & præfecturis duo posse distingui: vnum est, id *quo aliquis efficitur idoneus exercendis muneribus prioris ipsius dignitatis*, & præfecturę, VIII. & per quod, tanquam per aliquod principium D efficiens, siue morale, siue physicum, illa exequitur: alterum *est ipsa potestas*, vi *cuius habet vt possit exercere auctoritatiuè propria munia dignitatis circa aliquos*: verbi gratiâ, in dignitate iudicis possumus distinguere perfectam iuris, & consuetudinum notitiam, morum probitatem, & id genus cætera, quæ maximè commendant hominem, eúmque efficiunt dignum, qui possit rectè exequi munus iudicis: deinde in eadem dignitate iudicis possumus distinguere illam potestatem quam accipit à rege per ipsam sui ipsius deputationem ad tale officium: & licèt hæc duo sint in optimo iudice, & bonus vsus posterioris requirat prius, attamen ratio iudicis non consistit in illo priori sumpto præcisè, sunt etenim quam-

I. plures patronii in supremo senatu probitate vitæ insignes, & ipsius iuris & consuetudinum Galliæ scientissimi, qui tamen non sunt iudices defectu secundi. In præsenti articulo nō quærimus, quidnam sit illud, per quod præcisè & formaliter Christus Dominus est idoneus ad exercendum propria munia capitis, seu per quod, tanquam per aliquod principium efficiens, siue morale, siue physicum, illa de facto est exequutus, hoc enim fiet sequenti articulo: sed quærimus, quidnam sit illud in Christo Domino, quod præcisè & formaliter sumptum, est ratio capitis præcisè & formaliter sumpta, seu per quod Christus Dominus est formaliter constitutus caput Ecclesiæ: an sit ipsa gratia vnionis, an gratia habitualis, an vtraque simul vel aliquod aliud ab iis distinctum: quod nulli fere Scholasticorum explicant. His ita præmissis sit

II. Propositio. *Gratia vnionis, præcisè & formaliter sumpta, non est formaliter ipsa gratia capitis, seu non est id per quod Christus Dominus est formaliter constitutus caput Ecclesiæ.* Probatur: esse formaliter caput, vt hîc consideratur, est esse formaliter præfectum aliis, & habere non tantùm vim & efficaciam, sed etiam potestatem auctoritatiuam in alios, tam quoad effectum gratiæ & donorum supernaturalium, quàm quoad directionem, imperium & gubernationem, vt facilè intelligitur ex dictis præcedenti disputatione: atqui vnio hypostatica seu gratia vnionis, sumpta præcisè & formaliter, nullam importat præfecturam seu potestatem auctoritatiuam in alios, & Verbum diuinum esse hypostaticè vnitum humanitati sumptum præcisè & formaliter, non est ipsum constitutum ex personalitate Verbi & humanitate, præfici aliis ad influendum illis gratiam & cætera huiusmodi dona supernaturalia: igitur vnio hypostatica seu gratia vnionis, sumpta præcisè & formaliter, non est ipsa gratia capitis, seu non est id quo constitutum ex personalitate Verbi & humanitate, id est Christus Dominus, est formaliter constitutus caput Ecclesiæ. Maior per se & ex illis adiunctis patet, Minor probatur. Vnio hypostatica seu gratia vnionis, sumpta præcisè & formaliter, dicit solummodò puram putam & nudam terminationem dependentiæ naturæ assumptæ, vt intelligitur ex dictis suprà de illa: atqui huiusmodi terminatio sumpta præcisè & formaliter nullam importat præfecturam & auctoritatem in alios, tum quia illa sine hac rectè potest intelligi, imò etiam fieri, exempli causâ, in natura irrationali & insensibili, dominationis & præfecturæ incapaci: tum etiā quia ea tantùm formaliter conueniunt

IV. vnioni hypostaticę seu gratiæ vnionis, quæ ipsamet vnio primariò & per se communicat: atqui hæc vnio primariò & per se communicat se ipsâ solummodò personalitatem Verbi, quæ personalitas formaliter & præcisè sumpta, vt condistinguitur virtualiter à diuina essentia, nullam habet præfecturam & auctoritatem specialem in alios aliquos: alias enim deberent esse tot præfecturæ & auctoritates in diuinis, quot sunt personalitates, quod est contra Symbolum S. Athanasij, in quo profitemur, *tres esse personas in diuinis, non tamen tres Dominos, sed vnum duntaxat*: deinde personæ diuinæ inde habēt præfecturam, potestatem, auctoritatem, & principatum aliquem, vnde habent præcisè & formaliter vt sint principium & finis creaturarum: nam principatus, subiectio, potestas, & dependentia in subdito seu

A inferiori sunt quędam relata, saltem *secundum dici*: atqui diuinæ personæ habent præcisè & formaliter ab essentia diuina, tanquam *radiculi principio*, & ab omnipotentia, attributo eius essentiali, tāquam *formali principio*, quòd sint principium omnium creaturarum, vltimus finis illarum: quę diuina essentia & similiter omnipotentia, est vna & eodem numero simplicissima in omnibus personis diuinis, nec id habent à suis personalitatibus sumptis præcisè, vt condistinctis virtualiter ab essentia diuina & essentialibus eius attributis, nam superiùs ostendimus illas, vt sic, nullomodò esse actiuas: igitur diuinæ personę nullam habent præfecturam, nullam potestatem auctoritatiuam seu principatum in creaturas formaliter & præcisè vi suarum personalitatum vt condistinctarum virtualiter ab essentia diuina: igitur cùm Christus præcisè & formaliter sumptus dicat constitutum ex personalitate diuina & humanitate, non habebit vi suæ personalitatis principatum aliquem in creaturas, nec proinde vi illius præcisè & formaliter sumptæ erit caput hominum & Angelorum.

Confirmatur: auctoritas & principatus ille qui importatur in dignitate capitis, de qua est quæstio, est soli Christo Domino proprius etiam vt est distinctus ab aliis diuinis personis, & minor illo principatu qui competit aliis diuinis personis in omnes creaturas; quia Deus est etiam caput Christi vt hominis, ex Apostolo: ergo cùm Christus Dominus vi suæ personalitatis, præcisè & formaliter spectatę, non sit minor aliis personis diuinis, non habet vi suæ personalitatis, sumptæ præcisè & formaliter, aliquem principatum in creaturas.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

PRIMA obiectio. Quemadmodum eo ipso, quo *Verbū caro factum est*, seu vnuit sibi hypostaticè humanitatem, habet, quatenus homo, vi vnionis hypostaticæ, aliquod ius ad vitā æternam seu visionem beatificam, eiusdem rationis & ordinis cum visione beatifica Angelorum & hominum, longè tamē perfectiorem, quia humana natura quæ assumitur est capax talis perfectionis, natura autem irrationalis, si quę assumeretur, minimè: pari iure, quia humana natura à Verbo assumpta est capax alicuius principatus suprà reliquas creaturas, cùm sit intellectualis & rationalis, eo ipso, quo fuit assumpta à Verbo diuino habuit vitalis vnionis aliquem principatum eminentem & singularem in alias creaturas etiā rationales, & sic est consecuta dignitatem capitis.

D Respondetur, concesso antecedente, iuxta sensum inferius explicandum agendo de scientia beata animæ Christi Domini, negamus consequentiam, est enim dispar vtriusque ratio, quòd scilicet visio beatifica detur tanquam hæreditas, hæreditas antē fundetur in filiatione: vnde cùm Christus D. vt præcisè & formaliter est aliquod constitutum ex personalitate Verbi & humana natura, sit naturalis Filius Dei, vt infrà ostendetur, filiatio enim est suppositi & non naturæ: ideò sit vt hæc vnio primò, & per se spectata constituēdo Christum Dominum Filium Dei, etiam ei communicet aliquod ius ad visionem beatificam suæ naturæ assumptæ proportionatam: at nullus principatus, auctoritas & potestas in alios conuenit præcisè & formaliter, prout præscindit à

V. VI. VII. VIII.

I. natura diuina, quemadmodum ostendimus, sed naturæ diuinæ quæ per se primò & ptimariò non cõmunicatur humanæ naturæ, cùm vnio non sit facta in illa, & ideò licèt rectè intelligamus animam Christi Domini, ex vi suæ vnionis ad Verbum, habere aliquod ius ad visionem beatificã, attamen non possumus pari modo intelligere eam habere ex vi eiusdem vnionis aliquem principatum specialem in creaturas rationales.

Secunda obiectio. Christus Dominus vi vnionis hypostaticę est verè & propriè Deus: ergo etiam vi eiusdem vnionis habebit eminentẽ principatum in omnes creaturas rationales, & proinde dignitatem illam capitis.

Respondetur, nos suprà quæst. 2. distinxisse in Christo Domino duplicem vnionem, *vnam immediatam*, quæ est personalitatis Verbi diuini cum humanitate: alteram diuinæ naturæ cum
II. humana natura in eodem Verbi diuini supposito, quam diximus esse tantùm *mediatam*, & sequi ad priorem: iam Christus Dominus non habet formaliter & præcisè ex vi prioris vnionis præcisè & formaliter sumptæ, provt est condistincta à posteriori, quòd sit Deus, sed solummodò quòd sit subsistens subsistentia diuina Verbi: nam personalitas Verbi non est id quo Verbum diuinum est formaliter Deus, nec propria forma deitatis, sed sola diuina essentia siue natura, alias sicut sunt tres personalitates in diuinis, & tres diuinæ personæ, ita essent & tres diuinitates, & tres dij, quod est hæreticum, & proinde cum vi prioris istius vnionis Christus D. formaliter & præcisè habeat solummodò quod est proprium personalitatis Verbi, quâ est talis personalitas, habet solummodò vt sit aliquod constitutum ex subsistentia Verbi & humanitate, vel etiam aliquod
III. subsistens tali subsistentia diuina: sed Christus Dominus habet tantùm à posteriori vnione vt sit formaliter & præcisè Deus, quatenus vi illius, hoc constitutum seu hoc subsistens in duabus naturis, Christus Dominus habet verè, propriè & formaliter non tantùm humanã naturam, sed & diuinam propter summam eius identitatem realem & formalem propriè dictam cum personalitate Verbi diuini, quæ immediatè vnitur humanitati: vnde sicut natura diuina est communis Christo Domino & aliis personis diuinis, & ratione illius rectè ait apud S. Ioannem, *Ego & Pater vnum sumus*: ita etiam attributa essentialia, inter quæ est *ipse summus principatus* in omnes creaturas, sunt ei cõmunia cum aliis duabus personis diuinis, & quemadmodum vi mediatæ vnionis attributa essentialia non sunt communicata humanæ naturæ, vt infrà docebitur, ita
IV. etiam nec vi eiusdem vnionis præcisè & formaliter sumptæ, habebit principatum aliquem sibi communicatum.

A tione, seu differentia specifica, vel ex individuali & peculiari ratione quam habet, vt est talis subiecti hypostaticè vniti Verbo diuino, vel ex summo illo augmento quod habet super omnes & singulas gratias habituales quotquot fuerunt, & erunt in Angelis & hominibus, quia nihil amplùs potest excogitari, vndę possit accipere talem perfectionem: atqui ex nullo capite nunc enumeratorum habet vt sit gratia capitis. Non ex primo, quia, quæ ei sic conũeniunt, conueniunt & omni cuilibet habituali gratiæ eiusdem speciei cum illa; atqui quælibet nostra habitualis gratia sanctificans est eiusdem speciei cum habituali gratia animæ Christi Domini, vt ostẽdimus disput. 2. ad præcedentem quæstionem: nec tamen in quolibet nostrũ, imò in nulla pura creatura habet vt de facto sit gratia capitis, quia hæc est soli Christo Domino propria, vt paulò pòst
B docebitur. Non item id habet ex 2. cap. quia licèt subiectum eius accipiat sanctitatem singularem, infinitam & dignitatis, seu æstimationis infinitæ per sui vnionem hypostaticam ad personalitatem Verbi diuini, nullam tamen inde accipit præfecturam seu potestatem auctoritatiuam, cùm nemo det quod non habet, & hypostasis Verbi, in quo immediatè facta est vnio, nullam etiam habeat, vt ostendimus 1. art. huius disput. Non item habitualis gratia Christi Domini id habet ex 3. cap. scilicet ex maximo suo augmento suprà omnes alias gratias, quia augmentum illud vel consistit tantùm in maxima multitudine graduũ ipsius gratiæ habitualis intra eandem speciem, quorum alij sunt aliis perfectiores; nec tamen possunt illam constituere in alia specie, quemadmodum videre est in omnibus gradibus aliarum qualitatũ: at gratia capitis est in alia specie quàm
C sit habitualis gratia, hæc enim primò per se ordinatur ad bonũ proprium sui subiecti, illa primò per se ad bonum aliorum: & proinde sicut gratia gratis data est alterius speciei à gratia gratum faciẽte in genere gratiæ, vt docent Theologi 1. 2. ita etiã & hæc gratia capitis erit in alia specie, quàm sit habitualis gratia: ergo habitualis gratia Christi Domini, quantumcumq; sit magna secundùm intensionem & multitudinem graduum, nunquã tamẽ inde habebit, vt sit formaliter gratia capitis: vel summũ illud augmentũ gratiæ habitualis in Christo D. vt volunt aliqui, consistit in maiori radicatione gratiæ in suo subiecto: at maior illa radicatio non trahit eam extra suam speciem.

V. VI. VII. VIII.

Probatur secundò. Habitualis gratia animæ B. Virginis maior est qualibet gratia habituali omnium aliarum puratum creaturarum, nec tamen habet vt sit gratia capitis. Tertiò, habitualis gra-
D tia infusa primo nostro parenti erat minor & remissior habituali gratia beatissimæ Virginis, & non tamen provt fuit illi concessa in statu innocentiæ habuit aliquam rationem gratiæ capitis, quatenus si primus parens perseuerasset in illo statu, iustitia originalis (quæ includebat habitualem gratiam, vt docet S. Thomas 1. parte quæst. 95. art. 1.) erat ab illo transfundenda in posteros, hinc enim appellatur *originalis*: post lapsum verò primi parentis, licèt sit ei restituta per pœnitentiam, quatenus bona supernaturalia, & merita per peccatum mortificata reuiuiscunt, non tamen habuit aliquam rationem capitis: ergo gratia capitis sumpta præcisè & formaliter, non est formaliter gratia habitualis quantumlibet intensa, sed aliquid aliud.

ARTICVLVS III.

Vtrùm habitualis gratia Christi, sit gratia capitis.

SIT hæc nostra propositio. *Habitualis gratia Christi D. sumpta præcisè & formaliter, non est formaliter ipsa gratia capitis in Christo D. seu non est id per quod Christus D. est formaliter constitutus caput Ecclesiæ, seu hominum & Angelorum.* Probatur, si habitualis gratia Christi Domini, sumpta præcisè & formaliter, habet vt sit formaliter gratia capitis, vel id habet ex sua formali ra-

Obiicies S. Thomam hîc art. 5. in extrema

I. parte corporis concludere *gratiam personalem*, seu quæ inest Christo Domino, vt est *singularis homo, qua anima eius est iustificata, & gratiam secundùm quam est caput Ecclesiæ, iustificans alios, esse eandem gratiâ secundùm essentiam, & solummodò differre secundùm rationem, quatenus gratia capitis supràgratiâ habitualem addit aliquam eminentiam:* ergo cùm talis eminentia nihil sit aliud, quàm summa eius intẽsio, & perfectio suprà omnes alias habituales gratias eiusdem secũ speciei, ipsa gratia capitis sũpta præcisè & formaliter nõ erit aliquid aliud à gratia habituali, sicq; Christus D. cõstituetur caput hominũ & Angelorum per gratiã habitualẽ speciali tamẽ modo spectatã.

Respondetur, gratiam capitis posse considerari præcisè *quoad suum formale*, quatenus est quædam *præfectura*. Deinde *secundùm id, per quod exequitur actus istius potestatis*, vt præmonuimus: II. quando S. Thomas, loco nunc citato, ait gratiam habitualem esse eandem cum gratia capitis, & solùm distingui secundùm rationem, non loquitur de gratia capitis præcisè & formaliter sumpta, quo solo tamen modo hîc agimus de illa, sed tantùm posteriori modo, quo est eadem cum habituali, vt explicabitur inferius. Et hunc esse sensum S. Thomæ patet ex ipsa ratione prædictæ suæ conclusionis, quòd scilicet *vt aliquid sit principium agendi in alia, oportet quòd ipsum agens in alio habeat actum iuxta quandam eminentiam*, quod principium procedit de principio efficiente, siue moraliter, siue physicè, quatenus omnis actio est à proportione maioris inæqualitatis, vt docent Philosophi communiter.

Secunda propositio. *Gratia vnionis hypostaticæ, & gratia habitualis simul sumptæ non sunt formaliter ipsa gratia capitis in Christo Domino.* Probatur. Nulla res formaliter cõsistit in eo, etiam tanquam essentiali parte, quo à se sublato, illa potest adhuc esse: atqui gratiâ habituali sublatâ à Christo Domino, Christus Dominus potest adhuc intelligi esse caput Ecclesiæ, si modò aliqua ordinatio Dei, eum in tale officium deputantis, accedat: similiter, sublata vnione hypostatica, adhuc Deus potest dare Christo, in tali casu puro homini, aliquam gratiâ capitis, vt patet ex dictis de primo parente constituto capite suorum posterorum in statu innocentiæ: imò Deus absolutâ suâ potentiâ potuit, hac vtrâque gratiâ, vnionis nimirum & habituali, concessa Christo Domino, non tamẽ ei dare gratiam capitis Ecclesię, quatenus potuit illum, vt sic constitutum, non ordinare in caput nostrum, & ad alia id genus munia, quæ nos, vt saluandos, respiciunt, sicut nec illum de facto ordinauit in redemptionem eorum Angelorum, qui præuaricati sunt, & iuxta auctores 1. & 2. sent. art. 4. disput. præcedenti relatæ, quoad influxum vitæ spiritalis comparatione bonorum Augelorum: cuius vtriusque rei præcisam rationem nemo repetit ex insufficientia Christi Domini ad sic influẽdum in Angelos, cùm omnes agnoscant meritum Christi Domini ratione suę infinitatis fuisse plusquã sufficientissimum pro redimendis prædictis Angelis & mille mundis si tot essent, sed rationẽ solùm ex eo repetũt, quòd hoc mysterium, & Christi D. merita, non sint ad talem effectum ordinata, nec à Deo acceptata: ergo cùm in ista hypothesi Christus D. esset tam perfectus quoad gratiam vnionis & habitualis spectatas præcisè & secundùm se, nec tamen tunc esset propriè caput Angelorum, ambæ illæ gratiæ simul sumptæ non erunt formaliter A ipsa gratia capitis, seu id quo ipse Christus Dominus est formaliter caput Ecclesiæ. V.

Articvlvs IV.

Quid tandem sit gratia capitis.

Sit hæc prima nostra propositio. *Gratia capitis in Christo Domino, præcisè & formaliter sumpta, nihil est aliud quàm ipsa potestas ei à Deo collata ad influendum in omnes Angelos & homines vitam spiritualem, & cætera id genus* superius enumerata modo præcedentibus articulis explicato: sicque Christus Dominus constituitur formaliter caput Ecclesiæ *per illam potestatem, quæ per singularem ordinationem & deputationem Dei illi aduenit*. Duæ sunt partes propositionis. Prima affirmat hanc gratiã esse formaliter aliquam potestatem: secunda illam fuisse ei collatam ex ordinatione & deputatione Dei. Prior probatur: B omnis præfectura cum aliquo influxu in alios, vt VI. sibi subordinatos, est formaliter potestas, quemadmodum patet inductione factâ per omnes principatus, & dominationes & formas cuiuscumque regiminis siue politici, siue alterius generis: atqui gratia capitis in Christo Domino formaliter & præcisè sumpta, est specialis quædam præfectura cum aliquo spiritali influxu in homines & Angelos tanquam illi subordinatos: igitur gratia capitis in Christo Domino sumpta præcisè & formaliter, est quædam singularis potestas in Angelos & homines, vt Christo Domino subordinatos.

Posterior pars propositionis ptobatur ex Scripturis, 1. ad Ephes. 1. cap. *ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam*, id est, Verbum incarnatum constituit caput omnis Ecclesiæ: & quòd hæc gratia capitis sit beneficium distinctum à III. C beneficio incarnationis, satis Apostolus insinuat VII. ibi, dum illo iam commemorato, & pluribus aliis honorum titulis Christo Domino concessis, hoc vt aliud nouum & distinctum recenset, quemadmodum apertè significat S. Chrysost. hom. 3. in cap. 1. epist. ad Ephes. scilicet quatenus Deus non solùm hac ratione nos honorauit extollendo Christum Dominum super omnes Angelos, & dando ei locum principem, sed etiam illum faciendo caput Ecclesiæ & nos ipsum eius corpus. Secundò probatur ex cap. 5. ad Hebr. vbi Apostolus ita loquitur. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eũ, filius meus es tu*: quo loci Apostolus confert Christum D. quoad dignitatem Pontificatus (penes quem ipsa dignitas capitis etiam attẽditur in Christo D.) IV. D VIII. cum Aarone & ait, sicut Aaron non habuit à seipso, nec sibi vendicauit hanc dignitatem, sed illam habuit à vocante Deo, & ex diuina ordinatione Exodi 28. sic Christus Dominus nõ semetipsum exrulit ad dignitatem Pontificiam, seu non semetipsum fecit Pontificem, sed Deus Pater. Idem patet ex illo Psal. 2. Dei Patris ad Christum Deum-hominem, *Postula à me & dabo tibi Gentes in hæreditatem*, & ex illo eiusdem Christi Domini in eodem Psal. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem Sion*: quem locum S. Augustin. ibi & plures alij explicant de spirituali regno Christi Domini in Ecclesiam: quibus locis istæ particulæ, *postula à me, constitutus sum*, significant Christum vt quoddam compositum ex personalitate Verbi diuini, & humanitate ista non habuisse sola vi, & efficacia vnionis hypostа-

I. ticæ, cùm hæc iam præsuppositæ dicatur ei, *postula à me*, & Christus vt sic existens dicat, *ego autem constitutus sum Rex ab eo* &c. sed ex ipsa singulari ordinatione & deputatione Dei talem potestatem ei conferentis.

Secunda propositio. *Hæc gratia capitis, sumpta formaliter & præcisè, non est aliquid reale physicum Christo Domino, vel eius gratiæ, siue vnionis, sine habituali, vel etiam vtrique superadditum; sed est duntaxat aliquid morale, scilicet ius quoddam, & moralis quædam potestas ad influendum in totam Ecclesiam, & eius membra, proueniens ex diuina ordinatione & deputatione.* Probatur: omnes & singulæ præfecturæ communicatæ rebus creatis, sumptæ præcisè & formaliter, sunt tantùm quædã entia moralia illis superaddentia aliquod ius morale ad exercendũ actus aliquos circa alios ex ordinatione & deputatione superioris, vt pa-

II. tet facta inductione per omnes huiusmodi potestates, exempli causâ, esse Iudicem, Ducem, Imperatorem, Doctorem, &c. nihil enim reale & physicum potest fingi, quod hæ singulæ potestates superaddant suis subiectis, provt illa iam sunt idonea ferre sententiam, regere exercitum, imperare, vel etiam alios docere, nisi ius aliquod morale ad istos actus exercendos concessum à superiore: ergo pari iure hæc dignitas capitis in Christo Domino non est aliquid reale physicum, sed quid tantùm morale, scilicet ius acceptum à Deo, ex singulari eius ordinatione, qua cùm in priori naturæ esset tantùm idoneus influere in omnem Ecclesiam & eius membra gratiam & dona supernaturalia, nunc constituitur in eo gradu à Deo supremo omnium Domino, vt id faciat *ex officio & cum potestate auctoritatiua*: ex quibus satis intelligitur hãc gratiam capitis esse do-

III. num aliquod gratuitum, etiam respectu Christi Domini, cùm sit ei gratuitò & liberaliter cõcessa.

ARTICVLVS V.

Per quid Christus Dominus fuerit idoneus, qui acciperet gratiam capitis, & eius actus exerceret.

NOTANDVM primò est, illud per quod Christus D. est ita idoneus posse cõsiderari duobus modis, primò *adæquatè* seu secundùm id totũ quod in se cõplectitur, secundò *inadæquatè* seu tantùm quoad aliquid illius totalis seu adæquati.

Notandum secundò, de illo quod inadæquatè tantùm constituit aliquid, posse quæri an magis præcipuè, an tantùm minùs præcipuè constituat illud.

IV. Notandum tertiò. Actus capitis, quos Christus D. exercuit, vel etiam exercet, posse quoad præsens institutum duos distingui, seu esse in duplici differentia: vel enim ij sunt, quibus Christus D. promeruit Angelis & hominibus gratiã sanctificantem, & cætera dona supernaturalia: vel ij sunt quibus de facto & realiter gratia sanctificãs vel alia dona supernaturalia dantur Angelis & hominibus, ex Christi D. merito, & per eius influxum. Inter quos actus in ordine ad suos effectus hæc est differentia: quòd priores postulent actualem existentiam suæ causæ dum ponuntur actu, & quòd habitualis gratia concurrat ad illos efficienter physicè, eo modo, quo supernaturales habitus concurrunt ad actus sibi proportionatos: posteriores verò minimè postulent actualem existentiam suæ causæ, sed sola futuritionis eorũ præuisio, & moralis motio excitans ipsum agens

A principale, sufficit, vt patet ex eo quòd Christus Dominus, nondum genitus tẽporali generatione, influxerit dona supernaturalia in Angelos, primos nostros patres. Patres veteris Testamenti: & licèt Christus D. per generationem temporalem acceperit quatenus homo actualem existentiam, secundùm quam est in æternum duraturus: adhuc tamen vt pro illo tempore influat in nos & alios sibi posteriores, nõ est absolutè necessarium, quòd in illis causet physicè vitam spiritalem, & alia dona supernaturalia, sed moralis eius efficientia ad id sufficit, sicut & ante mysterium Incarnationis peractum. An autẽ Christus D. præter istam efficientiã moralem habeat aliquam physicam, dum hæc dona supernaturalia influit in homines, eadem est difficultas ac de Sacramentis, quod inquirere non est huius loci: sed hac vna obseruatione sumus contenti: quod etiã

B si cõcursus ille physicus humanitatis admittatur simul cum Sacramentis, ipsam tamen habitualem gratiam animæ Christi Domini non esse de facto principium physicum habitualis gratiæ & donorum eius quę Christus D. de facto à tempore Incarnationis peractæ influit in homines, sed solummodò meritorium seu etiam morale, licèt non implicet illam vt instrumentũ ad id eleuari. Vnde quando S. Thomas hîc art. 5. probat ipsam gratiam capitis esse gratiam habitualem animæ Christi D. ex isto principio, *vnumquodque agit in quantum est actu*, non tam intendit istud probare efficaciter, quàm afferre aliquam congruentiam pro tali sua conclusione. His ita prænotatis sit

Prima propositio. *Id, quo Christus Dominus est adæquatè idoneus qui accipiat gratiam capitis, & actus eius exerceat, nec est sola gratia vnionis, nec sola gratia habitualis animæ eius, sed vtraque simul sumpta.* Ita communiter omnes S. Thomæ Interpretes ad art. 5. huius quæstionis. Probatur. Christus D. est per id adæquatè idoneus accipere gratiam capitis, per quod, sumptum adæquatè, est

C omninò aptus mereri ex perfectâ iustitiâ hominibus & Angelis gratiam & cætera dona supernaturalia, per actus entatiuè supernaturales à se connaturaliter elicitos: atqui Christus D. per hãc vtramque gratiã simul sumptã est omninò aptus sic mereri ista Angelis & hominibus: *per gratiam quidem vnionis*, quia hæc dat *condignitatem & valorem*, plusquã sufficientissimum ipsis eius operibus liberis, pro redimendis hominibus, & conferẽdis gratia & gloria Angelis: per *gratiam verò habitualẽ*, quia hæc dat vt *possit exercere connaturaliter* actus entitatis supernaturalis: ergo Christus D. per hanc vtramq; gratiam simul sumptam est omninò idoneus, tam qui accipiat gratiã capitis, quàm qui actus eius exerceat. Atque hoc tã-

D tùm sensu debet intelligi id quod plures Scholastici dicunt, scilicet *gratiam capitis esse debitam Christo Domino ratione vnionis hypostaticæ*, nimirum *debito maximæ congruentiæ & proportionis* subiecti ad talem formam & actus eius, non verò de aliquo *debito vel naturali vel iustitiæ*, cùm gratia capitis sit propriè *gratia*, id est, *liberaliter & gratuitò concessa*, etiam animæ Christi Domini, vt præcedenti articulo ostendimus.

Quòd verò vna istarum gratiarum sine alia nõ reddat Christum D. ita idoneum, probatur de gratia habituali, quia hæc sumpta secundùm se, & seorsim à gratia vnionis, & præcisa eius habitudine quam habet ad personalitatem Verbi diuini quantumcumq; sit intensa, nunquam potest habere condignitatẽ ad redimendum nos ex per-

V. VI. VII. VIII.

I. fecta iustitia. Idem patet de gratia vnionis, quia licèt det valorem infinitum actibus liberis Christi Domini vt hominis, non tamen dat vt actus supernaturales entitatiuè eliciatur *connaturaliter* à suis principiis, seu potentiis, quod tamen gratia habitualis illis confert: ergo neutra istarũ gratiarũ sumpta seorsim reddet adæquatè Christum D. omninò & perfectè idoneum qui recipiat gratiam capitis, & actus eius exerceat.

Secunda propositio. *Habitualis gratia ita constituit Christum D. idoneum ad recipiendam gratiã capitis, & actus eius exercendos simul cum gratia vnionis, vt tamè, comparata cum gratia vnionis, minùs præcipuè illum constituat dignum, qui recipiat talem gratiam, eiúsque actiu exerceat.* Probatur, Christus Dominus *magis præcipuè* fit ad id idoneus, vnde habet valorem infinitæ dignitatis aptum fundare aliquod ius ex stricto rigore iustitię,

II. & è contrà Christus D. inde est *minùs præcipuè* idoneus ad hoc vtrumque, ex quo aliquid minùs recipit, quod tamẽ aliqua ratione confert ad talem idoneitatem: atqui Christus Dominus habet ex ipsa gratia vnionis hypostaticæ, quòd singula eius opera libera sint idonea ad satisfaciendum & merendum infinitè, vt disput. 5. art. 6. & sequentibus ad 1. quæst. ostendimus & hæc infinita dignitas operum eius, est apta fundare aliquod ius strictæ iustitiæ inter Christum & Deũ, vt ibidem docuimus, & per gratiam habitualem tantùm habet vt exerceat cõnaturaliter actus entitatiuè supernaturales, quiin tali re & ordine ad talem effectum sunt aliquid minùs requisitum, quia Christus D. potuit infinitè mereri, etiam ex perfecta iustitia, sine istis actibus, vt *connaturaliter* elicitis per gratiam, *in ratione habitus*: igitur Christus D. ita redditur inadæquatè idoneus per

III. gratiam habitualem, qui recipiat gratiam capitis, & eius actus exerceat, vt tamen facta comparatione ad gratiam vnionis constituatur *minùs præcipuè* idoneus per gratiam habitualem.

Ex his intelligitur, quo sensu sit verum, quòd S. Thomas hîc art. 5. ait, scilicet *gratiam capitis esse eandem re cum habituali gratia animæ Christi Domini, & tantùm differre ratione*: nam illud tantùm est verum de illa, provt facit Christum D. aptum, qui eliciat cõnaturaliter actus entitatiuè supernaturales: & non provt dat illis valorem & pretium infinitum: aliàs enim ipsa gratia capitis, spectata in ratione principij moralis conferentis valorẽ, potest rectè dici eadem cum gratia vnionis, quòd Halensis 3. part. suæ summæ quæst. 12. memb. 3. docuit: hæc autem gratia dicitur à S. Thoma *differre sola ratione* ab habituali gratia, quia vt sit idonea suo modo influere in alios, debet

IV. esse in eminentiori & perfectiori quodam gradu, quàm sit in aliquo eorum in quos influit.

A art. 6. Prior pars probatur, ex eo quòd sacræ Scripturæ, vt patet locis à nobis suprà citatis, dum loquuntur de hac dignitate & potestate, ita loquuntur vt significent illam de facto esse concessam soli Christo Domino. Vnde sanctus Ioannes 15. & alibi Christus Dominus. ait *se esse ostium, nemmem posse intrare in ovile nec in regnum cælorum, imò nec aliquid etiam minimum, quod ad illud conducat, facere sine ipsò*, id est, sine influxu suæ gratiæ, & alibi *Deum Patrem omnia sibi tradidisse*: quæ non essent vera, si potestas & dignitas capitis conueniret alicui alteri à Christo Domino; nam tunc sine illo possent spiritalem aliquem influxum accipere ab aliis tanquam capitibus: tum etiam quia hæc dignitas maximè attenditur penes mediationem redemptionis hominũ apud Deum: at soli Christo Domino proprièe competit, vt sit *mediator redemptionis*; aliis

B autem vt sint etiam *mediatores intercessionis*.

Posterior etiam pars probatur. Id quo Christus Dominus est adæquatè idoneus qui accipiat gratiã capitis, & actus eius exerceat, nihil est aliud quàm aggregatum quoddam morale gratiæ vnionis & gratiæ habitualis simul cum ea intensione, & perfectione illius, quã superet omnem quamcumq; gratiã omnium hominum & Angelorum simul, vt patet ex dictis de plenitudine gratię Christi D. & præced. art. itavt, vi istius aggregati possit satisfacere Deo ex stricta iustitia, etiam de condigno pro omnibus hominibus, & mille mundis, si tot essent: atqui totum istud est soli Christo Domino proprium, & patet ex dictis ad 4. quæst. disp. 4. & sequentibus: igitur & id quo Christus Dominus est adęquatè idoneus, quiaccipiat hanc gratiam, & actus eius exerceat, est soli Christo Domino proprium.

C Neq; his obstat, quòd primus parẽs ita in statu innocẽtiæ fuerit caput totius humanæ naturæ, vt si in illo statu perseuerasset, tunc stolã innocẽtiæ suis successoribus contulisset per generationẽ, sicut nunc de facto peccatum originale cõmunicatur nobis: tunc enim primus parens non fuisset proprièe *caput mysticum Ecclesiæ*, quia in corpore politico, quale est mysticum, requiritur vt caput influat in sua membra *consultò, & ex intentione*, quemadmodum patet in influxu morali, quem cætera capita politica communicant suis membris: at solus Christus Dominus communicat gratiam, & reliqua dona supernaturalia suis membris provt vult: primus autem parens tunc *præter intentionem* transfudisset gratiam in posteros; eo enim ipso quo generasset homines siue voluisset, siue noluisset, semper transfudisset in eos gratiã innocentiæ, quemadmodum nunc

D parentes transfundunt peccatum originale in suos filios, etiam absque proprio consensu, imò etiamsi dissentiant. Adde quòd licèt daremus tunc futurum vt primus parens transfunderet gratiam innocentiæ in posteros consultò & ex intentione, imò id etiam fuisset consequutus per aliquot opera meritoria; adhuc tamen esset caput modo longè inferiori quàm sit Christus Dominus: nam tunc non meruisset ex rigore perfectæ iustitiæ istis suis posteris hanc gratiam de condigno, sicut Christus Dominus ob valorem infinitum, quem singula eius opera obtinent ratione diuini suppositi.

Nec etiam obstat quòd summus Pontifex sit caput Ecclesiæ vniuersalis, & quilibet Episcopus caput suæ diœcesis. Nam primò omnes isti sunt tantùm Vicarij Christi Domini, qui, *pro*

V. VI. VII. VIII.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo Domino.

REPETENDA est hoc loco ea distinctio, qua hac disput. art. 4. distinximus dignitatẽ capitis sumptam præcisè ab eo, quod Christum Dominum reddit idoneum ad exercendum eius munia, & per quod potest quàm optimè illa exercere. Hoc præmisso sit hæc vnica

Propositio. *Hæc gratia capitis sumpta tam priori modo quàm posteriori est soli Christo Domino propria.* Ita communiter omnes cum S. Thoma hîc

I. Christo Domino capite, *legatione fungitur apud Deum pro reconciliandis illi hominibus*, vt Apostolus docet secundæ ad Corinth. 5. Secundò Christus D. est caput Ecclesiæ tàm triumphantis quàm pugnantis & militantis, isti verò militantis tantùm; primus vniuersalis Vicarius, reliqui particularium. Tertiò este, illi sunt capita, non tantùm quoad exteriorem gubernationem, sed etiam quoad interiorem influxum, quatenus remittunt peccata, conferunt gratiam sanctificantem: quia tamen illa remittunt tanquam Christi Domini ministri, & tunc non ita peragunt ista consultò, & ex intentione, vt infusio & augmentum gratiæ subsit eorum libertati; quasi possint immediatè, absque applicatione vllius Sacramenti, pro sua voluntate iustificare quos voluerint, sicut Christus Dominus potest: sed tàm summus Pontifex quàm Episcopi debent
II. applicare Sacramenta instituta à Christo Domino, ad quorũ applicationem debitè factam, subiecto debitè disposito, sequitur necessariò gratia iuxta determinationem graduum factam à Christo Domino, sit vt cõparatione ad Christum Dominum summus Pontifex respectu vniuersalis Ecclesiæ, & reliqui Episcopi respectu suarum Ecclesiarum, sint minus perfectè caput, quã ipse Christus D. respectu omniũ Ecclesiarũ.

Quæres, an hæc dignitas capitis possit à Deo per absolutam eius potentiam communicari puræ alicui creaturæ. Respondetur, si consideretur *secũdùm perfectam suã rationẽ*, quatenus est talis potestas, cuius actus sunt valoris infiniti de cõdigno meritorij, & de rigore iuris satisfactorij pro peccatis aliorum, non posse communicari puræ creaturæ, quia vt sic dicit ordinem intrinsecum ad vnionem hypostaticam: si verò spectetur secundùm illos actus, *qui necessariam habitudinem non dicunt ad vnionem hypostaticam*, posse communicari: quia Deus potest acceptare satisfactionem puri hominis constituti in gratia, ad satisfaciendum pro omnibus hominibus, eique etiam dare potestatem instituendi Sacramenta, quomodo S. Thomas & omnes Theologi communiter infrà quæst. 64. art. 4. docent potestatem capitis, quam vulgò vocant *potestatem excellentiæ*, potuisse communicari etiam puræ alicui creaturæ.

III.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm diabolus sit caput omnium malorum.

IV. NOTANDVM est, nomine *diaboli*, hoc loco non intelligi quemlibet diabolũ, sed *principem dæmoniorum Luciferum*, vt satis colligitur ex auctoritate Iob 4. cap. qua S. Thomas probat art. 7. suam propositionem: & nomine *malorum* omnes tantùm malos homines intelligi, vt ex S. Thoma colligitur tàm in corpore, quàm ad primum. Hoc prænotato sit vnica ista

Propositio. *Diabolus est caput omnium malorum secundùm exteriorem tãtum impulsum, quatenus per suggestionem auertit omnes malos homines à Deo, vt eos perducat ad damnationem.* Probatur: quia hæc de causa apud S. Ioan. capite 8. peccatores appellantur *filij diaboli*. Nec obstat quòd non omnia peccata fiant ex eius suggestione, sed etiam ex aliqua alia occasione, vt docet S. Thomas prima secundæ, quæst. 80, art. 4. Nec item quòd inter malos homines, multi etiam sint fideles, qui licèt careant gratia sanctificante, fidem tamen & spem retinent, quarum ratione sunt etiam membra Christi Domini: hæc, inquam, non obstant, primùm quia, vt S. Thomas notat art. 7. in responsione ad 2. primum peccatum nostrorum parentum, quod est radix reliquorum omnium, fuit ex eius suggestione commissum: deinde proposuit suum peccatum superbiæ imitandum omnibus aliis, & sicut in exercitu non est necesse vt singuli milites ad singulos actus exercendos inducantur à duce, sed sufficit quod proponat illis suum vexillum, & illi sequantur, sic etiam quia diabolus proponit omnibus suum peccatum hominibus, & homines peccando, siue ex suggestione diaboli, siue sponte sua, imitantur illum, non desinit dici caput illorum. Secundum item non obstat, quia in moralibus vnum & idem pro diuersa consideratione potest esse membrum corporum omnino inter se distinctorum, & proinde
VI. secundùm diuersam rationem habere diuersa & opposita capita: exempli causa, qui pluribus, & distinctis dominis seruit, siue eodem, siue alio, & alio tempore. Additur primò in conclusione hæc particula *tantùm*, quia dæmon nihil potest imprimere animæ, quo illam cogat vel necessitet ad assensum in peccatũ, vt ex professo Theologi docent prima secundæ quæst. 80.

Additur secundò in eadem conclusione hæc particula *auertit*: non enim diabolus præcisè est caput malorum ex eo quòd suggerat iis peccatum, sed *ex eo quòd eos omnes auertat à Deo*: modus autem quo id facit, est *ipsa impulsio & suggestio*: vnde licèt rentet iustos homines, illis suggerat peccatum, quia tamen eos non auertit à Deo, & *talis suggestio non est quædam gubernatio* (iusti enim non sunt illi subditi cùm sint illo fortiores) sed est tantùm hostilis quædam impu-
VII. C gnatio, quæ in oppugnante nullam importat rationem capitis, vt patet in bello, sic vt diabolus nulla ratione sit caput iustorum hominum.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Vtrùm Antichristus possit dici caput omnium malorum.

NOTANDVM imprimis, nomine *Antichristi* hoc loco intelligi aliquem singularem hominem maximæ impietatis, futurum circa finem mundi, qui ab Apostolo secundæ ad Thessalonicens. secundo dicitur, *Homo peccati, filius perditionis*.

Notandum secundò, aliquem posse dici *metaphoricè caput* aliquotũ, non tantùm ratione *influxus*, vel *gubernationis*, vel *suggestionis*, vel *exẽ-*
D *pli* in aliquo faciendo, sed etiam *ratione excellentiæ*, quatenus cõparatione talis imperfectionis, vel perfectionis, eminet omnibus aliis, quomodo ad distinctionem præcedentiũ modorũ aliquis dicitur esse *caput per antonomasiã*, seu excellentiam. His prænotatis sit ista vnica Propositio. VIII.

Licèt Antichristus non sit caput omnium malorum hominum, qui ab initio mundi fuerunt & erunt vsque in finem mundi, ratione influxus, gubernationis, & suggestionis, est tamen omnium illorum caput per antonomasiam: ita S. Thomas hîc articulo vltimo. Posterior pars probatur ex loco citato Apostoli: nam ibi loquens de Antichristo vocat illum *hominem peccati, & filium perditionis*, eo quòd (quemadmodum ad illum locum S. Thomas notat) sit futurus omnium hominum pessimus, sicut Christus D. fuit omnium optimus, & quòd in eo, vt ait S. Hie-

I. ronymus epist. ad Algasiam , sit futurus fons omnium peccatorum , quatenus habebit in se ipso malitiam omnium peccatorum,& insignem superbiam. Vnde etiam *hæretici* , qui insigniter impugnant Ecclesiam, eiúsque doctrinam, quia sternunt viam ad maximam impietatem Antichristi singularis hominis, præfigurát eum,súntque illius prænuncij, vocantur à S. Ioan. prima sua canonica cap. 3. & 4. *Antichristi*.

Prior pars eiusdem conclusionis probatur:cùm enim homo ille singularis nondum venerit,nondum etiam potuit esse caput quoad suggestionem,& gubernationem,omnium malorum hominum, qui iam præcessere, vel nunc existunt, licèt quoad illos malos homines cum quibus cõuersabitur possit dici caput ratione suggestionis & gubernationis, respectu tamen illorum non
II. potest esse caput quoad influxum : cùm enim. sit tantùm futurus insigne aliquod membrum diaboli (nam esse caput eius non potest, quia diabolus est maioris potestatis & regiminis) non plus potest pro influenda malitia , quàm possit ipsemet diabolus : at omnes Theologi cum S. Thoma citata quæst. 80. docent eum solummodò posse inducere hominem ad peccatum, illi suggerendo peccatum , vel inducendo illum ad affectum peccati per propositionem aliquorum illicitorum appetibilium : igitur nec ipse Antichristus,eo etiam tempore quo erit, poterit causare peccatum in malis hominibus aliter quàm illis suggerendo,& inducendo eos ad illud, propositione obiectorum illicitorum appetibilium, nec proinde erit eorum caput ratione alicuius interioris influxus.

III.

AD QVÆSTIONEM IX.

De multiplici scientia Christi Domini in communi.

DISPVTATIO I.

De scientia creatà & increata Christi Domini.

Articvlvs Primvs.

Vtrùm aliqua creata scientia , siu intellectio fuerit in Christo Domino, & quando fuerit in illo.

IV. SEnsvs articuli est,an Christus Dominus præter scientiam increatam, quam habuit *vt Deus*, etiam habuerit creatam scientiam *vt homo*, ratione potentiæ creatæ intellectiuæ? Notandum est huiusmodi sciētiam seu cognitionem distingui duplicem, vnam actualem,habitualem alteram : præsens difficultas procedit tantùm de facto & suppositа potentia intellectiua creata, cui talis cognitio tanquam ei propria respondeat. Hoc prænotato, sit hæc nostra

Prima propositio. *Actualis creata intellectio verè & propriè fuit in intellectu creato Christi D.* Hæc propositio videtur esse de fide, ex 6. Synodo relata hîc à S. Thoma 1. art.in corpore , & ex pluribus aliis Conciliis, vt Lateranensi sub Martino I. in quo collatione 5. in professione fidei definitur,*omnia in Christo Domino esse duplicia, duas*

A *esse naturas,duas voluntates,duas item operationes:* & licèt Monothelitæ ibi tantùm condemnentur negantes duas in Christo Domino voluntates, quia tamen hæc hæresis non potest perfectè condemnari, nisi simul & opinio negans in Christo esse intellectionem creatam correspondentem volitioni creatæ, simul saltem ad minùs tacitè condemnetur.ideo fit vt & in prædictis Conciliis videatur condemnata opinio nostræ propositioni contraria. V.

Probatur autem primò ex sacris Litteris S. Ioan.8.Christus D. ait.*Scio eum, scilicet,Patrem & sermonem eius seruo.* vbi hæc particula , scio, supponit pro cognitione creata correspondente obseruationi præceptorum sui Patris.Item apud eumdem Euangelistam cap. 13. *Sciens quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo :* igitur quemadmodum Christus D. obseruabat mãdata Dei,
B *vt homo*, & per naturam assumptam creatam, & VI.
patiebatur secũdùm illã, ita etiã *vt homo* aliquo actu creato sciebat hæc & cognoscebat : item S. Ioan. 5. *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*, id est Deus Pater dedit Christo Domino potestatẽ iudicandi vt illam exerceret per humanitatẽ.quemadmodũ etiam S.August. explicat tract. 22.in S. Ioan. ergo cùm iudicium importet actualem cognitionem intellectus , & hoc iudicium debeat fieri per humanitatem, actualis etiam creata intellectio debet admitti in Christo Domino. Pro hac etiam propositione possunt videri aliquot sanctorum Patrum testimonia citata consultatione 5. Lateranensis Concilij, vt sanctorum Iustini martyris, Athanasij , Cyrilli . qui omnes ita agnoscunt duas operationes in Christo D. vt in eo admittant creatam cognitionem & humanam loquutionem.

C VII.

Probatur tandem congruenti ratione petita ex tribus incõmodis, quæ negata nostra propositione sequerentur : primũ est quòd tunc intellectus creatus frustra esset in anima Christi D. cùm ex intrinseca sua natura inclinetur ad intellectionẽ actualem, qua sola potest esse eius propria & ab illo elicita,quemadmodum patebit sequenti art. secundum, quòd intellectus ille esset etiam frustra , cùm sit propter suam propriam actionem,quam tunc nullam haberet : tertium, quòd natura humana Christi esset imperfecta, vt pote carens propria sua actione, sibi naturaliter debita, & naturali modo exercenda in Christo etiam compossibili cum scientia increata, illi conuenientе ratione suæ diuinæ naturæ. Quartum inconueniens addi potest, scilicet futurum, vt Christus Dominus, quatenus homo , non sit
D liber: nam radix libertatis est in intellectu, nimirum *indifferentia illa*, secundùm quam actualis VIII.
cognitio creata repræsentat obiectum creatæ voluntati, iuxta varias rationes conuenientis,& disconuenientis, & sic Christus Dominus nihil vnquam promeruisset. quod est hæreticum.

Secunda propositio. *Christus Dominus à primo instanti suæ conceptionis cœpit habere actus creatæ intellectionis.* ita cõmuniter omnes Scholastici 3. sentent. dist. 4. Probatur auctoritate Hieremiæ, *mulier circumdabit virum*, vbi Christus Dominus adhuc existẽs in vtero beatissimæ Virginis vocatur *vir* propter vsum rationis, qui importat cognitionem intellectiuam. Et quæ infra ostendent nullam ignorantiam fuisse in Christo Domino, eadem ostendent eum à primo instanti suæ conceptionis habuisse intellectionem & scientiam, quæ opponitur ignoran-

I. tiæ, vt docet S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis capite 19. vnde quando Isaiæ 8. cap. dicitur de Christo Domino, *antequam sciat vocare Patrem*, idem est ac antequam proferat verba humana per carnem humanam, vt explicat S. Augustinus serm. 4. in Epiphania Domini, qui inter sermones eius de tempore habetur 30.

Vltima propositio. *Christus Dominus habuit etiam à primo instanti suæ conceptionis habitus creatæ scientiæ & cognitionis.* Hæc propositio non est ita certa ac præcedentes, cùm non sit ita certum dari habitus cognitionum creatarum. Probatur tamen ex iis Scripturæ & Patrum testimoniis de duplici operatione in Christo Domino, nam videntur eodem modo loqui de humana respectu humanæ naturæ, ac de diuina respectu diuinæ naturæ: at diuina intellectio fuit semper perseuerans: ergo & aliqua actio intellectus creati in Christo fuit etiam perseuerans, non in se, quia plures & plures habuit: ergo ratione habitus. Deinde quòd Christus Dominus istos habitus habuerit à primo instanti conceptionis, probatur iisdem omnino fundamentis, quibus suprà ad quæst. 7. disput. 7. art. 7. 8. & 9. ostendimus gratiam, virtutes, & reliqua huiusmodi fuisse secundùm rationem habitus in Christo Domino à primo instanti suæ conceptionis, & qua certitudine habitus cognoscitiui admittuntur in nobis, eadem certitudine debent admitti in Christo Domino, cùm Christus Dominus non minùs perfectè & connaturaliter debuerit cognoscere, quã nos ipsi cognoscimus.

II.

ARTICVLVS II.

III. *Vtrùm anima Christi Domini cognouerit per increatam scientiam Dei.*

C

DVÆ sunt hac de re sententiæ, prima affirmans Hugonis à sancto Victore, tractatu de sapientia & scientia animæ Christi Domini: item in summa sentent. tract. 1. cap. 16. vbi illam ita expresè sequitur, vt asserat indubitanter esse dicendum, quòd alia sapientia quàm diuina non fuit in Christo: hanc eamdem sententiam affirmantem sequitur Ioannes de Ripa apud Capreolum lib. 3. sentent. dist. 14 quæst. art. 2 & aliqui alij apud Gregorium Arimenensem lib. 2. sentent. distinct. 7. quæst. 2.

Altera sententia, quam loco propositionis ponimus, est S. Thomæ hic articulo primo in responsione ad primũ, & art. 2. ad 3. & communis omnium eius Interpretum hic, & 3. sentent. dist. 14. S. item Bonauent. ibidem, & plurium aliorum: scilicet, *intellectum creatum animæ Christi Domini de facto non intelligere per actualem intellectionem increatam Dei.* Probatur primò auctoritate Conciliorum præcedenti art. relatorum definientium omnia esse duplicia in Christo Domino, sicut in illo duæ sunt naturæ integræ: item auctoritate S. Leonis epistola decima cap. 4. ad Flauianum probata à 6. Synodo art. 17. in definitione orthodoxæ fidei, vbi summus ille Pontifex ita loquitur de duabus naturis Christi Domini. *Agit vtraque forma cum alterius communione, quod est proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est*: quæ postrema verba exprimunt hanc primam partem nostræ propositionis, quatenus asserunt vnamquamque naturam in Christo Domino exercuisse proprias suas

IV. A actiones: & proinde cùm vna ex propriis operationibus naturæ humanæ sit actualis intellectio, Christum Dominum intellectu suo creato, per solam actualem intellectionem creatam intellexisse; si enim intellectus creatus animæ Christi Domini intellexisset aliquando per aliquem actum increatum diuinæ cognitionis, iam illud sancti Leonis non esset simpliciter verum (quo tamen modo vtrobique pronunciatur) *Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est*, sed esset solummodò verum secundùm quid, quatenus illud verificaretur de aliquibus actibus, non autem de omnibus, quod est contra mentem tàm S. Leonis, quàm 6. Synodi id asserentium conformiter ad distinctionem naturarum in Christo Domino, quæ nunquam sunt confusæ sicut nec ipsarum actiones.

V. Probatur item auctoritate Agathonis Papæ epist. sua in Concil. Romano 5. scripta ad Imperatores, relata in dicta sexta Synodo act. 4. & ab eadem Synodo approbata actio. 8. qui non longè à principio suæ epistolæ idem ac isdem fere verbis habet, quod nunc protulimus ex S. Leone: & addit, *Hæc est Apostolica & Euangelica traditio, quam tenet spiritalis vestri fulcissimi Imperij mater Apostolica Christi Ecclesia.*

VI. Probatur etiam ratione. Intellectus creatus animæ Christi Domini exercebat omnes suos actus cognitionis modo sibi connaturali, seu consentaneo suæ naturæ, quia summa prouidentia Dei postulat, vt sinat vnamquamque potentiam operari modo sibi proprio, præsertim in Christo Domino, in quo humana natura erat perfectissima, & vbi talis modus operandi nullam habet imperfectionem, nullam indecentiam, vel oppositionem cum substantia, aut fine mysterij Incarnationis: atqui modus connaturalis intelligendi Christi Domini per intellectũ suum creatum, & humanæ suæ naturæ consentaneus, est, quòd intelligat per actum vitalem elicitum à suo intellectu creato, & modus iste nullam habet vel imperfectionem, vel indecentiam, vel oppositionem etiam cum substantia, vel fine mysterij Incarnationis: igitur Christus Dominus exercuit omnes actus cognitionis sui intellectus creati per quosdam actus ab eo elicitos: igitur per creatos, & non per actum increatum diuinæ intellectionis. Maior satis patet ex ratione illi subiuncta. Minor quoad primam partem probatur. Illud, quod est vita quædam substantialis, & primum radicale principiũ operationis illius qua viuit, postulat ex sua naturali conditione

VII. actum 2. illius elici ab eo, si quo ad entitatem distinguatur à primo, vt hac ratione tale principium sit id quo formaliter viuit, quia aliàs formale principium non correspondebit radicali, sicque tunc actus desineret esse ei connaturalis & consentaneus: atqui anima Christi Domini est vita quædam substantialis, primum & radicale principium intellectionis qua ipsa anima viuit, hæc enim est eiusdẽ rationis & speciei cum nostra, & nostra anima ex Aristotele lib. 2. de anima cap. 2. est id *quo viuimus sentimus, & intelligimus*: vnus verò ex eius secundis actibus, quibus illa viuit, est *ipsum cognoscere* seu *intelligere actu*, vt Aristoteles ibidem satis exprimit, quod intelligere distinguitur entitatiuè ab anima, quia hæc potest esse sine illo, & hæc est propriè substantia, hoc aliquod accidẽs: igitur anima Christi Domini ex sua naturali

VIII.

I. conditione postulat, vt ipsum eius cognoscere, intelligere actu, seu actualis eius cognitio facta modo cõnaturali sit elicita ab eo tanquam radicali & primo principio, & à suo intellectu creato tanquam ab immediato & proximo.

Confirmatur. connaturalis modus operandi vitaliter alicuius potẽtię, est vt ipsa sit vel ipsummet formale principium vitæ sibi ipsi, sicut est ipsa actualis diuina intellectio ipsi diuinæ essentiæ identificata, vel per aliquid à se elicitum, vt hac ratione talis elicitio seu efficientia sit vitalis: nam ex sancto Thoma primâ parte quæst. 18. articulo primo, *aliquid viuere, nihil est aliud propriè quàm illud ita moueri à se ipso, vt fundat suas actiones à principio vitæ sibi intrinseco.* Vnde idem sanctus Thomas eadem quæst. art. 2. in responsione ad 2. ait opera vitæ ea dici, *quorum principia sunt in operantibus vt seipsos inducant in tales operationes:* atqui intellectus creatus animæ Christi Domini est vitalis quædam potentia, cuius actus vitalis est ipsa actualis intellectio distincta realiter ab illo: igitur connaturalis modus cognoscendi seu intelligendi actu ipsius animæ Christi Domini vel creati eius intellectus, est cognoscere per aliquem actum à seipso elicitum, ideſt per actualem intellectionem à seipso elicitam: ergo cùm Christus Dominus exerceret omnes actus sui intellectus connaturaliter, seu modo suæ naturæ consentaneo, non intelligebat de facto per actum increatum diuinæ essentiæ, seu per increatam actualem cognitionem.

II. Altera pars primæ eiusdem Minoris, scilicet *hunc modum connaturaliter intelligendi nullam habere imperfectionem, nullam indecẽtiam,* patet: quia modus ille cognoscendi animæ rationalis
III. est talis vt sit quædã eius proprietas & perfectio qua ad Deum accedit proximiùs quàm extera animantia, & nullam in illa dicat imperfectionẽ & indecentiam, sed potiùs perfectionem: atqui modus iste cognoscendi hac prima ratione explicatus, est quædam proprietas animæ rationalis, vt patet ex nunc allatis tàm ex Aristotele, quàm ex S. Tho. & homo maximè distinguitur à brutis ipsa sua intellectuali cognitione: ergo explicatus ille modus cognoscendi nullam dicit in anima rationali, etiam Christi Domini, imperfectionem & indecẽtiam. Similiter quòd iste modus nullam habeat oppositionem seu repugnantiam cum substantia mysterij Incarnationis, patet, quia mysterium hoc præcisè sumptum dicit vnionem personalitatis Verbi diuini cum humanitate, & proinde sola propria
IV. humanitatis subsistentia opponitur ei præcisè: at modus iste intelligendi est omnino extra rationem subsistentiæ, & subsistentia extra illum. Non est etiam contrarius Incarnationi, quin potiùs est illi valde conformis, quia Christus Dominus sic est verus homo, non tantùm quoad partes essentiales humanitatis, sed etiam quoad modum operandi proprium & connaturalem ipsis potentiis naturæ humanæ: tùm etiam quia, quemadmodum Christus Dominus meruit sibi & nobis per humanitatem, ita & per actus sibi connaturales, quos non tantùm exercuit, sed etiam sua actuali creata cognitione direxit & ordinauit in honorem Dei & nostrum bonum.

A

B

C

D

V.

VI.

VII.

VIII.

ARTICVLVS III.

Vtrùm anima Christi Domini potuerit cognoscere per increatam scientiam Dei.

SIT hæc nostra propositio. *Anima Christi Domini non potuit intelligere per actualem intellectionem increatam Dei de absoluta Dei potentia.* Probatur primò authoritate Patrum hanc reddentium rationem, quare proprietates & operationes naturarum in Christo Domino existentium sint à se inuicem distinctæ, sicut & ipsæ naturæ, hanc scilicet, *quòd sit impossibile propriam operationem vnius naturæ fieri operationem alterius*: sic Agatho Papa in sua citata epistola: sic longè ante illum sanctus Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. non longè à principio, vbi loquens de duplici consideratione Christi Domini pro distinctione naturarum eius, ita per interrogationem ait, *Nunquid vna operatio potest esse, vbi diuersa substantia est*, quasi dicat, non potest ita esse.

Probatur secundò ratione, prima. Vbi vnio diuinæ naturæ, vel alicuius attributorum eius essentialium, cum aliqua creatura intellectuali est impossibilis, ibi repugnat intellectum creatum intelligere per increatam intellectionem sibi intimè vnitam; atqui, ex dictis ad secundam quæst. huius partis, repugnat dari aliquam vnionem diuinæ essentiæ, vel alicujus ex eius attributis, cum aliqua creatura etiam intellectuali: ergo etiam repugnat actualem intellectionem increatam Dei vnire cum intellectu creato Christi Domini, & proinde creatum huiusmodi intellectum intelligere per actualem increatam intellectionem: Deinde omnis actualis intellectio debet esse proportionata intellectui per illam intelligenti: atqui actualis intellectio increata est improportionata intellectui creato animæ Christi Domini; est enim substantialis, hic vero accidens quoddam, illa est naturâ suâ & ex se comprehensiua simpliciter & absolutè eorum omnium quæ sunt in Deo, hic minimè, quia est aliquid purè creatum, finitum, & proinde non aptum absolutè comprehendere Deum: igitur creatus intellectus animæ Christi Domini non potest intelligere per actualem increatam intellectionem diuinæ essentiæ.

Neque huic secundæ rationi satisfecerit, qui dixerit ideò intellectum creatum tunc non comprehendere Deum, quia actualis increata intellectio non vnitur illi perfectè, sed tantùm iuxta quantitatem virtutis & capacitatis intellectus, quæ cùm sit finita, talis etiam vnio est ad cognitionem tantummodò finitam non comprehensiuam diuinæ essentiæ: sicut, licèt diuina essentia vniatur intellectui beato ad instar speciei, & sit infinita, quia tamen intellectus beati est finitus, & capax finitæ tantùm cognitionis, ideo ex tali vnione non sequitur intellectum creatum habentem essentiam diuinam in ratione actualis intellectionis sibi vnitam comprehendere Deum, qui, inquam, hoc dixerit non satisfaciet prædictæ nostræ rationi, quia actualis increata intellectio vniretur creato intellectui se totâ: ergo quemadmodum ex se, & secundùm se, est

I. comprehensiua sui, diuinæ essentiæ, & eorum omnium quæ sunt in illa, sic etiam faceret creatum intellectum animæ Christi Domini formaliter cognoscentem cognitione comprehensiua diuinæ essentiæ & omnium quæ sunt in illa. Neque est par ratio diuinæ essentiæ, dum vnitur intellectui Beatorum ad instar speciei: nam tunc vnitur tantùm *extrinsecè seu per intimam indistantiam* ad instar speciei, cuius concursus ad efficiendam cognitionem simul cum intellectu Beati subest diuinæ libertati, eúmque attemperat provt vult: at actualis increata intellectio, si vniatur creato intellectui, debet ei vniri *intrinsecè* & formaliter, cùm faciat illum formaliter intelligentem; nihil verò sit *actu formaliter intelligens, nisi per aliquid sibi formaliter intrinsecè inexistens seu informans*, quando intellectus distinguitur ab intellectione realiter. Deinde in hac hypothesi aliquis liber cõcursus Dei non interuenit, quo increata actualis intellectio Dei reddat talem intellectum hæc & illa tantùm intelligentem, sicut datur in visione beatifica respectu diuinæ essentiæ iam applicatæ instar speciei beato intellectui: sed actualis increata intellectio sola seipsa facit intellectum animæ Christi Domini formaliter cognoscentem: ergo quemadmodum solâ seipsâ est formaliter comprehensiua diuinæ essentiæ, & eorum quæ sunt in Deo, sic etiam faciet illum formaliter comprehendentem diuinam essentiam, & omnia quæ sunt in illa, quod tamen est absurdum.

II. Probatur tertiò: ipsum formaliter & de facto intelligere est formaliter aliquod viuere, vt patet ex citat. loco Aristotelis, & ex eo quòd intellectio sit quædam actio vitalis: atqui nec anima rationalis nec vllum aliud viuens potest, etiam de absoluta potentia Dei, viuere formaliter vita alicuius alterius distincta à se, quia ipsum viuere definitur *esse idem quod se ipsum mouere ab intrinseco per primum principium sibi inexistens, aut per identitatem, vt in Deo, aut per informationem, vt in nobis & Angelis*: ipsa autem actualis increata intellectio Dei est formaliter ipsa eius vita, vt docet sanctus Thomas primâ parte, qui Deus est omnino distinctus ab anima Christi Domini: igitur anima Christi Domini, etiam de potentia Dei absoluta, non potest intelligere actuali intellectione increata Dei: & pro ampliori ratione huius rationis, videri possunt quæ primâ parte quæstionis duodecimæ, articulo duodecimo diximus de impossibilitate oculi corporei ad Deum clarè videndum.

III. Tandem totum hoc confirmatur ex eo quòd repugnat aliquod agens agere formaliter pro agere alterius, quia *ipsum agere*, vt sic, significatur per modum motus & actionis, & aliquid est formaliter agens per aliquid ab illo quasi egrediens: atqui ipsum intelligere intellectus animæ Christi Domini est quoddam eius agere, quia ex communiori sententia non consistit formaliter *in aliquo recipere*, & ipsum actuale intelligere diuinæ essentiæ est intelligere alicuius alterius omnino distincti ab intellectu animæ Christi Domini: igitur intellectus animæ Christi Domini non potest intelligere per ipsummet intelligere diuinæ essentiæ.

A

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM fundamentum est. Non magis repugnat diuinam essentiam in ratione actualis intellectionis vniri immediatè intellectui creato animæ Christi Domini, quàm illam immediatè vniri eidem intellectui, vel alterius beati in ratione speciei intelligibilis, ad quam vnionem intellectus beati videt & intuetur diuinam essentiam; quia potētia obedientialis est tanta in intellectu creato ad vnum, quanta ad alterũ; & mutatio aliqua in Deo nõ magis sequitur ex vno, quàm ex altero: est enim ipsa increata intellectio Dei tàm immutabilis secundùm se, quàm ipsa diuina essentia est immutabilis: atqui

B essentia diuina non tantùm potest immediatè vniri intellectui beato in ratione speciei intelligibilis, sed etiam de facto vnitur intellectibus beatorum in patria, vt habet communis sententia Scholasticorum primâ parte quæst. 12. nec id arguit aliquam mutationem in diuina essentia. Ergo eadem diuina essentia poterit vniri creato intellectui animæ Christi D. in ratione actualis intellectionis, per quã creatus intellectus Christi Domini intelligat. Ergo cùm hoc cedat in perfectionem animæ Christi Domini, quatenus nobilius est intelligere per actum increatum quàm per creatum, & omnis perfectio possibilis, nec repugnans fini, vel substantiæ huius mysterij, qualis est hæc, debeat, saltem ex aliqua decentia, concedi Christo D. ipse creatus intellectus animæ Christi D. intellexit de facto aliqua per actum increatũ increatæ intellectionis.

C Respondetur negando Maiorem ob rationes assignatas pro nostra propositione: & ratio disparitatis ibi est indicata, nimirum quòd species, quatenus species, & ex cõsequenti quod supplet vicem illius, vel se habet ad instar illius, postulat solùm vniri *extrinsecè* potentiæ, seu per intimam indistantiam, cùm sit vice obiecti, quod ex præcisa ratione cognitionis non postulat esse in potentia, sed solùm esse ei sufficienter cõiunctum, & proportionatum: nec item *esse obiectum vel speciem eius, aut se habere ad instar illius*, consistit formaliter & præcisè *in quodam agere, nec in aliquo viuere*, quæ formaliter postulant esse ab ipso agente aut viuente, sũtque actus secundi, nec similiter species postulat produci ab intelligẽte, sed sufficit ei quòd sit aliquid proximè aptũ per modũ actus primi cõcurrere: efficiẽtiâ non vitali, sed purè extrinsecâ loco obiecti, cũ intellectu

D ad efformãdam cognitionem: at econtra actualis intellectio postulat vel identitatem cum ipso intellectu, vel si ab eo distinguatur, vnionem formalem cum illo, esse actum informantem illum, & cùm sit quædam actualis vita illius, esse etiam ab illo vitaliter.

V. VI. VII. VIII.

Ad primam rationem Maioris, qua dicitur tantam esse potentiam obedientialem in intellectu creato pro admittenda vnione increatæ actualis intellectionis, ac est in intellectu beati pro admittẽda vnione diuinæ essentiæ ad instar speciei impressæ, respondetur id esse falsum, propter intrinsecam habitudinẽ quam actio vitalis, qualis est actualis intellectio, dicit ad vitale principium sibi correspondens & proportionatum.

Ad secundã repetitã ex mutatione respõdetur illam similiter esse falsam. Rectè enim possumus intelligere Deum, vel aliquid eius, nullomodo

I. mutari per aliquam *efficientiam purè extrinsecam*, qualis est illa diuinæ essentiæ sese habentis ad instar speciei impressæ, cùm ex concursu eius ordinario cum omnibus causis efficientibus nemo Theologorum colligat aliquam fieri in illo mutationem: at non ita erit, si diuina essentia vniatur intellectui creato *in ratione actualis intellectionis*, quia cùm hæc informet intellectum, & ab illo dicat dependentiam intrinsecam, vbi intellectus per illam intelligens est ab illa distinctus, data tali opinione non tantùm diuina essentia erit aliquis actus intrinsecè informans, sed etiam dependés ab ente creato, scilicet intellectu intelligente per illum, quod est absurdum.

Secundum fundamentum est, personalitas Verbi diuini vnitur humanitati Christi Domini per modum actus secundi, & non tantùm per
II. modum actus primi, qui non solùm illam constituit potentem subsistere, sed facit illam formaliter & in actu secundo subsistentem ex dictis quæstione secunda: neque tamen propterea est illi intrinseca per identitatem, quia personalitas Verbi ex hoc mysterio nullam recipit mutationem, vt eadem quæstione 2. docuimus. & semper manet in se & entitatiuè distincta ab humanitate, nec etiam propriè informat illam, sed tantùm est illi subsistentialiter vnita in ratione actus metaphysici, illam vltimo terminantis. Ergo pari modo increata actualis intellectio Dei poterit in ratione alicuius actus secundi actuare intellectum animæ Christi Domini, & illum seipsâ ei vnitâ per modum actus secundi facere intelligentem; sicque quemadmodum humanitas creata Christi Domini actu secundo subsistit subsistentiâ increatâ Verbi diuini, sic creatus intellectus Christi Domini intelligit in
III. actu secundo increatâ actuali intellectione Dei.

Confirmatur hoc fundamentum. Diuina essentia intelligens non minus habet rationem actus secundi, seu actualis intellectionis, quàm habeat rationem actus primi, quatenus est obiectum intellectionis, vel quatenus gerit vicem speciei intelligibilis; neque habet maiorem improportionem cum intellectu beato in ratione actualis intellectionis quàm in ratione speciei intelligibilis vel obiecti, cùm ipsa ratio actus 2. sicut est perfectior ipsa ratione actus primi, ita etiam est ei conuenientior: nec item actualis increata intellectio Dei videtur habere maiorem improportionem cum intellectu creato animæ Christi Domini, quàm increata personalitas Verbi diuini cum humanitate Christi: ergo qua ratione hoc secundum non repugnat,
IV. imò factum est, eadem ratione Deus poterit primum facere, & cum hoc cedat in honorem & dignitatem Christi Domini, videtur congruum ita esse factum.

Respondetur personalitatem loquendo propriè non vniri humanitati Christi Domini per modum alicuius actus secundi, quia vnitur ei *tanquam terminus* complens illam vltimò, & patet ex dictis secunda quæst. ar talis terminus non habet propriè rationem alicuius actus secundi, non enim primus aliquis actus propriè dictus ei præsupponitur, qui per illam de facto actuetur: nemo enim rectè dixerit subsistantiam in illo priori signo rationis, quo intelligitur esse completa in præcisa ratione subsistantiæ, nondum tamen in ratione subsistentis, habere subsistentiam in actu primo: sic enim de facto iam haberet aliquam subsistentiam sibi dantem formaliter tale

A esse. Deinde etiam si personalitas Verbi diuini V.
possit dici vniri humanæ naturæ per modum actus secundi, hoc sensu, quòd faciat illam reipsa subsistere, semper tamen est dispar ratio illius, ac diuinæ essentiæ in ratione actualis intellectionis, quòd illa sequatur conditionem subsistentiæ, quâ præcisè est subsistentia, sicut hæc intellectionem actualem, qua intellectio est. Vnde cùm subsistentia, quatenus talis, vt communicet suum quasi formalem effectum, non postulet vniri formali vnione ei substantiæ quam facit subsistere, sed solùm illam terminare, & hæc terminatio rectè possit intelligi absque tali vnione formali, quemadmodum videre est in mysterio Incarnationis, nec item postulet effici vel emanari vitaliter ab ea substantia cuius est terminus, & quam facit subsistere: econtrà actualis intellectio hoc vtrumque po-
B stulet, sit vt non repugnet personalitatem Verbi VI.
vniri humanitati, & facere illam subsistere, repugnet tamen diuinam essentiam vniri creato intellectui in ratione actualis intellectionis, vt faciat illam formaliter intelligentem.

Ad primam partem confirmationis respondetur, quia in præsenti difficultate accipimus istos terminos (*habere rationem actus primi, & habere rationem actus secundi*) per comparationem ad aliquem intellectum creatum, & in ordine ad efformandam intellectionem in illo: ideo falsum esse diuinam essentiam non minus habere rationem actus secundi, seu actualis intellectionis, quàm habeat rationem actus primi, in ratione speciei vel obiecti, vt patet ex dictis, licèt comparata ad diuinum suum intellectum habeat potiùs rationem actus secundi, seu actualis intellectionis, quàm actus primi seu
C potentiæ, quemadmodum communiter docent VII.
Theologi primâ parte agendo de scientia Dei.

Ad secundam confirmationem respondetur, similiter patere ex dictis, diuinam essentiam in ratione actualis intellectionis habere maiorem improportionem cum intellectu creato, quàm cum illo habeat in ratione speciei impressæ vel obiecti: licèt enim ratio actus secundi sit perfectior ipsa ratione actus primi, quando hæc duo dicuntur de aliqua perfectione respiciente proprium suum subiectum, aut quasi subiectum, & illud afficiente, verbi gratia, noster intellectus est perfectior dum actu intelligit, quàm dum nihil quicquam intelligit, & tantùm potest intelligere: si tamen ipsa ratio actus secundi intelligatur de re pertinente ad aliquod ens aliud omnino extrinsecum, nec spectãte ad propriam
D perfectionem illius, cui ipsa ratio actus primi VIII.
competit, tunc talis ratio actus secundi simpliciter & absolutè loquendo non est perfectior quàm ipsa ratio actus primi ei correspondens: exempli gratia, actualis creatio, quæ importat actum secundum, non est aliqua ratio perfectior, quàm sit omnipotentia Dei, quæ solummodò importat actum primũ: vnde cùm actualis intellectio diuina, quæ est actus secundus, considereretur hîc per ordinem ad faciendum intellectũ creatum formaliter intelligentem, qui est aliquod ens extrinsecum ipsi Deo, hæc eius ratio actus secundi non erit perfectior quàm sit ipsa ratio actus primi, quam habet quatenus est obiectum, vel gerit vicem speciei impressæ, imò erit longè imperfectior, cùm vt sic dicat dependentiam ab intellectu creato tanquam vitali suo principio.

I.

ARTICVLVS V.

Solutur dubium.

QVÆRES quid sit censendum de prima sententia, cùm nostra illi opposita nitatur auctoritate Conciliorum & Patrum: Medina hîc & prima secundæ quæst. tertia existimat illam hæreticam, Suarez hîc disput. 24. sect. 5. & aliqui alij iudicant illam temerariam & periculosam in fide: melius tamen videtur dicendum, quòd si prima hæc sententia velit animam Christi Domini ita intelligere per increatam scientiam Dei, vt nullo actu creato & à se elicito intelligat, tunc videri hæreticam aut ad minus periculosam in fide, ob ea quæ tàm primo articulo quàm secundo protulimus in confirmationem
II. nostræ propositionis: si autem hæc opinio tantùm contendat id non repugnare, vel id solùm ita contingere, vt nihilominus intellectus animæ Christi Domini habeat etiam quoſdã actus creatos, & à se elicitos, tunc tantùm videri omnino falsam & temerariam, quatenus sine graui fundamento recedit à communi omnium aliorum Doctorum sententia: & quòd hoc sensu non sit contra fidem patet, nullus enim extat textus sacræ Scripturæ, nulla definitio Conciliorum, quæ doceant vel definiant contrarium: nam 6. Synodus à nobis superiùs relata damnat tantùm eos qui volunt animam Christi Domini ita omnia intelligere per intellectionem increatam, & velle per volitionem increatam, vt nullum actum naturalem intelligendi & volendi habeat, quemadmodum Suarez bene animaduertit citata disput. 24. sect. 2. & quando hæc
III. Synodus in confessione fidei negat vnam tantùm operationem dari in Christo Domino, addit hanc particulam, *naturalem*, nam sic loquitur: *nec enim in quoquam vnam dabimus naturalem operationem Dei & creaturæ*: quâ prædictâ particulâ hæc Synodus significat se tantùm negare, posse dari in Christo Domino *vnam operationem quæ sit naturalis Deo & animæ Christi Domini*, quod in prima illa sententia non habet locum, cùm iuxta illam naturalis intellectio increata sit animæ Christi Domini supernaturalis, sicut & ipsa visio diuinæ essentiæ Beatis: quo etiam modo Agatho Papa in citata sua epistola debet intelligi, cùm eamdem particulam *naturalem & naturaliter*, adhibeat: iuxta quam expositionem satis patet Patres relatos pro propositione secundi nostri articuli non ita facere, vt hæc prima opinio, quoad hanc partem, sit
IV. etiam periculosa in fide: nam auctores illius respondebunt S. Ambrosium, & alios à nobis ibi citatos, hoc tantùm sensu negare, posse esse vnam operationem, vbi est diuersa substantia, quatenus repugnat vnam & eamdem operationem esse naturalem diuersis naturis & potentiis, & proinde cùm Christus Dominus faciat eadem quæ eius Pater facit, illum, quoad diuinitatem, debere esse eiusdem omnino naturæ cum suo Patre: quæ expositio maximè quadrat textui sancti Ambrosij. Ibi enim vult probare omnimodam identitatẽ diuinæ naturæ in Christo D. & Deo Patre, ex idẽtitate operationis naturalis, ẽstque totus in eo, vt probet Christum Dominũ, quatenus est Deus, non esse minorem Patre, & eodem modo rectè possunt explicari reliqui Patres qui citantur in contrarium.

A

DISPVTATIO II.

V.

De scientia beatifica Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm anima Christi Domini habuerit scientiam beatificam.

NOTANDVM posse distingui duplicem statũ animæ Christi Domini, vnum *ante resurrectionem*, alterum *post resurrectionem Christi Domini*: de posteriori nulla est
B difficultas, quin Christus Dominus tunc habuerit gloriam animæ, seu visionem beatificam: VI.
S. enim Paulus ad Hebr. eos cap. 1. ait expresè, *Christum Dominum iam sedere ad dexteram maiestatis in excelsis, & tanto meliorem Angelis esse effectum, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit*: quod dictũ Apostoli procedit de Christo homine etiam post tempus suæ resurrectionis, vt Theodoretus notat ad illum locum: atqui boni Angeli videbant clarè & intuitiuè diuinam essentiam Christo Domino adhuc existente mortali, iuxta illud eius apud S. Matth. 18. cap. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est*. Deinde in Symbolo fidei profitemur Christum hominem post suam ascensionem in cœlum, *Sedere ad dexteram Dei Patris*: at hæc sessio, inter cæteta, importat habitationem Christi Domini in gloria cœlesti, vt explicat S. August. lib. de fide &
C Symbolo cap. septimo, nec vlla causa potest af- VII.
ferri, cur anima Christi Domini, saltem post resurrectionem, non sit consequuta gloriam, cùm esset adeò sancta vt ne minimum quidem debitum pœnæ haberet, & ipse sua ascensione aperuisset cœlum hominibus.

Sola igitur restat difficultas de illo statu, quo Christus Dominus erat adhuc viator & mortalis. Quid circa hanc difficultatem hæretici nostri temporis sentiant, non satis constat: nam Caluinus ambiguè & obscurè loquitur, modò agnoscit fidem fuisse in Christo viatore, vt in sua Harmonia Euangelica cap. 4. S. Math. vers. 3. & ibidem ad cap. 26. versu 30. quam tamen fidem ex doctrina S. Pauli suprà notauimus non posse stare cum clara & intuitiua visione diuinæ essentiæ secundùm potentiam ordinariam: modò, vt lib. 2. Institut. cap. 16. §. 12. ita admittit
D summam tristitiam in Christo Domino instanti VIII.
tempore mortis, vt tamen dicat nihil inde cœlestis eius glorię decessisse, & suis Commentariis ad caput 17. S. Ioannis versu 24. videtur probare expositionem illorum, qui hæc verba Christi Domini, *volo vt vbi ego sum & illi sint mecum*, explicãt de fruitione diuinæ essentiæ, imò Paulanus Caluinista lib. 6. Syntagmatum cap. 15. agens de scientia Christi Domini, distinguit triplicem humanam scientiam in Christo Domino à primo instanti suæ conceptionis, & solum tribuit ei ignorantiam scientiæ acquisitæ oppositam.

Sed quæcumque sit hæreticorum nostri temporis opinio, constans omnium Catholicorum sententia, quam loco propositionis ponimus, affirmat *animam Christi Domini, dum adhuc ille esset mortalis, habuisse beatam scientiam*. Ita

I. omnes Scholastici communiter hîc, & lib. 3. sent. dist. 14. Probatur autem primò ex sacris Litteris, S. Ioannis 1. cap. dicitur, *Vidimus gloriam eius* (scilicet Christi) *gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis*: qui locus præbet nobis duplicem rationem; primam in ista particula, *plenum veritatis*. ad hoc vt aliquis tanquam Doctor, & legislator nouæ legis sit plenus veritatis, longè perfectiori modo, quàm Moyses legis antiquæ legislator, debuit habere claram & intuitiuam visionem diuinæ essentiæ, vt sic esset oculatus testis eorum quæ docebat, iuxta illud Christi Domini ad Nicodemum S. Ioan. cap. tertio. *quod vidimus testamur*, nam ipsa plenitudo veritatis in Doctore, & legislatore omnium perfectissimo, dicit clarissimam & perfectissimam cognitionem eorum omnium

II. quæ docturus est: atqui Christus Dominus vt homo & adhuc mortalis fuit Doctor, & legislator nouæ legis, vt S. Ioannes testatur cap. primo, dum illum confert cum Moyse, vt legislatorem tum legislatore, dicendo, *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*: & Christus ita plenus fuit veritatis, longè excellentiori modo quàm Moyses, vt etiam fuerit ocularis testis eorum quæ docebat, iuxta illud S. Ioannis eodem capite, *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*: & insuper Christus Ioan. 17. docuit visionem diuinæ essentiæ dandam esse Beatis, *hæc est vita æterna vt te cognoscant*: Ergo Christus Dominus adhuc mortalis & viator habuit claram & intuitiuam visionem diuinæ essentiæ.

Confirmatur primo eodem modo, seruata proportione. Christus Dominus, vt homo adhuc mortalis dicitur ibi ab Euangelista *plenus veritatis*, quo ibidè dicitur *plenus gratiæ*, quemadmodum ipse tenor verborum denotat: atqui Christus Dominus, eo sensu dicitur *plenus gratiæ*, quòd eius gratia, etiam tunc, superaret omnem & quamcumque gratiam habitualem beatorum Angelorum, vt suprà docuimus ad quæst. 7. ergo & Christus Dominus vt homo, adhuc existens mortalis dicitur eo sensu *plenus veritatis*, quòd perfecta eius cognitio importata nomine *veritatis* tunc superaret omnem cognitionem beatorum Angelorum, & proinde cùm boni Angeli tunc haberent cognitionem beatificam, Christus etiam Dominus vt homo adhuc mortalis illam habuit.

Confirmatur secundò, tunc tantum plenitudo veritatis propriè dictæ reperitur in aliquo intellectu creato, quando habet reipsa beatificam cognitionem, omnis enim alia cognitio, etiam per fidem infusam, est tantùm *ex parte*, vt loquitur Apostolus in epist. ad Corinth. seu imperfecta, cuius imperfectio euacuatur aduentu visionis beatificæ: atqui in intellectu animæ Christi Domini adhuc mortalis fuit plenitudo veritatis, S. enim Ioannes ibi de illo loquitur vt adhuc mortali, quemadmodum patet ex ipso textu: igitur visio beatifica fuit in intellectu animæ Christi Domini adhuc mortalis. Quòd si quis vrgeat hanc particulam *veritatis* ibi non sumi pro cognitione, sed pro adimpletione promissorum, adhuc nostra ratio valet: nam quòd in veteri lege fuit principaliter adumbratum, & promissum, est vita æterna, visio beatifica: ergo cùm Christus Dominus venit plenus tali veritate, & esset capax illius rei promissæ, eámque esset aliis distributurus, debuit habere plenitudinem illam veritatis, prout in tali veritate importatur ipsa possessio visionis beatificæ.

Altera ratio, quam idem locus S. Ioannis suggerit pro nostra propositione, continetur his verbis, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*, sic: Christus Dominus vt homo adhuc mortalis, talem habuit gloriam animæ, qualem decebat vnigenitum Filium Dei habere, ex citato verbo Euangelistæ: nam hæc particula *quasi*, non est *diminuens*, vel nota alicuius impropriæ loquutionis, sed *explicatiua veritatis*, vt ex Patribus ad illum locum obseruant Interpretes: atqui maximè decet vnigenitum Dei, exornatum plenitudine gratiæ, & dignitate capitis supra omnes Angelos, & homines, habere etiam gloriam animæ, seu claram & intuitiuam visionem diuinæ essentiæ, quantum

3 enim ad illam, non debet esse inferior aliquibus suis membris, puta bonis Angelis: ergo cùm eo tempore, quo Christus Dominus erat adhuc mortalis, & de quo Euangelista hîc loquitur, boni Angeli haberent de facto gloriam æternam, seu visionem beatificam, tunc etiam Christus Dominus, vt homo adhuc mortalis, illam habuit.

Eadem nostra propositio probatur ex cap. 12. S. Ioan. apud quem Christus ita ait, *Si quis mihi ministrat, me sequatur, & vbi ego sum, illic & minister meus erit*: quo loci hæc particula *vbi ego sum*, idem est ac *in cælesti gloria ac beatitudine supernaturali*; & non dicit, *vbi ero*, sed *vbi ego sum*, significans se iam frui clara & intuitiua visione Dei, & eum qui sequetur illum in exponenda vita, illam esse habiturum pro præmio, & quòd Christus Dominus ibi loquatur

III. C vt homo, & de gloria quæ ei competit in natura humana, patet, tum ex eo quòd loquatur de se vt pro nobis moriturо, vt patet ex ipso textu: tum quòd in sequentibus vt homo alloquatur Patrem, & dicat illum honorificaturum suos ministros visione diuinæ essentiæ tanquam mercede, quemadmodum S. August. explicat tract. 51. in Ioannem.

Probatur item ex cap. 17. S. Ioannis, apud quem Christus ita ait: *Volo vt vbi sum ego & illi*, (scilicet discipuli mei) *sint mecum*: quo loco hæc particula *volo*, non sumitur imperatiuè, sed deprecatiuè, vt S. Cyprianus lib. de mortalitate, & S. Chrysost. Homil. 81. in Ioannem obseruant, quia Christus Dominus ibi orat Patrem pro discipulis suis, & proinde loquitur vt homo, dum illis postulat visionem beatificam, dicendo

IV. D vt *sint mecum*, & quando præmittit illud in præsenti tempore, *vbi sum*, declarat se iam pro illo tempore, quo ante passionem dicebat ista, frui visione beatifica.

Probatur item ex Patribus, vt Euseb. lib. 10. de demonstratione Euangelica cap. vltim. explicante ad sensum nostræ propositionis illud Christi Domini apud Psalmistam Psalm. 21. *De ventre matris meæ Deus meus es tu*: id est, cùm adhuc laterem in vtero matris meæ, te tamen Deum meum videbam: S. Damasceno oratione de transfiguratione, & aliis, hoc idem mysterium explicantibus: dum enim dicunt transfigurationem Christi Domini fuisse quandam manifestationem gloriæ quæ erat in eius anima, insinuant eum adhuc mortalem vidisse clarè & intuitiuè diuinam essentiam. dixi *insinuant*, hæc enim consequentia, *hic habet glo-*

V. VI. VII. VIII.

I. *riam corporis, ergo & habet gloriam animæ consistentem in clara & intuitiua visione diuinæ essentiæ*, non est necessaria : nam Moyses & Helias cap. 9. S. Lucæ apparent corporibus & vestimentis splendentibus, & gloriosis in transfiguratione Domini , quos tamen certum est tunc non fuisse beatos quoad animam clara visione diuinæ essentiæ, cùm nemo purorum hominum ante mortem Christi Domini clarè & intuitiuè viderit Deum. Adde quòd gloria corporis non emanat *physicè* à gloria animæ, cùm hæc non sit causa illius propriè efficiens physica : vnde ex illius positione non potest per aliquam necessariam consequentiam positio alterius inferri : Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 13. multa congerit Patrum testimonia in confirmationem nostræ propositionis , sed quæ, si exactè expendantur, vix meminerunt illius, nam solummodò

II. procedunt de gratia Christi Domini, vel perfectione humanitatis assumptæ , quæ duo possumus rectè intelligere fuisse in Christo Domino adhuc mortali , sine visione intuitiua diuinæ essentiæ.

Nec illam magis expressè S. August. habet lib. octuaginta trium quæstionum quæst. 65. vbi discrimen hoc ponit inter Christum & alios homines, quòd hi existentes in via Deum videant solummodò per speculum in ænigmate, iste verò minimè : nam si S. August. ibi attentè legatur, reperitur facere comparationem inter Christum & alios homines, in eo tantùm, quòd Christus Dominus vtroque , scilicet *peccato & ignorantiæ caruerit*, hi verò, laborent vtroque, quæ assertio non infert necessariò visionem beatificam fuisse in Christo Domino , cùm per alias

III. scientias potuerit scire omnia. Firmior erit illius eiusdem S. August. auctoritas pro nostra propositione lib. 4. de consensu Euangelistarum cap. vlt. vbi agens de clara visione sanctissimæ Trinitatis à nobis post mortem obtinenda, hanc periodum veluti parenthesim interserit, *& qua maxima proprietate distat à cæteris homo , cuius susceptione Verbum caro factum est :* nam sic loquendo videtur velle Christum Dominum in hoc differre ab aliis hominibus, quòd adhuc viuens in corpore mortali Deum clarè viderit , alij verò homines minimè.

Tandem probatur congruenti ratione, exempli gratia , quòd in Christo Domino mortali, nullum esset illius habendæ impedimentum, deinde quòd quælibet causa contineat perfectionem sui effectus: at Christus Dominus etiam mortalis fuit causa gloriæ Angelorum : igitur

IV. fuit valde congruum eum adhuc mortalem habere gloriam seu claram & intuitiuam visionem diuinæ essentiæ.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

OBIICIES primò : sancti Ioannis septimo capite Christus Dominus dicitur ante mortem nondum glorificatus.

Respondetur ex sanct. Augustin. lib. tract. 32. in Ioan. cum non intelligi de gloria animæ, seu de ipsa *glorificatione Christi Domini per eius ascensionem in cœlum*, quando videntibus discipulis, vt habetur capite primo Actuum , triumphans ascendit in cœlum : & hunc esse sensum patet ex verbis antecedentibus. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum , nondum enim erat spiritus datus, id est hoc quod dixit, qui credit in me, sicut dixit Scriptura, Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* intellexit de abundantia illa gratiæ & donorum , quam eius discipuli erant accepturi in die Pentecostes per descensum Spiritus sancti supra eos , in forma visibili & signis visibilibus ; quæ abundantia nondum erat collata , quia erat tantùm conferenda post ascensionem eius in cœlum, iuxta illud Christi Domini apud S. Ioannem 16. cap. *Si non abiero Paracletus non veniet ad vos , si autem abiero mittam eum ad vos.*

Secundò obiicies, sancti Ioannis 17. capite, Christus Dominus ante mortem videtur postulare gloriam animæ à Deo Patre , dum sic eum alloquitur, *Clarifica me tu Pater apud temetipsum* VI.
B *claritate , quam habui prius quam mundus fieret apud te*; sancti Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.*

Respondetur locum illum etiam non intelligi *de gloria animæ* , quasi illam postulet à Deo Patre, vt nondum habitam vel amissam , *sed de gloria communicanda suo corpori :* ita vt sensus sit iste, da vt hæc charitas seu gloria quam ab æterno tanquam Deus tecum habeo , nunc per quādam participationem cōmunicetur meo corpori, iam enim totum opus redemptionis (propter quod gloria corporis dilata est) perfecit : dum enim hæc diceret passio & mors instabant, & de illis quasi iam peractis loquebatur , & hoc est quòd illud eius verbum significat , *opus consummaui quod dedisti mihi :* & hoc eodem sensu dixit S. Luc. 24. nonne *hæc oportuit pati Chri-*
C *stum , & ita intrare in gloriam suam* , id est per VII.
acerbissimam passionem & mortem consequi gloriam sui corporis.

Tertiò obiicies , summum gaudium & summa tristitia non possunt esse simul : sed Christus Dominus S. Mathæi 26. instante passione habuit summam tristitiam. *Tristis est* , inquit. *anima mea vsque ad mortem.* Ergo cùm visio beatifica & fruitio diuinæ essentiæ importet summum gaudium & statum omnium bonorum aggregatione perfectum, illa non potest esse in anima Christi Domini ante resurrectionē eius.

Respondetur , varias esse Doctorum responsiones ; alij enim primò respondent summam tristitiam fuisse solummodo *secundùm partem inferiorem voluntatis* , & summum gaudium *secundùm partem eius superiorem* , sicq; non fuisse simul duo contraria in eodem subiecto. Sed hæc
D responsio refellitur primò , quia *pars inferior &* VIII.
superior in voluntate sola tantùm ratione distinguuntur , eadem voluntas dicitur *pars superior*, quatenus sequitur rationes æternas, quæ dicitur *inferior* , vt sequitur temporales : vnde semper duo contraria erunt simul & semel in eadem potentia : Deinde falsum est, Christum D. tunc solummodò fuisse contristatum secundum partem illam inferiorem : nam doluit potissimum de peccatis hominum , de lapsu Iudæ , de negatione S. Petri , de duritia Iudæorum : de peccatis hominum quatenus *sunt offensæ Dei* , quæ omnia pertinent ad superiorem partem voluntatis.

Nec obstat, quòd S. Thomas infrà quæst. 46. art. 7. *dicat Christum Dominum non esse passum tristitiam in parte superiori* : id enim tantùm intelligit de tristitia quæ sit seu causetur ab eo

I. obiecto quod est Deus, quod est verissimum, potestque intelligi ex ipso eius textu: ex quo etiam patet falsam esse secundam aliorum responsionem, qui dicunt Christum Dominū habuisse solummodò tristitiam in parte sensitiua, & summum gaudium in voluntate, sicque ista duo potuisse esse simul: nam pars illa superior voluntatis habuit prædictum dolorem & tristitiam, & secundùm Patres qui præsentem locum vrgent contra Monothelitas, ad probandum duas esse voluntates in Christo Domino, vt Agathonem Papam in citata sua epistola, S. Ambros. ad cap. 22. S. Luc. S. August. serm. 117. de tempore, & ipse Euangelicus textus videtur id postulare. Cùm enim Christus Dominus ibi dixerit absolutè & simpliciter suam animam esse tristem, significauit tristitiam illam

II. occupasse omnes partes suæ animæ.

Tertia responsio est Melchioris Cani extremo cap. 13. lib. sui 12. de locis Theologicis, Christum Dominum, saltem tempore suæ mortis, & quo erat in cruce, retinuisse gaudium, & sicut tota vita sua mortali impediuit ne gloria suæ animæ efflueret in suum corpus, ita etiam tempore passionis repressisse gaudium illud. quod ex visione beatifica prouenit ad voluntatem. Cui si obiicias Benedictū 11. definisse beatitudinem consistere in visione & fruitione, respondet fruitionem distingui à gaudio, hoc esse tantùm aliquod accidens beatitudinis, sine quo eius essentia potest esse, & fruitionem posse intelligi sine gaudio, cùm ipsa fruitio dicat possessionem: sicut homo detentus graui morbo rectè dicitur frui fructibus suæ arboris, licèt nullam ex illis capiat voluptatem: ita etiam anima Christi Domini patientis videbat diuinam essentiam, eáque

III. fruebatur, sed per aliquod speciale miraculum destituta fuit omni solatio, vt sic eius afflictio maior esset, & magis meritoria pro nobis. Verùm hæc etiam solutio refellitur, primò quia ex communi sententia Theologorum prima secundæ, fruitio & delectatio sunt vnum & idem, & sine hac beatitudo est omnino imperfecta. Deinde cùm Christus Dominus toto tempore vitæ suæ mortalis sit tristatus de peccatis hominum, oporteret eum toto illo tempore fuisse priuatum delectatione, & gaudio visionis beatificæ, maximè cùm per scientiam infusam immania illa supplicia, quæ Iudæi ei intulerunt, semper obuersarentur eius intellectui.

Ad hoc igitur argumentum respondetur, summam tristitiam & summum gaudium fuisse simul in anima Christi Domini: quia licèt illa

IV. duo essent de eodem *obiecto materiali*. attamen non erant *de eodem formali*: nam Christus Dominus doluit de morte, provt illa erat *aliquod malum naturæ*. & de eadem est gauisus provt cedebat *in bonum nostræ redemptionis*, qua ratione nec sunt contradictoria, imò nec propriè contraria secùndùm suas rationes specificas, cùm non sint de eodem, & eodem modo considerato: ideóque potuerunt esse simul in Christo Domino per miraculum, vt sic posset abundantiùs pati, & satisfacere pro nobis. Dixi *per miraculum*, quia anima Christi Domini erat beata: at beatitudo, quantum est ex se, cùm sit status perfectus aggregatione omnium bonorum, postulat eximi ab omni dolore & tristitia.

Quartò obiicies, beatifica visio requirit cognitionem eorum omnium quæ spectant ad statum eius, qui illam habet, ex communi doctri-

A na Theologorum, primâ parte quæstione 12. at Christus Dominus apud sanctum Marcum cap. 13. ait se nescire diem iudicij, *De die autem illo*, inquit, *vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*; cuius tamen diei cognitio ad eius statum spectabat, cùm iam esset à Deo Patre constitutus iudex omnium hominum, vt ipse asserit apud sanctum Ioannem capite 5. *& potestatem dedit ei*, scilicet Pater Christo Filio, *iudicium facere, quia filius hominis est.*

Respondetur, Christum Dominum cognouisse quidem diem & horam extremi iudicij, vt ratio ibi allata probat, sed eo sensu dici nescisse, quòd ad eius officium non spectaret reuelare suis Discipulis vel aliis hominibus hunc diem vel horam, ad eum modum, quo S. Math. 20. ait, *Sedere autem ad dexteram & sinistram non*

B *est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*: conformiter ad illud quod Actuū 1. cap. VI. Apostolis sic eum interrogantibus, *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël? respondit, non est vestrum nosse tempora & momenta, qua Pater posuit in sua potestate.*

Vltimò obiicies, homo fruens Deo clarè viso non potest esse liber ad exequendum & volendum. quod certo scit Deum velle, quia nulla amplius ei restat libertas ad oppositum, cùm ipsa eius voluntas amet necessariò Deum: atqui Christus Dominus adhuc mortalis existens fuit liber, vt infrà docebitur. Cōfirmatur primò: beatifica visio non est compatibilis cum statu mortalitatis, cùm Deus alloquens Moysem Exodi 33. dicat, *non videbit me homo, & viuet.* Hoc confirmatur secundò ex merito Christi Domini,

C quia meritum postulat in merente conditionem viatoris: at conditio viatoris est opposita comprehensioni & visioni beatificæ: igitur anima VII. Christi Domini non videtur habuisse beatam scientiam ante tempus resurrectionis.

Respondetur, Christum Dominū non fuisse quidem liberum quoad visionem beatificam & amorem illum beatificum quo Deum vt clarè visum amabat, nec item velle oppositum quod sciebat Deum absolutè velle vt ipse vellet & faceret, sed in eo, præter scientiam beatam, dari & aliam inferiorem scilicet infusam, & ex hac cognitione exercuisse plures actus bonos liberos, quibus nobis multa bona promeruit, & omnes Theologi communiter admittunt actus quosdam liberos in Beatis extra visionem & fruitionem diuinæ essentiæ. Vnde cùm Christus Dominus non sit inferior Beatis, imò ante mortem vltra perfectionem comprehensoris habue-

D rit adhuc conditionem viatoris, potuit, non obstante sua visione beatifica, aliquos actus liberos VIII. exercere, & per illos nobis promereri quod voluit.

Ad primam confirmationem Exodi 33. *Non videbit me homo & viuet.* Respondetur id tantùm intelligi de *puro homine*, qualis erat Moyses: non autē de *Deo-homine*, qualis erat Christus Dominus etiam adhuc mortalis. Hinc ad secundam confirmationem respondetur, conditionem comprehensoris tunc tantùm esse oppositam conditioni viatoris, quando comprehensio est talis, vt sit omnino perfecta, nec alicuius animæ adhuc existentis in corpore mortali, quia nondum est in termino, sed adhuc in via, & iam non obstante visione beatifica est adhuc idonea mereri, cùm ei nihil deficiat ex conditionibus ad rationem meriti requisitis.

I.

ARTICVLVS III.

Quo iure anima Christi Domini habeat scientiam beatificam.

SENSVS articuli est, an anima Christi Domini vt iam vnita Verbo diuino, & nullo alio ei superaddito, habeat ius aliquod ad habendam claram & intuitiuam visionem diuinæ essentiæ: ita vt, quia in conferente debitum correspondet iuri quod est in habente, fuerit etiam aliquod debitum in Deo, ad dandam animæ Christi Domini vnitæ Verbo diuino claram illam visionem diuinæ essentiæ, & si quod sit ius in anima Christi Domini, vt sic præcisè considerata, & debitum in Deo, quodnam & quale sit vtrumque istud.

II. Ad cuius rei explicationem notandum est, nos posse hîc distinguere *triplex ius*, similiter & *triplex debitum*: primùm *naturale, aut quasi naturale*, quando scilicet aliquid ita est vltimatè dispositum ad formam aliquam, vt naturâ suâ, & suo iure illam sibi postulet & vendicet: qua ratione humanum corpus vltimatè dispositum iure quodam naturali postulat sibi à Deo infundi animam rationalem: eo enim ipso præcisè, quo Deus voluit creare corpus humanum vt vltimatè dispositum ad animam rationalem, sese quodammodò obstrinxit ad illam ei dandam: & Angeli in doctrina S. Thomæ (quia non possunt species intelligibiles accipere ab ipsis rebus, vtùm sint substantiæ quædam ex intrinseca sua ratione intellectuales) dicuntur iure quodam naturali tales species postulare, & Deus ex quodam naturali debito eas illis conferre. Quod

III. ius & debitum vocatur *naturale*, quia fundatur *in ipsa intrinseca natura & conditione ipsius rei*, quæ aliàs, si tali perfectione careat, erit in tali suo esse imperfecta.

Secundum ius *est iustitiæ*, quando nimirum, si non detur quod debetur, quódque respondet tali iuri, fit iniuria ei cui debetur: quo modo supposità promissione & pacto Dei de præmiandis bonis operibus viatorum factis in statu gratiæ sanctificantis, Deus dicitur illa compensare ex iustitia, ita vt esset iniustus, si ea compensare nollet: qua ratione S. Paulus 6. cap. ad Hebræos ita ait, *non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.*

Tertiũ ius est solùmodo *dicentiæ & congruentiæ*, quando scilicet habità ratione excellentiæ & dignitatis, quæ inest rei alicui, est maximè decens & congruum hanc & illam perfectionem, aliàs ei non debitam tribuere: sic actus

IV. contritionis & alij vltimò dispositiui ad gratiam iustificantem dicuntur à Theologis promereri de congruo habitualem gratiam iustificantem, & homo istis dispositionibus instructus habere aliquod ius ad illam, Deus dicitur illam dare ex debito congruitatis, & decentiæ. Iam quæritur, quo ex his tribus titulis anima Christi Domini habuerit visionem beatificam.

Communiter omnes Scholastici, tàm hîc quàm lib. 3. sentent. dist. 14. dicunt illam habere ex vi vnionis hypostaticæ, sed non explicant quale & quodnam sit ius illud, quod hæc vnio confert ei, an naturale? an iustitiæ? an verò soliùs congruentiæ & decentiæ? si modus loquendi plurium attendatur, videntur velle ius istud esse naturale, aut quasi naturale, & non propriè gratuitum, supposita vnione hypostatica

A animæ Christi Domini cum Verbo diuino: dicunt enim gratiam & gloram fuisse debitas humanitati Christi Domini ex vi vnionis hypostaticæ *debito & iure connaturalitatis*, hoc tamen ordine, quòd quia gratia disponit ad gloriam (hæc enim est perfecta & consummata gratia) priùs ordine naturæ gratia fuit illi debita, quàm gloria. V.

Vnica propositio. *Anima Christi Domini, vt iam vnita hypostaticè Verbo diuino, non habet propriè aliquod ius naturale, aut quasi naturale, vel etiam iustitiæ ex vi situ vnionis hypostaticæ sumpta præcisè ad habendum visionem beatificam, sed solummodò ius congruitatis & decentiæ.* Hanc nostram propositionem illi omnes debent admittere, qui suprà nobiscum existimât absolutâ Dei potentiâ Verbum diuinum, aut aliam ex personis diuinis potuisse assumere naturam aliquam

B creatam siue humanam siue Angelicam in puris tantùm naturalibus, nihil ei aliud communicando quàm diuinam personalitatem, quâ tunc subsisteret, & quoad cætera alia, illam relinquêre in puris suis naturalibus. Si enim natura rationalis sic assumpta haberet aliquod ius siue *naturale*, aut *quasi naturale*, siue iustitiæ ad visionem beatificam, iam contra hypothesim esset extra statum purorum suorũ naturalium, etiam per aliquid sibi inexistens, quia sic esset ordinata ad vitam æternam, & proinde posita in ordine & statu vitæ supernaturalis: & cùm is qui habet ius naturale aut quasi naturale, vel etiam iustitiæ ad aliquid, habeat consequenter quoddam ius ad media tali fini proportionata & necessaria, & qui ex naturali debito vel iustitiæ alicui constituit hunc finem, sese etiam obliget ad ei subVI.

C ministrandum media absolutè necessaria ad illum, si alia via non possint haberi, cùm visio beatifica non possit elici nisi mediante aliquo supernaturali lumine actuali vel habituali, Deus ex eodem debito naturali vel iustitiæ teneretur dare prædictæ naturæ, sic in puris naturalibus assumptæ, lumen gloriæ habituale vel actuale, seu aliquod speciale auxilium ordinis intrinsecè & entitatis supernaturalis, quo Deum clarè & intuitiuè videret: sicque talis natura assumpta poneretur extra statum purorum naturalium contra hypothesim, vel Deus non posset facere vt aliqua natura creata intellectualis assumeretur ab aliqua ex personis diuinis in puris tantùm naturalibus, cuius tamen oppositum plerique Scholastici cum Scoto admittunt, vt patebit amplius infra agendo de impeccabilitate Christi Domini. VII.

D Probatur quoad singulas partes: quoad primam. Illud tantum alicui debetur iure naturali aut quasi naturali, quod, vt in tali natura constitutum, habet in seipso vltimam dispositionem in ratione dispositionis naturalis, aut quasi naturalis ad illud, quasi formam sibi correspondentem: atqui anima Christi Domini, vt præcisè vnita Verbo diuino hypostaticè, aliis omnibus ab illa seclusis, quatenus est aliquod constitutum ex anima rationali & subsistentia Verbi diuini, nihil habet in se vel includit in se, quod sit naturalis aut quasi naturalis quædam dispositio ad intuitiuam & claram visionem diuinæ essentiæ: igitur clara & intuitiua visio diuinæ essentiæ non est aliquo iure naturali aut quasi naturali debita animæ Christi Domini vt vnitæ hypostaticè Verbo diuino. Maior patet ex præmisso nostro notabili. VIII.

I. Minor probatur. Tria possumus distinguere in anima Christi Domini vt sic vnita, scilicet *personalitatem Verbi, ipsam animam, & intimam vnionem*, quia hæc duo extrema coniunguntur inter se, & faciunt aliquod vnum: at nullum ex his tribus est naturalis dispositio, aut quasi dispositio naturalis ad visionem beatificam. Non personalitas Verbi, quia hæc habet tantummodo terminare humanitatem: & cùm esse dispositiuum ad aliquid faciendum vel recipiendum sit aliquis effectus propriè dictus ad extra, & diuina personalitas, quæcumque illa sit, non sit hoc modo actiua, quemadmodum ostendimus suprà ad quæstionē secundam, personalitas Verbi diuini vt hypostaticè vnita animæ Christi Domini non potest ei esse vltima naturalis, aut quasi naturalis dispositio ad visionem beatificam, vt iure naturali, aut quasi naturali II. debitam.

Quod etiam ipsa vnio coniungens animam personalitati Verbi non possit esse talis dispositio, probatur. Modus intrinsecè & formaliter vnitiuus nihil aliud facit quàm actu & re ipsa coniungere extrema inter se, nec vnquam est dispositio ad aliquam vlteriorem formam, præsertim ad formam accidentalem, quando talis modus est substantialis, sic enim non habent ad se inuicem proportionem: atqui hæc vnio hypostatica, intrinsecè & formaliter sumpta, nihil est aliud, quàm substantialis quidam modus vnitiuus humanitatis Christi Domini cum personalitate Verbi diuini, quemadmodum fusè ostendimus quæstione 2. huius partis. Igitur hæc vnio non est naturalis, aut quasi naturalis dispositio animæ Christi Domini Verbo vnitæ ad visionem beatificam.

III. Quòd denique anima Christi Domini etiam vt vnita Verbo non sit talis dispositio, patet, quia ex vi vnionis suæ non est facta potentior ad operandum physicè, & si quid haberet, quo vt in tali statu constituta, & vi cuius disponeretur ad visionem beatificam, illud deberet accipere vel à personalitate Verbi, vel à prædicta vnione, à quorum tamen neutro istud accipit: est enim anima Christi Domini ex se ipsa, & secundùm seipsam præcisè spectata, eiusdem rationis ac sunt nostræ animæ: ergo vt nostræ à se ipsis non habent aliquam naturalem dispositionem ad visionem beatificam, vt aliquo iure naturali sibi debitam, ita nec anima Christi Domini.

Dices vnionem hypostaticam esse dispositionem tantùm *moralem*, qua posita necessariò ponatur visio beatifica in natura rationali: quod sic explicatur. Eodem modo sese habet anima hypostaticè vnita Verbo diuino ad visionem beatificam ex vi talis suæ vnionis sumptæ præcisè, quo illa eadem anima *vt* sic præcisè considerata sese habet ad adorationem, quia vt hæc sequitur excellentiam in illáque fundatur, sic & ista sequitur sanctitatem & similiter in illa fundatur: atqui anima Christi D. imò tota eius humanitas ex vi solius suæ vnionis hypostaticæ cum personalitate Verbi diuini, omnibus aliis donis supernaturalibus etiam ab illa seclusis, habet ius quoddam vt adoretur latria, quatenus est vnita Verbo diuino, quemadmodum ostenderitur inferius, & præterea est sancta sanctitate personali quæ est infinita, & superat omnem quamlibet sanctitatem creatam, vt ostendimus prima quæstione huius partis, etiam vt

A præscindit ab omni alio virtualiter distincto à personalitate Verbi diuini sibi vnita: igitur eadem hæc humanitas Christi Domini vt vnita Verbo diuino, pari iure habebit aliquod ius ad visionem beatificam fundatum in tali sua vnione: ergo quemadmodum talis sanctitas est aliquo modo naturalis animæ Christi Domini, vt vnitæ Verbo hypostaticè, eo scilicet modo quo vnio hypostatica dicitur à Theologis & Patribus naturalis Christo Domino, ita etiam visio beatifica erit debita & naturalis animæ Christi Domini, vt vnitæ Verbo hypostaticè. V.

Respondetur, verum quidem esse cultum latriæ esse debitum animæ Christi Domini, vi solius hypostaticæ vnionis ad personalitatem Verbi diuini: item illam vt sic esse infinitè sanctam sanctitate personali, & valoris similiter infiniti: negatur tamen parem esse conditionem eius, respectu visionis beatificæ. Nam hæc duo *adorabilitas, & sanctitas* animæ, vel etiam totius humanitatis Christi Domini, vt spectantur secundùm primariam suam rationem, fundantur in diuina personalitate Verbi, quatenus hæc præscindit à natura diuina, & proinde eo ipso quo hypostasis Verbi diuini communicatur ipsis, eo etiam ipso ista duo, *esse adorabile latria, & esse sanctum infinita sanctitate personali*, illis communicantur: at visio beatifica propriè non fundatur in sanctitate personali, vt patet in Beatis, siue Angelis, siue puris hominibus, sed *in formali*: cùm enim sit perfecta quædam participatio naturæ diuinæ, iuxta illud S. Ioannis prima sua epistol. canonica capite tertio, *Scimus quoniam cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, debet etiam fundari in ea sanctitate, quæ talem participationē ei radicaliter cōfert, cuiusmodi est sola formalis sanctitas: quare cùm vnio hypostatica præcisè spectata faciat solummodo, vt personalitas Verbi, non autem vt diuina natura communicetur humanitati, visio autem beatifica sit quædam communicatio diuinæ naturæ, ipsa anima Christi Domini, vi suæ vnionis hypostaticæ præcisè consideratæ, non potest illam vt sibi tali titulo debitam vendicare, sicut potest ad orationem & sanctitatem personalem. VI.

Neque obstat, quòd hæc vnio faciat illam summè gratam & acceptam Deo: nam ad ipsum *esse gratum, & acceptum alicui* non statim sequitur acquisitio veri alicuius iuris ad obtinēdum hæc & illa eius bona; præsertim quando talis gratitudo & acceptatio est in alio omnino ordine, quàm sit ipsa communicatio huiusmodi bonorum, vt hîc contingit, sed quædam tantùm *congruitas & conuenientia*, quâ est decens, vt qui sic est gratus & acceptus alicui, hæc & illa ab eo obtineat. VII.

Secundò probatur hæc eadem pars. Vnio Verbi diuini eodem modo sese habet ad corpus Christi Domini seruata proportione, quo sese habet ad animam, quia facit vtrumque subsistere: atqui eo ipso quo corpus Christi Domini subsistit subsistentia Verbi diuini, non habuit aliquod ius naturale, aut quasi naturale ad propriam suam gloriam, seu ad habendum dotes corporis glorioſi; sed illam suo merito obtinuit, vt infrà inuenīemus, & amplius patebit infrà: igitur neque anima Christi Domini, eo ipso quo subsistit subsistentia Verbi diuini, habuit aliquod ius naturale, aut quasi naturale ad visionem beatificam. VIII.

Tandem

I. Tandem probatur. Christus Dominus carens visione beatifica fuisset ens in suo ordine & statu omninò completum: fuisset enim aliquod compositum perfectum ex humanitate & personalitate Verbi diuini: item aliquod perfectè subsistens in duabus naturis, diuina scilicet & humana: ergo Christus Dominus præcisè spectatus non habet aliquod ius naturale, aut quasi naturale, ad habendum visionem beatificam. Consequentia patet, tunc enim tale ius reperitur in aliquo, quando tali perfectione ab eo secluſa manet mancus & imperfectus in suo esse vel statu.

Secunda pars eiusdem nostræ propositionis, quæ procedit *de debito iustitiæ*, probatur imprimis. Omne debitum ex iustitia ipsius Dei erga aliquam naturam creatam, præter condignitatem operis seu rei ad præmium,

II. postulat aliquod pactum Dei de dando tali præmio sub onere talis operis, vt Theologi primâ secundæ docent, agendo de merito & eius conditionibus, & nos etiam significauimus agendo de satisfactione Christi Domini, vt facta ex perfecta iustitia: atqui vnio hypostatica personalitatis Verbi diuini cum anima vel tota humanitate Christi Domini, sumpta præcisè & in se, dicit tantùm vnionem humanitatis cum supposito Verbi, nec vllum includit tale pactum cum anima Christi Domini, vel eius humanitate, vt patet ex eius præcisa ratione: igitur visio beatifica non fuit ex vi vnionis hypostaticæ debita animæ Christi Domini ex aliquo debito iustitiæ.

Deinde, ius illud, quod natura creata rationalis habet ad visionem beatificam, si sublato omni pacto Dei possit fundari in

III. aliqua re creata, maximè in gratia habituali, hinc enim illa vocatur *semen vitæ æternæ seu gloriæ*, & visio beatifica appellatur *gratia consummata*: atqui Deus potuit facere per absolutam suam potentiam, vt nulla habitualis gratia esset in anima Christi Domini, etiam vt vnita hypostaticè Verbo diuino, potest enim ponere prius posteriori eius non posito, quando posterius est solummodò ad ornamentum, nec ad positionem vel conseruationem prioris sequitur, vel requiritur: atqui habitualis gratia est posterior in anima Christi Domini ipsa vnione hypostatica, estque solùm quædam dispositio exornans humanitatem assumptam, quemadmodum docuimus ad sextam quæstionem, nec vnio hypostatica indiget illa ad sui conseruationem, nec ad vnionem hypostaticam sequi-

IV. tur necessariò, cùm non sit aliquis eius effectus, nec habeat cum illa connexionem necessariam: ergo Deus potuit facere vt natura aliqua creata rationalis esset hypostaticè vnita Verbo diuino, sine gratia habituali sibi inexistente: ergo vt etiam ex consequenti ita vnita nullum haberet ius ad visionem beatificam: ergo visio beatifica non debetur ipsi animæ Christi Domini ex aliquo debito iustitiæ.

Tertia denique pars nostræ propositionis, asserens visionem beatificam esse debitam animæ Christi Domini vt vnitæ Verbo diuino *debito solum congruentiæ*, satis intelligitur probata omnibus iis rationibus, quibus suprà præcedentibus articulis ostendimus animam Christi Domini adhuc existentem in suo corpore mortali habuisse de facto visionem beatificam, idque V. fuisse factum quàm congruentissimè eius perfectioni, statui, & dignitati capitis.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM fundamentum repetitur ex sacris Scripturis, vt ad Hebræos primo capite, vbi Apostolus ponens discrimen inter Christum Dominum & Prophetas, per quos Deus ipse est loquutus Patribus, & explicans dignitatem Christi Domini suprà omnes Prophetas, qui tantùm sunt filij adoptiui, seu ex liberali tantùm gratitudine Dei, ita ait, *Loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum*, id est, in eo seu per eum nobis loquutus est, qui est proprius & naturalis filius eius, quem faciendo Christum, eo etiam ipso simul fecit hæredem vniuersorum seu omnium suorum bonorum, & ex consequenti visionis beatificæ, quæ primas partes obtinet inter bona Dei. Vnde sicut vi vnionis hypostaticæ, loquendo præcisè, Christus Dominus est naturalis Filius Dei, secluso quocumque alio ad ipsa humanitate assumpta, & hæc naturalis filiatio, posità solâ vnione hypostatica, est per quamcumque absolutam potentiam inseparabilis ab eo, & ad illam sequitur necessariò, sicut relatio ad positionem fundamenti & terminorum: ita etiam eadem vnione hypostatica Verbi diuini posità cum humanitate Christi Domini, secluso ab eo quocumque alio, ius ad gloriam seu visionem beatificam necessariò sequitur in illo, nec per absolutam potentiam Dei potest ab eo tolli, nisi destruendo naturalem filiationem per realem separationem personalitatis Verbi diuini ab humanitate.

Et quòd hic sensus videatur esse sancti Pauli, confirmatur discurrendo per singula. Primò ex eo quòd loquatur ibi de Christo Domino vt homine, & secundùm suam generationem temporalem; Christus enim Dominus, vt Deus, & secundùm generationem illam æternam, qua habet à Deo Patre diuinam naturam, omniaque eius attributa, propriè non dicitur hæres Patris sui diuini; nam hæres non est propriè primus dominus hæreditatis, sed eam accipit ab alio priori domino, habente aliam ab eo voluntatem, & veluti ab extrinseco: at Christus Dominus vt Deus, & secundùm illam generationem æternam, qua est à suo Patre, non habet aliam

D voluntatem etiam numero, nec aliud dominium, sed ipsum omninò idem. Ergo quando Christus Dominus dicitur hæres Dei, id debet intelligi de eo, vt est homo, & de hæreditate seu dominio quod ei competit secundùm humanam naturam, iuxta quam habet aliam voluntatem à diuina. VIII.

Secundò confirmatur, quòd hæc hæreditas, seu ius ad hæc bona Dei, competat Christo Domino præcisè ex vi vnionis hypostaticæ, ex eo quòd inde habet vt sit hæres, vnde habet vt sit naturalis Filius Dei; nam ius hæreditatis fundatur in generatione, & ideò Apostolus eo loci vsus est potiùs hoc nomine *hæres*, quàm hoc, *Dominus*, vel alio simili, quia anteà illum appellauerat Filium Dei, vt ad Galatas capite quarto, *Quòd si filius, & hæres per Deum,*

I. quæ consequentia Apostoli aliàs esset falsa: atqui Christus Dominus, vi vnionis hypostaticæ præcisè sumptæ, est naturalis Filius Dei: igitur Christus Dominus habet ab vnione hypostatica præcisè sumpta ius ad gloriam æternam seu visionem beatam, quæ est pars cáque potissima totius diuinæ hæreditatis.

Tertiò, quòd sensus Apostoli ibi sit, hoc ius ita fundari in vnione hypostatica humanitatis ad Verbum, vt ab illa sit inseparabile. Confirmatur, ex eo quòd sanctus Chrysostomus homilia primâ in epistolam ad Hebræos explicans locum illum affert duas rationes propter quas Apostolus sit vsus hoc nomine *hæres*: prima, vt significaret Christum Dominum esse proprium & germanum seu naturalem Filium Dei: secunda, vt significaretur dominium istius hæreditatis, id est, ius, non posse auelli à Christo Domino; *hæredis autem nomine*, inquit sanctus Chrysostomus ibi, *vsus est, duo significans, nempe quòd proprius & germanus esset filius, & quòd ab eo auelli non posset dominium.* Ergo cùm visio beatifica sit aliquid hæreditatis Christi Domini vt hominis, ius illud quod habet videndi Deum clarè, ita fundatur in vnione hypostatica humanitatis ad Verbum, vt ab illa sit inseparabile.

II.

Respondetur, nos quidem admittere Apostolum ibi ad Hebræos primo, agere de Christo Domino vt homine, illumque distinguere à Prophetis, per quos Deus olim est loquutus Patribus, quòd personaliter enuntiatus sit naturalis & proprius eius filius, alij minimè, sed adoptiui, tantùm. Negamus tamen sensum Apostoli ita subiicientis *(quem constituit hæredem vniuersorum)* esse cum ibi allatum in isto argumento, scilicet (quem faciendo Christum, eo ipso simul fecit etiam hæredem vniuersorum seu omnium suorum bonorum) si istæ particulæ, *eo ipso*, simul significent vnam eámdémque simplicissimam formalitatem, quasi sensus Apost. sit iste, illa ipsa formali ratione, qua Christus est formaliter naturalis Filius Patris diuini, illâ eadem præcisè sumptâ est constitutus à Deo Patre *hæres vniuersorum*: nam ipsa personalitate Verbi, etiam vt virtualiter condistincta à natura diuina, & ipsi Patri diuino non extranea (quemadmodum est persona cuiuslibet adoptiui filij) communicata tamen humanitati, ipse Christus personaliter enuntiatus est verè naturalis Filius Dei: at ex ipsa sua diuina personalitate præcisè sumpta, etiam vt communicata humanitati, nullum habet verum dominium, nullam veram iurisdictionem, cùm hæc sint voluntatis & alicuius potentiæ, quæ duo in diuinis sunt absoluta & essentialia, nec soli Verbo propria, vt suprà ostendimus quæstione octauâ: nec etiam Apostolus id vult hac sua loquendi formula, nam sensus eius est, quod Deus tunc fecerit Christum Dominum *hæredem vniuersorum*, quando illum fecit Christum, quatenus sicut primo instanti, quo humanitas fuit perfecta, eodem instanti fuit vnita Verbo, & sic factus est Christus: ita etiam illo eodem instanti, non tamen eadem formali ratione, est constitutus à Deo Patre *hæres vniuersorum*: conformiter ad alia Scripturæ testimonia, superius relata disputatione secundâ ad quæstionem octauam, quibus ille vt homo dicitur accepisse à suo Patre dominium & dignitatem capitis per singularem deputationem factam à Patre, & hanc

III.

IV.

A singularem deputationem ab eo acceptam esse formaliter distinctam ab ipsa gratia vnionis hypostaticæ, istud autem præsentis fundamenti consectarium, *Vnde sicut vi vnionis hypostaticæ, loquendo præcisè, Christus Dominus est naturalis Filius Dei secluso quocumque alio ab humanitate assumpta; sic eadem vnione posità cum humanitate Christi Domini secluso quocumque alio iure ad visionem beatificam, necessariò sequitur in illo, nec potest per absolutam Dei potentiam tolli ab eo.* Hoc inquam consectarium est absolutè & simpliciter falsum. Vel enim intelligitur de *increata naturali filiatione*, quæ conuenit Verbo diuino ratione suæ processionis à Deo Patre, & de increata visione beatificata eam consequente, vel saltem de alia inferiori visione beatifica creata, quæ ad communicationem hypostatis diuini filij factam humanitati Christi Domini, necessariò debeat sequi in eius anima; vel istud consectarium intelligitur de aliqua *alia filiatione naturali quæ præcedenti sit inferior*, vt pote creata, & quæ Christo Domino quatenus homini ad Deum Patrem vel ad totam Trinitatem comparato conueniat, & ad quam necessariò sequi debeat aliqua clara Dei visio creata: sed non potest intelligi de priori filiatione, quia Christus est tantùm hac filiatione naturalis filius Dei Patris *personaliter*, vel, vt Christus homo enuntiatur *in concreto*, & duntaxat per communicationē idiomatum, ratione cuius attributa diuinæ naturæ non conueniunt humanitati eius, vel alicui eius partium: nec etiam potest intelligi de alia inferiori visione beatifica creata, quę in anima Christi Domini necessariò sequatur ad eius vnionem cum Verbo, quia hæc visio est tantùm

B

C quædam participatio increatæ beatitudinis, ac proinde quemadmodum ad vnionem hypostaticam singularis quædam attributorum diuinæ naturæ participatio per aliquos supernaturales habitus, non sequitur necessariò in humanitate Christi Domini, sed ipsum duntaxat subsistere: Sic etiam creata visio beatifica non sequetur necessariò ad vnionem hypostaticam Verbi cum anima Christi Domini. Nec denique istud consectarium potest intelligi de alia filiatione naturali posteriori membro explicata: nam inferiùs ad quæstionem vigesimam ostendemus ex professo Christum Dominum comparatum ad Deum Patrem nullam aliam habere filiationem quàm prædictam increatam; & Christum vt hominem sumpta particula, *Vt*, siue *reduplicatiuè*, siue *specificatiuè*, non esse loquendo propriè naturalem Filium Dei; quare nec anima eius vnita Verbo

D potest vi istius fictitiæ filiationis sibi necessariò vendicare ius aliquod naturale ad beatificam visionem à seipsa, vt sic vnita, per absolutam Dei potentiam inseparabile, & sic patet solutio ad primam confirmationem huius fundamenti.

V.

VI.

VII.

VIII.

Ad secundam eius confirmationem negatur, hæreditatem vitæ æternæ in Christo Domino fundari necessariò in aliqua eius generatione & filiatione, & huius negati veritas patet ex dictis ad præcedentem confirmationem. Negatur item præcisam rationem, propter quam Apostolus ibi appellat Christum Dominum *hæredem vniuersorum*, hanc esse quòd iam illum vocauerit filium ad hunc sensum, quòd hæc eius appellatio *hæredis* fundetur in illa eius appel-

I. lationefilij, sed præcisa ratio huius appellationis est, quòd per singulares, eásque multiplices excellentias Christi Domini auctoris noui Testamenti vellet ostendere excellentiam nouæ Legis suprà vetus testamentum, vt rectè sanctus Thomas obseruat, lectione primâ ad primum caput epistolæ ad Hebræos, & hunc terminum *hæres* eò loci apud Apostolum poni pro isto, *Dominus*, notat Estius ex sanctis Patribus ad istum locum Apostoli.

Ad illud Apostoli ad Galatas quarto, *Si filius & hæres*; Respondetur primò, non intelligi de Christo Domino, sed de puris hominibus per gratiam sanctificantem iustificatis, & in filios adoptiuos receptis, vt facilè patet, tam ex textu Græco ita habente, κληρονομος θεου διὰ Χριστου, *& hæres Dei per Christum*, quo significatur nos, ex merito Christi Domini, fieri adoptiuos Dei Filios, & hæredes vitæ æternæ: vnde præmittit Apostolus, *Misit Deus Filium factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem Filiorum Dei reciperemus.* & ita, si consideremus hanc consequentiam, *quod si filius, & hæres per Deum*, vt præcisè iacet apud Apostolum, nullo modo arguit, ideò præcisè Christum vt hominem habere visionem beatificam, *quia est naturalis Filius Dei*, cùm hæc consequentia Apostoli procedat tantùm de *diuina filiatione adoptiua*, vt fundamento æternæ vitæ à nobis obtinendæ, quæ adoptiua filiatio nullum vnquam habuit, nec habet locum in Christo Domino. Deinde, quia in sacris Litteris *esse hæredem bonorum Dei & cohæredes Christi Domini*, sumitur per analogiam ad esse hæredem bonorum paternorum in temporalibus. Nec potest dubitari de bonitate istius consequentiæ, *Quòd si filius & hæres*, cùm sit scripta dictante Spiritu sancto, quæ proinde si valeat in nobis, multò magis in Christo Domino, qui *personaliter* est naturalis Filius Dei, ideò

II.

III.

Respondetur, illam esse legitimam, sed duntaxat fundatâ in aliqua analogia ad ius gentium, in aliqua honestate & congruitate radicatum, non autem in aliquo iure naturali, vel iustitiæ, quasi ipsa successio in bonis paternis sit ex aliquo iure naturæ aut iustitiæ debito, reddenda naturalibus filiis parentum, quod tamen præsens obiectio solum vrget & intendit pro admittenda visione beatifica in anima Christi Domini, & nostra propositio solùm negat, sicque hoc argumentum Apostoli applicatum Christo Domino, nihil facit pro sententia contraria, sed probat tantùm tertiam partem nostræ propositionis:

IV. Si enim naturalis filiatio ex constitutione iuris Gentium fundat ius aliquod honestatis & decentiæ in filiis ad hæreditatem bonorum paternorum, & Deus per analogiam ad hanc iuris gentium dispositionem voluerit, vt qui essent filij eius tantùm adoptiui per gratiam, haberent ex honestate & decentia ius aliquod ad vitam æternæ hæreditatis possidendam, potiori iure voluit animam Christi, quia erat hypostaticè vnita Verbo diuino, suo naturali filio, habere ex speciali honestate & decentia singulare quoddam ius ad visionem beatificam.

Quòd verò hæreditas bonorum paternorum non debeatur filiis iure naturæ, provt ius naturale distinguitur à iure gentium, Iurisconsulti communiter docent, & pro ea re videri

A potest Gregorius Tholosanus tam libro quadragesimo-primo syntagmatum capite primo quàm libro quadragesimo quinto capite secundo, vbi etiam ex Platone libro primo de legibus docet, esse liberum parentibus morientibus dare res suas cuicumque voluerint, nisi ipsum ius gentium aliter prouidisset: & etiam iure duodecim tabularum, non omnes filios vocari ad legitimam successionem bonorum paternorum, sed eos qui nondum emancipati, adhuc erant in eorum potestate parentum tempore mortis illorum: qua etiam ratione ius successionis hæreditariæ filiorum ad bona parentum, varias & varias admittit exceptiones in nostra Gallia, pro varia & varia illius restrictione in his & istis regionibus recepta, quemadmodum praxis ostendit, & diuersæ locorum Consuetudines præscribunt. V.

B Ideò autem ius Gentium introducendo diuisionem rerum (cuius successio ad bona paterna est aliquis actus) voluit filios bonis à suo patre relictis succedere, quia erat valde congruum, vt qui naturaliter patrem suum referunt, & sunt aliqua eius pars, & semen ab eo decisum, illum etiam repræsentarent in possessione bonorum, & hoc tantùm sensu hæreditas, seu ius ad illam, dicitur fundari in generatione, quatenus id est valde congruum, non autem quòd generatio det filiis ius quoddam naturale propriè dictum pro adeunda hæreditate, cùm pro varietate prouinciarum videamus hæreditates & possessiones parentum, alio & alio etiam modo venire in potestatem filiorum, vt iam obseruauimus. VI.

Ad tertiam confirmationem petitam ab auctoritate sancti Chrysostomi, respondetur primò, sanctum Chrysostomum ibi sub hoc dominio non includere visionem beatificam, sed solummodò singularem aliquem principatum à Deo Patre collatum Christo Domino in totum mundum: hanc enim Apostoli particulam *(hæredem vniuersorum)* ita ibi explicat *hoc est totius mundi*, & sic hæc eius auctoritas non est ad rem, quia hîc solum agimus de visione beatifica. C VII.

Deinde respondetur, etiam si sanctus Chrysostomus ibi sub tali dominio comprehenderet visionem beatificam, adhuc tamen diceretur esse loquutus per analogiam ad ipsum ius, quod filij etiam legitimi in hac vita temporali acquirunt ad succedendum bonis suorum parentum, quatenus suppositâ congruitate à nobis superiùs explicata, ex aliqua tantùm necessitate imposita, scilicet legis per ius gentium introducta, succedunt illis, quamuis simpliciter & absolutè loquendo liberaliter & gratuitò: sic etiam quia Deus per mysterium Incarnationis fecit proprium sunum filium hominem, voluit quoad hoc ius hæreditatis homines imitari, vt quia enuntiatur in concreto, & per communicationem idiomatum est naturalis Filius Dei, habeat etiam vt homo ius ad hæreditandum bona eius, inter quæ præcipuum est visio beatifica, & facta tali hypothesi non potest ab eo auelli huiusmodi visio: quod sic explicatum, nihil obstat 2. primis partibus nostræ propositionis, cùm talis admissio ad visionem beatificam semper fiat ex gratuita eius voluntate simpliciter & absolutè loquendo, & non ex vi & efficacia vnionis hypostaticæ purè & simpliciter spectatæ, sicque confirmat potiùs tertiam partem D VIII.

I. nostræ propositionis, quàm præcedentem opinionem stabiliat.

Secundum fundamentum repetitur ex Actibus Apostolicis capite 2. vbi sanctus Petrus ita loquitur de Christo Domino, *quia & Dominum eum & Christum fecit Deus*, hunc Iesum; id est, Deus vniendo humanitatem, quam habet Iesus, personalitati Verbi diuini, fecit illum simul Deum, & Dominum: ergo iuxta sanctum Petrum ibi, quemadmodum vi vnionis hypostaticæ hic homo Iesus habet vt sit Deus, quia vi illius habet formaliter naturam diuinam, ita etiam iuxta sanctum Petrum habet vi eiusdem vnionis vt sit Dominus: at dominium Christi Domini præcipuè attenditur penes visionem beatificam, (hæc enim est omnium bonorum creatorum præcipuum:) igitur Christus Dominus habet visionem beatificam vi vnionis hypostaticæ, etiam quocumque alio præciso, & proinde iure quodam naturali, aut quasi naturali. II.

Respondetur, hanc particulam *Dominum*, non significare ibi aliquod dominium speciale & distinctum à proprio dominio sanctissimæ Trinitatis, quasi sanctus Petrus ibi loquatur de aliquo dominio humanitati Christi Domini concesso vi vnionis hypostaticæ, sed prædicta illa particula significat ibi ipsammet diuinitatem, vt sit sensus, Deum vniuisse diuinitatem humanitati in vno & eodem Verbi diuini supposito, & sic Deum fecisse *hunc Iesum Deum & hominem*, quemadmodum rectè explicat sanctus Cyrillus libro nono thesauri capite tertio, & facilè colligitur ex antecedentibus, ibi enim de Domino Iesu exponit illud Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis*, qui locus etiam Domino insinuante sancti Matthæi 22. intelligitur de diuinitate Christi Domini, sicque communiter explicatur à Patribus agentibus contra Arianos. Deinde etiamsi locus ille intelligeretur de aliquo speciali dominio concesso humanitati, adhuc tamen non obstaret nostræ propositioni, quia rectè possumus intelligere Deum vniendo humanitatem, quam habet Iesus, personalitati Verbi diuini, fecisse illum & Dominum simul, quatenus eodem instanti, quo fecit hanc vnionem, eodem etiam, non tamen eadem formali ratione, eum constituit speciali titulo Dominum vniuersorum. III.

Tertium fundamentum. Filius in eo distinguitur à seruo, quòd filius habeat communicationem bonorum patris, seruus autem minimè. Item filius adoptiuus à naturali & proprio, quòd hic iure suæ generationis & processionis à patre accipiat communicationem bonorum patris, ille verò ex solo affectu & gratuita liberalitate adoptantis: atqui Christus Dominus vt homo non est propriè seruus Dei, nec filius eius adoptiuus: ergo Christus Dominus vt homo debet iure filiationis suæ naturalis habere communicationem bonorum patris sui diuini. Ergo & visionem beatificam iure naturali sibi vendicat, & non ex liberalitate patris, cùm etiam ex tali affectu possit facere communicationem huiusmodi suorum bonorum alicui, qui purè & simpliciter sit eius seruus, vel saltem filius eius per adoptionem. IV.

Negatur filium naturalem in eo distingui à seruo, vel ab adoptiuo, quòd iste vi suæ naturalis processionis habeat ipso iure naturali aliquod ius naturale propriè sumptum ad communicandum bonis suorum parentum, vt suprà ostendimus, sed penes id quod naturalis filius ex maxima congruitate fundata in eius generatione à suo patre habeat ab hominum institutione, nimirum ipso iure gentium, nullo sibi superaddito, aliquod ius ad bona parentum, quòdque nunquam sit extraneus à suo patre, cùm sit aliqua pars eius, & semen ab eo decisum: at seruus & filius adoptiuus in tantum ius habent ad bona patris, quantum ex pura sua liberalitate vult pater & dominus eis concedere, quia ius gentium illum ad aliquid eis impertiendum non obligauit, sed eius libertati reliquit. Deinde filius naturalis in eo distinguitur ab adoptiuo, quòd hic etiam adoptione iam completa semper maneat de facto extraneus illum adoptanti, cùm sit tantùm eius filius secundùm affectum, quatenus illum habet loco filij naturalis: at naturalis & proprius nunquam potest esse re ipsa extraneus suo patri, cùm sit semper aliqua eius pars, & de eius substantia processerit. V. VI.

Quartum fundamentum est. Christus Dominus vt homo, præcisè subsistens personalitate Verbi diuini, & omni gratia habituali secluſa ab illo, habet vt possit exercere actiones valoris infiniti, & tantùm promereri, imò longè amplius quàm quilibet purus homo cum habituali gratia quantumuis magna, quia gratia vnionis *in genere moris*, & æstimationis est longè potentior, quàm sit quæcumque gratia habitualis: atqui homo informatus gratia habituali habet ius ex iustitia ad vitam æternam, seu visionem beatificam, & hæc ei vt informato hac gratia debetur ex debito iustitiæ: hinc enim visio beatifica passim in sacris Litteris vocatur *merces*, & Apostolus illam expectans à Christo dicit *eum tanquam iustum iudicem illam sibi redditurum*, qui termini, *Iudex*, *reddere*, important debitum iustitiæ: igitur Christus Dominus vt homo habet etiam ex iustitia ius ad visionem beatificam. VII.

Respondetur, Maiorem esse veram, vt patet ex iis quæ primâ quæstione tradidimus: negamus tamen sequi huiusmodi opera sic præcisè spectata esse de facto meritoria defectu pacti, tunc enim habent tantùm condignitatem, imò & aliquem eius excessum ad bona creata, quæ Deus potest nobis conferre, & habitualis gratia ita est in nobis principium meriti; vt tamen postulet pactum Dei de hoc & illo dando propter tale bonum opus, qua conditione posita Christus Dominus viator potuisset mereri de condigno per actus suos liberos, cum sola gratia vnionis, vt ad quæstionem septimam ostendimus. VIII.

Articvlvs V.

Quo tempore vitæ suæ mortalis Christus Dominus acceperit visionem.

Sensvs articuli est, an anima Christi Domini habuerit visionem beatificam à primo instanti suæ conceptionis, an alio tantùm tempore sequenti: pro qua re sit hæc

Propositio. *Intellectus animæ Christi Domini, à primo instanti conceptionis Christi Domini, vidit clarè & intuitiuè diuinam essentiam.* Ita sanctus Thomas infrà quæstione 34. articulo 4. & communiter Theologi locis articulo primo præsen-

I. tis disputationis citatis & probatur expressa auctoritate Eusebij relata superiùs artic. 1. & testimonia sacræ Scripturæ possunt etiam rectè accommodari præsenti propositioni, cùm rationes in illis fundatæ tam bene habeant suam vim pro primo instanti conceptionis Christi Domini, quàm pro quouis alio tempore suæ vitæ mortalis: nam Christus Dominus personaliter enuntiatus, tam bene & propriè primo illo instanti fuit naturalis Filius Dei, caput hominum & Angelorum, habuit etiam gratiam habitualem sibi infusam, quàm quouis alio tempore sequenti illam retinuit, nec vlla potest fingi ratio legitima differendi collationem visionis beatificæ in aliud sequens tempus: igitur illam de facto habuit à primo illo instanti suæ conceptionis.

Antecedés probatur, si quæ esset talis ratio, vel esset ex parte Christi Domini, scilicet *visu rationis* nondum expeditus pro tali instanti, vel etiam II. B impeditus ab ipso eius corpore, vel ex conditione suæ mortalitatis, vel ex parte nostri, quatenus hoc impediuisset nostram redemptionem, vt faciendam ab illo per acerbissimam passionem, & actus meritorios valdè laboriosos, vel quòd eius gratia sanctificans, cui ipsum lumen & visio beatifica proportionantur, nondum erat in suo termino, nec tota consummata: vel denique quòd filius nihil habeat in bonis paternis de facto & reipsa iure hæreditario, nisi post mortem Patris. At nihil istorum sufficit, vt asseramus visionem beatificam fuisse dilatam in aliud tempus à primo instanti conceptionis Christi Domini: non primum, quia ad quæst. 7. ostendimus eum adhuc existentem in vtero matris fuisse vocatum *virum* in sacris Litteris, eo quòd iuxta Patres habuerit vsum rationis expeditum à primo instanti III. C suæ conceptionis. Adde quod actus visionis beatificæ est independens ab ipso corpore, quippe qui non fit per aliquam conuersionem ad phantasmata, vt patet in animabus beatis nondum reunitis suis corporibus. Secundò item non sufficit, quia art. 2. huius disputat. ostendimus summum gaudium de diuina essentia clarè visa, & summam tristitiam de propria morte, potuisse simul & semel esse in Christo Domino, eum duas habuisse cognitiones, *vnam comprehensoris, alteram viatoris*, secundùm hanc potuisse, imò & de facto nos redemisse patiendo. Similiter tertium non sufficit, quia ad præcedentem quæst. 7. disp. 7. art. 7. docuimus gratiâ sanctificante fuisse infusam animæ Christi D. primo instanti suæ conceptionis, totam perfectam & consummatam, itavt posteà nullum acceperit incrementum. Quartum denique non sufficit, hæc enim IV. conditio requiritur tantùm in hominibus, ex eo D quòd quandiu viuunt hac vitâ mortali possunt mutare voluntatem: vnde sicut testamentum non valet ante mortem testatoris, quia voluntas eius quandiu viuit censetur esse deambulatoria, ita etiam communiter non datur locus hæreditati nisi, post decessum Patris, quo censetur omnimodè reliquisse dominium rerum suarum: at ipsa voluntas Dei Patris est maximè firma & immutabilis. Adde quòd ipsa mors parentum non est aliqua conditio simpliciter & absolutè necessaria ad hoc, vt filius sit hæres illorum: fit enim aliquando vt parentes adhuc maximè pleni vita diuidant bona sua filiis, conferant singulis legitimam illorum portionem, totúmque suum ius in illos transferant, vt docet experientia: ergo cùm visio beatifica sit à Deo Patre ita A Christo Domino constituta nobilior pars hæreditatis eius, vt tamen sit omninò distincta ab increata cognitione diuini intellectus, & Deus ipse eam conferendo animæ Christi Domini non abdicet à se supremum illud & sibi soli proprium dominium quod habet in eam, sed tantùm conferat aliquam eius proprietatem compossibilem tali supremo dominio, fit vt rectè intelligamus animam Christi Domini re ipsa adiisse hanc hæreditatem à primo illo instanti conceptionis Christi Domini, licèt Pater eius non sit mortuus, nec sit vnquam moriturus. V.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm sit de fide Christum adhuc mortalem habuisse beatificam visionem.

CANVS lib. 12. de locis Theologicis cap. 13. propendet in eam partem, vt sit de fide animam Christi Domini ante tempus mortis eius habuisse visionem beatificam: Aluares & Cabrera ad præsentem quæst. S. Thomæ art. 2. affirmant esse absolutè de fide, ob auctoritates sacræ Scripturæ & Patrum, tum etiam propter communem consensum Theologorum in illam. His tamen non obstantibus sit hęc nostra propositio. Licèt sit temerarium negare animam Christi D. vidisse clarè & intuitiuè diuinam essentiam tempore vitæ suæ mortalis, non est tamen contra fidem. Ita plerique recentiorum ad præsentem quæstionem sancti Thomæ, & lib. tertio sententiarum distinctione 14. Prior pars probatur, quia opposita sententia est contra communem consensum Theologorum, non quemcumque, sed fundatum in sacris Litteris, & aliquibus Patribus, quibus contradicere in re tam grani est temerarium. VI. VII.

Posterior item pars probatur, quia nullus expressus seu apertus locus sacræ Scripturæ, nulla Concilij definitio, nulla sufficiens Patrum traditio, vel Theologorum consensus vt in rem de fide potest afferri pro nostra sententia: non aliquis locus sacræ Scripturæ, qui enim sunt allati à nobis, quique videntur esse vrgentiores, faciunt illam solummodò valdè probabilem. Nam quantum spectat ad illud sancti Ioannis primo, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*: plures ex Patribus ibi nomine *gloriæ* non intelligunt visionem beatificam, sicut nos exponimus, sed alij gloriam illam in qua Christus Dominus in sua Transfiguratione visus est ab ipso sancto Ioanne, cuius est hoc testimonium, & à sanctis Petro & Iacobo, ad id à Christo Domino assumptis, sancti Matthæi decimo- VIII. septimo capite: id enim quod sanctus Petrus secundâ sua canonica ait, *Christum tunc accepisse honorem, & gloriam à Deo Patre*, rectè potest intelligi de splendore illo quem Christus Dominus tunc habuit cum reliquis dotibus corporis glorioſi: vnde cum sanctus Ioannes & alij duo nominati Apostoli interfuerint huic mysterio, & audiuerint vocem Patris diuinam asserentem Christum esse proprium & naturalem suum Filium, verè scribit, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*. Alij verò Patres, vt sanctus Chrysost. homil. 12. in Ioannem, ibi intelligunt nomine *gloriæ* omnia tam miracula quàm mysteria, quibus ipsa diuinitas Christi Domini fuit comprobata, quæ tantæ fuerunt dignitatis & excellentiæ, quantæ ea decebat esse, vt demon-

I. strarent Iesum esse verum & naturalem Filium Dei, quibus omnibus maxima ex parte tam ipse sanctus Ioannes Euangelista, quàm alij Apostoli præsentes interfuerunt.

Nec obstat, quòd vnus idémque locus sacræ Scripturæ admittat aliquando plures sensus litterales: nam id non asseritur à Theologis de omnibus & singulis locis, sed tantùm de aliquibus, de quorum numero hunc esse, non est certum certitudine fidei; & quando id constaret, adhuc tamen non constaret nostram expositionem esse vnam ex illis pluribus, cùm plenitudo illa veritatis, in qua sanctus Ioannes ibi præponit Christum Moysi, rectè explicetur à Patribus de ea veritate quæ opponitur mendacio; & rectè possumus intelligere hunc esse sensum Euangelistæ extollentis Christum nostrum Legislatorem, suprà Moysem legis antiquæ auctorem, quòd ille impleuerit figuras veteris Testamenti, contulerit singularem gratiam in illis adumbratam & promissam, quòd in ore eius nullum vnquam fuerit mendacium, quæ omnia possunt intelligi esse vera, absque eo quòd cognitio beatifica asseratur fuisse in anima Christi Domini adhuc viatoris.

II. Alter etiam locus non facit nostram propositionem esse de fide: nam verba illa, *vbi ego sum*, possunt salua fide explicari de Christo Domino secundùm naturam diuinam, quatenus Christus homo orat vt sui ministri seu discipuli sint ibi, vbi tam ille habitat secúdùm diuinam naturam. Rationes autem illæ quas attulimus, aut quæ possunt afferri, sunt tantùm probabiles, imò etiam si essent demonstratiuæ, quia tamen fides non nititur rationibus tanquam fundamento, sed reuelatione Dei, non facerent nostram sententiam de fide.

III.

DISPVTATIO III.

De scientia infusa, & acquisita, Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Christus Dominus habuerit scientiam infusam seu inditam.

IV. NOMINE scientiæ infusæ, seu inditæ, intelligunt Theologi hoc loco cognitionem illam, quæ per species à Deo infusas fit extra essentiã diuinam, qua res ipsæ cognoscuntur *in proprio genere*, seu in propria sua natura, quæque cognitio non potest ab intellectu comparari humanã industriã: quam cognitionem alio nomine hîc & primâ parte quæstione duodecimâ, & quæstione quinquagesima octauâ, vocant *vespertinam*.

Hoc præmisso duæ sunt de re proposita sententiæ, quarum negans tribuitur Scoto libro tertio sententiarum, distinctione decima-quartâ, quæstione tertia, Durando ibidem, & nonnullis aliis.

Verùm melior nobis videtur sententia affirmans, pro qua sit hæc nostra prima propositio. *Præter cognitionem beatificã fuit in intellectu animæ Christi Domini scientia per se infusa.* Ita sanctus Thomas hîc art. 3. & eius Interpretes, item Scholastici communiter lib. 3. sentent. distinct. 14. Hæc conclusio probatur à nonnullis aliquot Scripturæ testimoniis, vt Isaiæ 7. *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Item sancti Ioannis septimo, *Mirabantur Iudæi dicentes, quomodo hîc litteras scit, cùm non didicerit eas.* ad Hebræos septimo: sed hæc & alia possunt rectè intelligi de alia scientia distincta ab infusa per se, sicque non satis efficaciter probant nostram propositionem. A V.

Probatur igitur ratione. Quicquid ex parte animæ pertinet ad rationem comprehensoris seu Beati, & caret repugnantia ad finem & substantiam mysterij Incarnationis, illud fuit etiam in Christo Domino mortali, quia Christus Dominus pro eo statu fuit simul & semel *viator & comprehensor*, vt suprà docuimus: atqui ad perfectionem & rationem comprehensoris pertinet habere scientiam per se infusam, qua cognoscat in *proprio genere*, non tantùm res naturales, sed etiam aliquas supernaturales, & hæc scientia caret omni repugnantia ad substantiam & finem incarnationis: igitur scientia infusa per se fuit in Christo Domino adhuc mortali. Maior patet, quia Christus Dominus vt comprehensor non est deterioris conditionis quàm sunt animæ Beatorum. Minor quoad posteriorem partem patet ex eo, quòd nulla ratio repugnantiæ potest afferri inter scientiam per se infusam, & substantiam, & finem incarnationis, cùm sit perfectio sine imperfectione, secum patiatur mortalitatem hominis, nec opponatur subsistentiæ alienæ. B VI.

Probatur item quoad priorem partem. Primùm, auctoritate sancti Augustini libro vndecimo de ciuitate Dei, capite septimo, & aliis locis, quos fusiùs referunt Theologi primâ, parte quæstione duodecimâ, & quæstione quinquagesima octauâ, qui vnanimi consensu distinguunt in Beatis duplicem cognitionem, *vnam matutinam, alteram vespertinam*; hanc esse infusam per se, illam esse beatificam, communior & verior Scholasticorum sententia docet ibi etiam ex mente sancti Augustini. C VII.

Deinde probatur ratione. Inter conditiones Beati ex parte animæ hæc etiam annumeratur, vt non sit subiectus corpori, nec ab eo dependeat: ergo debet Beatus posse intelligere sine conuersione ad phantasmata, & sine speciebus dependentibus ab ipso suo corpore: atqui ad hoc species à Deo infusæ requiruntur, quia omnis cognitio sit vel per species, vel per aliquid supplens illas, vt docent Philosophi libris de anima, quòd nullomodò potest hîc assignari: igitur debet talis cognitio fieri per species infusas, & proinde hæc cognitio in Beatis est infusa per se. D VIII.

Et quoniam posset responderi hanc rationem tantùm probare dari in Beatis scientiam *per accidens infusam*, quam prima sententia admittit fuisse in Christo Domino adhuc mortali: ideò probatur de scientia per se infusa: animæ beatæ cognoscunt extra Verbum *in proprio genere*, id est, *per species representatiuas*, substantias spirituales, item modum illum substantialem quo, tanquam termino formali, humanitas Christi Domini est vnita Verbo hypostaticè, item lumen gloriæ & alias qualitates supernaturales secundùm entitatem, quæ sunt in aliis Beatis: sed hæc & alia similia nõ possunt cognoscere extra Ver-

I. bum per scientiam tãtùm infusam per accidens, quia hæc solùm sese extendit ad ea quæ possunt deduci ex sensibilibus: ergo debent illa cognoscere per scientiam per se infusam, & proinde datur de facto in Beatis scientia per se infusa: ergo & fuit in Christo Domino adhuc mortali. Minor satis patet per se. Maior probatur: potentia intellectiua Beati tam obedientialis, quàm naturalis debet secundùm exigentiam & perfectionem sui status reduci ad actum: atqui intellectus Beati, qualis erat intellectus animæ Christi Domini adhuc mortalis, habet potentiam & capacitatem, non tantùm naturalem ad cognoscendas res supernaturales, quoad substantiam & ordinem, & status eius vtpote perfectus exigit, vt cognoscat aliquas saltem illarum, non tantùm in essentia diuina, sed etiam in proprio suo genere: tum quia Beati extra visionem beatificam possunt de illis colloqui: tum quia quilibet honestus appetitus debet satiari in patria: at Beatus aliquis potest honestè appetere cognoscere lumen gloriæ, gratiam sanctificantem, & alias eiusmodi qualitates in suo proprio genere, provt exornant animam, & eam corroborant ad operandum: & cùm modus iste cognoscendi dicat aliquam perfectionem distinctam ab eo modo, quo videntur in Verbo, licèt inferiorem, sit vt intellectus Beati non desinat appetere cognitionem rerum istarum modo illo distincto.

II. A B

Atque iuxta hunc modum argumentandi potest explicari ratio, quâ S. Thomas hîc articulo 3. probat nostram propositionem, reducendo illam ad hanc formam: quælibet potentia debet reduci ad actum, iuxta exigentiam sui status, & sibi postulat omne quod est sibi necessarium: atqui intellectus animæ Christi Domini adhuc existentis in corpore mortali est potentia, cuius status est beatitudo, quæ postulat vt intellectus extra diuinam essentiam circa res in proprio suo genere cognoscendas, reducatur ad actum independenter à corpore, & phantasmatibus, ad quam cognitionem tali modo subeundam species obiectorum per se infusæ sunt necessariæ: ergo intellectus animæ Christi Domini, dum existeret in corpore mortali extra claram visionem diuinæ essentiæ, cognoscebat res ad quarum cognoscendarum actum reducebatur independenter à corpore & phantasmatibus, scilicet per species infusas per se: ergo tunc habebat scientiam infusam per se. Consequentia patet, quia talis est scientia, qualis est modus sub quo tendit in obiectum: ergo scientia, qua tendit in obiectum, vt repræsentatum per species infusas per se, erit scientia infusa per se. Singulæ partes Minoris satis probantur ex iis quæ habet S. Thomas citato articulo 3. vt, quòd aliàs talis potentia diceret imperfectionem, cùm non posset consequi quod postulat ex ipsa sua conditione; item quòd propter talem necessitatem Theologi admittant in Angelis species infusas ad formandam cognitionem.

III. C

IV. D

Secunda propositio: *Intellectus animæ Christi Domini accepit scientiam infusam per se statim à primo instanti suæ conceptionis.* Ita communiter Scholastici pro prima nostra propositione citati. Probatur iis omnibus rationibus, quibus suprà ostendimus animam Christi Domini accepisse gratiam & visionem beatificam statim à primo instanti conceptionis Christi Domini: nam sanctus Paulus ad Colossenses cap. 2. ait, *Omnes thesauros sapientiæ & scientiæ fuisse in Christo*: cuius rei rationem hanc reddit, *quia in ipso habitat plenitudo diuinitatis.* Ergo cùm hæc plenitudo fuerit in illo à primo instanti suæ conceptionis, & Apostolus ibi dicat omnes thesauros sapientiæ & scientiæ, nullo excepto, fuisse in Christo Domino, & hæc scientia per se infusa sit aliquis thesaurus scientiæ, fuit etiam in intellectu animæ Christi Domini à primo illo instanti. Deinde hæc scientia sequitur ad beatitudinem animæ, tanquam aliquod eius consectarium, complens potentialitatem intellectus creati, vt explicatum est superiùs: atqui intellectus animæ Christi Domini fuit statim à primo illo instanti beatus, vt ostendimus suprà: ergo & statim à primo illo instanti habuit scientiam per se infusam.

V.

Quæres, quàm sit certa hæc vtraque præsentis articuli propositio. Respondetur, si nomen scientiæ per se infusæ sumatur *stricte*, provt à nobis hîc sumitur, propositiones oppositas nostris nec esse contra fidem, nec erroneas, nec temerarias, sed tantùm falsas: quòd si nomen scientiæ infusæ sumatur *in ampliori significatione*, pro aliqua scientia distincta à visione beatifica, quæ tamen sit infusa, abstrahendo ab infusa per se & per accidens, tunc respondemus propositiones oppositas nostris esse ad minùs erroneas.

VI.

Prior pars responsionis probatur: nullus potest asserri apertus locus Scripturæ sacræ, nulla Concilij definitio, nulla Ecclesiæ traditio, quæ doceat nostras propositiones esse de fide, nec authores contrariæ sententiæ arguuntur ab aliis Scholasticis, vel hæresis, vel erroris, vel etiam temeritatis.

VII.

Posterior item pars eiusdem responsionis patet ex citatis sacræ Scripturæ locis, & Patrum authoritatibus suprà, tam pro donis Spiritus sancti infusis animæ Christi Domini, quàm pro cognitione creata existente in intellectu animæ Christi Domini adhuc inclusi in vtero materno: vt Isaiæ 11. vbi *Spiritus sapientiæ, scientiæ & intellectus* super eum iam conceptum dicitur *requiescere*: quod idem est ac ipsa eiusmodi dona tunc ei fuisse infusa: item Isaiæ 7. dicitur, *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: id est iuxta expositionem sancti Hieronymi ibi, eo tempore quo more paruuli butyrum & mel comedet, sciet etiam reprobare malum, & eligere bonum: hæc enim particula, *vt*, ibi non significat causam finalem, sed solummodò designat *euentum rei*: & aliis similibus sacræ Scripturæ locis aliqua scientiæ infusio facta animæ Christi Domini ita exprimitur, aut saltem deducitur euidenter ex illis, vt authoritas & communis Patrum expositio, ita eos explicantium, vel sit deneganda, vel aliqua scientia infusa sit admittenda in Christo Domino.

VIII.

ARTICVLVS II.

Argumenta contraria sententiæ soluuntur.

PRIMVM & potissimum fundamentum contrariæ sententiæ est, quòd vel illa scientia requireretur propter quædam obiecta quæ intellectus animæ Christi Domini per aliam scientiam nescit, vel propter capacitatem eius, tam naturalem, quàm obedientialem, quæ vt expleatur postulat hanc scientiam: at ex neutro capite requiritur: non ex primo, quia intellectus animæ

I. Christi Domini per scientiam beatam, & per naturalem, seu infusam ei per accidens, nouit omnia quæ pertinent ad suum statum: per primam quidem, quia hoc est commune omnibus Beatis, vt docent omnes Theologi primâ parte: per secundam verò, saltem quæ spectabant ad ordinem naturæ, secundùm quem Christus Dominus fuit perfectissimus.

Nec est quòd quis dicat, Christum Dominum debuisse mereri, item scire mysteria fidei, quæ nobis tradidit, quę cùm naturaliter sciri nequeat, postulant in illo aliquam scientiam per se infusam, & visionem beatificam non esse sufficientem, quæ, in genere cognitionis supponatur ad meritum, cùm cognitio sicut & meritum debeat esse actus viatoris in ipso merente: non est, inquam, quòd quis hoc respondeat; nam primò Christus Dominus potuit mereri per actus liberos præsupponentes tantùm cognitionem naturalem. Deinde ratio meriti sumpta præcisè non fundatur in cognitione, sed in bonitate, & libertate actionis, & cognitio obiecti præsupponitur tantùm velut quædam conditio antecedens meritum, ne scilicet voluntas feratur in incognitum: ergo beata cognitio poterit quoad hoc esse sufficiens creatæ voluntati.

II.

Nec obstat, quòd hæc cognitio sit ab intellectu Christi Domini, vt beato, & non vt viatore: nam sicut in diuinis ad intra, vt Filius spiret Spiritum sanctum *volitione notionali*, non requiritur vt *notionalis cognitio* ei correspondens sit à Filio, & in Filio, tanquam à principio & in principio dicente, seu *cognoscente notionaliter*, sed sufficit, quòd sit in Patre, quia sic voluntas diuina, quæ est eadem in Patre & Filio, non fertur in incognitum; ita etiam quia in præsenti difficultate est

III. idem intellectus, cognitio beatifica erit sufficiens, vt voluntas eiusdem Christi Domini eliciat actum meritorium, nec requiretur vt talis cognitio præsupposita ad illam sit à tali intellectu, vt viatore.

Quod etiam scientia per se infusa non requiratur in intellectu animæ Christi Domini ex 2. capite, seu ad explendam eius capacitatem, patet, quia illa est tantùm duplex, *naturalis* scilicet, & *obedientialis*. Posterior expletur per visionem beatificam, iuxta illud Psalmistæ Psalmo 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*. Prior verò per scientiam infusam per accidens, seu per eas scientias quæ possunt acquiri humanâ industriâ, quas tamen Deus infudit animæ Christi Domini.

IV. Respondetur, *obiecta scita* posse duobus modis considerari. Primò, *secundum multitudinem*, deinde, *iuxta modum quo percipiuntur*: idem enim obiectum potest percipi, distinctis etiam specie cognitionibus: verbi gratiâ, *medio probabili*, & *demonstratiuo*: scientia infusa per se non fuit necessaria intellectui animæ Christi Domini, propter multitudinem & numerum obiectorum, seu scibilium, si comparatio fiat ad scientiam beatam animæ Christi Domini, quasi aliquid per eam cognouerit quod per cognitionem beatificam non videret in essentia Dei; sed fuit requisita in illo ad cognoscendum ipsa obiecta alio modo, nimirum in proprio suo genere: nam creaturæ videntur in essentia diuina, *vt in alio cognito*, & per intellectum corroboratum lumine gloriæ; per scientiam verò infusam per se, non in alio, tanquam medio cognito, sed *per species acceptas à Deo, & in seipsis* cognoscuntur: quòd si scientia infusa per se comparetur

A cum scientia acquisita, seu quæ potest acquiri humanâ industriâ, respondetur illam non requiri propter multitudinem obiectorum. V.

Ad id verò quod obiicitur de merito, respondetur, esse quidem verum hanc scientiam non fuisse absolutè & simpliciter necessariam animæ Christi Domini ad merendum, sed in eo admitti, quia etiam de facto meruit per aliquos actus liberos præsupponentes hanc cognitionem: exempli causâ, quando cognitis aliorum cogitationibus, operabatur aliquod bonum.

Ad confirmationem ibi allatam negatur cognitionem beatificam sufficere ad meritum respectu voluntatis illustrandæ & dirigendæ ad actum liberum, quia cognitio & volitio respectu eiusdem obiecti debent esse eiusdem ordinis, vt sic proportio seruetur inter illa. Deinde cognitio præsupposita ad merendum debet esse aliquo

B modo libera, quâ debet manifestare obiectum VI. voluntati cum aliqua indifferentia, quæ sit radix libertatis in ipsa actione libera: vnde satis communiter dicunt radicem libertatis esse in intellectu: at neutra conditio reperitur in cognitione beatifica. Non posterior, quia est omninò & absolutè necessaria respectu quorumcunque obiectorum, vt omnes Theologi docent primâ parte. Prior etiam conditio non reperitur, quia licèt tam ipsa visio beatifica, quàm actus meritorius voluntatis sint ordinis supernaturalis, attamen quatenus ordo ille habet aliquam latitudinem & gradus quosdam genericos & specificos, quemadmodum etiam reperitur in rebus ordinis merè naturalis, non sunt eiusdem conditionis, nec aliquam seruant inter se proportionem requisitam in ratione *dirigentis & directi*, cùm illa sit alterius ordinis, vtpote essentialiter pertinens ad rationem beatitudinis, actus verò meri-

C torius voluntatis minimè. Vnde intelligitur dis- VII. parem esse longè rationem exempli ibi allati de cognitione *notionali* existente in solo Patre diuino, & de volitione *notionali* existente in Patre & Filio; hæc enim sunt ambo *notionalia*, & quoad hoc, eiusdem omninò rationis, & habitudinis.

Ad alteram partem eiusdem argumenti respondetur, intellectum animæ Christi Domini fuisse completum quoad vtramque capacitatem, per scientiam infusam per se, *quoad obedientialem*, quatenus alio nouo modo sciebat, quæ nouerat scientiâ visionis, quoad capacitatem *etiam naturalem*, quia hoc est debitum intellectui beato, qualis erat intellectus animæ Christi Domini, vt intelligat independenter à phantasmatibus, & à corpore, vt suprà docuimus.

Secundum fundamentum est: vbi repugnat VIII. D poni actum respondentem cognitioni habituali, ibi talis cognitio habitualis non debet admitti, quia habitus cognoscitiui sunt propter actualem cognitionem: atqui repugnat aliquam actualem cognitionem, distinctam à beata, poni in intellectu beato animæ Christi Domini; tum quia hoc nequit fieri sine interruptione visionis beatificæ, quæ tamen est inuariabilis, & absque interruptione, vt ostendunt Theologi primâ parte, quæstione duodecimâ.

Respondetur, concessâ Maiore, Minor negatur; ad cuius probationem negatur, beatum intellectum debere interrumpere actum visionis suæ beatificæ, vt exerceat actum huius scientiæ; sanctus enim Augustinus suprà, & Scholastici primâ parte, quæstione duodecimâ, & quæstione 58. admittunt hanc vtramque scientiam in

I. Beatis, & virtus intellectus est satis potens, vt simul & semel sese extendat ad vtrumque obiectum huius vtriusque scientiæ, quemadmodum ibi tradunt Theologi.

Tertium fundamentum est: lumen maius offuscat minus: ergo beata cognitio, quæ importat maius lumen, offuscabit, seu impediet cognitionem per se infusam, quæ est lumen aliquod minus.

Respondet sanctus Thomas hac quæstione, articulo primo in solutione ad secundum, tunc *maius lumen offuscare minus*, quando ista duo lumina ita se habent, vt vtrumque illorum sit eiusdem ordinis: at quando sunt diuersi, minimè, quomodo sese habent visio beatifica, & hæc scientia.

Quartum fundamentum est. Actualis intellectio est vltimus terminus potentiæ intellectiuæ: II. ergo sicut repugnat idem numero corpus simul & semel terminari pluribus terminis, ita etiam repugnabit eundem intellectum simul & semel habere cognitionem beatificam actualem, & actualem cognitionem infusam per se.

Respondetur, tunc rem aliquam vno termino terminatam non posse amplius terminari, quando *adæquatè & totaliter* terminatur per illum terminum: quando verò terminatur tantùm *inadæquatè*, posse vlteriùs terminari: at actualis intellectio beatifica tantùm terminat potentiam intellectiuam animæ beatæ Christi Domini secundùm vnam actiuitatem & obedientialem suam potentiam, vt lumine gloriæ corroboratam, scientia verò per se infusa secundùm aliam actiuitatem eiusdem intellectus, scilicet extra Verbum diuinum.

III. ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus Dominus habuerit aliquam scientiam acquisitam.

NOTANDVM primò, nomen *scientiæ acquisitæ* posse sumi duobus modis: Primò, pro *habitu intellectuali*, siue speculatiuo, siue practico, qui est cognoscitiuus earum rerum quæ pertinent ad naturalem perfectionem nostri intellectus, qui paulatim potest nostris actibus comparari per lumen naturale nostri intellectus, & species acceptas à sensibus: vnde nomine talis scientiæ intelliguntur *omnes virtutes intellectuales ordinis omninò naturalis*: verbi gratiâ, habitus principiorum, sapientia, scientia: item prudentia ad agibilia, & ars ad factibilia. Secundò, idem nomen scientiæ acquisitæ potest IV. sumi pro *iudicio quodam orto ex sensibus*, siue interioribus, siue exterioribus, vt quando gustato melle iudicamus illud esse dulce, quod tamen anteà noueramus, vel per rationem, vel per instructionem ab alio acceptam de hac re, vel per notitiam huius rei anteà nobis infusam: quæ scientia ad distinctionem prioris vocatur à Theologis *experimentalis*, quatenus per illam experimur quod anteà probè quidem noueramus, sed quasi solùm *speculatiuè*, & non *aliquo experimento*. Hic agitur de scientia acquisita, iuxta priorem modum, & quæritur an fuerit in intellectu animæ Christi Domini: nam quod spectat ad modum quo Christus Dominus illam habuit, dicetur infrà quæstione 12.

Aliqui partem negantem sequuntur: melior tamen nobis videtur affirmans, pro qua sit hæc

A nostra propositio. *In anima Christi Domini, etiam adhuc viatoris, omnes scientiæ naturales*, id est quæ naturâ suâ possunt humanâ industriâ acquiri, fuerunt. Ita communiter omnes Scholastici tam hîc, quàm libro tertio sententiarum, distinctione 14. & probatur primò ex illo sancti Pauli ad Colossenses secundo capite dicentis de Christo Domino, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*. Quo loci Apostolus vtendo hac particulâ, *omnes thesauri*, significat totam multitudinem omnium scientiarum fuisse reconditam in Christo Domino, & proinde illum habuisse omnes virtutes intellectuales, & habitus ad perfectionem vtriusque cognitionis intellectiuæ, tam practicæ, quàm speculatiuæ conducentes. V.

Neque respondeti potest, locum hunc intelligi de scientia Christi Domini, vt est Deus, quemadmodum aliqui Patrum locum illum exB plicant, & videtur esse verus sensus ex hac ratione eiusdem Apostoli ibidem addita, *Quia in ipso inhabitat omne plenitudo diuinitatis corporaliter*: licèt enim iste sensus sit verus & legitimus, nostrum tamen non destruit, cùm locus ille possit etiam accommodari humanæ scientiæ animæ Christi Domini, quatenus ratione vnionis hypostaticæ, & ad illam cohonestandam, Deus voluit etiam animam Christi Domini habere omnes scientias naturales, seu quæ naturâ suâ possunt per industriam humanam acquiri ab aliquo homine: quem sensum Lyranus & alij plures etiam ex recentioribus ad illum locum Apostoli admittunt. VI.

Probatur secundò, ex eo quòd Christus Dominus passim in Euangelio desumat similitudines à rebus naturalibus, vt sancti Matthæi decimo-tertio capite à grano sinapi: sancti Matthæi C 24. *Ab arbore autem fici*, inquit, *discite parabolam, cùm iam ramus eius tener est, & folia*, &c. & satis frequenter, dum apud Euangelistas loquitur in parabolis. VII.

Tertiò probatur ratione: quæcumque spectant ad naturalem perfectionem humani intellectus, & possunt compati tam cum vnione hypostatica, quàm cum visione beatifica, illa fuerunt in Christo Domino etiam adhuc viatore, vt iam sæpè obseruauimus: atqui naturales illæ scientiæ, seu quæ naturâ suâ possunt à nobis propriâ industriâ & longo labore acquiri, pertinent ad naturalem perfectionem humani intellectus; vnaquæque enim cognoscitiua potentia perficitur cognitione sui obiecti, & per omnes naturales scientias cognitio omnium naturalium, D quæ sunt obiecta propria intellectus humani, possidetur. VIII.

Deinde scientiæ illæ non habent oppositionem aliquam cum vnione hypostatica, quia cognitio intellectiua non opponitur diuinæ, vel etiam alienæ subsistentiæ: non item habent oppositionem cum eius fine, quia hæ scientiæ non impediunt mortalitatem, vel rationem merendi & satisfaciendi, vt patet in nobis: nec tandem habent oppositionem cum clara & intuitiua visione diuinæ essentiæ, quia hæc secum compatitur perfectiones connaturales humanæ naturæ; exempli causâ, volitionem & alios actus connaturales aliarum potentiarum, maximè vbi illi nullam includunt imperfectionem: at actus eliciti ex perfectis habitibus, quales sunt omnes habitus tam scientiarum, quàm sapientiæ existentes in anima Christi Domini sunt perfecti:

I. nam perficiunt suam potentiam modo connaturali: item visio beatifica non destruit naturam, sed illam complet & perficit: ergo nec debet destruere ab anima Christi Domini naturalem eius perfectionem, cuiusmodi est perfecta possessio omnium scientiarum naturalium, si quæ possint acquiri humanâ industriâ.

Tandem hæc nostra propositio probatur iis omnibus, quibus Theologi 4. sententiarum locis superiùs citatis docent omnes scientias acquisitas, aut remanere in Beatis, aut iis, qui eas in via sibi non acquisierunt, infundi in ipso ingressu patriæ.

Articvlvs IV.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

II. PRIMVM fundamentum est. Quod habet aliquam oppositionem cum visione beatifica, non fuit in Christo Domino etiam viatore, quia tunc erat comprehensor, seu beatus: at naturales scientiæ, seu acquisitæ, quæcumque illæ sint, habent aliquam oppositionem cum visione beatifica; nam sunt destruendæ aduentù visionis beatificæ ex sancto Paulo primæ ad Corinthios 13. ita dicente, *Siue Prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.* Quo loci eodem modo loquitur de scientia acquisita, ac de Prophetia: igitur scientiæ acquisitæ non fuerunt in Christo.

Respondetur, negando scientias naturales, seu acquisitas habere aliquam oppositionem cum beatitudine supernaturali, & esse destruendas in altera vita, quin potiùs verior sententia Scholasticorum est, eas quas hîc non acquisiuimus, nobis esse infundendas in ingressu patriæ; III. sicut Deus Angelis statim à principio suæ creationis infudit omnes illas, quatenùs beatitudo debet explere omnem honestum appetitum etiam naturalem, & Beati possunt honestè appetere cognitionem naturalem omnium rerum naturalium.

Ad authoritatem Apostoli respondetur: Primò, si loquatur de habitibus scientiarum acquisitarum, hoc tantùm sensu dicere illos esse destruendos in patria, quatenus quod in illis est rude & imperfectum euacuabitur, accedente maiore claritate, & notitiâ plurium rerum naturalium, quas in hoc sæculo ignoramus, vt sanctus Chrysostomus explicat ad illum locum: vel meliùs, Apostolum ibi nomine *scientiæ* non intelligere scientias naturales, seu acquisitas, sed ipsum *donum scientiæ*, de quo præcedenti capite IV. locutus fuerat, & velle nullum fore vsum illius in patria: hoc enim, vt suprà notauimus, est ad instruendum proximum: at in patria, *Vir non docebit vltra proximum suum*, inquit Deus apud Ieremiam capite 31. *Omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum.*

Secundum fundamentum est: scientia naturalis, seu acquisita habet intrinsecam dependentiam à phantasmatibus, & nō nisi concursu phantasmatum possibilium tendit de facto in sua propria obiecta sensibilia; sicque in habente illam, & vtente illâ dicit aliquam dependentiam à corpore: atqui in statu beatitudinis intellectus operabitur independenter à corpore, quia tunc anima per ipsam suam gloriam liberabitur à subiectione sui corporis: igitur nec in tali statu beatitudinis anima habebit scientiam naturalem,

A seu acquisitā: igitur cùm anima Christi Domini adhuc existens in corpore mortali haberet suam gloriam, seu visionem beatificam, vt superiùs ostendimus, pro illo etiam statu nullam habuit scientiam naturalem, seu acquisitam. V.

Respondetur negando Maiorem; nam hæc duo distinguuntur, scilicet *scientiam, quæ naturâ suâ potest acquiri, respicere ex sua ratione intrinsecâ obiecta solummodò sensibilia, & scientiam naturalem eiusque species in suo vsu dependere essentialiter à concursu phantasmatum sensibilium.* Primum est verum, nec vllam importat imperfectionem, vel oppositionem ad statum gloriæ animæ, & post resurrectionem habebit locum in beatis hominibus: tunc enim, sicut ipse vsus sensuum, tam externorum, quàm internorum, qui solummodò occupantur circa res sensibiles & corporeas, erit in beatis illis hominibus, nec repugnat eorum beatitudini, siue corporis, siue B animæ, vt omnes Scholastici docent communiter quarto sentent. distinct. 44. 49. & 50. (quatenus perfectio status beatifici hominis consistit in eo, vt omnia & quæcumque sunt illius ponantur in sua perfectione naturali: naturalis autem perfectio sensuum hominis tota est in actu secundo, qui ita est immanens, vt nullam naturalem & corruptiuam passionem inferat) ita etiam ipse vsus scientiæ naturalis, seu quæ humana industriâ potest acquiri, vel spectetur eius, multò minùs impedietur in Christo Domino adhuc viatore per beatam eius cognitionem, quasi ei aliquo modo repugnantem. VI.

Secundum verò, scilicet *hanc scientiam & eius species, quoad vsum suum, dependere essentialiter ab ipso concursu phantasmatum*, est absolutè & C simpliciter falsum; nam talis dependentia fundatur solummodò in ipsa naturali subiectione animæ ad corpus, vt loco citato libri 4. sentent. Theologi docent, & S. Thomas expresè primâ parte quæst. 84. art. 7. & hac parte quæst. 11. art. 2. in corpore, & ex illis etiam Philosophi libro 3. de anima, agendo de intellectu passibili: vnde cùm Beati post resurrectionem corporum sint futuri liberi à subiectione quam nunc anima nostra habet à suo corpore, quoad exercendas suas operationes, & anima Christi Domini, etiam adhuc existentis in via, habuerit vt non esset subiecta suo corpori (nisi provt & quantum vellet) ratione suæ gloriæ: ideò illa adhuc existens in corpore mortali potuit rectè vti hac solâ naturali scientiâ, & eius speciebus, absque aliqua dependentia à concursu sensibilium phantasmatum, seu absque eo quòd propria eius phantasia operaretur aliquid circa tale obiectum, aut ali- VII.
quid simile, dum eius intellectus cognosceret D obiecta istarum scientiarum, quemadmodum rectè obseruarunt Conimbricenses ad lib. 3. de anima quæst. 8. art. 2. & sic cùm sola dependentia essentialis dicat imperfectionem, non autem ea quæ planè est libera, & ex mero beneplacito ipsius intelligentis, sic vt hæc naturalis scientia, spectata secundùm suum vsum, nullam arguat imperfectionem in anima Christi Domini beata, etiam pro statu suæ viæ. VIII.

Tertium fundamentum est. Duo accidentia eiusdem speciei, solo numero distincta, nunquam sunt simul & semel in eodem subiecto: atqui scientia infusa per se, & scientia naturalis, seu acquisita, sunt duo accidentia eiusdem speciei; & ex dictis suprà scientia infusa per se fuit in Christo Domino etiam viatore: igitur scientia

I. naturalis, seu acquisita, non videtur fuisse in intellectu Christi Domini.

Respondetur: quidquid sit de eius Maiori, scientiam acquisitam, seu naturalem, & scientiam per se infusam distingui specie; licèt enim istæ scientiæ possent habere obiecta eadem materialiter, vt patebit inferiùs, habent tamen illa formaliter distincta, cùm sub alio formali motiuo scientia per se infusa tendat in illa, quàm scientiæ naturales, seu acquisitæ tendant in illa eadem obiecta, quod sufficit ad specificam illorum distinctionem, iuxta communem doctrinam Philosophorum.

A habuerit scientias acquisitas longè perfectiores, quàm primus parens. V.

Tertium dubium est: an Christus Dominus per has scientias nouerit etiam obliuiones. Respondetur, Christum Dominum per hanc scientiam perfectè cognouisse res omnes naturales, sublatis imperfectionibus erroris, dubitationis, & aliis eiusmodi. Deinde per hanc scientiam scisse omnes rationes probabiles: hoc enim spectat ad perfectionem scientiæ diiudicare inter sententias probabiles, & minùs probabiles; non tamen Christus Dominus præbebat assensum conclusioni per rationes probabiles, id est non iudicabat propter has vel illas rationes probabiles rem de facto ita se habere, ne sic assentiendo sese exponeret periculo errandi: sed per euidentiam huius scientiæ benè iudicabat de omnibus: exempli gratiâ, hanc vel illam conclusionem

II. B ostendi probabilem per hoc medium probabile, VI.
& demonstrari per hoc demonstratiuum medium: nam assentiri sub dubio dicit imperfectionem, quod propterea debet remoueri à Christo Domino.

Articvlvs V.

Tria dubia soluuntur.

PRIMVM est, quonam modo artes illæ quæ pendent ex ipso vsu, quas tamen Christus Dominus nunquam exercuit, potuerint esse in illo.

Respondetur, artes eiusmodi spectatas præcisè in sua formali ratione non includere aliquam dependentiam ab vsu, sed tantùm dicere quandam habilitatem, quâ immediatè perficiunt, & dirigunt intellectum in ordine ad vsum & aliquam praxim exteriorem: quæ perfectio rectè potest intelligi esse in aliquo, etiamsi non vtatur illâ, quemadmodum experientia docet quamplurimos probè nosse scientias quasdam practicas, & artes, quarum tamen actus nullos exercent.

Secundum est, quàm perfectæ fuerunt scientiæ acquisitæ in ipso intellectu animæ Christi Domini. Respondetur, quoad *perfectionem essentialem*, fuisse æquales aliis scientiis acquisitis, quæ

III. C reperiuntur in aliis hominibus: fuit enim in Christo Domino eiusdem speciei, ac est in aliis hominibus: quoad *perfectionem* verò *accidentalem*, quæ attenditur *secundùm extensionem* ad plures conclusiones cognoscendas, & *quoad maiorem penetrabilitatem*, fuisse perfectiores in Christo Domino, quàm fuerint in quouis alio homine etiam primo parente: cuius rei ratio hæc est, quòd scientiæ eo perfectiori modo obtinentur, quo intellectus naturalis est perfectior, lumen naturale perfectius, & ipsum acumen ingenij est subtilius: hæc enim sunt quæ faciunt, vt scientiæ sint in vno perfectiores, quàm in alio: atqui intellectus animæ Christi Domini fuit perfectior quolibet alio intellectu humano; item eius lumen naturale & acumen ingenij maius: hoc enim totum maximè decet eius excellentiam & vnionem hypostaticam.

IV. Dices, Adamum fuisse constitutum Doctorem omnium hominum, quoad scientias naturales; Christum verò Dominum minimè, cùm nunquam exercuerit tale officium: ergo primus parens debuit habere istas scientias modo longè perfectiori, quàm Christus Dominus.

Respondetur, satis fuisse primo parenti illas habere in perfectione accommodata suo statui: quæ postulabat tantùm vt eas haberet perfectiùs, quàm omnes reliqui homines, quos erat eductus etiam mediatè: vnde cùm Christus Dominus, etiam remanente statu iustitiæ originalis, in quo venisset, non esset erudiendus etiam mediatè in istis scientiis per primum parentem (quia non decebat caput, cuiusmodi erat Christus Dominus respectu Adæ, emendicare aliquam perfectionem à suo membro) sit vt Christus Dominus

Articvlvs Vltimvs.

Vtrùm experimentalis scientia fuerit in Christo Domino.

SIT hæc nostra propositio. Scientia experimentalis considerata iuxta secundum modum nostri notabilis articuli tertij præcedentis fuit in Christo Domino. Ita communiter Theologi, & S. Thomas expresè lib. 3. sentent. dist. 14. quæst. vnicâ art. 3. quæstiunculâ 5. & probatur ex Apost. cap. 5. ad Hebr. ita dicente de Christo

D Domino, *Christus didicit ex iis quæ passus est obedientiam*: sensus enim Apostoli non est, tunc Christum Dominum acquisiuisse virtutem obedientiæ, sed tunc exercuisse actum illius, & illam fuisse expertum, quatenùs tunc applicabat habitum obedientiæ ad ipsos singulares eius actus exercendos. VII.

Probatur item ex Euangelio, in quo Christus D. passim multa experitur. Denique fauet ratio: nam ea scientia dicitur experimentalis, quæ vel est coniuncta cum experimento alicuius sensus; licèt tota fiat per species anteà existentes in ipso intellectu, vel quæ mediis sensibus obiectum sensibile apprehendentibus de nouo generatur in intellectu, & ad quam nouę etiam dantur species quæ anteà non erant in intellectu: at scientia experimentalis hoc vtroque modo fuit in intellectu animæ Christi D. viatoris. Priori quidem, vt

VIII. patet ex cit. loco Apost. iuxta cuius sensum aliqui explicant illud S. Lucæ cap. 2. *Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.* & S. August. lib. 8. in Genes. cap. 11. illud Isaiæ 7. *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam.* Posteriori item modo, nam S. Thomas infrà quæst. 12. art. 2. in extrema parte corporis ita docet expresè. Et cùm intellectus animæ Christi D. sit eiusdem speciei cum nostro, & iste modus cognoscendi experimentaliter nullam includat imperfectionem (quia dicit tantùm actus secundos potentiarum sensitiuarum, quarũ reductio ad tales actus per species acceptas ab obiectis sic apprehensis, est maximè conformis humanis sensibus, & intellectui nostro agenti) rectè possumus admittere in Christo D. scientiam experimẽtalem hoc modo factam.

I. Est tamen aduertendum, hanc esse distinctionem huius scientiæ experimentalis quouis modo factæ, ex duobus prænotatis in relato notabili, ab alia scientia acquisita, de qua egimus art. 3. quòd hæc intrinsecè & essentialiter fiat per conuersionem ad phantasmata: at scientia illa acquisita explicata 3. articulo, minimè, vt ibi ostendimus.

An autem duæ illæ scientiæ experimentales secundâ parte relati notabilis explicatæ sint habitus distincti à scientia acquisita, explicata 3. articulo, pars affirmans intelligetur vera ex dicendis infrà ad quæst. 12. vbi ostendemus intellectum animæ Christi Domini habuisse omnes istas scientias naturales sibi à Deo infusas à primo instanti suæ conceptionis, cùm tamen hanc vtramque experimentalem vsu & exercitio sibi comparauerit.

II.

AD QVÆSTIONEM X.

DISPVTATIO VNICA.

De scientia beata animæ Christi Domini.

EXplicata quæstione an est, quoad omnes illas scientias quæ possunt conuenire intellectui animæ Christi Domini, agendum nobis est cum S. Thoma de illarum obiectis & perfectionibus, sumpto exordio à perfectiori, quæ est beatifica cognitio. Et quoniam Christus Dominus, quatenus homo, ita est hæres Dei quoad visionem beatificam, vt reliqui homines beati sint eius cohæredes, ex Apost. ad Rom. 8. cap. & inter cohæredes quædam dantur communia, seu quæ illis diuiduntur æqualiter: ideò quia 1. parte quæst. 12. fusè agitur de visione beatifica, tam quoad eius principia, siue physica, siue moralia, quàm quoad eius obiecta, siue secundarium, siue primarium, & eius perfectiones, tam secundùm intensionem, quàm extensionem etiam possibilem, iuxta absolutam Dei potentiã in ordine ad intellectum creatum, & hæc & similia sunt animæ Christi Domini communia cum aliis Beatis: ideò abstinebimus à mouendis & explicandis istis quæstionibus & aliis similibus: sed quoniam bona hæreditatis ita diuiduntur fratribus, vt tamen primogenitus ratione suæ prærogatiuæ habeat aliquid speciale, & Christus Dominus est *primogenitus in multis fratribus*, ex Apost. ad Rom. 8. cap. id est omnium

IV. illarum creaturarum, quæ fruuntur, & fruentur gloriâ æternâ: ideò nos tantùm explicabimus, quæ quoad visionem beatificam sunt propria animæ Christi D. sic quia citatâ illa quæst. 12. 1. partis, omnes Theologi docent communiter Deum esse absolutè & simpliciter incomprehensibilem omni creato intellectu quãtumuis perfectissimo, quemlibet Beatum videre in Deo ea quæ sunt in eo formaliter, & communior sententia cum S. Thoma ibi habet, Beatos videre aliquas creaturas in Verbo etiam existentes, aut futuras: item & aliquot possibiles: ideò nos hac communi doctrinâ suppositâ & eo loci probatâ, solùm quæremus quænam anima Christi D. videat ex illis, siue scientiâ visionis, siue scientiâ simpliciter intelligentiæ: & an clariùs & longè perfectiùs omnibus aliis, quorum ipse est primogenitus.

A

ARTICVLVS PRIMVS. V.

Vtrùm anima Christi Domini videat in Verbo quæ fuerunt, sunt, vel futura sunt in aliqua temporis differentia.

VNica sit ista propositio. *Anima Christi Domini videt in Verbo omnia quæ sunt, vel fuerunt, vel aliquando erunt in aliqua veri temporis differentia.* Ita S. Thomas hic art. 2. & omnes qui citatâ quæst. 12. 1. partis admittunt Beatos videre aliquas creaturas in Verbo.

Probatur: quilibet Beatus videt in Verbo ea omnia quæ spectant ad suum statum, vt habet recepta regula Theologorum quæst. 12. nunc citatâ: atqui omnia creata quæ habuerunt, vel habent, vel habitura sunt esse in aliqua veri temporis differentia spectant ad statum Christi Domini: igitur anima Christi Domini videt in Verbo omnia quæ fuerunt, sunt, vel erunt in aliqua temporis differentia. Maior confirmatur ex eo, quòd perfecta beatitudo duo complectitur: Primùm, ea quæ per se & intrinsecè spectant ad illam, tam ex parte corporis, quàm ex parte animæ; homo enim futurus est beatus quoad vtramque partem: alterum comprehendit ea quæ aliquo modo sunt ipsi beatitudini extrinseca, cuiusmodi sunt quæ erant commissa curæ cuiusque Beati, dum hic mortalis viueret: nam perfecta beatitudo, qualis erit in patria, post vniuersalem resurrectionem, postulat habere curam amicorum: vnde cùm status ille sit perfectissimus, fit vt in eo quodlibet rationabile desiderium expleatur, & aliquis Beatus possit rationabiliter appetere cognitionem eorum quæ sibi commissa fuerunt. Est etiam valdè conueniens & rationabile, vt quando sunt Beati, & eorum charitas non est absorpta, sed perfecta, & consummata, videant etiam quæ ad eorum statum pertinent. Minor etiam probatur, nam quæcumque in illa recensentur aut sunt creaturæ intellectuales, aut non intellectuales, aut aliqua earum accidentia: at vtræque creaturæ spectant ad statum Christi Domini etiam vt hominis. Posteriores quidem, quia ad Coloss. 1. *est primogenitus omnis creaturæ*, habet singulare quoddam dominium in illas, vt ex dictis quæst. 8. de gratia capitis, & S. Matth. vlt. ait, *Data est mihi potestas omnis in cælo & in terra.* Item & priores: illæ enim sunt vel Angeli, vel homines, quorum omnium fuit à Deo Patre constitutus caput, & est futurus Iudex omniũ nostrũm, vt profitemur in Symbolo, ergo cùm sit capitis agẽtis per influxum morale fundatum in cognitione, cognoscere omnia membra in quæ influit, & iudicis eos, & eorum acta cognoscere, quos iudicaturus est, spectat ad statum Christi Domini vt hominis, etiam nosse omnia quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt in aliqua differentia veri temporis. Idem patet de accidentibus, siue moralibus, siue physicis ciusmodi creaturarum; cùm enim illa in rationali creatura sæpè habeant connexionem cum factis eius, sicut ex præcedenti ratione, anima Christi D. videt in Verbo ciusmodi creaturas & facta illarum, ita & hæc earũ accidentia, vt sic iudicium eius sit perfectissimum.

B

VI.

C

III.

VII.

D

VIII.

Quo autem modo Christus D. dicat *se nescire diem iudicij extremi*, explicatum est suprà, nempe se illum nescire *vt legatum & nuncium*: quo sensu S. Ioan. 15. ait. *Quæcumque audiui à Patre meo, ea nota feci vobis*, id est quæcumque audiui ab eo vt legatus & vobis reuelanda, seu renuncianda.

Addidi in propositione hanc particulam, *in aliqua veri temporis differentia*: non enim ex vi nostræ propositionis, & eius rationis necesse est vt asseramus intellectum animæ Christi D. videre *in Verbo* cogitationes illas, quæ post extremum iudicium sunt futuræ in Beatis, vel in damnatis, & alia istis similia post extremum iudicium absolutum euentura: tunc enim potestas iudiciaria Christi Domini, quoad ferendum iudicium erit finita, & Sancti ita suberunt Christo Domino, tanquam suo capiti, vt nullum augmentum gratiæ de nouo accipiat, nec damnati erunt ampliùs eius membra etiam in potentia, vt docuimus ad ad quæst. 8. igitur cùm hæc & similia non ampliùs spectent ad statum Christi Domini vt hominis, non apparet eum ista videre *in Verbo*, sed tantùm extra Verbum, provt ei reuelantur à Deo, secundùm beneplacitum Dei.

II. Neque propterea dicitur aliquid ignorare, quia istud est potiùs pura quædam *nescientia*, carens omni imperfectione, quàm vera aliqua ignorantia, cùm sit eorum quæ nullo modo spectant ad eum, quatenus est homo etiam in tali gradu dignitatis constitutus.

Nec est quòd quis contra istud obiiciat, sanctum Thomam hîc art. 2. in solut. ad 2. dicere *animam Christi Domini scire omnia quæ Deus in seipsè cognoscit per scientiam visionis*. At Deus etiam scientiâ visionis nouit omnes istas cogitationes post extremum iudicium futuras ex communi Theologorum doctrina primâ parte quæst. 12. nam hæc comparatio S. Thomæ debet intelligi *conformiter* ad id quod expresè docet in corpore eiusdem articuli, & sequenti articulo etiam in corpore, vbi totum istud à Christo Domino cognitum *in Verbo* per scientiam visionis restringit ad illud quod habet esse in aliqua differentia veri alicuius temporis, vt expresè habent eius verba: vnde quia verum tempus extenderur solùm vsque ad finem sæculi, quando motus cæli cessabit; & ipsæ etiam generationes, vt citato articulo tertio obseruat, intelligit tantùm hanc comparationem de iis obiectis à Deo cognitis per scientiam visionis, quæ habebunt esse in aliqua differentia veri temporis, de quorum numero non sunt prædictæ illæ cogitationes.

III. Vnde autem fiat & quomodo, vt diuina essentia repræsentet hæc futura intellectui animæ Christi Domini, & cognoscat illa, non autem alia etiam de facto futura post extremum iudicium, eadem est difficultas ac de reliquis Beatis videntibus *in Verbo* aliquas tantùm creaturas ex futuris, & non omnes, quæ proinde spectat propriè ad prædictam quæstionem 12. primæ partis: hoc enim sicut & alia communia istis annexa supponimus, vt isto loco explicata.

IV.

ARTICVLVS II.

Vtrùm anima Christi Domini viderit prædicta in Verbo à primo instanti suæ beatitudinis.

NASCITVR hæc difficultas ex communi doctrina Theologorum 1. parte, quæstione 12. asserentium Beatos ita videre preces, quæ ad illos dirigentur paulò antè extremum iudicium vniuersale à primo instanti suæ beatitudinis, vt tamen non videant illam circunstantiam vniuersalis iudicij, aut similem *in Verbo*, sed tantùm *extra Verbum*, vbi & quando Deus vult illis reuelare: quæritur an sit eadem ratio animæ Christi Domini, quòd scilicet prædicta omnia articulo præcedenti enumerata non viderit statim à primo instanti suæ beatitudinis, etiam quoad particulares circunstantias. V.

Sit hæc vnica propositio: *Anima Christi Domini à primo instanti suæ beatitudinis cognouit ista omnia in Verbo scientiâ visionis*. Probatur: anima Christi Domini vidit *in Verbo* entia præcedenti articulo enumerata eo instanti quo de facto accepit potestatem excellentiæ in res omnes creatas, & potestatem tam capitis, quàm supremi iudicis in omnes homines; quia hæc omnia entia tunc spectabant ad eius statum, cùm tunc committerentur eius potestati & curæ; cùm item deberet singulis hominibus promereri gratias, dona supernaturalia, meritum autem & præuisio præsupponant actum cognitionis, tam eorum de quibus prouidetur, quàm eorum quibus prouidetur: atqui Christus Dominus statim à primo instanti suæ conceptionis, in quo etiam fuit beatus, accepit à Deo Patre has omnes potestates, vt ad præcedentem quæstionem 8. docuimus: ergo Christus Dominus etiam ab eo instanti cognouit *in Verbo* ista omnia entia enumerata præcedenti articulo. VI.

Confirmatur: de ratione optimi & perfecti præuisoris est penetrare efficaciam mediorum, quibus vtitur, item & subiectum cui illa applicat, singulas eius conditiones, præuidere incommoda quæ interdum possunt occurrere, vt instructus tali scientiâ possit rem ad finem sibi propositum deducere infallibiliter: hinc enim sumpto argumento à diuina prouidentia circa res singulas, quæ minimas, Theologi primâ parte docent, Deum cognoscere res omnes etiam vilissimas, & minimas: atqui Christus Dominus, vt homo, est quidam specialis prouisor totius humani generis, datus tanquam caput nostrum, distributor omnium donorum supernaturalium, in quo & per quem sumus prædestinati ad vitam æternam, seu gloriam, itavt à primo instanti suæ conceptionis cœperit nobis promereri media: igitur intellectus animæ Christi D. à primo illo instanti vidit in Verbo diuino singulos homines, singula illiorum opera, impedimenta gratiæ & gloriæ quæ nobis euenient, & alia omnia entia, quæ de facto habuerunt, habent, vel habebunt suam existentiam in aliqua differentia veri & realis temporis. VII.

Confirmatur secundò: Beati statim à primo instanti suæ beatitudinis vident ea quæ potissimùm sunt promerita, quia hæc spectant ad præsentem illorum statum: atqui Christus Dominus vt homo fuit beatus à primo instanti suæ conceptionis, & vnum ex præcipuis quæ nobis promeruit est ipse ordo prædestinationis hominum: ergo illum vidit à primo instanti suæ conceptionis: at non potuit tunc videre illum, nisi etiam tunc cognouerit singulas hominum naturas, particulares singulorum circunstantias, quibus gratiæ per illum promeritæ adaptantur & attemperantur; aliàs enim tunc non egisset ex cognitione finis; quo tamen modo omne agens per intellectum & voluntatem agit, cuiusmodi est Christus D. vt mediator: igitur Christus D. à primo instanti suæ conceptionis & beatitudinis vidit clarè, intuitiuè, & distinctè scientiâ visionis *in Verbo diuino*, singulos homines, singulas eorum circunstantias quantumuis particulares: ergo cùm reliqui homines non prædestinati accipiant etiam frequentissimè ex eius gratia & merito quamplura auxi- VIII.

I. lia gratiæ excitãtis, quandiu sunt in hac vita mortali, vidit etiam eadem scientiâ *in Verbo* distinctè illos omnes, & particulares eorum conditiones & circunstantias statim à primo instanti suæ conceptionis & beatitudinis.

Atque ex hac nostra ratione intelligitur, vnde oriatur discrimen istud animæ Christi D. ab aliis Beatis, ex eo scilicet quòd hæc non pertineant ad statum aliorum Beatorum pro eo primo instanti suæ beatitudinis, cùm nec personæ, quibus hæc contingunt, adhuc subsint eorum curæ, vel protectioni, vtpote qui nondum existunt, vel si existant, & iis subsint, nondum has suas preces ad illos direxerunt, vel earum circunstantiæ ad statum eiusmodi Beatorum non pertinent: at Christus Dominus à primo instanti suæ conceptionis accepit dignitatem capitis in omnes & singulos, illis promeruit omnes quas accipiunt gratias, à
II. tempore suæ mortis nihil amplius est promeritus, sed quæ anteà promeruit, nunc eo tempore quo sunt in hoc sæculo, illis de facto exhibet; sicque ratione istius suæ dignitatis debet illa cognouisse à primo illo instanti suæ beatitudinis: econtrà verò quia reliqui Beati non accipiunt à primo illo instanti suæ beatitudinis curam hominum sequenti tantùm sæculo futurorum, nec adhuc particulares illæ circunstantiæ, quæ circa finem mundi contingent istis hominibus, diriguntur ad illos, nec ad illorum statum spectant, fit vt illa minimè videant.

Ex his sequuntur aliquot corollaria: Primum, animam Christi D. non tantùm vidisse distinctè *in Verbo* singulos homines, & singulas illorum circunstantias, actiones, cogitationes vsque ad extremum iudicium futuras; sed etiam omnes bonos & malos Angelos, eorúmque cogitationes
III. vsque ad prædictum terminum futuras: de cogitationibus hominũ patet, quia est futurus iudex illarum. De bonis Angelis probatur, ex eo quòd illi sint *administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatẽ salutis accipient.* ad Heb. 1. cap. Atque ita gubernatio illorum subest Christo D. & cùm Christus D. nobis promeruerit hoc ministerium Angelorum sese extendens non tantùm ad singulos homines, sed etiam ad familias, ciuitates, regna & imperia: Christus verò D. distinctè nouit *in Verbo* quæcunque est promeritus, vidit etiam distinctè statim à primo illo instanti suæ conceptionis & beatitudinis omnes eorum cogitationes, quæ faciebant ad tale ministerium, & directionem tam superiorum, quàm inferiorum bonorum Angelorum, circa nos & alias res creatas. De malis Angelis idem patet, quia Chri-
IV. stus D. est etiam constitutus iudex dæmonum: iuxta illud apud S. Ioan. cap. 12. *Nũc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Deinde est optimi prouisoris prouidere etiam distinctè, quantũ fert eius cõditio, omnes insidias, & machinationes hostium, vt opportuno tempore adhibeat commoda remedia: at Christus D. est statim à primo instanti suæ conceptionis & beatitudinis constitutus vniuersalis prouisor totius Ecclesiæ, imò omnium hominum, qui pro crudelissimis aduersariis habent dæmones sibi perpetuò insidiantes, primæ S. Petri 5. cap. ergo Christus Dominus debet etiam *in Verbo* vidisse à primo instanti suæ conceptionis & beatitudinis omnes malas voluntates & cogitationes ipsorum dæmonum nobis aduersantium.

Secundum Corollarium est, animam Christi per scientiam visionis, provt communiter apud A Theologos distinguitur à scientia simplicis intelligẽtiæ, non videre distinctè infinita: quod etiam S. Thomas hic docet art. 3. omnia enim entia, quæ ab initio mundi fuerunt, sunt & erunt vsque ad finem eius, sunt in aliquo certo & limitato numero; Deus enim *fecit omnia in numero, pondere & mensura:* igitur cùm anima Christi D. videat tantùm *in Verbo* distinctè scientiâ visionis ea quæ habent esse in aliqua differentia veri temporis, distinctâ cognitione videt tantùm finita. V.

Neque his obstat, quod superiùs exposuerimus illud Apost. ad Colossen. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscõditi,* de scientia creata animæ Christi D. & Deus scientia sua visionis videat etiam comprehensiuè infinitas cogitationes, quæ sunt futuræ successiuè in Angelis per totam æternitatem: nam illud Apost. debet intelligi de ea scientia & eius perfectione, quæ iuxta
B ordinariam potentiam Dei, consentaneè ad statum animæ Christi Domini, & dignitatem capitis, quam habet, potest communicari: de cuius genere non est hæc cognitio cogitationum post extremum iudicium in Angelis futurarum, vt suprà animaduertimus. VI.

Articvlvs III.

Vtrùm anima Christi Domini cognoscat in Verbo res omnes possibiles.

DVPLEX à Theologis scientia distinguitur *in Verbo: vna visionis,* quæ est rerum suam existentiam aliquando habentium: *alia simplicis intelligentiæ,* quæ est rerum merè possibilium. Præcedenti articulo exposuimus, quænam anima Christi D. videat per priorem: nunc videndum, quid per posteriorem cognoscat, vbi quæstio est
C de *cognitione distincta* vniuscuiusque rei possibilis, & non *de confusa,* quâ, visâ diuinâ essentiâ, res omnes possibiles videntur à Beatis secundùm *illud esse eminens,* quod habent in Deo, & sunt *ipsemet Deus:* nam omnes Beati sic illas vident, vt communiter docent qui admittunt aliquas creaturas videri *in Verbo:* sed præsens difficultas est de illo esse, quod res possibiles possunt habere *in seipsis,* & secundùm quod sunt propriè *merè possibiles,* an *clarè, distinctè,* & *quidditatiuè* cognoscantur ab intellectu creato animæ Christi D. VII.

Duæ sunt hac de re sententiæ: Prima Hugonis à S. Victore lib. de scientia animæ Christi D. affirmans: tam quoad hoc facit animam Christi D. parem Deo. Aliqui ita sequuntur hanc primam opinionem, vt tamen sic illam temperent, quòd scilicet anima Christi D. videat quidem
D omnia possibilia *tantùm in habitu,* seu habitualiter. Quod adhuc duobus modis explicant: Primo, qui tribuitur S. Bonauent. 3. sent. dist. 14. quæst. 2. & 3. quatenus anima Christi D. habet aliquem habitum sibi inhærentem, veram quandam qualitatem, quâ redditur potens & habilis, quæ videat singula possibilia, non tamen actu omnia, *Quia,* inquit, *ad hoc virtus infinita requiritur, quam anima Christi Domini non habet.* VIII.

Secundus modus qui placet Scoto libro tertio sententiarum distinctione 14. quæst. 2. est obiectum manifestans se, & alia obiecta in seipso essentialiter, virtualiter, vel etiam eminenter inclusa, posse appellari *habitum existentem,* ad distinctionem præcedentis, qui appellatur *habitus inhærens,* & secundùm hanc acceptionem habitus animam Christi Domini cognoscere in habi-

I. tu, seu habitualiter omnia possibilia: quatenus habens visionem diuinæ essentiæ per actum, quo illam prædictis modis continentem omnia primò & immediatè attingit hoc etiam modo, id est per *diuinam essentiam vt à se visam*, continentem illa omnia in se sibi præsentia, est in proxima potentia, vt possit actu videre illa, quemadmodum de Petigianis explicat mentem Scoti citatâ distinctione 14. quæstione 2. articulo 4. conclusione 3. ita tamen vt anima Christi Domini non videat actualiter ista omnia possibilia, eo quòd omnis cognitio animæ Christi Domini debet esse perfecta: at anima Christi Domini non potest habere perfectam scientiam actualiter de omnibus possibilibus, quia, inquit, illa infinita, cuiusmodi sunt omnia possibilia, non possunt videri perfectè, finitâ tantùm potentiâ, qualis est intellectus animæ Christi Domini.

II. Secunda sententia, quam loco conclusionis ponimus, est, *Animam Christi Domini videre in Verbo aliqua ex possibilibus, non tamen omnia.* Ita S. Thomas hîc articulo 2. & 3. & primâ parte, quæst. 12. articulo 8. libro 3. contra Gentes capite 56, & sæpè alibi, & omnes eius discipuli. Item Richardus in tertium sententiarum distinctione 14. articulo 4. & plures alij. Prima pars nostræ propositionis probatur ex illo Christi Domini apud S. Lucam cap. 10. *Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent:* quod totum, cùm nunquam factum sit, nec futurum, censetur esse vnum ex merè possibilibus.

III. Deinde probatur: anima Christi Domini videt omnia quæ quilibet Sanctus videt in Verbo, quia vt Christus Dominus solus habet tantum gratiæ habitualis, quantum omnes Beati simul habent, imò & ampliùs, vt ostendemus ad quæstionem 7. ità etiam cùm visio diuinæ essentiæ proportionetur gratiæ, & huic lumen gloriæ, per quod res videntur *in Verbo*, sicut anima Christi Domini, quia est capitis, habet plus gratiæ sanctificantis, quàm omnes Sancti simul: sic etiam habebit plus visionis beatificæ, & proinde cùm ex communiori doctrina Theologorum 1. parte, quæst. 12. aliqui saltem ex Beatis videant quædam ex merè possibilibus, anima beata Christi D. etiam de facto videt aliqua ex illis.

Altera pars propositionis probatur: anima cuiuscumque Beati ea tantùm videt *in Verbo*, quæ vel eius merita postulant, per correspondentiam mercedis ad suam gratiam habitualem, vel quæ pertinent ad eius statum: nam penes ista omnia, tanquam causam moralem, tam ipsa quantitas scitorum, quàm intensiua perfectio cognitionis

IV. in ipsa beatitudine attenditur, vt Scholastici communiter docent citatâ quæst. 12. 1. partis: atqui nec merita Christi Domini postulant visionem omnium & singulorum merè possibilium, quia anima Christi Domini non habet gloriam ex propriis meritis, vt docebimus infrà agendo de iis quæ ipse Christus Dominus meruit; & licèt eius merita sint sufficientia ad id obtinendum, posito quòd sit possibile (quod examinare spectat ad dictam quæst. 12. 1. partis) quia tamen ea ad id non ordinauit, cùm sibi nihil meruerit præter gloriam nominis, & corporis exaltationem, non sibi meruit visionem omnium eiusmodi possibilium: nec item status & conditio animæ Christi Domini tam *capitis*, quàm *iudicis*, & *mediatoris*, postulant cognitionem omnium possibilium: ea enim tantùm spectant ad istas dignitates quę habuerunt, habent, aut habebunt actualem existentiam in aliqua differentia veri temporis, cùm influxus aliquis possit tantùm in illa dari, & sententia pronunciari iuridicè: igitur anima Christi Domini non videt in Verbo diuino omnia & singula merè possibilia.

V. Quod autem spectat ad physicam rationem huius secundæ partis nostræ propositionis, illa est omninò eadem cum ea, quam Theologi citatâ quæst. 12. primæ partis, pro cæteris Beatis assignant: & ideò inde peti debet eius explicatio.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ.

PRIMVM fundamentum est, illud S. Ioannis de Christo, *plenum gratiæ & veritatis*, vbi plenitudo veritatis tribuitur Christo Domino: at talis plenitudo nihil est aliud quàm scientia rerum omnium, nullâ earum exceptâ, ergo & omnium possibilium. VI.

Respondetur, id intelligi de plenitudine earum veritatum quas Christus Dominus nobis reuelauit, quemadmodum indicant verba illa Euangelistæ eodem capite, *Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis*: at Christus Dominus nobis non reuelauit scientiam suam visionis in Verbo sese extendere ad omnia possibilia: ideóque plenitudo, cuius fit ibi mentio, non potest arguere in Christo Domino cognitionem omnium possibilium.

Secundum fundamentum est: capite 5. sancti Ioannis Deus Pater demonstrat Christo, quæ ipse fecit, *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit*: at *tale demonstrare* nihil est aliud, quàm Deum Patrem ei tradere omnem suam cognitionem, & proinde cùm Deus Pater habeat scientiam omnium rerum possibilium hanc etiam ei communicasse. VII.

Respondetur, locum illum intelligi de *Christo vt Deo*, quatenus per æternam suam generationem accepit à Deo Patre scientiam increatam & omnipotentiam: Quòd si quis velit locum illum intelligere de *Christo vt homine*, respondetur, illum solummodò procedere de *scientia visionis*, quâ cognouit ea quæ habent veram existentiam in aliqua differentia veri temporis, vt hæc particula, *quæ facit*, indicat, quam scientiam animæ Christi Domini diximus esse, *quoad obiecta*, parem diuinæ essentiæ.

Tertium fundamentum est. S. Ioannis 16. capite Apostoli ita loquuntur de Christo Domino, *Nunc scimus quia omnia nosti*. Et capite vltimo S. Ioannis S. Petrus ait Christo Domino. *Tu omnia nosti*: ergo cùm hic terminus, *omnia*, nihil excipiat, debet etiam extendi ad omnia possibilia. VIII.

Respondetur, priorem locum procedere de cognitione Christi Domini, quatenus est Deus: ibi enim Apostoli protestantur se ideò credere Christum exiisse à Deo: posteriorem verò tantùm intelligi de iis quæ fiunt in aliqua temporis differentia, vt indicat hæc interrogatio Christi Domini Ioannis vltimo, *Simon Petre diligis me?* cui cùm respondisset iam affirmatiuè, tandem subiunxit, *Domine tu nosti omnia*, quo profitetur Christum Dominum id etiam nosse, sicque non extenditur ad omnia possibilia.

Quartum fundamentum est. Omnes ferè Patres dicunt Christum Dominum *omnia scire*, &

I. *nihil planè ignorare*: sic sanctus Chrysostomus homiliâ quintâ in epistolam ad Colossenses: sanctus Ambrosius libro quinto de fide, capite vltimo: sanctus Damascenus libro tertio de fide, capite 21. & 22. & plures alij.

Respondetur, Patres istis locis vel agere contra Arianos, & ostendere Christum esse verè Deum, æqualem suo Patri, ex ipso attributo diuinæ scientiæ illi communicato, vel, si agant de Christo Domino, vt homine tantùm, agere de *scientia visionis* eorum quæ habebunt esse in aliqua differentia veri temporis, quod potest facilè intelligi, tam ex eorum antecedentibus, quàm consequentibus,

Quintum fundamentum est, fundamentalis ratio Hugonis. Anima Christi Domini est formaliter sapiens sapientiâ increatâ, id est ipso diuino Verbo sibi hypostaticè vnito, & proinde sicut Verbum diuinum distinctissimâ cognitione
II. nouit omnia etiam possibilia, ita etiam & anima Christi Domini. B

Respondetur, Antecedens esse simpliciter, & absolutè falsum, vt ostendetur infrà, agendo de communicatione idiomatum, & potest etiam intelligi ex dictis totâ disputatione primâ ad quæstionem nonam suprà.

Sextum fundamentum est. Anima Christi cognoscit in verbo etiam comprehensiuè varias rerum naturalium species: ergo cùm variæ illæ species contineant in seipsis infinita possibilia, quatenùs illæ possunt infinitis ferè modis commisceri inter se, & habere individua infinita, anima Christi Domini de facto videt infinita merè possibilia.

Respondetur, concesso Antecedente, negando Consequentiam; vt enim intellectus Angeli
III. superioris cognoscat comprehensiuè inferiorem, vel aliam speciem valde infimam, exempli gratiâ, muscæ, vel alterius entis, non est absolutè necessarium, vt cognoscat in particulari omnes & singulas eius habitudines, singulos item earum terminos in particulari: sed sufficit vt sciat hanc esse eius naturam, quòd sit apta hæc & alia facere secundùm suam formalem rationem; non autem quòd sit determinatè habitura hoc numero individuum; sicque ex comprehensiua cognitione vnius, vel plurium specierum, non rectè infertur aliqua cognitio distincta rerum infinitarum possibilium, sed ad summum confusa, quatenus cognoscit has species omnes esse aptas habere infinita syncategorematicè individua, si modò aliundè non impediantur. C

Deinde quantumcunque aliqua species comprehensiuè cognoscatur ab intellectu creato, ille
IV. tamen ex tali sua cognitione præcisè sumpta, non potest distinctè cognoscere illam sui communicatione habituram esse hæc & illa tot individua, non plura vel pauciora determinatè: tum quia individuatio etiam dependet ab influxu diuino, aut, vt aliqui volunt, à determinatione diuinæ voluntatis, aut etiam à circunstantiis, quæ, ipsâ etiam specie cognitâ comprehensiuè, non possunt cognosci distinctè: tum etiam quia potest euenire, vt ipsa productio huius & istius individui impediatur, à concursu quarundam causarum sese mutuò impedientium, vt sæpè contingit. D

Tandem, etiamsi creatus aliquis intellectus comprehendendo aliquam speciem, vel etiam plures, cognosceret distinctè singula illarum individua; adhuc tamen non cognosceret omnia A possibilia, vel etiam infinita: non quidem omnia possibilia, quia adhuc aliqua per potentiam obedientialem illarum specierum producenda restarent: non item infinita, quia cùm species illæ essent finitæ, earum etiam mixtiones finitæ, ipsa agentia finita, etiam nonnisi finita possibilia cognoscerent distinctè. V.

Septimum fundamentum est. Anima Christi Domini cognoscit comprehensiuè vim & efficaciam suorum meritorum: at illa est tanta, vt possit sese extendere ad infinita, ratione eius dignitatis, quam habet ab hypostasi Verbi diuini.

Respondetur, concesso Antecedente, negando Consequentiam, propter nunc dicta initio responsionis ad præcedentem obiectionem, nimirum ad id sufficere intellectum animæ Christi cognoscere efficaciam sui meriti in actu primo consideratam esse proportionatam omni & cuilibet præmio possibili, vt ad quæstionem primam disputat. 5. articulo 6. & sequentibus docuimus. VI.

Octauum fundamentum est: Sanctus Thomas hic articulo 3. docet animam Christi Domini videre infinita per scientiam simplicis intelligentiæ, *Quia*, inquit, *scit omnia quæ sunt in potentia creaturæ*: at illa sunt tantùm possibilia, vt ipsemet sanctus Thomas animaduertit ibi.

Respondetur, sanctum Thomam loqui tantùm de infinitis syncategorematicè, & hoc adhuc non intelligere de distincta eorum cognitione, sed de confusa tantùm, quatenùs videndo diuinam potentiam, videt non tot esse per illam possibilia, quin adhuc possit plura & plura facere, non autem quòd habeat singula possibilia, nullo excepto, sibi præsentia obiectiuè, secundùm distinctam cognitionem, & sibi repræsentata per actum suæ beatificæ cognitionis. VII.

Nonum fundamentum est. Nulla potest afferri ratio, cur potiùs videat tantùm aliqua, quàm omnia, & cur hæc potiùs quàm illa: ergo cùm ex doctrina tertij articuli videat aliqua possibilia, videt de facto omnia.

Respondetur, negando Antecedens; potest enim duplex causa huius rei afferri: *moralis vna*, scilicet *charitas*, seu *gratia habita in via*, cui abundè satisfit per visionem claram diuinæ essentiæ, & tot possibilium, pro eo gradu perfectionis quem obtinet. Nec obstat, quòd hæc gratia in Christo Domino habeat summum aliquem gradum perfectionis ex infinita dignitate suppositi Verbi diuini in quo est; cùm enim hæc vnio non fuerit collata animæ Christi Domini ad aliquod bonum sibi inhæsiuè inexistens acquirendum, nec per illam gratiam sibi promeruerit visionem beatificam, sicut hæc comparata ad bonum animæ Christi Domini fuit tantùm ei data ad ornamentum, & sic fuit ei satis, vt esset summa secundùm potentiam ordinariam Dei: ita etiam sufficiebat ei cognitio diuinæ essentiæ, & rerum possibilium ei correspondens, quâ excederet tam intensiuè, quàm extensiuè omnem & quamlibet aliorum Beatorum etiam simul sumptorum visionem. VIII.

Potest item & altera afferri *causa physica*, scilicet quòd visio beatifica sit secundùm *quantitatem luminis gloriæ*, & proportionem illam, qua diuina essentia, sese habens ad instar speciei impressæ, concurrit ad formandam visionem: ideóque cùm lumen gloriæ sit in hoc & isto gradu, quo penetrat diuinam essentiam, vt potentem producere hæc & ista possibilia, & similiter es-

I. sentia diuina seſe applicet intellectuũ animæ Christi Domini ad hæc & illa tantùm manifestanda, concurrátque tantùm ad hæc cognoscenda, sit vt intellectus animæ Christi Domini hæc tantùm possibilia, & non plura, vel alia cognoscat: quod fusiùs Scholastici explicant primâ parte, quæstione 12.

Quænam verò determinatè ex infinitis illis possibilibus intellectus animæ Christi Domini videat in Verbo, quæ verò non: non potest ab vllo homine determinari, cùm nec in sacris Litteris, nec in Conciliis, aut Patribus, vel in ipsa traditione aliquid habeatur de re ista.

Articvlvs V.

Tria dubia soluuntur.

II. EX hactenùs dictis tria hæc oriuntur dubia: Primũ est, an licèt hæc scientia animæ Christi Domini non sit infinita ratione sui obiecti formaliter considerati, nec item ratione multitudinis obiectorum, an saltem possit dici infinita in ratione scientiæ propter subsistentiam Verbi diuini: sicut gratia habitualis animæ Christi Domini dicitur infinita in ratione gratiæ, vt suprà ostendimus, ob hypostasim diuinam.

Respondetur negatiuè, quia scientia quatenus scientia, non specificatur à suppositо in quo est, sed tantùm à suo formali obiecto, quod per hanc scientiam modo & motiuo finitis tantùm attingitur, & penes id scientia distinguitur à gratia, quòd *scientia* præcisè sumpta non sit in genere *dignitatis*, & *valoris*: ideóque quamuis eius suppositum sit etiam infinitè dignum, illa nunquam dicitur esse simpliciter infinita: econtrà, quia *habitualis gratia est in genere dignitatis & valoris*, dignitas autem rei alicuius in ente intellectuali, attenditur penes habitudinem ad suppositum, in quo est, sit vt quoad hoc gratia animæ Christi Domini possit dici infinita in ratione gratiæ, scientia autem animæ Christi Domini minimè possit dici infinita in ratione scientiæ. Dixi inter respondendum, *in ratione scientiæ*, quia si hæc scientia animæ Christi Domini consideretur in ratione dignitatis, re ctè etiam poterit dici infinitè digna, ex eo quòd sit in supposito Verbi diuini infinitæ æstimationis, & aliquam dicat specialem habitudinem ad illud, sicut omnia accidentia ad subsistentiam illius subsistantiæ cui insunt.

III.

Secundum dubium est: an propositio 3. articuli sit certa, vt eius oppositа sit vel hæretica, vel erronea, vel saltem remeraria. Respondetur, prædictam nostram propositionem ita videri certam nonnullis recentioribus, vt censeant oppositam esse, vel hæreticam, vel erroneam: quod tamen nobis non videtur, quia nullus afferri potest sacræ Scripturæ locus euidens pro nostra propositione, nulla definitio vniuersalis Concilij, nulla etiam sufficiens traditio Patrum; imò antiquiores illi Theologi quos pro prima sententia retulimus, licèt fundamentum habeant ad minus erroneum in primo modo illam explicandi, vt patebit infrà agendo de communicatione idiomatum, nunquam tamen ob eam quam inde putant inferre conclusionem, sunt condemnati hæresis, vel erroris: & quòd admissâ hac eorum sententiâ, de cognitione omnium possibiliũ, non benè inferatur Deũ esse ab anima Christi D. comprehensibilem, multi Theologi docent 1. parte, quæst. 12. etiã secundùm principia S. Thom. illâ quæst.

IV.

A & præsenti: vnde nostra propositio ita est vera, vt eius oppositа sit ad summum temeraria, quatenus absque aliquo sufficienti fundamento repugnat communi aliorum sententiæ. V.

Tertium dubium est, vtrùm anima Christi D. possit dici videre in actu primo omnia possibilia, iuxta modum Scoti relatum articulo 3. Respondetur, loquendo propriè, id non posse dici; nam communiter apud omnes Philosophos & Theologos nomine actus primi intelligitur proximum principium expeditum, quantum est ex parte sui ad agendum, itavt nihil ampliùs ad cognitionem requiratur, quàm vnio obiecti & concursus eius cum potentia: at quantumcunque diuina essentia sit indistans ab intellectu animę Christi Domini, & ex se sit repræsentatiua omnium possibilium, quia tamen intellectus animæ Christi Domini non habet lumen sufficiens pro essentia diuina ita penetranda ad cognoscendum omnia possibilia, intellectus ille non rectè dicetur videre in actu primo omnia possibilia.

B VI.

Articvlvs VI. & Vltimvs.

Vtrùm anima Christi Domini videat clariùs diuinam essentiam, quolibet alio intellectu creato.

C VII. SIT hæc nostra propositio. *Intellectus animæ Christi Domini videt clariùs diuinam essentiam quolibet alio intellectu creato.* Propositio vt iacet est de fide; habetur enim satis expressa in sacris Litteris, ex quibus probatur, vt ad Ephes. 1. cap. vbi Apost. ita loquitur de Christo homine, *Suscitans* (scilicet Deus) *illum* (videlicet Christum) *à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro*: vbi particula illa, *Sedere ad dexteram supra id omne quod nominatur in hoc sæculo, & futuro*, continet sensum nostræ propositionis; significat enim Christum Dominum vt hominem ita esse eleuatum in gloria, vt excedat omnem quemlibet, siue huius sæculi, id est hominum, siue futuri, id est Angelorum beatorum, quorum status licèt iam existat, dicitur tamen ab Apostolo futurus comparatione nostri, qui ad illud adhuc tendimus. Item ad Hebr. capite 1. Christus dicitur, *Melior effectus Angelis, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit*, id est omnibus illis prælatus etiam in gloria: ad Colossi. 1. Christus vt homo dicitur *tenere primatum in omnibus*: ergo & in cœlesti gloria: & S. Ioann. cap. 1. gloria animæ Christi Domini dicitur esse, *quasi vnigeniti*, id est, talis quę deceat vnigenitum Dei, ergo quæ excedat omnem quancumque gloriam adoptiuorum. Hinc S. Cyrillus libro primo in Ioannem capite 17. explicans hunc locum, comparat gloriam animæ Christi Domini cum gloria omnium Sanctorum, & ait eam sine comparatione esse longè maiorem, quia habet gloriam *quasi vnigeniti*. Congruentia autem huius nostræ conclusionis fundatur in ipsa vnione hypostatica, quemadmodum authoritates allatæ ex S. Paulo satis insinuant. VIII.

D Nostra etiam propositio probatur ratione petita à causa physica inæqualitatis, quæ est in visione beatifica Sanctorum. Perfectio visionis beatificæ attenditur penes mensuram luminis gloriæ, vt communis sententia Theologorum docet 1.

I. parte, quæst. 12. atqui lumen gloriæ animæ Christi Domini fuit longè maius lumine gloriæ cuiusvis Beati, imò omnium Beatorum simul: illud enim correspondet habituali gratiæ sui subiecti, & habitualis gratia animæ Christi Domini est maior omni habituali gratia, non tantùm cuiuscumque Beati, siue hominis, siue Angeli, sed etiam omnium simul, vt ostendimus ad quæst. 7. disput. 4. art. 1. & 2. igitur beatifica visio animæ Christi D. est maior, perfectior, & clarior omni alia visione beatificâ Angelorum & hominum.

Quomodo autem hæc visio animæ Christi Domini sit eiusdem speciei cum visione beatorum Angelorum, qui tamen distinguuntur specie ab illa, eadem est difficultas ac de beatitudine reliquorum hominum, cuius explicatio pertinet ad citatam quæst. 12. primæ partis.

II. Cæterùm nostra propositio procedit tantùm de facto, quemadmodum Scripturæ & rationes pro illa allatæ ostendunt; si enim agatur de absoluta potentia Dei, sicut admisimus suprà ad quæst. 7. citat. disputatione 4. articulo 7. & 8. posse dari alicui creaturæ puræ habitualem gratiam maiorem ipsâ habituali gratiâ animæ Christi Domini; sic etiam debemus admittere non repugnare dari puræ alicui creaturæ maiorem visionem beatificam, tam intensiuam, quàm extensiuam, quàm sit de facto ipsa visio beatifica animæ Christi Domini. Deinde statim post propositionem addidi particulam istam, *vt iacet est de fide*, cùm enim procedat de præsenti, & omni illo tempore & duratione succedenti eius ascensioni, nec sit de fide animam Christi Domini adhuc existentem in corpore mortali, vidisse clarè & intuitiuè diuinam essentiam, fit vt hæc nostra propositio sit tantùm de fide, provt intelligitur

III. de anima Christi Domini à tempore resurrectionis sui corporis.

A per speciem & connexionem principiorum & conclusionum, vt hoc vtroque præcognito, ipsa potentia exerceat actum iudicij & cognitionis, quo assensum præbeat: ideò primus articulus erit, an præter naturalem potentiam intelligendi & species repræsentantes propria obiecta huius scientiæ, intellectus animæ Christi Domini habuerit opus aliquo alio lumine. V.

Vbi notandum est, hoc nomen, *lumen*, posse sumi duobus modis: Primo, *pro aliqua qualitate solummodò manifestante obiectum*; itavt iuuet, aut compleat potentiam in apprehensione terminorum eius, & connexionis: nam *omne quod manifestat lumen est*, inquit Apostolus, quo modo lumen naturale distinguitur ab ipsis habitibus acquisitis, per quos noster intellectus facilitatur ad iudicandum de veritatibus naturalibus. Alio modo nomen hoc, *lumen*, sumi potest,

B nimirum pro aliqua qualitate dante ipsi potentiæ vel facilitatem, vel complete potentiam ad iudicandum, seu præbendum assensum, cuiusmodi sunt omnes supernaturales quoad suam substantiam habitus cognoscitiui: & de ipso lumine iuxta priorem acceptionem est disputatio in præsenti articulo. VI.

Suares disput. 29. sect. 2. & plures alij existimant nullum tale lumen dari pro hac scientia infusa. Contra quos sit hæc nostra propositio: *Aliquod lumen infusum primo modo sumptum datur intellectui animæ Christi Domini præter species sese tenentes ex parte obiectorum huius scientiæ, & præter habitum corroborantem intellectum, ad ferendum iudicium de eiusmodi obiectis per tales species repræsentatis.* Ita recentiores aliqui, quorum meminit Suares loco nunc citato, & Aragonius

C secundâ secundæ sancti Thomæ quæstione sextâ, articulo secundo, dubio primo, conclusione primâ, & secundâ, & alij qui ad illum locum admittunt eiusmodi speciale lumen aliquo modo distinctum ab habitu fidei, mùlrò magis admittent nostram propositionem ob ea quæ afferentur, tam in illius probationem, quàm pro solutione argumentorum contra illam. sequenti articulo dissoluendorum. VII.

Nostra propositio probatur primùm illo communi argumento, quo omnes Theologi probant requiri lumen gloriæ in intellectu Beatorum, & supernaturales alios habitus esse admittendos, quibus eorum potentiæ eleuentur: quæ enim ratio ibi viget, hæc eadem applicata præsenti propositioni habet parem efficaciam, quod sic patet. Vbi aliqua potentia secundùm se, & naturalem suam efficaciam sumptæ, est

IV. improportionata alicui obiecto, vt sibi per speciem repræsentato, ibi requiritur aliquid ex parte

D potentiæ, quo confortata & eleuata possit ferri in illud: atqui intellectiua potentia animæ Christi Domini sumpta secundùm se, & suam naturalem efficaciam est improportionata percipiendis terminis rerum repræsentatarum per species scientiæ per se infusæ, & similiter percipiendæ earum connexioni terminorum eiusmodi, & principiorum, & conclusionum relucentium in istis speciebus, quia species illæ spectant intrinsecè ad ordinem gratiæ supernaturalis, & intellectus potest tantùm iis vti per suam obedientialem potétiam: item res per eiusmodi species repræsentatæ sunt secũdùm se supernaturales maxima ex parte, vt amplius patebit infrà: igitur aliquid infusum requiritur in potentia intellectiua animæ Christi Domini, quo corrobo- VIII.

AD QVÆSTIONEM XI.

De scientia infusa per se animæ Christi Domini.

DISPVTATIO PRIMA.

De lumine requisito in anima Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm anima Christi Domini vltra suam naturalem potentiam intelligendi, & species repræsentantes obiecta huius scientiæ, opus habuerit aliquo lumine.

VIA potentia intellectiua debet præsupponi cognitioni sibi correspondenti: ideò explicationem huius scientiæ exordiemur ab eo, quod ex parte intellectus requiritur ad actus illius, disputaturi posteà de speciebus ad eius vsum necessariis, & de obiectis ad quæ talis scientia potest sese extendere: & quia primum, quod in potentia iudicatiua requiritur, est vt apprehendat terminos rei repræsentatæ

I. retur & eleuetur ad percipiendum tam terminos rerum per species scientiæ infusæ per se repræsentatarum, quàm connexionem, tum eiusmodi terminorum inter se; tum principiorum & conclusionum in istis speciebus relucentium: at istud nihil est aliud, quàm lumen aliquod infusum per se: igitur præter prædictas species & habitum scientiæ confortantem potentiam ad ferendum iudicium de veritatibus repræsentatis per species huius scientiæ per se infusæ, adhuc datur aliquod lumen eleuans & confortans intellectum animæ Christi Domini ad apprehendendum terminos obiectorum huius scientiæ & connexionem inter illos, item inter principia & conclusiones. Maior patet ex præmissa admonitione, est enim fundamentum, propter quod omnes habitus secundùm suam entitatem supernaturales communiter admittuntur ab omnibus Theologis. Minor autem satis patet ex II. propriis suis terminis.

Secundò hæc duo distinguuntur, *percipere connexionem terminorum rei ad se inuicem, similiter & connexionem principiorum cum suis conclusionibus, & prabere assensum rei per speciem repræsentatæ iudicando rem ita esse*, seu assentiendo rei per talem speciem propositæ, vt patet in hæretico, alias valdè erudito, cuius intellectus sæpè penetrat connexionem terminorum alicuius veritatis spectantis ad fidem & connexionem eius cum suo principio, qui nihilominùs dissentit tali propositioni: è contrà aliquis rusticus apprehendit tantùm ista secundùm quandam communem terminorum & longè minùs perfectam apprehensionem tali perceptione prædicti hæretici, & nihilominùs ei consentit per actum fidei infusæ: ergo vbi primum ex istis duobus tam ratione sui, quàm ratione specierum quibus repræsentatur, & modus, quo per illas repræsentatur, est imporportionatus potentiæ intellectiuæ spectatæ secundùm suam naturalem efficaciam, quemadmodum contingit in præsenti difficultate, tunc datur locus necessariò admittendi aliquid in ipsa potentia, quo ad id percipiendum eleuetur: at istud, quo hæc potentia potest sic eleuari, est tantùm aliquod lumen per se infusum aliquo modo distinctum ab eo, per quod eadem etiam potentia eleuatur ad præbendum assensum: ergo cùm in intellectu animæ Christi Domini hæc etiam duo distinguantur, & prius sit ei improportionatum, vt consideratur secundùm suam naturalem efficaciam, aliquod lumen debet admitti in illo, quo fiat proximè aptus & proportionatus percipiendis terminis & connexioni rerum, principiorum & conclusionum, quæ sibi repræsentantur per species scientiæ per se infusæ, & sic aliquod lumen datur ei infusum aliquo modo distinctum ab eo, quod ei datur ad assentiendum veritatibus per species scientiæ infusæ per se repræsentatis.

III.

IV.

Confirmatur: quando duo sunt sibi subordinata & diuersimodè attinguntur à potentia, quatenus est obedientialis, tunc indiget aliquo ipsam eleuante & corroborante etiam ad prius, vt videre est in nostro intellectu comparato ad voluntatem, quia potentia obedientialis vitalis non completur nisi per aliquid sibi additum: atqui talis apprehensio terminorum & prædictæ connexionis præsupponitur necessariò ad ipsum assensum, & solùm attingitur ab intellectu per suam potentiam obedientialem, & modus ille attingendi obiectum aliquod A simpliciter per species supernaturales ordinis gratiæ supernaturalis transcendit naturalem modum agendi potentiæ intellectiuæ creatæ agentis secundùm suam naturalem efficaciam: igitur & talis potentia indiget aliquo, quo eleuetur, vt sit proximè apta percipere terminos & connexionem prædictam rerum, principiorum & conclusionum. V.

ARTICVLVS II.

Soluuntur fundamenta sententiæ præcedenti articulo relatæ.

PRIMVM fundamentum est. Lumen istud est inutile: nam habitus tenens se ex parte potentiæ eleuans illam & corroborans satis manifestat ei obiectum, & tota illluminatio & B manifestatio obiecti consistit in eo, quòd detur potentiæ vis & efficacia intelligendi obiectum; sed in anima Christi est habitus corroborans eius intellectum proferendo iudicio de obiectis per species huius scientiæ repræsentatis & pro illis intelligendis: Ergo tale lumen est ei inutile. VI.

Respondetur, duas veluti partes distingui, quæ sese tenèant ex parte intellectiuæ potentiæ: prima est *apprehensio terminorum obiecti*, item *connexionis illorum inter se*, similiter *apprehensio connexionis principiorum* cum cõclusione: hoc enim totum prærequiritur ad ferendum iudicium de veritate obiecti, & ad formandum assensum circa eius veritatem. Altera pars est *iudicium*, seu *assensus circa veritatem obiecti sibi propositi*. Iam quando obiectum & prædictæ connexiones tam terminorum eius, quàm conclusionis cum suis principiis repræsentantur intellectui per species C ordinis merè naturalis & modo naturali agenti; tunc quia tam species eiusmodi, quàm ipse illarum modus repræsentandi sunt proportionatæ naturali efficaciæ intellectus creati, is non indiget aliquo lumine vel habitu, nisi aut vt confortetur ad formandum assensum & iudicium ferendum de veritate obiecti, quando illud est supernaturale quoad substantiam, exempli causâ, de veritatibus fidei Catholicæ, aut vt facilitetur ad ferendum iudicium, exempli gratiâ, de veritatibus naturalibus per habitus scientiarum naturalium: at quando prædictæ connexiones repræsentantur tantùm intellectui per species supernaturales spectantes ad ordinem gratiæ, vt in præsenti casu, tunc quia illæ sunt improportionatæ naturali efficaciæ intellectus creati, vt pote qui tantùm intelligit per species sensibiles, & per conuersionem ad phantasmata, ille vt applicatus possibilis vti & apprehendere prædictas D connexiones in illis repræsentatas, cùm id tantùm præstet per suam potentiam obedientialem, indiget aliquo confortante: nec in tali casu illuminatio & manifestatio obiecti requisita ex parte potentiæ consistit tota in eo, quòd præbeat ei vim intelligendi, sumpto hoc termino, *vim intelligendi*, pro solo assensu formando & iudicio ferendo de veritate obiecti, sed partim etiam consistit in eo confortando ad *apprehendendum prædictos* terminos obiectorum, & prædictas eorum connexiones relucentes in ipsis speciebus ordinis supernaturalis. VII. VIII.

Confirmatur. Omnis vsus cuiuscumque rei debet esse proportionatus virtuti eius, qui eo vtitur, aliàs non sequetur: atqui in præsenti casu specierum vsus est ordinis gratiæ, vt intelligetur

I.

ARTICVLVS IV.

Duo dubia soluuntur.

CVm duplex lumen assignauerimus, vnum pro apprehendendis obiectis huius scientiæ, & connexionibus terminorum, alterum pro formando assensu & ferendo iudicio, primùm quæri potest an illa sint duo realiter distincta.

Respondetur, esse *vnum & idem re, virtute tamen duplex*. Ita colligitur ex sancto Thoma hic, artic. 6. in solutione ad tertium, vbi comparat hoc lumen cum lumine intellectus agentis, quod est vnum in quolibet homine, licèt obiecta illius sint valde diuersa.

Deinde probatur ratione. Realis distinctio habituum cognoscitiuorum colligitur ex diuersa
II. formali ratione, qua iuuando vel confortando B potentiam faciunt cognoscere: at vna & eadem est realiter ratio, qua hoc vtrumque lumen facit intellectiuam potentiam animæ Christi Domini cognoscere obiecta scientiæ per se infusæ, siue quoad apprehensionem, siue quoad assensum, scilicet eleuando illam ad percipiendum obiecta supernaturalia, vt repræsentata per species infusas per se, modo quodam eleuationi & sine dependentia à phantasmatibus, vt infrà explicabitur.

Deinde vbi plura particularia obiecta sunt sibi inuicè subordinata, & per eandem speciem, vel numero, vel saltem specie, attinguntur, ibi non est necesse multiplicare habitum sese tenentem ex parte potentiæ, vt videre est in lumine nostri intellectus & Angelorum: atqui obiecta huius
III. scientiæ, provt apprehenduntur quoad connexiones suorum terminorum, & provt iudicium fertur de illis, sunt sibi inuicem subordinata, vt per se patet, & illæ species, quæ ex parte obiecti concurrunt ad ferendum iudicium de illis obiectis, illæ eædem concurrunt cum intellectu ad formandam apprehensionem terminorum, & connexionis illorum ad inuicem, sunt enim valde vniuersales, vt ostendetur infrà: igitur nulla est necessitas distinguendi realiter hæc duo lumina.

Quòd autem distinguantur virtualiter, probatur ex eo, quòd cùm sint vna simplicissima qualitas, duos tamen distinctos à se inuicem realiter effectus producunt, quorum vnus alteri præsupponitur. Hinc sequitur necessitatem huius luminis, tam priori quàm posteriori modo considerati, non fundari in obiectis quomodocumque repræsentatis per species infusas, sed
IV. tantùm quatenus per species infusas per se repræ- D sentantur speciali quodam modo longè eleuatiori, & nobiliori, quàm possint attingi per lumen naturale, quatenus purè & simpliciter consideratur vt naturale.

Quæres secundò, cùm aliquid possit dici infusum per se duobus modis: primò quatenus *non potest acquiri actione alicuius agentis naturalis*, sed sola infusione Dei, licèt aliàs sit ordinis naturalis, iuxta quem modum species, quibus Angeli cognoscunt res naturales, dicuntur infusæ per se: & anima rationalis dum creatur, dicitur etiã infundi suo corpori. Secundò, quatenus *non tantùm ei repugnat produci actione alicuius agentis naturalis, sed postulat produci à Deo, non vt auctore seu vt agente secundùm ordinem* naturæ, *vt auctore supernaturalis gratiæ*: quæres, inquam,

A iuxta quam ex istis duabus rationibus hoc lumen V.
sit, & dicatur infusum per se.

Respondetur posteriori modo, & ita intelligitur ex sancto Thoma hic art. 4. in corpore, vbi illud vocat *lumen spirituale gratiæ*, & artic. 6. in solutione ad tertium quando ait hoc lumen esse *diuinitus infusum ad intelligendum ea quæ diuinitus reuelantur*.

Probatur etiam ratione. Quæcumque ex præcisa sua ratione dicunt ordinem ad gratiam vel gloriam, & sunt extra vim productiuam alicuius agentis naturalis, illa sunt infusa per se hoc posteriori modo, & supernaturalia secundùm suam substantiam: atqui hoc lumen, quoad sui productionem est extra vim productiuam cuiuscumque agentis naturalis, nullo enim actu naturali, vel etiam frequenti repetitione illius, potest à quoquam creato intellectu comparari:
B non humano, cùm hic dicat dependentiam ab VI.
obiectis sensibilibus, & solummodò fiat per conuersionem ad phantasmata, à quo vtroque hoc lumen nullam habet dependentiam: non etiam Angelico, quia omnia illa obiecta propter quæ lumen hoc est necessarium transcendunt naturæ ordinem, & lumen hoc fertur in illa sub modo quodam eleuatiori, quam vel Angelicus intellectus vel humanus feratur in sua, & præterea hoc lumen dicit aliquem intrinsecum ordinem ad gloriam animæ, quia hæc scientia infusa per se, seu cognitio vespertina rerum in proprio suo genere extra diuinam essentiam clarè visam, est aliquod consectarium beatitudinis eius, & est data animæ Christi Domini, tum ratione vnionis hypostaticæ, tum etiam ratione suæ dignitatis capitis, & iudicis pertinentis ad ordinem gratiæ supernaturalis, quatenus
C ratione istarum dignitarum status animæ Christi VII.
Domini postulabat cognitionem obiectorum huius scientiæ per se infusæ, scilicet gratiæ habitualis, luminis gloriæ, & aliorum id genus, quorum Christus Dominus erat alius auctor per suum influxum: ergo hoc lumen est per se infusum posteriori modo, & proinde secundùm suam entitatem, & intrinsecè est ordinis supernaturalis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm hoc lumen sit distinctum ab ipsa scientia infusa per se.

PRIMA sententia affirmat hoc lumen esse distinctum à scientia infusa per se. Melior tamen est sententia negans, quam loco nostræ pro-
D positionis ponimus, estque Suarez hic disputatione vigesima-nonâ, sectione quartâ, & plurium aliorum, qui hoc loco communiter dicunt eamdem qualitatem appellari *habitum*, & *lumen*: *lumen*, quatenus manifestat obiectum & illuminat facultatem; *habitum*, quatenus complet vel facilitat potentiam ad assensum seu ad ferendum iudicium de veritate obiectorum. VIII.

Probatur hæc nostra propositio. Primò, quia non est maior ratio distinguendi lumen infusum hoc à scientia infusa per se, quàm in visione beatifica lumen gloriæ ab habitu complente intellectum beati, vt possit videre clarè & intuitiuè diuinam essentiam, quia tam ibi interuenit eleuatio potentiæ intellectiuæ ad formandum iudicium de veritatibus supernaturalibus relucentibus in diuina essentia sese habentis ad in-

I. stat̃ speciei impreſſæ, item illuminatio intellectiuæ potentiæ circa diuinam eſſentiam, & alia obiecta clarè & intuitiuè viſa in illa, quam in præſenti difficultate interuenit eleuatio potentiæ intellectiuæ animæ Chriſti Domini, ad cognoſcendum in proprio genere obiecta ſupernaturalia per ſe, item illuminatio intellectus animæ Chriſti Domini cognoſcentis hæc obiecta, ſimiliter & in ipſo habitu ſupernaturalis fidei, quo aſſentimur rebus reuelatis: atqui in primo caſu lumen gloriæ, quòd illuminat ſiue intellectum Beati, ſiue obiectum clarè & intuitiuè viſum per viſionem beatificam, non diſtinguitur realiter ab ipſo habitu ſupernaturali, qui confortat & complet intellectiuam potentiam Beati ad videndum Deum clarè & intuitiuè: nec item in ſecundo caſu ipſum lumen fidei diſtinguitur ab ipſo habitu fidei infuſæ eleuante & complente

II. noſtrum intellectum, ad aſſentiendum rebus ſeu veritatibus reuelatis: nam ſtatim atque intelligimus potentiam intellectiuam Beati eſſe informatam lumine gloriæ, probat illam complet in ratione principij efficientis ſeu productiui, & diuinam eſſentiam eſſe illi vnitam ad inſtar ſpeciei impreſſæ, ſtatim etiam intelligimus illam, tam ex parte ſui, in quantum eſt potentia, quàm ex parte diuinæ eſſentiæ quatenus eſt obiectum, habere vim & efficaciam ſufficientem, vt exerceat actum viſionis beatificæ: imò, quia viſio hæc fit neceſſariò, etiam intelligimus his poſitis illam ſequi neceſſariò: ſimiliter in ſecundo caſu, poſito tantùm habitu fidei ſupernaturalis in intellectu & ſufficiente propoſitione obiecti credibilis cum auxilio ad id requiſito, ſtatim poſſe poni actum ſupernaturalis fidei, ſi voluntas applicet talem ſuum habi-

III. tum ad hîc & nunc operandum. Item intelligimus hunc habitum, dum facit intellectum aſſentiri propoſitioni fidei, ſimul etiam illum & obiectum illuminare, quatenus intellectui, in quo eſt, manifeſtat obiectum ſub ratione credibilis, eúmque facit conſentire in illud.

Probatur ſecundò noſtra propoſitio, ratione petita à lumine corporeo, ad cuius comparationem qualitas intellectualis deſeruiens cognitioni appellatur *lumen*, hoc modo. Tota neceſſitas luminis ad viſionem corporeã petitur, vel ex medio, quatenus illud requirit in ſeipſo lumẽ ad hoc, vt color producat in illo ſpeciem, & hæc perferatur ad oculum, vnde Ariſtoteles libro ſecundo de anima capite ſeptimo definit *colorem eſſe motiuum perſpicui actu illuſtrati*: vel hæc neceſſitas petitur ex parte obiecti, quatenus lumen requiritur ad producendum ſpeciem

IV. partialem, quæ iuncta illi ſpeciei, quæ prouenit à ſolo obiecto, integret totam ſpeciem, qua ipſum lumen & obiectum coloratum percipitur à potentia viſiua: vel denique neceſſitas luminis requiritur tam ex parte medij, quàm ex parte obiecti, vt alij volunt; (de hoc enim Philoſophi controuertunt libro ſecundo de anima:) ergo ſeruata proportione lumen aliquod ſpirituale, præter potentiam, obiectum & ſpeciem obiecti, requiritur in cognitione ſpiritali, vbi ſpecies in ſui productione habet aliquam dependentiam ab obiecto, vel poſtulat aliquam aliam partialem ſpeciem, vel vbi potentia non eſt aliàs ſatis apta & diſpoſita modo debito ad recipiendam ſpeciem. Atqui ſpecies huius ſcientiæ, per ſe infuſæ, nullam habent in ſui productione dependentiam à ſuis obiectis, quia A ſunt per ſe infuſæ, nec vllius rei alterius partialem ſpeciem expoſtulant, ſunt enim perfectiſſimæ in ſuo genere, nec ipſa etiam potentia cognoſcitiua animæ Chriſti Domini requirit aliquod lumen, vt diſponatur ad illarum receptionem, quia illæ recipiuntur in ea, quatenus habet rationem potentiæ obedientialis paſſiuæ, quæ, vt ſic, nulla neceſſariò indiget diſpoſitione ad aliquam formam recipiendam, vt patet facta inductione per omnes formas ſupernaturales: igitur intellectiua potentia animæ Chriſti Domini, præter ſpecies infuſas per ſe non indiget alio lumine diſtincto ab habitu ſcientiæ infuſæ per ſe, nec proinde lumen huius ſcientiæ diſtinguitur ab ipſo habitu eleuante intellectum, vt informatus ſpeciebus infuſis per ſe cognoſcat obiecta huius ſcientiæ. V.

Tandem probatur, quia prior ſententia multiplicat entia ſine neceſſitate: nam quicquid B poteſt dici fieri per iſtud lumen prioris ſententiæ, rectè intelligitur fieri per habitum huius ſcientiæ infuſæ per ſe: vt enim lumen iſtud dicitur illuminare ſpecies & obiecta, quatenus facit vt res per illam repræſentatæ cognoſcantur ab intellectu, ita & habitus huius ſcientiæ totum id præſtat, cùm reddat animam Chriſti Domini cognoſcitiuam obiectorum huius ſcientiæ: & quemadmodum in Angelis, quibus Deus infudit ſpecies rerum omnium ordinis naturæ, ipſum lumen naturale intellectus non eſt aliquid aliud quàm vis ipſa eius naturalis, apta nata cognoſcere omnia obiecta naturalia; pariter etiam modo lumen huius ſcientiæ infuſæ per ſe nihil eſt aliud quàm habitus ipſe ſuperadditus obedientialis potentiæ intellectiuæ animæ Chriſti Domini, quo talis potentia redditur C completa & potens, quantum requiritur ex parte ſui, vt cognoſcat omnia & ſingula obiecta huius ſcientiæ. VI. VII.

Articvlvs VI.

Soluuntur fundamenta contrariæ ſententiæ, præcedenti articulo relata.

Primvm & potiſſimum eſt. Eſſe medium *ſub quo*, intelligendi, & eſſe medium *quo*, ſeu per quod intelligendi, ſunt duæ rationes quæ arguunt realem diſtinctionem inter ea quibus duæ iſtæ rationes medij competunt: nam ſecunda ratio importat eſſe aliquod actiuum principium influens in ipſum actum intellectionis, quemadmodum patet in ipſis ſpeciebus intelligibilibus & etiam in medio ſeu motiuo per quod aſſentimur alicui concluſioni: hoc enim & ipſas præmiſſas influere in ipſam concluſionem, ſeu in eius aſſenſum, docent communiter Dialectici in libris Poſteriorum Analyticorum. Prima autem ratio, ſcilicet eſſe medium *ſub quo*, nullam importat rationem actiui principij, vt facilè poteſt animaduerti in omnibus ſcientiis naturalibus, quarum abſtractiones ſunt medium *ſub quo* illæ attingunt ſua obiecta, vt in phyſica *abſtractio à materia ſingulari*, quæ tamen abſtractiones nullomodò ſunt aliquod principium actiuum ſuarum ſcientiarum. Item hæc ſcientia per ſe infuſa, de qua agimus, eſt medium *quo*, per quod intellectus cognoſcit veritates obiectorum huius ſcientiæ, ſeu *per quod* iudicat de veritate D VIII.

I. obiectorum huius scientiæ, illíque consentit, & hoc lumen est medium *sub quo* intelligendi obiecta huius scientiæ, nimirum *modo quodam eleuatiori, perfectiori & independenti à sensibus*, & à conuersione ad phantasmata: igitur lumen huius scientiæ est aliquid realiter distinctum ab hac scientia infusa per se.

Respondetur, Maiorem illius sumptam absolutè & simpliciter esse falsam: nam in Beatis lumen gloriæ habet hanc vtramque rationem medij, est enim medium *quo*, seu per quod videbit Deum clarè, quia concurrit efficienter ad visionem beatificam, & intellectus beati illo informatus eam exercet & efficit, vt omnes Scholastici communiter docent. Et si in tali visione debeat assignari alia ratio, seu medium *sub quo* diuina essentia clarè & intuitiuè videatur, illa

II. non potest assignari alia quàm idem lumen gloriæ, hinc enim appellatur lumen, & idem videre est in lumine fidei.

Nec obstat, quòd formalitas medij, *per quod*, sit aliquo modo distincta à formalitate medij *sub quo*: nam hæc distinctio ita potest esse penes conceptus etiam obiectiuos, vt tamen in ipsa re sint omninò idem, sicut videre est in quàm plurimis rebus ordinis naturalis, quæ, secundùm eamdem entitatem, diuersimodè tamen spectatam, habent alium & alium agendi modum. Vnde non benè infertur ista media debere esse necessariò aliquas entitates à se inuicem realiter distinctas.

Neque est, quòd quis respondeat, lumen gloriæ habere rationem huius vtriusque medij, ex eo quòd sit *supremi ordinis*, & habere ex propria sua excellentia, quòd sit lumen &

III. habitus, siue formaliter vtrumque, siue vnum formaliter, & alterum virtualiter. Nam & scientia per se infusa est etiam *supremi ordinis*, comparatione omnium cognitionum, quæ possunt haberi extra diuinam essentiam clarè visam, & est excellentior omnibus aliis eiusmodi cognitionibus in ratione cognitionis, vt patebit ex infrà dicendis: ergo pari iure ob hanc vtramque rationem habebit etiam, quòd sit simul & semel habitus & lumen pro diuerso tamen respectu, sicut & lumen gloriæ.

Secundum fundamentum est. Lumen huius scientiæ est vnum numero, ex sancto Thoma, vt mox docebimus: hæc autem scientia non est vnus simplex habitus sed multiplex, quia in hac tota scientia sunt varia & varia specie obiecta, quæ cognoscuntur per varia, & varia specie motiua: ergo lumen huius scientiæ est re-

IV. aliter distinctum ab hac scientia.

Respondetur, hoc lumen esse quidem vnum, similiter & habitum huius scientiæ esse vnum: qua autem ratione iste habitus possit esse vnus & simplex, & nihilominùs ferri in tot obiecta diuersa specie, & per tot motiua diuersa, explicabitur sequenti articulo.

Tertium fundamentum est. In nobis datur lumen naturale intellectus agentis, distinctum realiter ab ipsis habitibus cognoscitiuis obiectorum naturalium: ergo pari iure dabitur in intellectu animæ Christi Domini aliquod lumen infusum, realiter distinctum ab ipsa eius scientia infusa per se, quâ rectè iudicat de veritate obiectorum huius scientiæ.

Respondetur negando antecedens, si intelligatur de aliquo lumine distincto à nostro intellectu & ab habitibus, quibus facilitatur ad intelligendum obiecta naturalia, quod fusiùs explicari spectat ad Philosophos in libris de anima.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm hoc prædictum lumen scientiæ per se infusæ sit vnum.

CABRERA hac quæstione sancti Thomæ disputatione sextâ, cum nonnullis aliis existimat hoc lumen seu scientiam infusam per se non esse vnum simpliciter habitum, sed distingui in plures supernaturales habitus realiter & specie diuersos.

Melior tamen est opposita sententia, quam

B hac nostra propositione explicamus, *Lumen huius scientiæ infusæ per se est vnum tantùm numero, seu habitus huius scientiæ infusæ per se animæ Christi Domini, est tantùm vnus numero habitus, vna simplex qualitas eleuans & corroborans intellectum animæ Christi Domini, vt sit potens & expeditus in actu primo cognoscere omnia obiecta huius scientiæ.* Ita Suarez expresè hîc disputatione vigesima-nonâ, sectione tertiâ, Medina hac quæstione, Aluarez hîc disputatione sexagesima-quartâ, ad art. 6. huius quæstionis, & plures alij, videtúrque esse expressa sententia sancti Thomæ hîc articulo sexto in responsione ad tertium, & clariùs libro tertio sententiarum, distinctione decima-quartâ, quæstione vnica, articulo tertio, quæstiuncula quarta, dum in fine corporis verbis disertis scribit, in *anima Christi Domini vnum tantùm dari habi-*

C *tum, quo cognoscat res per inditum scientiam:* & quòd sumat ibi nomen *habitus* pro eo, quod tenet se ex parte potentiæ, & non pro specie, quæ se tenet ex parte obiectorum, patet, ex eo quòd hac quæstione, articulo sexto admittit in hac scientia plures habitus, provt nomen *habitus* sumitur pro speciebus, qua multitudine specierum non obstante, ibi in solutione ad tertium ait *lumen infusum diuinitus*, quod ex solutione primæ difficultatis præcedentis nihil est aliud quàm habitus huius scientiæ, *esse communem rationem intelligendi ea quæ diuinitus reuelantur*, sicut & lumen agentis est vnum numero in quolibet hominum: itavt lumen huius scientiæ seu ipse habitus scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini sit solummodò vnus numero.

Ex quibus sancti Thomæ testimoniis hæc ratio formatur pro nostra propositione. Quotes-

D cumque aliqua qualitas habet se per modum potentiæ, & est vna communis ratio attingendi plura obiecta etiam specie diuersa, tunc, non obstante hac specifica diuersitate obiectorum, talis qualitas est tantùm vna numero, cùm nulla ibi reperiatur necessitas multiplicandi illam, eo quòd omnia illa obiecta quantumuis diuersa conueniunt in illa vna ratione, quâ attinguntur à tali qualitate, & proinde hæc illorum diuersitas est potiùs *naturalis*, loquendo propriè, *quàm formalis*, penes quam ipsa multiplicatio potentiæ, vel eius vnitas, aut qualitatis imitantis potentiam, attenditur: atqui habitus huius scientiæ infusæ per se animæ Christi Domini est qualitas habens se per modum potentiæ, quia non tantùm dat *facilè vel promptè intelligere* obiecta huius scientiæ, sed *dat illi*

V. VI. VII. VIII.

I. *simpliciter posse*, quemadmodum habitus supernaturales per se infusi dant suis potentiis, & penes quòd differunt ab habitibus acquisitis, seu infusis tantùm per accidens: est enim hæc quæstio, ex dictis articulo quinto præcedenti, & aliis, habitus per se infusus, entitatiuè supernaturalis, & præterea est vna quædam communis ratio attingendi omnia obiecta huius scientiæ tam naturalia quàm supernaturalia, quæcumque illa sint, tum ex sancto Thoma hic citato articulo sexto in solutione ad tertium, tum etiam quatenus propria eius natura & conditio est *manifestare euidenter potentiæ intellectiuæ sua obiecta modo aliquo eleuatiori & perfectiori*, quàm possint manifestari per quascumque alias scientias inferiores, scilicet *independenter à corpore, & insuper causare in ipsa potentia assensum circa hæc obiecta*, & hæc vna & eadem ratio manifestandi obiecta & causandi assensum circa illa, quantum est ex parte huius habitus, habet se vno & eodem modo: igitur habitus huius scientiæ infusæ per se intellectui animæ Christi Domini est vnus tantùm numero, seu vna tantùm simplex qualitas. II.

Maior confirmatur amplius. Primò, quia talis qualitas sic accedit magis ad conditionem & perfectionem potentiæ: nam omnes & singulæ potentiæ sunt in nobis simplices quædam qualitates, licèt habeant diuersa specie obiecta in quæ ferantur, vt facilè patet discurrenti per illas. Secundò, quia quo potentiæ sunt ordinis superioris, eo etiam perfectius seipsis solis, & non multiplicatis attingunt per veram suam simplicem rationem varia illa specie obiecta, quæ potentiæ inferiores variæ, & specie distinctæ attingunt suis principiis, & tamen variis rationibus, exempli gratia, sensus communis obiecta quæ alij sensus inferiores attingunt, item intellectus sub vna simplici ratione omnia & singula obiecta, quæ singuli sensus variis & distinctis suis rationibus attingunt. Tertiò, id etiam est animaduertere in habitibus aliis & scientiis: nam quæ physica & aliæ pleræque scientiæ inferiores cognoscunt sub variis & distinctis rationibus, ea scientiæ superiores, exempli gratiâ, metaphysica, omnia & singula considerat sub vna perfectiori ratione, & per idem lumen gloriæ Beati cognoscunt diuinam essentiam & creaturas, quas vident in verbo, & nos per idem lumen seu habitum fidei infusæ præbemus assensum tam multis rebus diuersi ordinis: sic denique lumen Angelicum, quo vnusquisque Angelus cognoscit omnia & singula entia ordinis naturalis, est vnum simpliciter & non multiplex specie, licèt per illud intelligat vnumquodque obiectum naturale, provt est in se & secundùm se consideratur, quo modo est multiplex: ergo, vt patet hac inductione, quotiescumque aliqua qualitas sese habet per modum potentiæ, & est vna communis ratio attingendi plura obiecta, etiam distincta specie, tunc ibi nulla est necessitas multiplicandi istam qualitatem, sed vna numero potest esse sufficiens. III.

Minor verò eiusdem nostræ rationis manet satis probata, ex iis quæ ei subiecimus: & potest amplius confirmari ex eo quòd, vbi est eadem eleuatio potentiæ secundùm eamdem rationem spectatæ, ibi omnes actus talis potentiæ, vt sic eleuatæ, ad quodcumque obiectum sese terminent, debent esse ab eadem numero forma eleuante, quia eadem eleuatio specificatur ab eadem forma eodem planè modo eleuante: atqui intellectus animæ Christi Domini, spectatus secundùm potentiam suam obedientialem actiuam, hic eleuatur per habitum scientiæ infusæ per se, tanquam per formam complentem, & dantem illi esse cognoscitiuum, imò esse cognoscentem, saltem in habitu, omnia obiecta huius scientiæ, & eodem modo illam in tali ordine eleuat respectu cuiuscumque obiecti: ergo talis habitus debet esse vnus tantùm numero & non multiplex. IV.

A V.

Articvlvs VIII.

Soluuntur fundamenta prioris sententiæ præcedenti articulo relatæ.

B VI.

PRIMVM fundamentum est. Habitus cognoscitiui distinguuntur penes motiua & diuersas formales rationes sciendi: at in scientia infusa per se animæ Christi Domini, dantur plura motiua sciendi etiam distincta specie circa varia eius obiecta, diuersæ item formales rationes sciendi: nam aliqua istorum motiuorum sunt ipsis rebus cognitis intrinseca, exempli gratiâ, quando aliquæ istarum veritatum cognoscuntur per suas proprias causas, & hæc sunt diuersæ speciei, provt ipsæ veritates seu obiecta sunt etiam diuersa specie, exempli gratiâ, quædam sunt purè supernaturalia, vt lumen gloriæ, gratia sanctificans, modus ille substantialis vnituus humanitatis cum Verbo diuino, & id genus cætera: quædam sunt media, vt sunt liberæ cogitationes cordium, nullo signo exteriori patefactæ ab ipso habente illas: item futura contingentia dependentia à causis liberis: quædam sunt meiè naturalia, vt sunt res omnes naturales, quæ tamen per hanc scientiam cognoscuntur: igitur lumen huius scientiæ seu habitus scientiæ infusæ per se animæ Christi Domini, non est vnus & simplex habitus, sed tantùm multiplex. C VII.

Hæc ratio confirmatur, ex eo quod primâ parte quæstione prima docuimus, nimirum licèt sacra Theologia innitatur lumine fidei mediatè & virtuali reuelationi, nihilominùs tamen quia ita innititur mediatè reuelationi, vt vtatur variis specie mediis variarum veritatum spectantium ad varias scientias specie etiam distinctas, quando deducit suas conclusiones ex vna tantùm de fide & altera purè naturali, ideò totam Theologiam, vt sic, esse solummodò habitum vnum aggregatione multorum: ita etiam licèt habitus huius scientiæ sit per se infusus, quia tamen facit ipsum intellectum animæ Christi Domini cognoscitiuum variarum & specie distinctarum veritatum per varia & diuersa specie motiua, erit etiam habitus solummodò vnus per aggregationem. D VIII.

Respondetur, habitus cognoscitiuos, loquendo in genere, esse in duplici differentia: alios esse *infusos per se*, qui habent rationem alicuius potentiæ, vt superiùs explicatum est: alios esse *acquisitos, vel tantùm infusos per accidens*. Hanc autem inter vtrosque esse differentiam, quòd priores, quia præstant obedientiali actiuitati suæ potentiæ, in ordine ad actus per se supernaturales, illud quòd naturalis potentia præstat suo subiecto, in ordine ad suos actus natura-

les,

I. les, & isti habitus sunt priores quocùmque suo actu, nec possunt esse ab illis (alias enim non essent per se infusi) ideo etiam habent alium suæ specificationis modum quàm habitus acquisiti, & quoad hoc imitantur ipsas potentias: vnde sicut, quando ipsæ potentiæ habent duplices actus, alios inadæquatos, vt intellectus, *assensum, dissensum, simplicem apprehensionem*, potentia visiua, *perceptionem albi, & nigri*, & alios item adæquatos, verbi gratia, potentia visiua visionem, quatenus talis actus abstrahit ab omnibus inadæquatis suæ potentiæ obiectis, & habet aliquid, in quo omnes inadæquati actus talis potentiæ conueniunt: tunc tales potentiæ non specificantur à suis actibus inadæquatis, sed specificantur per actus adæquatos, id est per actum illius potentiæ sumptum in communi, quantumcumque inadæquati eius actus habeant obiecta diuersa specie, quemadmodũ omnes Philosophi communiter docent libris de anima, & videre est in potẽtia visiua, quæ habet visionem *nigri, albi, viridis*, & aliorum eiusmodi tanquam actus sibi inadæquatos, à quibus tamen non specificatur, sed ab actu adæquato abstrahente ab illis secundùm communem aliquam rationem: ita etiam habitus cognoscitiui infusi per se, quando ad imitationem potentiarum habent vnam aliquam specie communem rationem, secundùm quam dicunt habitudinem ad omnia sua obiecta, aliàs distincta inter se specie, tunc desumunt ab illa communi ratione suam specificationem, non obstante quacumque specifica differentia actuum suorum inadæquatorum, quia sic imitantur potentiam, & debent specificari per aliquid, quod æquè latè pateat ac eiusmodi habitus: at habitus acquisiti, quia non habent rationem alicuius potentiæ, sed ex sua naturali conditione supponunt illam completam, & actus illorum sunt inadæquati comparatione potentiæ intellectiuæ, vnam tantùm habent inadæquatam rationem, specie distinctam ab alia ratione inadæquata alterius habitus pertinentis ad eandem potẽtiam, ideo etiam pro varietate specifica suorum obiectorum formaliter sumptorum, sunt distincti à se inuicem specie.

Hinc, quia scientia infusa per se animæ Christi Domini est habitus per se infusus, vt suprà ostendimus, & habet vnam rationem communem omnibus suis obiectis, secundùm quam attingit illa omnia, quæ ratio *est modus elevatior cognoscendi obiecta in proprio genere absque vlla dependentia à corpore & phantasmatibus*: ideo licèt præbeat assensum vni veritati ex vno motiuo, & alteri ex altero etiam specie distincto, non definit esse vnus & idem numero habitus, seu simplex vna qualitas in intellectu animæ Christi Domini, sicut vna & eadem est numero potentia visiua in quolibet nostrũm, licèt sub alio motiuo specie diuerso feratur in album, & alio in nigrum, & sic de aliis, quia scilicet hæc sunt tantùm obiecta inadæquata, & actus inadæquati comparatione talis potentiæ, datúrque alia superior quædam ratio communis adæquans totam habitudinem visus, & sic hæc distinctio motiuorum inadæquatorum, vt considerantur in ordine ad specificationem potentiæ, habent se potiùs *materialiter* quàm *formaliter*: & similiter in hoc habitu scientiæ infusæ per se, quia singula motiua distincta specie, quibus intellectus animæ Christi Domini assentitur singulis veritatibus specie distinctis huius scientiæ, sunt tantùm inadæquata comparatione ipsius habitus, & vt sic sese habent potiùs *materialiter* quàm *formaliter*, & conueniunt inter se formaliter in prædicta ratione communi; ideo habitus huius scientiæ semper remanebit vnus & simplex, & non multiplex, seu tantummodo vnus aggregatione plurium. V.

Ad confirmationem huius primi fundamenti petitam ab habitu Theologiæ, respondetur, illum esse acquisitum, vt Theologi docent primâ parte quæstione 1. ideóque sequi conditionem habituum acquisitorum: & sic rationem illius esse disparem à ratione huius habitus scientiæ infusæ per se. Nam citata illa quæstione docuimus hanc esse distinctionem habituum II. indicatiuorum acquisitorum à potentiis, quòd VI. hæ accipiant solummodò rationem suæ veritatis & specificationis à sola ratione *sub qua* tendunt in sua obiecta, habitus verò acquisiti iudicatiui totam & adæquatam rationem formalem suæ veritatis & specificationis accipiant ab *vtraque hac sua ratione*, scilicet, *sub qua & per quam simul*. Vnde cùm habitus scientiæ infusæ per se sequatur conditionem potentiæ, & habitus Theologiæ sit tantùm acquisitus: non benè infertur habitum huius scientiæ infusæ per se debere esse vnum, aggregatione plurium habituum, ex eo quòd ipse habitus Theologiæ, qui habet vnam rationem *sub qua* communem suis actibus & subiectis, est tantùm vnus per aggregationem.

Secundum fundamentum est. tàm benè virtutes morales infusæ per se, complentes actuitatem voluntatis in ordine ad obiecta supernaturalia, dantur in anima Christi Domini, quàm scientia infusa per se, virtus intellectualis detur ad complendam actuitatem intellectus eius, in ordine ad obiecta supernaturalia cognoscibilia: & tamen omnes illæ virtutes, quia diuersis specie motiuis feruntur in diuersa specie motiua, non sunt vnicus numero habitus, sed pũres distincti specie; ergo pari iure, quia habitus scientiæ infusæ per se animæ Christi Domini ad complendum actuitatem intellectus eius in ordine ad obiecta supernaturalia, est per varia, & varia motiua specie, non erit vnus tantùm numero habitus, sed multiplex, & solùm vnus aggregatione plurium. VII.

Respondetur nos ibi expresè addidisse hanc particulam restringentem, *quando ad imitationem potentiarum habent vnam aliquam specie communem rationem, secundùm quam dicant habitudinem ad omnia sua obiecta*: nam si careant hac conditione, ita se habebunt in ratione potentiæ, vt imitentur illas potentias, quæ sese tantùm extendunt ad plures actus eiusdem speciei, cuiusmodi possunt esse *potentia augmentatiua, nutritiua*: & propterea quemadmodum plures istæ potentiæ admittuntur distinctæ specie in vno & eodem subiecto, quatenus illud diuersimodè perficiunt in ordine ad varias specie operationes, & in isto suo ordine & gradu cum distinctione specifica sese compatiuntur in ratione potentiæ: sic etiam quando aliquis habitus supernaturalis & infusus per se sic imitatur potentiam, vt illam tantùm compleat in aliquo certo ordine & gradu, nec omnes alij actus inadæquati habent VIII.

I. vnam aliquam rationem sibi omnibus, vt distinctis specie, communem sub qua tendant in omnes eiusmodi actus; tunc isti habitus debent esse distincti specie, & quilibet illorum debet habere diuersam specificationem pro diuersa illa ratione, sub qua complet & perficit actiuitatem obedientialem potentiæ in ordine ad suos actus supernaturales.

Hinc, quia omnes virtutes morales infusæ per se simul sumptæ non habent vnam specie rationem sibi omnibus communem, secundùm quam dicant habitudinem ad sua obiecta seu tendant in illa, sed vnus habet aliam distinctam ab habitudine, sub qua alter habitus tendit in sua obiecta (nimirum quatenus singulæ illæ virtutes tendunt in sua obiecta secundùm distinctas specie regulas rationis, & non secundùm vnam tantùm communem omnibus) ideo fit vt

II. plures virtutes morales per se infusæ, distinctæ à se inuicem specie, dentur in voluntate, non tamen plures dentur habitus infusi per se respectu scientiæ infusæ per se animæ Christi Domini.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm lumen seu habitus scientiæ per se infusæ animæ Christi sit distinctus à lumine gloriæ.

MARCILIVS in tertium sentent. quæst. 10. art. 2. quartâ parte articuli conclusione 1. existimat lumen seu habitum huius scientiæ infusæ per se animæ Christi Domini esse omnino idem cum lumine gloriæ, quo videt diuinam essentiam & creaturas in Verbo, addit tamen tertia sua propositione quòd licèt anima Christi Domini hoc vno lumine possit vno &

III. eodem actu videre omnia in suo genere, potest etiam hoc eodem lumine seu habitu cognoscere varia obiecta pluribus actibus etiam specie distinctis. Atque hanc sententiam de identitate huius luminis seu habitus cum lumine gloriæ sequuntur aliqui recentiorum, & in illam vt valde probabilem Suarez inclinat citata disputatione 20. sectione 4. quamquam dicat se ob huius opinionis nouitatem non recedere à contraria.

Meliùs tamen est sententia affirmans, *lumen seu habitum huius scientiæ per se infusæ*, esse *distinctum realiter ab ipso lumine gloriæ*, & illam ponimus loco nostræ propositionis quam Suarez loco paulò antè citato agnoscit esse communem, & quam sequitur Cabrera hac quæst. art.

IV. 6. disp. 5. & plures alij, videturque esse S. Thomæ hac quæst. art. 1. in fine corporis dum *expresè negat hanc scientiam sese extendere ad cognoscendum diuinam essentiam*, ad quam tamen cognoscendam ipsum lumen gloriæ ordinatur ex sua natura, quemadmodum Scholastici docent primâ parte quæst. 12. citata. Habet item fundamentum in S. Thoma hac quæst. art. 5. in solutione ad primum, vbi distinguit hanc scientiam à beata, aitque *hanc excedere modum naturæ humanæ, quia videt Dei essentiam & alia in ipsa, illam esse secundùm modum proportionatum naturæ humanæ, prout scilicet cognoscit res per species sibi diuinitus inditas, hanc esse totam & solummodo actualem respectu omnium, quæ hoc modo cognoscit, illam esse habitualem perfectissimam solùm in genere humanæ cognitionis.* Vnde

A ait, *non oportuisse eam semper esse in actu*: quæ duo asserta sancti Thomæ non essent simpliciter & absolutè vera, sed tantùm secundùm quid, si lumen, seu habitus huius scientiæ esset reipsâ idem cum lumine gloriæ, vt quilibet potest animaduertere. V.

Probatur autem primò: vbi habitus cognoscitiuus infusus per se habet vnam rationem communem *sub qua* cognoscendi omnia sua obiecta distinctam specie & formaliter ab alia vna communi ratione *sub qua* cognoscendi alterius habitus cognoscitiui etiam per se infusi, ibi tales duo habitus sunt à se inuicem distincti, quia tota ratio distinguendi illos est ipsa eorum ratio specificatiua *sub qua* adæquans omnia & singula eorum obiecta & actus, vt intelligitur ex dictis præcedenti articulo in responsione ad primum fundamentum primæ sententiæ:

B atqui lumen gloriæ, seu habitus confortans intellectum animæ Christi Domini ad Deum claræ & intuitiuè videndum, & lumen seu habitus scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini ad cognoscendum res entitatiuè supernaturales in proprio suo genere sunt habitus cognoscitiui infusi per se, quemadmodum suprà docuimus, & ratio *sub qua* specificatiua luminis gloriæ adæquans omnia & singula obiecta visionis beatificæ, seu in verbo est distincta specie, à ratione *sub qua* specificatiua huius scientiæ per se infusæ, adæquante omnia & singula eius obiecta: nam ratio specificatiua *sub qua* luminis gloriæ est *ipsamet diuinitas*, quia primò per se tendit in Deum cognoscendum, *sicuti est, & vt est ipse*, in alia autem obiecta distincta à Deo, *quatenus diuina essentia est ratio cognoscendi illa, & vt sunt in Verbo tanquam in alio cognita*, quemadmodum communis sententia habet primâ parte quæstione duodecima. Ratio autem *sub qua* specificatiua luminis seu habitus scientiæ per se infusæ est *modus ille, quo res & singula eius obiecta cognoscuntur vt in seipsis, & in proprio suo genere sub ratione quadam perfectiori*, & magis abstracta, quàm cognoscuntur per omnes alias scientias naturales, scilicet *independenter à corpore & phantasmatibus* per species infusas per se: quæ ratio est minùs perfecta quàm sit illa, qua videntur in Verbo, diuinâ essentiâ clarè visa habente rationem medij cogniti: igitur lumen seu habitus huius scientiæ per se infusæ est distinctum lumen à lumine gloriæ seu habitu confortante intellectum Beati ad videndum clarè & intuitiuè Deum. VI. VII.

D Confirmatur primò: modus cognoscendi obiecta in alio *vt obiecto cognito*, & modus cognoscendi illa in *proprio suo genere*, sunt à se inuicem distincti, & proinde constituunt habitus specie distinctos, etiam comparatione eorumdem materialiter obiectorum: atqui lumen gloriæ est intrinsecè & formaliter ad videndum Deum *in se sicuti est*, & res alias distinctas à Deo in diuina essentia tanquam *in alio obiecto cognito*, lumen verò seu habitus huius scientiæ per se infusæ est ad cognoscendum obiecta supernaturalia, *vt in proprio suo genere*, quemadmodum patet ex dictis: ergo modus cognoscendi per lumen gloriæ, & modus cognoscendi per hanc scientiam infusam, per se sunt distincti specie, & proinde habitus huius scientiæ est distinctus realiter ab habitu seu lumine gloriæ. VIII.

I. Confirmatur secundò, nullus habitus sese extendit extra latitudinem adæquati sui obiecti & suæ rationis adæquatæ *sub qua*: atqui obiecta scientiæ infusæ per se, sumpta formaliter seu *vt cognoscibilia in proprio genere*, sunt extra latitudinem adæquati obiecti formaliter sumpti ipsius luminis gloriæ, quia hoc lumen habet pro sua tota latitudine id omne quod est cognoscibile *per ipsam diuinitatem tanquam formalem rationem sub qua*, extra quam est *esse cognoscibile in proprio suo genere*, & extra Verbum diuinum: igitur lumen gloriæ seu habitus confortans intellectum creatum ad Deum clarè videndum non se extendit ad obiecta huius scientiæ per se infusæ, & proinde est ab illo distinctus realiter.

II. Secundò probatur conclusio. Habitus cui est connaturale elicere actus ordinis superioris, item cui est connaturale elicere suos actus necessariò, & impendenter à subordinatione & subiectione ad voluntatem vt liberam, est alius & distinctus specie, ab eo habitu, cui est connaturale elicere tantummodò actus ordinis inferioris, & cum subordinatione & subiectione ad voluntatem liberam, quia habitus insuper se dantur, vt potentiæ illis informatæ *agant connaturaliter*, & proinde vbi erit diuersus specie modus operandi connaturaliter respectu vnius & eiusdem potentiæ, ibi etiam erit distinctus specie habitus: atqui connaturale est lumini gloriæ elicere actus visionis beatificæ necessariò, & absque libertate, & actus eius sunt ordinis supremi, in ordine cognitionis creatæ, item est connaturale proprio lumini, seu habitui huius scientiæ elicere tantùm actus ordinis inferioris, scilicet *cognitionis vespertinæ*, seu extra Verbum diuinum: cognitio autem vespertina est longè inferior cognitione beatifica in Verbo, vt patet solo ipso nomine, quo hæc posterior vocatur communiter à S. Augustin. & Theologis *matutina*, illa verò, *vespertina*: & hæc scientia exercetur etiam cum aliqua subordinatione & subiectione ad voluntatem liberam, vt S. Thomas docet hîc art. 5. & nos infrà ostendemus: igitur lumen seu habitus huius scientiæ per se infusæ non est idem, ac ipsum lumen gloriæ, seu ac ipse habitus, quo intellectus beati confortatus videt clarè & intuitiuè diuinam essentiam, & res alias in illa.

III.

Articvlvs X.

IV. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ articulo præcedenti relata.*

PRIMVM fundamentum est. Lumen gloriæ est sufficiens principium tàm ad cognoscendum seipsum, quàm veritates supernaturales in suo proprio genere: ergo cùm hic habitus sit tantùm ad cognoscendum res entitatiuè supernaturales in proprio suo genere, illud in Christo non fuit aliud quàm ipsummet lumen gloriæ, quo clarè & intuitiuè videt diuinam essentiam & aliquot creaturas. Consequentia probatur: quia frustra multiplicantur entia sine necessitate, & quando aliquid fit æque benè per vnum numero habitum, ac per multiplicem, tunc vnitas luminis seu habitus est potius admittenda quàm eius multiplicatio. Antecedens probatur: lumen gloriæ habet in seipso virtutem sufficientem vt attingat omnia obiecta supernaturalia in proprio suo genere: non enim maior virtus requiritur ad cognoscendum illa in proprio suo genere, quàm in Verbo diuino, cùm hic modus posterior cognoscendi sit perfectior priori: at lumen gloriæ dat intellectui posse videre istà obiecta in Verbo: ergo cùm id quod potest maius, possit & minus, lumen gloriæ erit sufficiens principium ad cognoscendum propria obiecta huius scientiæ. A V.

Respondetur negando Antecedens, cuius negati ratio continetur fundamento nostræ propositionis: quòd scilicet nec ipsum lumen gloriæ, nec alia obiecta vt cognoscibilia in suo proprio genere continentur sub formali ratione *sub qua* specificante ipsum lumen seu habitum gloriæ, quo Beati vident diuinam essentiam: sed intellectum Beati posse per lumen gloriæ cognoscere hoc suum lumen, & alia obiecta in Verbo, tanquam in alio, seu in obiecto cognito. VI.

Ad probationem huius Antecedentis respondetur hanc sufficientiam non debere attendi penes maiorem virtutem quomodocumque spectatam, pùtà *ordinis superioris*, sed penes quamdam *proportionem & accommodationem* illius, secundùm rationem suam formalem *sub qua* ad obiectum. Licèt enim virtus intellectus sit longè maior ipsa virtute tactus, aut alterius sensus exterioris, non propterea tamen (quia est diuersi ordinis ab illo, & aliam habet rationem formalem *sub qua*) potest rendere in ipsum obiectum tactus sub illa eadem ratione formali, qua attingitur ab ipso sensu tactus: quare licèt lumen gloriæ sit perfectius lumine, seu habitu huius scientiæ, quia tamen ita est ordinis superioris, vt non habeat prædictam accommodationem cum obiectis huius scientiæ infusæ per se, non erit sufficiens ad cognoscendum obiecta illa in suo proprio genere, & virtus maior tunc tantùm potest facere quod minor præstat, quando est eius ordinis cum illa minori, & quandam cum illa habet accommodationis proportionem: quod hîc non reperitur. C VII.

Secundum fundamentum. Lumen gloriæ est eiusdem ordinis cum propriis obiectis huius scientiæ, & speciebus illius, scilicet *supernaturalis per se, & gratiæ*: ergo intellectus creatus potest cognoscere omnia obiecta huius scientiæ in proprio suo genere per ipsum lumen gloriæ.

Respondetur negando consequentiam, quia lumen & obiecta per illud cognoscenda debent esse eiusdem ordinis specifici: at lumen gloriæ est tantùm *eiusdem ordinis generici* cum obiectis & speciebus scientiæ per se infusæ, quatenus omnia illa sunt ordinis supernaturalis: non est tamen *eiusdem ordinis specifici*, nam datur quædam latitudo in ordine supernaturali: licèt enim fides, & spes infusæ sint ordinis supernaturalis, nemo tamen dixerit illas esse eiusdem ordinis specifici cum lumine gloriæ, & fruitione diuinæ essentiæ, cùm eorum obiecta sumpta formaliter habeant formalitatem, *sub qua* attinguntur, nobiliorem & longè perfectiorem: sic etiam licèt beata scientia, & infusa per se, sint ordinis supernaturalis, sicque conueniant in *ordine generico*, attamen consideratæ specificè sunt ordinis distincti: & vt visio beatifica est al- D VIII.

I. terius speciei, à cognitione vespertina eiusdem beati, ita etiam lumen gloriæ est alterius ordinis specifici supernaturalis, ab eo ordine supernaturali specifico, in quo est lumen seu habitus scientiæ per se infusæ: quare beatus non cognosceret per suum lumen gloriæ obiecta huius scientiæ per se infusæ.

Tertium fundamentum. Lumen gloriæ est principium sufficiens cognoscendi omnia quæ beatus cognoscit tanquam comprehensor, & ratione status sui beatifici lumen eius gloriæ, loquendo propriè, est beatificum: atqui intellectus animæ Christi Domini cognoscit omnia obiecta huius scientiæ in proprio suo genere, quatenus est comprehensor, seu ratione sui status beatifici: nam suprà obseruauimus hanc scientiam infusam per se esse aliquod consectarium æternę beatitudinis Sanctorum: igitur anima

II. Christi Domini debet cognoscere omnia obiecta huius scientiæ in proprio suo genere per suum lumen gloriæ.

Respondetur, statum beatificum seu comprehensoris posse considerari duobus modis: Primo *formaliter*, scilicet quando consideratur *præcisè* secundùm ea, quæ formaliter importantur, seu includuntur in *formali beatitudine*: secundo, *consequenter*, seu secundùm illa, quæ formalem beatitudinem consequuntur. Iam lumen gloriæ est sufficiens principium cognoscendi omnia, quæ formalem actum suæ beatitudinis terminant: sic enim tantùm videt diuinam essentiam & res aliquas in illa tanquam cognita, quomodo *diuinitas* est ei ratio *sub qua* attingendi obiecta: at idem lumen gloriæ non est physicum principium sufficiens cognoscendi ea obiecta, quæ cognoscuntur à beatis

III. sub alia ratione formali *sub qua*, & aliqua alia scientia, quæ se habet tantùm velut consectarium quoddam ipsius formalis beatitudinis, cuius rei hæc est ratio, quòd istud consectarium, scilicet scientia per se infusa, & alię id genus perfectiones, non emanent *physicè* à visione beatifica, sed tantùm *moraliter*, quatenus Deus, ex quadam decentia & honestate fundata in perfectione status beatifici, infundit immediatè, & per seipsum beatis hanc scientiam: neque enim hæc scientia habet aliquam intrinsecam dependentiam à statu beato, nam, absolutè & simpliciter loquendo, Deus potest illam communicare alicui intellectui nondum beato, sicut in ipsa transfiguratione Christi Domini, communicauit de facto Moysi & Heliæ, nondum per claram visionem diuinæ essentiæ beatis, dotes corporis glorioſi.

IV. Quartum fundamentum. Lumen quod est sufficiens ad seipsum cognoscendum, est etiam sufficiens ad cognoscendum alia à seipso quæ sunt eiusdem secum ordinis, verbi gratia quia lumen Angelicum in vnoquoque Angelo est sufficiens principium ad cognoscendum seipsum, est etiam sufficiens principium ad cognoscendum alia ab Angelo, quæ sunt eiusdem secum ordinis: atqui lumen gloriæ est sufficiens beato ad cognoscendum seipsum, & obiecta huius scientiæ sunt eiusdem cum illo ordinis, scilicet supernaturalis: ergo idem lumen gloriæ erit etiam sufficiens & accommodatum principium cognoscendi propria obiecta huius scientię, quæ sunt etiam ordinis supernaturalis.

Respondeo, Maiorem huius fundamenti tunc tantùm esse veram, quando lumen illud & alia obiecta distincta ab illo conueniunt in vna & eadem ratione communi *sub qua* attinguntur. Sic quia lumen gloriæ est sufficiens ad videndum in Verbo diuino quasdam creaturas, quatenus diuinitas est ratio formalis *sub qua* cognoscendi illas, ita etiam idem lumen gloriæ est sufficiens ad cognoscendum seipsum in Verbo diuino, quatenus diuinitas, quæ est propria eius ratio *sub qua* cognoscendi aliquid in Verbo diuino, potest aliquo modo reperiri in lumine gloriæ, *vt cognito* in diuina essentia, clarè visa: sed lumen gloriæ non potest esse sufficiens principium cognoscendi seipsum extra Verbum, seu *in proprio genere* propter defectum formalis rationis *sub qua*, vt iam explicatum est, tam in fundamento nostræ propositionis, articulo præcedenti, quàm in responsione ad primum fundamentum contrariæ sententiæ. VI.

Quòd si quæras, cùm lumen gloriæ sit etiam cognoscibile in proprio genere, sitque aliquid longè perfectius lumine seu habitu huius scientiæ per se infusæ? per quod igitur lumen sic cognoscetur à beatis. Respondetur, illud sic spectatum esse cognoscibile per lumen seu habitum proprium huius scientiæ: nec obstat quòd sit nobilius illo, non enim est necesse lumen seu habitum scientiæ esse maioris, vel etiam æqualis perfectionis *in sua entitate*, cum obiecto quod attingit, vt videre est in eodem lumine gloriæ, cuius proprium & primarium obiectum est *diuina essentia*, qua lumen gloriæ, *in ratione entitatis* etiam formaliter sumptæ, est aliquid inferius, vt per se patet: idem videre est in habitu Theologiæ, Metaphysicæ & aliis, qui habent Deum vel etiam substantias spirituales creatas pro suis obiectis: & sicut Theologi primâ parte quæstione 12. docent, non esse de ratione speciei impressæ intelligibilis, ad hoc vt referat Deum clarè visum, quòd sit eiusdem conditionis & ordinis cum illo, sed sufficere quòd sit *representatiua* illius, sicque cum eo conueniat: ita etiam vt lumen seu habitus huius scientiæ attingat lumen gloriæ, non requiritur quòd sit eiusdem perfectionis entitatiuæ, vel etiam ordinis cum illo: sed satis est, quòd propria ratio specificatiua illius *sub qua* comprehendat illud sub se, quatenus sic cognoscibile, nimirùm *in proprio suo genere*; quod habet locum, in præsenti difficultate. VII.

Ad id autem, quod ibi affertur de lumine Angelico, quod est sufficiens ipsi Angelo ad seipsum cognoscendum, & alia à se ipso: Respondetur, illud esse verum, quia ratio *sub qua* ipsum lumen Angelicum tendit in sua obiecta vt cognoscibilia, reperitur etiam in seipso, sicut & in aliis obiectis: quemadmodum, quia lumen corporeum habet etiam in seipso rationem *sub qua* tendit in obiecta à seipso distincta, scilicet *esse visibile corporaliter* ipso eodem lumine, quo cætera obiecta corporalia videntur, & ipsummet lumen corporale videtur, quemadmodum Philosophi docent libris de anima. VIII.

Quintum fundamentum. Quemadmodum, quòd aliqua potentia est perfectior, eò manens vna, & simplex sese extendit ad plura obiecta inferiorum potentiarum, vt patet in intellectu & sensu communi, vt comparantur ad singulos sensus in particulari. Ita etiam, quòd aliquod lumen est perfectius, seu habitus aliquis est perfectior, eò etiam debet idem ma-

I. nens posse sese extendere ad varia obiecta inferiorum luminum seu habituum, vt patet etiam in habitibus scientiarum superiorum, provt comparantur cum inferioribus: atqui lumen gloriæ, *in ratione luminis & habitus corroborantis potentiam*, est perfectius omnium, quia nullum aliud potest dari perfectius, sicut nulla alia cognitio potest dari creato intellectui perfectior ipsa clara & intuitiua visione Dei: item omnia & singula obiecta scientiæ infusæ per se sunt obiecta alicuius scientiæ inferioris ipsa cognitione beatifica: ergo ipsum lumen gloriæ debet posse sese extendere ad cognitionem omnium & singulorum obiectorum scientiæ per se infusæ, & ex consequenti lumen gloriæ quod est in anima Christi Domini est per se, & ex sua propria, & naturali conditione sufficiens principium cognoscendi omnes & quascumque res in proprio suo genere.

II. Respondetur maiorem huius fundamenti ita esse veram, vt tamen sensus illius sit, habitum superiorem debere sese extendere ad obiecta inferiorum scientiarum, non tamen sub *illa vna & eadem simplici ratione formali, sub qua* habitus inferiores sese extendunt ad illa, vt patet iisdem exemplis quibus hoc fundamentum explicatur, sed tantùm *sub alia altiori*, & *magis abstracta & perfectiori* ratione, quam hæc obiecta habent, quatenus sunt cognoscibilia per habitum superiorem. Et ita fatemur lumen gloriæ in Verbo posse sese extendere ad illa ipsa obiecta *altiori modo* cognita, id est in Verbo, ad quæ hæc scientia per se infusa sese extendit. At hinc non sequitur (de quo tamen præsens difficultas procedit) illud idem

III. lumen gloriæ sese etiam extendere ad obiecta huius scientiæ *formaliter*, seu vt sunt cognoscibilia *in proprio suo genere*, sicut nec ipse noster intellectus attingit obiecta sensuum exteriorum sub illa speciali ratione, *sub qua* ipsi sensus exteriores attingunt illa, nec Metaphysica obiecta Physicæ, vel alterius inferioris scientiæ sub illa speciali ratione, sub qua scientiæ istæ inferiores considerant illa eadem sua obiecta.

Sextum fundamentum. Virtus quæ versatur circa obiectum quod est tale *per essentiam*, habet quasi sibi connaturale quòd versetur secundariò circa eà quæ sunt talia *per participationem*, seu quæ sunt quædam participationes obiecti per essentiam talis, exempli gratia, charitas est virtus Theologica, quæ *primariò* versatur circa *Deum diligendum*, & quia proximus est aliqua participatio Dei, & aliquid Dei, versatur

IV. *secundariò* circa *proximum*. Nam charitas quæ amat Deum propter bonitatem increatam, sufficit ad amandum proximum propter bonitatem creatam, quam habet à Deo: atqui lumen gloriæ versatur circa Deum clarè & intuitiuè cognoscendum, *vt est ens per essentiam*, bonus, iustus, & id genus cætera per essentiam, iuxta illud Dei ad Moysen Exodi 33. postulantem videre Deum, *ostendam tibi omne bonum*: & hæc clara visio Dei verè & propriè est beatitudo intellectus creati: item omnia creata obiecta supernaturalia scientiæ infusæ per se animæ Christi Domini, sunt quædam participationes eiusmodi perfectionum Dei, quas intellectus animæ Christi Domini videt in Verbo, & hæc

A scientia infusa per se est quædam participatio cognitionis beatificæ, quia, vt iam monuimus, est aliquod ens consectarium: igitur omnia obiecta huius scientiæ debent cognosci eodem lumine gloriæ, quo essentia diuina vt clarè & intuitiuè visa cognoscitur. V.

Respondetur Maiorem esse veram, quando tàm id quod est tale per participationem, quàm quod est tale per essentiam, attingitur à virtute vel scientia *sub eadem formali ratione sui obiecti*, vt patet in exemplo ibi allato: at quando, quod est tale per participationem non attingitur à virtute vel scientia sub illa vna & eadem formali ratione, sub qua virtus vel scientia considerat proprium suum obiectum, quod est tale per essentiam: tunc alia virtus vel scientia considerat obiectum, quòd est *tale per essentiam*, &

B alia illud, quòd tantùm est *tale per participationem*: quemadmodum facilè videre est in Metaphysica considerante Deum vel ens, vt ens, & in aliis scientiis inferioribus considerantibus entia creata, quæ sunt talia per participationem: at lumen gloriæ & hæc scientia per se infusa non attingunt Deum & creaturas, sub *vna & eadem formali ratione*, vt iam ostendimus. VI.

Septimum fundamentum. Hæc sententia videtur habere aliquod fundamentum in sancto Thoma, quando hac quæstione 11. articulo 6. in solutione ad tertium loquens de lumine seu habitu huius scientiæ dicit, illud esse *communem rationem intelligendi ea quæ diuinitùs reuelantur, sicut & lumen intellectus agentis, eorum quæ naturaliter cognoscuntur*: atqui vnum & idem numero est lumen naturale, quò omnia obiecta

C naturalia cognoscuntur: ergo & est idem numero lumen seu habitus quo beatus intelligit VII. omnia quæ illi diuinitùs reuelantur, id est, manifestantur: ergo cùm talis manifestatio fiat in Verbo & extra Verbum, quemadmodum lumen quo obiecta manifestatur in Verbo, est lumen gloriæ ex cõmuni sententia Theologorum primâ parte quæstione 12. ita etiam lumen quo obiecta manifestantur alicui beato extra Verbum in proprio suo genere, & per species infusas per se, erit illud idem lumen gloriæ.

Respondetur beatum Thomam ibi comparare solummodò habitum huius scientiæ per se infusæ cum intellectu agente *vt est potentia*, quatenus habitus huius scientiæ imitatur intellectum agentem in eo, quòd vnam tantùm habet communem rationem *sub qua* attingit omnia sua obiecta, nec sensus S. Thomæ ibi est,

D quod habitus huius scientiæ sese extendat ad omnia obiecta sub eadem formali ratione, sub VIII. qua alij habitus per se infusi se extendunt ad sua propria: nam & habitus fidei infusæ est aliqua communis ratio intelligendi, quæ diuinitus reuelantur, & tamen est distinctus tàm ab habitu luminis gloriæ, quàm ab habitu huius scientiæ per se infusæ: quare sanctus Thomas ibi per hunc terminum (*ea quæ diuinitus reuelantur*) intelligit tantùm ea, quæ per hanc scientiam infusam per se manifestantur, quatenus vult illa omnia attingi *sub vna & eadem formali ratione*, & sic hunc habitum esse vnum numero, licèt habeat varia & multiplicia obiecta, sicut intellectus est vna numero potentia, quamuis habeat multiplicia obiecta.

DISPVTATIO II.

De speciebus requisitis ad scientiam infusam per se.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm species huius scientiæ sint supernaturales.

IN primis supponenda est hoc loco communis illa doctrina Philosophorum libris de anima, & Scholasticorum primâ parte quæst. 12. *cognitionem pendere à duobus principiis*, scilicet, *à potentia vitali completa*, & obiecto quod vel per seipsum loco, vel ad instar speciei, quando est proportionatum potentiæ & illi debitè approximatum, vel per sui speciem concurrit ad illam cognitionem: vt ita ex vtroque, scilicet *cognoscente & cognito notitia pariatur*, quemadmodum iidem obseruant ibi ex beato Augustino: vnde licèt ostenderimus dari habitum infusum animæ Christi Domini, quo eius intellectus eleuetur ad cognoscendum obiecta huius scientiæ, cùm species requirantur etiam ex parte obiecti, & præsupponantur ad actum cognitionis, nunc est de illis agendum, & imprimis supponimus dari aliquot, vnam vel plures species in hac scientia præter eius habitum, quod etiam S. Thomas satis expressè docet hac quæst. art. 6. in solutione ad tertium, & clariùs 3. sentent. distinct. 14. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 4. vbi concludit animam Christi Domini, *vno quidem habitu cognouisse omnia obiecta huius scientia, licèt diuersis speciebus.*

Hoc igitur supposito de eiusmodi speciebus, Primò quæri potest an illæ omnes, an saltem aliquæ, sint naturales quoad substantiam: an verò omnes sint supernaturales. Medina tertiâ parte ad art. 6. huius quæst. existimat omnes species huius scientiæ esse ordinis merè naturalis: alij apud Suarem hîc disput. 29. sect. 1. existimant species huius scientiæ, quæ representant obiecta *purè naturalia*, esse purè & simpliciter *naturales*, & sic esse tantùm infusas per accidens: species verò obiectorum huius scientiæ supernaturalium per se, esse *supernaturales quoad substantiam.*

Melior tamen est communis aliorum sententia, cum qua concludimus, *omnes species huius scientiæ, sive illæ sint multiplices, sive vna tantùm*, (qua de re posteà) *sive sint obiectorum naturalium, sive supernaturalium, esse propriè supernaturales quoad suam entitatem.* Ita omnes ferè Interpretes S. Thomæ hac quæst. art. 6. Caietanus, Suarez disp. 29. sect. 1. Cabrera hac quæst. art. 6. disput. 1. Aluares ibidem disp. 65. & colligitur esse S. Thomæ hac quæst. art. 4. in corpore, quando ait *hanc scientiam esse excellentiorem scientiâ Angelorum*, secundùm *id, quod habuit à causa influente*, id est à Deo vt auctore gratiæ: sed inter ea, quæ spectant ad hanc scientiam, & quæ anima Christi habuit à Deo, vt influente, sunt species obiectorum huius scientiæ, quia eas non potuit accipere ab obiectis naturali efficacia sui intellectus agentis: hæc enim obiecta sunt magnâ ex parte entitatiuè supernaturalia, vt inferiùs patebit: ergo debuit eas accipere à Deo per infusionem, & cùm hæc scientia, quoad id quod sic accepit à Deo, sit excellentior scientia Angelorum, vt S. Thomas expressè ait ibi, & secundùm eumdem S. Thomam primâ parte species Angelorum sunt infusæ per se, entitatiuè tamen solummodò naturales, species huius scientiæ iuxta sanctum Thomam ita debent esse *per se infusæ*, vt sint etiam *entitatiuè supernaturales.*

Probatur ratione: illud censetur esse *supernaturale quoad entitatem*, cuius entitas est talis conditionis, vt non debeatur ipsi vniuerso, secundùm naturales suas perfectiones, & finem suum naturalem considerato, & quod præterea perficit & ordinat aliquod ens, ad aliquid superioris ordinis, scilicet *supernaturalis*, quemadmodum patet in habituali gratia, in habitu fidei infusæ, in lumine gloriæ, & aliis id genus: atqui species huius scientiæ infusæ per se nulli creato intellectui spectato secundùm suam naturam debentur, primò quia ei sic spectato ea tantùm cognitio debetur, quæ potest haberi ex rebus sensibilibus & consequenter solæ illæ species quæ per intellectum agentem, & sensus exteriores possunt accipi à rebus sensibilibus, cuiusmodi non sunt species huius scientiæ: secundò, quia hæ species ordinant intellectum animæ Christi Domini ad cognitionem ordinis superioris à naturali, seu excedentem conditionem naturalem alicuius intellectus creati, siue spectentur secundùm obiecta, quæ referunt, siue secundùm modum, quo illa referunt, scilicet *altiori quodam modo*, quàm species naturales, *& independenter à sensibus*: tertiò quia cognitio, ad quam propriæ species huius scientiæ dantur, est quoddam consectarium beatitudinis, & proinde sicut beatitudo est ordinis supernaturalis, ita & hæc cognitio similiter propriè eius species: ergo species sunt entitatiuè supernaturales.

Deinde, quod est physicum principium alicuius actus entitatiuè supernaturalis, illud debet etiam esse supernaturale quoad entitatem: numquam enim plus est in effectu, quàm sit in causa: atqui proprij actus huius scientiæ sunt supernaturales quoad entitatem, sunt enim ab intellectu animæ Christi Domini, vt *eleuato & agente per actiuitatem suam obedientialem*, vt intelligitur ex dictis: & præterea species huius scientiæ cõcurrunt etiam realiter ad illos actus, quia iuxta communiorem sententiam Philosophorum lib. de anima, species, quæ sunt loco obiecti, concurrunt cum potentia cognoscente, & cum illa integrant vnum totale principium productiuum cognitionis: igitur species huius scientiæ sunt entitatiuè supernaturales.

Tandem, quod ex sua natura repræsentat humano intellectui etiam incluso corpore adhuc mortali sua obiecta modo eleuatiori, quàm species purè naturales, idque facit independenter à sensibus, & absque conuersione ad phantasmata, illud debet esse alicuius ordinis supra naturam, & proinde entitatiuè supernaturale: atqui species huius scientiæ, tàm quæ repræsentant obiecta purè naturalia, quàm illæ, quæ repræsentant obiecta per se supernaturalia, repræsentant ea omnia intellectui animæ Christi Domini, etiam dum adhuc esset in corpore mortali, vt patet ex dictis quæst. 9. & proprius modus, quo species hæ repræsentant omnia & singula sua obiecta, est eleuatior & abstractior eo, quo

I. ſpecies naturales repræſentant ſua obiecta, & repræſentant ea independenter à ſenſibus & à conuerſione ad phantaſmata, vt iam animaduertimus: igitur omnes ſpecies huius ſcientiæ ſiue ſint plures, ſiue vna tantùm, ſunt ſupernaturales quoad ſuam entitatem.

Quæres, an eiuſmodi ſpecies ita ſint infuſæ per ſe, vt nullomodò emanent ab ipſa beatitudine ſupernaturali, cùm ſint aliquod eius conſectarium, & quædam veluti proprietas, ſicut & hæc ſcientia per ſe infuſa.

Reſpondetur primò, non emanare ab illa *phyſicè*, quia hæc cùm ſit actio vitalis immanens, nullomodò eſt productiua alicuius rei niſi expreſſæ ſpeciei correſpondentis tanquam ſui proprij termini, ſicut & omnis intellectiua cognitio intellectus: at hæ ſpecies ſunt aliquid omnino diſtinctum à tali ſpecie expreſſa, ſeu verbo

II. mentis, quod anima beata exprimit videndo clarè diuinam eſſentiam: ſunt enim aliquid extra viſionem beatificam, ad quam pertinet verbum mentis etiam intrinſecè in ratione proprij ſui termini, ſine quo implicat illam eſſe, cùm tamen non implicet illam eſſe ſine ſcientia per ſe infuſa, & eius ſpeciebus, vt ſuprà animaduertimus.

Secundò reſpondetur, iſtas ſpecies poſſe aliquo modo dici emanare *moraliter* à viſione beatifica, ſcilicèt eo ſenſu, quo virtutes morales per ſe infuſæ dicuntur à Theologis emanare *morali tantùm emanatione* ab habituali gratia, quatenus, quemadmodum ad perfectionem gratiæ ſanctificantis, ad hoc vt anima informata gratia ſit completa, ad *connaturaliter* exercendum actus proprios eiuſmodi virtutum, Deus

III. immediatè per ſeipſum ſimul infundit & habitus virtutum moralium per ſe infuſarum: ita etiam quia hæc ſcientia per ſe infuſa facit ad perfectionem ſtatus beatifici, vt iam docuimus, & poſtulat ex propria ſua conditione fieri per ſpecies ſupernaturales quoad ſuam entitatem, Deus illas etiam immediatè per ſeipſum infudit animæ Chriſti Domini, dum ei infudit lumen gloriæ ad videndum diuinam eſſentiam, & quando etiam ſimul infudit ei habitum huius ſcientiæ.

ARTICVLVS II.

Soluuntur fundamenta prioris ſententiæ articulo præcedenti relatæ.

IV. PRIMVM eſt: ſpecies illæ, quæ nobis repræſentant obiecta ſupernaturalia cognoſcenda per habitum fidei per ſe infuſæ, ſunt merè naturales quoad ſuam ſubſtantiam, vt ſuperiùs eſt annotatum: Ergo pari iure ſpecies illæ quibus anima Chriſti Domini cognoſcit obiecta huius ſcientiæ per ſe infuſæ, erunt tantummodò quoad ſuam ſubſtantiam naturales, quia vtrobique eſt par ratio, cùm obiecta cognoſcenda per fidem infuſam per ſe ſint etiam ſupernaturalia.

Reſpondetur diſparem eſſe rationem, quia ſpecies huius ſcientiæ per ſe infuſæ concurrunt ad productionem actus entitatiuè ſupernaturalis, & modo etiam ſupernaturali, quemadmodum duæ poſteriores noſtræ rationes articuli præcedentis oſtendunt, ideóque oportet illas eſſe ſupernaturales in ſua entitate: at ſpecies illæ quæ in nobis concurrunt ad actum fidei, propriè ad illum non concurrunt, quia nullomodò cauſant efficienter aſſenſum fidei in obiectum reuelatum, ſed ſolummodò concurrũt ad apprehenſionem rei propoſitæ ad credendum, vt iam animaduertimus: quæ apprehenſio, purè & ſimpliciter ſumpta, eſt ordinis merè naturalis, ſitque per ſpecies à rebus ſenſibilibus aliquo modo acceptis, vt patet in hæreticis vel gentilibus, qui licèt careant vera fide infuſa, tàm actuali quàm habituali, ſæpè tamen rectè apprehendunt res per fidem credendas, quibus nullum præbent aſſenſum fidei ſupernaturalis.

Quare autem ſpecies naturales poſſunt deſeruire apprehenſioni rerum credendarum, & non apprehenſioni obiectorum huius ſcientiæ, explicauimus diſputatione præcedenti articulo primo & ſecundo. Quòd ſi quis vrgeat, etiam ad formandum aſſenſum fidei requiri obiectum

B vel eius ſpeciem, quæ ſimul cum potentia producat effectiuè actum fidei, cùm ſic formaliter ſit cognitio, & cognitio intrinſecè pendeat in genere cauſæ efficientis à potentia & obiecto concurrente, vel per ſeipſum, vel per ſui ſpeciem, & proinde cùm nulla alia in tali caſu poſſit fingi ſpecies, quàm illa, quæ per intellectus agentis operationem eſt efformata, quæque ſic eſt naturalis, tunc ſpeciem naturalem concurrere ad actum entitatiuè ſupernaturalem: poterit obiter reſponderi, (quia hoc diſcutere ſpectat ex profeſſo ad tractatum de fide) tunc tales ſpecies per ſuam obedientialem potentiam concurrere ad talem aſſenſum fidei ſupernaturalis.

Secundum fundamentum: quod eſt debitum humanæ naturæ, eſt illi naturale: hinc enim gratia appellatur gratia, quia non datur ex debito,

C vt ſignificat Apoſtolus ad Romanos 4. & 11. atqui beatus Thomas hac quæſtione articulo 4. ſignificat ſpecies huius ſcientiæ eſſe debitas humanæ naturæ Chriſti Domini, dum ait *ei conuenire cognoſcere res per ſpecies minùs vniuerſales quàm ſint Angelicæ ſpecies*: Ergo ſicut ſpecies vniuerſales Angelorum ſunt naturales, licèt *in modo* ſuæ productionis ſint ſupernaturales; ita etiam ſpecies huius ſcientiæ, licèt *in modo* ſuæ productionis ſint ſupernaturales, quatenus intellectus animæ Chriſti Domini illas non accipit ab obiectis, ſed habet eas per infuſionem, ſunt tamẽ naturales ſecundùm ſuam entitatem.

Reſpondetur, iſtas ſpecies hoc tantùm ſenſu dici à S. Thoma debitas animæ Chriſti Domini, quatenus illa conſideratur vt iam eleuata ad viſionem beatificam, illíque vt ſic conſideratæ dici connaturales.

D

ARTICVLVS III.

Vtrùm ſpecies huius ſcientiæ ſint vna, vel plures.

QVIA propriæ ſpecies huius ſcientiæ habent multa ſibi communia cum ſpeciebus, quibus Angeli ſua naturali cognitione cognoſcunt omnia obiecta naturalia, vt quòd ſint per ſe infuſæ, & nonnulla id genus alia, ſic & hæc ſcientia habet aliqua ſibi communia cum naturali cognitione Angelorum: ideo ſupponimus hoc loco quæ primâ parte, quæſt. 55. & aliis ſequentibus quæſtionibus docuimus ex profeſſo, de cognitione plurium obiectorum etiam ſpecie, vel proximo genere diſtinctorum, vt poſſibili per vnam numero ſpe-

V. VI. VII. VIII.

I. ciem à Deo infusam, item de non repugnantia vnius tantùm numero speciei, quà supremus omnium Angelus cognoscat omnes alias res creatas distinctas à seipso, similiter de vna numero specie repræsentante obiecta, tàm secundùm naturas specificas, quàm secundùm singulares illarum conditiones, & id genus cætera, quæ plures numero distinctæ species intelligibiles præstant ex proprio suo munere. Quæ enim difficultates possunt hîc moueri circa species infusas animæ Christi Domini pro vsu huius scientiæ per se infusæ, eædem possunt formari circa species infusas Angelis: vnde cùm hæc omnia ibi abundè exposuerimus tanquam in proprio suo & natiuo loco, hic ea tantùm, quæ sunt propria speciebus infusis animæ Christi Domini pro hac scientia, inuestigabimus, scilicet, an sint plures, & etiam vniuersaliores ipsis speciebus Angelorum. nam an repugnet Deum infundere animæ Christi Domini vnam tantùm numero speciem, qua cognoscat omnia & singula obiecta huius scientiæ per se infusæ, eadem est ratio, ac an possit alicui Angelo valde excellenti infundere vnicam numero speciem, qua cognoscat omnes quascumque res naturales, secundùm quoscumque suos gradus & conditiones eiusdem ordinis naturalis.

II.

Igitur quantum spectat ad primum, Marsilius in 3. sent. quæst. 10. art. 2. 4. parte, conclusione 2. existimat vnam tantùm dari speciem infusam in anima Christi Domini, per quam cognoscat omnia, & singula obiecta huius scientiæ per se infusæ.

III. Contraria tamen sententia & communis, quam loco nostræ propositionis ponimus, affirmat *dari in anima Christi Domini plures species deseruientes huic scientiæ per se infusæ*: est B. Thomæ hac quæst. art. 6. & communis omnium eius discipulorum.

Probatur: species etiam infusæ debent, quoad repræsentationem obiectorum, esse proportionatæ, tum cognitioni in ordine ad quam dantur, tùm etiam statui illius cui dantur: nam Theologi primâ parte citata quæst. 55. docent Deum infundere perfectioribus Angelis species vniuersaliores, & ex consequenti pauciores, eo quòd naturalis perfectio, & ipsa naturalis virtus intelligendi superiorum Angelorum postulat intelligere modo correspondenti suæ perfectioni: modus autem ille perfectior intelligendi, est intelligere plura per pauciores species: atqui vna tantùm numero species repræsentatiua omnium obiectorum specie distinctorum scientiæ

IV. per se infusæ, non est proportionata cognitioni quam Christus Dominus habet per hanc scientiam, nec item eius statui: igitur non vna tantùm infusa species pro omnibus obiectis huius scientiæ datur animæ Christi Domini, sed plures. Maior patet ex iis, quæ illi sunt adiuncta. Minor quoad priorē sui partem probatur. Proportio speciei ad cognitionem est, vt tot & non plura obiecta repræsententur per illam, quot per vnicum actum cognitionis sibi correspondentis possint ab intellectu tali specie informato distinctè cognosci; est enim species caussa aliqua efficiens cognitionis, cuius caussę tota quantitas seu virtus debet proportionari toti quantitati, seu perfectioni adæquati proprij sui effectus: sed anima Christi Domini non potest vno & eodem actu simplicissimo scientiæ per se infusæ cognoscere distinctè omnia & singula obiecta

A huius scientiæ, quia talis perfectio est debita soli clarę cognitioni diuinæ essentiæ, infrà quam est perfectio scientiæ per se infusæ: igitur vna tantùm numero species repræsentatiua obiectorū specie distinctorum non est proportionata cognitioni quam anima Christi Domini habet per hanc scientiam. Eadem Minor probatur quoad posteriorem partem, qua est de improportione huius vniæ speciei ad statum Christi Domini. Modus cognoscendi proprius statui superiori, est improportionatus inferiori statui: sed cognoscere distinctè omnia & singula obiecta per vnicam speciem, seu per aliquid sese habens ad instar vnius tantùm speciei, est proprium beatificæ cognitioni, quæ est superior cognitione per scientiam infusam: igitur modus ille cognoscendi distinctè omnia obiecta scientiæ per se infusæ per vnam tantùm speciem repræsentata, est

B improportionatus statui animæ Christi Domini vt hac scientia informatæ. VI.

Tota hæc ratio explicatur ampliùs. Scientia per se infusa animæ Christi Domini debet esse accommodata modo intelligendi naturæ humanæ extra diuinam essentiam sese habentem ad instar speciei impressæ: atqui modus iste, vt sic accommodatus tali statui, debet esse non per vnicam speciem, sed per plures, quia hæc cognitio conuenit Christo Domino vt comprehensori quidem, sed non secundùm præcisam & formalem rationem comprehensoris, quà comprehensor est, seu quà formaliter videt clarè & intuitiuè diuinam essentiam, sed quà habet perfectionem aliquam minùs perfectam ipsa visione beatifica, excedentem tamen naturalem modum intelligendi intellectus humani: ergo cùm modus intelligendi Deum clarè

C & intuitiuè sit per essentiam diuinam sese habentem ad instar vnius tantùm speciei repræsentantis beato intellectui omnia obiecta, quæ cognoscit, modus verò noster intelligendi naturaliter, sit intelligere per tot fere species, quot sunt obiecta, quæ distinctè intelligimus: intellectus animæ Christi Domini, vt informatus habitu scientiæ per se infusæ, intelliget obiecta talis suæ scientiæ per se infusæ per plures species, & non tantùm per vnicam. VII.

Articvlvs IV.

Soluuntur fundamenta sententiæ Marsilij relatæ præcedenti articulo.

PRIMVM fundamentum. Cognitio animæ Christi Domini per scientiam infusam per se

D debet esse perfectior naturali cognitione Angelorum; nam species quas anima Christi Domini habet pro cognoscendis huius scientiæ obiectis sunt nobiliores speciebus, quas Angeli habent pro cognoscendis obiectis tantùm naturalibus, vt patebit inferiùs. Item status animæ Christi Domini, vt informatæ scientia per se infusa, est nobilior statu cuiuscumque Angeli intra quamcumque perfectionem ordinis tantùm naturalis à Deo creandi, sed Deus potest creare Angelum intra ordinem naturæ adeo perfectum, vt sit illi conueniens distinctè cognoscere omnia & singula obiecta naturalia per vnam tantùm numero speciem, quemadmodum prima parte locis articulo præcedenti citatis plures Theologi docent: igitur cognitio animæ Christi Domini per scientiam infusam per se debet esse distincta VIII.

I. omnium & singulorum obiectorum per vnam tantùm numero speciem repræsentatorum.

Respondetur, scientiam infusam per se Christi Domini posse duobus modis comparari cum perfectissima scientia perfectissimi Angeli possibilis. Primo, quoad obiecta, deinde quoad modum attingendi illa: scientiam per se infusam Christi Domini consideratam priori modo esse perfectiorem omni & qualibet possibili cognitione naturali cuiuscumque Angeli possibilis à Deo creari, quia hæc potest tantùm esse de obiectis purè naturalibus & ad ordinem naturæ tantùm spectantibus; illa verò est etiam de his quæ transcendunt ordinem naturæ, & ad hunc sensum maior propositio huius fundamenti est vera. Si verò comparatio duarum eiusmodi scientiarum fiat penes modum attingêdi sua obiecta (quomodo debet accipi, vt præsenti instituto deseruiat.) Maior propositio huius fundamenti negatur, quia hæc comparatio malè instituitur, nam ex eo quòd Christus Dominus, vt informatus scientia per se infusa, est in superiori ordine, quàm sit perfectissimus Angelus intra purum ordinem naturæ constitutus, vult animam Christi Domini, vt informatam scientia per se infusa, cognoscere tam perfecto modo sua propria obiecta, quàm prædictus ille supremus Angelus perfectè cognoscit obiecta propria ordinis sui naturalis, in quo tantùm est constitutus: quod non fieri conuenientissimè patet in beato provt comparatur ad aliquem Angelum cognoscentem quædam obiecta creata ordinis merè naturalis: Certum enim est Angelum sua III. naturali cognitione quantumcumque perfecta, esse in statu minùs perfecto, quàm sit aliquis beatus. Item certum est aliquem Angelum sua cognitione naturali comprehendere aliquam naturam ordinis merè naturalis, ex quo tamen non potest benè inferri beatum eiusmodi debere etiam cognoscere comprehensiuè obiecta suæ visionis beatificæ, ergo à pari non benè infertur: enimam Christi Domini scientia per se infusa informatam debere vnica tantùm specie cognoscere distinctè omnia obiecta huius scientiæ, ex eo quòd Angelus aliquis potest sua naturali cognitione distinctè cognoscere per vnicam speciem omnia obiecta naturalia. Cuius disparitatis hæc est ratio, quòd perfectio cognitionis supernaturalis, siue intensiua, siue extensiua sit aliunde dimetienda, quàm perfectio siue intensiua siue extensiua cognitionis purè naturalis etiam in ordine ad intellectum Angelicum. IV. Prima enim perfectio attenditur penes conuenientiam ad statum, ad quantitatem luminis gratiæ & gloriæ sui subiecti: quæ cognitionem hoc & isto tantùm gradu perfectam postulant, tàm in Verbo, quàm extra Verbum, & non penes aliam perfectionem. Secunda verò attenditur tantùm penes naturalem perfectionem & vim intelligendi Angeli consistentem in eo, quòd eò paucioribus indiget speciebus ad intelligendum obiecta sua naturalia, quò est perfectior: vnde cùm ex hypothesi Angelus ille supremus sit tam perfectæ naturæ, tantèque excessu reliquos Angelos superet, vt ratione illius exigat intelligere vnica tantùm specie omnes res naturales. Deus vnicam tantùm dabit ei speciem: econtrà verò, quia status & habitualis gratia animæ Christi Domini non postulât nosse omnia & singula obiecta huius scientiæ per vnicam tantùm speciem, sit vt ad id Deus plures ei infuderit. V.

Secundum fundamentum. Species debent proportionari actui cui producendo deseruiunt, ita vt quando aliquod totale obiectum per aggregationem constans pluribus & distinctis particularibus obiectis debet cognosci vno totali & adæquato actu, tunc vna totalis species debet dari, per quam & intellectum tali specie informatum cognitio actualis totalis istius obiecti fiat: atqui Christus Dominus vt homo in extremo iudicio vniuersali, quo nos omnes & Angelos est iudicaturus, debet tunc habere vnicum actum quo cognoscat omnes & singulos homines & Angelos, item singula nostra opera, quia vno tantùm actu omnes iudicabit, & iudicium prærequirit notitiam eorum omnium, de quibus sententia fertur: igitur anima Christi VI. B Domini vnam tantùm habet speciem pro cognoscendis omnibus illis obiectis & profundè cùm hæc spectent ad scientiam per se infusam, habet anima Christi Domini vnam numero speciem, qua cognoscit omnia obiecta huius scientiæ per se infusæ.

Respondetur concessa Maiore, negando Minorem, quatenus supponit ad ferendum in instanti iudicium de omnibus & singulis operibus hominum & Angelorum, requiri necessariò actualem cognitionem eorum omnium, de quibus sententia fertur: nam sola virtualis cognitio, quæ plures actuales habuit antecedentes, est ad id sufficiens, quemadmodum videre est etiam in iudiciis humanis: vnde cùm intellectus animæ Christi Domini ante vniuersale iudicium cognouerit distinctè per hanc scientiam omnia, C quæ sunt in aliqua temporis differentia, tunc VII. in iudicio vniuersali poterit ex hac antecedenti cognitione adhuc, quoad habitum & quoad recordationem remanente in illo, ferre in instanti sententiam de istis omnibus.

Secundò respondetur. Sicut via quadã extraordinaria futurum est, vt eo instanti, quo vniuersale iudicium habebitur, omnia & singula opera propria pateant cuilibet iudicando: ita etiam eadem via est futurum, vt omnes & singulæ species huius scientiæ per se infusæ referant simul & semel actu intellectui animæ Christi Domini omnia & singula obiecta cognitu necessaria pro exercendo hoc iudicio, & sententia ferenda, vtque intellectus animæ Christi Domini hinc omnia & singula simul & semel vnico tantùm actu intelligat in instanti, maximè cùm hæc cognitio sit independens à corpore, & fiat per obedientialem tantùm actiuam D VIII. potentiam intellectus animæ Christi Domini.

Cæterùm, an intellectus animæ Christi Domini possit modo proportionato communiter huic scientiæ multa obiecta per diuersas species repræsentata vna & eadem intellectione cognoscere, imò exercere vnum totalem actum omnibus speciebus huius scientiæ suæ adæquatum, eadem est difficultas ac de Angelis habentibus plures species cásque valdè diuersas etiam diuersorum maximè obiectorum: an scilicet possint vno adæquato actu omnia hæc obiecta simul & semel cognoscere: quod ex professo explicant Scholastici primâ parte quæst. 58. quo autem numero species huius scientiæ sint in anima Christi Domini, non potest certò determinari, cùm de eo nihil extet in sacris Litteris, vel Patribus, vel traditione: Caietanus, Medina,

I. & Cabrera cum illis hîc censent illas tot esse in intellectu animæ Christi Domini, quot sunt creatæ naturæ substantiales specificæ, quia sic infinita multitudo specierum vitatur ex vna parte, & ex altera parte nimia illarum singularum limitatio, si species illæ tot essent quot sunt individua vniuscuiusque speciei. Sed quantum soliditatis hæc sententia habeat, aut quantum illa careat, patebit ex mox dicendis de illarum vniuersalitate: hoc vnum possumus dicere, species huius scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini, esse quidem in certo & determinato numero, hunc tamen numerum nobis non esse cognitum.

Articvlvs V.

II. *Vtrùm species huius scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini sint vniuersaliores speciebus Angelorum.*

NOTANDVM est ex Scholasticis primâ parte quæst. 55. vnam speciem esse altera vniuersaliorem nihil esse aliud, quàm vnam & eamdem numero & entitate singularem speciem esse tantæ virtutis *in repræsentando* seu in eofficiéda cognitione, vt per eam vnicam plura obiecta possint cognosci tam distinctè, ac si cognoscerentur per suas proprias & distinctas species. In quo autem maior vel minor vniuersalitas specierũ consistat, an in repræsentatione plurium quidditatum, vel plurium rationũ intelligibilium circa vnam naturam, aut naturas repræsentatas, an in repræsentatione obiectorum, an denique in aliquo alio, non est huius loci disquirere, sed spectat ad cit. quæst. primæ partis 55. hîc tantum quæritur, an quomodocumque hæc vniuersalitas spectetur & vndecumque sumatur, species huius scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini sint de facto plures speciebus infusis Angelis ad cognoscendum sua obiecta ordinis tantum naturalis.

III. Hoc prænotato duæ sunt de re proposita sententiæ. Prima S. Thomæ hîc art. 6. & communis discipulorum eius, species huius scientiæ infusæ per se animæ Christi Domini, esse minùs vniuersales iis speciebus, quas Deus infudit Angelis ad cognitionem obiectorum naturalium.

Melior tamen est contraria sententia, quam hac nostra propositione explicamus: *species huius scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini, sunt de facto vniuersaliores ipsis speciebus, quibus Angeli cognoscunt res naturales.* Ita S. Thomas expresse docuit in 3. sentent. distinct. 14. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 4. Eandem doctrinam tradunt Richardus ibidem art. 4. quæst. 2. Suarez hîc disp. 29. sect. 1. & nunc est ferè communis omnium recentiorum: pro qua sententia contra prædictam auctoritatem S. Thom. alia eiusdem S. Thomæ auctoritas hac quæst. art. 4. in corpore posset proferri: nam ibi ait expresse, *hanc scientiam spectatam secundùm id quod habuit à causa influente*, id est à Deo, per infusionem, *esse multò excellentiorem, quàm sit scientia Angelorum*: atqui in toto illo huius scientiæ, quod anima Christi Domini habuit per infusionem, ipsæ eius etiam species continentur, vt ostendimus art. 1. huius disputationis: ergo species infusæ animæ Christi Domini pro hac scientia sunt perfectiores ipsis speciebus, quibus Angeli cognoscunt res naturales: ergo sunt vniuersaliores: nam maior perfectio speciei est in maiori repræsentatione, species enim est ad repræsentandum obiecta: ergo quò aliqua species erit perfectior, eò etiam plura repræsentabit, & sic erit vniuersalior. V.

Probatur etiam ratione. Species debent correspõdere tàm principio elicienti cognitionem, quàm eius habitui, & cognitioni, quia species & potentia faciunt vnum totale & integrum principium cognitionis, & principium debet accedere ad excellentiam proprij, & naturalis sui effectus: atqui intellectus animæ Christi Domini, vt est principium elicitiuum actuum huius scientiæ, est perfectior & excellentior intellectu Angelico vt tantùm elicente actus suæ naturalis cognitionis: tùm quia sic non vnitur suo obiecto seu speciei gerenti vicem obiecti, nisi vt eleuatur per habitum huius scientiæ; tùm B. VI. etiam quia sic est in aliquo ordine supernaturali; cùm hæc scientia sit quoddam consectarium visionis seu cognitionis beatificæ, item eius actus sunt per actiuam potentiam obedientialem; nam transcendunt proprium & naturalem ordinem animæ intelligentis, adhuc inclusæ in corpore mortali, qui est intelligere dependenter à sensibus, & per conuersionem ad phantasmata. Similiter & habitus huius scientiæ est perfectior quoùis habitu cognitionis purè naturalis, qualis est ea Angelorum cognitio, cum qua comparamus hoc loco hanc scientiam & eius species, vt etiam S. Thomas expresse ait hac quæst. citato art. 4. igitur & species huius scientiæ debent esse excellentiores, & proinde vniuersaliores iis, quibus Angeli cognoscunt res merè naturales.

C Hæc ratio confirmatur. Cognitio sit à potentia vitali & ab obiecto vel specie gerente eius vicem: ergo ne hæc scientia sit imperfectior naturali scientia Angelorum, & quasi dimidia tantùm parte sui principij adæquati illam superet, quemadmodum intellectus animæ Christi Domini, vt exercens actus huius scientiæ, est perfectior intellectu Angeli cognoscentis tantùm obiecta naturalia: sic etiam & species propriæ huius scientiæ debent esse perfectiores, & proinde vniuersaliores ipsis speciebus naturalibus Angelorum: & quemadmodum species deseruiunt potentiæ vt eleuatæ per habitum, & agenti modo excedente naturalem modum agendi intellectus creati: ita etiam & hæ species debebunt esse perfectiores speciebus Angelicis merè & purè naturalibus, & proinde vniuersaliores. VII.

D Probatur secundò. Species debent proportionari statui & conditioni eius cui conferuntur, tùm etiam fini ad quem ordinantur: atqui status & conditio animæ Christi Domini, provt illa accipit species huius scientiæ, est perfectior statu naturali Angelorum, quia iam per habitum huius scientiæ est eleuata ad ordinem supernaturalem gratiæ: hinc enim S. Thomas hac quæst. art. 4. appellat habitum huius scientiæ *lumen supernaturalis gratiæ*: item anima Christi Domini, provt accipit has species, habet aliquid beatitudinis supernaturalis, cùm hæc scientia per se infusa sit aliquod eius consectarium: Angelus autem accipit species obiectorum naturalium, quatenus est in statu & ordine tantùm naturali: item finis *ad quem* specierum huius scientiæ est, vt obiecta supernaturalia cognoscantur, & etiam quædam naturalia modo quidem minùs perfecto & minùs IV. VIII.

I. abstracto, quàm sit modus videndi res in Verbo diuino, magis tamen perfecto & magis abstracto, quàm sit modus cognoscendi res per species ordinis purè naturalis, cùm sint ad perficiendum animam Christi Domini in ordine supernaturali & beatifico: igitur species huius scientiæ debent esse perfectiores, & proinde vniuersaliores speciebus, quibus Angeli cognoscunt obiecta naturalia.

Probatur tãdem. Dona supernaturalia animæ Christi D. sunt perfectiora donis purè naturalibus Angelorum: at species huius scientiæ sunt dona quædam supernaturalia, vt patet ex dictis suprà de illarum supernaturalitate, species autem Angelicæ pro intelligendis obiectis naturalibus, dona purè naturalia: igitur species huius scientiæ sunt perfectiores, & proinde vniuersaliores iis speciebus, quibus Angeli naturaliter cognoscunt res merè naturales. II.

Articvlvs VI.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ præcedenti articulo relatæ.

PRIMVM & potissimum fundamentum est. Scientia infusa per se animæ Christi Domini habet modum connaturalem animæ, & debet eius intellectui accommodari modo proportionato naturæ humanæ: atqui modus intelligendi connaturalis animæ rationali, & eius intellectui proportionatus est intelligere per species minùs vniuersales ipsis speciebus Angelorum, quia anima rationalis est in inferiori gradu immaterialitatis, & intelligere per species magis & minùs vniuersales fundatur in maiori & minori immaterialitate & perfectione entitatiua ipsius cognoscentis: igitur species huius scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini sunt minùs vniuersales ipsis speciebus Angelorum. III.

Respondetur duobus modis aliquem modum posse dici & esse accommodatum, & connaturalem animæ Christi Domini, pro duplici statu quem possumus considerare in illa. Primò provt spectatur secundum *puram suam naturalia & naturalem modum intelligendi*, quo anima nostra dum est in corpore, & etiam quando erit extra corpus, intelliget naturaliter. Secundò, provt illa spectatur, vt iam *eleuata* ad aliquem supernaturalem ordinẽ per habitum huius scientiæ sibi infusum à Deo. Iam species scientiæ per se infusæ non debent esse accommodatę vel connaturales animæ Christi Domini consideratæ secundùm priorem statum: nam imprimis sic anima Christi Domini, dum erat in corpore mortali, non potuisset vti hac scientia, nisi per conuersionem ad phantasmata, & cum dependentia aliqua à corpore, quod tamen esse falsum iam animaduertimus, & ampliùs patebit infrà: deinde si species huius scientiæ deberẽt accommodari naturali capacitati humanæ mẽtis, nulla illarum, vna tantùm numero existens, posset repræsentare omnia indiuidua, omnes proprietates, & omnia accidentia vnius naturæ integræ specificæ: quia naturalis capacitas humani intellectus nudè & naturaliter tantùm spectati non fert istud, nec postulat, sed plures requirit species, quibus hæc omnia obiecta repræsententur ei: si autem intellectus animæ Christi Domini spectetur posteriori modo, quia vt sic, est potentia perfectior, & in ordine supernaturali, in quo non est Angelus secundùm puta sua naturalia spectatus, & vt sic debet habere modum intelligendi eleuatiorem naturali modo intelligendi alicuius puræ creaturæ; ideo sit, vt debeat intelligere per species perfectiores, & ex consequenti magis vniuersales, quàm sint species congenitæ Angelis ad cognoscendum obiecta naturalia. IV.

Secundum fundamentum petitur ex absurdo, quod ex opposita sententia sequitur, scilicet futurum vt anima Christi Domini intelligat omnia obiecta huius scientiæ per vnicam tantùm numero speciem, quod tamen est contra propositionem præcedentis nostri articuli: quod sic probare conantur. Angeli, quo sunt perfectiores & superiores, eo pauciotibus speciebus intelligunt obiecta sua naturalia: ergo cùm in illis variæ & variæ species aliæ aliis perfectiores dentur, tandem deueniendum erit ad vnum superiorem, qui omnia obiecta naturalia, tàm immaterialia quàm materialia cognoscat per per vnam tantùm speciem: ergo cùm ex opposita sententia species huius scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini sint vniuersaliores speciebus Angelorum, quibus sola naturali cognitione cognoscunt obiecta omnia naturalia, oportebit intellectum animæ Christi Domini, vtendo hac scientia per se infusa, cognoscere omnia obiecta eius tàm supernaturalia quàm naturalia per vnicam numero speciem, vt sic eius species sit vniuersalior speciebus Angelorum, quod tamen est absurdum iuxta doctrinam præcedentis articuli. V. VI.

Respondetur, negando sequi ex nostra sententia, animam Christi Domini intelligere de facto omnia & singula obiecta huius scientiæ per vnicam numero speciem. Ad cuius probationem, negatur dari aliquem supremum Angelum, qui de facto intelligat omnia & singula obiecta ordinis naturalis, tàm immaterialia quàm materialia, per vnicam numero speciem repræsentantem sibi omnia obiecta illa, quemadmodum citata quæstione 55. primæ partis ostendimus. Nam maior vniuersalitas vnius speciei supra aliam non ita debet attendi, quasi fiat *proportione mathematica* ad entitatem naturalem Angeli, ita vt si aliquis Angelus intelligat vnam totam naturam specificam, vna numero specie infusa, Angelus superior etiam specie distinctus debeat duas specificas naturas intelligere per vnam tantùm speciem: *sed moraliter solummodo proportione*, quatenus debet plura aliquot obiecta etiam clariùs intelligere per vnam suarum specierum, quam Angelus inferior per eam, quæ est omnium suarum specierum perfectior, & hanc moralem proportionem sufficere, potest facilè intelligi ex pluribus aliis similibus, tàm in ipsis Angelis, quàm in Beatis, aut etiam viatoribus habentibus diuersas gratias & auxilia gratiæ alia aliis maiora: vnde cùm talis proportio moralis maximam habeat latitudinem, non potest deueniri ad aliquem Angelum, qui per vnam tantùm numero speciem cognoscat de facto obiecta omnia, tàm immaterialia quàm materialia, nec proinde idem contingit in anima Christi Domini vt informata hac scientia per se infusa. VII. VIII.

I.

DISPVTATIO III.

De rebus naturalibus vt obiectis scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini.

EXPLICATA eleuatione potentiæ intellectiuæ requisita ad actus huius scientiæ, item qualitate, quantitate & excellentia specierum, obiectum eius est explicandum. Res autem omnes, quæ possunt cognosci per hanc scientiam, possunt reuocari ad tria genera: nam vel sunt ita purè & *simpliciter naturales*, vt ab intellectu creato, putà Angelico, propriis viribus possint cognosci: aut *sunt supernaturales*, quemadmodum *Deus vt vnus & trinus*, & alia mysteria nostræ fidei: vel denique sunt quasi *cuiusdam medij generis*, quatenus sunt entia merè libera, cuiusmodi sunt liberæ cogitationes cordium, & futura contingentia, quæ pendent à libera voluntate creaturæ intelligentis. Præsenti disputatione agemus de rebus simpliciter naturalibus, & quæ etiam naturaliter cognosci possunt ab Angelo.

II.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm anima Christi Domini per hanc scientiam per se infusam cognouerit omnes species rerum naturalium, quas Angeli cognoscunt naturaliter.

III. PARS negans videtur quibusdam probabilis: melior tamen est cómunis aliorum sententia, pro qua sit hæc nostra propositio. *Intellectus animæ Christi Domini cognoscit per hanc scientiam omnes species rerum naturalium, quas Angeli per species sibi cógenitas cognoscunt naturali cognitione.* Ita communiter omnes S. Thomæ Interpretes ad primum art. huius quæst. & ipsemet S. Thomas expressè hac quæst. art. 4. quando in corpore definit *scientiam inditam animæ Christi Domini, consideratam penes multitudinem cognitorum*, id est obiectorum, *esse excellentiorem scientia Angelorum*: eamdem sequitur Marsilius in 3. quæst. 10. citato art. 2. & alij plures.

IV. Probatur primò ratione, qua quæst. 9. ostendimus debere admitti in intellectu animæ Christi Domini scientiam per se infusam. Nam ratio ibi repetita à capacitate intellectus animæ Christi D. tam potest applicari pro hac scientia in ordine ad res naturales, & omnia illa obiecta, quæ Angeli cognoscunt naturaliter, quàm ad alia cognoscenda, vt quilibet potest animaduertere: vnde sanctus Thomas art. primo huius quæst. hac etiam ratione probat præsentem propositionem.

Probatur secundò, ex natura & propria conditione huius scientiæ hoc modo. Quando habitus aliquis habet se per modum alicuius potentiæ in ordine ad omnia propria sua obiecta, quo ad propriam suam rationem specificatiuam *sub qua*, tunc, quo talis habitus est superior, eo etiam est vniuersalior, & proinde sub suo obiecto complectitur omnia obiecta inferiorum scientiarum: sicut potentia superior & vniuersalior, exempli causa *sensus communis*, vel etiam *intellectus*, sese extendit ad omnia obiecta potentiarum & sensuum inferiorum, sub altiori tamen A ratione: atqui habitus huius scientiæ per se infusæ habet se per modum cuiusdam potentiæ, vt suprà diximus; & præterea est superior & perfectior quolibet habitu scientiarum naturalium etiam quæ sunt in Angelis, quia est supernaturalis & infusus per se: ergo habitus huius scientiæ per se infusæ sese extendet ad omnia obiecta, ad quæ naturalis scientia Angelorum, quæ est illa inferior, sese extendit: ergo anima Christi Domini cognoscit per hanc scientiam omnes species rerum naturalium quas Angeli cognoscunt naturaliter per species à Deo in sui creatione infusas. V.

Probatur tertiò, ex præeminentia Christi Domini supra omnes Angelos. Scientia animæ Christi Domini extra Verbum debet esse perfectior, tàm *quoad suum obiectum*, quàm *quoad modum*, ipsa naturali Angelorum cognitione, modò status & conditio id ferant, quia caput debet eminere suis membris: atqui scientia animæ Christi Domini extra Verbum neutro istorum modorum potest esse maior naturali scientia Angelorum, nisi quatenus scientia eius per se infusa sese extendit ad omnes res illas naturales, quas Angeli naturaliter cognoscunt: si enim illas tantùm nouerit per scientiam sibi infusam per accidens, illa quoad modum erit minus perfecta scientiâ naturali, quam Angeli habent de iisdem obiectis: hæc enim cognitio, iuxta Scotum 3. sentent. distinct. 14. quæst. 4. sequitur conditionem virtutis naturalis ipsius intellectus, quæ in anima Christi Domini est inferior, quàm sit in Angelo, cùm Christus vt homo sit eiusdem speciei nobiscum, & Apostolus ad Hebr. 2. explicet de illo illud Psalmistæ, Psal. 8. C *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*. ergo vt hæc cognitio obiectorum naturalium sit perfectior in intellectu animæ Christi Domini quàm in Angelis, debet esse in illo per hanc scientiam, item per species per se infusas, item modo aliquo eleuatiori, quàm eiusmodi obiecta cognoscantur naturaliter. VI. VII.

Quod verò status & conditio animæ Christi Domini talis sint rationis, vt possint talem perfectionem admittere suprà Angelos consideratos secundùm perfectiones suas naturales, patet, ex eo quòd nullam habeat repugnantiam cum ipsa vnione hypostatica, vt per se patet, & ex eo quòd Christus Dominus etiam vt homo sit caput Angelorum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm anima Christi Domini per hanc scientiam inditam cognouerit omnia individua, tàm materialia, quàm immaterialia ordinis naturalis suo tempore existentia. VIII.

SIT hæc nostra propositio, *Intellectus animæ Christi Domini cognoscit per hanc scientiam per se infusam omnia & singula individua, tàm immaterialia quàm materialia pertinentia ad naturalem ordinem vniuersi.* Ita S. Thom. hac quæst. art. 1. in responsione ad 2. & 3. Capreolus 3. sentent. dist. 14 quæst. 1. art. 4. & omnes Interpretes S. Thomæ communiter hac quæst.

Probatur primò, hæc scientia animæ Christi Domini debet esse perfectior naturali cognitione Angelorum, vt patet ex dictis articulo præcedenti: atqui Angeli sua naturali cognitione cognoscunt omnia & singula individua, dum

existunt,

I. existunt, siue illa sint immaterialia, siue materialia tantùm, quæ pertinent ad naturalem perfectionem vniuersi, quemadmodum Scholastici docent primâ parte, agendo de cognitione Angelorum. Secundò, intellectus animæ Christi Domini per hanc scientiam per se infusam habuit perfectam cognitionem eorum, quæ subiacebant suo imperio & directioni, quæque non tantùm spectabant ad vsum *prudentiæ Monasticæ*, id est, respicientis hominem vt est singularis & priuatus homo, sed etiam ad vsum prudentiæ politicæ & legalis, quia prudentia fuit in illo secundùm gradum perfectissimum, non tantùm in ratione singularis hominis, sed etiam ducis, pastoris, capitis & domini: atqui omnia & singula individua non tantùm practica, quæ faciunt ad prudentiam, sed etiam speculativa, subiacebant imperio & directioni Christi Domini: homines quidem & Angeli, quia sunt vel fuerunt aliquo modo eius membra in actu vel potentia, & futurus est eorum Iudex: alia item singularia etiam cognitionis expertia, quia ratione suæ singularis potestatis poterat ea immutare iis vtendo vt vellet, quemadmodum dicetur infrà quæst. 13. & eorum cognitio poterat conferre ad singularem perfectionem Ducis, Pastoris & Doctoris, qualis Christus Dominus erat: igitur intellectus animæ eius nouit per hanc scientiam omnia singularia tam immaterialia quàm materialia existentia.

II. III.

Confirmatur. Intellectus animæ Christi Domini debuit etiam ista singula individua nosse perfectiori modo, quàm Angeli illa cognoscant sua naturali scientia: ergo cùm, extra cognitionem in Verbo, nullus modus possit dari, quo illa omnia & singula nouerit perfectius ipsis Angelis, ea naturali tantùm cognitione cognoscentibus, quàm proprius modus huius scientiæ per se infusæ, intellectus animæ Christi Domini debet illa omnia & singula cognouisse per hanc scientiam.

A B C

Articvlvs III.

Vtrùm cognouerit omnia individua præterita & futura.

IV. V. VI. VII. VIII.

Sit hæc nostra propositio. *Intellectus animæ Christi Domini cognouit per hanc scientiam omnia individua, quæ ante peractum mysterium Incarnationis fuerant, & quæ post illud etiam extiterunt, seu præterita & futura individua, quæ pro tempore quo existunt; pertinent ad vniuersum, iuxta ordinem naturæ spectatum.* Et primò quòd intellectus animæ Christi Domini cognouerit per hanc scientiam ea omnia individua ex enumeratis, quæ maximè conferebant ad practicam eius cognitionem, probatur. Anima Christi Domini per hanc scientiam cognoscebat ea omnia, & singula quæ conferunt ad dignè exequendum munus perfecti gubernatoris, & singularis Domini totius vniuersi, quia Christus Dominus vt homo fuit gubernator, director, & singularis dominus huius vniuersi, iuxta illud Psalmistæ Psalmo 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, explicatum ab Apostolo 1. ad Corinthios 15. sed omnia & singula individua ad ordinem naturæ pertinentia, tam quæ præcesserunt mysterium Incarnationis peractum, quàm quæ sunt & erunt post illud, conferebant ad practicam cognitionem animæ Christi Domini, qua dum esset moralis moderabatur hoc vniuersum: vt enim cognitio præteritorum & solers præuisio futurorum maximè iuuat regem & principem in administratione sui regni & principatus, ita etiam & hæc singulariùm tam præteritorum quàm futurorum cognitio iuuabat animam Christi Domini vt exercentis propria officia pastoris, ducis, & domini: igitur intellectus animæ Christi Domini cognouit etiam per hanc scientiam individua omnia tam præterita quàm futura, quæ pertinebant ad ipsum vniuersum secundùm ordinem naturæ spectatum.

Quòd autem horum cognitio potuerit haberi ab intellectu animæ Christi Domini, non tantùm per reuelationem sibi factam à Deo, sed etiã per speciem infusam per se, & ex consequenti cognosci per hanc scientiam, probatur primò. Species huius scientiæ propter suam excellentiam imitatur aliquo modo diuinam essentiam habentem se ad instar speciei impressæ in visione beatifica: ergo sicut hæc repræsentat creaturas, quæ in illa cognoscuntur à Beatis, vt præteritas, vel etiam vt futuras in tali differentia temporis, & non solummodò vt existentes nunc, ita etiam Deus potuit dare animæ Christi Domini aliquas species, vnam vel plures proprias huius scientiæ, quæ repræsentarent eius intellectui aliqua singularia vt iam præterita, & aliqua vt tali tempore futura.

Deinde, vbi aliquod solummodò concurrit ad aliquem effectum in genere causæ purè efficientis non vitalis, potest Deus varias variorum eiusmodi agentium vires vel pluribus, vel vni tantùm, tanquam alicui causæ vniuersali in agendo conferre, vt sic se solo possit efficere, quod plures & variæ causæ possent simul efficere, hánceque eius efficientiam seu vim agendi ita attemperare, vt accommodetur alteri secum agenti seu concurrenti ad proprium eius effectum producendum, & vt hæc sit alia & alia pro alia & alia re vel dispositione coagentis: quemadmodum videre est in sole, qui habet virtutem vnam numero virtute multiplicem, qua tamen alio, & alio modo concurrit cum hac, & illa causa particulari, habétque alium & alium effectum cum alia & alia causa: atqui tota repræsentatio specierum intelligibilium consistit in aliqua efficientia pura & non vitali, quatenus scilicet illæ loco obiecti concurrunt effectiuè cum potentia vitali ad efficiendam formalem rei intelligendæ similitudinem, siue imaginem. Vnde species impressa communiter vocatur à Philosophis *similitudo effectiua*, ad distinctionem expressæ, & Deus potest facere vt aliqua species intelligibilis referat præteritum, quia & in nobis datur cognitio præteritorum per species rememoratiuas, quæ nobis referunt per recordationem ea, quæ antea nouimus: ergo Deus etiam potuit dare aliquas species animæ Christi Domini, quæ referrent ei eiusmodi præterita, & ad quarum vsum intellectus eius cognosceret præterita singularia: & cùm hæc faciant ad eius statum & perfectionem, vt ostendit præcedens ratio, dicendum est Deum infudisse ei vnam vel plures species, quibus vtendo cognosceret singula eiusmodi individua præterita.

Quòd item aliquæ species possint ei infundi à Deo, quæ repræsentent futura, patebit infrà agendo de cognitione futurorum contingentium.

I. Notandum tamen est, talem cognitionem præteritorum ante peractum mysterium Incarnationis non posse respectu intellectus animæ Christi Domini propriè appellari *memoriam* seu *recordationem*, cùm non sit nata ex vi alicuius præcedentis cognitionis in illo, quæ sit principium istius recordationis: sed potest appellari *simplex cognitio rerum eiusmodi*, vt præteritarum, sicut dum formamus cognitionem rerum, quæ nobis referuntur vt iam à longo tempore præteritæ, quas tamen nunquam anteà nouimus, illarum cognitio comparatione nostri non potest propriè vocari memoria, sed simplex quædam cognitio & scientia rerum, quæ longè ante nostra tempora extiterunt.

II. Quod verò spectat ad prædicta futura necessaria ordinis naturalis, cuiusmodi sunt futuræ eclipses solis & lunæ, & cætera id genus futura, quæ pendent à solo motu orbium cælestium, & aliis eiusmodi causis naturalibus, determinatis quidem ad vnum, sed tamen per alias causas impedibilibus, cuiusmodi sunt imbres, siccitates, & id genus alia: dubitari non potest, quin cognoscantur ab intellectu animæ Christi Domini per hanc scientiam, cùm non tantùm Angeli, ex communi doctrina Scholasticorum primâ parte, sed etiam & Astrologi per scientiam acquisitam ea probè cognoscant: ergo cùm scientia per se infusa sit sublimior, & quoad sua obiecta latiùs pateat hac naturali Angelorum & hominum scientia, sese etiam extendet ad illa certò & infallibiliter cognoscenda: & sicut diuina essentia in clara visione Dei habens se ad instar speciei impressæ, hæc & similia futura repræsentat, faciendo cognoscere diuinam essentiam, facit vt hæc simul cognoscantur

III. hoc & isto modo determinatè futura, licèt vt impedibilia per hunc & istum concursum aliarum causarum: sic etiam, quia hæc scientia per se infusa est per moralem emanationem à clara visione diuinæ essentiæ, propriæ species illius in tali modo repræsentandi sua obiecta imitabuntur eius conditionem ex virtute sibi à Deo congenita. an autem hæc istorum futurorum cognitio sit intuitiua, an abstractiua, tantùm intelligetur ex dicendis infrà de cognitione liberorum futurorum, quam intellectus animæ Christi Domini habet per eamdem scientiam.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm anima Christi Domini, per scientiam infusam per se cognouerit omnia possibilia naturalis ordinis.

IV. SIT hæc nostra propositio. *Intellectus animæ Christi Domini non cognouit per scientiam per se infusam omnia & singula possibilia, ad quæ res naturales sese extendunt iuxta potentiam suam naturalem, sed ex istis possibilibus ea tantùm cognouit per hanc scientiam, quæ possunt deduci ex rebus creatis.*

Duæ sunt partes propositionis. Prior probatur ex dictis suprà de scientia beata animæ Christi Domini: hæc enim non plura cognoscit per hanc scientiam, quàm de facto cognoscat per beatam, cùm hæc posterior scientia sit longè excellentior, etiam quoad extensionem obiectorum, priori scientia infusa per se, quæ est aliqua tantùm perfectio illam consequens: atqui intellectus animæ Christi Domini non nouit per A scientiam beatam omnia & singula possibilia, ad quæ res naturales sese extendunt iuxta naturalé suam potentiâ, quemadmodum patet ex iis, quæ diximus de hac scientia beata animæ Christi Domini: igitur neque intellectus animę Christi Domini nouit per hanc scientiam suam per se infusam ea omnia possibilia, ad quæ res naturales sese extendunt iuxta potentiam suam naturalem. V.

Posterior item pars propositionis probatur. Intellectus animæ Christi Domini tam perfectè nouit creaturas per hanc scientiam per se infusam, quàm vllus alius intellectus creatus etiam Angelicus eas nouit per naturalem suam cognitionem, vt obseruauimus ex sancto Thoma hac quæstione: atqui intellectus aliquis creatus, exempli causâ, Angelicus, naturali cognitione ita perfectè cognoscit aliquas creaturas, vt etiam nouerit illas esse producturas talem & talem effectum, modò hanc & illam naturalem B VI. dispositionem habeant, quæ tamen dispositio non ponetur, sicque effectus illarum erit tantùm possibilis, quemadmodum satis intelligitur ex iis, quæ Scholastici communiter tradunt primâ parte de naturali cognitione Angelorum: ergo & intellectus animæ Christi Domini nouit per hanc scientiam ea possibilia, quæ deduci possunt ex rebus creatis.

ARTICVLVS V.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam quatuor præcedentium articulorum.

PRIMA. Obiectum & scientia debent esse eiusdem ordinis: at res istæ sunt ordinis naturalis, vt hîc supponitur, & hæc scientia est per C VII. se supernaturalis, vt ostendimus.

Respondetur, non requiri vt obiectum & scientia sint eiusdem ordinis quoad *suam entitatem, vel etiam rationem constitutiuam*, vt patet etiam in fide & eius cognitione: nam, verbi gratiâ, motio caudæ factæ à cane Tobiæ redeuntis domum, est aliquid naturale, vt per se constat, & nihilominùs est aliquod obiectum nostræ fidei supernaturalis: quod etiam est animaduertere in multis tum potentiis, tum etiam scientiis comparatis cum suis obiectis: sed proportio obiecti ad scientiam, & ordinatio consistit in eo, quòd propria eius ratio *sub qua* illud contineat, positque sub ea illud attingere, quemadmodum videre est in omnibus scientiis & potentiis: vnde cùm obiecta naturalia habeant hanc conditionem, vt patet ex dictis in præcedentibus, illa sunt sufficienter eiusdem ordinis cum D VIII. hac scientia per se infusa.

Secunda obiectio. Rerum naturalium aliæ sunt vniuersales, aliæ singulares: esto, per hanc scientiam res vniuersales possunt cognosci, non tamen singulares existentes, vt opinatur Scotus libro tertio sententiarum, distinctione decima-quartâ, quæstione tertiâ. Nam hæc scientia versatur circa aliquod obiectum, mediante solummodò aliqua specie infusa, referente illud & concurrente ad actum cognitionis, ex dictis suprà: atqui species infusa per se non potest concurrere ad actum, quo aliquod singulare cognoscatur, quia cognitio singularis existentis est intuitiua, ad quam species per se infusa non potest concurrere, cùm illa sese habeat indifferenter ad rem existentem & non existentem. Igitur res singulares non co-

I. gnoſcuntur per hanc ſcientiam.

Reſpondetur, res etiam ſingulares cognoſci per hanc ſcientiam, vt probauimus articulo 2. & 3. ad id verò quod in oppoſitum affertur de ſpecie, reſpondetur, ſpeciem infuſam per ſe poſſe concurrere ad actum, quo aliquod ſingulare cognoſcatur, vt patet in Angelis, qui iuxta communem S. Thomæ & diſcipulorum eius ſententiã 1. parte, cognoſcunt etiam res ſingulares naturales per ſpecies à Deo ſibi infuſas. Ad id autem quo *ſpecies infuſa dicitur ſeſe habere indifferenter ad rem exiſtentem & non exiſtentem*, reſpondetur, cum Suare diſtinct. 27. ſect. 1. in fine, id poſſe duobus modis intelligi. Primò *negatiuè*, ſcilicet quatenus talis ſpecies neutrum poteſt repræſentare, id eſt neque rem vt exiſtentem, neque vt carentem exiſtentia, ſed quod ex ſua conditione repræſentat ipſum obiectum *nudè & ſimpliciter conſideratum*, id eſt abſtrahendo ab eo, quòd exiſtat & non exiſtat. Poteſt ſecundò intelligi *poſitiuè*, ſcilicet quatenus etiãſi poſſit repræſentare obiectũ vtroque modo, id eſt, *vt exiſtens*, & *vt non exiſtens*: attamen ſpectata præcisè ſecundùm ſuam entitatem, & virtutem ad repræſentandum ſuum obiectum, ſeu ad coefficiendum cum potentia vitali actualem illius notitiam ſub ratione actu exiſtentis, & ſub ratione non exiſtentis actu, ſeſe habet indifferenter eo modo, quo noſtra voluntas dicitur habere ſe indifferenter ad velle & ad nolle: quia licèt poſſit vtrumque poſituè, attamen eſt indifferens ad vtrumque, quatenus poteſt vtrumque hoc vel illud, provt illa ſeſe determinat. Iam iſtæ ſpecies infuſæ ad cognoſcendum ſingularia habent ſe tantùm ſecundo illo modo indifferenter ad repreſentandũ obiecta ſingularia, vt de facto & actu exiſtentia, & vt actu non exiſtentia: vt enim in ipſa voluntate duo diſtinguimus, *ipſam potentiam ſeu entitatem eius*, deinde *vſum & exercitium illius*; ita & in his ſpeciebus poſſumus diſtinguere *entitatem* quoad ſpecificã rationem, deinde *vſum & applicationem* illarum, quemadmodum animaduertimus 1. parte quæſt. quinquageſima-ſeptimâ, in ſpeciebus Angelorum ſpecifica entitas ipſius ſpeciei infuſæ nihil eſt aliud quàm ipſa qualitas importata nomine ſpeciei infuſæ, provt eſt apta nata repreſentare rem, ſeu provt eſt apta concurrere cum potentia cognoſcente ad coefficiendam cognitionẽ obiecti per illam repreſentati, id eſt, cuius vices ſupplet, ſecundùm eius ſtatum, quem tale obiectum habet: vſus verò ſpeciei eſt ipſa eius applicatio, ſeu potiùs concurſus ad coefficiendam hãc vel illam cognitionẽ ſui obiecti, quæ applicatio ſeu vſus, quia etiam eſt virtute multiplex, ſicut & IV. ipſa repreſentatio ſpeciei, intuitiua autem cognitio obiecti vt exiſtentis in ſeipſo poſtulat obiectum actu & realiter exiſtens, tanquam id ad quod terminetur (aliàs enim non ita propriè eſſet intuitiua:) ideò fit vt hæc infuſa ſpecies poſita tali exiſtentia ſui obiecti repræſentet illud, vt ſic, ſeu vt actu exiſtens, id eſt, faciat illud cognoſcere tanquam id quod de facto habet exiſtentiam, & exiſtentia corrupta faciat illud cognoſcere tanquam id quod iam habuit exiſtentiam, & deſiit exiſtere, quæ varietas ſolummodò ſeſe tenet ex parte vſus & concurſus eius, non autem ex parte eius entitatis, quemadmodum fuſius citata quæſtione expoſuimus.

Tertia obiectio. Anima Chriſti Domini ea tantùm cognoſcit per hanc ſcientiam quæ pertinent ad perfectionem animæ intellectiuæ: A atqui ſingularia ſunt in duplici differentia, alia practica, alia tantùm ſpeculatiua. Eſto, priora pertineant ad perfectionem animæ intellectiuæ Chriſti Domini, quia erat caput hominum & Angelorum, & habebat aliquod ſingulare dominium in eos omnes; attamen ſingularia merè ſpeculatiua non pertinent ad perfectionem naturæ intellectiuæ Chriſti Domini: vt etiam ſanctus Thomas ſentit, hac quæſtione articulo primo, in reſponſione ad tertium: igitur anima Chriſti per hanc ſcientiam non cognoſcit omnia ſingularia. V.

Reſpondetur, nullã dari de facto ſingularia ſpecierum creaturarum, quæ non aliquo titulo pertineant ad ſtatũm Chriſti Domini ratione ſingularis ſui dominij, vel alterius dignitatis. Vnde licèt cognitio ſingularium ſpeculatiuorum non pertineat ad perfectionem intellectus creati, ut-

II. B dè & purè ſecundùm ſe ſpectati, quo ſenſu S. VI.
Thomas intelligitur citato art. 1. in reſponſione ad 3. omnimoda tamen cognitio eorum omnium ſingularium, quæ habent ſuam exiſtentiam in aliqua temporis differentia, facit ad perfectionem vniuerſalis eorum omnium Domini, qualis eſt Chriſtus Dominus vt homo.

Quarta obiectio. Cùm tot ſint ſingularia numero propè infinito, ſingula à ſeipſis diſtincta tot conditionibus particularibus; ſpecies autem huius ſcientiæ per ſe infuſæ animæ Chriſti Domini pauciores, quomodo poterunt repræſentare illa ſingularia, vt anima Chriſti Domini ea cognoſcat diſtinctè, & quoad omnes particulares eorum conditiones & circunſtantias.

Reſpondetur, cùm Deus fecerit omnia in numero, pondere & menſura, omnia indiuidua ſpecierum creaturarum eſſe certi & determinati numeri. Deinde quia, vt oſtendimus, ſpe-

III. C cies huius ſcientiæ ſunt vniuerſaliores ipſis ſpe- VII.
ciebus Angelorum, ſicut Angeli per vnam numero ſpeciem, ex receptiſſima doctrina primâ parte citata quæſt. 57. artic. 1. vt ibidem oſtendimus, cognoſcunt aliquam naturam ſpecificam, & eius ſingularia quoad ſuam exiſtentiam & particulares conditiones, ita & intellectus animæ Chriſti Domini per vnam numero ſpeciem infuſam per ſe cognoſcet vnam vel plures naturas ſpecificas, & aliquot eius individua, vel omnia etiam quoad omnes eorum particulares conditiones: nam iſtæ ſpecies non *ſunt abſtractæ, ſed concretæ*, id eſt, non tantùm ſunt aptæ repræſentare abſtractè & præcisè naturam alicuius rei, provt illa præſcindit à ſuis particularibus conditionibus, ſed vt eſt à patre rei & ſecundùm omnia, quæ de facto habet ſibi annexa.

IV. D Quinta obiectio eſt. Potentia intellectiua a- VIII.
nimæ Chriſti Domini vel cognoſcit per hanc ſcientiam res omnes naturales ſeipſã ſecundùm naturalem ſuam virtutem ſpectatã, & res iſtas, vt ſunt purè naturales, vel ſeipſã quidem, ſed per virtutem ſuam obedientialem actiuam intelligendi, & res iſtas ſecundùm aliquam aliam rationem diſtinctam à ſua naturali ratione: non priori modo, quia aliàs hæc ſcientia eſſet tantùm infuſa per accidens, nec lumen eius ſeu habitus eſſet ad eliciendum ſeu corroborandum intellectum animæ Chriſti Domini, quod tamen ſuprà tradidimus: non item poſteriori modo, quia naturalis virtus intellectus creati eſt ſufficiens ad cognoſcendum res purè naturales, iuxta modum ſuum naturalem, & ſi aliquis alius modus detur in illis, ſecundùm quem illæ co-

I. gnoſcantur per hanc ſcientiam, iam non amplius cognoſcuntur vt naturales: ſicque hæc ſcientia per ſe infuſa non ſeſe extendit ad res omnes naturales, ſiue vniuerſales & ſpecificas, ſiue etiam ſingulares.

Reſpondetur, intellectum animæ Chriſti Domini vtentem hac ſcientia pro cognoſcendis obiectis ordinis naturalis, tunc ea cognoſcere per ſuam actiuam potentiam obedientialem, & non per puram naturalem: nam ipſa eius vis ſecundùm quam tunc operatur debet proportionari tum ipſis ſpeciebus, quarum interuentu tunc cognoſcit hæc obiecta, tum etiam ipſi ſcientiæ per quam cognoſcit hæc obiecta: at hoc vtrumque eſt ordinis ſupernaturalis per ſe, vt patet ex dictis ſuprà: ergo cùm potentia intellectiua animæ Chriſti Domini non fiat iſtius ordinis, nec agat vt conſtituta in tali ordine, niſi quatenus agit vt eleuata per habitum huius ſcientiæ II. & per obedientialem ſuam actiuam potentiam, hæc anima Chriſti Domini, dum iſta obiecta (ordinis alioquin naturalis ſecundùm ſuam entitatem) cognoſcit, ea abſolutè & ſimpliciter loquendo cognoſcit ſeipsâ quidem, ſed per obedientialem ſuam virtutem eleuata. Ad illud autem quod ibi additur, *intellectum animæ Chriſti Domini tunc intelligere omnes iſtas ſecundùm aliam rationem diſtinctam à naturali earum ratione*, Reſpondetur, poſſe eſſe duplicem ſenſum iſtius particulæ *(ſecundùm aliam rationem à naturali earum ratione.)* Primus eſt, itavt ſignificet rationem ſeu formalitatem ſeſe habentem ex parte obiecti, ſeu vt Dialectici loquuntur, quæ attingitur ab intellectu animæ Chriſti Domini. Secundus ſenſus eſt, vt tantùm ſignificet rationem ſeu formalitatẽ tenentem ſe ex parte potentiæ, ſeu vt idem Dialectici loquuntur, ſub qua obiectum attingitur ab intellectu animæ Chriſti III. Domini. Iam ſi obiectio procedat iuxta priorem ſenſum, reſpondetur, intellectum animæ Chriſti Domini per hanc ſcientiam attingere res iſtas omnes naturales, ſecundùm *veram rationem naturalem*, quatenus cognoſcit connexionem attributi cum ſubiecto, quam ſingulæ res naturales ſeruant, tam in ſuis naturis ſpecificis, quàm ſingularibus, & omnes illarum circumſtantias & conditiones particulares, quatenus nihil eſt in illis provt ſpectant ad naturalem ordinem vniuerſi, quod non probè ſciat & penetret. Quòd ſi obiectio procedat iuxta poſteriorem ſenſum, reſpondetur, intellectum animæ Chriſti Domini cognoſcere res iſtas ſub alia ratione, quàm eas intelligat per ſcientiam acquiſitam ſeu infuſam per accidens, quatenus per IV. hanc ſcientiam cognoſcit illas *modo aliquo eleuatiori* & abſtractiori, quàm eas cognoſcat per ſcientiam acquiſitam ſeu infuſam per accidens: neque propterea hæc ſcientia de rebus eiuſmodi magis coincidit cum ſcientia infuſa per accidens de iiſdem rebus, quàm cognitio intellectiua coincidat cum ea cognitione ſenſitiua, quæ eſt de eodem obiecto, & de eadem illius proprietate, vel etiã quam habitus opinionis coincidat cum habitu ſcientiæ, quo eadem eiuſdem rei proprietas cognoſcitur: & ſicut opinio & ſcientia de eodẽ obiecto, & eius proprietate, item cognitio intellectiua, & ſenſitiua de vno & eodẽ obiecto materiali ſeſe compatiuntur, nec vna facit vt altera ſit otioſa, quin potiùs ad perfectionem cognoſcentis conferat: ita & hæc ſcientia per ſe infuſa & ſcientia acquiſita vel infuſa per accidens, rectè

A ſimul & ſemel ſtant in eodem intellectu animæ Chriſti Domini, nec aliquã in eo arguunt imperfectionem, vel etiam inutilitatem: ita enim vnaquæque iſtarum ſcientiarum eſt ſufficiẽs cognoſcendis iſtis obiectis, vt tamen vnaquæq; illarum habeat diſtinctam ſpecie ſufficientiã, pro diuerſa ratione, ſub qua tẽdunt in ſua eiuſmodi obiecta.

DISPVTATIO IV.

De rebus creatis merè liberis, vt obiectis ſcientiæ per ſe infuſæ animæ Chriſti Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm anima Chriſti Domini per ſcientiam infuſam per ſe cognouerit cogitationes cordium.

PRO NOTANDVM primò eſt, nomine *cogitationum cordis* intelligi *actus liberos*, tam intellectus quàm voluntatis, qui nullo ſigno exteriori manifeſtantur, ſed manent intra cogitantem occulti: poſſunt autem eiuſmodi cogitationes lato modo conſideratæ eſſe in triplici differentia, itavt aliæ iam fuerint, aliæ iam exiſtant, aliæ ſint tantùm futuræ. Hoc nomen *(cogitatio cordis)* iuxta communiorem vſum tam ſacræ Scripturæ quàm Patrum ſignificat ſolummodò *cogitationes præſentes* & actu exiſtentes, & ad ſignificandum futuras eiuſmodi cogitationes vix aut ſaltem valdè raro extenditur etiam à Scholaſticis de earum cognitione diſputantibus. Dum enim ſpectantur vt futuræ ex B libera determinatione voluntatis, iam ſortiuntur VI. conditionem alicuius contingentis pendentis proximè à cauſa planè libera: nos hic tantùm agimus de cogitationibus cordium ſumptis primis duobus modis, nam de illis tertio modo ſumptis eadem eſt difficultas ac de futuris contingentibus, de quibus ſpeciatim agetur infrà.

Quod igitur ad iſtas cogitationes cordium ſpectat, pars negans intellectum animæ Chriſti Domini illas cognouiſſe per hanc ſcientiam tribuitur à nonnullis Scoto lib. 3. ſentent. diſtinct. 14. quæſt. 3. Durando ibidem quæſt. 3. Gabrieli ibidem quæſt. 1. Communis tamen Scholaſticorum ſententia hac quæſt. & lib. 3. ſentent. diſtinct. 14. quam loco concluſionis ponimus, *eſt affirmans*: & primò quòd Chriſtus Dominus cognouerit iſtas cogitationes cordium patet ex Euangelio vt cap. 5. cap. 6. cap. 24. S. Lucæ, & aliis ſimilibus. Quòd autem has cognouerit non tantùm vt Deus, ſed etiam vt homo, & non tantùm per ſcientiam beatam, ſed etiam vt viator extra VIII. Verbum, & per ſcientiam infuſam per ſe.

Probatur primò, quòd iudex perfectiſſimus debet perfectè noſſe ea omnia, de quibus eſt prolaturus ſententiam. Secundò, quòd perfectiſſimus Doctor & Director aliorum, tam quoad ea quæ ſpectant ad actus interiores in ordine ad vitam æternam, quàm quoad ea quæ ſpectant ad actus tantùm exteriores, debeat noſſe interiora eorum, quæ ſuæ directioni committuntur, quando eius eſt illis prouidere de mediis ad actus interiores bene & ſapienter ordinandos in ſuum finẽ neceſſariis, vel etiam apprimè vtilibus.

Tertiò quòd perfecti domini ſit noſſe ea omnia & ſingula, quæ ſubſunt eius dominio. Quar-

I. tò, quòd anima Christi Domini per hanc scientiam cognouerit omnia singularia huius vniuersi, saltem dum existebant actu, quemadmodum intelligitur ex S. Thoma hac quæst. art. 1. atqui Christus Dominus vt homo est futurus iudex omnium nostrarum cogitationum, est item noster Doctor & Director earum in ordine ad vitam æternam, nobis prouidet de specialibus auxiliis, ad illas, vel eliciendas, vel in finem supernaturalem dirigendas tam vtilibus quàm necessariis iuxta illud eius dictum apud S. Ioannem capite 15. *Sine me nihil potestis facere:* item Christus Dominus vt homo habet singulare quoddam dominium valde perfectum in totum hominem, influit etiam in animas hominum ex dictis suprà quæst. 8. tandem omnes & singulæ cogitationes cordium sunt quædam singularia actu existentia in hoc vniuerso, vt per se patet: igitur
II. intellectus animæ Christi Domini cognoscit cogitationes cordium non tantùm per scientiam beatam, sed & per scientiam infusam per se, quia vt Doctor, vt Iudex, vt Dominus, eas cognoscere & dirigit, nec videtur conueniens cognitionem eius beatificam esse principium directiuum alicuius actionis non tantùm liberæ, sed etiam meritoriæ, qualis erat illa qua cognoscebat & renunciabat aliis secretissimas cogitationes cordium in ordine ad confirmationem suæ prædicationis & doctrinæ: non item eas cognoscebat per scientiam purè naturalem acquisitam seu infusam per accidens, quia ex communi sententia Theologorum primâ parte, Angeli qui quoad hanc scientiam superant intellectum animæ Christi Domini, eas non cognoscunt vi & efficacia perfectissimæ suæ naturalis scientiæ: ergo cùm
III. nulla restet scientia in anima Christi Domini præterquam infusa per se, anima Christi Domini nouit eiusmodi cogitationes cordium per scientiam infusam per se.

Articvlvs II.

Soluitur dubium.

QVÆRES cùm liberæ cogitationes cordium sint naturaliter occultæ aliis, nec cognoscantur absque ipsius cogitantis voluntate, locutione seu directione, *vt* habet communis sententia Scholasticorum primâ parte, nec omnes cogitationes hominum sic dirigantur ad Christum, quare & quomodo illas cognouerit per hanc scientiam, vtrum id proueniat ex eminentia luminis huius scientiæ suprà quodcumque lumen cuiuscumque naturalis scientiæ acquisitæ,
IV. seu etiam infusæ per accidens: & ex consequenti vtrum quicumque habet scientiam per se infusam eas etiam omnes cognoscat, quantumque auctores illarum velint illas esse occultissimas.

Respondetur, duplicem causam posse assignari propter quàm anima Christi Domini cognouerit per hanc scientiam omnes eiusmodi liberas cogitationes, proportionatè ad id quod de iisdem docuimus primâ parte agendo de cognitione quam Angeli habent de illis: prior est purè moralis, posterior physica; moralis continetur iis omnibus, quibus articulo præcedenti probauimus nostram propositionem, potestas autem iudiciaria Christi Domini, & singulare eius dominium in nos, & in nostra omnia, non sunt à nobis in illum transfusa, sed A à solo Deo independenter à libero nostro consensu: vnde & actus illarum perfectionum potest exercere etiam hominibus nolentibus. Physica verò ratio, quæ etiam explicat modum quo anima Christi Domini cognoscit illas, est quòd habeat earũ species sibi à Deo infusas: nam anima Christi D. accepit à Deo species per se infusas correspondentes huic scientiæ earum rerum omnium, quarum cognitio erat ei debita ratione sui status & conditionis, quia hæc scientia non potest reduci ad actum sine eiusmodi speciebus, quemadmodum patet ex dictis de hac scientia, & eius speciebus: at cognitio eiusmodi liberarum cogitationũ erat debita animæ Christi Domini, quemadmodum morales nostræ rationes allatæ præcedenti articulo ostendunt: ergo anima Christi Domini ideò cognouit illas, quia habebat illarum species, & poterat cognoscere illud omne, cuius habebat speciem. Vnde
B ratio ob quam illas cognoscat etiam physica, nõ est *eminentia luminis* huius scientiæ per se infusæ, loquendo simpliciter & absolutè: nam & lumen gloriæ est adhuc eminentius, nec tamen facit vt liberæ cogitationes cognoscantur à Beatis, ad quorum statum nullomodò pertinent: & lumen naturale Angelorum est longè infimus hoc vtroque lumine, per quòd tamen Angeli illas ad se directas cognoscunt, nulla sibi facta additione luminis, sed recepta tantùm de nouo specie repræsentante istas cogitationes ad seipsus directas, vt ostendimus loco citato primæ partis: & sicut liberæ hominum, vel Angelorum cogitationes non spectant ad statum vel conditionem cuiuslibet Beati habentis scientiam per se infusam, ita nec quilibet instructus hac scientia per se infusa cognoscit illas.

Addidi inter respondendum præsenti dubio
C hanc particulam *(loquendo simpliciter & absolutè)* nam si hæc cognitio cogitationum, quam anima Christi Domini habet, consideretur præcisè quoad *modum illum eleuatiorem*, quo fit per hanc scientiam per se infusam: iam talis cognitio earum, vt sic spectata prouenit ab eminentia luminis huius scientiæ & propriis speciebus eiusdem secum ordinis, quemadmodum facilè intelligitur ex dictis suprà, alioquin naturale lumen intellectus animæ Christi Domini sufficeret ad illam habendam, dummodò anima Christi Domini acciperet species illarum, sicut sufficit in ipsis Angelis.

Articvlvs III.

Soluuntur fundamenta prioris sententiæ sexto articulo relata.

D TOTVM prioris sententiæ fundamentum est istud. Cognitio eiusmodi cogitationum passim in sacris Litteris & Patribus tribuitur soli Deo, vt libro 1. Regum capite 16. *Homo videt quæ parent, Deus autem intuetur cor*, libro tertio Regum capite octauo: item Actorum 1. capite, *Tu Domine qui corda nosti omnium*, & alibi passim. Vnde Patres agentes de diuinitate Christi Domini dicunt illum inde probasse se esse Deum, quòd secretissimas hominum cogitationes cognouerit & reuelauerit, vt satis frequenter patet in Euangelio. Sic sanctus Hieronymus ad caput 17. Hieremiæ, & ad caput 9. sancti Matthæi, sic sanctus Ambrosius libro 5. in sanctum Lucam ad illa verba Euangelij, *vt autem vidit cogitatio-*

I. V. VI. VII. VIII.

I. *hæ eorum*, & plures alij: ergo cùm hæc scientia per se infusa non conueniat Christo Domino vt Deo, sed *vt homini*, per eiusmodi scientiam non videtur cognouisse cogitationes hominum, sed per scientiam suam increatam, vel ad summum per scientiam beatam, qua videbat aliquot creaturas, imò etiam omnes quæ habent suum esse in aliqua temporis differentia, vt ostendimus agendo de illa.

Respondetur, hæc omnia & similia sacræ Scripturæ testimonia velle cognitionem liberarum cogitationum siue Angelorum, siue hominum ita Deo conuenire, vt ei soli sit naturalis, & ex sua naturali conditione ei conueniat: cum quo tamen stat, quòd illa aliquo singulari beneficio Dei communicetur alicui creato intellectui, provt dignitas & conditio, ad quas illum eleuat, postulant: quo pacto volumus Deum illam communicasse intellectui animæ Christi Domini. II. Vt enim dignitas capitis & potestas iudiciaria non includuntur intrinsecè in ipsa vnione hypostatica, sed hæc per absolutâ potentiam Dei potuit esse sine istis; sic etiam eâdem absolutâ Dei potentiâ mysterium Incarnationis potuit de facto dari, sine hac cognitione cogitationum cordis, & aliorum eiusmodi obiectorum.

Addimus præterea Deum dici solummodò istas cognoscere, quia non tantùm cognoscit actu existentes, aut actu futuras post extremum vniuersale iudicium in tota æternitate, & quid singulæ illæ possint etiam in particulari determinatæ, modo comprehensiuo proprie, simpliciter, & absolutè dicto, quod tamen nulli creato intellectui competit: atque liberæ istæ hominum & Angelorum cogitationes tam perfecto modo & cognitione tam perfecta, quaque sit naturalis ipsi eas cognoscenti, III. suggerunt optimum argumentum diuinitatis, & ex tali cognitione quæ fuit in Christo Domino, rectè Patres ostendunt eum verè & propriè esse Deum: nullus tamen eorum negat aliquam earum cognitionem minus perfectam posse à Deo tribui alicui creato intellectui, qualis est intellectus animæ Christi Domini, quod tantùm affirmat nostra propositio, Imò sanctus Ambrosius in Lucam, libro 2. ad illa verba Euangelistæ de sancto Ioanne Baptista, *æstimante autem populo docet* testimonio sancti Pauli 1. ad Corinthios 14. aliquos homines, ex speciali virtute sibi à Deo communicata, cognoscere secretas cogitationes cordium: similiter sanctus Chrysostomus homilia 11. in sanctum Matthæum: ergo, cùm Christus vt homo habuerit quicquid absque vlla imperfectione, & repugnantia ad vnionem hypostaticam, est, IV. vel fuit, vel erit perfectionis in puris hominibus, vt homo etiam de facto cognoscit cogitationes hominum, & cùm per nullam aliam scientiam, debuit illas cognoscere per scientiam, hanc inditam. Addi etiam potest quòd Christus Dominus, vt probaret non debere videri impossibile, quòd ipse vt homo haberet potestatem remittendi hominibus peccata, aperit secretissimas aduersariorum suorum cogitationes, vt capite 9. sancti Matthæi, & capite 5. sancti Lucæ, insinuans sibi vt homini tam esse possibile remittere hominibus peccata, quàm secretas eorum cogitationes, dixit, vt quid cogitatis malè in cordibus vestris: & paulò pòst, vt autem sciatis quia filius hominis potestatem in terra habet dimittendi peccata.

A

ARTICVLVS IV. V.

Vtrùm anima Christi Domini per hanc scientiam cognouerit futura contingentia quæ pendent à libertate voluntatis creatæ.

NOTANDVM est primò, hæc *futura contingentia*, esse in duplici differentia: alia *absoluta*, seu quæ de facto erant futura in aliqua temporis differentia: verbi gratiâ, trina negatio sancti Petri: alia tantùm *conditionata*, seu quæ erant futura ex hypothesi, si hæc & ista conditio, exempli causâ, fuisset posita, quæ tamen de facto non fuit posita, cuiusmodi est Tyriorum & Sydoniorum conuersio ad pœnitentiam, si signa apud eos fuissent facta, quæ Christus Dominus fecit in ciuitatibus Corozain, & Bersaida. B VI.

Sit hæc prima nostra propositio. *Intellectus animæ Christi Domini cognouit per hanc scientiam, futura contingentia primi generis.* Ita S. Thomas hac quæstione, articulo 1. in corpore dum ait, intellectum animæ Christi Domini *cognouisse per hanc scientiam omnia illa, quæ per diuinam reuelationem hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcumque donum Spiritus sancti.* At certum est pleraque futura contingentia primi generis innotuisse hominibus per diuinam reuelationem, vt patet ex prophetiis: & cùm eadem sit planè ratio comparatione animæ Christi Domini omnium eiusmodi contingentium, ac aliquorum tantùm, cùm omnia illa & singula eum æquè respiciant ratione suarum dignitatum, scilicet capitis, pastoris, doctoris, prouisoris, & singularis illius domini, quod habet in C VII. omnes, debet ea omnia & singula contingentia primi istius generis, nullo eorum excepto, cognoscere per hanc scientiam. Eadem est communis Interpretum sancti Thomæ sententia, & aliorum etiam recentiorum.

Probatur primùm, ex illo Christi Domini ad S. Petrum apud S. Matth. cap. 26. *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Item S. Luc. 19. vbi prædicit excidium Hierosolymitanum dicendo, *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognouerit tempus visitationis tuæ*: quæ cognitio licèt possit dici fuisse in eo per donum prophetiæ, potest tamen rectè etiam intelligi habita per hanc scientiam, quatenus modus cognoscendi per prophetiam est distinctus à modo sciendi D VIII. per hanc scientiam, & facit ad dignitatem animæ Christi Domini vnam & eamdem rem cognoscere pluribus illis modis, quibus est cognoscibilis etiam ab aliquo viatore.

Probatur deinde eadem conclusio iis omnibus rationibus, quibus suprà probauimus intellectum animæ Christi Domini cognoscere cogitationes cordium. Nam Christus Dominus à primo instanti suæ conceptionis *fuit constitutus caput omnium hominum & Angelorum, Monarcha, Rex regum & Dominus dominantium, iudex noster supremus, doctor, prouisor*: ad quæ omnia munia dignè obeunda, vt decet Christum Dominum, cognitio eiusmodi futurorum contingentium est apprimè conueniens & vtilis. Licèt enim nouerit ista omnia per scientiam beatam,

I. tam intelligibiles, quàm sensibiles, quibus tam A
Angeli, quàm nos cognoscimus singularia tam
actu existentia, quàm ex speciebus, quibus recor-
damur rerum singularium præteritarum contin-
gentium liberarum, sunt talis conditionis, vt se-
ipsis solis repræsentent intellectui tam Angelico,
quàm nostro determinatè ipsa singularia secun-
dùm suam existentiam, durationem, omnésque
singulas, quas habent circunstantias; & item, si
sint præterita libera contingentia, ante tamen
cognita, tam quoad præteritam existentiam, du-
rationem, aliásque particulares circunstantias:
igitur hæ species huius scientiæ infusæ per se,
quibus intellectus animæ Christi Domini co-
gnoscit futura contingentia libera, repræsenta-
bunt ei illa, non tantùm quoad eorum naturam
præcisè sumptam, sed etiam determinatè, quoad
singularem illarum futuritionem & liberè con-
II. tingentem. Minor propositio, quoad primam B
illam sui partem (quæ procedit de speciebus an-
gelicis ad cognoscendum singularia actu existen-
tia quoad suam existentiam, durationem, & par-
ticulares eorum circunstantias) est expresè san-
cti Thomæ primâ parte, quæst. 57. art. 2. in cor-
pore, & communis discipulorum eius, quam
etiam sequuntur Marsilius libro secundo sen-
tentiarum quæstione 2. Ægidius Romanus de
cognitione Angelorum quæst. 9. & plures etiam
ex recentioribus.

Eadem Minor, quoad illam partem, quæ pro-
cedit de speciebus sensibilibus, quibus cogno-
scimus singularia materialia actu existentia se-
cundùm omnes suas particulares circunstantias,
est communis inter Philosophos libris de anima:
& ratio est facilis; hæ enim species cùm natura-
liter exeant ab obiecto ad causandam cognitio-
III. nem illius, debent ab eo exire secundùm eam C
rationem, quâ obiectum est in se, & secundùm
quam attingitur cognitione sensitiuâ: ergo sicut
singularia materialia actu existentia sunt cum
his & istis particularibus circunstantiis, & vt sic
cognoscuntur sensitiuâ cognitione, ita etiam per
eandem sui speciem sensibilem repræsentantur
secundùm suas eiusmodi particulares circun-
stantias.

Similiter eadem Minor, quatenùs procedit de
nostris speciebus intelligibilibus, patet ex iis quæ
communiter iidem Philosophi tradunt libris de
anima, & S. Thomas primâ parte, quæst. 86. art.
1. licèt enim inter Philosophos (vt videre est a-
pud Conimbricenses quæst. 4. art. 1. 2. & 3. ad
caput 5. libri 3. de anima: item apud Bannessium
primâ parte ad citatam quæstionem 86. S. Tho-
mæ, & alios tam S. Thomæ, quàm Aristotelis
IV. Interpretes) controuertatur, an in nostro intelle- D
ctu dentur species intelligibiles, quæ propriè sint
rerum singularium; nihilominùs tamen omnes
ibi conueniunt illam eandem speciem, quæ re-
præsentat ipsum singulare actu existens, siue ea
sit quæ repræsentat naturam eius specificam, pro-
vt determinatur à phantasmate, siue sit aliqua a-
lia propria talis singularis: conueniunt, inquam,
illam eandem repræsentare omnes & singulas
conditiones eius indiuiduantes, & particulares
eius circunstantias.

Tertia item pars eiusdem nostræ Minoris (as-
serens illud etiam habere locum in speciebus, siue
nostris, siue Angelicis, quibus per recorda-
tionem cognoscimus singularia præterita etiam
liberè contingentia) patet ex communi doctrina
Philosophorum libro de anima, vt videri potest
apud Conimbricenses quæst. 4. art. 3. ad citatum V.
5. caput lib. 3. de anima, & alios Aristotelis Inter-
pretes, vbi tradunt speciem quæ anteà referebat
obiectum absolutè & secundùm quod existebat,
post transactam eius actualem cognitionem re-
ferre illud idem sub ratione *anteà cogniti*, quate-
nùs est ad id modificata.

Quod denique illud idem habeat locum in a-
nima à suo corpore separata, fusiùs ex professo
docent iidem Conimbricenses tract. de anima
separata disput. 4. art. 2. & ante illos S. Thomas
primâ parte, quæst. 99. art. 4. 5. 6. & eius Inter-
pretes ibi.

Tota igitur difficultas nostræ rationis restat in
maiori eius propositione, quatenus asserit can-
dem esse rationem specierum huius scientiæ pro
repræsentandis futuris contingentibus liberis a-
nimæ Christi Domini, ac prædictarum nostra-
rum, vel Angelicarum specierum, dum repræ- VI.
sentant singularia præterita liberè contingentia,
seruatâ tamen proportione, quæ sic probatur. Si
quæ sit differentia propter quam species repræ-
sentantes liberum contingens iam præteritum, vt
præteritum, cum omnibus & singulis suis circun-
stantiis possint dari: aliqua verò species intelligi-
bilis repræsentans liberum contingens adhuc fu-
turum certò & infallibiliter, tali & tali tempore,
tali & tali modo dari non posset, est quòd libe-
rum contingens præteritum iam sit determina-
tum; liberum verò contingens adhuc futurum
minimè: & proinde cùm species sequatur con-
ditionem rei quam repræsentat, sicut liberum
contingens futurum in se & secundùm se est in-
determinatum ad fore, & non fore, ita etiam
non potest dari species intelligibilis, quæ repre-
sentet futurum illud liberum contingens, vt cer-
tò, determinatè & infallibiliter futurum, nec ex VII.
consequenti causare eam intellectu certam &
infallibilem cognitionem huius & illius contin-
gentis liberi futuri: atqui tota hæc differentia
non obstat nostræ rationi, imò potiùs probat
nostram maiorem propositionem; possumus e-
nim duobus modis considerare determinatio-
nem & indeterminationem alicuius contingen-
tis liberè adhuc futuri: primò, per comparatio-
nem ad suas proprias etiam immediatas causas
tantùm, cuiusmodi est voluntas creata liberè o-
perans, vel quæ effectum liberum iam de facto
produxit. Secundò, per comparationem ad al-
tissimam illam scientiam, quâ Deus perfectissi-
mè penetrat res omnes singulas, quid hic & nunc
sint facturæ, si hoc & illo modo disponantur, si
hæc & illa eis offerantur. Iam libera contingen-
tia futura distinguuntur à liberis contingentibus
præteritis, in eo quòd hæc habeant primam illam VIII.
determinationem, quatenùs causæ eorum libe-
ræ sese iam ad illa determinauerunt, & ex con-
sequenti habent secundam illam determina-
tionem, quæ est per comparationem ad altissi-
mam illam scientiam Dei: contingentia verò
adhuc liberè futura primam quidem non ha-
beant, secundam tamen habeant, quatenùs sup-
positâ præuisione Dei, quâ efficaciter penetrat
non tantùm quid possint causæ liberæ eiusmodi
contingentium, sed etiam quid hic & nunc sint
facturæ, sunt ex tali præsuppositione certò & in-
fallibiliter hoc & illo modo futura: ergo quem-
admodum prima illa determinatio, quæ est in
libero contingenti præterito est sufficiens, vt ali-
qua species intelligibilis detur repræsentans illud
secundùm singulas suas circunstantias: ita etiam

I. secunda illa determinatio, quam contingens liberè futurum habet, erit sufficiens, vt Deus possit dare intellectui animæ Christi Domini speciem intelligibilem, quæ repræsentet illud secundùm singulas suas circunstantias, quas habebit, & secundùm singulas conditiones suæ futuritionis.

Confirmatur, & simul explicatur vis huius nostræ rationis. Vbi aliquod obiectum habet aliquam naturam certam, determinatam, & singulas suas circunstantias & conditiones determinatas, potest aliqua species intelligibilis dari, quæ repræsentet illud intellectui, & faciat illud cognoscere secundùm omnes istas singulas circunstantias, vt patet de liberis contingentibus actu existentibus, vel præteritis: sed hæc futura liberè contingentia, de quibus hîc agimus, habent naturam suam certam, determinatam, item

II. singulas suas circunstantias, & conditiones determinatas ista posteriori determinatione, vt suprà explicatum est: ergo Deus poterit dare intellectui animæ Christi Domini speciem intelligibilem, quæ illa ei repræsentet, & eum faciat illa cognoscere.

Neque maior propositio huius confirmationis potest restringi ad illa solùm obiecta, quæ habent prædictam priorem determinationē, quam contingentia adhuc liberè futura nondum habent: nam hîc comparamus obiecta, & illarum species in ordine ad cognitionem de illis certò & infallibiliter habendam, & non in ordine ad existentiam illorum ponendam necessariò: norunt enim Dialectici, quod etiam animaduertunt Scholastici primâ parte, agendo de scientia Dei, duo hæc *necessariò euenire*, & *infallibiliter euenire*, distingui à se inuicem, nec posterius in-

III. ferre prius: sed ipsa rerum contingentia & libera earum futuritione remanente, dari in Deo ab omni æternitate certissimam & maximè infallibilem omnium eiusmodi rerum præscientiam: ergo quemadmodum hæc infallibilis præscientia Dei rectè stat cum libera contingentia eiusmodi effectuum, Deus etiam poterit facere speciem intelligibilem contingentium liberè futurorum, cuius repræsentatio & concursus ad illa certò intelligenda consistat cum libera eorum dependentia à propriis causis, scilicet ita illa repræsentando, seu concurrendo cum intellectu ad efficiendam eorum cognitionem, vt simul etiam repræsentet ea quatenùs liberè futura, seu faciat illa cognoscere ita hoc & illo tempore esse futura hoc & isto modo, vt tamen simul faciat cognoscere eorum causas habere veram indifferentiam libertati intrinsecam, dum actu illa pro-

IV. ducent, id est ita esse producturas illa, vt tamen simpliciter & absolutè loquendo possint sese determinare ad alteram partem, licèt de facto non sint seipsas determinaturæ ad illam.

Confirmatur ampliùs: Deus potest dare animæ Christi Domini speciem intelligibilem eius conceptus obiectiui, quem ipse Deus habet de aliqua re creata finita, quia potest dare species intelligibiles rerum creatarum, quarum habet in seipso veras ideas: atqui Deus habet verum formalem conceptum contingentium liberè futurorum, quia verè illa omnia optimè nouit, & habet ideas rerum omnium, quæ sunt futuræ in aliqua temporis differentia, de quarum numero

A sunt hæc contingentia liberè futura, de quibus hîc lequimur: & hæc quæ intelliguntur de istis eiusmodi contingentibus sunt finita & creata, vt per se patet: igitur Deus poterit dare animæ Christi Domini aliquam speciem intelligibilem eiusmodi contingentium, & cum anima Christi Domini informata scientia per se infusa possit de facto cognoscere omnia quorum habet species per se infusas, anima Christi Domini potuit cognoscere, imò de facto cognouit omnia contingentia liberè futura. V.

Deinde, etiamsi maior propositio primæ nostræ confirmationis esset intelligenda de prima determinatione, nihilominùs tamen adhuc nostra ratio valeret, quia posterior hæc determinatio fundatur in scientia diuinæ visionis: ergo sicut hæc præsupponit res tales, quales Deus eas per eam cognoscit; ita etiam secunda illa deter-

B minatio, quam futura liberè contingentia absolutè habent per comparationem ad diuinam præscientiam, præsupponit primam illam eorum determinationem in suis causis, quatenus subiiciuntur diuinæ eius præscientiæ, licèt eam adhuc non habeant de facto in seipsis, cùm adhuc sint futura. VI.

Tandem nostra propositio probatur: vbicunque dari potest aliqua species considerata præcisè indifferens actiuè ad repræsentandum, seu apta nata repræsentare aliquod obiectum secundùm omnes eas conditiones quas habet, aut potest habere, tunc intellectus proportionatè eleuatus ad talem cognitionem, & tali specie informatus, potest per eam cognoscere omnes illas conditiones, quas eius obiectum habet, vel habuit, vel etiam habebit in aliqua temporis differentia, & iuxta eum modum, quo illas singu-

C las habebit: quia vsus & concursus talis speciei ad coefficiendam cognitionem sui obiecti, ita subest libertati eius qui illam habet, vt accommodetur obiecto pro eo tempore, quo cognitio talis obiecti est debita intellectui eam habenti, quemadmodum patet in nostris speciebus rememoratiuis, item etiam & intuitiuis Angelicis, quæ omnes sunt hoc sensu actus indifferenter ad repræsentandum, quatenùs vt de facto, & in actu exercito repræsentent hoc vel istud obiectum determinatè subsunt libero vsui ipsius illas habentis: sed illæ species infusæ, quas intellectus animæ Christi Domini habet pro intelligendis obiectis creatis, sunt indifferentes actiuè ad repræsentandum sua obiecta, & illæ quoad suum concursum, & vsum libertati animæ Christi Domini subeuant, illis enim vtebatur quando volebat, & cognitio futurorum liberè contingentium erat illi debita, vt suprà probatum est: igitur intellectus animæ Christi Domini cognoscebat hæc absoluta liberè futura contingentia per species sibi à Deo infusas. VII.

D Quod verò spectat ad modum quo anima Christi Domini cognoscit contingentia conditionata liberè futura per hanc scientiam per se infusam: eodem modo philosophandum est de illis seruatâ proportione, ac de liberis contingentibus absolutè futuris, sicut etiam quantum spectat ad modum quo anima Christi Domini cognoscebat per hanc scientiam præterita contingentia libera. VIII.

I.

Articvlvs VI.

Soluuntur tria alia dubia.

PRIMVM dubium est: *Vndenam hæ species infusæ animæ Christi Domini pro cognoscendis futuris liberè contingentibus sint determinatæ ad sic repræsentandum illa.*

Respondetur, duplicem posse distingui causam huius determinationis: *vnam moralem*, quæ mouerit Deum ad faciendum illas tales: alteram *physicam* istis speciebus inexistentem, ratione cuius habent vt sic referant suæ obiectæ contingentia liberè futura. Prior ratio est, quòd hæc scientia per se infusa sit quædam *moralis proprietas*, seu aliquod consectarium scientiæ beatæ animæ Christi Domini, vt suprà docuimus: vnde quia

II. anima Christi Domini videt in Verbo ea omnia B obiecta quæ spectant ad suum statum, secundùm omnes varias illas conditiones & circunstantias quas habent, vel etiam habebunt in aliqua temporis differentia, vt hæc cognitio, tanquam aliqua eius *proprietas moralis*, & aliquod eius consectarium respondeat ei, Deus concessit illi cognoscere hæc eadem obiecta *in proprio genere*, per aliquas species repræsentantes illa secundùm omnes illas varias suas conditiones, etiam tempore sequenti futuras. Posterior ratio, seu *physica*, est *ipsa vis istis speciebus*, vt sunt quædam qualitates aptæ ad coefficiendam cognitionem, *ingenita à Deo*, vt hoc & illo modo possint eam coefficere proportionatè ad futuritionem suorum obiectorum, sicut in nostris speciebus causa intrinseca determinationis earum ad repræsentandum sua obiecta talia, qualia sunt, est

III. ipsa vis sibi ab obiecto, à quo emittuntur, quasi C impressa, dum illas emittit, vt illud referant, & vicè sui operentur.

Secundum dubium est: *Vtrùm anima Christi Domini statim à primo instanti, quo est hypostaticè vnita Verbo diuino, cognouerit prædicta liberà futura contingentia.* Respondetur affirmatiuè, quia tunc accepit à Deo dignitatem capitis, iudicis, redemptoris, mediatoris, prouisoris, & id genus alias, & à primo illo instanti cœpit aliqua munia istarum dignitatum exercere: vnde cùm hæc cognitio futurorum liberè contingentium inseruiat ad ea obeunda conuenienter, quemadmodum probant allatæ rationes articulo nono, fuit valdè conueniens animam Christi Domini à primo illo instanti cognoscere illa omnia.

Ex quo patet, disparem esse rationem specierum Angelicarum, quæ licèt sint determinatæ ad

IV. coefficiendam cognitionem horum & istorum D singularium nondum existentium, sed longè pòst futurorum, & sint infusæ Angelis à primo instanti suæ creationis; Angeli tamen per eas à primo illo instanti suæ creationis non cognoscunt singularia etiam abstractiuè, quoad particulares suas conditiones & circunstantias, sed postulant velut *conditionem sine qua non*, existentiam istorum singularium: cuius disparitatis hæc est ratio, quòd hæc singularia pro eo instanti non spectent ad eorum statum, & conditionem, cùm nondum sint aliquid ipsius vniuersi, vel ad eorum conditionem pertineant: at contrà libera illa futura contingentia spectant ad Christum vt hominem à primo illo prædicto instanti vnionis hypostaticæ animæ suæ ad Verbum, vt suprà explicatum est.

A Tertium dubium est: an hæc cognitio quam habebat anima Christi Domini de eiusmodi futuris liberè contingentibus, esset intuitiua, an abstractiua tantùm. Respondetur, solutionem huius dubij pendere ab ipsa ratione præcisa cognitionis intuitiuæ, quam ex professo discutere spectat ad primam partem: nam si requiratur in scientia intuitiua, quod ita terminetur ad obiectum cognitum secundùm suam existentiam, vt etiam includat illam in vera aliqua duratione siue propria, siue aliena, tunc iuxta hunc rigorem anima Christi Domini non dicetur cognouisse hæc futura libera contingentia intuitiuè, sed tantùm abstractiuè; quia pro illo instanti, quo cognoscebat illa vt futura, non erant in vera aliqua duratione, quam anima Christi Domini apprehenderet, nec hæc eius cognitio terminabatur ad illa, vt propriè existentia in seipsis, cùm cognoscerentur vt futura: si verò ea cognitio dicatur intuitiua, quæ terminatur ad obiectum cognitum secundùm existentiam, & conditiones illius, quatenus ipse intellectus cognoscit obiectum, non solùm secundùm suam entitatem & substantiam, sed etiam secundùm suam existentiam, quam tamen in re & de facto nondum habet, nec terminatur hæc cognitio ad illam, vt de facto habitam pro eo instanti quo cognoscitur: tunc anima Christi Domini dicetur cognoscere intuitiuè ista contingentia liberè futura.

V.

VI.

DISPVTATIO V.

De rebus creatis supernaturalibus, vt obiectis scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini.

VII.

Articvlvs Primvs.

Vtrùm anima Christi Domini per scientiam infusam per se cognouerit res creatas supernaturales, quæ ordinem habituale m important ad diuinam essentiam.

VIII.

PRIMIS notandum est res creatas supernaturales alias esse tales *quoad substantiam*, & *quoad modum*, vt gratia sanctificans, lumen gloriæ: alias *quoad modum tantùm*, vt corpus Christi Domini existens in Sacramento Altaris, *viso restituta cæco nato*, accidentia remanentia in Sacramento Altaris sine subiecto.

Notandum secundò, inter res creatas supernaturales *quoad substantiam*, alias esse *quæ habitualem tantùm dicant habitudinem ad diuinam essentiam*, vel vt in seipso visam intuitiuè, seu vt obiectum, vel vt terminum, vt gratia habitualis, lumen gloriæ; alias esse quæ *dicant actualem habitudinem*, vt visio beatifica, modus ille substantialis, quo humanitas Christi Domini vnitur hypostaticè Verbo diuino, vt fusè ostendimus quæstione 2. huius partis.

Prima propositio: Anima Christi Domini cognoscit per hanc scientiam res omnes creatas supernaturales, tam quoad entitatem & modum simul, quàm quoad modum solummodò quę important solùm habitualem ordinem ad diuinam

I. essentiam etiam clarè visam. Ita communiter S. Thomæ Interpretes ad 1. artic. huius quæst. Probatur ex S. Thoma, hîc art. 1. in corpore, dicêre, *Animam Christi D. per hanc scientiam cognoscere quæcunque per reuelationem diuinam innotescunt hominibus.* At res omnes istæ supernaturales innotescût nobis per fidem infusam; est enim de fide eiusmodi perfectiones dari siue in iustis viatoribus, siue in Beatis. Deinde probatur: anima Christi Domini cognoscit per hanc scientiâ quicquid spectat ad eius statum & conditionẽ, dummodo eius cognitio possit dari in proprio genere extra Verbum diuinum per aliquas species per se infusas, vt intelligitur ex iis rationibus quibus suprà ostendimus hanc scientiam debere admitti in Christo: atqui cognitio etiam distincta, abstrahendo ab intuitiua & abstractiua harum rerum supernaturalium, spectat ad statum & perfectionem animæ Christi D. quia ipse est nobis author omnium bonorum supernaturalium, & proinde istorum; nam ad Heb. 12. *Est author fidei & consummator*: ergo ratione sui status & conditionis debet omnes illas res cognoscere per hanc scientiam. Quòd cognitio istarum rerum sit possibilis per scientiam per se infusam probatur, ex nulla parte repugnat: non ex parte rerum illarum vt obiectorum, quia illæ omnes & singulæ sunt finitæ, cùm sint creatæ, & habêt intelligibilitatem sibi correspondentem, cùm hæc sequatur entitatem. Deinde species per se infusæ illarum possunt à Deo dari: Deus enim potest dare speciem impressam cuiuscunque rei creatæ, cùm hæc sit tantùm qualitas quædam, cuius repræsentatio consistit in extrinseca, seu non vitali efficientia loco ipsius obiecti. Neque etiam repugnat ex parte intellectus animæ Christi D. hic enim habet potentialitatem ad intelligẽdum id omne quod est cognoscibile à creato intellectu, cuiusmodi sunt hæc obiecta, & quatenùs informatur hac scientiâ per se infusa, est eiusdem ordinis cum illis, & eorum speciebus, redditur potens illis vti ad cognoscendum obiecta per illas repræsentata: igitur cùm hæc cognitio tali modo facta sit propriè per scientiam infusam, cognitio istarum rerum est ipsi intellectui animæ Christi Domini per hanc scientiam possibilis.

II. III. IV.

Confirmatur: quicquid est naturâ suâ intelligibile habet ex eadem sua natura, quòd possit intelligi in propria sua quidditate per lumẽ & species eiusdem ordinis, vt patet factâ inductione per quæcunque obiecta cognoscibilia: atqui res omnes de quibus hîc agimus, sunt naturâ suâ intelligibiles, modo minùs abstracto, quàm videantur in Verbo diuino, & item modo abstractiori, quàm vllâ naturali scientiâ possint cognosci ab intellectu creato. & hæc scientia per se infusa confortans intellectum animæ Christi D. est etiam supernaturalis, sicut & hæc obiecta & tota ad cognoscendum obiecta supernaturalia modo minùs abstracto, quàm sit modus ille quo videntur in Verbo, & magis abstracto quàm cognoscantur ab vllo intellectu creato per scientiam sibi naturalem: ergo res istæ possunt cognosci ab intellectu animæ Christi Domini per hanc scientiam per se infusam.

A B C D

ARTICVLVS II.

Quâ cognitione anima Christi Domini cognoscat prædicta res supernaturales.

SIT hæc nostra propositio. Obiecta præcedenti articulo recensita, dum actu existunt, cognoscuntur intuitiuè per scientiam infusam per se ab anima Christi D. & quando non existunt abstractiuè tãtùm. Probatur: obiecta huius scientiæ eo modo cognoscuntur ab anima Christi D. per hanc scientiam, quo modo ei repræsentantur per species: atqui hæc obiecta de quibus hîc loquimur repræsentantur per has species, vt actu existentia in propria sua duratione, quando existunt de facto; & quando sunt tantummodò futura, tunc secundùm propriam suam naturam non habentia actualem & propriâ suam existentiam in propria sua, vel aliena duratione, quia hæ species sunt determinatæ ad repræsentandum sua obiecta talia qualia sunt pro ea duratione, quâ cognoscuntur, vt suprà probatum est: ergo hæc obiecta dum actu existũt cognoscuntur per hanc scientiam vt actu existentia, & proinde *intuitiuè*; quando verò non existunt, vt non habentia propriam suam existentiam in tali duratione, & ex consequenti solummodò *abstractiuè*.

V. VI. VII. VIII.

Obicies: gratia sanctificans, lumen gloriæ, & id genus entia supernaturalia dicunt intrinsecum ordinem ad diuinam naturam, cùm sint singulares illius participationes, quemadmodum Theologi communiter docent, agendo de illis, ergo hæc entia creata supernaturalia non possunt cognosci distinctâ cognitione *intuitiuâ*, quoad suã naturam & essentiam, dum existunt, nisi simul diuina essentia, ad quam habitudo illorum sese terminat, cognoscatur *intuitiuè*, quia vnum correlatum non potest intuitiuè cognosci sine altero: sed diuina essentia non potest intuitiuè videri per scientiam per se infusam; hæc enim est improportionata tanto obiecto, sed solummodò per lumen gloriæ: ergo nec entia creata supernaturalia quando existunt possunt, ab anima Christi Domini per hanc scientiam cognosci distinctâ cognitione.

Respondetur: hæc entia dici participationes diuinæ naturæ in genere *causæ solummodò efficientis & exemplaris*, secundùm altiores & superiores rationes diuini ordinis, quatenùs sunt aliquid ipsius Dei, vt agentis supernaturalis, & quatenùs constituunt suum subiectum in tali ordine, quo sit aptum exercere actus vitæ supernaturalis habentes maximam analogiam cum his actibus vitæ, scilicet cognitionis & amoris, quo ipsemet Deus cognoscit seipsum & amat, qui Deus est formaliter & intrinsecè ens aliquod diuinum infinitum: non autem hæc entia supernaturalia dicuntur diuina, & participationes diuinæ naturæ, quòd ipsa diuinitas intrinsecè & formaliter, tanquam aliquid illarum constitutiuum includatur in illis: sic enim natura diuina veniret in compositionem alicuius entis: quod omnes Theologi 1. parte docêt implicare: vnde cùm aliqua res possit perfectè cognosci absque eo quòd causa eius tam exemplaris, quàm efficiens cognoscatur, & hæc entia supernaturalia importent solummodò habitudinem *secundùm dici*, ad diuinam essentiam, quia sunt entitates absolutæ eleuantes potentias animæ ad videndum & amãdum Deum: poterunt rectè cognosci etiam distinctâ & intuitiuâ cognitione absque eo quòd essentia diuina videatur intuitiuè per hanc eandem scientiam infusam per se, & satis erit quòd cognoscantur habere specialem ordinẽ ad ipsam diuinitatem: & hoc potest illustrari exemplo sumpto ab entibus naturalibus, quæ in ordine naturali sunt etiam quædam participationes diuinæ naturæ. Nam sicut in ordine naturali hæc consequentia

I. non valet, hoc ens naturale est quædam participatio diuinæ naturæ: ergo non potest cognosci distinctè, & intuitiuè, nisi diuinâ naturâ distinctè & intuitiuè cognitâ. Item lumen aëreum est quædam participatio lucis solaris: ergo non potest cognosci secundùm suam essentiam distinctè & intuitiuè, nisi luce solis cognitâ: ita etiam hæc consequentia non valet, gratia sanctificans, lumen gloriæ, & id genus cætera sunt speciales quædam ordinis naturalis participationes diuinæ naturæ, secundùm eundem ordinem spectatæ: ergo non possunt distinctè & intuitiuè cognosci, secundùm propriam suam naturam, nisi & ipsa diuina natura distinctè & intuitiuè videatur.

ARTICVLVS III.

II. *Vtrùm anima Christi Domini per scientiam infusam per se cognoscat visionem beatificam, & modum substantialem, quo humanitas vnitur Verbo, & quâ cognitione distinctâ.*

SIT hæc prima propositio. *Anima Christi Domini per scientiam per se infusam cognoscit visionem beatificam, & modum illum substantialem, quo ipsa humanitas Christi Domini de facto vnitur hypostaticè Verbo diuino.* Hæc propositio, provt abstrahit à cognitione intuitiua & abstractiua, est communis inter Interpretes S. Thomæ hîc.

Probatur iisdem rationibus, quibus confirmauimus propositionem articuli præcedentis: nam hæc duo sunt obiecta creata, finita, intelligibilia per intellectum creatum in eodem ordine positum: sunt etiam hæc obiecta intelligibilia modo minùs abstracto, quàm sit modus ille ea cognoscendi per lumen gloriæ: nec repugnat dari aliquam eorum speciem per quam cognoscantur in proprio genere; nulla enim potest assignari talis repugnantia: ergo cùm modus iste sic eas cognoscendi non possit esse alius, quàm ipsius scientiæ per se infusæ, hæc obiecta potuerunt cognosci per hanc scientiam ab anima Christi Domini: & cùm ista actualis eorum cognitio faciat ad perfectionem status eius, & ad complendam potentialitatem intellectus animæ Christi Domini, vt intelligitur ex rationibus suprà allatis, propter quas diximus hanc scientiam esse admittendam in intellectu animæ Christi Domini; anima Christi Domini de facto cognouit visionem beatificam, & modum illum substantialem vnitiuum humanitatis cum Verbo diuino per hanc scientiam per se infusam.

IV. Vnde patet solutio ad id quod potest obiici in contrarium, scilicet visionem beatificam, siue Christi Domini, siue alterius Beati, esse altioris ordinis, quàm sit hæc scientia per se infusa, vt patet ex dictis de cõparatione perfectionis eius cũ hac scientia: ergo quia scientia debet proportionari suo obiecto, cognitio quidditatiua visionis beatificæ debet fieri per lumen, seu habitum tali visioni beatæ proportionatum, cuiusmodi est solum lumen gloriæ. Patet, inquam, solutio; nam visio beatifica in ratione obiecti cognoscibilis potest considerari duobus modis: Primo, vt cognoscitur *in Verbo diuino*, siue actione directâ, sicut aliquæ creaturæ videntur in Verbo diuino, siue actione virtualiter reflexâ, quatenùs beatifica visio potest se suprà se reflectere, seu seipsa cognosci à suo intellectu. Secundo, potest considerari, vt est aliquod obiectum etiam cognoscibile *extra Verbum*: iam licèt diuina essentia prio A ri modo considerata sit in ratione obiecti formaliter sumpti priori modo superioris ordinis, quàm sit hæc scientia per se infusa, non tamen vt considerabitur posteriori modo: iuxta quam tamen rationem cognoscibilitatis proportio obiecti ad scientiam debet præcisè attendi, & non tantummodò ad illud iuxta suam entitatem, & materialiter spectatum. V.

Secunda propositio. *Anima Christi Domini per hanc scientiam per se infusam hæc duo obiecta cognoscit intuitiuâ cognitione.* Propositio est contra Cabreram hac quæst. disput. 5. & aliquos alios; est tamen communior inter S. Thomæ Interpretes. Probatur primò, quia si quid obstet, illud totum est essentialis actualis habitudo, quam habet visio beatifica ad diuinam essentiam, tanquam proprium obiectum actu visum. Similiter si quid obstet, ne modus ille substantialis vnitiuus videatur intuitiuè, est ipsa eius actualis habitudo ad personalitatem Verbi diuini; aliàs enim nihil videtur obstare, quatenus hęc cognitio non potest talis haberi, nisi & eius obiectum visionis beatificæ, & personalitas Verbi, cui prædictus ille modus vnit de facto humanitatem, videatur etiam intuitiuè: at hæc ratio non obstat, primò, quia Angelus naturali suâ cognitione cognoscit intuitiuè actum illum naturalem fidei acquisitæ, quo Caluinista, vel alius hæreticus credit mysterium Trinitatis, vel Incarnationis: actus enim iste est entitatiuè, & etiam quoad modum purè naturalis, vt omnes Scholastici docent, & Angeli cognoscunt intuitiuè omnia obiecta naturalia, dum actu existunt: & nihilominùs iste actus vterque tam dicit ordine essentialem ad Deum, B VI. vt primum in personis, & ad personam Verbi, vt incarnatam, quàm visio beatifica ad diuinam essentiam, & modus ille vnitiuus humanitatis cum Verbo ad personalitatem Verbi: nec tamen Angelus iste tũc cognoscit intuitiuè mysterium Trinitatis, vel diuinam personalitatem Verbi, quia hæc non possunt sic cognosci naturaliter: ab Angelo: igitur pari ratione, licèt visio beatifica dicat ordinem actualem ad diuinam essentiam, & modus ille substantialis vnitiuus ad personalitatem Verbi diuini; poterit nihilominùs intuitiuè cognosci diuinâ essentiâ non cognitâ intuitiuè, vel etiam personalitate Verbi sic non cognitâ; sed quemadmodum abstractiua illa cognitio mysterij Trinitatis & Incarnationis, quam Angelus habet in tali casu, sufficit ei vt cognoscat propriam & essentialem habitudinem istius actus ad suum obiectum, & istius modi ad suum terminum, & C III. hæc abstractiua cognitio talis termini & obiecti, non impedit, quin prædictus vterque actus cognoscatur intuitiuè ab Angelo: sic etiam abstractiua illa cognitio diuinæ essentiæ, & personalitatis Verbi, quam intellectus animæ Christi Domini habet per hanc scientiam per se infusam, sufficiet ei, vt tam visio beatifica, quàm modus ille vnitiuus cognoscatur intuitiuè ab illo per hanc scientiam. VII.

Deinde probatur eadem pars: tunc tantùm id, quod dicit ordinem essentialem ad aliud, ad quod ordinatur, cognosci etiam intuitiuè, quando propriè & formaliter est relatiuum, seu habet totum suum esse per intrinsecum respectum ad vnum solùm numero correlatiuum, vt docuimus primâ parte ad quæstionem 12. agendo de obiecto visionis beatificæ: atqui nec ipsa visio beatifica, nec ipse modus substantialis vnitiuus, D VIII.

L. de quo hîc agimus, sunt eiusmodi relatiua; sunt enim loquendo propriè entia absoluta, prius quidem de genere actionis immanentis, vel, vt alij volunt, de genere qualitatis; posterius de genere substantiæ, saltem reductiuè, vt docuimus quæstione 2. huius partis: igitur vt hæc duo cognoscantur intuitiuè, non postulant vt diuina essentia & personalitas Verbi cognoscantur etiam intuitiuè.

Tandem non magis repugnat hæc duo videri intuitiuè, absque eo quòd diuina essentia, & personalitas Verbi diuini videantur intuitiuè, quàm speciem aliquam intelligibilem, vel sensibilem determinatam ad repræsentandum hoc numero singulare videri intuitiuè, tali singulari per eam repræsentato intuitiuè non viso, quia hæc species vt sic habet actualem habitudinem ad hoc numero singulare: atqui potest Angelus II. cognoscere intuitiuè speciem illam intelligibilem, vel sensibilem, quæ est in intellectu, vel sensu Petri, verbi gratiâ, non cognoscendo intuitiuè Paulum, qui est singulare per illam repræsentatum, quia Angelus cuius liberæ voluntati subsunt species per quas intelligit, vult tantùm illis vti ad cognitionem intuitiuam huius speciei, & non ad intuitiuam cognitionem Pauli per illam repræsentati: ergo & hæc cognitio tantùm abstractiua quam habet de Paulo est ei sufficiens, vt ipsam actualem habitudinem talis speciei cognoscat intuitiuè: ergo pari iure abstractiua illa cognitio, quam intellectus animæ Christi Domini habet de essentia diuina, & de personalitate Verbi, sufficiet ei vt videat intuitiuè visionem illam beatificam, & modum illum substantialem vnitiuum humanitatis cum personalitate Verbi. Totũ istud potest illustrari exem- III. plo imaginis, seu picturæ, quam possumus intuitiuè videre, etiam in ratione *imaginis & picturæ*, licèt res per illam repræsentata non cognoscantur à nobis intuitiuè, sed tantùm abstractiuè.

Notandum tamen est, hæc duo distingui, scilicet cognoscere aliquod obiectum *intuitiuè*, & cognoscere illud *comprehensiuè*: nos hîc loquimur tantùm de ea intuitiua cognitione istorum obiectorum, quæ tamen non sit comprehensiua: vnde licèt hæc obiecta non possint intuitiuâ cognitione comprehensiua cognosci, nisi visâ intuitiuè essentiâ diuinâ & personalitate Verbi, possunt tamen videri intuitiuè, non comprehensiuè, cum sola cognitione abstractiua diuinæ essentiæ, & personalitatis Verbi diuini, quemadmodum patet in exemplo allato de imagine & pictura, cuius entitatem & habitudinem intuitiuè cognoscimus, licèt obiectum per illam repræ- IV. sentatum sit absens, & abstractiuè tantùm cognoscatur.

Atque ex his facilè soluuntur omnia fundamenta eorum qui sequuntur contrariam sententiam: nam repetunt illa ex actuali habitudine, quam hæc entia habent ad diuinam essentiam & personalitatem Verbi.

ARTICVLVS IV.

Corolarium præcedentis explicatur, & aliquod dubium soluitur.

EX hactenùs dictis de multiplici scientia animæ Christi Domini, sequitur animam eius cognoscere tribus modis visionem beatificam: Primo, directâ cognitione in Verbo, sicut in illo videt creaturas pertinentes ad suum statum: Secundo, cognitione reflexâ, quatenùs visio beatifica est virtualiter actio reflexa; eo enim ipso quo aliquis actus intellectus perfectus reflectitur super seipsum, sese etiam ipsum manifestat suomet proprio intellectui. Tertio, cognitione propriâ huius scientiæ per se infusæ, modo scilicet minùs abstracto, quàm per visionem beatificam in Verbo, siue directam, siue reflexam.

Quæres, an hæc cognitio beatificæ visionis per actum scientiæ per se infusæ habeatur ab anima Christi Domini ministerio alicuius speciei per se infusæ, an sine vlla specie, cùm hæc visio sit valdè intelligibilis, & intra ipsum intellectum animæ eius, & proinde maximè indistans.

Respondetur primò, quando hæc cognitio est beatificæ visionis alicuius alterius à Christo Domino, tunc illam fieri per speciem per se infusam, quia species non tantùm dantur propter imB proportionem obiectorum cum potentia, sed etiam ob eorum absentiam, seu distantiam: vnde VI. cùm visiones beatificæ aliorum Sanctorum non habeant per seipsas *in ratione obiecti* sufficientem coniunctionem cum intellectu animæ Christi Domini informati hac scientia, debet habere aliquam speciem illarum sibi à Deo infusam, quâ illas cognoscat.

Respondetur secundò: intellectum animæ Christi Domini cognoscere propriam suam visionem beatificam per speciê sibi à Deo infusam illi vt per hanc scientiâ cognoscendæ proportionatam. Ratio est, quòd species intelligibilis non tantùm requiratur propter absentiâ, seu distantiâ obiecti, sed ob eius improportioné ad eum modum, quo cognoscitur per scientiam, quatenùs obiectum, vel eius species & potêtia debent esse proportionata ei modo, sub quo obiectũ cognoscitur: atqui modus ille sub quo visio beatifica C cognoscitur per hanc scientiâ, est alius & inferior VII. ab eo modo, sub quo illa videtur in Verbo, vel seipsa vt reflexa, quia est minùs abstractus: ergo debet etiam fieri aliquo alio in ratione medij non cogniti distincto à tali visione: istud autem medium nihil potest esse congruêtius, quàm species à Deo infusa ipsius visionis beatificæ, quæ est in anima Christi D. igitur talis cognitio visionis beatificæ fit etiam per speciê infusam per se: vnde intelligitur aliam esse rationem eius cognitionis, quam Angelus habet de propria sua substantia, absque aliqua specie infusa, quatenùs hæc substantia eodem modo cognoscitur ab illo, quo alia entia naturalia, & proinde cùm habeat intimam coniunctionem cum intellectu eius, & proportionem, potest sufficienter absque aliqua specie infusa cognosci.

ARTICVLVS V.

Vtrùm anima Christi Domini per scientiam per se infusam cognoscat res supernaturales possibiles. VIII.

SIT hæc nostra propositio. *Anima Christi Domini per hanc scientiam cognoscebat quædam obiecta supernaturalia, quæ per ordinem ad omnipotentiam Dei sunt possibilia, non tamen ea omnia cognoscebat.* Duæ sunt partes propositionis: posterior quæ procedit de omnibus probatur; nulla potest afferri sufficiens ratio, propter quam anima Christi Domini per hanc scientiam cognoscat omnia ista possibilia: nam aut illa fundaretur in dignitate, aut in statu animæ Christi Domini: at dignitas eius id non postulat, quia licèt sit infinita, attamen perfectiones illi concessæ debent commensurari statui eius, secun-

dùm quem est author gratiæ, & doctor totius humani generis: status autem iste non postulat cognitionem istorum omnium obiectorum per ordinem ad omnipotentiam Dei possibilium, sed eorum duntaxat ad quæ sua efficientia & virtus sese extendit, aut etiam potest extendere.

I.

Prior item pars probatur: anima Christi Domini non est imperfectioris conditionis, quoad hanc cognitionem, multis Doctoribus Catholicis, imò longè excellit supra eorum cognitionem: atqui Doctores Catholici cognoscunt multa obiecta supernaturalia possibilia per ordinem ad omnipotentiam Dei, dum ex vno, aut altero mysterio fidei colligunt non repugnare Deum hoc & illud facere: verbi gratiâ, plures diuinas personas vnam & eandem numero naturam assumere, item vnum & idem numero corpus constituere in pluribus locis, etiam secundùm extensionem quantitatis, & ita de aliis: igitur multò magis anima Christi Domini per hanc scientiam cognoscit aliqua ex possibilibus supernaturalibus per ordinem ad omnipotentiam Dei.

II.

Quæ autem cognoscat, & quousque hæc cognitio possibilium obiectorum supernaturalium sese extendat, non magis possumus certò definire, quàm circa possibilia in ordine ad potentiam ordinariam Dei, de quibus suprà diximus.

DISPVTATIO VI.

De mysteriis diuinitatis, vt supernaturalibus obiectis scientiæ per se infusæ Christi Domini.

III.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quædam monita præmittuntur, & sensus difficultatis explicandæ aperitur.

IMprimis notandum est, quia Deus est vnus & trinus: ideò ex mysteriis Dei alia pertinere ad eum, vt est vnus, sicut diuina essentia, & omnia eius attributa essentialia: alia pertinere ad eum vt est trinus, cuiusmodi sunt tres diuinæ personalitates, quæ constituunt mysterium Trinitatis, & attributa relatiua.

IV.

Notandum secundò, ex attributis quæ pertinent ad Deum, vt *est vnus*, quædam pertinere ad illum, vt est *author naturæ*, & quæ iuxta Apostolum ad Romanos primo, possunt cognosci ex effectibus naturalibus: verbi gratiâ, quòd sit vnus, quòd sit creator, quòd sit omnipotens, & id genus cætera: alia pertinent ad eum, *vt est author gratiæ & finis noster supernaturalis*: verbi gratiâ, quòd sit author gratiæ & gloriæ, quòd sit obiectum visibile claræ & intuitiuæ beatitudinis. Quod spectat ad illa mysteria, quæ pertinent ad Deum, vt *vnus est*, nulla est inter Scholasticos controuersia, quin illa per hanc scientiam cognoscat: priora quidem, quia per hanc scientiam cognouit quicquid Angeli & homines possunt suâ naturali cognitione cognoscere, vt ex S. Thoma disputatione 3. articulo 1. obseruauimus: atqui mysteria prioris generis cognoscuntur ab Angelis & hominibus scientiâ suâ naturali, vt docent Theologi primâ parte: per hanc item scientiam nouit & posteriora. nam ex præcedenti articulo nouit perfectè gratiam sanctificantem, lumen gloriæ, & alios eiusmodi effectus supernaturales, eósque etiam esse entitatiue supernaturales: ergo cum illi, vt sic, dicant intrinsecam dependentiam à Deo, tanquam à sua causa, nouit etiam per hanc scientiam Deum, vt authorem illorum.

A

V.

Sola restat difficultas de aliis mysteriis ad eum pertinentibus, vt *est trinus*: an & quomodo per hanc scientiam cognouerit mysterium Trinitatis. Pro cuius explicatione notandum est primò apud Philosophos, duas has quæstiones de vna & eadem re distingui, *an sit*, & *quid sit*.

Notandum secundò, loquendo in genere, cognitionem *quid sit*, seu *quidditatis & naturæ*, aliam esse *abstractiuam*, quæ licèt sit distincta, non tamen est intuitiua, & terminata ad obiectum, vt actu existens, penetrando actualem eius existentiam simul cum omnibus prædicatis illud in tali suo esse constituentibus, itavt per eam cognitionem ipsa præsentia obiecti attingatur in se, & ex vi ipsius cognitionis: aliam verò cognitionem esse *intuitiuam*, quæ ita se terminat ad obiectum, vt eius existentia in se, & provt est, vel coexistit præsenti durationi, quâ talis cognitio formatur, attingatur ab ipso cognoscente, vnde alio nomine vocatur cognitio obiecti *sicuti est in se*. Nos hîc non disputamus de cognitione huius mysterij quoad quæstionem *quid est*, siue abstractiua, siue intuitiua: nam Deum vt vnum & trinum cognosci solummodò intuitiuè per scientiam beatam omnes Scholastici docent communiter primâ parte, quæstione duodecimâ, quod etiam sanctus Thomas hîc articulo primo [illegible], & repugnare dari speciem infusam per se, [illegible] Deus possit cognosci distinctâ, quidditatiuâ cognitione tantùm abstractiuâ, docuimus ex professo primâ parte ad quæstionem duodecimam: ergo cùm Deus secundùm suam adæquatam quidditatem sit trinus & vnus, anima Christi Domini per hanc scientiam infusam per se, quæ est distincta à cognitione beata, non poterit cognoscere hoc mysterium distincta cognitione abstractiua, quoad quæstionem *quid est*.

B

VI.

Solùm igitur disputamus hîc de cognitione mysterij Trinitatis, quoad quæstionem *an est*, id est quærimus an anima Christi Domini per hanc scientiam cognouerit Deum esse vnum in essentia, & trinum in personis.

C

VII.

ARTICVLVS II.

Vtrùm anima Christi Domini cognouerit per hanc scientiam per se infusam, Deum esse vnum & trinum.

D

VIII.

PARTEM negantem sequuntur Vasquesius hac parte, disput. 53. cap. 1. & primâ parte S. Thomæ disput. 135. cap. 4. & aliqui alij, quam etiam tribuunt Bannesio secundâ secundæ quæstione 1. articulo 2. in responsione ad tertium. Pars tamen affirmans, quam hac sequenti nostrâ propositione explicamus, est verior. *Anima Christi Domini per hanc scientiam infusam per se cognouit euidenter mysterium Trinitatis quoad quæstionem an est*, id est, *cognouit Deum esse vnum in essentia, & trinum in personis.* Ita Capreolus libro

I. sentent. dist. 13. quæstione vnicâ, Caietanus hîc articulo primo, Suarez, Aluarez, & omnes ferè recentiores hac quæstione.

Probatur primò, authoritate titatâ S. Thomæ hic articulo primo dicentis, *Animam Christi Domini abundantiùs & plenius cæteris per hanc scientiam cognouisse omnia, quæ nobis innotescunt per reuelationem.* Cui non obstant hæc eius verba ibidem in fine corporis articuli, *Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solùm per primam*, id est per beatam; nam sensus illorum solus est iste, quòd animâ Christi eo modo per hanc scientiam non cognoscat diuinam essentiam, scilicet *clarè & intuitiuè*, quo illam cognoscit per scientiam beatam, itavt S. Thomas loquatur tantùm in sensu formali, & non in materiali, id est consideret diuinam essentiam in ratione proprij & formalis obiecti visionis beatificæ, non autem in ratione obiecti tantùm materialis: & hanc esse eius mentem patet ex eo, quòd intelligenda sunt ad sensum verborum, eius immediatè præcedentium, quia continent aliquam eorum restrictionem: at verba immediatè præcedentia sunt hæc (*omnia enim ista abundantiùs & plenius cæteris cognouit anima Christi*) quæ vt sonant, procedunt tantùm de modo intelligendi hæc obiecta clariùs & perfectiùs: ergo vt prædicta verba subsequentia, quæ continent prædictam restrictionem, scribantur accommodatè, debent tantùm intelligi de diuina essentia in ratione obiecti visionis beatificæ, per quam diuina essentia clariùs & abundantiùs cognoscitur ab anima Christi Domini, quàm ab illa eadem cognoscatur per scientiam per se infusam: per hanc enim modus ille secundùm quem conuenit Deo vt sit trinus & vnus, seu mysterium Trinitatis quoad quæstionem *quid est* non cognoscitur, sed tantùm quoad quæstionem *an est*, & adhuc modo minùs perfecto, quàm cognoscatur per scientiam beatam.

II.

III.

Probatur secundò. Anima Christi per eam scientiam nouit mysterium Trinitatis quoad quæstionem *an est*, quæ erat proportionata suo statui viatoris orantis & adorantis Deum, quia passim in Euangelio hæc exequens loquitur de hoc mysterio: sancti Ioannis primo dicitur nobis enarrasse mysteria fidei, & proinde hoc, quod est vnum ex præcipuis: S. Ioannis 17. *orat Patrem*: S. Ioannis 10. *Ego*, inquit, *& Pater vnum sumus*. S. Matthæi 22. interrogat Iudæos quid sentiant de Christo, cuius sit filius: & ex Psalmo 109. probat eum verum & naturalem Filium Dei; sed sola scientia per se infusa de hoc mysterio est proportionata animæ Christi, vt existenti in via,

IV.

docenti, explicanti hominibus hæc mysteria, oranti & adoranti Patrem, & similia eiusmodi munia exequenti, & nulla alia scientia: non quidem beata, quia secundùm illam est comprehensor, non viator: deinde illa est necessaria, non libera, qualem decet esse scientiam, quæ supponitur ad meritum & orationem: non item naturalis, aut infusa per accidens est ad id proportionata, quia omnes Theologi primâ parte communiter negant hoc mysterium posse cognosci per illam: ergo cùm nulla alia scientia restet in anima Christi, præterquam infusa per se, debet per illam cognouisse mysterium Trinitatis quod ad quæstionem *an est*.

Confirmatur hæc ratio. Anima Christi per eam scientiam cognouit hoc mysterium, per quam intelligebat perfectissimè sacras Scriptu-

A ras, & earum sensum intentum à Spiritu sancto, & secundùm aquitatem explicabat hominibus, quia S. Matthæi 22. capite illas explicat de hoc mysterio, & alibi de seipso, vt verò & naturali Filio Dei: atqui anima Christi intelligebat perfectissimè sacras Scripturas, earum sensum à Spiritu sancto intentum, illúmque hominibus explicabat per hanc scientiam: sic S. Lucæ 4. cap. ita de seipso explicat locum Isaiæ 61. vt omnes Doctores tunc præsentes mirentur, audientes eum, & dicentes apud S. Marcum cap. 6. *Vnde huic hæc omnia: & quæ hæc sapientia quæ data est illi*: & alibi probat resurrectionem Sadducæis, ex eo quòd Deus in sacris Litteris dicatur *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus viuorum*: & licèt per scientiam acquisitam, seu infusam per accidens potuisset assequi sensum & intelligentiam sacrarum Litterarum, sicut illam habent Doctores in illis longo tempore & labore exercitatissimi, non tamen illo perfecto modo quo eas intelligebat, vt prædicta verba auditorum eius apud S. Marcum capite 6. indicant, nisi per scientiam per se infusam: igitur anima Christi per hanc scientiam cognouit mysterium Trinitatis quoad quæstionem *an est*.

V.

B

VI.

Probatur postremò iis rationibus petitis, tam ex capacitate animæ Christi vt complenda, quàm ex eius statu & ex conditione obiectorum, quæ possunt cognosci per hanc scientiam, quibus probauimus animam Christi per hanc scientiam cognouisse alia obiecta, de quibus suprà disputauimus.

Articvlvs III.

Quo medio anima Christi Domini cognouerit per scientiam per se infusam Deum esse vnum & trinum.

C

VII.

Sit hæc nostra propositio. *Anima Christi Domini cognouit mysterium Trinitatis quoad quæstionem an est, beneficio scientiæ per se infusæ per speciem repræsentantem ei lumen gloriæ, visionem beatificam, actus supernaturales qui exercentur à viatoribus, quatenùs ista repræsentata euidenter cognita, per tales species infusas per se, dicunt essentialem & intrinsecum ordinem tendentiæ ad Deum, vt est vnus & trinus, tanquam obiectum proprium.* Ita Nazarius ad primum articulum huius quæstionis quæstione 6. articulo 3. & aliqui alij recentiores. Vt autem sensus huius propositionis intelligatur,

Notandum est, lumen gloriæ, visionem beatificam, & alios effectus supernaturales posse

D

VIII.

considerari duobus modis in ordine ad Deum. Primò, *in ratione effectus ad suam causam*: quæ consideratio est communis omnibus rebus creatis. Deinde *secundùm peculiarem rationem specificantem*, iuxta quam respiciunt Deum, non vt causam, sed *vt proprium obiectum*, ad quod eiusmodi effectus primò & per se terminant seipsos. Nostra autem propositio non intelligitur priori modo, quia sic non est potior ratio de vno effectu, quàm de alio; & an hoc mysterium Trinitatis possit quoad quæstionem *an est*, cognosci ex tali habitudine & dependentia effectuum à Deo, tanquam à sua causa, disputatur à Theologis primâ parte: sed nostra propositio solùm intelligitur posteriori modo, quemadmodum denotat hæc particula illi inserta, *tendentiæ vt ad obiectum*. Hoc prænotato,

I. Probatur propositio. Quicumque cognoscit intuitivè & quidditativè obiectum aliquod etiam in particulari, & in indiuiduo, & in illo nullam esse falsitatem, is debet cognitione, saltem abstractiuâ, quoad quæstionem *an est*, simul cognoscere id ad quod obiectum istud sic cognitum habet intrinsecum ordinem, quia aliàs non cognosceret illud *quidditativè & intuitivè*, cùm talis habitudo ad hoc & illud in particulari sit de eius quidditate, seu essentia; & habitudo vt actu existens non possit intuitivè & quidditativè cognosci, nisi termino illius, saltem quoad quæstionem *an est*, certò & euidenter cognito: atqui anima Christi beneficio huius scientiæ per se infusæ cognoscit quidditativè per speciem infusam per se vnumquodque lumen gloriæ, vnamquamque visionem beatificam in indiuiduo & particulari, quæ sunt in

II. Beatis, similiter vnumquemque in particulari actum supernaturalem fidei infusæ existentem in iustis viatoribus, vt præcedenti disputatione ostendimus: & cognoscit hæc omnia talis esse conditionis, vt nullam habeant sibi admixtam falsitatem, quia sunt verissimi in se, & alias non cognosceret quidditativè, & præterea lumen gloriæ, visio beatifica, actus ille fidei supernaturalis, quo iustus credit Deum esse trinum & vnum, dicunt intrinsecum ordinem ad Deum vt vnum & trinum, quia sic tendunt in illum videndum & credendum: ergo anima Christi beneficio huius scientiæ, cognoscendo lumen gloriæ, & vnamquamque visionem beatificam in particulari, & particulares illos actus fidei infusæ, quibus viatores credunt Deum esse vnum & trinum, cognoscit etiam mysterium Trinitatis quoad quæstionem *an est*.

III. Addidi in Maiori istas particulas, *quidditativè*, *intuitivè*, *in particulari*, *in indiuiduo*, & *quòd in illo obiecto nulla sit falsitas*, ad occurrendum duabus obiectionibus, quæ possent formari contra illam. Prima est, quòd ad cognitionem istorum actuum, vel habituum sufficiat cognoscere illos habere obiecta aliqua in confuso, non autem cognoscere in particulari & determinatè hoc & istud. Secunda est, quòd dæmones cognoscant naturaliter actus fidei naturalis, seu acquisitæ, quos hæretici habent de mysterio Trinitatis, nec tamen naturali cognitione possunt cognoscere mysterium Trinitatis quoad quæstionem *an est*: nam per primam istam particulam *(intuitivè in particulari)* occurritur primæ obiectioni: vt enim hæc cognitio intuitiua est perfecta, quidditatiua, & distincta de

IV. tali numero lumine gloriæ, & speciali eius habitudine ad proprium & speciale suum obiectum, ita etiam cognitio eius obiecti, ad quod talis habitudo se terminat quoad quæstionem *an est*, debet esse perfecta, distincta, abstractiua, & non tantùm in genere, & in confuso, vt sese terminans ad aliquod obiectum *vagè* & *indeterminatè* apprehensum & cognitum.

Occurritur autem secundæ obiectioni per illam aliam particulam *(& quòd in illo obiecto nulla sit falsitas)* dæmon enim ita videt actum illum fidei naturalis, quem hæreticus habet de mysterio Trinitatis, vt non cognoscat illum esse verum, nec ei falsum subesse: & ideò ita videt mysterium Trinitatis credi ab hæretico, vt tamen non penetret dari Trinitatem propter multas difficultates quæ occurrunt in hoc mysterio, sed tantùm cognoscit actum illum fidei præsupponere Trinitatem existere; quod est longè aliud ab eo, quod est cognoscere illam verè de facto dari, quod tamen anima Christi Domini nouit per hanc scientiam: & cognitio quam habet dæmon de mysterio Trinitatis, non illi inest ex vi & efficacia cognitionis quam tunc habet de tali actu fidei, sed est ei acquisita: exempli gratiâ, ex sacris litteris, miraculis & id genus aliis quibus hæretici etiam sibi comparauerunt illam. V.

ARTICVLVS IV.

Solvitur dubium.

QVÆRES vndenam proueniat intellectui animæ Christi Domini illa certitudo & euidentia quam habet de existentia huius mysterij per cognitionem istorum actuum sese terminantium ad mysterium Trinitatis. VI.

Respondetur ex ipsa penetratione veritatis determinatæ, quæ de facto est in eiusmodi actibus, quæ veritas cùm sit conformitas talis assensus ad mysterium Trinitatis, quòd scilicet actu & de facto existat, penetrando illam cognoscit certò & euidenter terminum habitudinis eius, qui est Trinitatem existere.

Quòd si vlteriùs quæras, vnde habeat vt penetret hanc conformitatem: Respondetur ex eo quòd eo modo cognoscat sua obiecta, quo ei repræsentantur per species per se infusas: illæ autem ea repræsentent talia qualia sunt de facto, ac proinde cùm actus isti sint de facto istius determinatæ veritatis, quæ consistat in conformitate ad mysterium Trinitatis, vt existens, seu quòd existat, fit vt etiam certò & euidenter per hanc eandem scientiam cognoscat dari de facto mysterium Trinitatis. VII.

Quòd si adhuc vrgeas, ad hoc vt hæc cognitio sit certa requiri amplius quòd sciat rem aliter se non posse habere, & speciem illam hæc obiecta, seu actus istos repræsentantem, non repræsentare falsò, non tantùm ex parte sui, & modi quo repræsentat, sed etiam ex parte obiecti, id est speciem talis esse conditionis, quòd repræsentet solummodò rem veram: nam licèt species illa, quæ repræsentat dæmoni actum illum fidei acquisitæ in hæretico terminatum ad mysterium Trinitatis, sit verè infusa per se, & habeat conformitatem cum obiecto, seu tali actu, attamen non facit etiam remotè, vt dæmon certò & euidenter cognoscat Trinitatem existere, quę tamen est id quod terminat habitudinem talis actus, vt iam obseruauimus: vnde ergo

D intellectus animæ Christi Domini per hanc scientiam habebit hanc certitudinem, & euidentiam comparatione actuum, de quibus hîc loquimur. VIII.

Respondetur, id prouenire ex eo, quòd per lumen huius scientiæ longè excellentius & superius naturali lumine Angelorum penetret determinatam veritatem, tam actuum eiusmodi vt obiectorum, quàm speciem sibi infusarum repræsentantium illos siue cognitione reflexa, siue directa, provt ipse voluerit. Vnde cùm falsitas opponatur veritati, nec possit cum illa consistere, fit vt cognoscendo hanc vtramque veritatem, tam actuum, quàm specierum, sciat certò & euidenter rem non posse aliter sese habere: at dæmon per lumen naturalis suæ scientiæ, licèt sciat speciem hanc esse sibi à Deo infusam, & proinde conformem suo obiecto,

I. quia tamen non penetrat determinatam veritatem obiecti per illam repræsentati (hoc enim excedit perfectionem naturalis eius scientiæ) non scit certò & euidenter terminum eius habitudinis, qui est in prædicto actu fidei acquisitæ, existere. atque ex his constat non esse necessariò recurrendum ad aliquam euidentiam in attestante, vt hoc mysterium Trinitatis cognoscatur per hanc scientiam ab intellectu animæ Christi Domini.

ARTICVLVS V.

Soluitur obiectio.

OBIICIES, etiamsi nostra tertij articuli propositio rectè probetur per illam cognitionem, quâ intellectus animæ Christi Domini
II. cognoscit lumen gloriæ & visionem beatificam per hanc scientiam, non tamen videri posse probari sufficienter per habitum, vel actum fidei; licèt hæc etiam duo sese terminent ad mysterium Trinitatis. Nam quando aliquid cognoscitur in alio, tanquam medio cognito, tunc cognoscitur eâ tantùm euidentiâ, quâ continetur in illo, cùm medium sit ratio cognoscendi illud: atqui mysterium Trinitatis non continetur euidenter, sed tantùm obscurè in ipso habitu, & actu fidei supernaturalis, quia fides essentialiter est obscura: ergo tunc intellectus animæ Christi D. per hanc scientiam cognoscet tantùm obscurè mysterium Trinitatis, quoad
III. quæstionem *an est*, quando illud cognoscit per habitum & actum fidei supernaturalis: ergo cùm obscura cognitio vt obscura dicat imperfectionem, quæ non decet intellectum animæ Christi Domini (hinc enim exclusimus fidem infusam ab illo) intellectus animæ Christi Domini non cognouit per hanc scientiam mysterium Trinitatis, quoad quæstionem *an est*, beneficio illius cognitionis, quam habuit de habitu & actu fidei supernaturalis.

Respondetur ad Maiorem, duplicem posse esse sensum istius particulæ (*tunc eâ tantùm euidentiâ cognoscitur, quâ est in illo*) Prior est, vt intelligatur tantùm de euidentia sese tenente ex parte obiecti, itavt sensus sit, tunc intellectum solummodò cognoscere obiectum contineri obscurè in tali medio quod cognoscitur. Posterior est, vt intelligatur tantùm de euidentia
IV. tenente se ex parte modi, quo intellectus tunc cognoscit obiectum, quod obscurè continetur in alio, itavt sensus sit, tunc intellectum modo tantùm obscuro, seu cognitione tantùm obscurà intelligere obiectum illud, quod continetur tantùm obscurè in alio, tanquam medio cognito, & hos duos modos esse maximè distinctos, nec vnum inferre necessariò alterum, patet exemplo sumpto à veritate probata per syllogismum tantummodò topicum: verbi gratiâ, qui habet perfectissimam scientiam tum Dialecticæ, tum Physicæ, si quæ veritas physica medio tantùm probabili probetur, nouit scientificè, & proinde certò & euidenter illam per talem syllogismum, & per hoc medium esse tantùm probabilem, quia illam vt sic cognitam potest scientificè resoluere in sua principia, quomodo Dialecticus dicitur habere scientiam de syllogismo topico, quatenus est topicus, & non tantùm probabilitatem, sed tunc solùm loquendo propriè dicitur habere tantùm probabilitatem,

A quando veritati sibi propositæ assentitur, tantùm vi & efficaciâ medij tantùm probabilis, quia tunc talis probabilitas sese tenet ex parte modi, quo illam cognoscit, & non tantùm ex parte obiecti. V.

Iam ergo ad obiectionem respondetur, mysterium Trinitatis per hanc scientiam ab anima Christi Domini cognitùm contineri obscurè & ineuidenter in habitu & actu fidei, eâ tantùm obscuritate & ineuidentiâ, quæ se tenet ex parte obiecti, non autem illa quæ se tenet ex parte modi, quo intellectus animæ Christi Domini cognoscit illud in habitu & actu fidei: hic enim ita per hanc scientiam penetrat totam determinatam veritatem habitus & actus fidei supernaturalis, vt licèt illam attingat talem, qualis est in eiusmodi habitu & actu fidei sine obiectis, non tamen modo obscuro, sed claro & euidenti correspondenti tum perfectioni huius scientiæ per se infusæ, tum etiam ipsis speciebus per se infusis, quæ modo longè perfectiori & clariori referunt hæc obiecta, quantum est ex parte modi cognoscendi sese tenentis ex parte intellectus, quàm contineantur in suis propriis subiectis: est enim satis commune quàmplurimus mediis cognoscitiuis manifestare clariùs obiecta quæ repræsentant, quàm illa sint in seipsis: vnde cùm in actu cognitionis ipsa ineuidentia, quæ se tantùm tenet ex parte obiecti, nullâ in tali actu importet imperfectionem, vt etiam patet in actuali illa cognitione, quâ Deus cognoscit nostros actus fidei supernaturalis, opinionis, & cæteros eiusmodi, sed eâ tantùm ineuidentiâ quæ se tenet ex parte modi cognoscendi dicat imperfectionem, fit vt obscuritas & ineuidentia, quæ est essentialis habitui, & actui
C fidei supernaturalis, non impediat quin intellectus animæ Christi Domini cognoscat clarè & euidenter mysterium Trinitatis quoad quæstionem *an est*, dum quidditatiuè & intuitiuè cognoscit hunc numero habitum, vel actum fidei supernaturalis. VII.

ARTICVLVS VI.

Fundamenta negantis sententiæ articulo secundo relata soluuntur.

PRIMVM fundamentum est. In Deo *quod est*, & *quid sit*, seu *existentia Dei*, & *eius natura*, non distinguuntur, vt docent Theologi primâ parte: atqui ex postremo notabili primi nostri articuli anima Christi Domini per hanc scientiam non cognoscit mysterium Trinitatis
D quidditatiuè, seu quoad quæstionem *quid est*, etiam abstractiuè cognitione: ergo neque quoad quæstionem *an est*. VIII.

Respondetur, diuinam essentiam, & eius existentiam posse considerari duobus modis: Primo, *secundùm se*, & in ordine tantùm ad seipsas, seu provt *sunt de facto*. Deinde, *in ordine ad nostram cognitionem*: essentiam diuinam & eius existentiam priori modo spectatas non distingui, sed existentiam esse de intrinseco conceptu diuinæ essentiæ, vt ostendimus primâ parte: at posteriori modo, seu *in cognosci*, distingui, nec ex cognitione vnius, putà existentiæ Dei, rectè inferri veram cognitionem diuinæ essentiæ, vt etiam patet in ipsa naturali cognitione, quam ex rebus creatis habemus de Deo.

I. Secundum fundamentum est. Si anima Christi Domini per hanc scientiam cognoscit hoc mysterium quoad quæstionem *an est*, vel cognoscit illud *euidenter*, vel *obscurè*: non secundum, quia omnis obscura cognitio dicit imperfectionem: hinc enim exclusimus fidem ab anima Christi Domini: non etiam primum, quia talis euidens cognitio vel esset per aliquam speciem referentem hoc mysterium quoad quæstionem *an est*: & hoc non, quia iam esset intuitiua: nam cognitio obiecti quoad existentiam per propriam speciem illius est intuitiua: aut esset per aliquem effectum supernaturalem habentem intrinsecum ordinem ad hoc mysterium, cuiusmodi est lumen gloriæ, quod intrinsecè est ad videndum Deum, vt est in seipso, id est vt trinus & vnus: & hoc non; tum quia, vt suprà animaduertimus, non est necesse,

II. quòd actu, vel habitu cognito euidenter, eius etiam obiectum cognoscatur euidenter: tum etiam quia talis cognitio non esset amplius infusa per se, sed acquisita, quatenus anima Christi ex cognitione luminis gloriæ, vel alterius similis effectus supernaturalis habentis ordinem intrinsecum ad hoc mysterium, deueniret in cognitionem quantum ad quæstionem *an est*. At hoc mysterium nulli potest innotescere euidenter per scientiam naturalem, seu acquisitam, vt Scholastici ostendunt cum sancto Thoma primâ parte: tum quia cognoscendo euidenter hoc mysterium quoad quæstionem *an est*, illud etiam cognosceret saltem obscurè quoad quæstionem *quid est*, abstractiuâ cognitione; quod tamen iam animaduertimus fieri non posse: vel talis cognitio haberetur euidens *in attestante*,

III. seu per attestationem, quo euidenter cognosceretur esse ipsius Dei id ita asserentis: & hoc non; tum quia iam modus iste extrahit obiectum ab hac scientia, quæ debet esse per species infusas per se, vel per ipsummet obiectum: tum quia modus iste importat cognitionem per fidem, cùm sit per reuelationem Dei non clarè visi, & proinde obscuram, qualis non fuit in Christo Domino.

Respondetur, hoc mysterium per hanc scientiam cognosci euidenter ab intellectu animæ Christi Domini, vt suprà explicatum est à nobis, nec ad eam absolutè requiri speciem infusam per se: an autem talis species sit possibilis, & an illa data cognitio quæ fieret per illam, esset propriè intuitiua, non est præsentis loci discutere, sed primæ partis.

Ad id quod ibidem obiicitur primò contra modum illum, quo nostrâ propositione, articulo

IV. tertio diximus hoc mysterium, quoad quæstionem *an est*, cognosciab intellectu animæ Christi Domini, patet solutio ex dictis ibi articulo tertio circa istas maioris nostræ propositionis particulas, *quidditatiuè, intuitiuè*, & alias ibi notatas, nam ibi satisfecimus huic difficultati.

Ad id quod ibidem secundo loco obiicitur, scilicet *talem cognitionem non fore infusam, sed acquisitã*, negatur propriè loquendo: hæc enim duo distinguuntur, *vnum cognoscere in alio: & vnum ità cognoscere ex alio, vt cognitio secundi propriè causetur ex cognitione primi*: nam primum propriè & præcisè sumptum non importat acquisitionem cognitionis illius obiecti, quod cognoscitur in alio, cùm vnus & idem sit numero actus, qui simul & semel sese terminat ad vtrumque obiectum, sed primariò ad vnum, & secundariò ad alterum: vnde sicut actus ille respectu eius obiecti, ad quod primariò sese terminat, propriè non dicitur cognitio acquisita, ita nec respectu eius ad quod sese tantùm secundariò terminat, cùm sit vnus idémque numero simplex intuitus sese terminans ad hoc vtrumque obiectum; & si hæc cognitio vnius obiecti in alio diceret cognitionem acquisitam comparatione illius obiecti, quod cognoscitur in alio, iam formalis beatitudo Sanctorum in patria, seu visio beatifica illorum, quatenùs sese terminat ad aliquas creaturas in essentia diuina cognitas, diceretur scientia acquisita, quod tamen nemo Theologorum dixerit. At intellectus animæ Christi Domini dum cognoscit beneficio huius scientiæ mysterium Trinitatis quoad quæstionem *an est*, per speciem sibi præsentantem lumen gloriæ vel visionem beatificam, non habet duos actus cognitionis, vnum circa lumen gloriæ, & alterum circa mysterium Trinitatis quoad quæstionem *an est*, vt causatam à priori illo actu, sed vnum tantùm simplicem intuitum, quo cognoscit intuitiuè & quidditatiuè ipsum lumen gloriæ, eius habitudinem, & in tali habitudine proprium eius terminum cognitione tantùm *abstractiuâ*, quoad quæstionem *an est*: hanc enim scientiam non esse propriè discursiuam ostendemus infrà.

V. VI. VII. VIII.

Neque contra hanc solutionem potest obiici; repugnare vnum & eundem numero actum esse cognitionis intuitiuæ, respectu vnius obiecti sui inadæquati, & simul abstractiuæ respectu alicuius alterius obiecti etiam inadæquati; nam patet id esse falsum in ea visione beatifica, quâ aliquis Beatus videt Deum, & aliquas creaturas in Verbo tam possibiles, quàm actu existentes: nam eius visio comparatione diuinæ essentiæ, Trinitatis, & creaturarum actu existentium est intuitiua: at comparatione possibilium est solùm abstractiua.

Ad illud etiam quod ibidem tertio loco obiicitur, scilicet, *Si intellectus animæ Christi Domini cognoscat euidenter hoc mysterium quoad quæstionem an est, fore vt etiam cognoscat illud saltem obscurè, quoad quæstionem quid est abstractiua cognitione*: Respondetur, id non sequi, Primò, quia cognitio vnius istarum quæstionum non habet cognitionem alterius sibi necessariò coniunctam, vt etiam videre est in ea naturali cognitione, quam habemus de Deo. Deinde quia hæc cognitio sequitur conditionem specierum infusarum: at species infusa quæ repræsentat intellectui animæ Christi Domini lumen gloriæ, & habitudinem eius ad proprium terminum, nullo modo repræsentat mysterium Trinitatis, sed ipsa propria habitudo luminis gloriæ repræsentata tali specie sufficienter penetratur, admissâ tantùm cognitione abstractiuâ mysterij Trinitatis, quoad quæstionem *an est*.

Quòd si quæras, cùm intellectus animæ Christi Domini cognoscat hoc mysterium quoad quæstionem *an est*, vtrùm per hanc scientiam nullum habeat conceptum de propria illius quidditate.

Respondetur, nullum habere, cùm nulla in eo admittatur species per se infusa quidditatis & naturæ huius mysterij: ideóque licèt probè sciat hoc mysterium dari, quid tamen sit illud, non inquisiuit per hanc scientiam: sed tam ipsa eius voluntas in applicando intellectu ad cognitionem talis obiecti quidditatiuè spectati, quàm

I. eius intellectûs in sese occupando circa illud, sese habuerunt negatiuè per hanc scientiam, cùm essent in suo ordine recti & perfecti, sicut & multi Beati circa nonnulla obiecta, quorum habent nescientiam quoad quæstionem an est, & quid est, verbi gratiâ, circa cogitationes cordium, sed quæ possumus intelligere de hoc mysterio per sacras Litteras, intellectus animæ Christi Domini per hanc suam scientiam per se infusam multo meliùs & longè perfectiùs nobis intellexit.

Tandem ad illud quod ibidem obiicitur de euidentia in attestante satisfactum est suprà, scilicet euidentiam huius mysterij aliter posse haberi, vt suprà explicatum est: an autem etiam potuisset haberi pro hoc mysterio sic cognoscendo, propriè spectat ad disputationem de fide, vbi quæritur, an hæc euidentia importet fidem, & proinde dicat in cognoscente aliquam obscuritatem: quòd si nullam dicat, tunc hæc cogni-
II. tio reuocabitur potiùs ad prophetiam quàm ad hanc scientiam, vt iam obtenuimus: si autem includat obscuritatem, reuocabitur ad fidem, quam suprà diximus non fuisse in Christo Domino.

Tertium fundamentum est. Ad positionem motiui valdè perfecti motiuum illud, quod est valdè debile, desinit mouere potentiam: sed essentia diuina clarè visa per scientiam beatam, quæ est in anima Christi Domini, est motiuum valdè perfectum, & forte ad cognoscendum mysterium Trinitatis, tam quoad quæstionem *an est*, quàm quoad quæstionem, *quid est*: motiuum autem illud, quod ad idem mysterium per hanc scientiam cognoscendum desumitur vel ex lumine gloriæ, vel ex aliquo alio effectu supernaturali, vel ex specie infusa per se, est longè debi-
III. lius, cùm spectet ad scientiam longè minùs perfectam: ergo cùm anima Christi Domini cognoscat mysterium Trinitatis per diuinam essentiam vt medium scientiæ suæ beatæ, non cognoscet illud per aliquid tanquam medium aliquod sine cognitum, siue non cognitum vnius scientiæ per se infusæ.

Respondetur primò, Maiorem eius non semper esse veram, etiam quando illa duo motiua sunt diuersi alicuius ordinis, vt patet in medio probabili, quod non desinit mouere intellectum ad assensum tantùm probabilem, licèt idem intellectus eliciat assensum scientificum circa eamdem conclusionem per medium demonstratiuum. Secundò respondetur, Maiorem illam tunc tantùm esse veram, quando motiuum illud tam in applicatione sui, quàm in sua motione, potentiam necessitat: nam quando eius applica-
IV. tio dependet ab alio, nec necessitat ipsum agens, tunc si duo motiua dantur eiusdem etiam ordinis, vnum fortius, alterum debilius: fortius non impediet debilius, ne conformiter ad suam vim & efficatiam moueat potentiam, exempli causâ, plura media probabilia respectu eiusdem conclusionis sunt eiusdem ordinis, licèt eorum vnum sit altero probabilius, quia tamen liberè tantùm applicantur ab anima volente intelligere obiectum, & intellectus manet liber elicere assensum vel non elicere, & præterea non habet aliquam oppositionem cum alio: medium illud quod est probabilius non efficiet, vt noster intellectus non præbeat etiam assensum eidem conclusioni seu veritati ex motiuo minùs probabili, quemadmodum experientia docet in multis scientiis, quarum conclusiones satis frequen-

A ter confirmantur quam pluribus argumentis probabilibus, quorum alia sunt aliis probabiliora. Tandem, si hæc Maior esset absolutè & simpliciter vera, nulla posset esse actualis cognitio creata in intellectu animæ Christi Domini præterquam beata, quod est absurdum, & contrà omnes Scholasticos. V.

DISPVTATIO VII.

De modo & vsu scientiæ per se infusæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm hæc scientia animæ Christi Domini sit discursiua.

B EXplicatis principiis & obiectis huius scientiæ, eius vsus & modus superest explicandus: & ùm duplex distinguatur modus intelligendi, vnus *per simplicem intuitum*, quatenus vno eodémque simplici actu ipsum antecedens, consequens eius, & mutua illorum inter se connexio simul & semel cognoscitur, cuiusmodi est modus intelligendi Dei & Angelorum, scilicet percipiendo conclusiones in suis principiis, proprietates in ipsa rei essentia, & effectus in suis causis. Alter modus cognoscendi *per discursum*, inferendo vnum ex alio, quatenus prior cognitio causat posteriorem, vt, quando deducimus hominem esse visibilem, quia est rationalis, qui modus est proprius hominibus. Quæritur primò, an hæc scientia animæ Christi Domini sit discursiua, ex propria & C specifica sua natura: omnes facilè conueniunt in partem negantem. Vnde sit hæc nostra VII.

Propositio. *Hæc scientia per se infusa animæ Christi Domini non est per se, seu ex sua propria natura, discursiua, sed per modum simplicis intelligentiæ percipit suum obiectum, causas, effectus in causis, principia & conclusiones in illis, essentias rerum, & earum proprietates in illis.* Ita sanctus Thomas hac quæstione articulo tertio, quando ait hanc scientiam fuisse tantùm discursiuam *quoad vsum*: dum enim id explicat per libertatem animæ Christi Domini, qui potuit vbi & quando voluit vti hac scientia per discursum, satis significat hanc scientiam non esse discursiuam ex sua naturali & propria conditione, & ita omnes sancti Thomæ Interpretes cum intelligunt, hic & quicumque admittunt hanc scientiam per se infusam amplectuntur nostram conclu-
D sionem: quod enim Durandus libro 3. sententiarum, distinctione 14. quæstione 3. dicit hanc scientiam esse necessariò discursiuam, & pro se citat Alensem, ex eo prouenit quòd existimet nullam dari scientiam per se infusam in anima Christi Domini, qua obiecta cognoscantur extra Verbum diuinum, sed putet hanc scientiam esse tantùm naturalem, seu naturâ suâ acquisibilem: vnde cùm omnis talis scientia in nobis sit discursiua, conformiter ad suam opinionem dixit hanc scientiam animæ Christi Domini esse discursiuam, idem dicturus quòd alij docentes nostram propositionem, si existimasset scientiam istam esse infusam per se. VIII.

Nostra autem propositio probatur primò. Quia in tantum aliqua scientia est ex propria & naturali conditione discursiua, in quantum pro-

I. prium eius lumen, species illi deseruientes, ipsa vis intellectus hac scientiâ informati sunt debilia, nec per se sufficiunt ad intelligendum vno tantùm simplici intuitu causam, effectus, proprietates, & naturam, conclusiones & principia. hinc enim sanctus Thomas primâ parte, quæst. 58. articulo 1. ait contingere, quòd homo cognoscat per discursum, & è contrà quòd Angeli non discurrant, sed simplici intuitu cognoscant, prouenire ex eo quòd habeant ista omnia perfecta ad sic cognoscendum: atqui proprium lumen huius scientiæ per se infusæ, & species illi deseruientes, ipsa etiam vis qua intellectus animæ Christi Domini cognoscit per hanc scientiam, sunt apta ex se causare vno simplici intuitu cognitionem causæ & effectuum, conclusionum & principiorum, proprietatum & naturarum simul: igitur hæc scientia animæ Christi Domini

II. per se infusa non est discursiua, sed est per modum simplicis intelligentiæ, ex sua naturali & propria conditione.

Maior, præter quam quòd est sancti Thomæ loco citato, potest ampliùs confirmari, ex eo quòd proprius & specialis modus cognoscendi aliquod obiectum per aliquam scientiam debet proportionari tum ipsi eius lumini, tum & modo repræsentandi suarum specierum: quia enim species, quibus naturaliter intelligimus, ita nobis repræsentant causas, vt simul non repræsentent effectus, ita referunt naturam, vt simul proprietates eius non repræsentent, ita principium, vt nec eius conclusionem referant, & naturale lumen nostri intellectus est ita debile, vt non possit simul vtrumque, sed successiuè accommodatè ad suas species attingere, inde fit vt proprius noster modus cognoscendi sit per discursum: ergo, & è contrà, vbi tam ipsum lumen,

III. quàm vis ipsa qua intellectus per aliquam scientiam cognoscit, quam species quibus vtitur in cognoscendo, sunt tantæ virtutis & perfectionis ex propria sua conditione, vt causa & effectus, natura & proprietas, principium & conclusio possint cognosci vno tantùm simplici intuitu: tunc talis scientia non erit ex sua propria & naturali conditione discursiua, sed tantùm cognoscitiua per modum simplicis intelligentiæ.

Minor autem propositio probatur. Scientia per se infusa est proportionata suis speciebus, cùm hæc duo ordinentur ad componendum vnum totale & integrum principium cognitionis: sed propriæ species huius scientiæ sunt vniuersales in repræsentando, & vniuersaliores speciebus Angelicis, vt suprà docuimus:

IV. quæ tamen sua natura sunt aptæ referre causam & effectus, principium & conclusiones, naturam & proprietates, & proinde quantum est ex parte sui idoneæ causare cognitionem istorum omnium, vt vno tantùm simplici intuitu obtinendam. Ergo similiter & vis ipsa intelligendi, qua intellectus animæ Christi Domini cognoscit per hanc scientiam, est ex sua naturali conditione proportionata huic modo cognoscendi: nam suprà docuimus, illam esse non *naturalem*, sed *obedientialem actiuam*: ergo cùm actiua obedientialis potentia sit etiam proportionata tam ipsi scientiæ per se infusæ, quàm speciebus illi correspondentibus, intellectus animæ Christi Domini, vt informatus scientia per se infusa, habet pro suo naturali modo tali suæ scientiæ proportionato, quod intelligat obiecta illius

A vno simplici intuitu, & non per aliquem discursum propriè dictum. V.

Secundò probatur. Proprius & naturalis modus intelligendi per hanc scientiam est perfectior & simplicior naturali modo intelligendi Angelorum per species sibi infusas ad cognoscendum obiecta naturalia, quia modus cognoscendi debet correspondere suæ scientiæ, & suis speciebus: hæc autem scientia per se infusa, & propriæ eius species sunt perfectiores scientia naturali Angelorum & speciebus infusis illis ad vsum suæ scientiæ naturalis: atqui proprius & naturalis modus Angelorum sic intelligendi obiecta naturalia, est ea cognoscere sine discursu per simplicem intuitum, vt sanctus Thomas primâ parte, quæst. 58. art. 3. & omnes Scholastici communiter ibi docent ex professo: igitur proprius & naturalis modus intelligendi animæ

B Christi Domini per hanc scientiam, est cognoscere sua obiecta absque discursu per simplicem intuitum. VI.

Articvlvs II.

Vtrùm anima Christi Domini potuerit discurrere per scientiam per se infusam.

Sanctvs Thomas hac quæst. art. 3. & communiter omnes eius discipuli ibidem existimant hanc scientiam in Christo Domino fuisse *per accidens*, (id est ratione subiecti, cui inest) discursiuam: quatenus, quia naturale est animæ rationali discurrere, & hæc scientia erat in anima rationali Christi Domini, potuit pro sua libertate per illam discurrere: non quidem vt aliquid de nouo addisceat, quod antè nesciret e-

C tiam per hanc scientiam, sed ad eum modum, VII. quo qui habet aliquam scientiam volendo vti illa, concludit effectum ex sua causa, quem tamen iam antè nouit.

Verùm hæc dere sit nostra propositio. *Anima Christi Domini non potuit discurrere per scientiam infusam per se.* Ita Richardus 3. sentent. dist. 14. quæst. 3. art. 4. Suarez hac parte, disp. 28. sect. 2. Vasquez disp. 52. cap. 3. & plures alij recentiores. Probatur primò, nemo informatus scientia potest ea vti modo simpliciter & absolutè opposito ei, quem talis scientia essentialiter & ex propria sua natura sibi vendicat: quia iam desineret esse talis, & transiret ad aliam speciem cognitionis: exempli gratiâ, quia intellectus seu habitus primorum principiorum hoc habet ex propria sua natura vt tendat in obiecta simplicia seu sine

D compositione aut diuisione, quicumque habet VIII. talem habitum non potest per illum vt formaliter talem discurrere, quia tunc non esset ampliùs habitus primorum principiorum, sed aliquis alius habitus cognoscitiuus, exempli gratiâ scientiæ, aut opinionis, vel aliquis alius: atqui modus proprius & essentialis scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini est tendere in obiecta per species repræsentata simplici intuitu, & in seu huic modo *ipsum tendere in sua obiecta seu illa cognoscere per discursum*, opponitur: igitur anima Christi Domini non potest vti sua scientia per se infusa per discursum. Maior satis patet.

Minor duas partes habet; prior est, *modum essentialem & proprium, quo scientia per se infusa tendit in sua obiecta, esse tendere in illa per simplicem intuitum*, quæ prior pars manet sufficienter

I. probata ex iis omnibus, quæ attulimus in confirmationem nostræ propositionis articuli præcedentis. Et potest amplius confirmari, ex eo quòd vbi omnia ad intellectionem requisita habent eamdem conditionem, tam ex parte luminis, quàm ex parte specierũ, ibi est idem modus tendendi in illa, & si in vno est essentialis, erit etiam in altero, quia tunc non potest dari ratio, quare sit essentialis vni, & alteri tantùm accidentalis, cùm omnia ponantur esse paria: atqui hæc scientia per se infusa existens in anima Christi Domini, & species illi correspondentes sunt eiusdem conditionis genericè cum scientia naturali & speciebus Angelorum pro intelligendis obiectis naturalibus: nam vt lumen Angelicum & species vniuersales infusæ Angelis sunt talis rationis, vt intellectus Angeli illis informatus feratur per simplicem intuitum in

II. sua obiecta per vnam speciem vniuersalem repræsentatam: ita & intellectus animæ Christi Domini vt informatus suis speciebus & vtens hac scientia infusa per se: ergo sicut proprius & essentialis modus Angeli vtentis suis speciebus vniuersalibus est intelligere per simplicem intuitum, ita vt ei repugnet intelligendo per illas obiecta naturalia, vel aliqua illorum cognoscere per discursum: ita etiam proprius & essentialis modus, quo hæc scientia infusa per se animæ Christi Domini tendit in sua obiecta, est per simplicem intuitum.

Posterior item pars propositionis, asserens *intelligere per discursum, & intelligere per simplicem intuitum sibi inuicem opponi*, probatur. Quia constituunt duos intellectus specie distinctos, *Angelicum*, scilicet & *humanum*: ergo cùm differentiæ diuisiuæ eiusdem generis, & constitutiuæ

III. duarum specierum, opponantur sibi inuicem, isti etiam duo modi, *(intelligere suæ obiecta per species simplici tantùm intuitu, & ea intelligere discursu)* sunt duo modi sibi inuicem oppositi.

Secundò probatur eadem pars. Illi modi sunt sibi oppositi, quorum vnus importat negationem alterius, licèt alias sint positiui, exempli gratiâ, rationale & irrationale: atqui simplex intuitus in ratione cognitionis intellectiuæ importat negationem discursus, quia hic dicit intrinsecè duos actus, quorum vno effectus cognoscatur, & causa altero, ille verò vtrumtantùm, qui tamen primariò terminetur ad causam, & secundariò ad effectum, quatenus causa est *medium in quo, vt cognito*, effectus cognoscitur: ergo duo illi modi sunt sibi inuicem oppositi.

IV. Deinde propositio probatur. Repugnat Angelo cognoscẽti obiecta naturalia per species sibi à Deo infusas, illa pro sua libertate cognoscere per discursum, sed necessitatur ea cognoscere per simplicem intuitum, vt colligitur ex S. Thoma primâ parte, quæstione 58. articulo tertio, in solutione ad 3. & plures ex discipulis sancti Thomæ expressè ibi tradunt, inter quos est Bannesius ibi dubio secundo, *Quia*, inquit, *non potest vti proprio intellectu, nisi iuxta modum sibi naturalem & proportionatum*: ergo etiam repugnabit intellectui animæ Christi Domini vtenti hac scientia intelligere obiecta illius, vt per suas species repræsentata pro sua libertate per discursum, sed necessitatur ea cognoscere per simplicem intuitum, quia non potest vti hac sua scientia, nisi iuxta modum illi connaturalem & proportionatum, qui est cognoscere per simplicem intuitum.

A Tandem probatur. Ad rationem discursus veri & propriè dicti duæ requiruntur cognitiones, quarum prior sit verè causa posterioris, vt hæc particula, *ex*, indicat, dum dicimus, *discurrere esse vnum ex alio cognoscere*, & omnes Philosophi communiter docent libris posteriorum: atqui anima Christi Domini, dum vtitur hac scientia per se infusa, cognoscendo causam & effectum, essentiam & proprietates, non potest facere pro sua libertate, vt hæc cognitio effectus oriatur seu causetur in seipso à cognitione suæ causæ, nec item vt cognitio proprietatis causetur in se ab illa cognitione quam habet de natura seu essentia: tum quia eo modo cognoscit ista, quo modo species correspondens suæ scientiæ infusæ repræsentat illa, & concurrit ad habendum cognitionem: at species ita repræsentat illa simul, vt tamen vnum illo-

B rum sit cognoscendum in alio, quia aliàs hæc species non esset vniuersalis quoad hæc obiecta: tum etiam, quia hæc tria distinguuntur, scilicet *cognoscere hunc effectum emanare ab hac causa, hanc proprietatem ab hac natura*: item *cognoscere hanc proprietatem vno actu, & eius naturam alio actu*, & istud scilicet *actualem illam cognitionem proprietatis verè & propriè causari ab actuali cognitione causæ*. Nam duo prima non important discursum *secundum causalitatem*: primum quidem, quia competit etiam Deo, cui tamen repugnat discurrere: secundum item, quia importat solummodò discursum *secundum successionem*, qui vt docent Dialectici libris posteriorum propriè non est discursus. Vnde licèt intellectus animæ Christi Domini possit vtendo scientia per se infusa primum, & quamuis ex hypothesi posset secundum, non tamen ter-

C tium, in quo propriè consistit discursus: quia illa cognitio, quam tunc haberet de effectu etiam vt dependenti à sua causa, non esset propriè deducta ex cognitione causæ illius, seu non perciperet effectum virtute prioris illius cognitionis qua percipiebat causam, cùm iam haberetur, & discursiua cognitio ex sancto Thoma primâ parte, quæstione quinquagesima-octauâ, articulo tertio in solutione ad primum, attendatur secundùm *quod ex aliquo priùs noto deuenitur in cognitionem posterioris noti, quod priùs erat ignotum*, & eadem parte quæstione septuagesima-nonâ, articulo octauo in corpore ita ait, *Ratiocinari comparatur ad intelligere, sicut moueri ad quiescere, vel acquirere ad habere; quorum vnum est perfecti, aliud autem imperfecti*: ergo cùm hæc cognitio animæ Christi Domini per

D scientiam infusam per se sit perfecta, non potest per illam ita priùs cognoscere causam, vt non cognoscat effectum eius, vel è contrà.

Obiicies, licèt proprius modus intelligendi Angelorum sit cognoscere per simplicem intuitum, nos tamen citata quæstione quinquagesima-octauâ primæ partis admisisse illos posse discurrere circa nostras cogitationes cordium, miracula Christi Domini, & nonnulla id genus: quidni ergo etiam intellectus animæ Christi Domini poterit discurrere per hanc scientiam, licèt proprius modus cognoscendi illi correspondens sit cognoscere per simplicem intuitum.

Respondetur, nos tantùm ibi admisisse discursum in Angelis circa res, quarum non habent species sibi congenitas cuiusmodi sunt cogitationes cordium, miracula Christi Domini: at circa res, quarum habent species, absolutè ne-

V. VI. VII. VIII.

I. gamus eos posse discurrere. Vnde cùm intellectus animæ Christi Domini habeat species omnium obiectorum huius scientiæ per se infusæ, non poterit circa illa discurrere.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta prioris sententiæ relatæ præcedenti articulo.

PRIMVM est, Verbum diuinum assumpsit animam humanam, quæ verè est rationalis & eiusdem speciei cum nostra: ergo & quæ possunt discurrere per hæc scientiam. Antecedens est de fide. Consequentia probatur; anima potest vti scientia sibi inexistente modo sibi connaturali, præsertim quando talis scientia datur ad
II. complendam actiuam potentialitatem eius: atqui scientia per se infusa datur in anima Christi Domini ad complendam actiuam eius potentialitatem, vt suprà docuimus, & connaturalis modus intelligendi animæ rationalis est per discursum, hinc enim vocatur rationalis: igitur anima Christi Domini, potuit discurrere per hanc scientiam infusam per se.

Respondetur, concesso antecedente, negando consequentiam. Ad cuius probationé respondetur, duobus modis posse intelligi, modum intelligendi connaturalem animæ rationalis esse cognoscere per discursum: primò, itavt illud intelligatur de omnibus obiectis, quæ per quamcumque cognitionem possunt ab illa cognosci, ad quemcumque gradum sit eleuata: secundò, vt tantùm intelligatur de obiectis eius naturalibus modo naturali cognoscendis. Si probatio huius consequentiæ procedat hac posteriori sensu, admittitur à nobis, sed non est ad propo-
III. situm: quia propria obiecta huius scientiæ non sunt naturalia ipsi intellectui animæ Christi Domini, vt patet ex dictis suprà de hoc scientia, & eius speciebus. Si verò hæc consequentia procedat in priori sensu, negatur: nam intellectus animæ Christi Domini, & omnes Beati cognoscunt beatifica visione diuinam essentiam & aliquot creaturas, nec tamen per discursum: ergo cùm propria cognitio obiectorum huius scientiæ conueniat tantùm animæ Christi Domini, quatenus est in aliquo ordine sublimiori, confortata per habitū huius scientiæ sibi à Deo infusæ, modus cognoscendi propria obiecta illius nō debet proportionari naturali statui animæ eius rationalis, nec proinde debet posse illa cognoscere per discursum; sed debet proportionari ipsi habitui & eius speciebus, quæ cùm referant in-
IV. tellectui simul & semel principium & conclusiones, causam & effectum, naturam & proprietates, debet etiam ratione suæ confortationis & eleuationis illa vno tantùm actu cognoscere per simplicem intuitum. Hæc autem scientia per se infusa dicitur dari animę Christi Domini ad complendam actiuam eius potentialitatem, *non in ordine naturali*, sed *in alio, quem eius obedientialis potentia* respicit, quemadmodum superiùs est explicatum agendo de necessitate huius scientiæ.

Secundum fundamentum est. Ad præcisam rationem discursus secundùm causalitatem requiritur tantùm, vt sint duæ cognitiones, quarum vna causetur per aliam: atqui anima Christi Domini, vtendo hac scientia potuit habere duas actuales cognitiones, quarum prior A esset causa posterioris. Cùm enim species huius scientiæ subiiciantur eius libertati, & repræsentent ei ipsam essentiam rei, & eius proprietatem, item causam & effectus, potest ille pro sua circa illas libertate iis vti tantùm inadæquatè, scilicet provt tantùm repræsentabant aliquam naturam specificam; deinde alio actu illis vti, provt repræsentabant proprietates, & sic ex præcedenti cognitione actuali naturæ vniuersalis colligere actualem cognitionem proprietatis vt conuenientis tali naturæ: igitur anima Christi Domini potuit per hanc scientiam discurrere. V.

Respondetur, concessa Maiore, negando Minorem. Ad cuius probationem respondetur, proprias species huius scientiæ hoc sensu dici subiacere libertati animæ Christi Domini, quòd possit, quando vult, per illas intelligere
B ea obiecta, quæ repræsentant, scilicet applicando illis suum intellectum: non autem quòd possit illis vti ad cognoscendum solummodò causam, excludendo cognitionem effectus, qui simul repræsentatur per talem speciem: quia species referunt ista omnia *concretè*, id est, naturam cum proprietate, causam cum effectu, principium cum sua conclusione: & proinde cùm cognitio sit eorum, quæ repræsentantur per speciem, & secundùm id quod à se inuicem dependent: quemadmodum species non repræsentat causam sine effectu, nec è contrà, sed effectum vt dependentem à sua causa, proprietatem vt emanantem à natura: sic & intellectus animæ Christi Domini informatus hac scientia non potest vnum cognoscere, quin etiam aliud simul & in illo cognoscat. VI.

Nec obstat, quòd Christus Dominus sit li-
C ber: quia libertas eius est in vtendo, vel non vtendo speciebus suis: non autem in tali modo vtendi sua specie oppositio & essentiali modo suæ scientiæ. Quando verò plura obiecta repræsentantur vna & eadem specie, nec talem habent inter se habitudinem, vt vnum illorum sit ratio cognoscendi alterum, seu non est propriè *medium cognitum*, in quo alterum cognoscatur: tunc quia vnum, quatenus comparatur cum alio, non habet necessariam connexionem cum illo in ratione *obiecti cogniti*, voluntas animæ Christi Domini potest applicare suum intellectum, vt informatum hac scientia per se infusa, ad speciem illi correspondentem pro intelligendo vno non intellectis aliis per eam repræsentatis. VII.

Neque ex eo quòd intellectus animæ Christi Domini vtens hac scientia, & eius speciebus, ne-
D cessariò cognoscere proprietatem simul cum natura, vel naturam cum proprietate vno & eodem actu, noster verò intellectus minimè, arguit in intellectu Christi Domini sic cognoscentis aliquam imperfectionem. Nam quòd possumus cognoscere naturam, non cognita eius proprietate, vel è contrà, non est perfectio, sed imperfectio: id enim ostendit imbecillitatem nostri intellectus, & indigentiam plurium distinctarum specierum, quatenus aliam habemus speciem pro cognoscenda natura, & aliam pro eius proprietate, ratione cuius tam imbecillitatis nostri intellectus, quàm indigentiæ plurium specierum, necessitamur hæc obiecta cognoscere distinctis actibus, & vnum ex alio colligere, vt etiam S. Thomas notauit primâ parte citata quæst. 58. art. 3. VIII.

I. Deinde, etiamsi intellectus animæ Christi Domini posset per hanc scientiam formare duos istos actus cognitionis, quorum hic fit mentio: illi tamen adhuc non facerent discursum secundùm causalitatem, quatenus intellectus ille non eliceret cognitionem proprietatis, vt à sua natura dimanantis, vi & efficacia illius alterius cognitionis, qua naturam cognoscit: sed cùm species illam repræsentet simul cum natura, & ex sententia aduersariorum possit vti hoc modo inadæquatè sua specie: tam bene poterit, sic vtendo sua specie, cognoscere proprietatem, non cognoscendo naturam, quàm è contrà: sicque cùm hæc cognitio vt sic spectata habeat sese merè per accidens ad aliam, quæ est ipsius causæ, nullus ibi propriè interueniet discursus secundùm *causalitatem*, sed solummodò secundùm *successionem*.

II. Tertium fundamentum, quod sanctus Thomas habet hac quæstione articulo tertio in corpore, est; Christus Dominus sancti Matthæi 17. capite de facto discurrit vtendo hac scientia: nam ex eo quòd filij regum temporalium sunt exempti à solutione vectigalium, probat se, filium naturalem Dei, exemptum esse à solutione tributi, se tamen illud soluere ad vitandum scandalum; *Quid tibi videtur Simon? reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis, dixit illi Iesus, ergo liberi sunt filij*: & hæc filiatio, de qua Christus Dominus ibi loquitur, est supernaturalis, quam suâ naturali scientiâ seu infusâ per accidens non nouerat. Ergo cùm inter loquendum Apostolis non vteretur scientia beata, quia, cùm sit necessaria, non est proportionata ad dirigendum

III. actum moralem modo humano seu libero, hic actus scientiæ istius filiationis diuinæ erat actus scientiæ per se infusæ, & ita Christus vtendo hac scientia, discurrebat.

Respondetur, duplicem distingui discursum, *vnum mentalem, alterum vocalem* explicatiuum interioris, siue conceptus tantùm, siue discursus: solum mentalé esse discursum verè & propriè dictum, & vocalem esse tantùm signum & explicationem illius, & in tantum esse verum discursum, loquendo in rigore, in quantum exprimit interiorem secundùm rationem discursus propriè dicti: quæ vera & genuina expressio consistit in eo, vt quemadmodum discursus interior verè & propriè dictus habet duas mentales cognitiones, quarum vna est causa alterius: ita etiam & exterior constet duabus vocalibus cognitionibus, quarum vna in ratione cognitionis sit causa alterius. Iam Christus Dominus, loco illo S. Math.

IV. 17. & aliis similibus, vtendo hac scientia sibi infusa per se, non habebat mentalem discursum propriè dictum, ob rationes allatas pro nostra propositione secundi articuli, sed plura illa obiecta, quæ vno tantùm conceptu interiori cognoscebat intelligendo vnum eorum in alio, explicauit discipulis & aliis eum quibus loquebatur per vocalem discursum, sese illis accommodando, sicut S. Raphaël loquens vtrique Tobiæ, quæ concipiebat sine discursu, explicabat illis discursu exteriori sese illis accommodando: quod exemplum non eo sensu affertur à nobis, quasi velimus, quòd sicut ista loquutio Angeli fuit tantùm *metaphorica*, ita & hæc loquutio Christi Domini: cùm enim Christus Dominus esset verus homo, etiam verè & propriè loquebatur formando loquutionem vitali modo & per instrumenta vitalia: sed solùm volumus veram illam humanam loquutionem, tunc à Christo Domino factam, in seipsa & secundùm seipsam præcisè consideratam non habuisse rationem veri & propriè dicti discursus, cuius rei ratio est hæc, quòd in tantum exterior discursus est verè & in rigore discursus, in quantum informatur interiori, & illum in ratione discursus exprimit, sicut oratio exterior in tantum est vera, in quantum est conformis interiori conceptui. At in præsenti casu Christus Dominus solummodò illum exprimit in ratione conceptus & non propriè in ratione discursus, cùm vna eius cognitionum propriè non causetur ab alia præcedenti: ergo illa exterior loquutio Christi Domini non erat propriè discursus aliquis exterior.

V. VI. Nec obstat, quòd Philosophi in libris posteriorum distinguant duplicem scientiam, *vnam actualem*, & *alteram habitualem*: docentque actualem illam, quæ præsupponit habitualem, non desinere esse propriè scientiam: ergo pari modo actualis ille discursus vocalis, quo explicatur id quod vel per habitum, vel per aliquem præcedentem actum cognoscebatur, rectè dicetur esse discursus verè & propriè dictus: sanctum autem Thomam, & alios dicentes *discurrere nihil esse aliud, quàm ex vno cognito, aliud incognitum colligere*, seu cognoscere, velle tantùm in discursu propriè sumpto, fieri processum ex principiis actualiter notis, ad conclusionem actualiter ignotam in illo eodem priori, quo principia supponuntur cognita, animam verò Christi Domini vtendo hac scientia potuisse applicare suum

VII. intellectum alicui speciei vt inadæquatè repræsentanti suum effectum: sicque non attendere actualiter ad causam etiam suâ eadem specie repræsentatam *inadæquatè*, & ita ex hac præcedenti cognitione actuali deuenire in aliam actualem. Hæc, inquam, non obstant: non quod affertur de habituali & actuali scientia: nam tota ratio scientiæ saluatur in hac vtraque scientia modo vtrique proportionato, vt docent Dialectici. At in præsenti casu tota ratio discursus propriè sumpti minimè, vt iam obseruauimus.

VIII. Non item obstat explicatio auctoritatis S. Thomæ allata: quia hoc etiam modo Angeli possent discurrere circa obiecta sua naturalia, quorum habent species infusas per se, quod tamen sanctus Thomas, & omnes eius discipuli primâ parte citata quæstione 58. absolutè & simpliciter negant: & processus ille à principio actualiter noto, ad conclusionem actualiter non cognitam, quæ tamen sit nota per habitum, runc tantùm habet rationem discursus verè & propriè dicti, quando ita caremus actuali considerationc conclusionis, vt tamen vi & efficacia prioris illius cognitionis, quam tunc formamus de principio, moueamur ad actualem cognitionem conclusionis. At in præsenti casu, vt iam obseruauimus in solutione præcedentis fundamenti, intellectus animæ Christi Domini non moueretur ad actualem cognitionem conclusionis per illam actualem cognitionem, quam propriè haberet de principio; quod tamen habet locum in nobis, quando discurrimus circa ea, quæ antea didicimus, & adhuc memoria retinemus.

I.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm anima Christi Domini debuerit vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata.

DVRANDVS lib. 3. sentent. distinct. 14. quæst. 3. numero 7. & distinct. 18. quæst. 2. existimat Christum Dominum adhuc viatorem non potuisse vti hac scientia sine conuersione ad phantasmata tam ad intelligendum obiecta per se supernaturalia, quàm naturalia.

Contra quem sit hæc nostra propositio. *Christus Dominus in vsu huius scientiæ per se infusæ, siue circa obiecta naturalia, siue supernaturalia, non indiguit absolutè ipsa conuersione ad phantasmata, quomodocumque talis conuersio explicetur à Philosophis in libris de anima.* Hæc propositio est sancti Thomæ hîc art. 2. & communis tam aliorum Scholasticorum citata distinct. 14. lib. 3. sentent. quàm Interpretum sancti Thomæ hac quæstione.

II.

Probatur. In tantum anima vtens scientia sibi inexistente indiget necessariò ipsa conuersione ad phantasmata, in quantum illa est necessariò subiecta suo corpori, vel species huic eius cognitioni deseruientes dependent à phantasmate, seu phantasia in eo concursu, quo simul cum potentia causant cognitionem obiecti: atqui anima Christi Domini etiam dum existeret in corpore passibili & mortali non erat necessariò subiecta suo corpori, nam cùm tunc esset etiam beata, habebat plenum dominium in illud, sicut animæ beatorum habebunt in sua corpora sibi post resurrectionem reunita, cùm

III.

non esset deterioris conditionis, quàm illi tunc futuri sint, quandoquidem iam erat illorum caput, vt ostendimus quæstione octauâ: nec item propriæ species huius scientiæ in illo concursu, quem præbent pro cognoscendis suis obiectis, dependent aliquo modo à phantasia, quia sunt purè spirituales, infusæ per se, Angelicis speciebus perfectiores ex dictis suprà, ad perfectiorem scientiam ordinatæ, & proinde sicut species Angelicæ in suo concursu nullo modo dependent ab phantasmate vel phantasia, quæ nulla est in Angelo, itanec species huius scientiæ: ergo anima Christi Domini, adhuc existens in corpore passibili, & mortali, vtens hac scientia per se infusa non indiguit necessariò conuersione ad phantasmata.

IV.

Maior quoad primam sui partem est sancti Thomæ, primâ parte, quæstione 89. articulo 1. item Scoti lib. 2. sentent. distinct. 3. quæstione 3. cuius optima ratio est, quam sanctus Thomas ibi tradit: scilicet *modum operandi seu intelligendi animæ sequi modum eius existendi*: vnde quando ita est alligata corpori, vt ei sit subiecta, tunc ob naturalem connexionem quam habet cum corpore, non potest intelligere aliquod obiectum, sine concomitantia phantasiæ aliquid operantis circa idem obiectum, & è contrà quando ei non est alligata, licèt sit in illo, potest intelligere sine conuersione ad phantasmata, vt docent communiter Theologi agendo de modo intelligendi animæ in corpore glorioso post resurrectionem.

Posterior item pars eiusdem Maioris patet, ex eo quòd vltra rationem nunc assignatã in priori parte, nulla aliâ potest fingi, quàm hæc funda-

A ta in aliqua necessaria dependentia specierum à phantasmatibus in concurrendo ad cognitionem sui obiecti: tum quia vbi potentia est expedita, & species dantur sine tali dependentia, ibi cognitio potest esse, vt patet in Angelis & animabus separatis a corpore. Tum etiam quia plerique Philosophorum sic explicant relatum illud ex Aristotele, *oportet intelligentem speculari phantasmata*, quemadmodum videre est ibi apud Aristotelis Interpretes.

Minor verò eiusdem primæ rationis quoad primam partem est ibi sufficienter confirmata. Nec potest responderi pro Durando, hanc partem esse veram de anima beata existente in corpore incorruptibili & immortali, quale erit corpus vniuscuiusque beati hominis post resurrectionem: at licèt anima Christi Domini fuerit beata à primo instantisuę creationis, attamen ante mortem erat in corpore passibili & mortali. B VI.

Hoc, inquam, responderi non potest, ex eo quòd ad tale dominium animæ beatæ in suum corpus & vsum talis dominij, non sit opus aliquo, quod ex parte corporis concurrat effectiuè, sed summa eius subiectio ad animam, vt *beatam*, sufficit: ergo cùm anima Christi Domini adhuc viuentis in corpore mortali haberet tale dominium in suum corpus, & corpus Christi haberet perfectam subiectionem ad suam animam, nec Christus pro eo statu esset minoris virtutis intellectiuæ, quàm post resurrectionem sui corporis, sicut post resurrectionem sui corporis habuit tale dominium, ita & ante dum esset in corpore adhuc mortali. Quod amplius confirmatur ex variis eius miraculis, verbi gratiâ, transfigurationis, item quo ambulauit supra mare, item ex eo quo se reddidit inconspicuum Iudæis, per quorum

C medium transibat, & pluribus aliis: ergo anima VII.

Christi Domini in vsu huius scientiæ non indigebat conuersione ad phantasmata, propter subiectionem suæ animæ ad proprium corpus.

Posterior item pars eiusdem Minoris, quòd scilicet *species huius scientiæ essent in suo concursu independentes à phantasia*, ibi est ostensa & amplius confirmatur. Vbi species sunt altioris ordinis, nec in suo modo repræsentandi & concurrendi sunt commensuratæ speciebus sensibilibus aut intelligibilibus, deriuatis tamen à sensu, ibi tales species possunt repræsentare sua obiecta & concurrere ad illorum cognitionem, quantum requiritur ex parte speciei absque vlla dependentia à concursu, tam phantasmatum, quàm ipsius phantasiæ: quia dependentia illa, quæ est in nostris speciebus à concursu phantasmatum & phantasiæ pro hoc statu mortali, fundatur etiam

D in eo quòd sint ordinis naturalis, & habeant VIII.

suum ortum à sensibus: atqui species huius scientiæ per se infusæ sunt ordinis omninò supernaturalis, commensuratæ tali ordini, & modo abstractiori ad cognoscendum obiecta huius scientiæ: igitur species illæ poterunt absque aliqua sui dependentia à phantasmatibus concurrere ad cognitionem suorum obiectorum.

Secundò nostra propositio probatur. Intellectum cognoscere per conuersionem ad phantasmata, est per actũ phantasiæ cognosci rem aliquã sensibilem proportionatam illi, quam intellectus cognoscit, vt satis communiter plerique Philosophorum docent ad citatum locum Aristotelis: atqui vt anima Christi Domini per suam scientiam infusam per se cognosceret obiecta illius, nõ erat necessarium aliquod sensibile cognosci ab eius

I. phantasia, quia species eius scientiæ erant illi infusæ independenter à suo corpore: ergo anima Christi Domini, vt vteretur hac sua scientia, non erat necessarium, vt cognosceret obiecta sua per conuersionem ad phantasmata.

Vltimò probatur. Anima Christi Domini habuit aliquos actus huius scientiæ, antequam haberet aliquas species comparatas seu acquisitas per suam phantasiam: ergo hæc scientia, quoad suum vsum, est independens à conuersione ad phantasmata. Consequentia est euidens, antecedens probatur: vbicumque est meritum, ibi datur actus alicuius scientiæ, quo tale meritum dirigatur, *quia nihil volitum quin præcognitum*: atqui anima Christi Domini meruit in primo illo instanti suæ creationis & vnionis cum Verbo diuino, & suo etiam corpore, vt patebit infrà, quo instanti nondum habebat aliquas species sibi comparatas per phantasiam, quia nondum exercuerat actus illius circa externa obiecta: ergo tunc habuit aliquem actum cognitionis dirigentis suum meritum: atqui actus ille non potuit esse alterius scientiæ, quàm huius per se infusæ: nam actus scientiæ naturalis est ei improportionatus, præsertim vbi meritum est per actus qui versantur circa obiecta entitatiuè supernaturalia: similiter non potuit esse actus scientiæ beatæ, quia est necessarius & caret omni indifferentia, vnde non potest esse aliqua radix libertatis, quæ debet esse in actu meritorio: igitur, cùm sola restet scientia per se infusa, debuit tale meritum à Christo Domino exercitum in primo illo instanti temporis, esse directum per actum scientiæ per se infusæ, qui esset independens à conuersione ad phantasmata.

II. B

III. C

Atque prima & secunda ratio nostræ propositionis idem probant de scientia infusa per accidens animæ Christi Domini, vt etiam animaduertunt Conimbricenses citata quæst. 8. in fine art. 2. cùm enim illæ species talis sint conditionis, vt repræsentent totum quod est in suis obiectis, etiam quoad circumstantias maximè particulares: sicque sint aptæ causare cognitionem suorum obiectorum, quantum requiritur ex parte illorum, & anima Christi Domini habeat dominium in suum corpus: non etiam necessariò indigebat in vsu tali scientiæ conuersione ad phantasmata, neque natura eius propterea immutabitur, sed tantùm perficietur: nec item intellectus agens erit frustraneus & inutilis, cùm semper dentur singularia materialia, à quibus potest aliquas species accipere pro exercendis actibus scientiæ experimentalis.

IV. D

Obiicit Durandus. Anima Christi Domini etiam instructa hac scientiâ non potuit alio modo cognoscere, quàm proprio & cõuenienti suo statui: atqui status viatoris postulat, vt eius anima tantùm intelligat per cõuersionem ad phantasmata obiecta omnia, etiam supernaturalia per se, vt patet in nobis, & tradit S. Dionysius libro de cœlesti Hierarchia cap. 1. relatus à Durando; quod etiam S. Gregorius Nazianzenus docet secũda oratione de Theologia, quódque habet expressum fundamentum in Aristotele libro 3. de anima cap. 78. dùm sit ait, *oportet intelligentem speculari phantasmata*, vbi hæc particula *oportet*, significat necessitatem: igitur anima Christi D. vtendo hac scientia necessitatur intelligere obiecta cum cõuersione ad phantasmata.

Respondetur, animam Christi adhuc in mortali corpore existentem habuisse *duplicem statum*, & ex consequenti *duplicem modum cognoscendi: vnum naturalem*, secundùm quem tamquam forma naturalis actuãs suum corpus, operabatur modo naturali, & sic cognoscebat obiecta naturalia per cõuersionem ad phantasmata: alterum *supernaturalem* iuxta quem erat beata, & habebat hanc scientiam per se infusam: & sic secundùm hunc modum suum essendi, qui naturalem non destruit, sed perficit, sicut gratia naturam, non necessitabatur intelligere obiecta huius scientiæ per se infusæ cum conuersione ad phantasmata. A V.

Deinde respondetur hæc duo distingui: *aliquem modum cognoscendi esse naturalem, & aliquem modum cognoscendi esse essentialem*. Ad primum sufficit, quòd sit accommodatus & correspondens naturali conditioni & statui ipsius cognoscentis, quòd scilicet sicut anima eius tamquam forma actuans dependet naturaliter à corpore eique subiicitur: ita etiam in operando seu intelligendo dependeat ab illo. At ad secundum requiritur, vt repugnet ipsum cognoscentem aliter percipere obiectum: & licèt Deus non possit immutare secundum quid destrueret naturam rerum: potest tamen primum, scilicet eleuando animam ad altiorem statum. Vndè cùm Deus conferendo hanc scientiam animæ Christi Domini, illam eleuet ad superiorem statum, & ordinem, quàm sit status eius naturalis, quo subiicitur corpori, fecit etiam vt operans secundùm statum illum eleuatum, intelligat obiecta huius scientiæ *independenter à corpore* & à conuersione ad phantasmata. B VI.

ARTICVLVS V.

Vtrùm anima Christi Domini potuerit pro sua libertate vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata. VII.

VASQVEZIVS hîc disputatione 52. cap. 2. numero 15. existimat Christum Dominum non potuisse vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata: alij, vt S. Thomas hîc art. 2. & communiter omnes eius discipuli censent Christum Dominũ in actuali huius scientiæ vsu non indiguisse conuersione ad phantasmata, vt articulo præcedenti probauimus, illum tamen pro sua libertate potuisse vti hac scientia cũ conuersione ad phãtasmata. Pro cuius rei explicatione.

Sit hæc prima nostra propositio. *Si conuersio intelligentis ad phantasmata nihil aliud importet quàm concomitantiam operationum intellectus & phantasiæ, ita vt intelligentem speculari phantasmata nihil sit aliud, quàm intellectum ita considerare aliquod obiectum, vt idem intelligens apprehendat illud per imaginationem, & efformet aliquod eius idolum: tunc anima Christi Domini potuit pro sua libertate vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata.* VIII.

Antequam hæc propositio probetur, notandum est, varias esse opiniones Philosophorum lib. 3. de anima cap. 8. quidnam sit *intelligentem sese convertere ad phantasmata*: & quia hæc difficultas est purè physica, ideo difficultati propositæ respondemus tantùm sub conditione, vt ex nostra responsione vnusquisque sciat, quid hac in re sibi sit amplectendum, iuxta explicationem quam sequitur in prædicta difficultate. Hoc igitur præmisso,

Nostra propositio probatur. Voluntas animæ

I. Christi Domini pro dominio, quod habet in alias suas potentias, potest imperare phantasiæ, vt illo eo instanti, quo intellectus eius sese occupat in cognoscendis obiectis huius scientiæ, phantasia illam eamdem rem in se ipsa phantasietur, id est speciem seu similitudinem illius efformet: ergo sumpta conuersione ad phantasmata iuxta hunc modum, anima Christi Domini potest vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata.

Obiicies cum Cabrera articulo 2. disp. 2. Admissa hac nostra propositione, beatus existens in corpore glorioso poterit etiam videre diuinam essentiam, & res creatas in Verbo cum conuersione ad phantasmata, quia potest imperare suæ phantasiæ, vt dum eius intellectus cognoscit clarè diuinam essentiam & aliquot creaturas in Verbo, illa sese occupet in efformando aliquo spectro tàm diuinæ essentiæ quàm rerum creatarum quas videt in Verbo: at nullus Theologorum dicet essentiam diuinam posse videri clarè & intuitiuè ab aliquo Beato cum conuersione ad phantasmata: ergo neque etiam anima Christi Domini poterit hoc modo cognoscere obiecta scientiæ per se infusæ.

II. Respondetur, diuinam essentiam clarè visam non posse cognosci cum conuersione ad phantasmata à beato existente in corpore glorioso, quia ad talem conuersionem absolutè requiritur, vt aliqua species seu spectrum quoddam corporeum possit dari illius obiecti, quod dicitur cognosci cum conuersione ad phantasmata, vt voluntas possit imperare phantasiæ, vt circa illud sese occupet, quemadmodum patet ex dictis pro hac propositione: at repugnat dari

III. aliquam speciem sensibilem corpoream Dei vt clarè & intuitiuè visi, imò & intelligibilem extra visionem beatificam, vt docuimus primâ parte ad quæst. 12.

Quod verò spectat ad res creatas materiales sensibiles, potest prædictus beatus illas, ad sensum huius propositionis, intelligere cum conuersione ad phantasmata, quatenus potest pro sua libertate imperare suæ phantasiæ vt illo eodem instanti, quo videt illas in Verbo, illa sese applicet ad cogitandum de illis, & efformandum aliquod illarum spectrum, cùm illæ res creatæ sint etiam sensibiles.

Secundò obiicies. Admissa hac nostra propositione, tàm bene anima Christi Domini poterit hoc modo dici cognoscere obiecta materialia & sensibilia per hanc scientiam cum conuersione ad visum, auditum, & alios sensus exteriores, quàm cum conuersione ad phantasmata;

IV. quia sensus eius exteriores, ex imperio voluntatis, poterunt sese eodem instanti occupare cognoscendis istis obiectis, quo eius intellectus illa per hanc scientiam percipit: at nullus Theologorum dixerit animam Christi Domini posse intelligere per hanc scientiam eius obiecta cum conuersione ad sensus exteriores.

Respondetur, admittendo obiectionem illam esse veram, vt facilè quilibet potest animaduertere: nam voluntas animæ Christi Domini, tàm bene potest imperare sensibus suis exterioribus, vt sese applicent propriis suis obiectis percipiendis, dum eius intellectus cognoscit illa per hanc scientiam: vnde tunc simili modo poterit dici ea cognoscere cum conuersione ad istos sensus exteriores. Quod autem modus iste loquendi non sit vsitatus, sicut est modus iste,

A *intelligere cum conuersione ad phantasmata*, inde prouenit quòd intellectio cum conuersione ad phantasmata sit animæ nostræ naturalis & necessaria, pro eo statu quo est alligata & subiecta corpori, vt explicatum est, non autem intellectio obiectorum visus & aliorum sensuum exteriorum cum conuersione ad istos sensus exteriores, & illorum similitudines sit naturalis, seu necessaria, vt possumus in nobis experiri. V.

Tertiò obiicies. Multa obiecta huius scientiæ sunt purè spiritalia, vt Angeli, qui nullo modo possunt phantasiari, quia non sunt aliquid corporeum, materiale & sensibile. Ergo saltem hæc obiecta non poterùt ab anima Christi Domini per hanc scientiam cognosci cum conuersione ad phantasmata.

B Respondetur hanc nostram propositionem esse tantùm intelligendam de iis obiectis, quorum aliquæ species possunt dari in phantasia, quemadmodum intelligitur ex dictis ad primam obiectionem. Vnde quia quamdiu sumus in corpore mortali, & naturaliter tantùm cognoscimus, omnis nostra cognitio ortum habet à sensu, *nec quicquam est in intellectu quod priùs non fuerit aliquo modo in sensu*, & res immateriales solùm cognoscimus secundùm id quo cõueniunt cum rebus materialibus, vel quo ab illis differunt, ratione cuius conuenientiæ formamus etiam aliquas imagines & similitudines per ordinem ad res cum quibus conueniunt vel disconueniunt: ideo pari etiam ratione anima Christi Domini potest imperare suæ phantasiæ, vt dum eius intellectus sese applicat cognoscendis spiritualibus obiectis huius scientiæ, quæ possunt cognosci per talem conuenientiam & disconuenientiam ad res materiales, illa etiam VI.

C simul & semel sese occupet in efformando aliquo spectro istorum obiectorum per ordinem ad res illas, cum quibus conueniunt vel disconueniunt. VII.

Secunda propositio. *Si intelligentem speculari phantasmata, & intelligere per conuersionem ad phantasmata, sit intelligere dependenter à phantasmatibus, ita vt intellectus verè sit alligatus imaginationi, nec possit rem cognoscere, nisi imaginatio efformet quoddam spectrum corporeum rei intelligendæ: tunc anima Christi Domini etiam pro sua libertate non potest vti hac scientia per se infusa cum conuersione ad phantasmata*: atque iuxta hanc propositionem sententia Vasquesij est vera, quam & plures alij recentiores defendunt.

Probatur ex dictis superiùs. Anima Christi D. non potest pro sua libertate vti scientia sibi infusa per se, modo planè oppositio tali scientiæ,

D nec potest facere vt actus eius habeat naturalem connexionem cum actu alicuius alterius potentiæ, cum quo ex se & naturali sua conditione nullam habet: atqui proprius modus huius scientiæ est cognoscere sua obiecta independenter à corpore, & à quocumque sensibili, vt patet ex dictis de illa, eius speciebus & vsu: modus verò cognoscendi per conuersionem ad phantasmata, qui supponitur hac præsenti propositione, est cognoscere sua obiecta dependenter à re corporea: igitur, si cognoscere cum conuersione ad phantasmata sumatur isto modo, anima Christi Domini non potest pro sua libertate vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata. Confirmatur: anima Christi Domini non potest facere, vt oppositum suæ scientiæ sit illi naturale: at hoc modo intelligere per VIII.

I. conuersionem ad phantasmata, est ipsam intellectionem habere naturalem dependentiam ab ipso actu phantasiæ, vt hæc nostra propositio supponit: & hæc dependentia opponitur scientiæ per se infusæ, vt suprà probatum est: igitur anima Christi Domini non potest pro sua libertate vti hac scientia per se infusa cum tali conuersione ad phantasmata.

Vltima propositio. *Si intelligere per conuersionem ad phantasmata nihil sit aliud, quàm* (sicut aliqui recentiores volunt) *intellectum ita rem intelligere, vt postulet concursum phantasiæ, quatenus species intelligibilis tantùm repræsentat ei rem sine conditionibus suis particularibus seu indiuiduantibus, & illarum repræsentatio in ratione obiecti suppletur à phantasia per ipsum phantasma effformatum ab illa, sicque intellectus in sua operatione adiuuetur à phantasia, quæ radicatur in eadem anima: tunc anima Christi Domini non potest pro sua libertate per hanc scientiam intelligere sua obiecta cum conuersione ad phantasmata.*

II. Hæc propositio probatur ex dictis præcedenti articulo tertio in solutione ad secundum fundamentum. Anima Christi Domini non potest vti speciebus huius scientiæ, nisi secundùm propriam illarum conditionem: at propria conditio specierum huius scientiæ est, quòd referant *concretè sua* obiecta, id est tàm particulares circumstantias & conditiones indiuiduantes suorum obiectorum, quàm illorum naturas, vt suprà ostendimus: ergo dum anima Christi Domini per illas intellegit, debet earum ministerio cognoscere obiecta, tàm secundùm indiuiduantes suas conditiones, quàm secundùm

III. propriam & nudam naturam illorum, nec proinde potest restringere illarum concursum ad solam cognitionẽ naturæ, & cognitionem eiusmodi conditionum accipere ab ipso phantasmate. Deinde species inseruiens cognitioni debet esse eiusdem ordinis cum cognitione, qua ipsum obiectum percipitur, vt fic ei proportionetur: at quicquid potest poni ex parte phantasiæ vel phantasmatis est ordinis longè inferioris ab hac scientia.

Tandem, quicquid ad cognitionem obiectorum huius scientiæ concurrit cum intellectu, debet concurrere *modo eleuatiori*, quàm quæcumque agentia ordinis naturalis concurrant, & debet attingere ipsum effectum *sub aliquo modo eleuatiori*, quia modus concurrendi, debet esse accommodatus formali modo huius

IV. scientiæ tendendi in sua obiecta: atqui formalis modus quo hæc scientia tendit in sua obiecta est eleuatior, quàm sit modus intelligendi per concursum alicuius corporei, cuiusmodi est phantasia & ipsum eius phantasma: imò & eleuatior, quàm sit naturalis modus intelligendi Angelorum, vt suprà docuimus: igitur anima Christi Domini vtendo hac scientia non potest intelligere sua obiecta vt adiuta per aliquem concursum ipsius phantasiæ, vel eius phantasmatis.

Articvlvs III.

Vtrùm anima Christi Domini sit semper in aliquo actu secundo huius scientiæ.

GABRIEL in tertium sententiarum dist. 14. quæstione vnica, articulo tertio, dubio 1. negat animam Christi Domini potuisse per hac

A) scientiam vel per acquisitam cognoscere aliquod obiectum, dum illud cognosceret in Verbo. Communis tamen Theologorum sententia, quam loco primæ nostræ propositionis ponimus, est, *Animam Christi Domini per scientiam beatam non impediri, quominus possit exercere actus huius scientiæ circa illa eadem obiecta quæ videt in Verbo.* Ita communiter omnes S. Thomæ Interpretes hac quæst. & hæc propositio habet fundamentum in S. August. libro 2. de Genesi ad litteram capite 8. & libro 4. de Genesi ad litteram cap. 22. dum agit de cognitione matutina & vespertina Angelorum: nam apud illum ex iis, quæ Angeli vident cognitione matutina, nonnulla etiam eadem vident vespertina: at *matutina cognitio* nihil est aliud quàm cognitio rerum in Verbo diuino, & *vespertina* nihil aliud quàm cognitio earumdem

VI. rerum extra Verbum seu per species infusas per se, vt primâ parte sancti Thomæ docuimus: ergo sicut in Angelis ambæ illæ actuales cognitiones sunt simul, respectu vnius, & eiusdem obiecti, in vno & eodem intellectu Angelico, ita etiam iure longè potiori simul & semel erunt in intellectu animæ Christi Domini; cùm hic sit istorum caput & supremus omnium beatorum.

Eadem propositio confirmatur iis omnibus, quæ communiter omnes Scholastici primâ parte, quæstione 12. docent de cognitione rerum, quam Beati habent in patria, extra Verbum, & probatur amplius nostra propositio. Si anima Christi Domini per actum scientiæ beatæ impediretur exercere actus huius scientiæ circa illa eadem obiecta, quæ videt in Verbo, iam

C nullus esset in illa vsus huius scientiæ, imò nec VII. acquisitæ seu infusæ per accidens, cùm actus visionis beatificæ sit tantùm vnus perpetuò perseuerans absque aliqua etiam minima interruptione, & anima Christi Domini videat in Verbo ea omnia, quæ pertinent ad eius statum, de quorum numero sunt omnia obiecta huius scientiæ, vt suprà ostendimus: ergo, ne incidamus in hæc absurda, dicendum est animam Christi Domini per actum scientiæ beatæ non impediri, quominus possit exercere actus huius scientiæ circa illa eadem obiecta quæ videt in Verbo.

Tandem, vbi actus sunt diuersi ordinis, & tendunt in sua obiecta sub distincta formali ratione, species item obiectorum distinctæ, & intellectus sufficienter confortatus pro intelligendis eiusmodi obiectis, tunc non repugnat, quin idem numero intellectus hoc modo con- VIII. fortatus, & prædictis speciebus informatus exerceat simul & semel actus cognitionis, quibus percipiat plura illa obiecta, quia, in tali hypothesi, omnia ad actualem eorum cognitionem requisita reperiuntur: atqui actus visionis beatificæ, & actus huius scientiæ per se infusæ sunt diuersi ordinis: item duo illi actus tendunt in sua obiecta sub distincta formali ratione, quemadmodum docuimus, & species obiectorum sunt distinctæ. illa enim videntur in essentia diuina tanquam *medio cognito* per scientiam beatam, per hanc verò scientiam mediantibus speciebus per se infusis tanquam *medio incognito*, vt patet ex dictis: similiter intellectus animæ Christi Domini sufficienter confortatur per lumen gloriæ ad videndum res in Verbo, illud enim proportionatur obiecto videndo & modo

I. quo illud debet videri, vt habet communis sententia Theologorum primâ parte quæstione 12. Ad cognoscendum verò res extra Verbum confortatur etiam sufficienter per habitum huius scientiæ, nam in hunc finem ei infunditur, vt patet ex dictis: nec actus huius scientiæ habet aliquam repugnantiam, seu incompossibilitatem cum actu visionis beatificæ, respectu eiusdem subiecti. Cùm enim vterque ille actus sit vitalis & immanens, tâta est habilitas in intellectu animæ Christi Domini ad illos simul recipiendum, quàm ad efficiendum: quia obediențialis potentia animæ Christi Domini est per lumen gloriæ, & per habitum huius scientiæ sufficienter confortata, & eleuata ad eos eliciendos: ergo idem numero intellectus animæ Christi Domini potest simul & semel exercere aliquem actum huius scientiæ circa illa eadem obiecta, quæ simul & semel cognoscit in verbo per scientiam beatam.

II. Obiicit Gabriel. Duæ cognitiones eiusdem obiecti perfectæ, & secundùm eandem rationem actuales, non possunt simul esse in eodem subiecto, *quia*, inquit, *vel vtraque illarum æquè perfectè cognoscit obiectum, & tunc vna superflueret; aut non, & tunc non essent repræsentatiuæ obiecti sub eadem ratione.* Ergo actus huius scientiæ non potest esse simul & semel in intellectu animæ Christi Domini, cum aliquo actu beatæ eius scientiæ circa idem obiectum.

III. Respondetur, duas istas cognitiones eiusdem obiecti esse quidem perfectas, non tamen eodem gradu perfectionis, sed vnamquamque in suo genere. Vnde sicut cognitio beatifica est perfectior cognitione scientiæ infusæ per se, ita & actus eius est perfectior: & cùm nos suprà distinxerimus duplicé rationem in obiecto quod cognoscitur: vnâ quæ se tenet ex parte potentiæ & actus illius, quæque nihil est aliud quàm modus ille, sub quo potentia & actus tendunt in obiectum, vocaturque ratio *sub qua*: & aliam quæ se tenet ex parte obiecti, & vocatur ratio *quæ*: duo isti actus scilicet beatæ scientiæ & infusæ circa idem numero obiectum non erunt eiusdem rationis, sumendo rationem primo modo, sed tantùm secundo: & quia hæc posterior ratio sumpta præcisè non specificat actus, sed prior, vt iam animaduertimus, quæ in præsenti casu in vno actu est specie distincta ab ea, quæ est in alio: adeo isti duo actus poterunt retinendo suam distinctionem specificam simul & semel exerceri: ex quibus intelligitur vnum ex istis duobus actibus non superfluere, cùm habeant diuersam rationem *sub qua* vnam aliâ perfectiorem.

IV. Secunda propositio. Anima Christi Domini ab initio suæ creationis semper fuit, & est in aliquo actu 2. huius scientiæ. Ita Suarez hîc disp. 28. sect. 1. Cabrera hîc commentario in art. 5. & imprimis quòd anima Christi in primo instanti suæ creationis fuerit in aliquo actu 2. huius scientiæ, patet, ex eo quòd per actum huius scientiæ meruit in primo illo instanti, vt annotauimus suprà, & docet S. Thomas infrà quæst. 34. articulo 2. in solutione ad 3. & articulo sequenti 3.

Deinde, quòd anima Christi Domini semper fuerit in aliquo actu 2. huius scientiæ, probatur. Quod est perfectius, & de facto communicatum puræ alicui creaturæ, nec repugnat fini, substantiæ, aut perfectioni mysterij Incarnationis, illud de facto fuit in Christo Domino: cùm enim ille sit primogenitus omnis creaturæ, nulla perfectio, ei non repugnans, debet esse in aliqua creatura, quæ non sit in illo: atqui esse semper in actu secundo est perfectius quàm esse tantùm in actu primo, quia actus secundus est perfectior actu primo, & esse semper in aliquo actu secundo cognitionis, est concessum Angelis, vt Theologi docent primâ parte quæst. 58. articulo primo, ratione suæ perfectionis naturalis: ergo pari iure anima Christi Domini ratione supernaturalis suæ perfectionis id habebit respectu scientiæ per se infusæ, neque hoc repugnat fini, substantiæ aut perfectioni mysterij Incarnationis, vt per se patet, est illi maximè conueniens, cùm ratione huius mysterij Christus Dominus vt homo sit caput omnium etiam Angelorum. V. VI.

Notandum tamen est, hanc propositionem ita procedere de facto tantùm, vt nihilominus sensus eius non sit ita oportuisse fieri: nam conditio huius scientiæ est alia à conditione beatæ scientiæ: per hanc intellectus necessitatur ad Deum videndum, nec voluntas Beati potest actum illius interrumpere: per istam minimè, vt etiam indicat hîc sanctus Thomas articulo 5. in solutione ad 1. nam cùm hæc scientia per se infusa sit solummodo ad perficiendum intellectum animæ Christi Domini extra Verbum, secundùm quem statum anima habet vsum suæ libertatis, & species huius scientiæ subsunt libertati animæ Christi Domini: item & hæc scientia quoad vsum, sicut & in nobis scientiæ, quas nostro labore comparauimus, anima Christi Domini non habet, vnde necessitetur ad semper exercédum aliquem actum huius scientiæ, sed quia iudicat id esse sibi & suo statui conueniens, ideo sese semper occupat in aliquo actu illius. VII.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm anima Christi possit habere vnicum actum toti huic scientiæ adæquatum.

SIT hæc nostra propositio. *Anima Christi Domini non habet vnicum solummodo actum huic toti scientiæ adæquatum.* Hæc propositio est S. Thomæ hîc articulo 5. dum docet animam Christi Domini, quoad hanc scientiam, fuisse aliquando in actu, & aliquando in potentia, nec oportuisse illam esse semper in actu: item articulo 3. quando ait animam Christi Domini potuisse, imò de facto discurrisse per hanc scientiam, discursus enim importat plures actus cognitionis. VIII.

Hæc propositio probatur. Vbi obiecta sunt maximè distincta, diuersi planè ordinis, & ad illa cognoscenda species plures infunduntur, ibi non datur de facto vnus tantùm actus, quo omnia obiecta per tot species repræsentata cognoscantur: nam ad quid tanta multitudo specierum, si omnia obiecta debeant vno tantùm actu cognosci, & species debeant infundi commensuratè ad efficacitatem habitus scientiæ corroborantis intellectum? atqui obiecta huius scientiæ sunt multiplicia: maximè distincta à se inuicem, vt patet ex dictis, & ad habendum cognitionem illorum multæ species etiam vniuersales sunt infusę intellectui animæ Christi D.

I. vt docuimus : igitur anima Christi Domini, non habet vnicum actum huic toti suæ scientiæ adæquatum.

Deinde, actus huius scientiæ debet esse minus perfectus etiam secundùm intensionem, quàm sit actus visionis beatificæ, est enim ordinis inferioris: atqui actus visionis beatificæ habet, vt seipso vno attingat omnia obiecta, quæ videntur à Beato : igitur actus huius scientiæ non debet se vno solo attingere omnia obiecta huius scientiæ, sed plures debent dari.

An autem omnia obiecta huius scientiæ possint cognosci ab anima Christi Domini vnico actu, eadem est difficultas, ac, an vnica species possit dari omnium obiectorum eius, de qua suprà diximus, agendo de speciebus huius scientiæ, & earum vniuersalitate.

II.

ARTICVLVS VIII.

Tria dubia soluuntur.

PRIMVM est, *quàm late sese extendat actus ille vnicus, quem perfectissimum anima Christi Domini potest habere per hanc scientiam.* Respondetur, si actus huius scientiæ consideretur vt elicitus modo *connaturali*, sitque verè *adæquatus, & tendat in distinctam cognitionem* : tunc talem actum tàm late sese extendere, seu ad tot obiecta intelligenda, quàm latè patet species pro vsu huius scientiæ omnium vniuersalissima earum, quæ sunt in anima Christi Domini. Ratio est, quòd species, & efficacitas scientiæ infusæ sibi proportionentur, cùm ordinentur ad constituendum vnum quod dam totale

III. principium cognitionis : ergo sicut species infusa animæ Christi Domini omnium vniuersalissima est solummodo pro his & istis obiectis intelligendis, ita & efficacitas intellectus, eius, vt hac scientia informati, quatenus agit modo connaturali, erit solummodo ad ea omnia intelligenda, quæ repræsentabuntur ei per talem speciem.

Addidi primò in responsione, hanc particulam (*vt elicitus connaturali modo*) nam si agatur de *modo extraordinario*, & per aliquam eleuationem intellectiuæ potentiæ, qua vis eius & attentio ad plura distinctè cognita sese extendat, iam respondetur intellectum animæ Christi Domini informatum hac scientia posse omnia & singula obiecta, quorum habet species, vno tàtùm adæquato actu distinctè cognoscere.

IV. Probatur : vbi est vis & attentio sufficiens in potentia cognoscente, & species obiectorum proportionatæ potentiæ, eique modo debito coniunctæ, ibi distincta cognitio obiectorũ potest dari, vt patet in potentia nostra visiua, quæ simul & semel vno tantùm actu percipit plures colores sibi debitè approximatos, & in nostro intellectu, qui interdum vno actu distinctè cognoscit plura obiecta, sicut & Angelicus ex S. Thoma & aliis Theologis primâ parte quæst. 58. art. 2. atqui in præsenti casu, Deus confortat intellectum animæ Christi Domini informatum hac scientia, vel scilicet per aliquam qualitatem, quæ ad id sit potentior quàm solus habitus huius scientiæ, sicut potest eidem intellectui dare lumen aliquod gloriæ, quod sit maius & intensius eo, quod nunc habet, & quo proinde magis penetret diuinam essentiam, vel vniendo ei intuitiuè diuinam suam essentiam in

A ratione virtutis actiuæ, vt diximus primâ parte quæstione 12. Deum posse eleuare intellectum Beati, vt videat diuinam essentiam absque eo quod ei infundat lumen gloriæ, & ex altera parte omnes illæ species, quas habet, sint proportionatæ eius virtuti & attentioni : ergo tunc poterit vno tantùm actu cognoscere distinctè omnia obiecta huius scientiæ. V.

Secundò addidi eidem responsioni hanc particulam (*sitque verè adæquatus*) nam quemadmodum Angelus vtendo inadæquatè duabus vel tribus speciebus, potest intelligere vnico actu duo vel tria obiecta, quorum vnumquodque repræsentatur per vnam ex istis speciebus: ita etiam intellectus animæ Christi Domini potest vti simul & semel duabus vel tribus speciebus sibi infusis, cognoscendo vnum ex iis obiectis per primam, & vnum per secundam, & VI. vltimum per tertiam, eáque tria simul & semel vnico actu cognoscere : hæc enim tria obiecta simul sumpta non excedunt vim eius tàm attendendi, quàm cognoscendi correspondentem actiuitati vnius actus eius perfecti.

Nec obstat, quòd suprà dixerimus species huius scientiæ repræsentare sua obiecta *concretè*, & animam Christi Domini non posse pro sua libertate aliter vti speciebus, quàm repræsentent: id enim intelligitur de obiectis, quæ habent necessariam inter se connexionem, provt sunt in seipsis, cuiusmodi sunt natura & proprietates eius : non autem de aliis, quæ etiam per vnam & eamdem speciem vniuersalem repræsentantur.

Quot autem ex eiusmodi obiectis intellectus animæ Christi Domini vtendo pluribus speciebus possit distinctè cognoscere, non possumus VII. determinatè definire : hoc enim pendet ex perfecta, distincta, & maximè particulari cognitione illius speciei, quæ in anima Christi Domini est omnium vniuersalissima, pro vsu huius scientiæ, & aliorum id genus quæ fugiunt nostram cognitionem.

Secundum dubium. Cùm voluntas non feratur in incognitam, & intellectus animæ Christi Domini non cognoscat omnia obiecta huius scientiæ vno tantùm actu, nec semper vtatur vna tantùm specie, *vndenam habet, vt sese ad hoc obiectum determinet potiùs intelligendum, quàm ad aliud, & ad vtendum potiùs hac specie quàm alia.*

Respondetur difficultatem non esse specialem animæ Christi Domini, sed esse communem cum Angelis etiam respectu cognitionis, quam habent de obiectis naturalibus. Breuiter VIII. tamen respondemus, animam Christi Domini cognoscere per hanc scientiam se & sua accidentia, de quorum numero sunt species huius scientiæ : vnde supposita hac earum cognitione, qua cognoscit illas esse media quæ repræsentent aliqua obiecta, eorúmque cognitioni deseruiat, pro sua libertate applicat intellectum ad cognoscendum obiecta, quæ per hanc & istam speciem repræsentantur, & sic eligit liberè cognoscere potiùs hoc obiectum, quàm illud.

Tertium dubium, cùm anima Christi Domini non cognoscat omnia obiecta huius scientiæ per vnum actum, sed per plures, *an de facto illa omnia iam cognouerit* : Respondetur affirmatiuè, quia aliàs quædam ignorantia esset in Christo Domino, quod tamen esse falsum patebit infrà : & quod id sequatur pa-

I. tet, vbi est nescientia eorum, quæ sibi conueniunt, & quarum cognitio est debita, ibi est verè ignorantia, vt patet ex definitione ignorantiæ: atqui cognitio omnium obiectorum huius scientiæ est debita animæ Christi Domini, vt suprà ostendimus: ergo si talis nescientia sit in anima Christi Domini, & aliqua ignorantia erit in illo.

Nec obstat, quòd habitus huius scientiæ, & species illi deseruientes fuerint ei infusæ à primo instanti suæ creationis: nam tunc tantùm aliquid dicitur propriè *esse sciens*, quando vel habet actum scientiæ, vel illum exercuit, qui tamen habitualiter manet in eius memoria: non autem præcisè ab eo quòd habeat eius habitum & species: sicut propriè is non dicetur *videre*, aut *videns*, qui licèt habeat obiectum maximè
II. præsens oculo, suam tamen visiuam potentiam ad illud non applicat: ergo cùm habitus & species huius scientiæ vt sic infusæ animæ Christi Domini sese hoc modo habeant, ante omnem & quemlibet sui vsum & applicationem ad cognoscenda obiecta huius scientiæ, si intellectus animæ Christi Domini, nunquam sit vsus illis, dicetur habere, vel habuisse aliquam ignorantiam, quod est absurdum.

Notandum tamen est, quia omnia & singula obiecta huius scientiæ non pertinebant ad statum animæ Christi Domini, & perfectionem eius, pro quouis primo instanti temporis suæ durationis, sed tantùm pro aliquo, non fuisse etiam necessarium vt cognosceret omnia & singula obiecta huius scientiæ primo illo instanti, quo anima Christi Domini fuit creata & vnita Verbo: qua in re differt à scientia beata, quæ quia
III. nullam admittit variationem, debet à primo illo instanti, quo anima est beata, attingere omnia & singula sua obiecta. Quo autem tempore hæc omnia & singula cognouerit, non possumus definire, cùm nec illa cognoscamus in particulari, nec pro quo tempore horum & istorum obiectorum cognitio in particulari fuerit illi debita: sed hoc tantùm possumus dicere animam Christi Domini tempore vitæ suæ mortalis cognouisse in particulari & distinctè omnia & singula, ad quæ hæc scientia per se infusa sese extendit, cùm per illam actus suos meritorios dirigeret.

AD QVÆSTIONEM XII.

IV. ### DISPVTATIO VNICA.

De scientia acquisita animæ Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo & quando anima Christi Domini habuerit scientias acquisitas.

SCIENTIAS naturales, seu quæ talis sunt conditionis vt humano labore possint acquiri, fuisse etiam perfectissimas in intellectu animæ Christi Domini, docuimus suprà quæst. 9. disputat. 3. articulo 3. nunc solùm restat explicandus modus, quo illas habuit. Vbi notandum est nos A loqui tantùm de hac scientia acquisita, iuxta primam acceptionem illius explicatam loco nunc citato, provt scilicet illam distinximus ab experimentali. V.

Hoc prænotato, duæ sunt hac de re sententiæ: prima S. Thomæ præcedenti quæst. 9. art. 4. vbi expressè reuocat illam sententiam, qua olim docuerat has scientias fuisse infusas animæ Christi Domini: & existimat Christum Dominum illas sibi acquisiuisse, non per disciplinam hominis vel Angeli, sed per propriam inuentionem, vtendo rebus, non vt *magistris*, sed *vt* obiectis ad abstrahendum phantasmata: quam sententiam omnes eius discipuli communiter sequuntur.

Quòd si dicas, Christum Dominum non potuisse habere omnes res sibi præsentes, à quibus abstraheret phantasmata, aliqui respondent, B VI.
satis fuisse Christo Domino videre vnum aut alterum individuum, & propter excellentiam & acumen ingenij sui potuisse ex illo vno cognoscere alia omnia. Deinde alij respondent, Angelos subministrasse intellectui animæ Christi Domini, quæ non occurrebant secundùm communem experientiam: neque propterea sequi aliquam ignorantiam fuisse in eo, antequam attigerit sufficientem ætatem pro acquirendis scientiis, quia non quælibet carentia cognitionis vocatur ignorantia, sed ea tantùm quæ est rerum, quas homo pro tali statu debet cognoscere: at intellectus animæ Christi Domini non tenebatur scire res omnes naturales in statu suæ infantiæ.

Melior tamen est contraria sententia, cum qua concludimus, *omnes & singulas scientias naturales fuisse infusas animæ Christi Domini à primo instanti suæ creationis & vnionis hypostaticæ ad Verbum diuinum.* Ita S. Thomas lib. 3. sent. dist. 14. S. Bonauent. ibidem art. 3. quæst. 2. Suarez hîc disput. 30. sect. 2. & plures alij tàm recentiores quàm antiquiores. C VII.

Probatur primùm, ex Patribus, qui dicunt Christum Dominum adhuc infantem fuisse *plenum sapientia*, nec vnquam *in illa creuisse* etiam vt *homo est*. sic S. Hieronymus in illud Isaiæ 7. de Christo Domino, *Butyrum & mel comedet*, ita ait, *Adhuc pannis inuolutus, & butyro pastus ac melle, habebit boni malique indicium, vt reprobans mala, eligat bona: non quòd hoc fecerit, aut reprobauerit, vel elegerit, sed quòd scierit reprobare & eligere: vt per hæc verba noscamus infantiam humani corporis, diuinæ non præiudicasse sapientiæ.* & illud Hieremiæ 31. cap. *Mulier circumdabit virum: iuxta incrementa*, inquit, D VIII.
ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur sapientia & ætate: sed perfectus vir in ventre fœmineo solitis mensibus continebatur. Sic S. Augustin. lib. 2. de peccatorum meritis & remissionibus cap. 29. loquens de excludenda qualibet ignorantia ab anima Christi Domini, ita habet, *Quam planè ignorantiam nullomodo credidimus fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, vt habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis.* S. item Damascenus lib. 3. de fide cap. 2. S. Bernardus serm. 2. super *Missus est*: *Siue latens*, inquit, *in vtero, siue vagiens in præsepio, siue grandiusculus Doctores interrogans in templo, siue iam perfectæ ætatis docens in populo, æquè perfectò plenus fuit Spiritu sancto.* & plures alij Patres idem do-

I. cent, dum citatum locum S. Lucæ 2. explicant de scientia experimentali, vel de manifestatione maiorum & perfectiorum operum, & in prædictis auctoritatibus notandæ illæ particulæ, quibus æqualitas cuiuscumque scientiæ significatur fuisse in quocumque statu ipsius Christi Domini, exempli causa hæc S. Bernard. *aquè* relata ad singulas ætates Christi Domini, sic etiam particula illa *vir* applicata Christo Domino adhuc existenti in vtero virgineo matris, & sic de aliis auctoritatibus philosophandum est.

Secundò probatur ratione. Vnio hypostatica ex sua dignitate postulat, vt natura assumpta sit in primo instanti perfecta, omni perfectione naturali non repugnante suo statui: atqui scientiæ naturales sunt quædam perfectiones intellectus humani, nec repugnant statui Christi Domini

II. etiam infantis: quia aut repugnarent ex defectu vsus rationis, & hoc non, quemadmodum relatæ Patrum auctoritates docent, præsertim illa S. Hieronymi, qua explicat locum Hieremiæ 31. vel repugnaret quia intellectus dependet à phantasmatibus & speciebus sensibilibus in vsu scientiarum naturalium: sensus autem in Christo Domino infante non fuerunt bene dispositi ad agendum, & hoc etiam non impedit, quiá suprà docuimus Christum Dominum potuisse pro sua libertate vti scientia naturali independenter à phantasmatibus propter dominium quod habebat in suum corpus. Deinde etiamsi intellectus eius in vsu eiusmodi scientiarum dependeret à phantasia, attamen organa corporis eius potuerunt diuinitus confortari: vnde cognitio semper esset naturalis, licèt aliquis mo-

III. dus ibi reperiretur supernaturalis: aut tertiò repugnaret ex parte intellectus agentis, qui aliàs esset frustra, & hoc non; primò, quia, secundùm S. Thomam & alios Theologos communiter, primus parens habuit scientias naturales sibi infusas, in quo tamen intellectus agens non dicitur fuisse frustra, deinde potuisset abstrahere species aliquorum singularium deseruientes experimentali eius scientiæ.

Tertiò probatur conclusio. Multæ sunt scientiæ, quæ vt habeantur perfectè, postulant longam obseruationem & experientiam, vt sunt medicina, astrologia, & aliæ id genus quam plures: ergo Christus Dominus, qui non longo tempore vixit, & multus fuit in docendo Euangelio, sanandis hominibus, & aliis id genus variis operibus studiosis, non potuit illas tam citò sibi comparasse: nec satis est quod habuerit ma-

IV. ximum acumen ingenij, nam hoc excedit vires naturales ingenij, vt viso vno tantùm indiuiduo possit colligere quid sit sentiendum de aliis, cùm multa indiuidua reperiantur sibi dissimilia, vt docet experientia circa medicinam pro curandis morbis: & quod ait Caietanus Angelos subministrasse intellectui Christi Domini alia indiuidua, quæ communiter non occurrunt, dicitur gratis, & tàm facilè refellitur, quàm profertur. Adde quòd longè facilius sit recurrere ad simplicem infusionem pro acquisitione eiusmodi scientiarum, quam ad tantam congregationem obiectorum factam ministerio Angeli: tum etiam quia hæ scientiæ debent admitti in Christo Domino longè perfectiores, quàm in quouis puro homine: at ex nuda subministratione aliquorum obiectorum singularium facta per Angelum ex singulis speciebus, hæc scientia non potest ex vi etiam acutissimi ingenij comparari

A breui aliquo tempore in statu tàm perfectissimo, in quanto fuit acquisita ab aliquo singulari homine, verbi gratia Aristotele, per disciplinam fundatam in longa experientia & magno studio eruditissimorum hominum, præsertim cùm singula indiuidua non semper ita repræsentent proprias suas differentias, vt sine errore possint cognosci: ergo cùm Christus Dominus debuerit habere has scientias perfectas in tota latitudine omnium obiectorum, nec sit deterioris conditionis quàm primus noster parens, nec potuerit illas habere aliter quàm per infusionem, habuit omnes illas de facto per infusionem. V.

Neque exemplo desumpto à primo parente satisfacit, quòd aliqui dicunt disparem esse rationem Christi & Adæ: quòd hic fuerit creatus in ætate perfecta, vt statim præsideret rebus na-

B turalibus, ideóque debuisse accipere ab initio VI. scientias naturales: iste verò non fuerit ab initio perfectæ ætatis, nec constitutus, vt statim præsideret rebus naturalibus, nec proinde debuisse tali tempore accipere istas scientias. Hoc, inquam, non satisfacit: nam licèt Christus statim à primo illo instanti non fuerit in ætate perfecta, fuit tamen vir provt hoc nomen *vir*, importat hominem perfecti iudicij, vt S. Hieronymus suprà relatus expresse notat: ergo cùm naturales scientiæ maximè deceant hominem pro eo statu vel tempore, aut etiam instanti, quo habet perfectum iudicium rationis, fuit maximè conueniés animam Christi Domini etiam pro illo instanti vel tempore habere scientias naturales: & proinde cùm tunc non possent esse quoad gradum perfectissimum vi intellectus Christi Do-

C mini, nisi per infusionem, eiusmodi scientiæ fuerunt de facto animæ Christi Domini infusæ. VII. Deinde scientiæ naturales faciunt ad dignitatem capitis: at anima Christi Domini habuit illam à primo instanti quo vnita fuit Verbo diuino.

Tandem nostra propositio probatur argumento sumpto ab omnibus virtutibus moralibus, quas suprà ostendimus fuisse infusas animæ Christi Domini: neque enim est maior difficultas pro infusione scientiarum, quæ natura sua possunt acquiri, quàm sit in infusione virtutum moralium, quæ possunt comparari per nostros actus, cùm & virtutes morales acquisitæ differant penes modum tendendi in sua obiecta ab infusis per se, sicut & scientiæ acquisitæ infusæ tantùm per accidens distinguuntur etiam à scientia per se infusa.

Dices, disparem esse rationem eiusmodi virtutum moralium ac scientiarum naturalium,

D VIII. quòd Christus Dominus adhuc constitutus in infantia potuerit exercere actus illarum, ipsa scientia per se infusa supplente id quod naturalis scientia poterat præstare, scilicet proponendo voluntati obiecta conuenientia, & ei manifestando eorum conuenientiam: eo quòd naturalis prudentia (quia dependet à phantasmatibus) tunc non poterat ei proponere obiecta. Sed id non obstat nostræ confirmationi: nam sicut anima Christi Domini, ex illo singulari dominio quod habebat in suum corpus, poterat vti hac scientia naturali independenter à corpore & phantasia, vt suprà ostendimus: ita etiam naturalis prudentia ei infusa per accidēs, poterat repræsentare & manifestare eius voluntati conuenientiam obiectorum, & actuum virtutum moraliū. Deinde organa corporis Christi

I. adhuc infantis potuerũt diuinitus confortari, sic vt intellectus eius tunc exerceret actus naturalium scientiarum cum conuersione ad phantasmata, similiter eius intellectus potuit confortari, vt exerceret actus prudentiæ naturalis, cùm sit vtrobique par ratio.

Tandem, conuenientius est modo agendi connaturaliter, quòd actus intellectus dirigens operationem voluntatis sit eiusdem ordinis cum ipsa operatione (sic enim sibi inuicem melius proportionantur:) atqui actus illi virtutum, de quibus hîc loquimur, sunt virtutum naturalium moraliũm, seu quæ exercitio actuum studiosorum possunt acquiri: igitur & actus prudentiæ debet esse naturalis, scientiæ infusæ tamen per accidens ipsi animæ Christi.

ARTICVLVS II.

II. *Soluuntur fundamenta prioris sententiæ articulo præcedenti relatæ.*

PRIMVM repetitur ex authoritate sanctorum Patrum, qui dum expendunt illud sancti Lucæ 2. *Puer autem proficiebat ætate & sapientia apud Deum, & homines*, illud intelligunt de vero profectu & incremento quoad internam scientiam, & non tantùm quoad externam manifestationem: sic sanctus Athanasius sermone 4. contra Arianos, sanctus Cyrillus Alexandrinus libro 1. thesauri capite 7. & sanctus Ambrosius libro de Incarnatione Dominica capite 7.

III. Respondetur sanctum Athanasium & Cyrillum locis ibi citatis non agere de scientia acquisita, id est quæ sit comparata per sensus exteriores, sed tantùm de ea, quæ per reuelationem sit ab ipsa diuinitate communicata humanitati: ita vt velint illam fuisse paulatim & cum aliquo progressu factam. Vnde cùm hîc agamus tantùm de scientiis, quæ possunt naturaliter acquiri, istæ Patrum auctoritates non aduersantur nostræ propositioni.

Ad auctoritatem S. Ambrosij respondetur, illam posse rectè intelligi de scientia experimentali, quàm diximus potuisse augeri alio & alio experimento superueniente: qua autem ratione S. Lucas ibi relatus intelligendus sit, nimirum quoad manifestationem maiorum operationum, ostendimus supra quæst. 7.

IV. Secundum fundamentum est, quòd aliàs intellectus agens esset otiosus in anima Christi Domini; hic enim ordinatur ad faciendum species intelligibiles, abstrahendo illas à phantasmatibus, vt Philosophi communiter docent libris de anima: at in hoc casu, quo anima Christi Domini haberet omnes scientias naturales sibi infusas, intellectus eius haberet omnes species obiectorum etiam sibi infusas per accidens: ergo nullas abstraheret, & ex consequenti esset otiosus in Christo Domino.

Respondetur primò, quod eodem argumento intellectus agens probaretur fuisse otiosus, & frustra in primo parente, cui ex sententia S. Thomæ omnes scientiæ naturales fuerũt infusæ: item & in omnibus paruulis morientibus ante vsum rationis, nullam enim acquirunt scientiam humana industria: ideóque, quia hæc potentia præter hunc finem, scilicet *inseruiendi intellectioni, & acquirendæ scientiæ* per sensus, habet & alium finem, nempe *integrare & perficere naturam humanam*, est enim intellectus agens de perfectione hominis vt constantis anima & corpore, si suum effectum non habeat in aliquo singulari, non propterea dicetur frustraneus, cùm hoc habeat ad illum sese tantùm per accidens, nempe non defectu virtutis & efficaciæ in principio cognoscente, sed tantùm quia præuenitur à Deo. A V.

Deinde aliqui respondent, quòd quando vna & eadem potentia habet duas functiones, vnam præcipuam, & alteram minus præcipuam & subordinatam præcipuæ: tunc si habeat magis præcipuam, licèt careat minùs præcipua & subordinata, non tamen esse frustraneam: at intellectus agens & passibilis sunt vna & eadem potentia, quæ res, *vt passibilis*, intelligit, & eas cognoscendo vtitur scientia: quatenus autem *agens*, comparat species intelligibiles ad formandam cognitionem: quæ posterior functio deseruit priori, & ordinatur ad illam. Vnde licèt intellectus animæ Christi non habeat hanc priorem functionem, quia tamen in Christo habet priorem, quæ est magis præcipua, talis intellectus non poterit dici in illo esse frustraneus. B VI.

Tertiò intellectus agens in Christo inseruiebat experimentali eius scientiæ, & propterea non potest dici absolutè & simpliciter fuisse otiosus vel frustraneus in illo.

Tertium fundamentum est. Quia Christus Dominus vixit vt homo, debuit etiam exercere omnes humanas operationes modo connaturali: sed vna & præcipua ex operationibus humanis est intellectio, cuius exercendæ modus connaturalis est per phantasmata & actionem intellectus agentis: ergo debuit intellectus animæ Christi Domini sibi comparare species intelligibiles rerum quas cognoscebat; ergo & scientiam naturalem acquirere. C VII.

Confirmatur hæc ratio: vel Christus Dominus habuit phantasmata sibi diuinitus impressa, sicut & iuxta contrariam sententiam habuit species intelligibiles deseruientes scientiis acquisitis infusas; vel non habuit: si primum, ergo non tantùm intellectus agens fuit otiosus in Christo D. sed etiam sensus exteriores; quia sensus externi sunt, vt deseruiant sensibus internis, & sic, vt inseruiant intellectioni. Si secundum, ergo hæc phantasmata fuerunt acquisita à Christo D. & adhibita ad vsum specierum: at non ad vsum specierum infusarum etiam per accidens, quia iam intellectus animæ Christi Domini cognoscebat per scientias acquisitas eo modo, quo solemus cognoscere, & sic istæ scientiæ & species obiectorum essent frustra illi infusæ. Ergo non tantùm intellectus agens erit frustra, sed etiam ipsa phantasmata, & omnes sensus, tàm exteriores quàm interiores, quod est absurdum. D VIII.

Respondetur, modum connaturalem intelligendi animæ inclusæ in corpore esse intelligere per cõuersionem ad phantasmata necessariò, quando est illi subiecta, libere verò, quando non est illi subiecta, vt ostendimus ad quæstionem præcedentem disputatione 7. articulo 4. Vnde cùm anima Christi adhuc etiam existentis in via haberet dominium in suum corpus, poterat pro libertate vti, vel non vti his scientiis infusis per accidens cum conuersione ad phantasmata, & quia habebat species obiectorum sibi infusas, non fuit opus intellectum agentem illas sibi comparare.

Ad confirmationem respondetur, animam

I. Christi habuisse phantasmata sibi impressa diuinitus: nec propterea sensus eius, siue exteriores, siue interiores fuisse otiosos & frustraneos, quia præter cognitionem intellectiuam, cognitio etiam sentitiua erat in Christo, cùm esset verus homo, & verum animal, cui cognitioni formandæ omnes illi sensus inseruiunt: deinde quando voluit vti hac scientia cum conuersione ad phantasmata, tunc eius phantasia operabatur, vt suprà docuimus: ideóque licèt haberet scientias naturales sibi infusas per accidens, non propterea sensus eius siue interni siue externi erant frustranei.

Quartum fundamentum est: modus perfectior debet tribui Christo Domino: at modus perfectior habendi scientias, est illas habere à seipso potiùs, quàm ab alio per infusionem.

II. Respondetur negando maiorem: nam simpliciter & absolutè loquendo, est perfectius nunquam caruisse aliqua scientia sibi conuenienti, quàm illâ aliquando caruisse, & postea eam sibi comparasse propriâ industriâ. Hoc enim secundum arguit aliquam ignorantiam aliquando fuisse in tali subiecto, vt ostendimus probando nostram propositionem.

Vltimum fundamentum est: datâ sententia contrariâ, sequitur Christum Dominum in sua infantia egisse omnia simulatè, nam simulasset se infantem, cùm tamen haberet plus sapientiæ & scientiæ, quàm omnes reliqui homines: at Christum fuisse simulatorem, est absurdum & blasphemum: ergo dicendum est illum non habuisse scientias naturales per infusionem, sed per acquisitionem.

III. Respondetur negando Christum in infantia se infantem simulasse: nam verè habuit membra infantilia, sicut & alij infantes. Deinde hæc duo distinguuntur *agere aliquid simulatè*, & *seſe abſtinere ab aliquo*: qui agit simulatè facit aliquid quoad apparentiam exteriorem, quod tamen verè & de facto sese habet aliter: qui verò sese abstinet ab aliquo, habet se tantùm negatiuè, nec quicquam propriè simulat: iam Christus tempore suæ infantiæ non simulauit se infantem quoad ea quæ spectant ad scientias, quia nihil egit exterius, quo ostenderet se esse ignorantem, sed solummodo sese abstinuit ab iis actibus, qui summam eius scientiam, tàm infusam per accidens, quàm infusam per se ostenderent, quod debet tribui summæ eius prudentiæ & sapientiæ.

IV. ARTICVLVS III.

Duo corollaria colliguntur.

EX his sequitur, primò, *Christum nihil vnquam*, propriè loquendo, *didicisse ab hominibus vel Angelis*: ab istis primò, quia habebat omnes scientias sibi à Deo infusas, de iis omnibus quæ possunt cognosci ab aliquo intellectu creato, siue beato, siue viatore, & secundùm omnem illum modum quo hæc obiecta sunt ab intellectu creato cognoscibilia, vt patet ex dictis agendo de singulis eius scientiis in particulari. Deinde, quia non decet magistrum aliquid per disciplinam addiscere à discipulo, non est enim, iuxta Verbũ Christi Domini, *discipulus supra magistrum*, nec caput mysticum accipere aliquam perfectionem à suo membro, membra enim non influunt in caput, sed econtra caput in membra: at Christus est nobis datus in magistrum & præceptorem, sic enim sæpè se nominat in Euangelio, est item nobis & Angelis datus in caput nostrum, vt ostendimus ad quæst. 8. huius partis.

V.

Nec obstat, quòd S. Luc. 26. cap. appareat ei Angelus confortans eum: nam Angelus iste non docuit aliquid Christum, sed tantùm ei proposuit rationes, quæ possent leuare eius tristitiam, quod propriè non est docere: nam amicus potest familiari colloquio proponere alteri, existenti in tristitia, rationes lenientes eius tristitiæ, quas tamen qui est in tristitia melius nouit, vt docet experientia: vnde Angelus ille apparens Christo eas illi non proposuit tanquam ignoranti, sed vt veritas humanitatis & passionis Christi magis appareret, & Christus istas rationes per superiorem rationem ita considerabat, vt tamen nullum solatium ex iis permitteret communicari parti suæ inferiori, vnde voluit eas quasi in memoriam sibi reuocari ab Angelo.

VI.

Dices, cùm animæ Christi non cognosceret cogitationes cordium per suas naturales scientias, potuit eas ab hominibus illas formantibus cognoscere, & sic ab iis aliquid cognoscere. Respondetur Christum nunquam præbuisse assensum istis cogitationibus, vt simpliciter & tantùm per humanas seu naturales scientias cognitis, sed vt sibi manifestantur per scientiam per se infusam, ne periculo deceptionis se exponeret.

VII.

Secundò sequitur, *nunquam Christum elicuisse aliquos actus falsos, aut dubios*: non tantùm quia actus isti non possunt consistere cum euidenti & certa cognitione eiusdem rei, qualis erat omnis cognitio animæ Christi: sed etiam quia omnis assensus dubius oritur ex aliqua ignorantia, & errore, quo quis putat tale, aut tale medium esse verum, vel habere aliquam connexionem cum extremis, quam tamen verè non habet: at Christus probè, certò, & euidenter nouerat quæcumque sunt, fuerunt, aut erunt toto decursu huius mundi, & res omnes tàm supernaturales quàm naturales, quæ possunt sciri ab intellectu creato, vt suprà docuimus: & si fuisset interrogatus de aliquo purè possibili, quod tamen ex hypothesi non sciuisset, tunc nec dubium, nec falsum habuisset circa illud assensum, sed necessariò eum continuisset, aliàs fuisset imprudens, quod dicere de Christo est blasphemum, sed clarè & euidenter cognouisset argumenta proposita pro vtraque parte nihil probare efficaciter, multo minus elicere assensus falsos, quia sic assentiendo debuisset credere esse verum, quod tamen clarè & euidenter sciebat esse falsum, vel saltem debuisset moueri ad aliquid credendum eo argumento, quo tamen nihil probari clarè, & euidenter cognoscebat, quod admittere est absurdum.

VIII.

AD QVÆSTIONEM XIII.

De potentia animæ Christi Domini.

DISPVTATIO PRIMA.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm humanitas Christi sit omnipotens.

I. VTHERANI Vbiquistæ in ea sunt hæresi, vt existiment omnipotentiam diuinam fuisse communicatam humanitati assumptæ à Verbo vi vnionis hypostaticæ: quod aliqui eorũ, vt Kemnitius tractatu de duabus naturis in Christo & hypostatica vnione cap. 24. explicant exemplo ferri igniti: quòd scilicet sicut ferrum ignitum per vnionem cum igne accipit virtutem lucendi & vrendi, sic etiam per vnionem hypostaticam diuina omnipotentia sit communicata humanitati: Vnde volunt esse vnam & eamdem naturæ diuinæ & humanitatis assumptæ omnipotentiã, quæ licèt fuerit in humanitate ab initio vnionis hypostaticæ, sese tamen non ita manifestauit tempore vitæ mortalis, ac post resurrectionem. Verùm contra hanc hæresim sit hæc nostra propositio.

II. Humanitas Christi non est verè & realiter omnipotens omnipotentia ipsius Dei. Propositio est de fide, vt Concilio Chalcedonensi actione 5. & iis omnibus quibus quæst. 2. ostendimus contra Eutychetem duas naturas mãsisse in Christo integras impermixtas: item ex iis, quibus quæst. 9. ostendimus animam Christi non posse cognoscere per increatam scientiam Dei: item ex iis, quæ trademus de communicatione idiomatum.

III. Ex quibus formatur hæc ratio pro nostra propositione. Tàm proprietates naturarum (diuinæ nimirũ & humanæ) quæ sunt in Christo, quàm ipsamet naturæ sunt, & manent in illo inconfusæ, impermixtæ, ita vt proprietas vnius naturæ alteri non conueniat, nec ei insit: atqui omnipotentia est vna ex proprietatibus diuinæ naturæ quæ est in Christo, est enim aliquod eius attributum, vt fides docet: ergo omnipotentia Dei non inest vel conuenit humanitati Christi.

IV. Probatur secundò. Omnipotentia Dei non potest esse ipsius humanitatis à Verbo diuino assumptæ, nisi vel ipsa humanitas ratione huius vnionis sit ipsamet natura diuina, cuius est hæc omnipotentia, vel nisi omnipotentia Dei sit forma quædam, qua humanitas à Verbo assumpta operatur: at neutro modo omnipotentia Dei potest esse humanitatis assumptæ à Verbo. Non primo, quia, suprà quæst. 2. ostendimus contra Eutychetem, repugnare humanitatem esse, vel fieri naturam diuinam, tunc enim hæc esset mutabilis. Non item secundo modo, quia esse formam propriè & physicè respectu alicuius naturæ repugnat diuinæ essentiæ & eius attributis: nam proprium formæ est constituere vnam naturam cum eo, cuius est forma, & sic esse partem alicuius compositi: at Deum, vel eius naturam, aut aliquod ex eius attributis venire in compositionem repugnat, vt omnes Theologi docent primâ parte, quia hoc importat aliquam dependentiam in parte componente: igitur diuina omnipotentia non potest inesse seu conuenire humanitati assumptæ à Verbo. A V.

Tandem vnio hypostatica sumpta præcisè dicit solummodo nudam terminationem humanitatis à Verbo, vt quæst. 2. fusè docuimus: atqui hoc nullam importat communicationem diuinæ omnipotentiæ factam humanitati, sed solius personalitatis Verbi diuini, vt ibidem docuimus: igitur humanitas Christi non habet omnipotentiam Dei sibi cõmunicatam vi vnionis hypostaticæ. Qua autem ratione non repugnet subsistentiam Verbi diuini ei communicari, & nihilominus repugnet naturam diuinam, vel aliquod attributum eius essentiale communicari ei, explicatum est suprà tàm citata huius partis quæst. 2. quàm tertia. B VI.

ARTICVLVS II.

Soluuntur duæ obiectiones contra rationes præcedentis articuli.

PRIMA obiectio est. Non repugnat naturam diuinam in ratione virtutis actiuæ vniri immediatè humanitati, sicut plerique Theologorum docent primâ parte quæst. 12. intellectum creatum posse elevari à Deo vt clarè & intuitiuè videat diuinam essentiam absque lumine gloriæ, vel vlla qualitate sibi inexistente, vel permanenter vel transeunter: ergo cùm natiua virtus naturæ diuinæ sit ipsamet omnipotentia Dei, ipsa diuina potentia poterit hoc modo communicari humanitati assumptæ à Verbo. C VII.

Respondetur esse quidem verum, non repugnare diuinam naturam in ratione virtutis actiuæ vniri immediatè per intimam sui indistantiam humanitati, sicque eam elevare & confortare ad faciendum aliquid quod vires eius naturales maximè superet. Negatur tamen inde sequi diuinam omnipotentiam, ei vel de facto esse communicatam, vel communicari potuisse; nam longè aliud requiritur ad veram & propriè dictam communicationem diuinæ omnipotentiæ factam, vel faciendam humanitati, quàm requiratur vt diuina natura isto modo vniatur humanitati, ratione cuius amplius requisiti, repugnat omnipotentiam diuinam ei communicari. Ad hoc secundum non requiritur, vt natura diuina habeat rationem alicuius *formæ inexistentis, & informantis* humanitatem; sed sufficit vt ei per intimam duntaxat indistantiam vnita, prædictam virtutem eius agendi, comparatione tantorum effectuum solummodo inchoatam, confortet speciali quodam concursu, & velut quædam concausa simul cum humanitate prædictos effectus producat, quomodo diuina natura, in ratione virtutis actiuæ vnita est *forma* tantùm *assistens*, non verò *informans*, quod genus vnionis nullam importare repugnantiam docet illa sententia satis communis inter Philosophos, de Angelis vt formis tantùm assistentibus ad motum cœlorum aliquam vim ad illum faciendum duntaxat inchoatam, non tamen sufficientem habentium; vt autem diuina omnipotentia formaliter communicetur humanitati, requiritur simpliciter & absolutè vt sit *forma* illam propriè *informans*, seu *formale principium quo* humanitas operetur, & D VIII.

I. ex illa vt *forma* non tantùm assistente, sed propriè *informante*, & vt ex hac diuina omnipotentia attributo Dei & humanitate assumpta, tanquam *eius subiecto* fiat aliquod vnum operans, sicut ex diuina personalitate Verbi diuini formaliter in *genere termini* communicata humanitati, resultat *vnum subsistens*, quod genus vnionis implicare contradictionem facilè intelligitur ex dictis secunda quæstione contra Eutychetem.

Secunda obiectio. Proprium omnipotentiæ diuinæ est posse creare, & vera creatio alicuius entis est proprius effectus omnipotentiæ, sed Deus potest communicare humanitati assumptæ, vt possit creare verum aliquod ens, ergo & ei communicare suam omnipotentiam: ergo & illam ei de facto communicauit. Maior satis

II. patet ex se, & etiam ex sacris Litteris, quæ creationem rerum passim tribuunt omnipotentiæ Dei. Vltima consequentia probatur, quia fuit valde conueniens Deum communicare humanitati assumptæ hanc perfectionem, modò eius communicatio sit possibilis, quia multi Philosophi & Theologi volunt potentiam creandi esse à Deo communicabilem alicui creaturæ; deinde quia ad id sufficit quòd natura diuina in ratione virtutis actiuæ vniatur per intimam indistantiam humanitati assumptæ, tanquam caussa effectus producendi ex nihilo: sed talis naturæ diuinæ cum humanitate non repugnat ex dictis in solutione præcedentis obiectionis, quia respicit tantùm puram efficientiam extrinsecam, vel alicui à Deo communicandam: igitur omnipotentia diuina potuit communicari humanitati assumptæ.

III. Respondetur concessa Maiore ad Minorem, hæc duo distingui, Deum communicare alicui creaturæ potentiam creandi aliquid ex nihilo, & de facto ei communicare suum proprium attributum omnipotentiæ. Primum non infert secundum, quia talis communicatio dicit tantùm in creatura vel aliquam effectricem qualitatem à Deo ei ad hunc finem concessam, vel potentiam eius obedientialem actiuam speciali concursu Dei confortatam ad producendum aliquem effectum ex nihilo, extra quod vtrumque est attributum diuinæ omnipotentiæ, quare illa controuersia, vtrum possit Deus communicare potentiam creandi alicui creaturæ, habet se impertinenter ad hanc communionem attributi diuinæ omnipotentiæ quam Lutherani prætendunt. Deinde etiam si Deus de facto communicasset potentiam creandi, adhuc

IV. tamen ipsa eius humanitas non posset denominari purè & simpliciter omnipotens, quia omnipotentia absolutè & simpliciter dicit in eo, quod sic denominatur, independentiam ab omni alio vt principali caussa cuius concursum necessariò postulat, vnde principalis forma omnipotentiæ purè & simpliciter dictæ debet esse subsistentialis & increata: atqui humanitas in tali casu semper dependeret ab ipso Deo vt prima omnium causa, & eius concursum requireret in producendis quibuscumque entibus à se ipsa distinctis, nec ageret per ipsam omnipotentiam, quæ est attributum diuinitatis, & aliquid substantiale increatum, sed vel per qualitatem aliquam sibi superadditam, vt nonnulli volunt, vel per suam obedientialem actiuam potentiam, sicut quando Sacramenta, & alia id genus, eleuantur à Deo, vt efficienter concurrant ad pro-

A ductionem effectuum quorumdam supernaturalium. V.

Obiicies contra hanc responsionem. Humanitas Christi Domini rectè denominatur sancta ab essentiali attributo sanctitatis diuinæ naturæ, vt suprà docuimus ad quæstionem 7. Ergo pari iure humanitas Christi Domini poterit denominari omnipotens ab omnipotentia præcipuo attributo diuinæ naturæ.

Respondetur, cõcesso antecedente, negando Consequentiam: est enim dispar vtriusque ratio, quòd denominatio omnipotentis sit propriè physica, & quæ in denominato requirit veram realem & physicam efficaciam, & proinde physicum & reale principium, quo sibi formaliter inexistente, constituatur formaliter talis, quod anima Christi etiam vnita Verbo non ha-

B bet: at denominatio sanctitatis sit tantùm quædam denominatio moralis, quæ, vt locis nunc citatis docuimus, potest desumi ab aliquo, verè quidem formaliter & intrinsecè sancto, extrinseco tamen ipsi sic denominato, dummodo tale denominatum aliquam habeat habitudinem ad illud, quod formaliter & intrinsecè est sanctum. VI.

Articvlvs III.

Soluuntur fundamenta Lutheranæ hæresis articulo primo relata.

PRIMVM fundamentum desumitur ex variis locis Scripturæ sacræ, quibus omnis potestas dicitur tributa Christo, vt homini, sancti Matthæi 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, sancti Matthæi 28. *Data est mihi omnis*

C *potestas in cælo & in terra*, ad Ephesios primo capite Apostolus illud Psalmi 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, explicat de Christo. VII.

Respondetur iis locis & aliis similibus tantùm significari esse in Christo Domino, vt homine, aliquod singulare dominium, & aliquam eximiam potestatem excellentiæ in omnes creaturas esse illi concessam vi vnionis hypostaticæ, quemadmodum intelligitur ex dictis quæstione 8. & patebit ampliùs infrà agendo de potestate regia Christi, hanc tamen propriè non esse diuinam omnipotentiam, sed aliquid creatum, eáque inferius, vt ibi explicabitur.

Secundum fundamentum. Communicatio idiomatum in Christo Domino consistit in eo quod proprietates diuinæ naturæ communicen-

D tur humanitati assumptæ, vi vnionis hypostaticæ: atqui omnipotentia est vera proprietas naturæ diuinæ, seu quoddam eius attributum, ergo & illa est vi vnionis hypostaticæ communicata humanitati à Verbo assumptæ. VIII.

Respondetur Maiorem propositionem esse simpliciter & absolutè falsam, vt ex professo docebimus infrà ad quæstionem 17.

Tertium fundamentum. Eodem modo esse habet humanitas vnita Verbo ad diuinam naturam, quo modo ferrum ignitum ad ignem cui quatenus ignitum vnitur: sed ferrum per vnionem cum igne accipit virtutem lucendi & vrendi, quæ sunt proprietates ignis: ergo pari modo humanitas per vnionem hypostaticam sui ad Verbum diuinum, accipit omnipotentiam quæ est virtus diuina.

Respondetur Maiorem propositionem esse

I. falsam, & exemplum illud non esse ad rem de qua hîc agitur. nam rectè intelligimus ignem communicare ferro vim calefaciendi & comburendi, quatenus producit in eo calorem, qui receptus in materia ferri admodum densa aciter urit: at diuina natura vel etiam eius omnipotentia nihil producit reale seu physicum in humanitate Christi, ratione cuius dicatur accipere omnipotentiam, vt intelligitur ex dictis suprà ad 2. quæst.

Cæterùm Christum rectè dici omnipotentem per communicationem idiomatum, patebit inferiùs quæstione 17.

Articvlvs IIII.

II. *Vtrùm Christus vt homo habuerit potestatem faciendi miracula.*

NOTANDVM primò est, vt aliquod opus sit miraculosum, loquendo propriè, tria requiri, vt colligitur ex sancto Thoma primâ parte, quæstione 105. articulo 7. Primum est, vt sit *arduum*, seu supra virtutem naturæ creatæ, quatenus excedit facultatem totius naturæ agentis naturaliter, quam ob conditionem opera præstigiosa facta virtute dæmonum, licèt sint rara & occulta, non sunt propriè miracula. Secundum, *vt nihil naturale, seu ordinis naturalis habeat ad illud naturalem ordinem*, sed tantùm obedientialem: hinc quia corpus humanum, vbi habet vltimam dispositionem ab homine vt agente naturali introductam, dicit ordinem naturalem ad animam rationalem, vt III. formam propriam & sibi debitam, creatio animæ rationalis non est miraculosa. Tertium est, vt sit *opus insolitum*, rarum, nec fiat secundùm cursum ordinarium: hinc iustificatio impij, item positio corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, licèt excedant facultatem cuiuscumque agentis, intra purum ordinem naturæ contenti, nec aliquid huius ordinis habeat naturalem ordinem ad illa, quia tamen fiunt quotidie, non sunt propriè miracula.

Notandum secundò, duas esse causas præcipuas, propter quas Deus communicat alicui potestatem faciendi miracula: prima est *ad confirmandam & stabiliendam fidem*, quomodo fiunt etiam interdum ab hominibus existentibus in peccato, per veram tamen fidem & IV. invocationem nominis Christi; ea scilicet adhibendo tanquam *signa quædam publicæ iustitiæ*, vt notat sanctus Thomas eadem primâ parte quæstione 110. articulo 4. in responsione ad secundum: cùm enim miracula sint à Deo tanquam à causa primaria, & Deus non possit mentiri, satis ostendit veritatem, quando miracula fiunt in illius confirmationem: altera causa est, ad *manifestationem sanctitatis* alicuius personæ. His ita præmissis sit

Prima propositio. *Potestas faciendi miracula supernaturalis seu propriè dicta, fuit communicata humanitati Christi.* Propositio, qua parte asserit hanc potestatem fuisse in humanitate Christi, est communis apud omnes Scholasticos hîc & tertio sententiarum: qua parte verò asserit illam esse supernaturalem, est contra aliquos, qui apud Medinam libro secundo de A recta fide in Deum capite septimo, volunt hanc potestatem provenisse ex naturali temperie corporis Christi, quam vocant *instrictæ seu ad pondus*, quòd omnia elementa concurrant ad illam secundùm gradus æquales, & contra alios apud Vasquesium hîc, volentes id provenire ex perfectione virtutis imaginatiuæ ipsius animæ Christi. Contra quos omnes V.

Probatur quoad primam partem, ex toto decursu Euangelij, in quo passim varia Christi miracula describuntur: deinde, quòd hæc potestas sit ei communicata vt homini seu eius humanitati, patet sancti Matthæi capite nono, vbi miraculo probat se vt hominem habere potestatem remittendi peccata, *Vt autem sciatis*, inquit, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, tunc ait paralytico, *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*, & astantes huic miraculo intellexerunt hanc potestatem fuisse ei vt homini concessam à Deo, quorum fidem probat potiùs quàm corrigat: ita enim scribit Euangelista, *Videntes autem turbæ timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus*: item S. Lucæ sexto capite, *Omnis turba quærebat eum tangere*: Lucæ nono solo tactu sanat hæmoroissam: & satis frequenter in Euangelio Christus sanat morbos solo *tactu*, vel etiam *impositione manuum*, vt nobis significaret, quòd quemadmodum rebus quibusdam naturalibus vis aliqua inest ad curandos morbos si applicentur parti læsæ, ita virtutem sanandi & faciendi miracula esse à Deo communicatam humanitati suæ. VI.

Probatur ex Patribus, sancto Hilario libro tertio de Trinitate ferè in principio, sancto Augustino, tractatu vigesimo quarto in Ioannem, affirmantibus virtutem multiplicandi quinque illos panes, quos Christus capite sexto sancti Ioannis multiplicauit, fuisse in manibus Christi Domini. C VII.

Probatur ratione. Christus secundùm eam naturam debuit habere potestatem confirmandi suam doctrinam per miracula, secundùm quam tradebat illam hominibus, & defectu cuius confirmationis, aliqui eam audientes, nec tamen amplectentes fuissent immunes à peccato, illam enim accepit etiam in hunc finem: atqui Christus tradebat doctrinam noui Testamenti quatenus homo: sic enim est noster præceptor & legislator: & nisi in confirmationem illius ea fecisset miracula, Iudæi ei non credendo fuissent immunes à peccato infidelitatis, vt ipsemet ait sancti Ioannis decimo quinto, *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: ergo Christus debuit habere potestatem faciendi miracula, quatenus est homo: igitur ei, vt homo est, seu humanitati eius fuit à Deo communicata potestas faciendi miracula. VIII.

Quòd item hæc potestas fuerit supernaturalis, probatur primò, quia totum ferè Euangelium, & testimonia eius nunc relata satis apertè id declarant. Deinde, quia etsi complexio Christi & vis eius imaginatiua fuerint perfectissimæ, & ex hypothesi per imaginationem aliqua mira possint fieri, item temperamentum ad pondus dari in aliquo, nunquam tamen vi istorum ea miracula, quæ Christus fecit, fieri potuerunt: exempli gratia, *illuminatio cæci nati, suscitatio mortuorum*,

quia

I. quia à priuatione ad habitum nulla virtute naturali potest dari regressus: ergo hæc potestas faciendi miracula, quæ est in Christo, debet esse supernaturalis.

Atque ex his locis Scripturæ & Patrum citatis pro hac propositione colligimus, *illam esse de fide* contra nonnullos, qui existimant esse solummodò temerarium illam negare: hæc enim testimonia procedunt de Christo vt homine, & de illo vt sic explicantur à Patribus: præterea consensus Patrum & Scholasticorum in hanc rem videtur esse vt in rem de fide. Adde quòd esset valde indecorum nos certitudine fidei admittere Deum communicasse hanc potestatem aliquibus puris hominibus, imò ipsummet Christum vt hominem illam promisisse, & de facto dedisse suis Apostolis, & aliis vt capite decimo-quarto sancti Ioannis: nec tamen
II. illam habuisse, cùm nullam dicat repugnantiam ad eius statum, vel finem, aut substantiam, vel circumstantias huius mysterij Incarnationis.

Articvlvs IV.

Quando & qualem potestatem faciendi miracula Christus acceperit.

SIT hæc nostra propositio. Humanitas Christi accepit hanc potestatem à primo instanti suæ vnionis ad Verbum diuinum permanenter, seu ad modum habitus, eámque adhuc retinet in cælo. Tres sunt partes huius propositionis. Prima probatur, primò, auctoritate sancti Anselmi libro secundo, cur Deus homo, capite decimo-tertio, illam asserentis. Deinde eodem in-
III. stanti sunt proprietates, quo existit id, cuius sunt proprietates, licèt sint tantummodo morales, & non physicæ, vt patet in iis virtutibus supernaturalibus, quæ, quia sunt veluti quædam proprietates gratiæ sanctificantis, infunduntur simul cum illa: atqui potestas faciendi miracula est moralis quædam proprietas, tum vnionis hypostaticæ, tum dignitatis capitis & Legislatoris, quæ sunt in Christo à primo instanti suæ conceptionis, vt suprà docuimus: nam eo ipso, quo fuit constitutus nostrum caput, Legislator noster, quo habuit singulare quoddam dominium in res omnes creatas in ordine ad finem Incarnationis, & ad saluandum homines, debuit posse illis vti ad nutum, eas applicare ad effectus à se intentos, provt vellet: at posse hoc modo vti rebus creatis, est habe-
IV. re potestatem faciendi miracula: igitur humanitas Christi à primo instanti, quo fuit vnita Verbo diuino, habuit potestatem faciendi miracula.

Cæterùm Christus non videtur ea potestate vsus in sua infantia, quia nulla apparet ratio sufficiens illud asserendi, & liber ille apocryphus *de infantia Saluatoris* est condemnatus à Gelasio summo Pontifice, capite *Romana Ecclesia*, distinctione duodecimâ: & Valentiniani, qui multa ridicula tribuebant Christo adhuc infanti condemnantur à Patribus. Quando autem Christus cœperit facere miracula, sanctus Thomas infrà quæstione quadragesimatertiâ articulo tertio, censet tunc quando cœpit prædicare, & multi volunt primum eius miraculum fuisse conuersionem aquæ in vinum in Cana Galilææ, qua de re videri possunt In-

A terpretes sancti Ioannis ad illud secundi eius capitis, *Hoc fecit initium Iesus signorum in Cana Galilææ.* V.

Secunda item pars eiusdem propositionis probatur. Tunc aliqua potestas censetur haberi *permanenter, seu per modum habitus*, quando qui habet illam, habet omnia ad eius actus exercendos requisita, ad nutum suæ voluntatis paratissima, & vtitur illâ quando vult (nam ex eo quòd vtimur habitibus quando volumus, factum est vt potestas illa, esto, sit tantùm aliquid morale, dicatur esse *per modum habitus*, quâ vtimur ad nutum nostræ voluntatis) atqui Christus vt homo omnia & singula ad quodcumque miraculum faciendum requisita habebat paratissima ad nutum suæ voluntatis: nam sancti Matthæi octauo, leproso sibi dicenti: *Domine si vis, potes me mundare*, re-
B spondet efficaciter & cum imperio, *volo, mundare*: ibidem imperat ventis & mari, *& facta tranquillitas magna*: sancti Marci primo, imperat febri vt discedat à socru Simonis, & discedit, socrus Simonis statim redditur tota sana: sancti Ioannis 11. capite, cùm ante suscitationem Lazari orasset, dixit se id facere propter astantes, non quòd oporteret illum faciendo actum miraculoso præmittere orationem. Vnde sanctus Cyrillus epistolâ sua ad Monachos Ægypti, quæ est prima, ita ait, *Asparuit nobis Dominus noster Iesus Christus, potentiam Deo competentem, & brachium cum dominatu habens, hoc est, in potestate & authoritate. Vnde & leproso dicebat: volo, mundare esto. Ad loculum etiam accessit, & filium viduæ suscitauit.* Igitur Christus vt homo habuit potestatem faciendi miracula permanenter, seu per modum habitus.

C Atque quoad hoc, licut & quoad multa alia dona supernaturalia, Christus vt homo distinguitur ab aliis hominibus etiam sanctissimis habentibus potestatem faciendi miracula: nam hi non possunt ad libitum, & pro quouis tempore facere miracula, sed tunc solummodò quando speciali quadam motione ad id mouentur à Deo, quam motionem non habent ad nutum suæ voluntatis, vt patet libro quarto Regum, capite quarto, vbi Eliseus mittit seruum suum Giesi cum suo baculo, vt per eius contactum resuscitet filium viduæ, quem tamen non suscitauit absens, sed tantum præsens, & non nisi præmissa oratione, & incumbendo super illum: item Apostoli capite decimo Matthæi acceperant potestatem eiiciendi spiritus immundos, & curandi omnem languorem, & omnem infirmitatem, artamen sancti Marci capite nono non possunt
D eiicere spiritum immundum, surdum & mutum, & Apostolis causam huius rei quærentibus Christus respondet, *Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione, & ieiunio*, quod tamen Christus ibi eiecit solo imperio: & Sancti communiter præmittunt miraculis orationem saltem interiorem. Quòd si interdum aliqui eorum vsi sunt facere miracula *ex auctoritate & potestate*, tunc singularis aliqua motio Dei antecessit, qua mouerentur ad sic operandum: è contrà Christus quatenus homo ita vtebatur hac potestate, ac si humanitati suæ fuisset naturalis. Et si Christus D. aliquando præmitteret orationem miraculo faciendo, id tamen non faciebat ex necessitate, sed vt apertiùs ostenderet diuinam virtutem sibi & suis verbis attestari: quemadmodũ ipsemet vt homo alloquens Deum Patrem apud S. Ioannem VI. VII. VIII.

I. capite II. significat satis apertè his verbis, *Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circunstat, dixi, vt credant quia tu me misisti.*

ARTICVLVS V.

Soluuntur tria dubia.

PRIMVM est, in quo hæc Christi Domini prærogatiua faciendi miracula ad nutum suæ voluntatis fundetur.

Respondetur, fundari in vnione hypostatica & perfectione Christi: nam quia Deus dederat Christo vt homini singulare quoddam dominium in omnes res creatas, erat valde congruum, vt illæ obedirent ei ad nutum, quando & quoties eis imperaret. Secundò, II. quia quicquid Christus vt homo efficaciter volebat, erat conforme diuinæ voluntati, & ea tantùm faciebat, quæ erant placita Patri suo, ideò fuit conueniens, vt Deus ei volenti vt homini facere miracula, infallibiliter assisteret, vbi & quando vellet, maximè cùm quicquid Christus vult efficaciter, Deus ipse possit dici non tantùm per communicationem idiomatum, sed etiam ratione huius conformitatis illud velle.

Secundum dubium est. *Quomodo Christus sic operaretur, vt hæc potestas videretur esse illi naturalis.*

Respondetur, modum illum posse explicari exemplo sumpto à nobis, dum exercemus actus liberos ordinis naturalis. Nam quemadmodum facimus quodcumque volumus, non quòd Deus (sine quo nihil possumus facere) subiiciatur nostræ voluntati, sed ex suppositione III. qua ab æterno statuit dare suum concursum, quando, & quotiescumque vellemus operari, & voluntas nostra hoc modo determinat eius concursum, habétque omnia etiam ex parte Dei tanquam primæ causæ sibi requisita ad nutum suum, sicque operatur quando & quotiescumque vult: ita etiam, quia Deus, ob congruentias nunc allatas, statuit suum concursum semper fore paratissimum ad faciendum quodcumque opus miraculosum, vbi, quando & quoties Christus vt homo vellet, & hic concursus non minùs præsto erat Christo vt homini, quàm nostra motiua potentia sit nobis præsto ad aliquid operandum, factum est, vt quemadmodum quilibet nostrùm ex simplici nutu suæ voluntatis *auctoritatiuè*, *& non deprecatiuè*, exercet actus liberos ordinis naturalis, ita Christus IV. posset facere miracula *auctoritatiuè*, non præmittendo aliquam orationem: itavt hæc potestas, licèt verè & propriè supernaturalis, videretur ei quasi naturalis. Vnde Christus vt homo poterat aliquo modo dici *causa principalis* illorum faciendorum in suo genere, licèt eius humanitas esset tantùm instrumentum.

Tertium dubium est. Vtrùm Christus retineat hanc potestatem in cælo. Respondetur affirmatiuè primò, *Quia dona Dei sunt sine pœnitentia*, vt ait Apostolus: at hæc potestas est aliquod donum Dei: deinde, est perfectio sine imperfectione, vel repugnantia ad statum eius gloriosum & ad ipsam vnionem hypostaticam. Tertiò, quia est verisimile Christum etiam nunc eà vti in infusione luminis gloriæ in patria, sicut sanctus Thomas infrà quæstione quinquagesimâ-secundâ articulo secundo in corpore, A V. ait eum in ipso descensu ad inferos, infudisse Patribus existentibus in Limbo lumen gloriæ, quod cùm dicat de Christo vt homine, non potest intelligi factum aliter, quàm per potestatem faciendi miracula. Quartò, in distributione quarumcumque gratiarum, præsertim sacramentalium, cùm ipse sit qui principaliter baptisat, conferat, remittit peccata, & alia id genus facit, & sicut nunc hæc potestate vtitur in spirituali resurrectione per institificationem animarum: ita etiam illa vtetur in resurrectione corporum, vt sanctus Thomas docet infrà quæstione quinquagesima-sextâ vtroque articulo: sicque omnia quæ spectant ad iustos pro consequenda vita æterna, administrantur eis dependenter ab humanitate Christi, seu humana eius voluntate, cùm ille sit caput omnium B hominum & vitis, sine qua, quotquot sunt iusti, palmites eius, nihil quicquam fructus ferre possunt. VI.

ARTICVLVS VI.

Colliguntur tria corollaria.

EX his sequitur primò, animam Christi licèt ex sua naturali conditione, seu per solas naturæ vires, non posset immutare suum corpus; attamen, ratione huius potestatis, potuisse illud immutare: quemadmodum reipsa ostendit, quando transiuit per medium Iudæorum, absque eo, quòd illi eum viderent, scilicet non sinendo species exire à suo corpore, & deuenire ad oculos Iudæorum, item in transfiguratione, & quando ambulauit suprà C mare. VII.

Secundò sequitur, voluntatem animæ Christi tam eximia & singulari potestate instructam fecisse quicquid voluit efficaciter: quia efficax eius voluntas erat semper recta & conformis diuinæ: dixi *efficaciter*, non enim illud omne quod voluit voluntate solùm *inefficaci* fuit de facto adimpletum, exempli gratiâ, quando dixit *Transeat à me calix iste*, sancti Matthæi vigesimo-sexto, nec hoc aliquam in eo arguit imperfectionem, cùm id propriè non proueniat ex defectu virtutis, sed ex ea tantùm libertate, quâ non adhibet omnia media vt hæc simpliciter & absolutè fiant, & quando aliqua adhibet, ad quæ tamen effectus non sequitur, tunc ita illa adhibet, vt tamen velit fieri seu relinquere aliis libertatem frustrandi sta media suo effectu: sic capite septimo sancti Marci dicitur, *Ingressus domum voluisse neminem scire, non tamen potuisse latere*, non quòd absolutè loquendo non posset, si absolutè voluisset, sed quòd vtendo solùm mediis, quæ humana industria ei tunc præstare poterat ad latendum, non potuerit latere; & sic ex illo verbo Euangelij Agatho summus Pontifex in sextâ Synodo, epistolâ sua ad Imperatorem, rectè probat duas in Christo fuisse voluntates, *humanam vnam*, quæ adhibendo solùm ea, quæ sibi secundùm naturæ vires sunt possibilia, voluit aliquid, quod non est adimpletum; & *aliam diuinam*, qua quicquid absolutè vult, fit & euenit.

Tertiò sequitur, hanc potestatem tam euidenter fuisse in Christo, vt dæmones eam naturaliter cognouerint, vel saltem potuerint co-

I. gnoscere, quia, exempli gratiâ, sciebant naturaliter, *à priuatione ad habitum non dari regressum naturaliter* & in resuscitatione Lazari videbant, aut saltem videre poterant animam eius fuisse separatam à suo corpore, quam posteà videbant eireunitam : imò & homines (licèt minùs euidenter) id cognoscebant, quatenus moralem habebant euidentiam de signis eius vt miraculosè factis, itavt, qui illa viderant, nec eius doctrinæ, in cuius confirmationem illa faciebat, consentiebant, grauissimè peccauerint, quemadmodum Christus testatur sancti Ioannis octauo, & decimo-quinto capitibus.

DISPVTATIO II.

II. *De modo quo humanitas Christi Domini operatur miracula : Vtrùm duntaxat moraliter, an etiam physicè.*

Articvlvs Primvs.

Duæ sententiæ contrariæ proponuntur, & quæ asserit physicam efficientiam præfertur, & ostenditur esse sancti Thomæ.

III. Ertvm est ex toto decursu sacri Euangelij Christum Dominum fuisse operatum multos effectus supernaturales, vt conuersionem aquæ in vinum, multiplicationẽ panum & piscium, transsubstantiationem panis & vini in suum corpus & sanguinem, multis contulisse gratiam sanctificantem, multos sanasse à variis morbis, alios etiam resuscitasse, & plura id genus fecisse, in quibus perficiendis cùm sit vsus sua humanitate, exempli causâ eos, quos sanabat, tangendo, illis loquendo vel aliquo alio simili modo pertinente ad humanitatem, controuertitur inter Scholasticos, an quatenus homo sit executus hæc opera solummodò tanquam moralis quædam causa, quæ vel orando seu impetrando, seu mouendo excitaret causam physicam principalem, scilicet Deum ex aliqua institutione, pacto vel alio simili modo morali ad producendum physicè tales effectus; an verò simul cum principali causa ad productionem illorum concurreret reali aliquo influxu in genere causæ efficientis instrumentariæ per veram realem actionem suæ humanitatis, à qua tales effectus in suo esse dependerent.

IV. Duæ sunt hac de re sententiæ. Prior affirmat humanitatem Christi Domini, seu Christum Dominum vt hominem fuisse causam tantùm moralem eiusmodi effectuum supernaturalium. Ita omnes qui denegant sacramentis nouæ Legis efficientiam physicam, & speciatim de humanitate Christi Domini, Guillelmus Altisiodotensis tertiâ parte summæ, tractatu 1. capite 4. sanctus Bonauentura, & Richardus in tertiunr sententiarum, distinctione decima-tertiâ, articulo secundo, quæstione secundâ, Durandus eodem libro sententiarum distinctione decima-quartâ, quæstione quintâ, quos multi recentiorum sequuntur.

Posterior tamen affirmans sententia, quam A loco nostræ conclusionis ponimus, videtur nobis probabilior, estque sententia sancti Thomæ satis expressa hic articulo 2. in corpore, vbi ait animam Christi Domini ad solam *creationem & annihilationem non fuisse eleuatam vt instrumentum. ad alias verò miraculosas transmutationes ordinabiles in finem incarnationis* (cuiusmodi sunt miracula ab illo facta, nam passim in Euangelio probat ex illis se esse Filium Dei, se habere potestatem dimittendi peccata, & alia id genus quæ pertinent ad finem huius mysterij) *fuisse eleuatam tanquam instrumentum Verbi diuini sibi uniti.* exceptio autem, vt habet receptissimum axioma, firmat regulam : sed sanctus Thomas ibi duas tantùm excipit immutationes creaturarum, scilicet illarum creationem & annihilationem, respectu quarum faciendarum anima Christi Domini non sit eleuata tanquam instrumen- B tum Verbi diuini : ergo censet illam circa omnes alias faciendas in ipsis rebus creatis esse eleuatam vt instrumentum Verbi diuini sibi uniti. Quòd autem hæc eleuatio intelligatur à S. Thomâ in ratione instrumenti, non tantùm *moraliter* seu *physicè*, & reali efficientia agentis, patet primò, quia sanctus Thomas ibi vult animam Christi Domini esse eleuatam ad faciendum miracula, eo genere efficientiæ, quo eidem humanitati denegat esse instrumentum creationis & annihilationis, (hoc enim vult ipsa earum exceptio quam hic facit;) sed S. Thomas hic denegat animæ Christi Domini esse instrumentum creationis in genere physicæ seu realis efficientiæ, sic enim producuntur ex nihilo, & productæ conseruantur à solo Deo vt ibi habet verbis expressis. Igitur sanctus Thamas ibi vult animam Christi Domini fuisse eleuatam ad faciendum miracula in genere physicæ seu realis efficientiæ. C

Deinde S. Thomas ibi solum illud genus efficientiæ, quod putat non posse cõmunicari creaturæ, denegat humanitati seu etiam animæ Christi D. vt instrumento Verbi diuini. Sed S. Thomas 1. parte quæst. 45. art. 5. in corpore censet creationem non posse cõmunicari creaturæ tanquam physico instrumento, nec vllam aliam positiuam transmutationem ei tanquam physico instrumento denegat : ergo S. Thomas ibi tantùm denegat animæ Christi Domini, tanquam instrumento agenti physicè, seu reali efficientia aliquid creare, & ex consequenti omnem aliam transmutationem circa res creatas ei tanquam instrumento concedit esse possibilem.

Tertiò, Christus Dominus, vt homo, potuit tamquam morale instrumentum Dei principalis agentis aliquid creare, & aliquid creatum annihilare : nam ad hoc vtrumque sufficeret efficax Christi Domini oratio in hunc finem directa. Tunc enim Deus se solo, vt physico agente produceret ex nihilo creaturam, quam Christus Dominus postularet, & alteri creaturæ, quam Christus Dominus vellet in nihilum redigi, concursum suum subtraheret : & quòd Christus Dominus hoc modo nihil creauerit, aut annihilauerit, non contigit ex defectu talis potentiæ moralis, quia quælibet eius oratio, facta ex voluntate deliberata & efficaci, fuit maioris longè meriti & virtutis, sed id contigit, quia non iudicauit expedire id postulare. Ergo quando sanctus Thomas ibi denegat animæ Christi Domini, vt instrumento, posse creare, posse annihilare, illud ei tanquam physico instrumento & reali efficientia agenti denegat. Ergo quan-

V. VI. VII. VIII.

I. do, his duabus immutationibus creaturarum exceptis, concedit animæ Christi Domini tanquam instrumento Verbi diuini posse omnes alias facere, illud intelligit de physica & reali efficientia non autem de sola morali.

Neque huic expositioni obstat, quòd sanctus Thomas ibidem in solutione ad tertium dicat gratiam virtutum seu miraculorum fuisse datam animæ Christi Domini & Sanctis, vt *per diuinam virtutem huiusmodi miracula fiant.* Ibi enim opponit *virtutem diuinam propriæ seu naturali virtuti ipsius agentis*, vt intelligitur ex verbis immediatè præcedentibus, & per illam intelligit actiuam potentiam obedientialem, vt aliquo speciali concursu Dei completam, quæ quia sumpta formaliter, & iuxta proprium suum operandi modum est supernaturalis, vt dicetur inferiùs agendo de illa ex professo quæstione de causalitate sacramentorum nouæ Legis, hîc à sancto II. Thoma appellatur *diuina*: & hæc sententia dicitur esse communis inter discipulos sancti Thomæ, vt Caietani hac quæstione articulo secundo, Medinæ ibidem. Et extra Scholam sancti Thomæ, Vega libro septimo in Concilium Tridentinum capite vndecimo, & ij omnes, qui efficientiam physicam tribuunt sacramentis nouæ Legis, eam amplectuntur.

Articvlvs II.

Nostra sententia probatur ex variis curationibus miraculosis, & præsertim hæmorrhoissæ.

III. PROBATVR primò, ex modo loquendi sacræ Scripturæ de miraculis à Christo Domino factis: sanctus Lucas capite sexto sic ait, *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et capite octauo de Hæmorrhoissa, *Accessit retrò & tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius:* & paulò pòst, *Dixit Iesus, tetigit me aliquis: nam & ego noui virtutem de me exisse:* & præcedenti capite quarto, mundat leprosum solo tactu, *Et extendens*, scilicet Christus, *manum tetigit eum, dicens, volo, mundare, & confestim lepra discessit ab eo.* Item capite decimo-quarto sancti Matthæi scribitur, *Obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quicumque tetigerunt salui facti sunt.* Quibus locis, & aliis similibus, curatio morborum à Christo Domino impertita ægrotantibus, tribuitur tactui tam mediato quàm immediato corporis Christi Domini tanquam IV. instrumento sanitatem non tantùm moraliter, sed realiter efficiente, quod probatur. Eo modo corpus Christi Domini per sui contactum, siue mediatum, siue immediatum, conferebat miraculosè sanitatem ægris, quo hæmorrhoissa per suam fidem apprehendebat corpus Christi conferre sanitatem, & ad cuius fidei conformitatem fuit à Christo Domino sanata, vt intelligitur ex illo Christi Domini ad illam, *filia fides tua te saluã fecit, vade in pace:* sed modus ille quo hæmorrhoissa per fidem apprehendebat corpus Christi Domini conferre sanitatem per sui contactum, siue mediatum, siue immediatum, ad cuius conformitatem fuit sanata, præscindebat ab omni efficientia purè & solummodò morali, & procedebat tantùm de physica & verè reali efficientia, per quam corpus Domini suo reali siue mediato, A siue immediato cõtactu eam sanaret. Igitur corpus Christi Domini per sui contactũ siue mediatum, siue immediatum, conferebat miraculosè sanitatem ægris physica & verè reali efficientia, & hoc non quidem vt causa principalis in tali genere, quemadmodum per se patet, cùm hæc curatio sit opus miraculosum: ergo vt causa instrumentalis. Maior propositio, & hæc vltima consequentia patent exibi additis. Minor quoad priorem sui partem, quæ est de præscisione efficientiæ tantùm moralis, probatur. Effectus ille, qui apprehenditur procedere à corpore viuo, illo cuius est proprium corpus viuens planè inscio, præscindit ab efficientia purè & solummodò morali, quia moralis efficientia agentis actu viuentis est vel per orationem, seu impetrationem, vel alium aliquem liberum eius actum importat, quo mouet causam principalem, vt B hîc & nunc producat talem effectum; sed modus ille, quo hæmorrhoissa apprehẽdebat sanari, & de facto est sanata, fuit, quod si, Christo Domino planè inscio, tangeret eius corpus solummodò mediatè, scilicet tangendo fimbriam vestimenti eius, nihilominùs sanaretur à profluuio sanguinis. Igitur modus ille quo hæmorrhoissa apprehendebat perfectam curationẽ à suo profluuio sanguinis per mediatum contactum ad corpus Christi Domini, præscindebat ab efficientia purè & solummodò morali. Minor huius vltimi syllogismi probatur, ex eo quòd capite octauo sancti Lucæ dicitur *accessisse retro*, vt scilicet talis eius contactus lateret Christum, quemadmodum sanctus Chrysostomus notat expressè homiliâ 32. in sanctum Matthæum, confidens quòd ad solum contactum eius corporis sanaretur, vt sanctus Marcus capite quinto refert, ita C scribens, *Dicebat enim, quòd si vel vestimentum eius tetigero, salua ero.* Deinde probatur ex eo quòd id significatur verbis illis sequentibus sancti Lucæ, *Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius:* quibus verbis insinuat hæmorrhoissam accedendo ad Christum, & eum tangendo, existimasse eum non cognoscituram, quòd tamen existo Christi Domini verbo, *Quis me tetigit*, &, *noui virtutem exisse à me*, ita est effectum aliquem admirandæ sanitatis ex contactu ad meum corpus prodisse, agnouit esse falsum, & ideò tremens & quasi excusationem prætexens procidit ad eius pedes, & totam rem ei enarrat.

Addidi huic vltimæ Maiori has particulas, *procedere à corpore viuo*, illo, cuius est proprium corpus viuens, planè inscio: quia Deus, quando ad faciendum miracula vtitur rebus creatis, illis vtitur conuenienter ad illum modum, quo D verè & propriè existunt: ideóque cùm res illæ sunt præditæ cognitione intellectuali, & per illas agit modo tantùm morali, tunc modus iste debet esse talis, qui importet aliquam cognitionem in tali instrumento, ratione cuius tale instrumentum, quòd est viuum, dicatur se, & suam virtutem applicare ad hoc vel istud opus miraculosum faciendum potiùs quàm aliud, & proinde illud scienter fieri: quando verò res, quæ est instrumentum miraculi, est inanimis & mortua, & nihilominùs agit tantùm moraliter, tunc requiritur vt eius applicatio ad hunc & istum effectum miraculosè producendum sit determinata per aliquod aliud agens intellectuale superius, quod potest & vult ad eius positionem tanquam alicuius signi vel conditionis se-

V. VI. VII. VIII.

I. ipso producere talem effectum. Quare cùm hic loquamur de miraculis per corpus Christi adhuc viuens factis, rectè addidimus huic Maiori prædictas particulas.

Eadem Minor primi syllogismi quoad posteriorem partem, quæ asserit *modum illum quo hæmoroissa apprehendebat sanitatem esse sibi restituendam, fuisse physica, & reali actione corporis Christi Domini*, probatur. Inter hunc agendi modum in sanctitate corporis Christi Domini fundatum, & prædictum moralem agendi modum, aliquis medius non datur, quo corpus alicuius hominis adhuc viuentis operetur miraculosè: ergo cùm, vt ostendimus, hæmoroissa in modo illo quo apprehendit se fore sanandam per contactum corporis Christi Domini, præscinderit à modo agendi tantùm moraliter, restat vt modus ille, quo apprehendit se fore sanam ex contactu corporis Christi, fuerit, quòd ipsum II. corpus Christi Domini vi & efficacia singularis sanctitatis sibi inexistentis illam physicè curaret à profluuio sanguinis.

Explicatur simul & confirmatur. Hæc mulier audita fama miraculorum Christi Domini, vt expressè habet sanctus Marcus capite 5. *venit in turba retro Christum*, id est latenter, seu Christo, vt illa putabat, inscio, credens se sanandam ad contactum corporis, & existimauit (vt Toletus ad caput 8. sancti Lucæ prudenter animaduertit suo commentario ad illud Christi Domini: *Nam ego noui virtutem de me exiisse:*) ipsam Christi sanctitatem id esse in suo corpore, quod est ipsa singularis virtus in herbis medicinalibus, & se ad contactum mediatum corporis Christi etiã nescientis, eo modo esse sanandam, quo ad applicationem herbarum singulariter medici- III. nalium, sæpenumero homines ab aliquibus morbis aut vulneribus curantur: atqui modus ille, quo vulnerati aut ægri curantur virtutibus herbarum, & aliorum similium est physica seu realis efficientia, vt omnes norunt: igitur modus ille quo hæmoroissa apprehendit sanitatem sibi ad contactum corporis Christi Domini esse restituendam, fuit quòd existimauerit fore, vt corpus Christi ratione singularis suæ sanctitatis, (quam ex fama miraculorum eius conceperat) suo tactu eam perfectè curaret à profluuio sanguinis.

Et hæc explicatio amplius confirmatur ex sancto Hilario canone 9. in sanctum Matthæum, vbi agens de hoc miraculo Christi Domini, & vim seu efficaciam huius contactus ad corpus Christi Domini expendens ita scribit, *Est autem in simplici intelligentia magna virtutis dominica admiratio, cùm potestas intra corpus manens, rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, & vsque ad vestium fimbrias operatio diuina prouideret.* IV. Quo loci hæc particula, *potestas intra corpus manens*, significat diuinam naturam mediatè vnitam humanitati Christi Domini, quæ vt causa principalis *rebus ipsis caducis*, id est, corpori adhuc mortali Christi Domini dedit *realem efficientiam* sanitatis, eámque ipsi fimbriæ vestimentorum communicauit. Nam quòd sanctus Hilarius loquatur de tali efficientia, patet ex eo quòd dicat *talem efficientiam addi rebus caducis*, id est, corpori Christi Domini. At moralis efficientia propriè loquendo non se tenet ex parte rerum eiusmodi, sed ex parte orationis seu impetrationis & aliorum similium, per quæ ipse effectus miraculosus obtinetur. Nec hæc efficientia moralis potest intelligi superaddi eorum entitati naturali, cùm talis virtus nihil dicat reale & positiuum illis inexistens, sed dumtaxat rationem alicuius *signi ad placitum*, vel *conditionis*, ad cuius præsentiam aliquid vera & reali actione perficitur, quod præcisè spectatum non importat magnam admirationem diuinæ virtutis, sicut facit physicæ, seu realis instrumentalis efficientia, quam tamen sanctus Hilarius hîc admiratur. Vnde etiam idem sanctus Hilarius ibidem paulò pòst ita subiungit, *Et assumptio corporis non naturam virtutis includit, sed ad redemptionem suam. fragilitatem corporis virtus assumpsit, quæ tam infinita, tam libera est, vt etiam in* B *fimbriis eius humanæ salutis operatio contineretur.* VI. Quibus verbis significat diuinitatem Christi communicasse non tantùm corpori assumpto, sed etiam fimbriis vestimenti eius realem efficientiam sanitatis: hanc enim, *quam* appellat operationem humanæ salutis, ait *contineri etiam in istis fimbriis*, ad eum scilicet modum, quo realis effectus dicitur etiam contineri in sua causa instrumentali physica.

Articvlvs III.

Eadem sententia probatur ex curatione leprosi.

Similis probatio nostræ propositionis potest facilè desumi ex aliis & similibus miraculis Christi Domini, adiunctis eis sanctorum Patrum explicationibus. Et imprimis miraculo, C VII. quo suo tactu sanauit lepram, apud sanctum Lucam capite quinto, *& extendens manum tetigit eum, dicens, volo, mundare. & confestim lepra discessit ab illo.* Nam sanctus Ambrosius libro quinto in sanctum Lucam, explicans hunc locum, insinuat hunc tactum Christi Domini fuisse operatum physicè hanc sanitatem, dum confert hunc Christi contactum ad lepram cum contactu communi aliorum hominum ad leprosos, & ait hunc contaminare homines sanos, istum verò fugare lepram. Ergo quomodo contactus leprosi contaminat hominem sanum, scilicet physicè & realiefficientia: sic etiam tactus Christi fugat lepram realinimirum efficientia pristinæ sanitatis. Verba sancti Ambrosij hæc sunt: *Nec contagium timebat, vt homines, qui contaminari non poterat, qui alios liberabat, simul vt è contrario lepra tactu Domini fugaretur, quæ solebat contaminare tangentem.* D VIII. Et hoc idem Theophylactus significat suis commentariis in sanctum Matthæum capite octauo, vbi interrationes, ob quas Christus Dominus terigerit hunc leprosum, quem curauit, hanc refert, *Vt ostenderet*, inquit, *quòd sancta eius caro sanctificationem communicet.* Quod item repetit suis commentariis in caput quintum sancti Lucæ, *Et ideò*, inquit, *tangit interim & hoc indicans, quòd sancta eius caro diuinam habeat virtutem, & purificet ac viuificet, vt pote quæ sit caro Verbi Dei.*

I.

ARTICVLVS IV.

Hæc eadem sententia probatur ex resuscitatione filij viduæ.

PROBATVR etiam hæc nostra doctrina ex resuscitatione filij viduæ, ob hãc enim eandẽ causam dicitur Christus, quando voluit eum excitare à mortuis cap. 7. S. Lucę, tetigisse feretrum seu loculum, quo corpus defuncti detinebatur. Sic docet Titus Bostrensis suis commentariis ad caput 7. sancti Lucæ, secundâ parte tomi 2. Græco-Latini Bibliothecæ Patrum, *Ob id*, inquit, *loculum seu feretrum tetigit, quia voluit vt hinc discerneremus corpus Christi Dei nostri, corpus esse vitæ, eiusdémque carnem, vnigeniti Filij Dei Verbique cunctipotentis esse carnem: nam cùm caro eius* II. *illi effecta sit propria, qui vinificat omnia, fit vt ipsa quoque sit vinifica, mortémque & corruptionem interimere idonea.* Quod isdem ferè verbis habet Theophylactus suo commentario in idem caput septimum Euangelij, *Non solùm*, inquit, *verbo facit miraculum, sed & loculum tangit, vt discamus quòd corpus eius, corpus vinificum sit, quoniam caro eius, facta est propria Verbi omnia vinificantis: propterea vinifica est & ipsa, tollitque mortem & corruptionem.* Item sanctus Cyrillus, libro ad reginas de recta fide, titulo, *quòd Christus sit vita*, docet expressè Christum, in resuscitatione filiæ Archisynagogi, tenuisse manum eius, & in resuscitatione filij viduæ loculum tetigisse, *Vt ostenderet*, inquit, *vinificum eius corpus, corpus enim est vitæ:* & paulò pòst, *iam quo pacto non vita secundùm naturam est, qui non solùm seruare, & repellere mortem potuit,* III. *sed etiam tactu manus; erat enim consequens & necessarium vinificum esse corpus, quod erat proprium vitæ.* Quibus Patrum locis vinificatio & mortis interemptio tribuitur omnipotentiæ Verbi incarnati & eius carni; ita tamen vt hæc ab ista eam accipiat, & proinde sit aliquod eius instrumentum. Quare cùm omnipotentia Verbi id totum præstet vera, reali & physica efficientia, causa autem principalis & eius instrumentum, respectu eiusdem effectus, eodem modo considerati, sibi correspondeant, Christi Domini corpus, vt instrumentum aliquod physicum diuinæ omnipotentiæ hæc omnia ibi recensita efficiet iuxta mentem istorum Patrum.

ARTICVLVS V.

IV. *Probatur nostra sententia ex restitutione visus cæco nato.*

IDEM patet in restitutione visus cæco nato apud sanctum Ioannem capite nono: nam vna ex rationibus propter quam Christus expuit in terram, & ex eo fecit lutum, quo liniuit cęci oculos, fuit, vt ostenderet sputum ex ore Christi progrediens habere virtutem sanandi, & lutum à se ex illo compositum habere virtutem omninò contrariam nostro communi luto, quatenus sicut hoc causat cæcitatem, & tollit physicè visum, istud à Christo Domino applicatum cæco nato illum ei physicè restituit: ita significat sanctus Chrysostomus homiliâ quinquagesimâ sextâ in sanctum Ioannem, *Cur non aqua*, inquit, *sed sputo ad lutum visus est? misturus enim erat in Siloam, ne quid ergo fonti* A *adscriberetur, sed ex ore eius virtutem processisse intelligeretur, quæ illius oculos & finxerit, & aperuerit, iussit in terram. hoc Euangelista significans, inquit, & fecit lutum ex sputo: inde ne ex terra eam processisse virtutem suspicaretur, lauare iussit.* Idem similiter Theophylactus notat commentario suo in sanctum Ioannem; capite nono, *Porrò*, inquit, *sputo inungit oculos, quia missurus eum erat ad Siloam, vt ne aquæ fontis adscribatur miraculum, sed discamus quòd virtus egressa ex ore eius ipsa firmauerit & aperuerit oculos eius: propterea expuit in terram & ex ea fecit lutum: deinde vt ne putes quòd terra fecerit miraculum, iubet vt deponatur omne lutum.* Et suo commentario in sanctum Marcum, capite octauo, vbi Christus expuens in oculos alterius cæci visum ei restituit, docet idem, B *Expuit*, inquit, *in oculos cæci, & manus imposit,* VI. *vt discamus quòd sermo diuinus & operatio illum subsequens ad miracula facienda efficax sit, manus enim operationis symbolum est, sputum autem sermonis, eo quòd ex ore sit.* Et eodem capite paulò antè, vbi expleat Christum sanasse surdum & mutum emittendo sputum ex suo ore proprio, scribit, *Cùm verò expuisset, tetigit linguam illius, vt ostenderet omnes partes sanctæ carnis sitæ sanctas & diuinas esse, adeout & sputum illius sõlneret linguæ vinculum, tametsi superfluitas sit omne sputum, sed in Domino admirabilia erant ac diuina omnia.* Et hæc postrema verba satis ostendunt hæc & similia procedere de reali & non tantùm *de morali* efficientia. Et hæc singularis admiratio sancti Chrysostomi citatâ homiliâ quinquagesima-sextâ, circa modum, quo Christus Dominus restituit visum cæco nato, confirmat amplius, C *Quòd si quis*, VII. inquit, *rogaret, quomodo oblito luto viderit, me modum nescire profiteor: & quid mirum, si nescimus, neque enim Euangelista, neque ipse qui curatus est, orat, sed factum nouit, modum deprehendere non potuit, qui interrogatus respondit: lutum imposuit oculis meis, & laui, & vidi, modum dicere non potuit, licet sæpius interrogatus.* Sic enim Christus Dominus sola morali efficientia tantum opus perfeciſſet, non esset quòd sanctus Chrysostomus, in mysteriis nostræ fidei apprimè eruditus, specialem modum huius miraculi tantopere admiraretur, cùm Naaman Syrus, Gentilis, mysteriorum Dei ignarus, libro quarto Regum, capite quinto moralem efficientiam in Elisæo Propheta, ad curandum suam lepram sine vlla difficultate agnouerit. Plura alia Patrum testimonia pro hac veritate D possunt videri apud Interpretes sancti Thomæ VIII. præsenti quæstione.

ARTICVLVS VI.

Nostra sententia probatur etiam ratione.

TANDEM nostra doctrina probatur hac congruenti ratione fundata tam in prædictis Scripturæ sacræ & Patrum testimoniis, quàm in excellentia & dignitate mysterij Dominicæ Incarnationis. Christus Dominus vt homo eâ efficientiâ concurrit ad sua miracula, quæ à Deo potuit ei communicari, quæque facit ad maiorem excellentiam humanitatis eius, & quæ est conformior modo loquendi sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum de miraculis eius; sed mo-

V.

dus concurrendi physicè ad faciendum miracula per propriam humanitatem, vt instrumentum, qui potuit à Deo illi communicari, facit ad maiorem commendationem excellentiæ humanitatis eius, & est conformior modo loquendi sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum de eius miraculis: igitur Christus Dominus vt homo concurrit efficientiâ physicâ & realiad sua miracula.

Maior, provt iacet & constat omnibus suis partibus simul sumptis, per se patet: nam licèt Deus non communicauerit de facto humanitati Christi Domini quidquid non implicat per illam fieri, vel ab illa haberi: ea tamen omnia quæ non implicant, & habent reliquas duas conditiones in maiori appositas de facto ei communicauit; aliàs sacræ Scripturæ & Patrum testimonia superiùs allata arguerentur falsi, nec essent à Spiritu sancto, qui falli, nec mentiri potest, sed omnia facit non tantùm congruè & conuenienter, sed etiam conformiter ad sensum sacræ Scripturæ.

Minor verò probatur quoad singulas partes: quoad primam, quæ est *de non repugnantia*, seu quòd modus concurrendi physicè ad facienda miracula potuerit à Deo communicari Christo Domino vt homini, probatur authoritate sancti Augustini libro 22. de Ciuitate Dei cap. 9. vbi licèt dubitet an Martyres, quando faciunt miracula, isto modo operentur, attamen hac suâ dubitatione, quæ tantùm est de facto, & non de possibili, satis significat se existimare modum istum faciendi miracula, posse illis à Deo communicari. Deinde idem patet ex dicendis infrà de Sacramentis in genere, vbi ex professo ostendemus Deum indidisse rebus creatis actiuam obedientialem potentiam, ratione cuius possunt ab illo assumi, vt instrumenta physica ad producendum effectus miraculosos & supernaturales. Secunda item pars eiusdem Minoris, quòd scilicet *modus iste faciat ad maiorem commendationem humanitatis Christi Domini*, probatur: quia sicut hæc per vnionem hypostaticam communicat in esse diuino, quatenus subsistit diuinâ Verbi subsistentiâ, ita etiam concurrendo physicè ad faciendum miracula, participat de diuina eiusdem Verbi potentia, quæ verè, realiter & physicè est productiua miraculorum, & hac ex causa intelligitur rectè dici à sanctis Patribus, *organum diuinitatis*, vt à sancto Damasceno libro 3. de fide capite 15. *Diuinitas*, inquit, *corpori dotes suas imprimebat*. Item, *Diuinitas per carnem vim suam exercebat*. Item, *Diuinitatis enim organum existit*. & cap. 19. *Caro*, inquit, *operanti Verbi diuinitati ea de causa communicabat, quia per corpus non secus ac per instrumentum quoddam diuinas actiones efficiebat*. Quæ loquendi formulæ apertè declarant physicam & realem, instrumentalem tamen efficientiam: vnde Clitouæus ad ista verba huius capitis ita habet, *Quare & caro Christi, vt coefficiens & cooperans diuinas etiam perfectiss actiones admittenda est, & miracula deitatem attestantia peregisse*. Tandem vltima pars eiusdem Minoris, quæ asserit, *hunc modum operandi esse conformiorem sacræ Scripturæ referenti miracula facta à Christo Domino*, manet sufficienter probata ex iis sacræ Scripturæ testimoniis initio nostræ propositionis allatis, quæ, vt ibi fusè docuimus, iuxta expositionem sanctorum Patrum ibi allatam, exprimunt illam.

ARTICVLVS VII.

Primum fundamentum sententiæ contrariæ assumptum ab authoritate Patrum soluitur.

HÆc sunt in duplici differentia: alia communia tam difficultati de physica efficientia Sacramentorum nouæ Legis, quàm præsenti: verbi gratiâ, quæ impugnant actiuam potentiam obedientialem, per quam res creatæ assumuntur à Deo, ad producendum effectus supernaturales, vel aliquam qualitatem illis à Deo imprimi possibilem, per quam eleuentur ad talem efficientiam: item quæ præcisè respiciunt productionem gratiæ sanctificantis, & hæc à nobis omittuntur, quia agendo de Sacramentis in genere, & de eorum efficientia, quidquid pertinet ad potentiam obedientialem fusè explicabitur, sicut & illud omne, quod in particulari tangit gratiam sanctificantem, vt physicè productam, vel producibilem per Sacramenta. Alia fundamenta sunt præsenti quæstioni propria, & hæc tantùm proferemus & soluemus.

Primum autem repetitur ab authoritate Patrum, vt in sexta Synodo actione 11. ex epistola Sophronij ibi approbata, vbi Sophronius ita scribit de miraculis Christi Domini, *Vnus duarum naturarum, secundùm aliam diuina signa operabatur, secundùm aliam humilia*. Item sancti Athanasij oratione 4. contra Arrianos circa medium, sic loquentis de miraculo, quo Christus Dominus sanauit socrum sancti Petri: *Humano modo manum extendit, diuinitas autem morbum compescuit*. Item, S. Damasceni eodem modo loquentis sub finem libri sui, cui titulum fecit, *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus: Quoniam*, inquit, *diuinitas tactu carnis sanabat infirmos, alia erat actio propria diuinitatis, alia humanitatis, & finis humanæ actionis in manus extensione, & tactu positus erat, diuinæ autem naturæ in excitatione puellæ*. Quod item S. Damascenus iterùm habet libro tertio de fide capite 15. circa medium.

Respondetur, sanctos Patres ibi & aliis similibus locis ita velle in Christo Domino Deo & homine dici quæ opera diuinitatis, & quæ operibus humanitatis eius, vt tamen expresè doceant Christum per suum corpus fecisse miracula, solùmque negant hæc miracula fuisse hominis, *vt hominis*, quasi vi suæ humanitatis secundùm se spectatæ, hanc potentiam habuerit, cum potiùs diuinitatis, quæ tamen illam humanitati, vt instrumento communicabat. Sic sanctus Athanasius oratione quartâ contra Arrianos circa medium: *Nisi*, inquit, *opera deitatis Verbi per corpus patrata fuissent, nunquam homo deificatus esset*: & ibidem secundâ paginâ sequenti ita scribit *Si viderimus diuinitus eum per organum sui corporis agere quidpiam, tum veniat in mentem, Deum esse qui ista operatur*: & paulò pòst, *Rectam*, inquit, *fidem bene tuebimur, si quod vtriusque naturæ propriùm est consideremus: & ab vno vtrique præstari animaduertamus: id si fiat à nobis, nunquam in errorem prolabemur*. Quibus verbis expresè ait, opus miraculosum à Christo factum esse vtriusque eius naturæ, diuinæ, vt *causæ principalis*, humanitatis verò tanquam *organi seu instrumenti*, quare cùm fuerint à diuinitate vt causa eorum efficiente, similiter etiam fuerunt ab

I. eius humanitate, vt causa instrumentaliter efficiente; & quando ibidem explicat contra Arrianos istud Christi Domini apud sanctum Ioannem, *Pater clarifica me*, docet Christum Dominum in sua humanitate accepisse vim & potentiam faciendi prædicta miracula, quam ipse secundùm diuinitatem semper habuit: *Id vbique*, inquit, *animaduertendum est, nihil eorum quæ dicit se accepisse, ita se accepisse, quasi non habuisset; habebat enim illa semper vt Deus & Verbum; nunc autem dicit humanitùs se accepisse, vt carne eius in ipso accipiente, imposterùm ea ex carne illius in nos firmiter possidenda traderentur.* Neque hæc & similia possunt explicari de causalitate tantùm morali, quia in istis verbis eandem semper tribuit diuinitati & humanitati Christi Domini efficientiam miraculorum, cum hac distinctione, quòd *diuinitati* conueniat, *tanquam causæ principali: humanitati* verò *tanquam instrumentali:* Quare cùm hæc respectu diuinitatis sit realis & physica, similiter & respectu humanitatis erit realis & physica duntaxat tamen instrumentalis.

II.

Similiter & sanctus Damascenus in isto primo fundamento relatus. Nam vbi distinxit in Christo Domino duas naturas, duas voluntates, duas item actiones, & duplicem agendi vim, vnam diuinam, alteram humanam, subiungit hanc in faciendis miraculis fuisse istius ministram; & quando Christus excitauit à morte filiam Archisynagogi, opus istud fuisse *rem Dei & viri*, id est diuinæ & humanæ naturæ Christi *communem*; sed tamen humanæ, inquantum hæc subministrabat diuinæ: *Tenuit enim*, inquit, *manu puellam manum, eique dixit, puella surge, & tactu & verbo diuina vis agendi puellæ vitam restituit:* & paulò pòst ita scribit, *In Domino nostro Iesu Christo vtraque natura ea quæ ad se propriè pertinent exequitur, altera adiutrice & socia, cùm interim nec vna duæ sint, nec duarum sit vna effectio & officium: sed humanæ eius naturæ sua sponte obedire diuino imperio & voluntati, suaque voluntate manum porrigere, & puellam tangere iussu & imperio diuinitatis, quæ puellam tactu excitabat.* In quibus testimoniis ponderanda sunt hæc verba de humanitate Christi tunc ad istud miraculum concurrentis *tactu & verbo, diuina vis agendi puellæ vitam restituit:* item, *altera adiutrice & socia exequitur:* quæ exprimunt potentiam diuinuatis Christi ita fuisse operatam efficienter (est enim omnipotentia Dei principium agendi ad extra in genere causæ efficientis) vt tamen vteretur humanitate Christi, tanquam instrumento etiam reali & physico; hoc enim sonat ista loquendi formula, *tactu & verbo excitabat, vitam puellæ restituit.* Quare cùm paulò pòst ait humanæ actionis finem in *libera manus dilatatione & tactu* fuisse positum; diuinæ autem *in puellæ excitatione*, sensus eius non est, quòd humanitas Christi concurrerit solùm ad extensionem manus, & ad tactum puellæ: sola verò diuinæ naturæ Christi potentia excitauerit à mortuis hanc puellam; aliàs enim falsò dixisset humanitatem Christi Domini fuisse ibi *sociam & adiutricem*, item *suo tactu & verbo excitasse puellam*: sed sensus eius est, quòd principalis efficientia huius operis miraculosi, est solius potentiæ diuinitatis Christi Domini, instrumentalis verò sit humanitatis eius, ratione realis contactus, quo Christus Dominus apprehendit manum puellæ: quia verò diuinitas in isto opere & aliis similibus fa-

III.

IV.

A ciendis, potiores partes sibi vendicat, sanctus Damascenus sibi & aliis sancti Patres censent illa potiùs diuinitati Christi Domini, quàm eius humanitati esse tribuenda. V.

ARTICVLVS VIII.

Soluitur secundum fundamentum huius sententiæ.

SECVNDVM fundamentum est: quòd quantum spectat ad hanc causalitatem, eadem est ratio vnius, vel alterius miraculorum Christi Domini ac aliorum: sed Christus Dominus multa fecit miracula, ad quæ eius humanitas non potest intelligi concurrisse physicè, sed tantùm moraliter: verbi gratiâ, quando resuscitauit Lazarum, quia nullum habuit contactum ad eius animam, cùm illam euocauerit è Lymbo Patrum, B VI.
vel ex aliquo alio longinquo loco ei specialiter deputato: similiter quando sanauit absentem puerum Centurionis, apud sanctum Matthæum octauo capite; filium Reguli apud S. Ioannem capite quarto: item quando S. Marcus. & sancti Lucæ 4. eiicit dæmones, illos compescuit, ne loquerentur: hæc enim omnia intelliguntur rectè fieri solo imperio: item quando fecit vt sanctus Petrus ambularet supra mare; est enim istud factum subsistit actione concursus diuini, ne partes aquæ, quibus sanctus Petrus sustinebatur diffluerent; quæ subtractio concursus non potest intelligi facta per aliquam efficientiam physicam humanitatis, cùm sit tantùm mera quædam negatio.

Respondetur imprimis, Maiorem eius absolutè & simpliciter esse falsam. Primò, quia quando varij & distincti effectus pendent in suo fieri à causa libera, & plures modi dantur producendi illos, tunc non est necesse causam eos omnes pari modo producere, sed pro sua libertate potest hunc hoc speciali modo, & alium alio distincto modo efficere; aliàs desineret illos liberè producere, saltem quoad modum. Sed Christus Dominus ita liberè operabatur miracula, vt hæc duobus modis possent ab eius humanitate in sua productione pendere, nimirùm, vel tanquam à *physico & reali instrumento* suæ diuinitatis, vt ostendimus, vel etiam duntaxat *morali*, quemadmodum authores prioris sententiæ admittunt; quare Christus Dominus potuit vnum, vel plura ex illis facere, suâ humanitate tantùm moraliter concurrente: exempli gratiâ, quando sanauit puerum Centurionis absentem, similiter & filium Reguli: aliud verò, vel plura per concursum physicum suæ humanitatis: exempli causâ, D VIII.
quando sanauit socrum sancti Petri: item Hæmoroissam & plures alios. An verò humanitas Christi Domini ad hoc vel istud in particulari concurrerit tantùm moraliter, est quæstio facti, de qua certum iudicium ferri non potest, nisi provt Euangelium miracula, & eorum circunstantias referens nobis subindicat, quemadmodum in exemplis in confirmationem nostræ propositionis allatis significat humanitatem Christi Domini physicè ad illa concurrisse.

Secundo loco eadem Maior huius fundamenti sumpta simpliciter & absolutè est falsa, eo quòd modus producendi rem aliquam debet respondere conditioni eius, & instrumenti per quod illa dicitur produci: quare si opus miraculosum consistat in aliqua priuatione, putà in

I. excæcatione, quale fecit sanctus Paulus, quando Actuum decimo-tertio cap. excæcauit quendam Magum ad tempus, quia priuatio sumpta formaliter, propriè loquendo, non habet causam sui efficientem, non est necesse instrumentum, quo tale miraculum perficitur, eius productionem physicè attingere, sed potest suo morali cõcursu illud obtinere. Similiter si instrumentalis causa operis miraculosi non habeat realem & positiuam entitatem reali existentiâ existentem, tunc talis causa aget duntaxat moraliter: sic vmbra sancti Petri, quæ sumpta formaliter nihil est aliud, quàm quædam priuatio, sanabat infirmos, quos illa obumbrabat, Actuum capite quinto: & ita non est necesse omnia & singula opera miraculosa fuisse eodem instrumentali modo facta ab eius humanitate.

II. Ad singulas partes minoris eiusdem fundamenti respondetur: ad id quod affertur de contactu requisito inter agens physicum, & eius patiens, respondetur, illum non esse essentialiter requisitum in causa instrumentali omnipotentiæ diuinæ, sed esse meram conditionem, quam Deus, saluâ remanente physicâ causalitate instrumenti, potest vbi & quando voluerit supplere, vt fusiùs explicabitur infrà, agendo de efficientia Sacramentorum nouæ Legis.

Ad id quod obiicitur de compressione, & eiectione dæmonum à corporibus, & eorum detrusione ad inferos, vel alia receptacula, respondetur, humanitatem Christi Domini, vt causam instrumentalem diuinitatis, potuisse illis aliquem motum imprimere, ratione cuius etiam coactè mutarent locum, cùm ex communiori Theologorum doctrina, quam Suarez fusè tradit lib. 4. de Angelis cap. 28. Angelus superior possit etiam
III. naturaliter Angelum sibi inferiorem & renitentem mouere à suo loco in alium: similiter Deum potuisse vti humanitate Christi Domini, tanquam instrumento ad euocandum animam Lazari & aliorum, quos Christus suscitabat, ab iis locis, in quibus separatæ detinebantur ad internum spatium proprij corporis in sepulchro iacentis, quia totum illud spectat solummodò ad efficientiam extrinsecam, non vitalem, quam Deus enti creato tanquam suo instrumento potest communicare.

Quòd autem ibi dicitur, *Christum Dominum fecisse ambulare sanctum Petrum supra mare, sola diuini concursus subtractione per eius imperium facta, ne partes aquæ effluerent quæ sanctum Petrum sustinebant*: sicque cùm illud consistat in sola negatione, non fuisse opus humanitatem
IV. Christi Domini tunc physicè agere. Respondetur, illud simpliciter dictum esse falsum: etenim ad hoc vt aliquod corpus graue positum super aquas non submergatur ab illis, non est satis impedire ne partes aquæ quantumuis magnæ diffluant, sed præterea opus est aliquo alio positiuo dante aquis vim sustentandi corpus graue. Nam si in aliquo vase admodum grandi aqua ponatur in tanta quantitate, in quanta potest poni, si tamen graue quoddam corpus proiiciatur in illud, nec aliquo alio adiuuetur, breui submergetur: ergo in tali miraculo fuit opus non tantùm impedire ne partes aquæ diffluerent, sed & vt comprimerentur, & compressæ aliquam reciperent soliditatem, ratione cuius possent sustinere corpus sancti Petri, quod cùm sit aliquid positiuum pertinens ad efficientiam purè extrinsecam, humanitas Christi Domini à diuina eius natura potuit vt instrumentum ad id faciendum assumi. V.

ARTICVLVS IX.

Soluitur tertium fundamentum contrariæ sententiæ.

TERTIVM fundamentum est. Sancti eodem modo operabantur miracula, quo Christi Domini humanitas, similiter & nunc eorum reliquiæ: at Sancti non operabantur illa physicè, sed moraliter tantùm, vt patet de vmbra sancti Petri Actuum quinto; item ex eo quòd intercessione illa obtinerent à Deo.

Respondetur primò, sanctum Augustinum suprà agnoscere Sanctos potuisse, vt instrumenta physica diuinæ potentiæ facere miracula: an autem illa sic de facto sint operati, est quæstio facti, cuius solutio pendet ex illorum circumstantiis. Deinde responderi potest Sanctos, vbi miracula consistebant in aliquo positiuè efficiendo, & conditiones ad agendum physicè sufficientes reperiebantur, fuisse operatos physicè miracula. Vnde loco Actuum superiùs citato, ita ad vmbram S. Petri ægrotantes sanantur, vt quia S. Petrus ibi realiter, verè & corporaliter erat præsens; ideò sanitas istis ægris physicè, instrumentaliter tamen efficeretur ab eius corpore, & ab eius vmbra, tanquam aliquâ conditione ad eos sic curandum ex gratuita Dei volùtate requisita, vt Deus adimpleret istud à Christo promissum Apostolis cap. 1. S. Ioannis, *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet*: quemadmodum S. Chrysostomus animaduertit homiliâ 12. in Acta Apostolorum, & S. Augustinus tractatu 72. in sanctum Ioannem: & idem S. Augustinus indicat, dum sermone 29. de Sanctis, agens de hoc miraculo S. Petri, tribuit illud obumbrationi corporis S. Petri; obumbratio autem formaliter dicit corpus realiter præsens, & suâ reali præsentiâ obscurans aliud, seu impediens ne videatur: sic enim scribit, *Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertransiuntis, quanto magis gratia nunc permanentis, & si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis cathena vincientis. Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis, quantò plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis?* B VI. C VII.

Ad id quod ibi additur de orationibus, quas Sancti præmittebant miraculis faciendis, respondetur, illas non magis ostendere eos in eiusmodi
VIII. D miraculis faciendis esse causas tantùm morales, quàm orationes illæ, quas iuxta ritum Ecclesiæ Sacerdotes præmittunt conficiendis nouæ Legis Sacramentis, euincunt verba cõsecratoria quibus perficiuntur non agere ex opere operato, sed duntaxat ex opere, seu deuotione operantis; & proinde sicut illæ orationes præmissæ compatiuntur hoc secundum, & præmittuntur ad implorandam specialem Dei assistentiam ministro Sacramentorum pro illis dignè & debitè conficiendis: ita etiam & orationes Sanctorum miraculis faciendis præmissæ facilè compatientur modum concurrendi physicè, instrumentaliter tamen ad ista opera; & cùm solus Christus, vt disputatione præcedenti, articulo quarto notauimus, habuerit hanc potestatem per modum habitus, quatenus vtebatur illâ vbi & quotiescun-

I. que volebat; Sancti verò minimè, sed vbi tantùm ad id excitabantur speciali quadam motione Dei: ideò fuit conueniens eos miraculis faciendis sæpè orationem ad Deum præmittere.

ARTICVLVS VLTIMVS.

Fundamentum quartum huius sententiæ soluitur.

QVARTVM fundamentum est, quòd concursus iste physicus in patrandis miraculis non faciat ad dignitatem Christi Domini, quin potiùs magis deprimit omnipotentiam Dei, quàm illam extollat: econtrà moralis efficientia extollit humanitatem Christi Domini: & quòd non faciat ad dignitatem patet; nam quæ dignitas, aut admiranda virtus esset in Christo Domino efficere quidem valdè admirabilia, sed sic vt II. musca potuisset eadem æquè perfectè producere? at in sententia opposita humanitas Christi Domini ea facit moraliter virtute verè admirandâ, quatenùs infinitè digna, ratione vnionis hypostaticæ, suâ dignitate Deum mouet per modum meriti condigni, seu impetrationis ad illa physicè patranda: deprimitur etiam omnipotentia Dei, quia sic creaturis etiam quantumlibet vilissimis, quædam obedientialis omnipotentia conceditur: atque ita Deus nihil potest producere, quod musca (si modò illam excipias) non possit etiam physicè producere: quod videtur absurdum.

Respondetur, negando hanc efficientiam non facere ad dignitatem Christi: contrarium enim patet ex dictis hac disputatione, articulo sexto, nec magis deprimit omnipotentiam Dei in isto III. supernaturali ordine, quàm instrumentales causæ physicæ, quibus intra ordinem naturæ Deus vtitur in producendis effectibus naturalibus, potentiam eius naturalem deprimant, quin potiùs extollit, cùm talis eleuatio instrumentorum sit quædam summæ suæ potentiæ communicatio facta creaturis, in quibus eius attributa relucent: & quia efficientia physica in ratione causalitatis est perfectior (vtpote quæ seipsâ immediatè, & non mediante alio, quem excitet ad agendum, sicut facit moralis, attingit effectum) & rectè potest humanitati Christi Domini conuenire, vt ostendimus: idèò illius communicatio facit ad dignitatem Christi Domini.

Neque facit in contrarium quod de musca obiicitur; nam si motiuum ex quo Deus voluit hanc vim agendi communicare humanitati Christi D. perpendamus, & modū quo Christus IV. D. illam reducebat ad actum, cōsideremus, nemo est qui illam admirandam non iudicet: nam motiuum non fuit sola manifestatio diuinæ omnipotentiæ, sed & vnio hypostatica humanitati communicata, cui Deus hanc virtutem ad instar moralis cuiusdam proprietatis dedit: modus verò fuit illâ vti *ad instar habitus, vbi & quando vellet*: licèt Deus possit hanc virtutem instrumentalem communicare muscæ, & efficacia hæc in illa, vt speciali instrumento Dei, arguat aliquam perfectionem, motiuum tamen ex quo concederetur, non repeteretur ex aliqua perfectione, quę insit, vel inesset muscæ, sed tantùm ex eo quòd Deus vellet nobis manifestare suam omnipotentiam, nec talis virtus faciendi miracula subesset libertati muscæ, cùm hæc sit istius incapax, eum qua tamen vtraque perfectione est communicata Christo vt homini: ergo licèt efficientia physica possit communicari muscæ, animali irrationali, imò & alicui alteri enti cuiuslibet vitæ incapaci, non propterea tamen communicata humanitati Christi Domini desinet ad eius dignitatem & perfectionem facere. V.

AD QVÆSTIONEM XIV.

DISPVTATIO VNICA.

De defectibus corporis à Filio Dei assumptis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm corporales defectus consequentes totam naturam humanam, fuerint in Christo. VI.

NOTANDVM primò, corporales defectus, seu qui de se conueniunt corpori, & non per animam, aut potentias eius appetitiuas & cognoscitiuas esse in duplici differentia: alij enim consequuntur totam naturam, vt sunt mors, fames, sitis: alij verò consequuntur tantùm causas quasdam particulares, sūtque tantùm in aliquibus hominibus, vt sunt lepra, morbus, & alia id genus: hoc articulo agimus tantùm de prioribus.

Sanctus Damascenus libro 3. de fide orthodoxa capite 28. refert fuisse hæresim Iuliani & Gaiani, corpus Christi non fuisse verè & propriè C VII. passibile, & cum sensu doloris vulnerabile: quod etiam teste Nicephoro libro 17. historiæ capite 29. Seueriani docuerunt: ex eodem Nicephoro Iustinianus Imperator aliquando stabiliuit hanc hæresim suo decreto, vt est apud Euagrium libro quarto historiæ Ecclesiasticæ capite 19. quod tamen non fuit promulgatum, eo quòd morte præuentus fuerit, vt ibidem capite 30. notat Euagrius: cui hæresi & Iustiniano hac in parte, inter cæteros Anastasius Antiochenus Episcopus fortiter restitit, & Monachos maioris & minoris Syriæ in vera fide de passibilitate corporis Christi, & aliis defectibus, de quibus hîc agimus, confirmauit, vt ibidem Euagrius refert.

Verùm contra hanc hæresim sit hæc nostra propositio: *Filius Dei assumendo corpus humanum, simul etiam assumpsit omnes illos eius defectus, qui sunt communes toti humanæ naturæ*, id D VIII. est, assumpsit corpus, quod esset subiectum fami, siti, æstui, frigori, dolori, morti, & id genus aliis, itavt hæc reipsâ perceperit. Propositio est de fide: antequam verò probetur notandum est ex S. Damasceno suprà, *duplicem distingui corruptionem*, vnam consistentem in enumeratis passionibus; alteram quam ipse vocat διαλυσιν, consistentem in resolutione corporis in elementa per putrefactionem. Nostra propositio intelligitur tantùm de priori, nam corpus Christi fuit de facto incorruptibile, secundùm posteriorem corruptionem, iuxta illud Psalmistæ Psal. 15. de illo, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quod etiam docet traditio Patrum, vt ibidem S. Damascenus animaduertit. Hoc præmisso,

I. Propositio probatur primò ex sacris Litteris, Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit*: vbi hæc particula *(verè)* est notanda, nam opponitur isti *(phantasticè)* & idem sonat ac *de facto*, & *in reipsa*: neque locus iste potest sic intelligi, quòd nos tantummodò liberauerit à doloribus, nullum tamen in seipso receperit: nam præterquam quòd hæc particula reipuit talem interpretationem, verba hæc statim sequentia, *& nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum*, demonstrant illud. Probatur item ex capite quarto Matthæi, vbi de eo dicitur, *Cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postèà esuriit.* Sancti Ioannis quarto, *Fatigatus ex itinere sedebat supra fontem.* Ad Philippenses secundo, *Factus est obediens vsque ad mortem.* Ad Hebræos secundo, *Christum per omnia debuit fratribus assimilari.*

II. Probatur secundò ex Conciliis: Ephesino in Anathematismo duodecimo: Chalcedonensi actione quintâ: Lateranensi sub Martino primo, consultatione quintâ, Canone quarto, nostram propositionem definientibus. Probatur tertiò ex Patribus, dum prædicta testimonia superiùs relata pro nostra propositione explicant, & ex illa communi doctrina Conciliorum & Patrum fundata in Apostolo, quòd Christus per omnia nobis similis fuerit, excepto peccato, & ignorantiâ: quia scilicet his exceptis, nulla conditio, vel proprietas nostræ naturæ illi defuit.

III. Probatur quartò rationibus: Prima: ad dolorem sensibilem requiritur læsio corporis. id est diuisio continui, & ipse sensus læsionis, id est sensitiua cognitio & perceptio illius: atqui totum istud fuit in Christo; læsio quidem, quando, exempli causâ, fuit flagellatus, affixus cruci, & manus & pedes eius perforati: fuit etiam sensitiua cognitio & perceptio læsionis, vt patet ex illis eius verbis apud Hieremiam Threnorum capite decimo, *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut*, &c. Quæ verba Patres communiter explicant de Christo patiente. Deinde corpus Christi debuit habere conditiones conuenientes fini & modo, quo erat nos redempturus: atqui Christus erat nos redempturus per passionem & mortem: Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longeuum*, & ibidem, *Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & saturabitur*: & ibidem, *Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam*: ergo corpus Christi debuit esse passibile, mortale, & subiectum iis defectibus corporis, quæ totam naturam humanam sequuntur.

IV. Tertiò, Christus debuit habere corpus eo modo quo esset nobis exemplo pro exequendis actibus virtutum humilitatis, obedientiæ & patientiæ; nam datus est nobis in pastorem & doctorem, non tantùm verbo, sed exemplo: vnde Apostoli passim exhortantur nos, vt sequamur eius vestigia: atqui modus ille conuenientissimus est, quòd eius corpus esset passibile, & subiectum illis defectibus corporis, qui sequuntur totam naturam humanam: sic enim ad Philippenses secundo ait Apostolus, *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Ad Hebræos capite 12. *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersùs semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Sic S. Petrus cap. 2. primæ suæ epistolæ Canonicæ, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Igitur corpus Christi debuit esse mortale, & subiectum communibus iis defectibus, quibus nostra corpora subiiciuntur.

V. Addidi huic vtrique rationi has particulas, *conuenientes fini & modo, quo erat nos redempturus, item vt esset nobis exemplo patientiæ*: nam si tantùm habeatur ratio finis huius mysterij secundùm se & suam substantiam considerati, qui est satisfacere pro nobis, & nos redimere; ex suppositione talis finis simpliciter considerati non fuit necessarium corpus Christi habere istos defectus corporis, quemadmodum Durandus tertio sententiarum distinctione vigesima-tertiâ, quæstione primâ existimat: nam vnico actu charitatis à se adhuc viatore exercito, & ad nostram omnium redemptionem ordinato, potuit redimere genus humanum, & ad rigorem iuris pro eo satisfacere, vt intelligitur ex iis quæ ad quæstionem primam diximus de valore & efficacia meritorum eius: atqui Christus existens in corpore immortali & impassibili potuisset habere talem actum, sicut & primi parentes potuissent elicere actus meritorios, si perseueraissent in statu innocentiæ: similiter Christus potuisset exercere actus humilitatis & obedientiæ, imò & per actus doloris & tristitiæ in sola anima conceptos, absque vlla pœna corporali satisfacere pro quibuslibet nostris peccatis. Pari modo isti defectus non fuerunt necessarij in Christo, absolutè loquendo, vt ostenderet veritatem sui corporis; poterat enim aliter eam probare, sicut probauit post resurrectionem, quando corpus eius erat impassibile: & ideò præcedentes particulas adhibuimus nostris rationibus, quæ etiam supponit Apostolus ad Hebræos capite secundo, VII. dum ex eo quòd sumus mortales & subiecti infirmitatibus corporis, infert & Christum debuisse participare istis infirmitatibus: *Quia ergo*, inquit, *pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit iisdem, vt per mortem destrueret eum qui habet mortis imperium*: id est, quia homines sumus mortales, & subiecti infirmitatibus corporis, Christus etiam ipse habuit corpus mortale subiectum isidem infirmitatibus: hæc enim nomina *(caro, sanguis)* significare humanam naturam, vt mortalem & obnoxiam aliis communibus miseriis, patet sancti Matthæi 16. *Caro & sanguis non reuelauit tibi*: id est nullus mortalium.

VIII. Ex his sequitur, corpus Christi ex sua *conditione purè naturali* fuisse ex *intrinseca necessitate* subiectum morti, itaut Christus aliquando esset moriturus. Probatur. Corpus Christi fuit eiusdem planè rationis ac sunt nostra corpora, constans quatuor elementis, & indigens alimento: sed nostra corpora, prout sunt in hoc statu, & habent defectus istos corporales, sunt ex sua naturali conditione subiecta morti, & separationi à suis animabus. Deinde vnumquodque viuens corporeum ex naturali compositione ita habet humidum radicale dispositum, vt vi naturalis caloris primæuæ partes illius paulatim consumantur, nec potest viâ tantùm naturali ita per alimentum reparari, quin aliquid detrimenti semper patiatur, quatenùs alimentum habet aliquas qualitates humido radicali aliquo modo contrarias, quæ ei etiam in substantiam alitri transmutato, adhuc aliquâ ratione

I. adhærent : sed Christus defectibus toti humanæ naturæ communibus adhuc obnoxius habebat humidum radicale, quod alimento ex naturali necessitate requisito reparabat, vt patet ex eo quòd *esuriit, sitiuit*, locis sacræ Scripturæ citatis; & humidum eius radicale, item calor eius naturalis, similiter cibus & potus quos sumebat, & alia id genus, erant eiusdem generis & conditionis cum iis omnibus, quæ sunt in nobis, & apud nos in vsu; quia sæpè manducabat & bibebat cum aliis hominibus, vt patet ex Euangelio passim : igitur corpus Christi ex sua conditione purè naturali fuit ex intrinseca necessitate ita subiectum morti, vt tandem Christus esset aliquando moriturus.

Articvlvs II.

II. ### *Soluuntur fundamenta hæresis articulo primo relata.*

PRIMVM est, authoritas sancti Hilarij libro decimo de Trinitate ante medium, expresè inter alia dicentis, *Virtutem corporis Christi sine sensu pœnæ, vim pœnæ in se sentientis excepisse, & cruciatus ac tormenta attulisse quidem ipsi impetum, non tamen intulisse illi dolorem passionis.* Item in Psalmum 68. ad hunc versiculum, *Saluum me fac Deus :* & ad eumversiculum, *In siti mea potauerunt me aceto :* & in Psalmum 138.

Respondetur ad hanc authoritatem sancti Hilarij, carnem Christi posse considerari duobus modis : Primo, *secundùm se, & iuxta nudam & simplicem conditionem suorum naturalium.* Secundo, *vt est vnita Verbo & anima iam fruenti visione beatificâ.* Deinde hanc carnem Christi hoc posteriori modo sumptam posse adhuc considerari duobus modis in ordine ad dolorem sensibilem, & alios eiusmodi corporales defectus : Primo, itavt stante hac vtraque vnione sui cum Verbo & anima, *vt beata, habuerit necessitatem patiendi in se eiusmodi dolorem, & alios defectus similes.* Secundo, *vt non habuerit quidem necessitatem illos patiendi, eos tamen non desierit habere ex illorum susceptione sibi aliquo modo libera.* Sanctus Hilarius istis locis non loquitur de carne Christi primo illo modo, sed tantùm secundo, scilicet provt habet prædictam vtramque vnionem, & hoc adhuc tantùm intelligit iuxta primum illum modum secundæ distinctionis, scilicet Christum ita verè & propriè admisisse in seipso dolorem sensibilem, & alios eiusmodi corporales defectus, vt tamen eos non habuerit ex aliqua necessitate absoluta, sed tantummodò ex aliqua sua libertate, quatenùs non tantùm Verbum illi hypostaticè vnitum esset in seipso impassibile, sed & ipsa eius caro, vt vnita animæ beatæ, foret etiam impassibilis, si ipse voluisset, itavt flagella & cæteræ impressiones externæ non possent ei dolorem excitare, nisi illas voluntariè admitteret propter conditionem illius status, & vt nos redimeret, cùm absolutè loquendo posset impedire dolorem, scilicet vt à beatitudine suæ animæ impassibilitas (quæ est vna ex dotibus corporis gloriosi) dimanaret ad suum corpus, quomodo S. Thomas sequenti quæstione, articulo quinto explicat sanctum Hilarium.

Atque hunc tantùm fuisse eius sensum patet ex illis eius verbis citatâ enarratione in Psalmum 68. in initio, *Vniuersarum itaque humanarum*

III.

IV.

A *passionum sorte perfunctus, secundùm susceptas infirmitates nostras loquitur, & dolet ipse quidem extra necessitatem & timoris positus & doloris, sed his se tamen quæ suscepit accommodans :* In quo testimonio sancti Hilarij istæ particulæ sunt obseruandæ, *vniuersarum humanarum passionum sorte perfunctus dolet :* nam exprimunt istos defectus secundùm rei veritatem fuisse in Christo. V.

Deinde istæ particulæ notandæ sunt, *extra necessitatem & timoris & doloris positus.* Item, *secundùm susceptas infirmitates :* exprimunt enim istos defectus non fuisse in corpore Christi, *ex absoluta aliqua necessitate :* sed *ex aliqua susceptione illi voluntaria & libera :* & ibidem ad illum versiculum, *Quoniam propter te sustinui improperium :* ita ait, *Non fuit ergo in vnigenito Deo naturalis* (id est necessario) *infirmitas,* B *sed assumpta, quia propter Deum hæc improperia susceperit passionum.* VI. Vnde citato loco libri decimi de Trinitate, ex eo quòd Christus procedens obuiam Iudæis venientibus eum capere, eos in terram prostrauit : item ex eo quòd autem Malcho abscissam restituerit, ostendit illum potuisse efficere vt non doleret, nec in seipso vulnus admitteret : sic enim scribit, *Qui ergo fide naturaliter* (id est ex necessitate) *infirmus fuisse defenditur, cui naturale fuit* (id est proprium & conueniens) *omnem humanarum infirmitatum inhibere naturam.* Ex quo testimonio intelligitur eum ibi & aliis locis similibus refellere eos, qui asserebant Christum ex infirmitate, & non liberè in seipso admisisse prædictas eiusmodi incommoditates.

C Atque hæc solutio confirmatur ex eo quòd sanctus Hieronymus in epistola ad Lætam de institutione suæ filiæ, vbi monuit illam sibi cauere à lectione librorum apocryphorum, statim subiungit, *Athanasij epistolas, & Hilarij libros inoffenso decurrat pede, illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillet.* VII. Quod sanctus Hieronymus vir alioquin eruditissimus, & in lectione sancti Hilarij versatissimus non diceret, si verba ipsius tam crassum errorem continerent, quemadmodum illi affingit obiectio; sed pro iis legendis eam adhiberet cautionem, quam pro nonnullis aliis, ita statim subiiciens, *Cæteros sic legat, vt magis iudicet, quàm sequatur.* Quod tamen non facit : etsi sanctus Hilarius studiosè legatur, reperietur ibi tantùm disputare contra eos qui asserebant Christum ex aliquo metu, infirmitate, & necessitate doluisse, istosque defectus in seipso esse expertum ex tali imperfectione : non autem contra eos qui asserebant Christum istos quidem defectus verè & propriè habuisse, ita tamen vt posset eos impedire, si voluisset. Vnde non satis dignè de sancto Hilario censet Claudianus Mamertus Viennensis Episcopus, dum libro suo secundo de statu animæ capite decimo existimat eum fuisse in eo errore, quem hic refellimus, quémque posteà expiarit : id enim non fuisset à sancto Hieronymo omissum ibi : sed potest dici, quòd vbi sanctus Hilarius vidit hæc sua verba à nonnullis accipi in sensu erroneo, seipsum posteà alibi clariùs explicauerit. Quo sensu intelligendi sunt sanctus Thomas in quæstionibus disputatis de veritate quæstione vigesima-sextâ, articulo octauo in solutione ad secundum, dum ex sententia aliquorum ait eum retractasse hanc

D VIII.

opi-

I. opinionem: & sanctus Bonauentura tertio sententiarum distinctione vigesima-sextâ, articulo primo, quæstione primâ: & dum refert Guillelmum Parisiensem legisse librum sancti Hilarij, in quo id retractat: & sanctus Clemens Alexandrinus libro sexto Stromatum, vbi videtur negare Christum verè esuriisse, & sitiisse, est explicandus eo modo, quo cum sancto Thoma sanctum Hilarium exposuimus; nam tantùm vult Christum potuisse hæc à seipso depellere, cùm istos defectus non ex necessitate, sed ex aliqua tantùm libertate assumpserit.

Secundum fundamentum est: videri maximè indecorum Verbum diuinum pati & dolere, etiam in natura à se assumpta. Respondetur, defectus istos non fuisse indecentes Verbo, vt naturæ humanæ vnito, quia semper mansit in seipso impassibile, & ambæ naturæ, humana scilicet & diuina, II. sunt & semper fuerunt impermixtæ. Vnde passio facta in humana natura nullo modo immutat personalitatem Verbi, vel naturam diuinam, cùm talis mutatio tota terminetur in humana natura: & sicut non dedecet Verbum, quòd sit *factum caro*, ita neque dedecet illud, quòd naturales eius proprietates, vel communes defectus illam consequentes, secundùm nuda & pura sua naturalia spectatam, cuiusmodi sunt illi, de quibus hic agimus, etiam assumpserit.

Tertium fundamentum. Isti defectus sunt quædam pœnæ peccati, vnde vocantur pœnalitates: at Christus nullum habuit peccatum. Respondetur ex sancto Thoma primâ secundæ quæstione octogesima-quintâ, articulo quinto, hos defectus esse pœnam peccati *tantùm per accidens*, III. quatenùs si primus parens perseuerasset in iustitia originali, fuisset immunis & nos cum eo ab his defectibus: at si natura humana spectetur *secundùm pura naturalia*, tunc hi defectus non habent rationem pœnæ, quia naturaliter illam sequuntur, & ex propria sua conditione: vnde cùm in Christo nullum vnquam fuerit peccatum, etiam originale, vel debitum incurrendi illud, defectus illi nullo modo habent ratione alicuius pœnæ comparatione illius.

Quartum fundamentum. Christus fuit beatus à primo instanti suæ conceptionis: at isti defectus opponuntur beatitudini. Respondetur, Christum fuisse beatum à primo instanti suæ conceptionis, nec vnquam à tali beatitudine defeciisse: negatur tamen inde sequi eum non habuisse hos defectus, quia factum est ex aliqua dispensatione, vt tempore mortalis eius vitæ beatitudo animæ eius non redundaret in IV. corpus eius, nec redderet illud impassibile, vt per eius passionem & mortem mysterium nostræ redemptionis perageret.

ARTICVLVS III.

Verùm Christus assumpserit pœnas Purgatorij, vel etiam inferni.

CALVINVS libro tertio Institutionum suarum capite decimo-sexto, sectione decimâ, & sequentibus; item in sua harmonia Euangelica ad caput vigesimum-septimum Euangelij sancti Matthæi, vult Filium Dei ita assumpsisse defectus omnes consequentes totam naturam humanam, vt etiam assumpserit pœnas damnatorum. Verùm, contra hanc hæresim sit hæc no- A stra propositio: non fuit conueniens Christum assumere pœnas Purgatorij, vel etiam inferni. V.

Probatur primò de pœnis inferni: pœnæ propriæ iis quos Deus habet sibi aduersos, & quos Christus vocat maledictos, quique habent aliquod consortium cum dæmonibus, non decent animam Christi, quæ fuit sanctissima, & Deo quàm gratissima: sed pœnæ inferni sunt propriæ damnatis, Deo in perpetuum aduersis, & est sententia Dei maledicti: igitur non fuit decens Christum assumere pœnas inferni.

Secundò. pœnæ illæ multa horrenda sibi habent annexa, vt blasphemiam in Deum, & desperationem, atque alia his similia: sed hæc non potuerunt habere locum in anima Christi, cùm in eâ nullum peccatum, vel leuissimum potuerit esse, vt docebitur sequenti quæstione: igitur nullo modo Christus Dominus assumpsit pœnas inferni. B VI.

Tertiò, non fuit conueniens ad satisfaciendum pro nobis Christum assumere pœnas inuoluntarias ex parte satisfacientis, & quæ ex parte iudicis totæ sunt ad vindictam, absque vlla spe redeundi in gratiam; satisfactio enim debet esse voluntaria, etiam dum fit, & cum spe reconciliandi personam offensam: atqui pœnæ damnatorum sunt illis omninò inuoluntariæ, infliguntur illis à Deo omnimodè & simpliciter in vindictam peccatorum, absque vlla spe reconciliationis cum Deo: igitur nullo modo fuit conueniens Christum assumere pœnas inferni, vt nos redimeret.

Tandem pœnæ damnatorum sunt personales, & supponunt peccatum mortale in eo, in quo sunt: at Christus nullum vnquam habuit, vel habere potuit peccatum: igitur non fuit con- C ueniens eum assumere istas pœnas ad satisfaciendum pro nobis. VII.

Atque duæ istæ rationes, provt fundantur in ratione inuoluntarij & propriæ culpæ, idem probant de pœnis Purgatorij; nam illæ sunt inuoluntariæ, & inflictæ pro debitis & delictis personalibus, quæ nulla propriè fuerunt in Christo.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta Caluini.

PRIMVM est: quòd Isaiæ quinquagesimo-tertio Christus vocetur *Vir dolorum*, & dicatur *attritus propter scelera nostra, portasse nostros languores*.

Respondetur, locum illum non intelligi de D pœnis, quas eramus passuri apud inferos pro peccatis, vt intelligitur ex capite octauo sancti Matthæi, vbi ille locus Isaiæ explicatur de Christo & de pœnis, doloribus, & afflictionibus corporis huius vitæ; & Christus hoc sensu dicitur ab Isaia portasse nostros dolores, quatenus pœnas illas corporales in seipso suscepit, & quòd cùm videretur tantos dolores pati pro suis peccatis, eos tamen non pro se, sed pro nobis redimendis sustinuit, vt verba Isaiæ sequentia declarant: *Putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum, ipse autè vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Neque fuit necessarium, vt quod debebamus pati in particulari pro nostris peccatis, Christus sanctiens pro nobis illud in seipso pateretur, sicque pœnas corporales damnatorum apud inferos experiretur in seipso: sed satis fuit, vt VIII.

I. satisfaciens in proprio corpore pro nobis, plus secundùm æstimationem & valorem offerret & redderet Deo, quàm nos ei deberemus, quod præstitit quando acerbissimam mortem pro nobis sustinuit in cruce: satisfactio enim de rigore iuris, ex dictis ad primam quæstionem, postulat tantùm vt æquiualens reddatur: Christus autem pro nobis patiens vocatur ab Isaia, *Vir dolorum*, ob grauitatem pœnarum, quas tunc patiebatur, vt patet ex toto contextu illius loci.

Secundum fundamentum. Ad Hebræos capite 4. Christus dicitur tentatus per omnia. Respondetur, hanc particulam, *omnia*, tantùm intelligi de malis huius vitæ, vt verba hæc immediatè antecedentia declarant: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

II. Tertium fundamentum. Christus Dominus descendit ad inferos, vt profitemur in Symbolo fidei, sed Christum descendisse ad inferos nihil est aliud, quàm eum fuisse passum pœnas damnatorum: ergo Christus Dominus assumpsit pœnas damnatorum.

Respondetur, descensum Christi D. ad inferos esse accipiendum propriè, & non metaphoricè pro pœnis damnatorum perpessis, sed istud non est præsentis loci explicare: breuiter tamen talis eius explicatio conuincitur esse falsa, ex eo quòd in Symbolo fidei quod ipsemet Caluinus ibi admittit, descensus iste ponatur, tanquam articulus omninò distinctus ab aliis, & vt talis sit admittendus etiam ex confessione Caluini citato loco sic dicentis §. 8. *Non est verisimile irrepere potuisse superstuũ eiusmodi pathologiam in compendium hoc, vbi summatim quàm fieri potest, paucissimis verbis præcipua fidei capita notantur:* at in

III. Symbolo ita præmittitur, *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus:* quæ omnia explicant grauissimam passionem, & genus mortis ignominiosissimum quod Christus pertulit pro nobis: vnde ipse Caluinus, ne incidat in eam pathologiam, quam ait esse euitandam, debet agnoscere aliud esse Christum descendisse ad inferos, quod rectè post professam eius sepulturam ponitur, & adhuc eum esse passum pro nobis pœnas acerbissimas, quod ante eius sepulturam profitemur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Filius Dei assumpserit defectus corporales, qui consequuntur causas particulares.

IV. PRIMA propositio: *Filius Dei ho: defectus consequentes causas particulares non assumpsit.* Ita S. Th. hîc, & omnes. Probatur. Ibi tantùm isti defectus reperiuntur, vbi eorum causæ & radices locum habent: sed causæ istorum defectuum non sunt in Christo; sunt enim vel culpa, vel vitium hominis, vel defectus & imbecillitas virtutis formatricis, quæ est in parentibus: nulla autem culpa in Christo, nullum vitium, neque virtus illa, quâ eius corpus est formatum, est imbecillis, aut imperfecta: nam Christus *conceptus est de Spiritu sancto*, secundùm fidem: igitur in eius humanitate isti defectus nullo modo fuerunt, nec proinde Filius Dei illos assumpsit.

Secunda propositio: *Christus habuit corpus humanum optimè temperatum statura & formâ viri pulcherrimum.* Ita Patres communiter, dum illud Psalmi 44. *Speciosus formâ præ filiis homi-*

A *num*, explicant de corpore Christi. Vnde Interpretes sancti Thomæ hîc satis communiter reprehendunt Medinam libro secundo de recta fide in Deum, negantem talem pulchritudinem fuisse in corpore Christi: contra quem probatur primò ex veteri traditione, quam ex Nicephoro libro primo historiæ capite vltimo, & aliis Genebrardus refert suis commentariis in Psalmum 44. ad quartum versiculum, vbi totam Christi figuram, vultum & staturam describit, itavt verè de illo etiam secundùm corpus spectato Psalmista dicat, *Speciosus forma præ filiis hominum.* V.

Probatur rationibus: Prima: quæ Deus fe solo & miraculosè facit semper sunt pulcherrima in suo genere & specie: at totum Christi corpus est formatum à Spiritu sancto, conceptum sine virili semine, ex Symbolo. Secunda: pulchritudo nascitur ex tribus, ex integritate membro-

B rum, ex debita illorum proportione, & perfecta temperie humorum: at ista omnia fuerunt in Christo, vt patet ex descriptione totius eius corporis, quam Genebrardus habet suprà. Quibus non obstat quod Isaiæ quinquagesimo-tertio dicatur de illo: *Non erat ei species, neque decor:* id enim intelligitur de conditione eius corporis pro tempore passionis, quo afflictabatur à ludæis, & eorum satellitibus, vt Patres exponunt ad illum locum: quam explicationem ipsa etiam verba Tertulliani, altioquin contraria libro tertio contra Marcionem capite decimo-tertio, item aduersùs Iudæos capite quadragesimo, item libro de carne Christi capite nono possunt admittere, quia in confirmationem huius rei citat locum Isaiæ nunc à nobis explicatum. VI.

C Tertia propositio. *Christus non habuit corpus subiectum morbis, qui ex ex intemperantia, aut ex aliqua causa culpabili sui subiecti trahant originem.* Probatur: à quo causa abest, & effectus debet abesse: atqui nulla intemperantia, nulla immoderatio, nihil culpabile fuit in Christo: ergo neque morbi illi, qui ab his trahunt originem, potuerunt esse in illo. Addidi hanc particulam (*ex aliqua causa culpabili subiecti*) quia enim sermo sit de morbis illis, qui causantur à causis extrinsecis, verbi gratiâ, à corruptione aëris & aliis similibus, licèt Christus suâ singulari prudentiâ eos euitare potuerit; id tamen non impedit, quin præcisè spectatus, iuxta naturalem conditionem sui corporis fuerit illis obnoxius, si illorum causæ fuissent illi sufficienter admotæ, nec per eius prudentiam, vel

D per aliam viam impeditæ. VII.

ARTICVLVS VI. VIII.

Soluuntur tria dubia.

QVÆRES primò: Si Christus non erat obnoxius morbis, qui ergo ratione fuisset mortuus, si à nullo fuisset occisus, etiam senio sibi adueniente.

Respondetur, in tali hypothesi Christum potuisse mori absque vllo morbo, quia tunc in summa senectute, nullo etiam morbo intereuiente, habuisset sufficientem causam moriendi; nam habere corpus in quo calor natiuus, & humidum radicale possunt sensim deficere; imò in quo paulatim reipsâ deficiunt, est habere causâ moriendi, & quando talis defectus aduenit, mors contingit

I. atqui Christus habebat tale corpus: vt patet ex dictis: ergo vbi peruenisset ad tantum senium. & consumptionem humidi radicalis, fuisset mortuus: neque talis mors propriè fuisset ex morbo, quia morbus propriè dictus importat disconuenientem dispositionem corpori, secundùm hunc statum naturalem, & ætatem illam, quâ tunc illud afficit, itavt aliquis tunc dicatur propriè laborare morbo, quando habet aliquam dispositionem suæ naturæ disconuenientem pro eo statu naturali & ætate, in qua est: at talis consumptio humidi radicalis quæ sensim fit, non est dispositio disconueniens pro statu tantæ senectutis, imò conueniens: igitur talis mors non esset propriè ex aliquo morbo.

Quæres secundò: cùm sexus fœmineus vtplurimùm dicat aliquem defectum satis communem naturæ humanæ, & mulier dicatur à Philo-
II. sophis prouenire ex aliqua debilitate seminis: quare non decuerit Verbum assumere sexum fœmineum, potiùs quàm virilem, præsertim cùm ordo reparationis debeat modo opposito respondere lapsui: nostra autem ruina cœperit à muliere, & Deus assumpserit humanam naturam potiùs quàm Angelicam, vt suâ infirmitate vincendo, potentia eius magis reluceret in superando dæmones, nec semper mulier nascatur ex debilitate seminis, sed etiam aliquando ex singulari ordinatione Dei ad bonum vniuersi & eius ornamentum.

Respondetur, fuisse conuenientius Verbum assumere sexum virilem: tum quia Verbum diuinum veniebat præsidere in carne assumpta, cùm deberet habere singulare quoddam dominium,
III. & eximiam potestatem excellentiæ in res omnes: tum etiam influere in Angelos & homines: at conuenientius est virum præsidere, item agere & influere in omnes homines, quàm mulierem: vir enim præficitur mulieri tanquam caput corpori 1. Corinth. 11. & mulieri magis conuenit pati, quàm agere: igitur magis decuit Verbum assumere sexum virilem, quàm fœmineum.

Nec congruentiæ allatæ in cótrarium obstant: non prima, ita enim nostra ruina cœpit in sexu muliebri, vt tamen sit consummata in sexu virili, & quia nostra reparatio fuit consummata per naturam assumptam, hinc etiam secundùm rectam correspondétiam magis decuit Filium Dei assumere sexum masculinum, quàm fœmineum. Secunda item congruentia non obstat, nam ita decuit Verbum incarnatum vincere per fragilitatem & patientiam naturæ, vt tamen etiam vinceret per virtutem, illâmque ostenderet: at cæteris paribus sexus virilis est aptior ad patiendum
IV. & simul ostendendum virtutem, quàm sexus fœmineus: igitur fuit etiam conuenientius Verbum incarnandum assumere virilem sexum, quàm fœmineum.

Quæres vltimò, an defectus illi corporales, qui fuerunt in Christo, fuerint illi voluntarij, an inuoluntarij. Respondetur, nos posse comparare istos defectus: Primò, cum naturali appetitu Christi spectato secundùm se, & suam naturalem conditionem. Deinde nos posse illos comparare cum Verbo, vt incarnando. Tertiò, cum Christi voluntate vt vnita Verbo. Quartò, cum eadem voluntate Christi, vt beata & habente fruitionem diuinæ essentiæ. Si prædicti defectus considerentur primo modo, respondetur eos fuisse violentos, quia sic erant contra naturalem appetitum & inclinationem partis sensitiuæ, quemadmodum patet ex iis quæ gesta sunt in horto, instante horâ passionis: vnde Christus sic præcisè spectatus subiacebat necessariò istis defectibus. Quòd si defectus isti considerentur tribus posterioribus modis, respondetur eos fuisse voluntarios & liberos. Primo quidem modo, quia non fuit tantùm liberum Verbo sibi vnire humanitatem, sed etiam assumere illam expertem omnium eiusmodi defectuum, cùm hæc sine illis semper remaneat vera humanitas, vt patet in statu innocentiæ, imò & suppositâ voluntate redimendi genus humanum per satisfactionem de rigore iuris, vt suprà docuimus. Secundo item modo, quia ratione talis vnionis habuit aliquod singulare dominium in suas potentias, corpus suum, & quæ sunt illorum: & Isaiæ 53. dicitur de Christo, *Oblatus quia ipse voluit*: & Christus Ioannis 15. sic ait, *Nemo tollit animam meam, sed ego eam*
B *pono à meipso, & potestatem habeo ponendi illam*: Quia enim voluntas animæ Christi habebat virtutem Dei semper paratissimam ad ea omnia, quæ absolutè volebat, vt suprà docuimus, ideò poterat facillimè istos omnes defectus euitare, itavt nullius creaturæ iniuriâ, vel violentiâ potuisset lædi, vel famem, aut sitim, vel fatigationem sentire. Tertio denique modo poterat facere, vt suum corpus non foret subiectum istis defectibus, quia poterat facere vt gloria suæ animæ redunderet in suum corpus, sicque redderet illud impassibile, aliisque dotibus corporis glorioſi exornatum.

Atque ex hac varia ratione considerandi istos defectus, conciliantur inter se Patres: quorum alij dicunt istos defectus fuisse in Christo *voluntarios*, & non coactos, vt Sophronius: & S. Damasc. 3. de fide cap. 20. alij verò fuisse *naturales, necessarios, violentos*: quod est verum spectando
C illos iuxta primum modum: si tamen absolutè loquendum sit, modus ille loquendi est conuenientior, qui asserit eos in Christo fuisse *voluntarios*, cùm in illis, vt existentibus in Christo, ratio meriti & satisfactionis locum habuerit.

Hinc Christus propriè non potest dici contraxisse hos defectus, quamuis verè & propriè illos habuerit, sed tantùm eos *assumpsisse*, ex S. Thoma hic articulo 3. sic enim S. Augustinus libro 3. contra Iulianum cap. 89. loquitur, & probatur. Illud propriè dicitur *contrahi*, quod cum sua causa ex necessitate trahitur, seu habetur: nam ipsum *trahi* importat quandam necessitatem, & hæc particula coniunctiua *con*, quæ simul componit istud verbum *contraho*, denotat simultatem alicuius alterius, quod cum isto trahatur: at hi
D defectus non sunt in Christo ex necessitate, sed ex voluntaria & libera eorum assumptione, vt nunc ostensum est, nec habent in Christo suam causam, per quam sunt in nobis, scilicet peccatum originale, vt habetur 5. ad Rom. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Quod peccatum originale non fuit in Christo, quia non descendit ab Adam medio semine virili, sed tantùm secundùm corpulentam substantiam, vt loquuntur Theologi, id est quatenùs habuit carnem & ossa, quæ mediante B. Virgine, & aliis progenitoribus deriuata sunt à primo parente: igitur Christus propriè loquendo non contraxit hos defectus, sed eos tantùm assumpsit.

Cæterùm, etsi hi defectus sequantur nostram naturam spectatam secundùm suam naturalem

V. VI. VII. VIII.

I. conditionem, quia tamen non sequuntur eam secundùm illum statum, in quo fuit condita, & in quo fuissemus, si primus parens non peccasset, nec nos in illo: ideò non tam nostra natura, quàm peccatum originale facit vt illis subiiciamur.

AD QVÆSTIONEM XV.

De defectibus animæ assumptis à Christo Domino.

DISPVTATIO I.

II. *De impeccabilitate Christi Domini.*

Articvlvs Primvs.

Vtrùm aliquod peccatum fuerit in Christo Domino.

NEMINEM veterum hæreticorum legimus, qui dixerit Christum peccasse: recentiorum hæreticorum impudentia eò deuenit, vt eorum aliqui fuerint ausi asserere eum peccasse; nam Cardinalis Hosius libro primo de hæresibus nostri temporis paulò post medium refert, Prædicantem quemdam apostatam asseruisse Christum desperasse, cùm pendens in Cruce diceret, *Deus, Deus meus, quare dereliquisti me:* & hoc nomine condemnatum esse, ad quam blasphemiam Caluinus videtur nonnihil accedere: is enim suis Commentariis in caput duodecimum sancti Ioannis ita est contumelioſus in Christum, vt dicat, *Eum refugiendo mortem fateri suam mollitiem.* Item, *Votum ei inconsideratè effluxisse, cui statim renuntiandum fuerit.* Quibus non obstat, quòd Caluinus ibidem scribat Christum habuisse suos affectus temperatos, & capite præced. dicat eos prorsùs caruisse vitio: nam præterquam quod est satis commune hæreticis dicere contradicentia, dum tamen locis à nobis relatis tribuit Christo *mollitiem*, & aliquod inconsideratè dictum effluxisse ab illo, negare non potest se aliquod peccatum in illo agnoscere, quod tamen est blasphemum.

III.

IV. Communis omnium Catholicorum sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est, *Christum nullum vnquam admisisse peccatum etiam leuissimum, nec vnquam aliquod contraxisse.* Propositio est de fide, habetur expressè in sacris Litteris primæ sancti Petri capite secundo, *Qui*, scilicet Christus, *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Ad Hebræos quarto capite Christus dicitur *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato:* quatenus habuit carnem eiusdem planè rationis cum nostra, communibus eius defectibus subiectam, excepto peccato, & ignorantiâ. Ad Hebræos septimo capite dicitur de Christo, *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Itavt sancti Ioannis octauo capite meritò diceret Iudæis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quatenus probè sciebat se ne minimo quidem peccato fuisse, aut esse inquinatum, vel fore inquinandum. Hinc quando secundæ ad Corinthios quinto ita dicitur, *Eum*, id est Christum, *qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit:* hæc particula, *peccatum*, priori parte sumitur pro *offensa & culpa*, sicut hoc articulo sumimus: in posteriori verò sumitur *pro hostia oblata* in redemptionem peccati, itavt sensus sit iste, Deus Pater Christum, qui peccatum nesciebat, & non poterat committere, constituit victimam, seu hostiam pro peccatoribus; nam in sacris Litteris, quæ offerebantur appellabantur etiam peccata, vt Isaiæ 53. Oseæ 4. & aliis locis.

A V.

Probatur secundò ex Conciliis, vt Ephesino primo, Canone decimo desiniente, *Christum non indiguisse oblatione pro seipso, quia peccatum omninò nesciuit.* Lateranensi sub Martino primo, Canone quinto desiniente, *nostram substantiam fuisse in Christo perfectè absque peccato.* Et ex Patribus dum citata Scripturæ testimonia explicant: quibus addi possunt sanctus Basilius epistolâ sexagesima-quintâ: Sanctus Gregorius Nyssenus oratione decima-quartâ in Cantica Canticorum: Sanctus Augustinus libro quinto contra Iulianum capite decimo-quinto, & alij quos tam Interpretes sacræ Scripturæ locis nunc citatis, quàm sancti Thomæ expositores hîc fusè referunt.

B VI.

Tandem probatur ratione. Peccatum omne est vel originale, vel actuale, vel habituale remanens post actuale commissum: at Christus non habuit originale, quia hoc tantùm contrahitur per descensum à primo parente via seminali, Christus autem hac viâ non descendit ab illo, sed est *conceptus de Spiritu sancto.* Vnde sancti Lucæ secundo, ait Angelus beatissimæ Virgini, *Quod ex te nascetur, sanctum vocabitur Filius Dei.* Quod de ipsa conceptione, seu natiuitate Christi in vtero beatissimæ Virginis intelligitur: nullum item habuit actuale, quia à primo instanti suæ conceptionis anima eius fuit beata, nec vnquam cessauit à visione & fruitione diuinæ essentiæ, cùm beatitudo sit perpetua: Beatus autem, saltem ad minùs secundùm potentiam ordinariam, non potest aliquod peccatum etiam leuissimum committere: nec item habituale, quia nullum habuit actuale, ex quo post transactum actú peccati aliquod habituale relinqueretur: tum etiam quia peccatum habituale coinquinat animam: at *nihil coinquinatum*, saltem de potentia ordinaria, *introibit in regnum cælorum*, seu obtinebit visionem & fruitionem beatificam, quam tamen Christus vt homo semper habuit: igitur Christus nullú vnquam habuit peccatum.

C VII.

D VIII.

Idem potest ostendi ex habituali gratia animæ Christi: hæc enim, saltem de potentia ordinaria, & peccatum mortale non se compatiuntur in eodem subiecto: ergo cùm hæc fuerit in anima Christi omnium perfectissima, sicut in bonis Angelis perseuerat à primo instanti creationis illorum, absq; vllo etiam quantumuis minimo peccato, similiter & in Christo. Idem ostenditur ex fine Incarnationis in carne passibili; nam peccatú existés in Christo potiùs impediuisset nostram redemptionẽ, quàm illã accelerasset, vel adiuuisset, cùm, si sit mortale, reddat suum subiectum auersum à Deo eique inimicum: veniale autem minuat feruorem charitatis, qui debet esse summus in eo, qui mortem acerbissimam vult subire pro saluandis suis inimicis.

I. Neque veritati nostræ propositionis obstat, quòd prædictus Apostata Præmonstratensis obiicit ex Psalmo vigesimo-primo, quod ab omnibus Patribus explicatur communiter de Christo patiente; nam imprimis verba illa, *Quare me dereliquisti*, non sunt desperantis, sed sunt explicantis acerbitatem pœnæ, quam tunc patiebatur, & simul etiam admirantis, quomodo hæc humanitas, cùm sit vnita hypostaticè Verbo diuino, & Christus ipse sit vnigenitus Dei, videatur nihilominùs isto tempore quasi derelictus à Patre, quatenus eius humanitas nullam tunc experiebatur redundantiam consolationis superiorum virium ad inferiores; cùm tamen in plerisque Sanctis tempore quo mortem patiuntur, tales consolationes reperiantur: quod tamen in Christo factum est, tum ad magis comprobandam veritatem humanitatis, tum etiam ad maiorem nostrorum peccatorum satisfactionem.

II. Deinde nec verba illa (*Longè à salute mea verba delictorum meorum*) obstant nostræ propositioni; nam hæc particula (*delictorum meorum*) non significat in Christo aliquod peccatum fuisse; sed cùm Christus spopondisset se pro nobis satisfacturum Deo Patri, Psalmo trigesimo-nono, *Holocaustum & propeccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio; in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* & Isaiæ 53. & sic suscepisset in seipso obligationem satisfaciendi pro omnibus hominibus: nomen autem peccati satis communiter sumatur in sacris Litteris pro *reatu & pœna peccati*, Isaiæ 53. fit vt Christus istâ particulâ tantùm significet peccata omnium hominum, ratione istius reatus & obligationis ad pœnam subeundam pro illis, esse sua, non autem ratione culpæ; quæ delicta iuxta hanc significationem sumpta Christus ait ibi esse *longè à salute sua*, quatenùs inferunt ei necessitatem ex suppositione suæ sponsionis nunc explicatæ ad patiendum mortem pro nobis: & pro hac explicatione totius huius loci plura videri possunt apud sanctos Patres, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, & alios suis commentariis in Psalmum 21.

III. Et licèt pœna reatus debita pro peccatis hominum, qui sunt membra Christi, rectè tribuatur Christo capiti, quatenus iuxta regulam Tyconij receptam à sancto Augustino libro tertio de doctrina Christiana capite trigesimo-primo, *Ea quæ sunt membrorum tribuuntur capiti ob coniunctionem, quam habent cum illo, considerando caput & membra per modum vnius personæ.* Attamen non potest iuxta hanc regulam concedi Christum quotidie peccare, ex eo quòd fideles, seu Christiani eius membra peccent singulis diebus: cuius disparitatis ratio est, quòd ea tantùm attributa membrorum Christi possunt ei tanquam capiti tribui, quæ possunt ei conuenire *ratione vnionis, quam habet cum membris*, non autem quæ vel talem vnionem dissoluunt, vel ei contrariantur, quia sic loquendo moraliter fideles & Christus non possunt habere rationem vnius personæ, sed potiùs plurium sibi inuicem oppositarum: vnde cùm *ipsum quotidie peccare*, vel dissoluat vnionem, quæ est Christi ad fidelem, vel saltem ei aliquo modo repugnet, vt patet tam ex conditione peccati venialis, quàm mortalis, fit vt per eiusmodi attributionem Christus non possit dici quotidie peccare, licèt aliqui fideles peccent quotidie.

IV. Adde quòd *ipsum peccare* significet cum, cui tribuitur influere in peccatum, & esse causam liberam illius, quod repugnat Christo Domino, etiam vt homini. Hinc in Concilio Basilieni sessione vigesima-secundâ meritò condemnatur quidam Augustinus de Roma, Episcopus Nazarenus, quòd prædictam propositionem admitteret, licèt eam tantùm intelligeret ad sensum prædictæ regulæ Tyconij à sancto Augustino approbatæ, cuiusque prædicta propositio tanquam erronea & scandalosa ibi reprobatur.

V. Quod verò spectat ad blasphemias Caluini, patet ex dictis suprà esse meras impostaras, & contra illas omnes singillatim agit Feuardentius in sua Theomachia Caluinistica libro quinto, capite 2. 3. 4. & 5.

ARTICVLVS II.

Præmittuntur quædam monita ad intelligentiam impeccabilitatis Christi Domini, & varia de illa sententia proponuntur.

VI. NOTANDVM primò, impeccabilitatem Christi Domini vt hominis posse considerari, vel per comparationem ad eius libertatem præcisè, vel per comparationem ad beatitudinem animæ, quam semper habuit à primo instanti creationis eius, vel per comparationem ad summam eius gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia illam concomitantia, vel denique per comparationem ad vnionem hypostaticam simpliciter & præcisè sumptam. Præsens difficultas disputatur tantùm à nobis secundùm vltimam considerationem; an scilicet impeccabilitas ita ei, quatenus est homo, conueniat, vt remanente solâ vnione hypostaticâ Verbi diuini cum humanitate eius, & seclusis omnibus aliis donis supernaturalibus, adhuc esset impeccabilis, eique repugnaret committere aliquod peccatum etiam leuissimum; (nam quod spectat ad libertatem animæ Christi Domini, & qui ratione illa possit consistere cum hac eius impeccabilitate, explicabitur infrà agendo de libero eius arbitrio) & quod spectat ad secundam considerationem præcisè sumptam, eadem est conditio animæ Christi Domini, ac reliquorum Beatorum; quantum etiam spectat ad comparationem impeccabilitatis animæ Christi Domini cum summa eius gratia habituali præcisè sumpta, eadem etiam est ratio ac de aliis confirmatis in gratia; & omnes hæ considerationes non sunt huius loci, sed sola vltima: sicque præsens difficultas procedit non de potentia ordinaria (de illa enim præcedenti artic. egimus) sed de absoluta solummodò permissiua ex parte Dei, an scilicet si Deus relinqueret humanitatem assumptam à Verbo sine aliquo dono illam in seipsa perficiente & corroborante ad rectè operandum, adhuc ei etiam vnitæ Verbo repugnet committere aliquod peccatum, siue omissionis, siue commissionis. VII.

VIII. Notandum secundò, hæc duo distingui inter se, *habere potentiam, quâ peccatur*: & *habere potentiam peccandi*: Primum enim importat *habere voluntatem creatam*, quæ eo ipso quo est creata est defectibilis, si spectetur secundùm se, & est id quo peccatum committitur: secundum verò huic primo superaddit *aptitudinem*

I. *ad committendum peccatum*, & quasi *propensionem in peccatum*, quatenus voluntas creata est (vt ita loquar) labilis in peccatum, hîc non agetur de potentia, quâ peccatur, an illa sit in Christo Domino: cùm enim hæc nihil sit aliud, quàm voluntas creata, habuit locum in Christo Domino vt homine; sed tantùm agitur de secundo, quod non habet necessariam connexionem cum primo, quemadmodum videre est in Beatis, qui ex vi suæ conditionis & statûs carent secundo, licèt habeant primum. His prænotatis,

Duæ sunt de re proposita sententiæ: vna negans humanitatem assumptam à Verbo esse impeccabilem, ex vi vnionis hypostaticæ præcisè sumptæ, & ideò non implicare Christum, vt homo est, si esset in statu viæ, nec vlla haberet dona supernaturalia, sed eius humanitas esset tantùm à Verbo assumpta in puris suis naturalibus, II. committere aliquod peccatum. Tribuitur Scoto libro tertio sententiarum, distinctione duodecimâ, quæstione primâ, articulo secundo, & eam vt Scoti tuerur de Rada libro tertio sententiarum, controuersiâ quartâ, articulo octauo, quintâ suâ conclusione: est aperta sententia Durandi eadem distinctione duodecimâ, quæstione secundâ, numero septimo, octauo, & aliis sequentibus: Gabrielis tertio sententiarum distinctione primâ, quæstione secundâ, articulo primo in fine, & articulo secundo post responsionem ad nonum argumentum, & aliquorum aliorum, qui in tali hypothesi admittunt Deum posse dici peccare per communicationem idiomatum, sicut nunc per eandem communicationem idiomatum rectè dicimus Deum esse mortuum.

Quòd si quis obiciat illis, hanc opinionem videri offensiuam piarum aurium: Durandus suprà respondet verba deuota magis obstare huic suæ opinioni, quàm ratio efficax obstet illi: Gabriel suprà ait istam opinionem, & alia huic similia, non offendere pias aures intelligentes & discretas, sed posse offendere aures indoctas & rudes, quæ propriè non sunt aures piæ, cùm pietas præsupponat fidem.

Altera sententia est affirmans, quam tradunt Magister sentent. 3. distinctione 12. sanctus Thomas ibidem quæstione secundâ, articulo primo & secundo, & omnes eius discipuli, tam hac eius quæstione, quàm istâ distinctione duodecimâ: sanctus item Bonauentura citatâ illâ distinctione, articulo secundo, quæstione primâ & secundâ: Carthusianus ibidem addens opinionem Durandi esse absurdam, quam alij dicunt non posse defendi sine nota temeritatis, quia modus loquendi Patrum de hac re indicat IV. oppositum. Alij addunt contrariæ sententiæ notam alicuius impietatis, quatenùs exilla deducuntur quædam propositiones quæ horrorem incutiunt piis auribus: exempli causâ, quòd per communicationem idiomatum hæc propositio sequatur esse vera, *Deus potest damnari*, & id genus aliæ, quas meliùs est omninò reticere, quàm etiam leuiter commemorare.

ARTICVLVS III.

Affirmans sententia præfertur & probatur.

SIT hæc nostra propositio. *Christus Dominus vi vnionis hypostaticæ ita est impeccabilis, vt si eius humanitas fuisset assumpta à Verbo cum* A *solis suis perfectionibus naturalibus, adhuc fuisset vi vnionis hypostaticæ impeccabilis.* Ita omnes authores secundæ sententiæ. Duo sunt potissimà media quibus hæc propositio nostra probatur: Primum est authoritas Patrum: Secundum, quo explicatur implicatio. Quod spectat ad primum, licèt Patres non examinauerint hanc difficultatem sub abstracta illa consideratione metaphysica, quâ illam proponimus, sed tantùm sint locuti de humanitate Christi Domini, secundùm illum statum, quem habuit de facto, quia tunc agebant contra hæreticos, qui hanc quæstionem non mouebant sub istis præcisis terminis; nihilominùs tamen si modus loquendi quo explicant impeccabilitatem Christi Domini diligenter attendatur, reperientur assignare vnionem hypostaticam pro causa impeccabilitatis eius. V.

Primùm igitur probatur authoritate S. Hilarii, B qui lib. 10. de Trinitate aliquanto ante medium explicans illud Apostoli ad Rom. 8. de Christo Domino, *In similitudinem carnis peccati*, ait tam repugnare Christo peccare posse, quàm ei repugnet non esse Christum, & etiam non esse hominem: ergo quemadmodum vi vnionis hypostaticæ Christus Dominus habet vt sit Christus, id est aliquod tale diuinum subsistens in humanitate, & aliquod constitutum ex personalitate Verbi & humanitate: ita iuxta mentem S. Hilarij idem Christus Dominus habet vi eiusdem vnionis hypostaticæ, vt non possit peccare. Verba S. Hilarij sunt hæc, *Ita homo Christus Iesus, & in veritate naturitatis est, dum homo est, & non est in proprietate peccati dum Christus est, quia & qui homo est, non potuit non homo esse quod natus est, & qui Christus est, non potuit amisisse quod Christus est: atque ita dum homo Christus Iesus est, habet naturitatem hominis, quia homo est; nec est in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est.* Hactenùs S. Hilarius. Item ex S. Augustin. lib. de correptione & gratia cap. 11. ita loquente, *Neque metuendum erat, ne isto ineffabili modo in vnitate personæ à Verbo Deo natura humana susceptа per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ista susceptio talis esset, vt natura humana à Deo ita susceptа, nullum in se motum voluntatis admitteret.* In quo S. Augustini testimonio notandæ sunt istæ particulæ, *neque metuendum est*: item, *cùm ista susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo susceptа nullum in se motum*, &c. non indicant eum loqui etiam de absoluta potentia, & eum fundare hanc impeccabilitatem in ipsa vnione hypostatica. Item ex S. Gregorio Nazianzeno oratione 36. ita loquente de Christo Domino: *Illius voluntas quia tota deificata est, Deo procul dubio non aduersatur.* Vbi notanda est hæc particula, *quia tota* D *deificata est*: nam id intelligitur vi vnionis hypostaticæ. S. item Cyrillo Alexandrino libro aduersùs Anthropomorphitas capite 23. ita scribente: *Stolidi verò & dementes prorsùs, qui ipsum etiam Christum nescio quo pacto peccare posse affirmant.* Et paulò post hypostaticam vnionem assignat causam huius impeccabilitatis, ita vt quandiu illa perseuerat, tandiu Christus sit impeccabilis. Verba eius sunt, *Si enim desiit esse quod erat, aut ex natura diuina in humanam tantùm, ac nostri similem naturam abiit, humanam imbecillitatem illi obiciant: si verò idcircò humanam naturam gestauit, vt eam quæ ab Adam acceperat imbecillitatem, in se validam ac peccato superiorem declararet, cur fruſtrà id anxiè inquirunt quod inuenire non possunt?* VI. VII. VIII.

I. Addi potest & Origenes tom. 2. de principiis cap. 2. vbi exemplo ferri igniti quod incenditur quamdiu est ignitum, explicat impeccabilitatem Christi Domini, quatenus eius humanitas est etiam tandiu inconuertibilis ad peccatum, quamdiu illa est vnita Verbo Dei. Possunt plures aliæ Patrum auctoritates videri apud Interpretes Magistri sentent. & S. Thomæ locis citatis: sed hæ quas attulimus sunt euidentiores.

ARTICVLVS IV.

Refelluntur variæ opiniones de ratione impeccabilitatis.

QVOD spectat ad rationem impeccabilitatis fundatam in vnione hypostatica, Doctores sunt admodum varij. Alij enim, vt Vasquesius II. hîc disputatione 61. cap. 6. volunt solam illam B sanctificationem, quam anima Christi Domini habet à diuinitate sibi mediatè vnita, esse adæquatam causam impeccabilitatis eius, quatenus per illam redditur formaliter sancta, & proinde talis, cui repugnet aliquid inesse, quod tantę sanctitati aduersetur, cuiusmodi est peccatū quodlibet etiam leuissimum. Quod confirmant ex relatis Patribus, qui dicunt humanitatem fuisse *ipsa diuinitate deificatam, delibutam, & ipsa deitate* sibi *vnita* fuisse factam impeccabilem.

Secundò, alij istam impeccabilitatem ita totam refundunt in vnionem hypostaticam, seu in personalitatem Verbi vt vnitam isti humanitati, vt dicant ideò repugnare naturam hanc peccare, *quia actiones sunt suppositorum*. Vnde cùm actio peccaminosa repugnet supposito Verbi diuini, repugnabit etiam fieri à natura humana vt III. sibi eam sustentanti vnita: quod alij hoc alio C modo explicant, quòd nimirum sicut humana natura per hanc vnionem eleuatur ad subsistendum subsistentia Verbi diuini, sic etiam confortari, vt non possit elicere actiones ei repugnantes, cuiusmodi est peccatum actuale. Sed isti primi duo modi non sufficienter explicant propriam impeccabilitatem humanitatis Christi Domini: nam aliud est assignare *principium quoddam motale*, vnde repugnet humanitatem assumptam peccare, & aliud *assignare formale & effectiuum principium* huius impeccabilitatis: & quamquam personalitas Verbi diuini vt vnita humanitati, & sanctitas ei aduenies ab essentia diuina ei mediatè vnita, sit ei morale principium suæ impeccabilitatis: non sunt tamen IV. *formale vel effectiuum*, quo fit, vt humanitas in puris naturalibus assumpta non possit peccare: nam diuina natura & hypostasis seu personalitas præcisè sumptæ, non sunt ipsi naturæ assumptæ rato seu principium agendi, nec sumptæ præcisè instruunt naturam sibi vnitam de iis, quæ sunt agenda & fugienda, nec ab ea remouent occasiones peccatorum, vel impediunt ne sequatur illas præsentes, nec offerunt ei omnes conditiones requisitas singulis momentis ad bene operandum singulari illo modo, quo semper vitatur peccatum.

Deinde humanitas assumpta à Verbo ita trahitur ad esse personale Verbi diuini, seu ad subsistendum personalitate Verbi diuini, vt tamen in præsenti hypothesi supponatur non extrahi extra virtutem sibi à natura & secundùm statum suorum purè naturalium conuenientem: ergo cùm ad vitandum peccatum sit ei opus cognitione in intellectu, affectu in voluntate, & aliquo A remouente impedimenta etiam extrinseca quæ in bene operando occurrunt, neque hæc reperiantur sufficienter in natura sic nudè assumpta, sola illa vnio hypostatica non erit sufficiens adæquata ratio eius impeccabilitatis, quæ est in Christo Domino.

Tertiò, aliud est *aliquid repugnare hypostasi*, & aliud *aliquid repugnare naturæ alienæ*, quam terminat: vnum enim non infert aliud, nam mors repugnat hypostasi Verbi diuini, nec tamen repugnat humanæ naturæ vt assumptæ à Verbo diuino: ergo non repugnat naturæ assumptæ à Verbo peccare præcisè, ex eo quòd repugnet personalitati Verbi diuini eam sustentanti, sed aliunde: & quemadmodum natura humana ex vi suæ assumptionis non trahitur ad esse existentiæ, & entitatis ipsius Verbi, ita nec ad motum eius operandi.

Tandem, licèt hypostasis sit conditio prærequisita in natura ad agendum, nec natura substantialis possit saltem de potentia ordinaria exercere aliquem actum, nisi priùs terminata sit aliqua hypostasi propria, vel aliena: attamen quòd actus ille secundùm se, & in se ipso sit formaliter talis specificæ rationis, vel rendat sub tali ratione formali sibi intrinseca, non habet ab hypostasi, sed ab illo formali principio quo & à motiuo ex quo talem actum exercet, vt patet in Christo D. Vnde si principium istud sit huius solummodò virtutis ad agendū, & non maioris, nec etiam ipse actus eius erit in se & formaliter perfectior, & si sit debilioris virtutis, & actus erit debilior: cùm enim subsistentia aliena in tali suppositione sit loco propriæ, debet suppositare illam accommodatè ad eius conditionem, vt patet exemplo ab aduersariis allato de igne assumpto à Verbo, & de aliis quibuscumque substantiis insensibilibus, si assumerentur ab aliqua ex personis diuinis, imò & in præsenti mysterio Incarnationis, quo subsistentia Verbi diuini terminat humanitatem modo illi conuenienti & longè inferiori quàm terminet diuinam essentiam: ergo cùm naturalis conditio humanæ naturæ, secundùm pura sua naturalia spectatæ, sit exercere actus humanos cum defectibilitate, & in hypothesi præsentis difficultatis natura humana assumatur in puris suis naturalibus, vnio hypostaticà seu personalitas Verbi diuini vt vnita humanitati non erit ei tota & adæquata ratio impeccabilitatis.

Tertiò, hæc impeccabilitas posset dici repeti ex vnione hypostatica, quatenus personalitas Verbi diuini, provt distincta virtualiter à natura II. diuina sanctificat humanitatem, vt docuimus ad D quæst. 7. Vnde cùm esse formaliter intrinsecè sanctum repugnet peccato & eius commissioni conuenienti ei quòd sic est sanctum, & in suppositione præsentis difficultatis humanitas assumpta à Verbo esset sic formaliter intrinsecè sancta, esset etiam omninò impeccabilis, sicque sola vnio hypostatica erit adæquata ratio impeccabilitatis, quæ est in Christo Domino.

Verùm hoc adhuc non satisfacit: licèt enim personalitas Verbi diuini sanctificet intrinsecè & etiam infinitè humanitatem quam terminat, vt ibi docuimus: quia tamen impedire peccatum, seu potiùs illud semper euitare quacumque posita occasione, vel etiam ei resistere, est quiddam agere, sicut & amouere à tali obiecto consensum voluntatis, vel eam dirigere in bonum

V. VI. VII. VIII.

I. peccato oppositum; personalitas autem Verbi vel infinita illa sanctitas, quam confert humanitati sibi vnitæ, non sunt aliquod principium agendi, & euitandi aliquod peccatum, vt patet ex dictis: fit vt vnio hypostatica, sumpta solitariè non sit sufficiens ad faciendum, vt humanitas assumpta in puris suis naturalibus constituatur simpliciter & absolutè impeccabilis: ergo impeccabilitas, quæ nunc est in Christo Domino, non fundatur in sola vnione hypostatica præcisè sumpta.

Quartò, dicunt alij repugnantiam vnionis hypostaticæ ad peccatum in eo consistere, quòd gratia vnionis sit principium necessarium nullomodò subiacens voluntati creatæ animæ Christi Domini respectu operationum eius. Vnde fiebat, vt omne opus ab eo profectum esset sanctum: in quo est dispar conditio gratiæ habitualis in nobis, hæc enim, cùm sit habitus, subiicitur
II. nostræ voluntati, (habitibus enim vtimur prout volumus) nec dum operamur, vtimur illa necessariò, sed liberè & ideò producimus aliquos actus ei contrarios.

Sed quartus ille modus adhuc non explicat sufficienter adæquatam rationem impeccabilitatis, & implicationem huius vnionis ad peccatum, siue committendum, siue commissum: nam hęc explicatio aliqua tantùm ratione ostendit hunc hominem retinendo simul vnionem hypostaticam non potuisse peccare, sed non explicat qua ratione fieret, vt humanitas manens immutata sibi præcaueret, & ita dirigeretur, vt ne in minimum quidem peccatum incideret.

Deinde, sicut iustus non potest peccare mortaliter retinendo gratiam habitualem, eam tamen perdendo potest: quidni etiam humana natura
III. assumpta cum solis perfectionibus naturalibus poterit ita peccare, vt etiam perdat illam? Nec obstat discrimen ibi allatum: licèt enim gratia vnionis de facto non subsit libertati animę Christi Domini; auctores tamen prioris sententiæ dicent non repugnare vnam ex personis diuinis assumere aliquam humanam naturam cum hac conditione, quòd illa manebit sibi vnita, si intra tale tempus tales actus elicuerit, & aliàs non: item posse velle tandiu in ea conseruare vnionem hypostaticam, quandiu non peccat, & velle desinere conseruare illam, statim atque peccauerit, & interim ei tantùm dare omnes illas gratias, quas Deus ipse tribuit aliis puris hominibus: ergo vt hæc implicatio ostendatur, aliquid amplius est addendum.

Articvlvs V.

IV. *Præmittuntur quædam monita ad veram rationem impeccabilitatis.*

VT autem hæc contradictio meliùs ostendatur, notandum est primò, *duplicem distingui implicationem comparatione Dei in ordine ad aliquid faciendum: vna est moralis*, altera *physica. Moralis illa* est, quæ attenditur penes bonitatem & sapientiã Dei, quatenus hoc vel illud fieri, hæc vel illa extrema coniungi inter se, est contra eius attributum bonitatis, & sapientiæ. Vnde cùm Deus non possit facere contra propria sua attributa, illa quæ nullomodò conueniunt diuinæ suæ bonitati & sapientiæ, dicuntur implicare contradictione morali. *Implicatio* seu *contradictio physica est*, quæ attenditur penes A *omnipotentiam Dei*, quatenus extrema talem habent inter se repugnantiam formalem vel physicam, vt vnum aliud sibi oppositum non compatiatur, etiam per absolutam Dei potentiam, vt videre est in omnibus iis, quæ Theologi & Philosophi communiter docent implicare. Et quòd illa implicatio moralis debeat admitti, sicut & physica, patet. Deus est æquè sapiens & bonus in genere sapientiæ & bonitatis, ac est potens in genere potentiæ, & æquè dissonuenit ei, agere contra suam sapientiam & bonitatem, ac ei repugnat agere contra suam potentiam, hæc enim duo attributa tam sunt ei intrinseca, quàm attributum omnipotentiæ: ergo sicut ei repugnat facere quod destruit eius omnipotentiam, quia sic seipsum destrueret, ita etiam repugnat ei facere, quòd repugnat eius sapientiæ & bonitati, cuiusmodi est illud, quod
B eam dedecet, quia sic etiam seipsum destrueret. Confirmatur. ideò Deus non potest, de absoluta etiam potentia, mentiri, nec item voluntate efficaci velle malum culpæ quatenus est tale: quia ista dicunt moralem repugnantiam ad suam infinitam sapientiam & bonitatem (nam quod est reale & physicum in malo culpæ vel mendacio, non repugnat fieri à Deo, vel Deum ad illud concurrere, cùm nihil reale & physicum fiat sine illo:) ergo datur aliqua moralis implicatio comparatione ipsius Dei in ordine ad aliquid faciendum.

Notandum secundò, quia bonitas diuina, prout virtualiter distinguitur à diuina essentia, & omnipotentia eius attributo, non est principium productiuum alicuius ad extra: ideò quando id, quod dicitur habere repugnantiam moralem ad hæc diuina attributa, nimirum *sapientiam* & *bonitatem*,
C considerabitur vt repugnans fieri per agens creatum, quod tamen in se, secundùm se, nudè & simpliciter spectatum, est aptum illud facere: tunc vt ista repugnantia seu implicatio demandetur executioni, adhuc requiri aliquid, quo tale agens retineatur seu impediatur illud facere: aliàs, si sibi & suæ tantùm naturæ relinquatur, quemadmodum ex sua naturali conditione tendit in hunc effectum, ita etiam adhuc tendet in illum, *cùm idem agens manens semper idem, non sit natum facere nisi idem*, & ipsa moralis repugnantia præcisè sumpta dicat solummodò *meram indecentiam*, quæ de se non est actiua, sed motiua tantùm, seu impulsiua ad agendum vel retinendum, seu non agendum, prout natura illius rei quàm respicit postulat. Sicut quia conuenientia huius mysterij Incarnationis fundatæ in summa bonitate Dei erga
D nos non est de se actiua, vt hoc mysterium demandaretur executioni, fuit opus aliquibus causis illud exequentibus, exempli causâ, beatissima Virgine, tanquam aliqua causa etiam effectiua illius, quæ ratione suæ causalitatis verè & propriè est mater Dei-hominis.

Notandum tertiò, medium requisitum pro exequenda hac morali repugnantia posse intelligi, vel internum ipsi humanitati, vel solummodò ei externum: internum erit, si sit aliqua qualitas, putà virtus vna vel multiplex voluntati vel appetitui sensitiuo inexistens, quæ eleuando seu confortando potentias animæ, ita eas perficiat & contineat, vt solummodò ferantur in obiecta consentanea rectæ rationi: erit verò externum, si solummodò sit quædam singularis directio, qua humanitas ita peculiari

V. VI. VII. VIII.

I. modo gubernetur, vt humanitas non possit labi in vllum peccatum quantumuis minimum, quæ specialis directio cõsistat in eo, quòd Deus amoueat omnes occasiones, quibus talis humanitas possit incitari ad peccandum. His ita prænotatis sit,

ARTICVLVS VI.

Vtrùm vnio hypostatica habeat moralem repugnantiam cum peccato.

SIT hæc propositio. *Vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate habet moralem repugnantiam, tam cum peccato quolibet, quàm cum proclinitate humanitatis sic assumptæ ad peccandum.* Probatur. Quod dicit indecentiam & deordinationem à regula rectæ rationis, illud dicit moralem repugnantiam ad sapientiam & bonitatem Dei: hæc enim duo attributa Dei, sunt II. aliqua suprema regula rectæ rationis, comparatione eorum omnium quæ sunt & fiunt ad extra, quia quòd Deus sese communicet ad extra, est ex ipsa eius bonitate, & quòd singula ita disponat & ordinet, prouenit à summa eius sapientia, qua omnia & singula penetrat per altissimas causas: atqui Deum vnire hypostaticè Verbo diuino humanitatem vt proclivem ad peccatum, vel vt de facto peccantem, vel vt infectam peccato, est indecentia & deordinatio à suprema regula rectæ rationis. Primò, quia Deum illud facere, est Deum pati in se ipso, vel saltem in aliquo sui ipsius aliquid turpe & maximè inordinatum: nam proclivitas ad peccatum & ipsum peccatum sunt aliquid inordinatum, & tota humanitas inexistit Verbo diuino per hanc vnionem hypostaticam.

III. Secundò, quia Deum vnire hypostaticè Verbo diuino humanitatem vt proclivem ad peccatum, vel vt de facto peccantem, vel vt infectam peccato, est sibi ascisscere in Filium, vel saltem in aliquid filij sui naturalis, obiectum aliquod cum ea indignitate, quæ non solummodò tollat ab eo ius omne, sed & congruentiam adeundæ hæreditatis æternæ, quia peccatum reddit subiectum quod informat indignum illa. At filium naturalem Dei, qualis est Christus Dominus, nullam vi vnionis hypostaticæ habere congruentiam obtinendæ vitæ æternæ, est maximè dissentaneum rectæ rationi, cùm filij tantùm adoptiui longè illo inferiores eam habeant.

Tertiò, quia Deum sic vnire talem humanitatem, est Deum simul & semel eam summè diligere, & simul & semel eam non summè diligere, IV. quod importat indecentiam & aliquam deordinationem à rectæ rationis per comparationem ad prædicta duo attributa Dei: est quidem summè diligere eam, quia nullum bonum potest communicari humanitati maius & excellentius ipsa vnione hypostatica, vt ostendimus suprà ad quæst. 2. non est item summè diligere illam, quia eam assumere vt proclivem ad peccatum, vel vt peccantem, vel vt infectam peccato, est sumere in ea turpitudinem, & labem peccati tanto & tam excellenti bono disconuenientem, quod est dissentaneum rectæ rationi. Sicut enim lex amoris facit, vt voluntas velit bonum rei amatæ, ita etiam lex summi amoris facit, vt amans, quantum est situm in se, tollat ab obiecto summè amato, id quod in illo est dissonum rectæ rationi, quódque dissoluit potiùs amicitiam, quàm illam foueat, cuiusmodi est peccatum mortale:

A ergo vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate habet moralem repugnantiam tam cum quolibet peccato, quàm cum proclivitate ad peccandum in ipsa humanitate sic assumpta. V.

Dices, rationes istas non videri efficaces, quia vnum & idem potest ob vnam rationem esse dilectum, esse dignum aliquo iure, quod tamen idem numero ob aliam rationem erit obiectum dignum odio: exempli causà, Deus amat dæmones ratione suæ entitatis, & substantiæ, cuius est creator & conseruator, attamen ratione culpæ, quæ inest illis, habet eos odio: ergo pari modo in hypothesi prioris sententiæ Deus dicetur ratione vnionis hypostaticæ summè diligere humanitatem vnitam Verbo, ratione verò peccati mortalis, quod ex suppositione inest illi, non amare, sed potiùs odisse: & sicut ista duo respectu dæmonum non important aliquam indecentiam in Deo, nec moralem repugnantiam B ad eius bonitatem, & sapientiam, ita nec in hypothesi primæ sententiæ: sed Deus dicitur amare & adiscisscere humanitatem in aliquid sui Filij, ratione vnionis hypostaticæ, eam verò non amare ratione peccati mortalis, quod illi inest. VI.

Verùm, respondetur id non obstare nostris rationibus: nam quando aliquid vna ratione amatur, & alia habetur odio, tunc loquendo simpliciter & absolutè non amatur summè quoad intensionem, sed tantùm secundùm quid: *Bonum enim ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu etiam minimo*: modus autem amandi aliquod obiectum secundùm quid tantummodo, facilè compatitur aliquod odium eiusdem obiecti, ob rationem odij dissimilem rationi amoris: at quando aliquid absolutè & *simpliciter summè amatur*, tunc, quia modus iste C amandi negat omnimodè odium, etiam secundùm quid, sit vt idem obiectum non possit amari secundùm vnam rationem, & odio haberi secundùm aliam rationem. Et ad exemplum allatum de dæmonibus respondetur, Deum solummodò secundùm quid & non summè simpliciter eos amare vel odisse: non quidem summè odisse, quia potest magis odisse eos nimirùm annihilando ob peccatum, non item simpliciter summè amare, quia sunt in illis malum culpæ: hoc autem non contingit in mysterio Incarnationis, quo humanitas assumeretur in puris naturalibus: nam licèt additione donorum gratiæ supernaturalis perficiatur ampliùs quàm sine illis, quia tamen amplior illa perfectio est solummodò secundùm *extensionem*, quæ comparatione ad vnionem hypostaticam est quid minimum: Deus ex concessione eiusmodi donorum non diceretur magis simpliciter & absolutè summè amans D illam, quàm anteà sine eiusmodi donis. VII. VIII.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm vnio hypostatica habeat physicam repugnantiam cum peccato.

SIT hæc nostra propositio. *Vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate & peccatum non habent physicam repugnantiam, quasi humanitas per hanc solam vnionem hypostaticam impediatur formaliter vel efficienter habere aliquod peccatum.* Probatur. Primò ea tantùm propriè habent physicam & realem repugnantiam, quæ sunt formæ vel quasi formæ sibi inuicem formaliter oppositæ: quatenus enim vna earum in suo præciso &

I. formali conceptu negat aliam, vel quatenus vna aliam expellit ab eo subiecto in quo recipitur, sicut calor & frigus sese expellunt: atqui vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate & peccatum comparata ad se inuicem neutro modo se habent: ergo vnio hæc & peccatum non habent inter se physicam & realem repugnantiã. Maior per se patet. Minor probatur quoad priorem modum repugnantiæ. Vnio hypostatica præcisè dicit solummodò nudam terminationem humanitatis in ratione subsistendi: at hoc sumptum formaliter non importat negationem vel carentiam peccati actu vel potestate existentis in humanitate sic terminata, vt per se patet.

Dices, hanc vnionem importare terminationem humanitatis in ratione subsistendi per personalitatem Verbi diuini, quæ intrinsecè & formaliter est sancta infinitè, sicque in suo formali

II. conceptu importare negationem peccati, quod est aliqua macula & immunditia.

Sed id non obstat nostræ rationi: nam quæ sic opponuntur, debent esse eiusdem aliquo modo generis & ordinis saltem analogicè: sed sanctitas per hanc terminationem præcisè spectatam communicata humanitati assumptæ, nõ est eiusdem generis & ordinis etiam aliquo modo analogici cum peccato vel eius macula: est enim purè & simpliciter *personalis*, & non formalis, quæ tamen sanctitas formalis sola tanquam forma opponitur peccato, illúdque tollit formaliter: neque infinitas quæ reperitur in tali sanctitate personali faciet virtualem oppositionem cum peccato, ratione cuius formaliter illud expellat ab ea humanitate cui inest; quia in tantum hæc oppositio virtualis reperitur inter hanc sanctitatem personalem & peccatum, in quantum hæc

III. personalis sanctitas ratione suæ infinitatis continet in se eminenter aut virtualiter formam illam, quæ propriè & formaliter sanctificat animam à peccato, scilicet gratiam habitualem: at hæc personalis sanctitas est tantùm infinita in suo genere, *nimirum personalis sanctitas*, quod est distinctum à genere sanctitatis *formalis*, nec hãc continet eminenter vel virtualiter, quia hæc vtraque continentia in Deo solius est diuinæ essentiæ, & non personalitatum eius, prout illæ præscindunt & distinguuntur ab essentia diuina, vt iam animaduertimus suprà ad quæst. 7. & alibi: ergo vnio hypostatica humanitatis ad Verbum diuinum & peccatum, non habent propriè aliquam repugnantiam formalem.

Quod item repugnantia huius vnionis hypostaticæ ad peccatum non sit iuxta posteriorem modum, seu quatenus vnum extremum expellit

IV. aliud ab eo subiecto in quo est, probatur. Hæc repugnantia tali modo facta importat realem immutationem subiecti, vt patet exemplo ibi superiùs allato de frigore & calore, & patet etiam inductione facta per omnes formas naturales: atqui vnio hypostatica præcisè, quæ datur inter personalitatem Verbi diuini & humanitatẽ, nullomodò immutat illam, vel eius potentias physicas, sed relinquit ista omnia talia, qualia sunt physicè & secundùm se (nam in præsenti hypothesi supponitur humanitas assumi cum suis tantùm naturalibus perfectionibus) nec item talis vnio est de se actiua, vt sæpè notauimus: ergo vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate, & ipsũ peccatum in tali humanitate assumpta, non habent realem aliquam repugnantiam, qua vnum extremum expellat efficienter

A illud ab eodem subiecto vel quasi subiecto.

V. Probatur secundò. Hæc vnio hypostatica tantùm habet aliquam ex istis duobus modis assignatis repugnantiam ad peccatum in humanitate assumpta, vel in quantum tollit ab illa, vel in quantum impedit libertatem peccandi: at hæc vnio neutro ex duobus modis suprà commemoratis illam tollit, vel impedit in humanitate assumpta: hæc enim libertas fundatur in cognitione obiecti, suo cognoscendi modo proportionata, & in propensione appetitus in bonum vt per intellectum sibi propositum: atqui vnio hypostatica vt præcisè spectata nihil istorũ immutat in humanitate assumpta: nec enim facit illam melius intelligentem, & penetrantem veritatem rerum, nec dat ei sinceriorẽ affectum erga illas; quia nec illuminat intellectum, nec incendit voluntatem, vel aliquid ponit in istis potentiis ani-

B mæ, quo melius discernant verum à falso, bonum sincerum, ab apparenti, istud sectentur, hoc VI. fugiant, & in præsenti suppositione humanitas assumitur in puris naturalibus: ergo vnio hypostatica nullam habet realem & physicam repugnantiam cum peccato.

Articvlvs VIII.

Quæ sit proxima ratio impeccabilitatis.

Sit hæc nostra propositio. *Vt humanitas hypostaticè vnita Verbo diuino non possit peccare, & eius impeccabilitas fundata in hac vnione demandetur executioni, aliquid aliud requiritur, quo mediante talis humanitas præseruetur à peccato committendo. Illud autem, in casu præsentis difficultatis, est singularis quædam protectio & directio, qua Deus ita gubernaret humanitatem assumptam in puris naturalibus, vt non posset labi in peccatum.*

C VII. Hæc propositio sequitur ex præcedenti. Prior eius pars manet probata ex dictis art. 4. præcedenti secundo nostro notabili. Si enim vnio hypostatica per se & vi sua non instruat humanitatem de omnibus agendis & fugiendis, nec illam confortet ad faciendum bonum, & fugiendum malum, sed talem relinquat, qualis est ex se, talisque vnio sit tantùm aliqua ratio, quæ mouet Deum, vt non patiatur aliquod peccatum in tali natura, cùm per hanc assumptionem reddatur de facto impeccabilis, aliquid aliud datur cuius beneficio semper euitet peccatum, sempérque bene operetur.

Posterior etiam pars eiusdem propositionis sequitur ex præcedentibus: cùm enim hæc im-

D VIII. peccabilitas demandetur executioni sine intermedio supernaturali dono confortante humanitatem, quia supponitur assumi in puris naturalibus, & ad hoc requiratur aliquid, sequitur istam impeccabilitatem perfici seu demandari executioni per specialem eiusmodi directionẽ. Quod enim hæc sit ad hoc sufficiens, probatur. In tantũ homo est in actu exercito impeccabilis, in quantũ habet auxilia specialia tam præueniẽtia, quàm adueniẽtia, quibus infallibiliter semper malũ refugit, & semper sectatur bonũ, sic enim constitutus, & in sensu composito spectatus, numquã potest peccare: atqui totum hoc importatur nomine singularis directionis, quam requirimus pro exequenda impeccabilitate, vt patet explicatione illius: ergo sola hæc singularis directio concessa à Deo humanitati, est sufficiens ad deman-

I. dandam executioni impeccabilitatem eius.

Atque hæc propositio sic explicata est S. Thomæ 3. sentent. distinct. 12. quæst. 2. art. 1. vbi probans Christum Dominum esse impeccabilem ex eo quòd sit Deus, ita scribit, *Secundùm autem quod fuit Deus, & corpus eius & anima eius fuerunt quasi organum deitatis, secundùm quod dicit Damascenus, deitas regebat animam, & anima corpus: vnde non poterat peccatum attingere ad eius animam, sicut nec Deus potest peccare*: Hactenus S. Thomas. Vbi hæc postrema verba, *deitas regebat animam, & anima corpus, vnde non poterat peccatum attingere ad animam eius*, continent totam nostram propositionem; quam etiam exprimit infrà quæst. 18. art. 1. in solutione ad 4. sic scribendo, *Voluntas humana Christi Domini habuit quendam determinatum modum, ex eo quòd fuit in hypostasi diuina, vt scilicet moueretur semper*

II. *secundùm nutum diuinæ voluntatis*: quæ verba continent singularem illam directionem à nobis assignatam.

ARTICVLVS IX.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.

OBIICIES primò, illam destruere hypothesim quæstionis: quia additio istius directionis negat humanitatem assumi in puris naturalibus, cùm ei, vt sic consideratæ, non sit debita, sed sit aliquod beneficium ordinis supernaturalis, quemadmodum patet in confirmatis in gratia.

Respondetur, negando nostram hypothesim destrui: tandiu enim humanitas censetur esse in

III. puris suis naturalibus, quandiu nihil habet sibi intrinsecè inexistens atque inhærens, confortans & eleuans eam efficienter ad operandum, vel resistendum supra illum ordinem, in quo constituitur secundùm pura sua naturalia, licèt ab extrinseco accipiat aliquid quo excitetur & iuuetur ad benè operandum, iuxta eumdem istum ordinem: exempli gratiâ, si homo fuisset à Deo creatus in puris naturalibus, etiamsi ad vitandum peccata pro longo aliquo tempore, quo tunc fuisset obligatus illa euitare, indiguisset aliquo speciali auxilio, nihilominùs non desiisset dici constitutus, & remanere in puris naturalibus, quia tale auxilium fuisset contentum intra latitudinem operis purè naturalis, vt communiter docent Theologi 1. 2. quæst. 109. ergo pari

IV. iure, quia in hac hypothesi humanitas acciperet à Deo directionem illam specialè, vt intra limites ordinis naturalis contentam, non diceretur poni extra statum purorum naturalium: nunc autem quia, vt res sunt à Deo constitutæ, ponitur extra eum & ordinatur ad finem supernaturalem, talis directio debet fieri per auxilia supernaturalia huic fini proportionata.

Neque hæc directio, siue vt nunc fit, siue vt tunc fieret in statu purorum naturalium, posset dici propriè beneficium aliquod gratuitò & liberaliter concessum humanitati, vt Verbo diuino vnitæ, sed aliquod debitum naturale ei persolutum: cùm enim tunc humanitas inexisteret substantialiter Verbo, & Deus ex naturali rectitudine suæ voluntatis non possit pati in se ipso vel in aliquo sui quidpiam, quod sit intrinsecè turpe & indecens, item & humanitas esset aliquid magis intimum Deo, quàm apud nos filius A sit ipsis suis parentibus; Deus, supposita hac vnione, non minùs teneretur dare hanc singularem directionem humanitati sic assumptæ, quam parentes obligentur adhibere curam, vt filij nondum emancipati dirigantur in suis actionibus. V.

Ad exemplum de confirmatis in gratia, quibus hæc specialis directio datur gratuitò, & tanquam aliquod singulare beneficium: Respondetur, disparem esse rationem illorum, ac humanitatis vt sic vnitæ Verbo diuino. Nam hic supponitur aliquid internum humanitati sic spectatæ, nimirùm vnio hypostatica, quæ suo iure postulat hanc singularem directionem. At in confirmatis in gratia nihil tale reperitur: licèt enim gratia sanctificans sit in illis, & in magna abundantia, & cum certa quadam plenitudine: hæc tamen, vt est in puro viatore, non est talis,

B quæ iure suo possit requirere à Deo singularem illam protectionem & directionem vt sibi debitam, cùm illa non cadat etiam sub meritum nostrum de condigno, quemadmodum communiter docent Theologi primâ secundæ: Vnde quando aliquibus datur, illis semper datur gratuitò & liberaliter. VI.

Secundò obiicies, admissâ hac propositione, vnionem hypostaticam non fore causam impeccabilitatis in Christo Domino, quod est contra propositionem sancti nostri articuli, & Patres ibi relatos, sed causam illius futuram singularem illam directionem.

Respondetur, negando consequentiam: nam hîc possumus distinguere duplicem causam impeccabilitatis, quæ est in humanitate Christi Domini: vnam *moralem tantùm & impulsiuam, alteram illius exequentem*: sicut in Deo distinguimus scientiam tanquam causam rerum, *sed*

C *vt dirigentem voluntatem, vt applicantem potentiam* ad producendum illas, & omnipotentiam Dei vt exequentem: ita hîc possumus distinguere vnionem hypostaticam, vt *causam moralem* impeccabilitatis, quæ est in anima Christi Domini, quatenus illam constituit in eo statu, vt iure suo superiùs explicato sibi illam vendicet. & proinde eodem iure compellentem Deum ad sibi conferendum media illi exequendæ necessaria: alteram possumus causam assignare *exequentem* eiusmodi impeccabilitatem in humanitate sic vnita. Et est specialis illa protectio & directio explicata articulo præcedenti, & quoniam vnio hypostatica est motiua ratio, propter quam hæc specialis directio datur humanitati assumptæ, ideò hæc vnio etiam in nostra sententia rectè dicitur simpliciter & absolutè causa huius impeccabilitatis, sicut voluntas Dei dicitur simpliciter causa rerum, etiamsi potentia diuina sit illarum quoad executionem productiua. VII. VIII.

Neque ex his potest inferri, quia eiusmodi directio est aliqua ratione, seu in aliquo signo rationis posterior tali vnione in humanitate assumpta, dari aliquod instans, quo hæc humanitas etiam assumpta à Verbo sit peccabilis: nam licèt secundùm aliquod instans naturæ humanitas sit priùs vnita Verbo, quàm habeat specialem directionem, quatenus prius est suppositari, quàm dirigi; non tamen humanitas est priùs in aliquo vero instanti temporis vnita Verbo diuino, quàm habeat hanc specialem directionem: sed illo planè eodem instanti, quo assumitur, accipit etiam hanc specialem directionem. Vnde cùm peccabilitas, & peccatum

I. respiciant naturam rationalem vt realiter existentem, saltem secundùm aliquod verum instans rei, & non solius rationis, fit vt hæc humanitas pro nullo instanti fuerit peccabilis.

Tertiò obiicies, sicut Verbum potuit assumere humanitatem sine vlla gratia habituali, ita potuit eam sic assumere, vt tamen Deus ei non daret specialia illa auxilia, quæ continentur prædicta speciali Dei directione; hoc enim liberum est Deo, cùm sit ad extra, & aliquid distinctum à beneficio vnionis hypostaticæ: ergo in tali hypothesi humanitas manens vnita Verbo foret peccabilis: ergo non haberet impeccabilitatem ab vnione hypostatica; & sanctus Augustinus à nobis relatus supra non rectè diceret, loquendo de vnione hypostatica, *non fuisse metuendum ne Christus peccaret*, & in Enchiridio ad Laurentium capite quadragesimo,

II. *Ipsam gratiam quæ nullum peccatum potest admittere in sua natura susceptione, fuisse factam quodammodo naturalem Christo Domino*; quia hæc specialia & infallibilia auxilia, quæ importantur hac directione, nec sunt inclusa in tali vnione sumpta præcisè, nec sunt ei naturalia nec gratuita.

Respondetur, negando suppositæ efficaci volitione Dei de danda vnione hypostatica humanitati, Deum potuisse ei denegare specialia auxilia, quæ importantur per prædictam specialem directionem: licèt enim Deus sit simpliciter & absolutè liber quoad ea omnia, quæ sunt ad extra: attamen ex efficaci volitione alicuius antecedentis potest necessitari ad aliquid consequens illud necessariò, vel ei debitum ex naturali, eáque intrinseca connexione: dum enim vult aliquid, illud vult ordinatè

III. & modo suæ bonitati & sapientiæ consentaneo. Vnde cùm humanitatem Verbo diuino vnitam esse peccabilem, vel peccare, vel esse infectam peccato sit dissentaneũ prædictis duobus attributis, vt ostendimus articulo quinto & sexto, fit vt Deus non potuerit velle efficaciter hanc vnionem hypostaticam humanitatis, nisi simul vellet ei & hanc specialem directionem: sicut non potest quis velle efficaciter finem, nisi velit etiam & media ad illum finem obtinendum necessaria. Et licèt hæc directio in re & entitate sua sit aliquid distinctum à beneficio vnionis hypostaticæ, attamen in ipsa efficaci volitione huius vnionis non potest distingui ab illa: sicut licèt medium necessarium distinguatur quoad suam entitatem à suo fine, eius tamen volitio non

IV. potest non includi in ipsa efficaci volitione finis.

Atque hinc intelligitur auctoritates sancti Augustini nihil obstare nostræ propositioni. Cùm enim connexio huius specialis directionis cum humanitate vt vnita Verbo sit tam necessaria, rectè ait sanctus Augustinus non fuisse *metuendum ne Christus peccaret, cùm ipsa susceptio talis esset*, quatenus eo ipso, quo Deus efficaciter voluit hanc vnionem, ex consequenti etiam voluit efficaciter impeccabilitatem in humanitate, & specialem directionem ei ad hoc necessariam: ideóque non

A fuisse *metuendum, ne Christus Dominus peccaret*: sicut possumus dicere non esse metuendum ne Deus det media ad salutem necessaria ei, quem vult efficaciter saluari: & quia necessaria connexio datur inter impeccabilitatem, & vnionem hypostaticam, vt nunc explicatum est, ideò, quo sensu hæc vnio dicitur *esse naturalis* Christo Domino; eodem planè sensu & impeccabilitas dici potest esse ei naturalis, quatenus scilicet inest illi ratione alicuius ei substantialiter & intrinsecè conuenientis, nimirum ratione vnionis hypostaticæ: quo sensu diximus ad quæstionem secundam huius partis, vnionem hypostaticam esse naturalem Christo Domino. V.

Obiicies quartò, hæc duo distingui; *talem hominem, iuxta præscientiam Dei, nunquam esse peccaturum*, & *talem hominem esse impeccabilem*, seu non habere potentiam ad peccan-

B dum. Primum enim reperitur in confirmatis perfectissimo modo in gratia, exempli causâ, in beatissima Virgine Deipara; & ad illud sufficit singularis directio prædicta, in quibus tamen sic confirmatis in gratia non datur propriè impeccabilitas, hæc enim soli Christo Domino inter homines viatores propria est, quia hæc specialia & singularia auxilia non auferunt potentiam ad peccandum: ergo per aliquid aliud tollitur ab humanitate Christi Domini; sed illud nihil aliud potest esse quàm vnio hypostatica sumpta præcisè, quia ex suppositione præsentis difficultatis assumitur in puris naturalibus: ergo humanitas Christi Domini à sola & nuda vnione hypostatica, sine tali directione, habet, vt sit impeccabilis. VI.

C Respondetur, nos libenter admittere hæc duo ibi commemorata distingui: item viatores confirmatos in gratia non esse propriè impeccabiles, sed tantùm immunes à peccato etiam committendo, & ad immunitatem hanc prædictam singularem directionem sufficere, quos tamen non facit impeccabiles. Cuius rei hæc est ratio, quòd impeccabilitas dicat in suo subiecto aliquid intrinsecum & inexistens, ratione cuius repugnet ei etiam posse deficere, & quòd sit capax peccati: immunitas verò à peccato importet tantùm exemptionem à committendo peccato, non autem negationem aptitudinis seu capacitatis ad talem defectum admittendum in eo, quod solummodò dicitur exemptum & immune à peccato. Iam singularis illa directio, superiùs explicata, vt datur humanitati Christi Domini vnitæ Verbo diuino, VII.

D habet in Christo Domino vnionem hypostaticam illi substantialem & intrinsecam, ratione cuius implicat morali contradictione non solummodò esse peccatum, sed etiam & ipsam potentiam peccandi, vt probatum est suprà articulo sexto: at in prædictis confirmatis in gratia, prædicta directio nihil tale illis intrinsecum supponit, ratione cuius implicet potentiam peccandi esse in illis: vnde hæc directio habet tantùm in iis, vt impediat peccatum, relinquendo tamen in illis potentiam peccandi, vt ex professo docent Theologi primâ secundæ. VIII.

I.

ARTICVLVS X.

Colliguntur quatuor corollaria.

EX hactenus dictis aliquot sequuntur corollaria. Primum est in Christo Domino adhuc mortali plures potuisse causas assignari impeccabilitatis, scilicet *vnionem hypostaticam, visionem beatificam, & gratiam eius consummatam*: sed primam omniū esse vnionem hypostaticam, quia Patres semper assignant illam, & duabus aliis seclusis sola prima remanēs adhuc facit humanitatem impeccabilem, vt fusè docuimus: & præterea hæc vnio est aliqua ratio cur duæ aliæ perfectiones fuerint communicatæ humanitati Christi D. vt patet ex dictis suprà de illis: & quòd visio beatifica sit etiam aliqua causa, eáque

II. distincta ab aliis, patet, quia ex communi sententia Theologorum, Sancti in patria ex conditione sui status & actuum beatificorum, quos ibi exercent, sunt impeccabiles. Idem etiam patet de gratia. Hæc enim est perfectior gratia cuiuscumque hominis, vel etiam Angeli ex dictis ad 7. quæstionem: ergo quidquid illa de facto contulit alicui Angelorū, vel hominum, & est compossibile cum vnione hypostatica, illud etiam reipsa contulit animæ Christi Domini: sed gratia sanctificans eo ipso quo in hominibus consummatur per mortem, est talis conditionis, vt non possit amplius auelli à suo subiecto, quinimò reddit illud impeccabile etiam ante visionem & fruitionem diuinæ essentiæ, quemadmodum patet in antiquis Patribus, dum adhuc detinerentur in limbo, & in animabus detentis in Purgatorio, &

III. hæc perfectio gratiæ, scilicet *non posse auelli à suo subiecto*, est perfectio compossibilis cum vnione hypostatica, vt patet ex dictis tota hac disputatione. Igitur & habitualis gratia animæ Christi Domini eo etiam ipso præcisè, quo est consummata, reddit Christum vt hominem, impeccabilem, hic autem titulus est distinctus à duobus præcedentibus, vt vnicuique facilè constat consideranti eius fundamentum, & illud comparanti cum fundamento duorum præcedentium titulorum.

Colligitur secundò, quòd licèt peccatum veniale possit consistere cum gratia habituali, illud tamen quamtumuis leuissimum non potuisse cōmitti ab humanitate vt vnita Verbo diuino; quia habet etiam indecentiam ad diuinam bonitatem & sapiētiam, vt intelligitur ex eo quòd intrinsecè & formaliter quædam offensa Dei, &

IV. deordinatio, quemadmodum Theologi docent prima secundæ qu. 88. & proinde aliquid habens repugnantiam moralem ad prædicta attributa Dei, ratione cuius repugnantiæ Deus non potest pati illud in seipso, vel in aliquo sui, cuiusmodi est humanitas assumpta à Verbo: potest tamē illud pati in aliquo alio, sibi non vnito subsistantialiter, cuiusmodi est purus aliquis homo, vel Angelus informatus gratia habituali valde intensa; quia talis eius vnio cum Deo est tantùm *secundùm affectum*, & aliquod accidens omnino entitatiuè distinctum ab eo, nec facit suum subiectum aliquid idē subsistantialiter cum Deo, sicut hæc vnio facit vnum tantùm numero subsistens, constitutum ex humanitate & personalitate Verbi inter se coniunctis, & omnes allatæ rationes pro nostra propositione 6. art. tàm bene procedunt de peccato veniali, quàm de mortali, & tàm bene de habituali, quàm de

A actuali, siue veniali, siue mortali: & cùm illa omnia sint semper quædam deordinationes, dicantque intrinsecè aliquid turpe & indecens, & proinde habeant moralem repugnantiam cum sapientia & bonitate Dei modo explicato citato 6. art. Sed si Deus vellet assumere aliquam humanitatem tempore huius suæ volitionis infectam peccato aliquo, tunc in quodam priori quam illam de facto assumeret, eam purgaret ab omni peccato, exempli causa, si Deus voluisset assumere naturā humanam, descendentem via seminali ab Adā, prius naturā illam sanctificasset, scilicet assumendo prius natura animam quàm hæc vniretur corpori, & quia peccatum originale tunc contrahitur tantùm, quando anima coniungitur suo corpori, vnio autem hypostatica Verbi cum anima rationali sese haberet antecedenter ad vnionem animæ cum suo corpore, & ad illud instans quo peccatum originale debet resultare in illa, ideo talis anima fuisset facta incapax contrahendi peccati originalis, & simpliciter & absolutè impeccabilis, ob rationes articulo 6. allatas, quæ tam in isto casu vim suam retinerent, ac nunc quando Verbum assumpsit humanitatem non descendentem ab Adamo, via seminali, sed secundùm corpulentam dumtaxat substantiam.

V.

VI.

B

Tertiò colligitur hìc frustra quæri à nonnullis, an hypostatica vnio dissolueretur, si humanitas peccaret, cùm eam peccare pro eo statu, vel in seipsa recipere peccatum aliquod, sit omnino impossibile: qua in re eius conditio est dispar à conditione habitualis gratiæ, vt animaduertimus suprà: nam quia hæc compatitur secum potentiam peccandi in voluntate puri

VII. C hominis, vel Angeli, quæ pro sua libertate flexibili ad malum culpæ potest ad talem actum reduci, ideo deperdi potest per peccatum mortale, è contra verò hypostatica vnio, quia nullam relinquit peccandi potentiam in humanitate assumpta, quam tamen ipsum peccare actu supponit, ideo implicat illam per peccatum ab humanitate assumpta commissum deperdi, sicque frustra quæritur an si humanitas assumpta peccaret, hæc vnio dissolueretur.

Addi etiam potest & hæc alia ratio disparitatis, quòd scilicet hæc vnio constituat personam, & hypostasis requiratur necessariò (saltem iuxta ordinariam potentiam Dei) ad agendum: vnde eodem planè momento quo fit actio, & ipsa vnio personalitatis cum natura quam sustentat debet esse & manere, sicque hæc eius vnio non potest dissolui eodem instanti, quo peccatum committitur: at gratia habi-

VIII. D tualis non constituit personam operantem, sicque possumus rectè intelligere primum illud instans, quo peccatum exitit, esse primum instans, quo gratia habitualis non existit, eodem tamen supposito semper remanente.

Quòd si quis quærat, dato per impossibile, quod peccaret, an tunc hæc vnio dissolueretur. Respondetur, adhuc nullum posse dari locum huic quæstioni: quia tunc priusquam esset peccatum, & priusquam hęc vnio dissolueretur, Deus deberet velle permittere humanitatem sic vnitam incidere in peccatum, sicut vult permittere purum hominem in habituali gratia existentem incidere in aliquod peccatum mortale, sicque eius amicitiam dissolui; & repugnat Deum id velle in præsenti casu, tùm ob rationes allatas pro nostra propositione articuli 6.

I. tùm etiam quia omnis voluntas Dei debet necessariò esse rationabilis, nulla autè ratio potest excogitari, quæ cohonestet hanc permissionem, cùm Deus respectu humanitatis sic assumptæ se se gerat vt causam partialem in dirigenda eius voluntate, propter singularem illam habitudinem, quam personalitas Verbi diuini habet ad illam, vt paulò pòst explicabitur fusiùs. Ad voluntatem verò puri hominis, etiam in gratia constituti, dum vult permittere illum incidere in peccatum, sese gerit vt causa quædam vniuersalis, quæ propter bonum totius finit quosdam particulares incidere in quosdam defectus.

Quòd si quis vlterius quærat, si Deus per impossibile vellet illam permissionem, & supposito per impossibile quòd ad istam Dei permissionē peccatum sequeretur, an tunc hæc vnio dissolueretur? Respondetur, positis, non tamen concessis, omnibus istis suppositionibus impossibilibus, tunc hanc vnionem fore dissoluendam: non quidem vi & efficacia ipsius peccati physicè & formaliter considerati, quia inter illud & hanc vnionem nulla datur realis repugnantia: nec etiam ex vi peccati vt demeritoriè spectati, quia nullus talis actus potest exerceri à natura existente in tali supposito: sed ad fictitiam illam permissionem Dei factam ante vllum consensum huius humanitatis in peccatum, iam ex ipso quo Deus vellet efficaciter hanc permissionem, deberet consequenter velle media necessaria ad illam, quorum vnum est potentia peccandi in voluntate, quæ non potest reperiri in ea, quatenus vnita hypostaticè Verbo diuino, quemadmodum probant quæ diximus articulo sexto. Vt igitur hæc potentia præexistat peccato in voluntate, debet Deus ex simplici & absoluta sua voluntate, nullo interueniente peccato, priùs dissoluere hanc vnionē, vt hæc creata volitas pòst modū sibi relicta, sit labilis in peccatum.

II.

III.

Colligitur quartò, ad hanc impeccabilitatem haberi se impertinentes, seu ad illam nihil conducere quòd natura assumpta nouerit se esse vnitam hypostaticè Verbo diuino. Nam etiamsi ignoraret, quia tamen non desineret esse in persona diuina, & esset aliquid intimum & subtantialiter vnitum Deo, Deus autem nihil potest pati in seipso vel in aliquo suu, quod sit turpe & dissentaneum rectæ rationi, humanitas sic assūpta semper esset & permaneret impeccabilis.

Articvlvs XI.

Soluuntur fundamenta sententiæ negantis Christum vi vnionis hypostaticæ esse impeccabilem.

IV.

Primvm est. Illud potest competere humanitati assumptæ à Verbo quod est ei naturale, nisi impediatur aliquo sibi superaddito: atqui ipsum posse peccare est naturale humanitati, iuxta illud Psal. 115. *Omnis homo mendax*, & illud primæ S. Ioan. cap. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas non est in nobis*; & iuxta hypothesim præsentis difficultatis nihil superadditur humanitati assumptæ, quo impediatur ne possit peccare. Ergo humanitati Christi Domini vt à Verbo diuino assumptæ in puris suis naturalibus, competit posse peccare. Minor est certa apud omnes, vnde etiam Scholastici tàm primâ parte agendo de Angelis, quā prima secūdæ agendo de peccatis, docent Deum non posse creare aliquam creaturam, quæ natura sua & solis suis viribus sit impeccabilis. Tota difficultas restat de Maiori, quæ sic probatur. Humanitas non est facta potentior ad operandum per vnionem hypostaticam præcisè sumptam, vt iam animaduertimus: ergo vbi est assumpta à Verbo in puris tantùm naturalibus, illud quod ei est naturale, totum ei competit.

A

V.

Confirmatur primò hæc ratio. Humanitas Christi Domini etiam vnita Verbo diuino indiget auxilio gratiæ adiuuantis ad bene operandum: ergo, substracta tali gratia quæ non includitur in ipsa vnione hypostatica, poterit sibi soli relicta delicere & peccare.

Confirmatur secundò. Humanitas sic considerata tunc tantum potest quomodo, quātum purus homo absque gratia, tàm actuali quàm habituali: atqui purus homo destitutus hac vtraq; gratia potest facillimè labi in peccatum, imò non potest esse diu absque peccato, vt intelligitur ex iis, quæ Theologi communiter docent de necessitate gratiæ, prima secundæ quæst. 109. ergo & humanitas cum solis suis perfectionibus naturalibus assumpta à Verbo, & nullo alio sibi superaddito impedita, poterit peccare.

B

VI.

Respondetur, distinguendo Maiorem, de his quæ competunt humanitati *secundùm esse rei*, prout esse ei opponitur *esse moris*, & de his quæ ei competunt *in esse moris*. Si enim procedat de iis, quæ priori modo ei conueniunt, admittitur, quia sic habet omnia sibi naturalia, excepta propria subsistentia, quæ in conceptu integræ humanitatis non includitur: & hoc modo intellecta propositio non militat contra nostram sententiam, quia peccatum vt formaliter peccatum non est de hoc genere: si verò eadem maior propositio procedat de iis quæ ei competunt *in esse moris*, cuiusmodi est peccatum, & quo sensu facit ad propositum, negatur: quia eo ipso quo assumitur à Verbo est nobilior omnibus aliis humanitatibus, pluráque ei competunt, exempli gratia, quòd actiones eius sint perfectiores, sint magis meritoriæ; pari iure competit ei eodem titulo vt Deus non patiatur in ea aliquam turpitudinem & indecentiam moralem, & ex consequenti vt habeat directionem necessariam, ad euitandum illam: & ad summū prima hæc ratio tantùm cōuincit humanitatem assumptam, quātum est ex se & ex suis principiis nudè cōsideratis, potuisse peccare, quod nos non negamus, & satis etiam expresè S. Thomas docet citata illa qu. ad 12. dist. 3. sentent. quando ait posse concedi animam Christi Domini potuisse peccare sub hac conditione *(si voluisset Deus)* dum enim subiungit hoc antecedens, *si Deus voluisset*, satis denotat eam nudè spectatam potuisse peccare: & quando ibidem ait prædictum *fuisse impossibile*, satis significat illam, prout subest vnioni hypostaticæ, non potuisse peccare, quia ratione existentiæ eius in Deo, Deus non potest velle pati turpitudinem & indecentiam esse in illa.

C

VII.

D

VIII.

Hinc patet solutio ad probationem Minoris: nimirum humanitatem per vnionem hypostaticam non fuisse factam potentiorem ad operandum *physicè*, sed tantùm ad operādum *moraliter*, in quo genere est *ipsum peccare*, & posse peccare.

Ad Confirmationes respondetur, quia in præsenti hypothesi humanitas fuisset assumpta in puris naturalibus, tunc illam etiam non fuisse habituram auxilia supernaturalia gratiæ actualis ad vitandum peccatum; sed tunc potuisset

I. fugere omnia & singula peccata per directionem superiùs explicatam.

Secundum fundamentum est. Ea tantùm implicant fieri, quæ dicunt contradictionem: atqui vnionem hypostaticam & humanitatem assumptam à Verbo posse peccare non implicat contradictionem; quia peccatum vel est aliquid reale & positiuum, & sic, cùm contradictio propriè sit inter terminum positiuum & negatiuum, subsistentia item sit aliquid positiuum, non implicat contradictionem humanitatem assumptam posse peccare, vel esse in peccato. Vel peccatum est quid priuatiuum gratiæ & rectitudinis, quæ debet inesse actui humano libero, non autem est priuatio vel negatio vnionis hypostaticæ, vt patet, in habentibus gratiam habitualem, qui licèt careant vnione hypostatica, non propterea dicuntur esse in peccato. Ergo nulla erit contradictio inter vnionem hypostaticam, & ipsum peccatum, seu esse in peccato.

II. B

Respondetur ex primo & secundo notabili præmisso articulo secundæ huius disputationis, duplicem dari repugnantiam, *moralem vnam*, & alteram *physicam*, & non ea tantùm repugnare, quæ physicam habent contradictionem, sed etiam quæ dicunt moralem, & talem dari inter vnionem hypostaticam, & quodcumque peccatum, vt suprà ostendimus.

Tertium fundamentum est. Siquæ sit ratio cur humanitas vnita Verbo non possit peccare, est, quia tunc peccatum imputaretur Deo: at id non sequitur; nam ista imputatio eueniret, vel quia Deus moueret humanitatem ad sic agendum, seu ad peccandum, vel quia, licèt non moueret, deberet tamen motum hunc in peccatum impedire in humanitate assumpta. Nam his duobus modis liberæ actiones corporis imputantur ipsi homini, vel etiam actiones aliorum qui ad eum aliquo modo pertinent, vt patet ex communi experientia: at neuter modus habet locum in præsenti hypothesi; non primus, quia tunc persona diuini Verbi non magis moueret humanitatem ad agendum, quàm persona Patris, cùm actiones Dei ad extra sint communes toti Trinitati, imò nec magis quàm moueat purum hominem cùm peccat: ergo quemadmodum prauæ actiones humanitatis vnitæ soli Verbo tunc non possent imputari personæ diuinæ Patris primo illo modo, & sicut prauæ nostræ actiones non imputantur Deo; ita nec peccatum commissum ab humanitate assumpta posset isto modo imputari Verbo diuino. Confirmatur. Si Angelus assumeret hypostaticè humanam naturam aliquam, dum voluntas humana peccaret per proprium suum libetum arbitrium; voluntas Angelica non diceretur eam ad illud mouere, quia tunc tantùm terminaret dependentiam eius, nec esset ei actiuum principium agendi liberè. Ergo pari ratione quia humana voluntas Christi Domini habet à seipsa quod sit actiuum principium propriæ suæ actionis liberæ, si assumpta cum solis perfectionibus naturalibus peccaret, peccatum eius non posset tribui Verbo diuino, nec quòd moueret humanitatem ad sic agendum seu peccandum.

III. C

IV. D

Non item secundo modo est impeccabilis, scilicet, ex eo quòd peccatum istud tribueretur Deo, quatenus ille non impediret talem motum voluntatis in peccatum; tùm quia nulla cadit obligatio in Verbum diuinum, sicut nec in Deum; tùm etiam quia licèt aliqua naturalis obligatio resultaret in Verbum ex tali vnione, illa tamen tantùm esset ad terminandum actiones naturæ, & non ad esse principium illarum. A V.

Confirmatur. Si per hypothesim Verbum diuinum assumpsisset ignem hypostaticè, cuius actio est combustio, tunc non teneretur impedire ne combureret domum alicuius pij pauperis, quia combustio est naturalis igni, & Verbum sic assumens consideratum præcisè secundùm vnionem habet solummodo quod naturam sustentet. Ergo pari ratione, quia posse peccare est naturale humanitati spectatæ in puris naturalibus, si talis assumeretur à Verbo, quia Verbum vi vnionis illam solummodo sustentaret, non teneretur illam à committendo peccato impedire. VI.

Respondetur, hoc esse secundariam aliquam rationem nostræ propositionis, non primariam: hæc enim est vnio hypostatica, iuxta modum explicatum art. 8. nam si Deus non potest rationabiliter pati in se vel in aliquo sui turpitudinem peccati, vt probatum est, si admittatur illam pati in humanitate sibi inexistente, iam facit aliquid dissonum rectæ rationi, & ex consequenti peccat: non quidem quia moueret illam ad peccandum, sed quia ex suppositione, quòd hæc humanitas sit ei vnita hypostaticè, tenetur impedire ne committat aliquod peccatum propter prædictam repugnantiam moralem: licèt enim obligatio non cadat in Deum absolutè loquendo, nec ille sit capax alicuius legis latæ à superiori, potest tamen ex aliqua suppositione, quòd hæc humanitas sit ei vnita, cadere in illum obligatio: ita vt malè ageret, si secus operaretur, quatenus faceret aliquid indecens, sicut mentiendo malè ageret, non quia violaret legem superioris alicuius, sed quia operaretur contra dictamen suæ sapientiæ dictantis mendacium esse malum. VII.

Ad id autem quod obijcitur (*Verbum in tali hypothesi nõ magis moueret humanitatem ad agendum, quàm persona Patris aut Spiritus sancti.*) respondetur, dupliciter hîc posse distingui motionem: primam *physicam*, & hanc esse communem toti Trinitati: alteram *moralem*, quæ est dominium, & libertas in actiones terminando illas, & hæc in præsenti mysterio est solius Verbi diuini: nam prima quæst. huius partis ostendimus Verbum diuinum vi huius vnionis habere quoddam speciale dominium in actiones humanitatis assumptæ, distinctum ab eo dominio, quod est ei commune cum aliis personis diuinis. Vnde ratione illius, & ex suppositione quòd solum Verbum cum assumpsit in vnitatem suppositi, etiam sola secunda persona Trinitatis primò per se directè & immediatè obligaretur impedire peccatum in illa: quia tamen id demandatur executioni per singularem directionem, quæ est aliquid ad extra pendens à voluntate diuina, vt communi omnibus personis diuinis, & natura diuina habet mediatam vnionem cum humanitate, vt exposuimus q. 2. huius partis; ideo duæ aliæ diuinæ personæ indirectè, & ex consequenti tenentur impedire peccatum in humanitate assumpta à solo Verbo. Et hoc potest illustrari exemplo sumpto à nobis, in quibus appetitus & aliæ facultates animæ sentientis sunt subordinatæ voluntati & rectæ rationi, voluntas VIII.

I. nostra tenetur eas gubernare, nec aliquas in illis permittere deordinationes. Si enim non refrænet appetitum in quampluimis motibus peccat grauiter, vt Theologi docent agendo de peccatis: ergo cùm humana natura sit subordinata Verbo diuino eam sustentanti hypostaticè, illud debet eam præseruare à culpa, quam si permittat, tunc speciali titulo ei imputabitur, sicut ei conuenit aliquod speciale dominium in omnes actiones humanitatis à se assumptæ.

Neque huic responsioni & exemplo obstat, quod in vnoquoque nostrûm vna tantùm sit voluntas, in Christo autem Domino duæ. Hanc enim obligationem fundamus præcisè *in speciali subordinatione* humanitatis assumptæ ad Verbum eam sustentans: & exemplum nunc allatum est ad id explicandum, cui (quantum II. præcisè spectat ad hoc) est per accidens, quòd duæ sint voluntates. Hæc enim obligatio in nobis non prouenit ex vnitate voluntatis, sed præcisè *ex prædicta subordinatione*, vt patet ex eo quòd, licèt superior & subditus habeant distinctas voluntates, nihilominus tamen, quia subditus subordinatur superiori, hic tenetur istum dirigere, & impedire mala eius, quando attentis omnibus circumstantiis potest commodè illud præstare.

Ad primum exemplum respondetur, in ista hypothesi Angelum fore obligatum impedire, quantû posset, peccatum in humanitate assumpta: ideóque si illa defectu directionis possibilis Angelo laberetur in peccatum, illud Angelo tribueretur propter suam negligentiam: cùm enim illam efficeret sibi propriam per talem assumptionem, similiter teneretur eam benè dirigere III. in suis actionibus, nô minus quàm homo membra sua externa.

Ad secundum exemplum desumptum ab igne respondetur, non esse parem rationem, quia Verbum debet tantùm dirigere naturam assumptam *modo ei consentaneo & debito*. Vnde si natura assumpta sit libera, debet illam dirigere in illis actionibus liberis: si verò sit irrationalis, non est necesse vt dirigat actiones eius in finem per se honestum, quia honestas non conuenit istis actionibus non liberis.

Vltimum fundamentum est. Deus non est minus viuens per essentiam, quam bonus & sapiens per essentiam: sed ex eo quòd Deus est viuens per essentiam, non repugnat Christo quòd sit mortuus, cùm tamen mors opponatur vitæ. Ergo, per eandem communicationem idiomatum, non repugnabit tribui ei quòd peccet, vel IV. possit peccare, quamuis peccatum opponatur bonitati & sapientiæ per essentiam.

Respondetur, verum quidem esse Deum tàm esse vitam per essentiam, quàm est bonitas & sapientia per essentiam: sed rationem nostram non fundari præcisè in eo, quòd sit bonus & sapiens per essentiam, quia si per impossibile esset tantummodo participatione bonus & sapiens, & nihilominus potens amouere omnes occasiones peccati, & ita dirigere alium, vt non posset peccare: tunc adhuc intelligeremus eum obligari impedire peccatum in natura humana, quam assumendo faceret sibi propriam in supposito, ob rationes allatas pro nostra sententia. Ratio verò disparitatis, cur Deo possit tribui mors per communicationem idiomatum ratione naturæ assumptæ, peccatum verò non

A item, est, quòd mors nullam habeat *moralem repugnantiam* ad Deum in aliena natura, sed *tantùm physicam* in propria, quæ tollitur eo ipso quo natura est aliena. Item mors *est malum pœnæ*, & Deus posset esse causa & *auctor mali pœnæ* sine vlla repugnantia *etiam moralis* ad suam bonitatem & sapientiam, quam tamen moralem repugnantiam peccatum, etiam in aliena natura à diuino supposito assumpta, semper retinet. V.

Ex qua responsione sequitur, primò Deum potuisse assumere naturam habentem solummodo reatum pœnæ temporalis: nam reatus iste propriè loquendo non esset reatus respectu Verbi, cùm reatus, vt sic, sit debitum pœnæ exoluendæ, non pro quibuscumque peccatis, sed pro propriis: peccata autem per humanitatem commissa ante eius vnionem non pos- B sent tribui Verbo secundùm hanc rationem, quia amplius non essent, sed secundùm rationem debiti satisfaciendi, quo modo nullam dicit indecentiam, sicut nec debitum, quod Christus Dominus habuit satisfaciendi pro nobis. Dixi (*pœnæ temporalis*) quia implicat naturam assumptam ab aliqua ex personis diuinis esse ream damnationis æternæ, ob rationes allatas prô nostra sententia. VI.

Sequitur secundò, nullam diuinam personam potuisse assumere naturam rationalem infectam habitibus vitiorum, licèt illi possint sicut in nobis consistere cum gratia sanctificante: esset enim in tali persona assumente magna imprudentia, cùm posset facilè illos à se expellere, sicut nostræ ignauiæ & imprudentiæ tribuetur quòd illi nobis inessent, nec studeremus illos depellere, si id præstare possemus. C VII.

DISPVTATIO II.

De fomite peccati.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm fomes peccati fuerit in anima Christi Domini.

AOTANDVM est primò, *fomitem peccati*, seu *concupiscentiam*, vt alio nomine vocatur, nihil esse aliud *quàm inclinationem quamdam & motum, non tantùm appetitus sensitiui, sed etiam aliarum potentiarum animæ, quæ aliquid participant de libertate*, exempli gratia intellectus, voluntatis, phantasiæ, *in obiecta contra, vel præter legem rectæ rationis*: quæ inclinatio in ratione fomitis prouenit immediatè ex priuatione iustitiæ originalis, mediatè verò ex peccato originali, vt patet ex Concilio Tridentino, sessione 5. can. 5. vnde fomes ille suprà prædictas potentias animæ nihil addit, nisi hanc imperfectionem, nempe esse *causam propinquam peccati, præuenire rationem, & moueri contra, vel præter dictamen* rectæ rationis: quæ imperfectio, quatenus prouenit ex nuda natura, non constituit fomitem peccati, quia sic nullum vmquam habuit, sed est tantùm naturalis conditio humanæ naturæ: quatenus verò est in nobis ex priuatione iustitiæ originalis, quæ sustulerat hanc D VIII.

I. impetfectionem quatenus faciebat in homine legitimam ſubordinationem partium inferiorum ad ſuperiores, habet rationem fomitis peccati, ſic dictus, quòd inclinet, ſuggerat, & veluti foueat peccatum, quatenus fertur in bonum ſenſibile præter & contra rationem: qui fomes licèt à nobis ſit ſublatus per baptiſmum, quatenus habet rationem alicuius *pœnæ peccati originalis*, manet tamen in *nobis ad agonem & exercitium*, vt Concilium Tridentinum definit ſuprà.

Notandum ſecundò, hunc fomitem duobus modis poſſe conſiderari, primò vt in actu primo, deinde vt in actu ſecundo; fomes iſte in actu primo, nihil eſt aliud quàm prædictæ vires ſeu potentiæ animæ rationalis, prout habent inclinationem nunc explicatam, in actu
II. primo, ſeu prout ſunt expeditæ, & proximè mobiles ad eliciendos prædictos actus præter vel contra dictamen rectæ rationis præueniendo illam: fomes peccati in actu ſecundo, eſt ipſamet actualis motio iſtarum potentiarum in prædicta ſua obiecta; præter vel contra rectam rationem. His ita præpoſitis,

Sit hæc noſtra propoſitio. *Fomes peccati nec in actu primo, nec in actu ſecundo fuit in Chriſto Domino.* Ita omnes Theologi tàm hac quæſtione, quàm tertio ſententiarum: & hæc propoſitio vel eſt de fide, vel ſaltem proximè accedit ad fidem: nam in quinta Synodo generali collat. 8. can. 12. & in ſexta Synodo actione 11. definitur in Chriſto Domino fuiſſe *tantùm paſſiones irreprehenſibiles & innoxias*: at fomes peccati dicit paſſionem noxiam, reprehenſibilem, & in-
III. ordinatam, cùm aliquando vocetur à ſacris Litteris *peccatum*, non quòd ſit propriè peccatum, ſed quòd ſit à peccato, & inclinet ad peccatum, & Concilium Tridentinum loco citato explicat.

Probatur primò ex ſacris Litteris, quibus ſuprà oſtendimus Chriſtum Dominum nec peccaſſe, nec potuiſſe peccare: ad Hebræos ſeptimo capite, Chriſtus Dominus dicitur *impollutus, longè ſegregatus à peccatoribus*: at ſi haberet fomitem peccati, non eſſet ſegregatus ab illis: qui enim eſt peccator in actu primo, & inclinatus ad peccandum, non eſt omnino ſegregatus à peccatoribus.

Probatur ſecundò. Quicumque habet fomitem peccati, poteſt de lege ordinaria peccare: at Chriſtus Dominus de lege ordinaria non potuit peccare, imò nec de extraordinaria, vt tota præcedenti diſputatione docuimus: ergo nec
IV. habet fomitem peccati.

Probatur tertiò, ex Patribus docentibus luctam illam inter ſpiritum & carnem, ſeu legem illam peccati, de qua Apoſtolus ad Rom. 7. non fuiſſe in Chriſto Domino: per hoc enim vtrumque nihil aliud intelligitur, quàm fomes peccati. Sic S. Auguſt. lib. de correptione & gratia, lib. 2. de peccatorum meritis capite 21. libro 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 11. ſic S. Leo epiſt. 11. ad Iulianum, S. Damaſc. lib. 3. de fide orthodoxa cap. 20. & 23. & alij.

Probatur quartò iis omnibus rationibus, quibus ſuprà oſtendimus nullum peccatũ fuiſſe in Chriſto Domino: hic enim fomes habet aliquam indecentiam, vt ſignificat Apoſtolus, dum de illo vt exiſtente in ſeipſo conqueritur, & proinde habet moralem aliquam repugnantiam ad diuinam bonitatem & ſapientiam, vt

A Deus illum patiatur in ſeipſo, aut in aliquo ſui, cuiuſmodi eſt humanitas aſſumpta à Verbo. V.

Deinde, *quòd fomes iſte ſpectatus iuxta actum ſecundum, non fuerit in Chriſto Domino* probatur. Primò, ſi fuiſſet, Chriſtus Dominus peccaſſet de facto, quod aſſerere eſt hæreticum. Probatur. qui ſinit iſtos motus in ſeipſo liberè, nec eos impedit quando poteſt, peccat, etiamſi non conſentiat in id, ad quod motus iſti pertrahunt, vt patet de eo qui ſcienter & cum ſufficienti aduertentia rationis habet delectationem moroſam, nec ei reſiſtit: atqui Chriſtus Dominus etiam viator poterat impedire iſtos motus, ſi quos habuiſſet, quia habebat excellens quoddam dominium in ſuas omnes potentias, præterea perfectam cognitionem eorum omnium, quæ poterant ei contingere, & ſingularem directionem Dei pro VI.
exercendis omnibus ſuis actionibus, vt præcedenti diſputatione explicatum eſt: ergo ſi tunc habuiſſet fomitem peccati, in actu ſecundo peccaſſet, quod aſſerere eſt hæreticum: atque hoc modo ſanctus Thomas eſt intelligendus infrà, quæſtione 41. articulo primo, in reſponſione ad tertium, quando ait tentationem, quæ eſt à carne, non poſſe eſſe ſine peccato: id enim non intelligit ſimpliciter, & abſolutè, ſeu de omni tali tentatione, quia ſic illud eſt falſum ex Tridentino ſuperiùs relato, ſed de ſola illa tentatione, ſi ſic fuiſſet facta in Chriſto Domino, quemadmodum hæc noſtra ratio oſtendit, & ſanctus Thomas ibi loquitur de tentatione Chriſti Domini.

Probatur ſecundò. Actus ſecundus ſupponit actum primum: at fomes peccati ſecundum
C actum primum non fuit in Chriſto Domino, vt VII.
iam oſtendimus: ergo. Probatur tertiò. Chriſtus Dominus venit in carne paſſibili ad deſtruendam vim peccati: ergo non debuit illam ſentire: at ſenſiſſet illam ſi habuiſſet fomitem peccati ſiue in actu primo, ſiue in actu ſecundo, quia, fomes eſt aliquis effectus peccati. Igitur Chriſtus non habuit fomitem peccati, ſiue in actu primo, ſiue in actu ſecundo.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

OBIECIES primò. Chriſtus Dominus ad Hebræos 4. dicitur *tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*: atqui fomes iſte non eſt propriè peccatum, ex Trident. ſuprà articu-
D lo 1. ergo Chriſtus Dominus videtur habuiſſe VIII.
fomitem peccati.

Reſpondetur, *duplices diſtingui tentationes, alias internas, alias tantùm externas: internas* fieri per fomitem peccati, ſeu per potentias animæ inclinantes vel excitantes ad aliquod bonum contra, vel præter dictamen, & ordinem rectæ rationis: *externas* autem fieri à mundo, vel diabolo proponente peccatum. Ibi particulam illam Apoſtoli *(per omnia tentatum)* ſolummodo intelligi de *tentationibus purè externis*, quia hæc particula *(per omnia)* debet intelligi accommodatè ad naturam & conditionem Chriſti Domini, ſicut & in aliquibus aliis ſacræ Scripturæ locis ſignũ illud vniuerſale *(omne)* accipitur iuxta *moralem loquendi modam*, etiam quando tantùm eſt ſermo de multis, & non de omnibus: ideòque cùm Chriſtus D.

I. non habuerit fomitem peccati quocumque modo ille consideretur, vt probauimus, non potuit Christus Dominus internis tentari tentationibus, sed solummodo externis, & de his intelligendus est Apostolus. Hinc quando Christus Dominus apud nonnullos Patres dicitur *passus aliquas inuisibiles tentationes vltra visibiles*, nomine inuisibilium non intelliguntur interiores, sed istæ exteriores, quæ non fiebant à dæmone sub forma aliqua visibili, seu in aliquo corpore assumpto, sed aliquibus signis externis quidem Christo Domino, de se tamen & ex sua conditione magis occultis, & non tam apparentibus.

Obiicies secundò, Christus Dominus assumpsit omnes defectus corporis humani communes toti naturæ, quia illi non sunt peccata, & deseruiunt fini Incarnationis in carne passibili, quatenus Christus Dominus iis vsus est pro nobis redimendis, mœrendo, patiendo lassitudinem, sitim, famem, & id genus alia: atqui fomes iste est aliquis defectus communis toti naturæ hominum, quia communiter omnes illum habemus, & in nobis etiam per baptismum renatis remanet, nec est peccatum, sed est ad agonem & vtiliter, vt Concilium Tridentinum citato loco articulo primo huius disputationis definit, quatenus resistendo ei viriliter, & certando legitimè coronabimur à Deo. Ergo & Christus Dominus videtur illum assumpsisse. II.

Respondetur disparem esse rationem fomitis peccati, & istorum defectuum corporis: quòd hi fuerint vtiles fini Incarnationis, vt rectè obiectio notat: at fomes peccati ad nihil potuit esse vtilis in Christo Domino: nam deseruit tantùm ad agonem & exercitium, prout tentationes fiunt *ab intrinseco*, omnes autem tentationes Christi Domini potuerunt esse solummodo *ab extrinseco*, vt intelligitur ex S. Thomæ citat. quæstione 41. III.

Articvlvs III.

Quomodo sit extinctus fomes peccati in anima Christi.

Sit hæc nostra propositio. *Eodem modo, & iisdem causis, & principiis fomes iste peccati fuit extinctus in Christo Domino, quo & quibus principiis & causis eius humanitas fuit facta impeccabilis*: id est, vnio hypostatica, ob moralem repugnantiam quam habet cum fomite peccati, fuit vera causa & principium extinctionis fomitis peccati in Christo Domino: id autem per quod realiter & physicè primò, & per se hæc extinctio fuit demandata executioni, est singularis directio explicata præcedenti disputatione, excellens item illud dominium, quod anima Christi Domini habuit in omnes suas potentias, & perpetua illa vigilantia rationis, quâ præueniebat omnia illa, quæ possent suum appetitum inducere ad peccatum. IV.

Tota hæc propositio facilè sequitur, & intelligitur vera ex dictis disputatione præcedenti: nam eadem est radix, eadem causa, idem principium impeccabilitatis absolutè & simpliciter dictæ in aliqua natura humana, ac extinctionis fomitis peccati in illa: & similiter idem modus exequendi istam extinctionem: ipsum enim *habere fomitem peccati*, est *esse formaliter peccabilem*: in tantum enim aliquis est peccabilis, in quantum habet in se & ex se potentiam proximam peccandi: & nomen hoc *fomes peccati* satis indicat hanc proximam potentiam peccandi: nihil enim potest esse incentiuum peccati, nisi in eo quod est subiectum capax peccati: atqui ex dictis præcedenti disputat. vera radix, causa, & principium impeccabilitatis Christi Domini est vnio hypostatica, & medium quo illa demandata fuit executioni, est prædicta singularis directio ex parte Dei, & ex parte Christi Domini excellès dominium quod habet in omnes suas potentias, item summa illa vigilantia, quæ omnibus suis potentiis & actionibus inuigilabat: ergo fomes etiam peccati fuit extinctus in Christo Domino vi vnionis hypostaticæ, & hæc eius extinctio demandata executioni per prædictam singularem directionem, excellens illud dominium, & summam vigilantiam, quam Christus Dominus habet in omnes suas potentias & actiones. V. VI.

Articvlvs IV.

Dubium soluitur.

Quæres, *quare pro principio extinctiuo huius fomitis peccati, non assignemus visionem beatificam animæ Christi Domini, item virtutes illa, quas habuit in gradu perfectissimo, & optimam illam corporis eius complexionem.* Respondetur nos velle hic assignare veram & omnium primam causam illius, sicut præcedenti disputatione assignauimus primam causam impeccabilitatis eius. Nam si humanitas esset assumpta à Verbo in puris naturalibus, quemadmodum esset impeccabilis, ita etiam careret fomite peccati, non tantùm secundum id quod habet ratione fomitis peccati, iuxta primum notabile primi articuli huius disputationis, sed etiam secundùm id, quod illius reperiretur in puro homine in solis naturalibus creato, scilicet iuxta illam propensionem ad bonum sensibile, contra vel præter dictamen rectæ rationis, propter moralem illam repugnantiam fundatam in indecentia ad diuinam bonitatem & sapientiam, quam habet cum vnione hypostatica: quæ vnio, quia est aliquid intrinsecum Christo Domino, & moraliter perficiens appetitum sensitiuum & reliquas potentias animæ, facit vt talis fomes extinguatur, & detur ei singularis illa directio ad id requisita pro conditione status, in quo talis humanitas assumitur: & quemadmodum præcedenti disputat. diximus Christum Dominum esse impeccabilem pluribus titulis, ita etiam dicimus eum in eo statu, in quo fuit de facto positus, habuisse etiam nouo quodam titulo fomitem peccati extinctum, scilicet vi & efficacia visionis beatificæ: cùm enim hæc faciat animam in qua est continuo vigilantem, & incõuertibiliter inhærentem & adhærentem Deo, ita vt nihil possit apprehendere vt hic & nunc appetibile, quod adaersetur rectæ rationi, item rapiat voluntatem in amorem Dei, dèrque animæ dominium quoddam excellens in suas potentias, rectè etiam intelligimus hunc fomitem nouo quodam titulo, & nouis quibusdam causis fuisse extinctum in Christo Domino per visionem beatificam: & sicut in statu innocentiæ fomes ille peccati fuisset sublatus seu extinctus vi iustitiæ originalis, quæ per virtutes infusas animæ & eius potentiis continuisset in iis omnia secundùm rectam & prudentem subor- VII. VIII.

I. dinationem, & homo habuisset omnia ad id etiam ex parte Dei requisita: sic cùm Christus Dominus habuerit omnes virtutes in gradu longè eminentiori quàm fuerint in primis nostris parentibus constitutis in statu innocentiæ, habuit etiam hoc alio titulo fomitem peccati omnino extinctum.

Tandem, quia inclinatio appetitus sensitiui multum pendet à complexione, & qualitatibus corporis: (nam experientia docet alios aliis maiores sentire inclinationes ad peccatum pro varia eiusmodi qualitatum inter se mixtione) & complexio corporis Christi Domini fuit perfectissima, vt annotauimus ad præcedentem quæstionem sancti Thomæ, fit vt illa etiam aliquid contulerit ad extinctionem fomitis in Christo Domino demandandam executioni:

II. quia tamen tàm visio beatifica, quàm infusio virtutum in tàm excellenti gradu facta animæ Christi Domini supponunt vnionem hypostaticam seipsis priorem in aliquo instanti naturæ, vt suprà docuimus, & hæc complexio optima non est per se sola ad id sufficiens: ideo tantùm recurrimus ad vnionem hypostaticam, & prædictam singularem directionem, vt primam & veram causam extinctionis fomitis peccati in Christo Domino.

ARTICVLVS V.

Vtrùm fomes iste potuerit esse in Christo.

REPETENDVM est fomitem peccati posse duobus modis considerari: primo, vt

III. est inclinatio appetitus & aliarum virium animæ, orta ex priuatione iustitiæ originalis & peccato, quo illam in primo parente perdidimus: alio modo quatenus præscindit ab eiusmodi origine & causa, estque tantùm inclinatio appetitus sensitiui, & aliarum virium animæ in bonum sensibile contra vel præter dictamen rectæ rationis. Hunc fomitem spectatum primo modo non potuisse esse in Christo Domino, etiam per absolutam potentiam Dei facilè omnes illi admittunt, qui præcedenti disputat. fatentur nobiscum nulla potentia fieri potuisse vt Christus Dominus esset peccabilis. Sed de hoc fomite spectato posteriori tantùm modo, secundum quem esset in humana natura constituta in puris suis naturalibus, est difficultas: Vasquetius disput. 61. capite 8. num. 55. & seq. affirmat potuisse assumi.

IV. Verùm sententia contraria nobis videtur melior: quare sit hæc nostra propositio. *Implicat contradictione morali Verbum, aut aliam ex personis diuinis assumere naturam humanam cum fomite peccati, quatenus dicit tantùm inclinationem in bonum sensibile contra vel præter dictamen rectæ rationis:* ita colligitur ex S. Thoma hîc articulo 2. & lib. 3. sentent. distinct. 12. quæst. 2. art. 1. & 2. & ita communiter tradunt omnes eius discipuli.

Probatur his omnibus rationibus, quibus articulo primo nostrâ propositionem stabiliuimus. Nam repugnat morali contradictione Deum pati in se ipso, vel in aliquo sui aliquam indecentiam: at humanitas vt vnita Verbo est aliquid ipsius Verbi moraliter spectati, & fomes peccati hoc speciali modo spectatus continet aliquid indecens, vt explicatum est ibi ex Apostolo.

A Deinde, vbi aliqua natura est nata apta subesse directioni alicuius superioris, est ei imperfectio & indecentia inclinari ad contrarium eius, licèt de facto nullos actus habeat correspondentes tali inclinationi, & habere eiusmodi inclinationem loquendo præcisè est esse peccabilem, vt suprà ostensum est: atqui natura humana, etiamsi assumpta esset à Verbo in puris tantùm naturalibus, esset apta nata regi dictamine rectæ rationis, hoc enim est ei proprium & naturale, & nihilominus sic posito fomite in illa inclinaretur ad contrarium, vt per se patet, & ex dictis articulo præcedenti repugnat naturæ à Verbo assumptæ esse peccabilem: ergo naturæ humanæ sic assumptæ est imperfectio & indecentia, imò constituitur de facto peccabilis, si habeat fomitem peccati sub hac

B ratione spectatum.

V.

VI.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ præcedenti articulo relatæ.

PRIMVM est. Verbum diuinum non obligatur dirigere naturam alienam à se assumptam; ergo nulla culpa ei imputaretur, si prauos illos affectus admitteret.

Respondetur, hoc fundamentum nihil vrgere contra nostram propositionem. Primùm, quia in superiori disputatione, articulo vndecimo, ostendimus singulari titulo incumbere Verbo diuino terminanti humanam naturam, eam & eius liberas actiones dirigere, ex cuius directionis omissione, peccatum quod committeretur

III. rectè imputaretur illi.

VII.

C Secundò est, quòd tota inordinatio huius fomitis cõsistat in actu secundo illius, quia dedecet Verbum operari istos actus: at iste fomes posset esse in humanitate assumpta absque tali actu secundo, quatenus tunc iste fomes non esset extinctus, sed solummodo ligatus, vel per singularem directionem Dei, vel per abundantiam virtutum & gratiæ, quibus impediretur exire in actum secundum, sicut iuxta S. Thomam infrà quæstione 27. articulo 3. fuit tantùm ligatus in beatissima Virgine, quando adhuc existens in vtero matris suæ primùm sanctificata est; & sic ratio seu voluntas nunquam ei consensuret, quin potiùs dissentiendo mereretur, eúmque solummodo haberet ad agonem.

Respondetur, falsùm esse totâ deordinationé fomitis consistere tantùm in actu secundo illius:

D nam obseruauimus ex Apostolo illum etiam in VIII. actu primo dicere aliquid deordinatum: nec fomes peccati potest tantùm ligari in Christo Domino, cùm habeat vnionem hypostaticam sibi intrinsecam causam illius necessariò extinctiuam: quod verò fomes peccati non potuerit esse in Christo Domino etiam ad solum agonem, docuimus in præcedenti.

Tertium fundamentum est. Deus absolutâ suâ potentia potest assumere hypostaticè naturam alicuius bruti cum suo appetitu sensitiuo, habente tales motus inordinatos: quia talis appetitus est de perfectione talis bruti, sicut naturales potentiæ, & proprij earum actus in natura sunt de eius integritate, & perfectione: ergo pari modo poterit assumere humanitatem cum suo fomite hoc posteriori modo sumpto. Consequentia probatur: fomes iste sic consideratus

I. nihil continet, quod appetitus ipse sensitiuus brutorum non contineat; ergo si Deus possit assumere naturam alicuius bruti cum suo appetitu sensitiuo sic inclinato ab bonum sensibile, poterit etiam assumere naturam humanam cum fomite peccati hoc modo spectato.

Respondetur, nos fateri Verbum diuinum potuisse assumere naturam alicuius bruti, & appetitum eius sensitiuum cum ea inclinatione ad bonum sensibile, quæ communiter reperitur in brutis: negamus tamen, tunc ipsum fomitem peccati aliquo modo assumi: nam, vt præmissimus initio articuli, & S. Thomas expressè notat hîc articulo secundo in corpore, non quæcumque inclinatio appetitus sensitiui in aliquod bonum sensibile constituit fomitem peccati secundo modo consideratum, sed sola ea, quæ est in id quod est contra rationem: at inclinatio II. illa appetitus sensitiui existentis in bruto non est aliquid contra rationem, quia nec natura bruti, nec eius appetitus sensitiuus subsunt directioni, rationis tanquam partis suæ superioris, brutum enim est incapax rationis: ergo sicut eius appetitus sensitiuus sumptus cum sua naturali inclinatione ad bonum sensibile, quodcumque illud sit, & quomodocumque fiat, nullomodo potest esse fomes peccati: ita etiam si Verbum diuinum assumeret singularem naturam alicuius bruti, & appetitum eius sensitiuum, non propterea dici posset assumere & ipsum fomitem peccati.

DISPVTATIO III.

III.

De ignorantia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Præmittuntur quædam monita de ignorantia.

NOTANDVM est primò, *duplicem* distingui *ignorantiam: vnam puræ negationis*, quæ nihil est aliud quàm nescientia quædam rerum, quarum cognitio nullo modo debetur ei subiecto, in quo talis ignorantia dicitur esse: alteram *prauæ affectionis, seu dispositionis*, quæ nihil est aliud quàm quædam carentia cognitionis rerum, quarum cognitio debetur aliqua ratione ei subiecto, in quo est, & dicitur *prauæ affectionis*, IV. quatenus intellectus per illam malè disponitur ad ferendum iudicium aliquod cum errore, de quo Aristoteles lib. 1. poster. cap. 14.

Notandum secundò, hanc posteriorem ignorantiam posse esse duplicem: vnam *merè speculatiuam*, qua scilicet intellectus errat circa res merè speculatiuas, quomodo sæpè erramus circa aliquot veritates scientiarum speculatiuarum: alteram *esse practicam*, qua intellectus malè iudicat de agendis & fugiendis.

Notandum tertiò, hîc nullomodo disputari *de ignorantia puræ negationis*, de hac enim nulla est difficultas, quin humana natura potuerit assumi cum illa: nam suprà docuimus dari multa, exempli gratia, ex possibilibus, quæ Christus Dominus per nullam creatam scientiam nouit, & hæc ignorantia nullam dicit indecentiam etiam ad statum animæ Christi Domini, A cùm sit tantùm eorum, quæ ad eius naturam, vel statum, & conditionem non pertinent: sed hic tantùm est disputatio *de ignorantia prauæ affectionis tàm practicæ, quàm speculatiuæ*. V.

Notandum quartò, præsentem quæstionem *non moueri de facto*: nam suprà explicando singulas scientias animæ Christi Domini, singulares perfectiones voluntatis eius, gratias, & dona Spiritus sancti ei infusa à primo instanti conceptionis suæ, satis ostendimus nullam talem ignorantiam fuisse de facto in anima Christi Domini: quod enim Ieremiæ 11. cap. dicitur in persona Christi Domini, *ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, & non cognoui consilia eorum.* & Psal. 34. *Congregata sunt super me flagella, & ignoraui.* item quòd S. Athanas. serm. 4. contra Arianos dicat Christum Dominum induisse carnem *obnoxiam ignorantiæ*: & B VI. S. Damascenus libro tertio de fide orthodoxa cap. 21. Verbum assumpsisse *carnem seruilem & ignorantem*, nihil obstant huic veritati: nam Christus Dominus hoc sensu apud Ieremiam dicitur non cognouisse consilia Iudæorum sibi insidiantium, quatenus sese eodem modo gessit, ac si eorum insidias ignorasset, scilicet permittendo se ab illis accipi, ligari, & tradi ad mortem, non autem fugiendo, vt homines communiter solent insidias sibi præparatas fugere: quod enim totum hoc consilium sibi insidiantium habuerit notissimum, non tantùm patet ex Euangelistis ita referentibus SS. Matth. 26. Marco 14. Luca 22. & Ioanne 13. & alibi, sed etiam ex ipsomet citato cap. Ieremiæ verbis immediatè antecedentibus ea, quæ hîc obiiciuntur: ita enim Ieremias in persona Christi Domini ait, *Tu autem Domine demonstrasti mihi, & cognoui: tu ostendisti mihi studia eorum:* vnde quando alio illo loco Psalmista Christus Dominus C VII. ait, *congregata sunt flagella super me & ignoraui:* sensus est iste, ita me patienter gessi, ac si ignorassem, quid facerent. Quando verò Patres nunc relati dicunt Verbum assumpsisse *carnem ignorantem*, seu *obnoxiam ignorantiæ*, id non intelligunt de humanitate Christi Domini vt iam assumpta, & vnita Verbo diuino, sed tantùm *de eius naturali conditione spectata secundùm se*, antequam intelligatur assumpta à Verbo: vt S. Damasc. ibidem seipsum diserte explicat, ita scribendo, *Verùm ob personæ identitatem, atque indiuulsam coniunctionem, Domini anima rerum futurarum cognitione, quemadmodum & reliquis miraculis locupletata est:* & paulò pòst, *Suapte quidem essentia futurarum rerum notitiam haud quaquam habet, at Domini anima ob vnionem cum ipso Deo Verbo, ac personalem identitatem,* D VIII. *vt reliquorum miraculorum, sic etiam futurarum,* vt dixi, *rerum notitiam consecuta est.* quod totum confirmatur amplius exiis, quæ suprà docuimus, animam Christi Domini priùs naturaliter fuisse hypostaticè vnitam Verbo diuino, quàm per infusionem acciperet scientias, & dona gratiæ supernaturalis habitualis.

Hoc igitur loco restat tantùm difficultas de absoluta potentia Dei, an scilicet Verbum diuinum vel alia ex personis diuinis potuerit assumere humanam naturam cum aliqua ignorantia prauæ affectionis, siue practica, siue speculatiua tantùm, siue cum vtraque simul, vel finendo aliquam ex eiusmodi ignorantiis ei iam assumptæ aduenire.

I.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ignorantia practica potuerit esse in Christo.

SIT hæc nostra propositio. *Verbum diuinum non potuit assumere humanam naturam cum ignorantia practica praua dispositionis.* Ita communiter omnes Theologi art. 3. huius quæst. & probatur. Ignorantia practica, vel est peccatum aliquod, vel causa alicuius peccati, vt Theologi docent ex professo cum S. Thoma prima secundæ quæst. 76. art. 2. ad 6. ergo quemadmodum implicat Verbum diuinum assumere naturam humanam infectam peccato, vel reipsa peccantem, vel peccabilem: ita etiam implicat illud assumere humanam naturam cum

II. tali ignorantia, quia omnes indecentiæ & repugnantiæ, quæ sunt inter vnionem hypostaticam, & peccatum, eædem habent locum in errore practico comparatione ad vnionem hypostaticam, quemadmodum quilibet potest facilè animaduertere.

Quæres, cùm ignorantia inuincibilis faciendorum sit absque peccato, vt habet communis sententia Theologorum, an hæc etiam comprehendatur hac nostra propositione.

Respondetur comprehendi, quia licèt illa non sit peccatum, nec item illud quod ex ea fit, quia tamen importat carentiam sufficientis prudentiæ in sui directione & gubernatione, & hic defectus redundat in ipsum Verbum, & aliquam arguit in eo indecentiã, quatenus sinit naturam, factam vnione hypostatica sibi propriam, errare circa ea, quæ debet agere: fit vt ratione

III. suæ sapiẽtiæ & bonitatis diuinæ non possit permittere humanitatem à se assumptam laborare ignorantia inuincibili circa res sibi præceptas & agendas.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ignorantia speculatiua potuerit esse in Christo.

DVÆ sunt hac de re sententiæ, prior Vasquesij hic citata disput. 61. cap. 9. numero 59. & quorumdam recentiorum affirmans Verbum potuisse assumere humanitatem cum tali ignorantia.

Posterior sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est, *Verbum diuinum non posse assumere naturam humanam cum ignorantia aliqua speculatiua praua dispositionis.* Ita Vincentius relectione de gratia Christi Domini,

IV. quæst. 1. conclusio. 2. dubio 1. §. *Respondetur breuiter*: vbi pro hac sententia citat Medinam hac quæst. artic. 2. ita etiam Suarez ad quæst. 9. præced. disput. 34. art. 3. in fine, Cabrera hîc art. 3. & plures alij ex recentioribus.

Vbi notandum est, hanc propositionem potissimum procedere de ignorantia purè speculatiua prauæ dispositionis actuali, seu quæ consistit *in aliquo iudicio falso & erroneo purè speculatiuo*, id est, nullatenus pertinente ad mores. Quod enim pertinet ad eiusmodi habitus erroneos tàm ex his quæ dicentur pro hac nostra propositione, quàm ex iis quæ diximus suprà de habitibus vitiosis, facilè intelligitur quid sit sentiendum conformiter, tàm ad doctrinam præcedentis articuli, quàm præcedentium de impeccabilitate Christi Domini.

A Itaque nostra sententia probatur primò auctoritate S. Anselmi lib. 2. cur Deus homo cap. V. 13. ita loquentis, *Illa hominis assumptio in vnitatem personæ, non nisi sapienter à summa sapientia fiet, & ideo non assumet in homine, quod nullomodo vtile, sed valde noxium est ad opus, quod idem homo facturus est: ignorantia namque ad nihilum illi vtilis est, sed ad multa noxia:* & ibidem paulò pòst, *Sapienter assumit Deus mortalitatem qua sapienter (quia valde vtiliter) vtetur, ignorantiam verò non poterit assumere sapienter, quia nunquam est vtilis, sed semper noxia.* quæ verba S. Anselmi ita procedunt de hoc mysterio, prout reipsa peractum est, vt tamen declarent id repugnare fieri de potentia etiam absoluta. Hæc enim est ratiocinatio S. Anselmi ibi. Deus non potest id facere, quod ad nihilum est VI. vtile, & noxium ad multa: atqui ignorantia in natura assumpta à Verbo est ad nihilum vtilis, B & ad multa noxia: ergo Deus assumendo naturam humanam non potest assumere ignorantiam. Maior illa propositio S. Anselmi, cui eius conclusio innititur, tàm est vera de absoluta potentia Dei, quàm de ordinaria: quia quælibet voluntas Dei debet esse rationabilis, & est contra eius sapientiam, vt S. Anselmus ibi notat, quòd faciat aliquid omnino inutile, & solummodo noxium ad multa, maximè cùm verbum etiam otiosum condemnetur in nobis, & simus reddituri rationem de eo apud Deum. quod etiam Minor S. Anselmi intelligatur de absoluta potentia Dei, patet ex istis eius verbis, *Ignorantiam verò non poterit assumere sapienter, quia nunquam est vtilis, sed semper noxia.* nam istæ particulæ, *nunquam. sed semper*, nihil excipiunt, sed procedunt de quocumque statu in VII. quo humanitas potest assumi hypostaticè. C

Neque huic auctoritati satisfacit, quòd Vasquetius ait suprà S. Anselmum ibi non agere de errore prauæ dispositionis, sed de errore, quem vocant, puræ negationis. Nam S. Anselmus ibi loquitur de ea ignorantia, quæ sit valde noxia naturæ assumptæ, ei ad nihilum vtilis, vt verba eius indicant: at error puræ negationis talis esse non potest, vt patet ex ipsa eius natura & conditione, sed solus vterque error prauæ dispositionis, tàm speculatiuus quàm practicus.

Probatur secundò. Tàm repugnat (seruata tamen proportione) morali contradictione Deum pati in aliquo sui indecentiam repugnantem primæ veritati, quàm aliquam aliam repugnantem suæ bonitati & sapientiæ: quia Deus non est minus prima veritas, nec minus est verus & verax, quàm sit bonus, bonitas, sapiens & VIII. ipsa sapientia: nec magis potest agere contra D vnum ex suis attributis, quàm contra alia, cùm singula æquè ad eum pertineant, nec possit seipsum negare vel destruere: atqui iudicium erroneum purè speculatiuum est aliqua indecentia repugnans primæ veritati: error enim & falsitas opponuntur veritati, sicut peccatum bonitati, & humanitas hypostaticè Verbo diuino coniuncta, est aliquid ipsius Dei: quia personalitas Verbi & humanitas ab eo assumpta constituunt vnum Christum, qui est Deus: ergo repugnat morali contradictione Deum pati in humanitate sibi hypostaticè vnita aliquod iudicium erroneum speculatiuum.

Minor confirmatur ampliùs. Illud est indecentia repugnans primæ veritati, quod ratione huius attributi, repugnat Deum facere

I. *positiuè*, non tantùm per seipsum, sed etiam per alium, & ad quod sumptum præcisè, & formaliter sese solummodo habet *permissiuè*: hoc enim est aliquod signum indecentiæ in aliqua re, quòd scilicet repugnet illam vt formaliter spectatam fieri à Deo, cùm sit maximè conueniens Deum posse facere vel per seipsum vel saltem per alium, quod nullam importat indecentiam, aut ex quo nulla in eum redundat indecentia: atqui non tantùm repugnat Deum causare per seipsum positiuè aliquod erroneum iudicium speculatiuum, quatenus tale, in aliquo intellectu creato, sed etiam per alium, & id ratione primæ veritatis proprij sui attributi, & Deus ad tale iudicium sese habet tantùm permissiuè sinendo illud ab alio causari: est enim tale iudicium quædam deceptio, vt per se constat, & S. Augustinus lib. 83. quæst. 33. ita negat Deum posse per se, vel per alium decipere, vt dicat Deum id tantùm permittere. *Deus*, inquit, *per seipsum neminem decipit, est enim pater veritatis, & veritas, & spiritus veritatis.* Et paulò pòst, *vt si quisquam dignus est decipi, non solùm per seipsum eum non decipiat, sed neque per talem hominem, qui iam congruenter diligit, & custodire persistit.*

II. Neque est quòd quis respondeat, S. Augustinum ibi loqui de errore practico: nam licèt id sit verum, ratio tamen S. August. æquè hàbet locum in errore purè speculatiuo ac practico. Hæc enim eius ratio est, *Deus est pater veritatis, & veritas, & spiritus veritatis*: at Deus est tàm bene pater omnis & cuiuslibet veritatis speculatiuæ, ac cuiuscumque veritatis practicæ, quia talis omnis veritas est quoddam donum perfectum, & proinde desursum & à Deo: ergo sicut

III. ratione huius sui attributi, *veritas*, repugnat Deo per seipsum, vel etiam per alium decipere positiuè aliquem errore practico, ita etiam repugnabit ei positiuè decipere per seipsum, vel per alium, aliquem errore purè speculatiuo.

Dices, in suppositione præsentis difficultatis Verbum diuinum sustentans humanitatem non fore siue per se siue per alium causam positiuam iudicij erronei, quod esset in intellectu animæ Christi D. cùm non esset causa productiua illius, vel etiam ad illud inductiua, sed solus intellectus animæ Christi Domini, vel alius, qui eum induceret ad formandum tale iudicium. sed id nihil obstat: licèt enim tale iudicium *physicè, & elicitiuè* non esset à Verbo diuino, esset tamen ab illo, vt *permittente* illud existere in aliquo sui, cuiusmodi tunc est humanitas. At

IV. hoc est impossibile ob indecentiam, quam importat, & imputaretur ei; sicut si permitteret illam exercere actum peccati.

Probatur tertiò. Verbum diuinum non potest permittere in humanitate assumpta id quod contrariatur eius perfectioni, quatenus est intellectualis, & ratione cuius est creata ad imaginem Dei: sicut nec in nobis pars superior debet permittere in inferiori aliquid contrarium eius perfectioni & fini, ad quem ordinatur, sic enim censeretur negligere curam illius: atqui iudicium erroneum speculatiuum contrariatur perfectioni humanitatis assumptæ, quatenus est intellectualis, quia intellectus datus est homini vt cognoscat veritatem, & eius cognitio est perfectio intellectus etiam creati: vnde error, qui contrarius est veritati, est etiam contrarius bono animæ rationalis, & homo ratione talis cognitionis dicitur etiam creatus ad imaginem Dei, vt docet S. Thomas primâ parte, V. tota quæst. 91. Vnde quia cognitio Angeli est perfectior cognitione hominis, docet ibi art. 3. Angelum esse magis ad imaginem Dei, quàm sit ipse homo: ergo Verbum diuinum non potest permittere in humanitate à se assumpta iudicium aliquod erroneum speculatiuum.

Probatur vltimò his omnibus, quibus plures Theologi secunda secundæ, quæstione 1. docent, Deum non posse infundere intellectui creato habitum inclinantem primò, & per se ad assensum falsum.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta Vázquesij.

PRIMVM est. Talis error nullam habet moralem repugnantiam cum vnione hypostatica: ergo Verbum diuinum potest assumere humanitatem illo affectam. Consequentia patet ex dictis suprà disputationib. præcedentib. Antecedens probatur. Illud, cuius Deus potest esse causa & auctor, nullam habet repugnantiâ cum vnione hypostatica, quia sic nullo attributo diuino opponitur: sed Deus potest esse auctor & causa erroris alicuius purè speculatiui in aliquo intellectu creato; quia error iste non est malum culpæ, sed ad summum pœnæ: Deus autem est causa & author omnis mali pœnæ, iuxta illud Amos tertio, *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit?* Ergo error purè speculatiuus nullam habet repugnantiam etiam moralem cum vnione hypostatica, & proinde Verbum diuinum potest assumere humanitatem illo affectam.

C Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem, concessa Maiore, de causa verè & efficienter productiua effectus secundùm suam rationem formalem. Minor negatur: cuius falsitas patet ex dictis pro nostra propositione, & ex auctoritate allata S. August. vnde ita verum est Deum esse auctorem omnis mali pœnæ, vt tamen quando malum illud pœnæ habet aliquam indecentiam ad Deum, seu ad aliquod ex eius attributis, ratione cuius repugnet Deum illud efficienter per seipsum producere iuxta suum *esse formale*, quo intrinsecè importat hanc indecentiam, tunc dicatur solummodo causare illud quatenus *permittit*.

D Secundum fundamentum est. Verbum diuinum potest assumere humanam naturam in puris suis naturalibus: sed humana natura præcisè spectata in puris naturalibus, habet ignorantiam spéculatiuam prauæ dispositionis, quia caret omnibus scientiis; est enim anima hominis quando nascitur tanquam tabula rasa, in qua nihil est descriptum, vt philosophi docent communiter. Ergo Verbum diuinum potest assumere aliquam humanam naturam cum ignorantia purè speculatiua prauæ dispositionis.

Respondetur concessa Maiore, negando Minorem, quia anima rationalis sic præcisè sumpta nullum habet habitum, vel actum cognitionis sed principia tantùm vitalia, & instrumenta intelligendi & amandi: omnis enim habitus aut infunditur, aut acquiritur, nec includitur in ipsis naturalibus intellectus creati, vt præcisè & secundùm se spectatis.

Tertium fundamentum est. Verbum potest assumere humanitatem cum eo, quod deseruit

demõstrandam eius veritatem : atqui hæc ignorantia potest huic fini deseruire. Ergo Verbum diuinum potest assumere humanitatem cum hac ignorantia. I.

Respondetur, Maiorem eius esse tantùm veram de iis, quæ nullam includunt in seipsis indecentiam : aliàs enim cùm ipsa potentia proxima peccandi, & similes defectus manifestent aliquo modo veritatem nostræ naturæ, diceretur Verbum potuisse illos assumere, quod tamen Vasquesius & alij prioris sententiæ auctores non admittunt.

Articvlvs V.

Soluuntur duo dubia.

QVÆRES primò. Si humanitas fuisset assumpta à Verbo sine vlla scientia naturali, seu quæ per humanam industriam posset acquiri, cùm intellectus animæ Christi Domini in addiscendis eiusmodi scientiis nullum potuisset habere erroneũ iudicium iuxta nostram sententiam : quo modo sese habuisset, quandequidem nos inter addiscendum istas scientias sæpè numero multa formemus iudicia erronea, & anima Christi Domini dum assumeretur, tàm bene esset, quoad scientias, velut quædam tabula rasa, quàm nostræ sint, cùm nascimur. II.

Respondetur, eiusmodi veritates naturales posse reduci ad duas classes : quatenus aliæ sunt talis conditionis, vt quoad *suam certitudinem & euidentiam scientiæ sufficientem* possint penetrari ab intellectu bene disposito, quoad sua naturalia sese applicante illis percipiendis, pro ratione suarum virium : aliæ sunt quidem *ex se, naturaliter* cognoscibiles, sed quarum veritas non ita facilè penetratur *ob multa impedimenta*, quæ concomitantur vel ipsa earum obiecta vel nostram naturam secundùm solas naturæ vires spectatam, de quorum obiectorum veritate ideo tantùm habemus opiniones : intellectus animæ Christi Domini circa priores veritates habuisset assensum, circa posteriores autem illum cohibuisset & suspendisset, donec maior euidentia & claritas appareret, ne incideret in aliquod peccatum temeritatis : tunc enim animaduertisset se non habere omnia, vel ex parte obiecti, vel parte medij, vel alicuius alterius necessaria ad perfectam rerum eiusmodi cognitionem, sicut & nos sæpè id etiam animaduertimus in actibus nostræ cognitionis : vel si voluisset habere aliquem actum, solummodo affirmasset, *hanc rem, per tale medium esse, vel videri solummodo probabile*, vt potest ampliùs intelligi ex iis quæ diximus suprà agendo de scientia animæ Christi Domini. III. IV.

Quæres secundò, an quædam falsitas posset contingere in cognitione sensitiua Christi Domini, si eius humanitatis fuisset assumpta in puris suis naturalibus, cùm talis falsitas sæpè contingat in nobis, vt ipsa experientia docet.

Respondetur, *duplicem* posse distingui *cognitionem sensitiuam, vnam apprehensiuam, alteram iudicatiuam* : neutram posse esse in Christo Domino falsam : non priorem, quia hæc tunc est propriè vera, quando correspondet obiecto *non materialiter*, sed *formaliter*, id est *iuxta modum, quo repræsentatur per suam speciem*. vnde licèt species interdum repræsentet aliter obiectum, quàm illud sit à parte rei, exempli causa quando refert baculum, qui est integer, & rectus, refractum, ex eo quòd species, ratione medij, putà aquæ, refrangitur : talis apprehensio non est propriè falsa : at potentiæ sensitiuæ cognoscitiuæ animæ Christi Domini apprehendebant sua obiecta talia, qualia sibi apparebant per species. Posterior item cognitio sensitiua animæ Christi Domini scilicet iudicatiua non potuit esse falsa, quia vel repræsentatio obiecti per speciem erat talis, quale reipsa obiectum erat in seipso, & sic erat vera, vel non erat talis ex occasione medij : si priùs, iudicabat conformiter ad veritatem obiecti : si posterius, vel ratio ostendebat obiectum non repræsentari, vt est in se ex aliquo impedimento medij, sicut nos plerumque cognoscimus : vel si ratio, defectu sufficientis scientiæ in intellectu, non id ostendisset, tunc suspendisset iudicium, ne fieret temerarius, séque exponeret periculo erroris & deceptionis, sicque aliquo modo peccaret, quod erat ei impossibile. V. VI.

DISPVTATIO IIII.

De passionibus & admiratione in Christo existentibus.

Articvlvs primvs.

Vtrùm & qua ratione passiones fuerint in Christo Domino.

NOTANDVM est, *nomine passionis* hic, & apud Philosophos in moralibus, & Theologos 1. 2. *nihil aliud intelligi, quàm motus quosdã animæ seu affectiones appetitus sentientis, habentes aliquam immutationem corporis sibi adiunctam*, vt locis illis Philosophi & Theologi fusiùs explicant : sunt autem istæ passiones vndecim, nimirum *amor, odium, desiderium, abominatio*, seu *fuga, delectatio, tristitia*, seu *dolor, spes, desperatio, audacia, timor, & ira*. Hoc prænotato sit VII.

Prima propositio. *Passiones fuerunt in Christo Domino.* Propositio est de fide ex 6. Synodo, actione 4. & ex sacris Litteris infrà referendis, quæ eas expressè tribuunt Christo Domino. Probatur etiam ex Patribus S. Ambrosio lib. 1. de fide cap. 3. S. August. 14. de ciuitate Dei cap. 7. & 15. S. Leone epistola sua 11. decretali circa finem, S. Damasc. lib. 3. de fide cap. 20. S. Thoma hîc art. 4. & omnibus Theologis. VIII.

Probatur etiam ratione. Christus D. habuit omnia, quæ ad perfectionem vitæ humanæ, & ad integritatem nostræ naturæ pertinent, fuit enim homo perfectus : atqui appetitus sensitiuus, secundùm vtramque partem, nempe *concupiscibilem*, & *irascibilem*, est de integritate humanæ naturæ, & passiones superiùs enumeratæ faciunt ad perfectionem vitæ humanæ, quin etiam conferunt ad satisfaciendum, & ad merendum, vt patet de dolore & tristitia, item de amore & aliis similibus : ergo istæ passiones fuerunt in Christo Domino.

Secunda propositio. *Licèt istæ passiones spectatæ secundùm suam naturam & entitatem fuerint eiusdem rationis* in Christo Domino ac in nobis, attamen spectatæ tàm quoad obiectum, quàm

I. quoad *modum procedendi à suo principio, & quoad effectum* fuerint aliter in eo, quàm in nobis. Ita S. Thomas hîc art. 4. in corpore, & communiter omnes Theologi.

Probatur primâ pars. Christus Dominus vt homo est eiusdem speciei nobiscum, vt antea docuimus, item anima, & appetitus eius sensitiuus eiusdem speciei cum nostris: ergo & passiones quæ sunt aliqui motus appetitus sensitiui fuerunt etiam eiusdem speciei cum nostris.

Probatur secunda pars: quia istæ passiones in nobis sæpè feruntur in malum, vt experientia docet: at in Christo Domino semper in bonum, quia fuit impeccabilis, & caruit ipso fomite peccati inclinante ad malum; ergo imprimis differunt quoad obiectum.

II. Item tertia pars quæ est de modo procedendi à suo principio probatur; istæ passiones sæpè in nobis præueniunt iudicium & vsum rationis, & sicut fomes peccati est in nobis ex peccato originali, ita & istæ passiones in nobis: at in Christo Domino minimè, & numquam præuenerunt rationem, sed tantùm in eo fuerunt ex deliberata eius voluntate, *quando voluit, quamdiu voluit, & quomodo voluit*: quod S. Ioannes significat, quando cap. 11. ita ait de Christo Domino, *turbauit semetipsum*: nam modus iste loquendi significat Christum Dominum liberè excitasse in seipso motum illum indignationis & miserationis, ex quo ipse est turbatus, vt S. August. expresè docet tract. 49. in S. Ioannem, vbi loquens de his passionibus accommodatè ad istam commotionem quam Christus Dominus ibi habuit, ait eum, istam & similes habuisse, quia voluit, & explicat Christum Dominum habuisse hoc dominium in suas eiusmodi

III. passiones ex vi ipsius vnionis hypostaticæ: *In illius*, inquit, *potestate erat sic vel non sic affici, Verbum enim animam suscepit & carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ vnitate naturam.* & paulò pòst, *Vbi summa potestas est, secundùm voluntatis nutum tractatur infirmitas, hoc est turbauit semetipsum.* & S. Damasc. libro tertio de fide orthodoxa capite vigesimo tertio, refert S. Athanasium oratione contra Apollinarem obseruasse circa illud Christi Domini apud sanctum Ioannem, capite duodecimo, *nunc anima mea turbata est*, istud aduerbium, *nunc*, in hoc verbo Christi Domini significare istas passiones fuisse in illo voluntarias, *ob eam* (inquit sanctus Athanasius ibi apud sanctum Damascenum) *causam dicebat Dominus, nunc anima mea turbata est: Hæc autem particula,*

IV. *nunc, idem est quòd quando voluit.*

Quartò, hæ passiones fuerunt aliter in Christo Domino *quoad effectum*, quàm plerumque sint in nobis: nam in nobis quandoque trahunt rationem: at in Christo Domino nunquam; cùm enim anima eius haberet plenum dominium in omnes suas potentias, non tantùm ex simplici permissione, sed ex positiuo consensu admittebat in seipso tales passiones, & cùm esset in perpetuo vsu rationis per scientiam infusam per se, & haberet singularem illam directionem Dei explicatam præcedenti disputatione, poterat facilè præuidere illud omne, quod appetitus eius excitare poterat; & facere, vt hæ passiones nullomodo possent trahere rationem ad illicita, maximè cùm haberet fomitem peccati omnino extinctum.

A Hinc sanctus Hieronymus in caput vigesimum sextum sancti Matthæi, & aliqui Scholastici post illum, dicunt istas passiones in Christo Domino potiùs fuisse *propassiones* quàm *passiones*: quia, vt sanctus Hieronymus ibi indicat, *nomine propassionis* significatur *affectio*, quæ aliquam commotionem corporis excitat & mouet quidem hominem, sed animam eius non dimouet de sua sede, nec contrariatur rationi: verùm hoc differentia nominum inter Philosophos fuit tantùm in vsu apud Stoicos & eorum sectatores: at communiter apud Peripateticos, & etiam apud sanctos Patres, nomen hoc *passio* est commune tàm ordinatis affectionibus, quàm inordinatis, & Patres dum loquuntur de istis affectionibus vt existentibus in Christo Domino, non verentur eas appellare *passiones*. & hoc nomen passio fuit imprimis solummodo impositum pro significandis istis motibus, iuxta modum explicatum primo notabili, & quòd postea derivatum sit ad denotandam illam imperfectionem nunc ex sancto Hieronymo explicatam, est quòd motus isti illam plerumque habeant, vel etiam aliquam deordinationem in nobis, non autem quòd illam in præciso suo conceptu importent.

B VI.

Articvlvs II.

Vtrùm passiones appetitus concupiscibilis fuerint in Christo.

C VII. Sit hæc propositio. *Sex primæ illæ passiones superiùs enumeratæ*, quas Philosophi & Theologi communiter *reponunt in appetitu concupiscibili, fuerunt in Christo Domino.* Probatur inductione per singulas. De amore patet, primò, quia hic actus est maximè naturalis appetitui sensitiuo. Secundò, quia versatur circa bonum conueniens naturæ. Tertiò, quia est fundamentum omnium aliorum actuum appetitus sensitiui, nec vllam includit imperfectionem, vt per se patet. Ergo cùm humana natura fuerit in Christo Domino perfecta, & integra, tàm secundùm suas potentias, quàm secundùm se, & habuerit omnia ad illum spectantia, quæ nec imperfectionem continent, nec oppositionem ad vnionem hypostaticam, habuit etiam in particulari hanc passionem seu *amorem sensibilem*: sic cùm beatissima Virgo & beatus Ioseph essent bona sensibilia, po-

D tuit illos etiam tali amore prosequi.

VIII. Idem patet *de odio*: hoc enim nihil est aliud quàm *alienatio quædam, & auersio appetitus ab aliquo, quia malum est.* At hoc nihil habet imperfectionis, & indecentiæ ad Christum Dominum, & eius statum viatoris, sic mors iniusta sancti Ioannis Baptistæ est malum aliquod sensibile, & Christus Dominus, vbi illam audiuit, potuit etiam eam odisse.

De desiderio idem patet, quia hic actus tàm potest esse honestus, quàm amor: nam est circa bonum amatum, & solummodo superaddit amori, quòd sit rei nondum obtentæ, & fuit in Christo Domino, verbi gratia, quando pendens in Cruce dixit, *sitio*, quatenus id intelligitur de siti corporali: item & respectu aliorum, quibus desiderabat bona quædam sensibilia, vt cibum, verbi gratia,

I. tot hominibus illum in deserto concomitantibus.

De fuga item: hæc enim est *affectus quo recedit ur à malo nondum præsenti*; nam opponitur desiderio: at Christus Dominus habuit affectum illum, quo refugiebat mortem tanquam malum aliquod naturæ.

De voluptate item *seu delectatione*: hæc enim nihil est aliud, *quàm motus quidam appetitus sensitivi, quo quiescit in obiecto præsenti*: at Christus Dominus non tantùm appetitu rationali, sed & sensitivo est delectatus de bonis & studiosis actibus, tam à se, quàm ab aliis exercitis, & potuit etiam dicere, quod Psalmista psal. 83. ait, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

II. *De dolore sensibili*, seu tristitia, idem ostendimus suprà quæst. 9. vbi explicauimus, qua ratione dolor & gaudium simul & semel potuerint esse in illo, & ad præcedentem quæst. S. Thomæ agendo de passibilitate corporis Christi Domini. Quibus non obstat, quod Isaiæ 42. dicatur de Christo Domino, *non erit tristis*: nam, vt bene ibi aduertit S. Hieronym. sensus istorum verborum est, hic non deterrebit aliquem tristitia vultus: vnde 70. Interpretes vertunt, *splendebit*, quatenus significant illum fore vultu hilari & placido.

Articvlvs III.

Vtrùm passiones appetitus irascibilis fuerint in Christo.

III. Sit hæc nostra propositio. *Quinque illæ passiones* enumeratæ art. 1. posteriori loco notabilis 1. & quas Philosophi & Theologi *communiter admittunt in appetitu irascibili, fuerunt etiam in Christo Domino.* Hæc propositio probatur eodem modo, ac propositio præcedentis articuli inductione facta per singulas. Et probatur de spe: hæc enim est *actus, quo appetitus sensitiuus erigitur erga bonum sensibile, & arduum, prout potest obtineri ipsis viribus humanæ naturæ*: at Christus Dominus fecit multa sensibilia, quæ comparatione virium purè naturaliū suę humanitatis erant arduaquoad consecutionē, exempli causâ, abstinere à cibo & potu aliquo longo tempore: ergo potuit circa istud habere actū spei, prout hæc est passio.

Neque his obstat quòd suprà ad quæst. 7. S. Thomæ exclusérimus à Christo Domino virtutē infusam spei & actus eius: nam hęc passio non cōuenit cū illa in propria sua ratione, cùm hæc virtus supernaturalis respiciat primò per se Deum tanquā obiectum primarium & specificatiuum:

IV. illa autem, quæ est passio, respicit aliquod bonum sensibile habens aliquam difficultatem sibi annexam, ad quam tamen superandam erigitur, qui talem actū exercet, vt hoc bonū cōsequatur.

De desperatione sensibili idem patet: ad illam enim satis est malum aliquod sensibile apprehendi, vt entatu impossibile secundùm ipsas vires humanæ naturæ: at Christus Dominus hoc habere potuit, verbi gratiā, elicere actum appetitus sensitiui, quo desperaret euadere mediis tantùm humanis mortem sibi à Iudæis intentatam.

De audacia patet: hæc enim est actus appetitus sensitiui, quo multa secundùm vires naturales difficilia aggredimur: at Christus Dominus multa eiusmodi est aggressus, exempli causâ, quando ieiunauit, quando multum iter confecit, itavt esset defatigatus, & id genus quamplura alia.

A De ira item patet: nam illud psal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me*, S. Ioan. 2. cap. completum de illo: zelus autem est species iræ. Idem patet quando è templo eiecit vendentes & ementes, nummulariorum mensas euertit. Item S. Marci 3. dicitur circumspexisse Iudæos cum ira. Et fauet ratio. Omnis passio laudabilis & honesta fuit in Christo Domino: atqui ira est passio laudabilis, si fiat seruato ordine iustitiæ & charitatis, iuxta illud psal. 4. *Irascimini & nolite peccare*: ergo ira fuit in Christo Domino. V.

Obiicies, nihil debet admitti in Christo Domino, quod impediat in eo actum contemplationis & operationis aliarum potentiarum, sic enim non fuisset perfectus, nec modo perfecto suas actiones exercuisset: atqui ardens ille zelus, qui est aliqua species iræ, impedit suā intensione actum contemplationis, vt expressè docet

B S. Gregorius lib. 5. moral. cap. 3. item nostræ potentiæ secundùm ordinem naturalem sese mutuò impediunt in operando, quatenus vbi operatio vnius potentiæ est intensa, tunc operatio alterius potentiæ debilitatur: ergo cùm Christus Dominus habuerit actum contemplationis perfectissimum, ne vna potentia impediretur à suo exercitio, debuit carere ira. VI.

Respondetur admissa Maiore, negando Minorem, prout applicatur Christo Domino: quia enim Christus Dominus habet excellens quoddam dominium in omnes suas potentias, sic illas, & earum actus moderabatur, vt tantùm permitteret vnicuique earum agere, quod erat ei proprium, ita quod vna potentia aliam non impediret: sicque licèt ista quæ hîc obiiciuntur & afferuntur in confirmationem habeant locum in

C nobis; non tamen in Christo Domino etiam adhuc viatore, ob rationem disparitatis nunc allatam. VII.

Tandem quod timor fuerit in Christo Domino ipsa fides docet: S. Marci 14. dicitur de illo, *cœpit pauere & tædere*: S. Luc. 22. dicitur *positus in agonia*, est autem agonia quidam timor, vt S. Thomas docet 2. 2. quæst. 41. art. 4. Hinc quando Patres negant Christum Dominum timuisse mortem, vt S. Hilarius libro 10. de Trinit. S. Hieronym. in cap. 26. S. Math. S. Augustin. enarratione in psal. 21. & alij, loquuntur tantùm *de timore inordinato prouenient e ex pusillanimitate*, quem Ariani tribuebant Christo Domino, etiam quatenus est Verbum Patris, & ex eo contendebant probare Christum non esse Deum, non esse æqualem suo Patri, vt intelligitur ex dicto Athanasio serm. 4. contra Arianos satis longè à fine.

Obiicies primò, timorem non potuisse stare

D cum fortitudine in gradu heroïco: ergo cùm hæc virtus sicut & aliæ morales fuerint in eo secundùm istum gradum, timor non potuit esse in illo. VIII.

Respondetur actum inefficacem, non absolutum vnius passionis, posse simul stare cum aliquo actu efficaci & absoluto virtutis aliquo modo ei oppositæ, vt patet in Martyribus, qui potuerunt habere actus inefficaces cuitandæ mortis, qui tamen fortiter passi sunt pro Christo Domino: pari modo timor ille animæ Christi Domini non proficiscebatur ex absoluto desiderio diutiùs viuendi, quin potiùs summopere mortem appetiit, vt nos redimeret, sed tantùm erat ex *affectu inefficaci*, & quatenus sese terminabat ad mortem; prout est malum aliquod naturæ, cui tamen longè anteponebat bonum redemptionis generis humani.

I. Secundò obiicies. Timor, vt expressè notat sanctus Thomas, hac quæstione articulo 7. ex Aristotele libro secundo Rethoricorum capite quinto, includit incertitudinem mali apprehensi vt euenturi, & aliquam spem euadendi illud: atqui anima Christi Domini ita mortem timuit, vt tamen certò sciret eam hoc & illo modo sibi euenturam, & se non euitaturum illam, tum quia illam prædixit sancti Matthæi 20. capite, tum quia per scientiam infusam nouerat omnia, quæ sibi erant euentura, item & efficax decretum Dei de sua morte: ergo anima Christi Domini loquendo propriè non habuit timorem mortis.

Respondetur cum sancto Thoma hîc articulo 7. timorem fuisse quidem in Christo Domino, sed non *secundùm perfectam & exactam rationem*, quia fuit in illo provt sonat *auersionem à malo imminenti & futuro*, non autem provt includit aliquam *incertitudinem futuritionis* eius, & spem euadendi illud, quam incertitudinem & spem esse de ratione timoris non solùm sanctus Thomas hac quæst. sed etiam 1. 2. docet. II.

Addunt aliqui, incertitudinem euentus, & spem euadendi requiri in illo tantùm timore, qui mouet ad consultandum de mediis, quibus malum eminens euitetur: hic enim est timor, quem vt plurimum experimur in aliis hominibus, iuxta quam conditionem non fuit in Christo Domino, quia iam probè nouerat non oportere consultare de fugiendo illo malo, quod iuxta Patris sui dispositionem sciebat euenturum: timebat ergo mortem, quia considerabat illam esse maximum malum naturæ, non præsens, sed futurum.

III. Nec obstat quòd Scriptura & Patres eodem modo loquantur de tristitia & timore animæ Christi Domini: nam ita loquuntur de hac vtraque passione, vt tamen non dicant disertè timorem fuisse in Christo Domino secundùm perfectam suam rationem: imò S. Damascenus cit. à S. Thoma hîc art. 7. distinguit duos timores vnum quem vocant *naturalem*, qui consistit in contradictione voluntatis refugientis obiectum malum: alterum *qui includit incertitudinem euentus*: atqui hunc posteriorem non fuisse in Christo Domino, sed priorem tantùm, & hoc addimus pro confirmanda primâ solutione.

Articvlvs Vltimvs.

Vtrùm admiratio fuerit in Christo Domino.

IV. ETsi admiratio non sit propriè aliqua passio appetitus sensitiui, cùm sit actus intellectus: quia tamen incendit aliquam illarum, nimirum *desiderium*, vt mox intelligetur ex eius explicatione, ideò sanctus Thomas illam annectit explicationi passionum animæ, quæ fuerunt in Christo, & quærit, an etiam illa habuerit locum in Christo adhuc mortali. Pro cuius explicatione

Notandum est primò, admirationem propriè esse actum intellectus, quo *quis apprehendit aliquid tanquam insolitum & maius sua opinione*, vnde nascitur desiderium inquirendi causam eius, si illa æstimetur scrutabilis, aut fuga abinquisitione illius, si iudicetur inscrutabilis: nam hæc duo videntur vnum & idem significare, *admiror hanc rem*, &, *hæc res est mihi meæ cognitioni & experientiæ valde insolens*. Neque his obstat quòd sanctus Thomas 1. 2. quæstione 41. articulo 4. admirationem faciat speciem timoris: ibi enim admiratio sumitur *pro suo effectu*, qui interdum *est timor*, nimirum *fuga perscrutandi* id quod est inscrutabile, sæpè enim ea quæ apprehendimus esse omninò suprà nostrum captum, pariunt in nobis quemdam horrorem, quo illorum inquisitionem refugientes, tunc ea veneramur. A V.

Notandum secundò, ad actum admirationis requiri in admirante, vt res accidat ei rara & insolens secundùm aliquam eius cognitionem: quia admiratio est vehemens quædam apprehensio rei, vt raræ & insolentis, excitans nos ad inquirendam eius causam, si non sit planè cognita: cùm enim ab assuetis non fiat passio, vt docent communiter Philosophi, non rapiemur in admirationem, nisi res ipsa sit nobis insolita secundùm aliquam cognitionem, vel sit talis conditionis, vt eam non possimus vnquam sufficienter cognoscere, cuiusmodi est ipse Deus: hinc admiratio nullum potest habere locum in Deo, quia Deo nihil potest esse nouum & insolens secundùm aliquam eius cognitionem. B VI.

Notandum tertiò, in Christo vt homine distingui multiplicem scientiam, nimirum beatam, infusam per se, infusam per accidens, & experimentalem: & licèt nihil sit insolitum animæ Christi comparatione scientiæ beatæ infusæ per se, & infusæ per accidens, quia omnes istas scientias habuit sibi infusas à primo instanti suæ conceptionis, vt suprà docuimus: quia tamen profecit scientiâ experimentali, nec hæc fuit ei infusa, sed per eum acquisita, vt ibidem docuimus, ideò comparatione huius scientiæ aliquid potuit ei esse rarum & insolitum.

His prænotatis, vt rem propositam aggrediamur, Vasquesius hîc disputatione sexagesimâ secundâ capite quarto, distinguit *duplicem modum admirationis*, vnum *qui oritur ex re inopinata*, alterum qui consistit *in affectu laudis*: priorem negat fuisse in Christo, sed posteriorem tantùm, & pro hac sua sententia citat sanctum Augustinum epistolâ 101. C VII.

Melior tamen est sancti Thomæ, & communis discipulorum eius sententia hac quæstione artic. octauo, quam loco conclusionis ponimus, nimirum *admirationem propriè fuisse in Christo comparatione suæ scientiæ experimentalis*. Probatur. Ad rationem admirationis verè & propriè dictæ, nihil aliud requiritur, quàm vera apprehensio seu cognitio rei alicuius tanquam insolitæ, ex qua nascatur aliquod desiderium inquirendi eius causam: atqui licèt Christus nullum talem actum potuerit habere comparatione suæ scientiæ beatæ & infusæ tam per se quàm per accidens, vt nunc est anima diuersum, attamen comparatione suæ scientiæ experimentalis habuit veram apprehensionem seu cognitionem rei alicuius, sibi secundùm hanc scientiam experimentalem insolitæ, nimirum actum illum, quo scientia sua experimentali cognoscebat fidem illam Centurionis, apud S. Math. cap. 8. & apud S. Lucam cap. 7. quæ exterior professio fidei erat Christo, iuxta hanc suam scientiam experimentalem, noua & insolita, cùm *tantam non esset expertus in Israël*, vt ipsemet ibi testatur: & hæc cognitio professionis tantæ fidei potuit excitare Christo desiderium inquirendi veram eius causam, id est, fidem eius interiorem causantè hunc actum exteriorem: cùm enim sensu externo apprehenderet circumstantias illius orationis, qua D VIII.

I. Centurio profitebatur veram fidem, ortum est in eius affectu desiderium cognoscendi causam illius, quæ est fides interior, eo modo & eo medio, quibus illa poterat cognosci. Hunc enim ordinem denotat modus ille, quo sanctus Lucas cap. 7. describit hanc admirationem cùm sic ait, quo audito miratus est: sic enim scribens indicat hanc admirationem prouenisse ex ea cognitione, quæ ortum suum habeat à sensibus, quemadmodum ad illum locum sancti Lucæ Toletus rectè obseruat.

Neque his obstat, quòd Christus tam fidem ipsam Centurionis, quàm actum eius exteriorem probè nouisset per alias scientias superiùs enumeratas. Nam quemadmodum nouus modus sciendi aliquod obiectum facit, vt omnes Theologi rectè admittunt in Christo alias scientias etiam infusas, distinctas à scientia beata, & II. præter illas omnes, aliam experimentalem: ita etiam nouus modus cognoscendi per scientiam experimentalem id quod per talem scientiam erat incognitum, potuit causare admirationem propriè dictam in eo, qui antea per aliam scientiam hoc idem obiectum cognoscebat. Et hoc potest illustrari vno aut altero familiari exemplo. Primum sit alicuius scientissimi Astrologi, qui licèt probè nouerit totam rationem & particulares circumstantias alicuius singularis, & valde raræ ecclipseos antequam illa fit de facto in rerum natura, vbi tamè illà fit & ponitur realiter in rerum natura, dum illam intuetur, miratur, quia talem nunquam antea erat expertus. Alterum exemplum sit rei alicuius admodum artificiosæ, quam quis nunquam vidit, cuius tamen constitutionem & modum probè nouit cognitione tantùm abstractiua, vbi quamprimum videt illam intuitiuè rapitur in admirationē, quia III. tunc nouit scientia experimentali, quod antea cognitione tantùm abstractiua perceperat: ergo pari iure poterit Christus admirari exteriorem actum fidei Centurionis, cognoscendo illum suâ scientiâ experimentali, quem antea aliis tantùm suis scientiis nouerat.

Neque S. Augustinus relatus à Vasquesio obstat nostræ propositioni: nam non negat absolutè & simpliciter loquendo esse admirationem in Christo, *comparatione omnis, & cuiuscumque cognitionis*, quæ fuerit in illo, sed solummodò *comparatione scientiæ eius beatæ & infusæ*, quatenus secundùm illas nihil ignorauit eorum, quæ sunt, fuerunt vel erunt in aliqua temporis differentia: sicque propriè, tunc comparatione cæterarum scientiarum non habuit admirationem, & quando admiratus est comparatione eiusmodi scientiarum, tunc habuit illos actus tantùm IV. externos, quos inter mirandum solemus exercere. At an res aliquæ ex his, quæ cognoscebat per istas scientias, possent eædem aliquo alio nouo modo cognosci per aliam scientiam ab enumeratis distinctam, quam nos vocamus experimentalem, & ratione illius noui modi possent causare in Christo aliquam admirationem propriè dictam, sanctus Augustinus ibi non attigit, quod tamen hîc inquirimus.

A

V.

AD QVÆSTIONEM XVI.

De consequentibus vnionem hypostaticam.

DISPVTATIO I.

De communicatione idiomatum ratione Verbi incarnati præcisè & secundùm se considerata.

Articvlvs Primvs.

B *Quid & quotuplex sit communicatio idiomatum, & an aliqua detur in Christo Domino ratione huius mysterij.* VI.

VIA ad secundam quæstionem huius partis docuimus contra Nestorium, dari veram & realem vnionem naturæ diuinæ & humanæ in eodem supposito Verbi diuini, & contra Eutychetem duas istas naturas esse inconfusas, impermixtas, distinctas: nunc videndum est, an inter illas ratione huius vnionis aliqua communicatio detur. Hæc autem communicatio, sumpta latissimè, nihil est aliud quàm *mutua quædam attributio, siue naturarum, siue proprietatum, siue eorum quæ conueniunt distinctis naturis vnitis inter se*: & quemadmodum tria possimus distinguere in eiusmodi naturis vnitis, C primò *naturas*, secundò *proprietates*, seu attributa illarum, tertiò *operationes*: ita etiam in hoc mysterio tres possunt excogitari communicationes: quarum prima *sit naturarum inter se*, quatenus ex eo quòd ambæ sunt sibi inuicem vnitæ in eodem supposito, illæ prædicētur de se inuicem, quæ loquendo propriè dicatur quidem communicatio, sed nō idiomatum seu proprietatū, quia hæ, loquendo strictè, distinguuntur aliquo modo à naturis, quarum sunt proprietates, sed naturarum communicatio dicatur. Secunda communicatio sit *proprietatum*, quæ nihil aliud est, quàm *mutua quædam attributio proprietatum eiusmodi naturarum distinctarum*, quatenus proprietates vnius naturę ita attribuuntur alteri ratione huius vnionis, vt etiam prædicentur aliquo modo de ea: & hæc communicatio in rigore loquendi vocatur *idiomatum*, quamquam hæc appellatio iuxta communem loquendi modum tam Patrum, D quàm Scholasticorum sese etiam extendat ad primam, vt infrà patebit: hanc S. Damascenus lib. 3. de fide cap. 34. vocat περιχώρησιν καὶ ἀντίδοσιν, id est, alternationem & mutuam attributionem, quatenus quod vni conuenit, tribuitur alteri, & viciſsim. Tertia communicatio est, quando vna aliqua operatio datur, quæ sit vtriusque naturæ, cuius communicationis consideratio non spectat propriè ad hunc locum, sed ad quæstionem 19. huius partis.

VII.

VIII.

Deinde est notandum, prædictam secundam communicationem posse apprehendi fieri duobus modis: primo, vt tantùm fiat *in concreto* ratione personalitatis, quæ vtramque naturam facit subsistere: secundo, *in abstracto* quatenus attributa naturæ diuinæ communicantur seipsis,

I. & non per aliqua dona creata etiam supernaturalia humanitati : itavt ex vi vnionis humanitas dicatur & sit omnipotens, sciens omnia, & sic de aliis quibusdam attributis. His prænotatis,

Sit hæc nostra propositio. *Aliqua vera & realis communicatio datur ratione vnionis hypostatice.* Hæc propositio admittitur ab omnibus non tantùm Catholicis, sed etiam hæreticis agnoscentibus in hoc mysterio veram & realem vnionem naturæ humanæ ad personalitatem Verbi diuini : quemadmodum videre est apud Lutheranos, vt apud Kemnitium Opusculo de duabus naturis in Christo Domino capite duodecimo, decimo-tertio & decimo-quarto : & ij soli qui negarunt hanc vnionem esse factam in hypostasi, vt Nestorius, & alij ei similes, negarunt hanc propositionem, quæ tamen probatur

II. primò ex sacris Litteris, quæ passim id apertè tradunt, dum propter identitatem suppositi diuini sustentantis diuinam & humanam naturam, tribuunt Christo Domino homini, quæ ei tanquam Deo competunt. Sic sancti Ioannis tertio, *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo :* sancti Ioannis octauo, *Antequam Abraham fieret ego sum :* primæ ad Corinthios secundo, *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Probatur secundò his omnibus auctoritatibus Conciliorum, quæ fuerunt congregata contra Nestorium, vt Ephesini anathemate primo & tertio, Chalcedonensi actione quintâ, & aliorum, quæ suprà ad quæstionem secundam retulimus contra Nestorium.

Probatur tertiò ex Patribus, sancto Hilario libro nono de Trinitate, sancto Irenæo libro quarto aduersus hæreses capite trigesimo quarto, dicentibus per vnionem factam

III. esse *communionem Dei & hominis*, sancto Damasceno libro tertio de fide capite tertio ita dicente, *Verbum ea, quæ humanitati conueniunt, sibi vendicat, ac vicissim carni, quæ sua sunt, impertit, communicationis videlicet ratione, ob mutuam partium inter se communicationem, ac personalem vnionem.* Et eiusdem libri capite quarto sic ait : *At cùm de persona verba facimus, siue ab vtraque simul, siue ab altera duntaxat eam appellemus, vtriusque naturæ proprietates ipsi imponimus. Etenim Christus (quæ vox vtrumque complectitur) & Deus & homo dicitur, & creatus & increatus, & passibilis & impassibilis : cùm ab vna parte Filius Dei & Deus nuncupatur, coniunctæ naturæ, hoc est carnis proprietates recipit. Nam & Deus passibilis nominatur*

IV. *& Dominus gloriæ in crucem actus, non quòd Deus est, sed quòd idem etiam homo est.* & paulò pòst. *Atque hic communicationis modus est, vtraque videlicet natura proprietates suas cum altera communicante, propterea quòd vnam & eandem personam constituunt, mutuóque in se immeant. Qua ratione de Christo dicere nobis licet, hic Deus noster in terra visus est, & cùm hominibus conuersatus. Et, hic homo creatus est & impassibilis, ac circumscriptionis omnis expers.* Sancto Bernardo libro quinto de consideratione capite nono sic dicente, *Tantam támque expressam vnionis vim in se præfert ea persona, in qua Deus & homo vnus est Christus, vt si duo illa de se inuicem prædices, non erraueris : Deum enim hominem, & hominem Deum verè Catholicéque pronuncians.* In qui-

A bus & aliis similibus locis Patres semper fundant hanc communicationem in ipsa vnione hypostatica, quemadmodum ipsa eorum verba apertè declarant. V.

Probatur quartò, quia vbicumque duo vel plura insunt vni & eidem, tunc illa occasione istius sibi communis cui insunt, possunt inuicem prædicari de se, *Cùm modus prædicandi sequatur modum essendi*, exempli causâ, quia albedo & dulcedo sunt simul & semel in eodem subiecto, verbi gratiâ lacte, vel saccaro, rectè vnum prædicatur de altero : nam ostenso lacte rectè dicimus album est dulce & è contrà : atqui in præsenti mysterio Incarnationis dantur duæ naturæ cum suis proprietatibus, diuina nempè & humana, & illarum vnio facta est in hypostasi Verbi diuini : ergo naturæ illæ & proprietates illarum ratione huius vnionis poterunt secundùm aliquem modum præ-

B dicari de se inuicem. VI.

Quòd denique hæc communicatio non sit tantùm verbalis, sed realis propriè, probatur. Hæc communicatio fundatur in vnione hypostatica, vt nunc ostendimus circa relata Patrum testimonia : ergo qualis est hæc vnio naturarum inter se in personalitate Verbi diuini, talis etiam erit hæc communicatio in tali hypostasi : sed ista vnio est vera & realis, vt ostendimus ad quæstionem secundam : deinde hæc communicatio est talis, qualis est inexistentia ipsius prædicati in subiecto prædicationis, quia talis prædicatio resultat ex tali communicatione, quatenus *modus prædicandi sequitur modum essendi, siue inexistendi*, vt Dialectici omnes communiter docent : atqui humanitas & omnes proprietates eius verè & realiter, & non solùm

C verbo tenus insunt Christo Domino, similiter VII.
ipsa diuina natura & eius attributa, vt ostendimus contra Nestorium : ergo verè & propriè realiter & non solùm verbali prædicatione prædicabuntur de se inuicem.

Articvlvs II.

Vtrùm hæc communicatio consistat in communicatione naturæ diuinæ & attributorum eius facta humanitati Christi Domini.

ETsi hæretici nostri temporis admittant dari in Christo Domino communicationem idiomatum, vt vidimus articulo præcedenti, non tamen nobiscum conueniunt, in quo illa

D tota consistat, & quàm latè pateat. Nam cùm VIII.
tam ipsæ naturæ quàm earum proprietates possint duobus modis considerari, nempè in *abstracto, & in concreto* : Lutherani volunt hanc communicationem in eo etiam consistere, quòd diuina attributa communicentur ipsi humanitati vt vnitæ Verbo, consideratæ tamen *in abstracto* : quod duobus modis intelligunt. Alij enim volunt vnionem hypostaticam consistere totam in hac communicatione, sic Brentius & Smigdelinus. Alij, vt Kemnitius capite superiùs citato, & capitib. 20. 21. 22. & sequentib. esse tantùm quid consequens vnionem hypostaticam. Hanc autem communicationem nolunt esse mutuam, quasi attributa humanæ naturæ communicentur diuinæ vt sibi vnitæ in personalitate Verbi, nec item per quasdam qualita-

I. tes aut dona quædam supernaturalia, quibus perfectiones importatæ attributis diuinis communicentur speciali modo humanitati sic assumptæ, sicque humanitas reddatur *omnipotens, omnisciа, & immensa*, ex vi cuiusdam doni creati sibi vi vnionis hypostaticæ infusi, sed ipsismet diuinis attributis absque aliqua confusione tam diuinæ naturæ cum humana, quàm attributorum eius cum humanis, & etiam absque aliqua æqualitate cum illis vt sunt in Deo. Et hoctotum nituntur explicare potissimum exemplo ignis, qui manens distinctus à ferro tam quoad suas proprietates, quàm quoad suam naturam & substantiam, ei tamen communicat vim suam lucendi & vrendi. Item exemplo animæ, quæ communicat oculo virtutem videndi. Item exemplo personalitatis Verbi diuini, quæ de facto sese communicat humanitati assumptæ, & II. nihilominùs manet distincta ab ipsa humanitate. Quòd si ampliorem huius eorum doctrinæ explicationem vrgeas, respondent, illam esse infallibilem, & fide potiùs quàm alia cognitione posse apprehendi: & in huius rei confirmationem referunt Patres, qui agendo de mysterio Incarnationis, asserunt modum illum, quo vnio hæc hypostatica est facta, esse inexplicabilem nobis. Sic Kemnitius capite vigesimo-tertio Opusculi superiùs citati, & ad distinctionem aliarum communicationum quæ sunt naturarum, & proprietatum *in concreto* sumptarum, de quibus dicemus infrà, & vltra quas admittunt hanc tertiam, vt videre est apud Kemnitium suprà, illam vocant *communicationem maiestatis*. Quòd si quæras ab illis, III. quandonam attributa diuina fuerint sic communicata humanitati assumptæ vi vnionis, respondent, hanc communicationem fuisse factam cum vnione hypostatica, sed humanitatem tunc, & tempore suæ mortalitatis, omnes eius actus & operationes non exercuisse.

Communis tamen omnium Scholasticorum sententia est omninò oppositа. Pro cuius explicatione sit hæc propositio. Vnio hypostatica sumpta formaliter non consistit in communicatione idiomatum, seu proprietatum naturæ diuinæ facta humanitati assumptæ à Verbo diuino. Hæc propositio est tantùm contra quosdam Lutheranos, non autem omnes, vt suprà diximus.

Probatur primò ex omnibus Conciliis & Patribus, quibus suprà ad quæstionem secundam huius partis ostendimus hanc vnionem esse *personalem*, illámque præcisè sumptam consistere in vnione personalitatis Verbi cum humanitate. IV. Nam personalitas Verbi diuini est aliquid distinctum, saltem virtualiter à diuinis attributis essentialibus: ergo & ipsa communicatio personalitatis Verbi diuini sumpta præcisè & formaliter, est aliquid distinctum ab ipsa communicatione diuinorum attributorum essentialium.

Probatur secundò. Si vnio hypostatica formaliter spectata, nihil esset aliud, quàm talis communicatio: tunc talis etiam vnio esset facta in aliquo essentiali, hæc enim omnia attributa, de quibus nunc agimus sunt essentialia: at Concilia citata definiunt hanc vnionem esse factam in personalitate: & præterea non esset potior ratio, cur Filius esset, vel diceretur incarnatus, quàm pater vel Spiritus sanctus, imò omnes diuinæ personæ essent propriè incarnatæ, cùm A omnia hæc attributa essentialia diuina tam sint Patris & Spiritus sancti, quàm sint ipsius Filij. V.

Neque est quòd Lutherani respondeant, diuinam essentiam posse sumi duobus modis: *vno absolutè*, quatenus est communis omnibus personis diuinis. Secundò *relativè*, prout tota est in singulis personis diuinis: hanc vnionem & communicationem attributorum diuinorum fuisse tantùm factam *in essentia diuina vt relativè* sumpta, seu vt est propria soli Filio Dei, nec proinde sequi vnionem hanc fuisse factam in aliquo purè essentiali, omnésque personas diuinas fuisse incarnatas.

Non est, inquam, quòd sic respondeant. Nam vel essentia diuina, *vt relativè sumpta*, est aliquid saltem virtualiter distinctum tam ab ipsa essentia diuina *vt absolutè* considerata, quàm B ab ipsa personalitate Verbi diuini; vel nihil est VI. aliud, quàm ipsamet personalitas Verbi diuini, vt virtualiter tamen distincta ab essentia diuina absolutè considerata. Si primum, ergo in ipsa persona Verbi diuini, præter diuinam essentiam communem omnibus diuinis personis & propriam eius personalitatem, alia essentia dabitur, & ita in singulis aliis personis diuinis: at hoc est contra vnitatem ipsius Dei, quæ attenditur penes eamdem numero essentiam in tribus diuinis personis existentem, & contra constitutionem vniuscuiusque personæ diuinæ *ex essentia* vt aliquo communi *& personalitate*, tanquam proprietate, assertam ab omnibus Conciliis & Patribus agentibus contra Arium & alios impugnantes mysterium Trinitatis. Si autem secundum asseratur: ergo cùm personalitas Verbi diuini vt sic præcisè spectata, non ha- C beat istas proprietates seu attributa, sed illa VII. sint solius diuinæ essentiæ vt virtualiter condistinctæ à personalitate Verbi diuini, ipsa inquam personalitas Verbi non communicabit istas diuinas proprietates humanitati assumptæ primò, per se, essentialiter, ex vi huius vnionis hypostaticæ secundùm se primò & formaliter spectatæ.

Confirmatur. Ea tantùm vi vnionis hypostaticę formaliter spectatæ possunt primò per se communicari, quæ includuntur per se in personalitate communicata: atqui prædicta attributa non includuntur primò per se & formaliter in personalitate Verbi diuini præcisè spectata: ergo hæc attributa non communicantur primò per se humanitati assumptæ vi vnionis hypostaticæ præcisè & formaliter spectatæ: ergo vnio hypostatica sumpta formaliter non potest consistere in tali communicatione idiomatum naturæ di- D VIII. uinæ facta humanitati, quæ assumitur.

Articvlvs III.

Vtrùm communicatio idiomatum sequatur ad vnionem hypostaticam.

Sit hæc nostra propositio. *Ad vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo diuino non sequitur communicatio idiomatum, seu attributorum naturæ diuinæ facta humanitati assumptæ.*

Probatur primò, ex omnibus Conciliis congregatis contra Eutychetem, quæ dum definiunt duas naturas in Christo Domino esse vnitas, & permanere inconfusas & impermixtas, addunt

I. etiam ipsas earum proprietates saluas fuisse & integras, & solummodò fuisse vnitatem personæ. Sic Concilium Chalcedonense act. 5. *Salua*, inquit, *vtriusque naturæ proprietate, & in vnam concurrente personam.* Sic Lateranense sub Martino primo, canone 9. sic 6. Synodus generalis conclusione 4. & 17. sic Agatho Papa in sua epist. per hanc Synodum approbata prædicta quarta actione.

Probatur secundò ex Patribus, S. Augustino sermone 191. de tempore, vbi sic ait, *Illorum quoque execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore acceptæ carnis omnia, quæ erant diuinitatis, in hominem demigrasse:* vbi hæc particula *hominem*, qui est terminus concretus, ponitur pro hoc abstracto *humanitas*, vt facilè intelligitur ex sequentibus. Item ex sancto Damasceno libro tertio de fide capite 4. vbi ita

II. scribit de communicatione idiomatum, quæ reperitur in Christo Domino, *nec rursus carni sine humanitati ea tribuimus, quæ diuinitati propriè conueniunt.*

Probatur tertiò. Vel hæc communicatio diuinarum proprietatum fieret humanitati secundùm propriam & formalem illarum rationem, itavt sicut ipsamet personalitas Verbi diuini communicatur humanitati per vnionem hypostaticam, sic etiam attributa diuinæ essentiæ communicentur ei secundùm propriam suam formalem rationem: vel talis communicatio fieret, quatenus proprietates illæ sese haberent ad modum formæ informantis suum subiectum comparatione humanitatis, cui dant esse proprium talis & talis actus, vel effectus, vel per modum formæ tantùm assistentis, quomodo Angeli dicuntur à nonnullis esse formæ cælorum

III. ad faciendum motum, & quomodo diuina essentia in ratione virtutis actiuæ potest sese intimè vnire alicui, illúmque confortare ad producendum id, quod aliàs ei secundùm vires naturæ suæ considerato est impossibile. Vel denique per aliquam participationem, quatenus Deus vi vnionis hypostaticæ communicat aliquod bonum creatum humanitati, quo constituatur in tali gradu perfectionis: at talis communicatio attributorum diuinæ essentiæ nullo istorum modorum fit humanitati ex efficacia vnionis hypostaticæ: ergo nulla datur talis eorum communicatio. Maior patet inductione facta per omnes modos qui possunt fingi.

Minor probatur quoad singulas partes, & quat.am spectat ad postremum modum, veritas eius constat ex confessione aduersariorum, vt suprà obseruauimus. De primo modo idem etiã

IV. patet: nam, quemadmodum suprà ad quæst. 2. argumentati sumus, vt aliquid vniatur hoc modo, debet fieri vnum cum eo, cui vnitur secũdùm illud in quo ei vnitur, exempli causâ, quia Verbum diuinum vnitur humanitati in hypostasi, ideò per talem vnionem illa fit vnum personaliter cum Filio Dei, & Christus Dominus, qui tanquam totalis terminus resultat, est ipsummet diuinum Verbum personaliter: atqui humanitas Christi Domini non potest fieri quid vnum cum aliquo attributo diuinæ essentiæ, vel cum illis omnibus, quia tunc humanitas posset dici ipsamet scientia Dei, ipsa eius bonitas, sicut rectè dicimus loquendo de Christo, *homo est Deus, homo est Filius Dei*: quæ tamen prædicatio scientiæ diuinæ, & aliorum eiusmodi attributorum essentialium de ipsa humanitate etiam vnita Verbo,

A est hæretica, quia inducit vel conuersionem humanitatis in tale attributum diuinæ essentiæ, de quo formatur prædicatio, vel commixtionem eius & confusionem cum humanitate, & præterea inducit prædicationem abstractorum de abstractis comparatione naturarum & proprietatum, quæ sunt in Christo Domino, quæ omnia sunt hæretica. V.

Deinde, si talis vnio daretur inter aliquod attributum diuinum & humanitatem assumptam, quemadmodum Christus homo ita est idem cum Verbo, seu Filio Dei, vt non sit inferior suo Patre, ratione suæ personalitatis: ita etiam & humanitas tali modo vnita attributis diuinis essentia esset ratione illorum æqualis diuinæ essentiæ: at hoc est contra ipsammet doctrinam Lutheranorum, qui volunt hæc attributa fuisse communicata humanitati cum adæquatione seu

B perfectione illa æquali qua conueniunt diuinæ essentiæ. VI.

Tandem, illud tantùm est aptum communicari eo modo humanitati, quo personalitas Verbi diuini est ei communicata, quod est aptum terminare vltimò & completè aliquam subsistantiã: atqui attributa essentialia diuinæ naturæ non sunt apta sic terminare aliquam subsistantiam, vt ostendimus ad quæstionem secundam, huius partis: ergo nec diuina attributa essentialia possunt communicari humanitati eo modo, quo personalitas Verbi diuini est ei communicata per vnionem hypostaticam.

De secundo modo idem patet, quia ex omnibus Philosophis esse formã informantem importat imperfectionem: ergo cùm nulla imperfectio possit cadere in Deum, vel in eius attributa, nullum ex attributis diuinis potest vniri humanitati per modum formę informantis, & sic illam C VII. reddere omnisciam, viuificam, & sic de aliis attributis.

Deinde, etiamsi non implicaret attributa Dei vniri alicui per modum formæ informantis, nihilominùs tamen repugnaret illa sic se alicui cõmunicare, vt nihilominùs in eo relinquant formam sibi oppositam importantem virtualem contradictionem: sicut enim quia subsistentia propria habet virtualem contradictionem cum aliena, implicat subsistantiam assumi etiam à Verbo diuino cum propria subsistentia, sic etiam repugnabit attributa diuina vniri per modum formæ informantis cum eo, quod habet formam virtuali contradictione sibi oppositam: atqui aliqua attributa essentialia Dei habent virtualem contradictionem cum quibusdam prædicatis essentialibus humanitatis, exempli gratiã, æternitas cum humanitate, vt creata in tempore, VIII.

D bonitas per essentiam cum bonitate humanitatis, quæ tantùm est per participationem.

De tertio modo idem etiam patet ex dictis: nam suprà ad quæst. 9. ostendimus, *esse actu scientem & intelligentem*, dicere intrinsecè principium formale & inexistens, quo ipsum denominatum agat & operetur tanquam principale agens habens ex se, & intrinseca sua conditione radicale principium correspondens huic formali, quomodo actualis intellectio Dei non potest sese habere ad intellectum animæ Christi Domini, nec item intellectus ille ad actualem intellectionem.

Idem etiam patet de æternitate propria Deo: nam esse æternum dicit rem sic denominatam non tantùm esse talis conditionis, vt numquam

I. cœperit esse, sed etiam esse talem entitatem, quæ nec actu, neque potentia, neque ab extrinseco, neque ab intrinseco, neque in toto, neque in partibus habet aliquem terminum durationis, vt docuimus primâ parte quæst. 10. sed hoc repugnat humanitati etiam vt vnitæ, vt facilè potest quilibet animaduertere: ergo repugnat etiam humanitati à Verbo assumptæ æternitatem diuinæ essentiæ propriam communicari. Idem argumentum fieri potest de *esse increato*, de *esse purè spiritali*, & immateriali diuinæ naturæ, similiter & de eius immutabilitate, quatenùs omnia ista attributa important aliquam contradictoriam oppositionem, saltem virtualem ad ipsa propria prædicata humanitatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm attributum diuinæ immensitatis fuerit communicatum humanitati Christi Domini.

II. LVTHERANI quorum præcedentibus articulis meminimus, ita intelligunt communicationem idiomatum, seu proprietatum naturæ diuinæ fuisse factam humanitati assumptæ, vt id tamen speciatim & in particulari maximè vrgeant de attributo immensitatis, & velint illam vi vnionis hypostaticæ esse vbique locorum, adeoque sint appellati communiter *Vbiquistæ*, & *Vbiquitary*. Si modus huius immensitatis, seu omni-præsentiæ diuinæ humanitati Christi Domini communicatæ quæratur ab illis, protestantur esse ineffabilem, diuinum, soli Deo cognitum, & quamlongissimè disitum à modo præ-
III. sentiæ nostrorum corporum, sc ibi nullas agnoscere considerationes dimensionum, distantiarum, longitudinis, latitudinis, profunditatis, & propinquitatis, quemadmodum videre est apud Lucam Osiandrum in suo Enchiridio controuersiarum Augustanæ confessionis cum Caluinianis capite sexto, sectione quartâ; & quoniam nituntur hanc partem suæ hæresis stabilire specialibus quibusdam fundamentis inferiùs soluendis, ideò & specialem articulum contra illam hîc instituimus; quare

Sit hæc nostra propositio. *Attributum diuinæ immensitatis nullo modo fuit vi vnionis hypostaticæ communicatum humanitati Christi Domini.* Hæc sequitur ex nostra propositione articuli præcedentis, & habetur definita in Conciliis ibi relatis asserentibus duas naturas in Christo Domino
IV. non tantùm manere inconfusas, impermixtas, sed & illarum proprietates; & speciatim probatur ex sacris Litteris ita expressè loquentibus de Christi Domini existentia in loco secundùm humanitatem, vt apertè declarent illam nunquam fuisse vbique: sic apud S. Ioannem capite 11. Christus Dominus ante suam passionem loquens de morte Lazari, quæ se absente acciderat, dixit Apostolis: *Gaudeo propter vos, vt credatis quia non eram ibi.* Item apud sanctos Matthæum & Marcum capite vltimo Angelus apparens mulieribus dixit de Christo Domino, qui iam resurrexerat, *Non est hic.*

Nec est quod Vbiquistæ respondeant, hæc testimonia esse tantùm intelligenda de præsentia visibili, non autem de inuisibili, secundùm quam volunt humanitatem Christi Domini esse vbique, itavt secundùm vnam moueretur de vno loco ad alium, vt quando sancti Ioannis capite decimo-sexto dicebat, *Relinquo mundum*, nimirum quoad præsentiam visibilem, & secundùm inuisibilem maneret vbique. V.

Non est, inquam, quòd hoc respondeant: hinc enim sequeretur Christum Dominum non esse verè mortuum, non verè resurrexisse, quia ad veram mortem requiritur dissolutio animæ à corpore, & proinde vt vnum horum separetur ab alio, & ad summum Christum Dominum esse solummodò mortuum secundùm quid, non purè & simpliciter, quatenùs iuxta præsentiam illam inuisibilem anima eius nunquam fuit dissoluta à corpore: at sacræ Scripturæ & Patres docent Christum Dominum pure & simpliciter, & absolutè esse verè mortuum, animam eius in triduo mortis fuisse apud inferos, corpus autem eius remansisse in sepulchro, postmodum fuisse
B reunitum illi, & sic clausis ianuis ingressum esse VI.
ad Apostolos.

Secundò probatur ex Patribus: ex Sophronio Patriarcha Hierosolymitano epistolâ suâ lectâ in sexta Synodo, actione vndecimâ, & approbatâ actione decima-tertiâ tomo tertio Conciliorum sic scribente, *Christus ex loco secundùm nos ad locum commigrabat*, quia circumscriptionem carnis suscepit. Ex sancto Ambrosio libro secundo de fide, capite quarto, considerante Christum vt Deum, & de eo sic spectato dicente, *Neque Deus de loco ad locum tranijt, qui vbique semper est.* De eodem autem Christo vt homine, *Vt hemo*, inquit, *est qui vadit, ipse qui venit.* Denique & alibi dicit, *Surgite, & eamus: in eo ergo vadit & venit, quod est commune nobiscum.* Sancto Augustino verbis expressis docente propositionem articuli præsentis suâ epistolâ 37. ad Dardanum; nam loquens de Christo Domino secun-
C dùm humanitatem, ita scribit, *Secundùm hanc* VII.
formam non est putandus vbique diffusus; cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus; non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus: Quibus extremis verbis ait hanc Vbiquistarum consequentiam esse malam. *Humanitas vi vnionis hypostaticæ inexistit Verbo diuino: ergo hæc humanitas est vbique, sicut Verbum cui vnitur est vbique.* Idem tradit tractatu 78. in sanctum Ioannem, dum sic de Christo Domino ait, *Ibat per id quod homo erat, manebat per id quod Deus erat: ibat per id quod vno loco erat* (id est erat circumscriptiuè in loco) *manebat per id quod vbique erat.* Item ex Vigilio Tridentino libro 4. contra Eutychetem, qui probat in mysterio Incarnationis conuenisse vnius naturæ in aliam
D non esse factam speciatim ex eo quòd proprium VIII.
est humanitatis circumscribi loco, naturæ verò diuinæ esse vbique, significans implicare attributum diuinæ immensitatis communicari humanitati assumptæ à Verbo diuino: *Igitur*, inquit, *secundùm vos* (scilicet Eutychianos) *aut Verbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum Verbo vbique est, quomodo vna natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa. diuersum est autem & longè dissimile circumscribi loco & vbique esse; & quia Verbum vbique est, caro autem eius vbique non est, apparet vnum eundémque Christum vtriusque esse naturæ, & esse quidem vbique secundùm naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundùm naturam humanitatis suæ.* Pro hac nostra propositione Sanctesius suâ repetitione quartâ de veritate Eucha-

I. ristiæ, capite octauo, plures alios Patres refert.

Tertiò, probatur hæc propositio: ei repugnat purè & simpliciter esse vbique ad modum illum, quo Deus est vbique, cui repugnat vendicare sibi ex propria sua conditione ita totum esse in toto, & totum in qualibet re & spatio, vt etiam implicet aliquid creari de nouo, in quo tamen de facto non existat secundùm suam substantiam; hoc enim totum importat attributum diuinum immensitatis, vt explicauimus primâ parte ad quæstionem octauam: atqui repugnat humanitati Christi Domini etiam vnitæ Verbo diuino totum istud sibi vendicare ex propria sua conditione, quia desineret esse quid creatum, cùm hoc importet infinitatem entitatiuam, quæ nulli ens creato, cuiusmodi est humanitas Christi, potest esse naturalis: ergo repugnat humanitati Christi Domini esse vbique ad modum, quo II. Deus per attributum suum immensitatis est vbique.

Tandem nostra propositio probatur, ex eo quòd hæc hæresis Vbiquitariorum destruit omnia mysteria humanitatis Christi Domini: nam fides docet Christum Dominum fuisse conceptum in vtero beatissimæ Virginis, & non extrà: item natum in Bethleem, & non alibi; fugisse in Ægyptum, & per aliquod tempus abfuisse à Iudæa. Deinde eadem fides docet corpus Christi Domini ita verè & realiter præsentiâ suâ inuisibili esse & manducari in Sacramento Altaris & perceptione eius, vt tamen in nulla alia re, vel sub aliis accidentibus, quàm sub consecratis manducetur: at, hac admissâ vbiquitate humanitatis Christi Domini, Christus Dominus vt homo debuit tunc quando concipiebatur esse III. extra vterum beatissimæ Virginis, quando nascebatur in Bethleem alibi existere, & nunquam recessisse à Iudæa, vel Ægypto: item & corpus eius debet toties à nobis sumi, quoties vulgarem cibum sumimus, imò nunquam propriè comedi, cùm sic nunquam traiiciatur ab ore ad stomachum, sed ratione suæ vbiquitatis sit absolutè & simpliciter immobilis, sicut & ipse Deus: quæ omnia sunt planè absurda.

ARTICVLVS V.

Soluuntur fundamenta Lutheranorum asserentium vnionem hypostaticam consistere in communicatione idiomatum.

IV. PRIMVM repetunt ex illis omnibus sacræ Scripturæ testimoniis, quæ declarant humanam naturam vi & efficaciâ huius vnionis fuisse eleuatam, exaltatam, accepisse efficaciam viuificandi, potestatem in res omnes, item remittendi peccata, iudicandi omnes homines: Sancti Matthæi capite vndecimo, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Sancti Matthæi vigesimo octauo, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Item sancti Marci vltimo, *Sedet à dextris Dei*, id est, vt illi explicant, humanitas est euecta ad gloriam comparem diuinæ Maiestati.

Respondetur, omnia illa sacræ Scripturæ testimonia, quæ significant humanam naturam fuisse eleuatam vi & efficaciâ vnionis hypostaticæ, rectè intelligi absque prædicta illa communicatione attributorum essentialium naturæ diuinæ, nempe de eius eleuatione per gratiam vnionis, quatenus vi illius est euecta ad esse personale A Verbi diuini, & per eam factum est, vt homo esset natus alis filius Dei, quo nihil maius & sublimius potest dici, vel etiam communicari, vt ostendimus suprà ad quæstionem secundam.

Deinde eadem Scripturæ testimonia possunt maximè intelligi de potestate excellentiæ, & gratia capitis, quam superiùs ad quæstionem octauam ostendimus fuisse collatam Christo Domino, cuius exequendæ factus est idoneus principaliter per gratiam vnionis, vt ibidem ostendimus; quæ enim primo isto fundamento enumerantur, nempe potestas remittendi peccata, excellens dominium in omnes res creatas, & id genus alia, pertinent ad gratiam capitis.

Ad locum illum Euangelij de Christo Domino, *Sedet à dextris Dei*, respondetur, per hanc sessionem Christi Domini posse intelligi æqualitatem illam gloriæ, potentiæ & maiestatis Christi Domini cum gloria, potentia, & maiestate B Patris eius diuini, itavt sensus sit, hæc omnia fuisse data Christo Domino homini, etiam vi vnionis, quatenus ad immediatam vnionem humanitatis cum personalitate Verbi diuini, alia mediata vnio duarum naturarum diuinæ & humanæ in eodem supposito est subsecuta. Vnde cùm hæc attributa diuina essentialia semper sint cum diuina essentia, & hæc cum personalitate Verbi diuini, Deus faciendo vnionem hypostaticam, fecit & ex consequenti, vt hæc omnia attributa essent in Christo Domino: idcóque sicut etiam secundùm Lutheranos natura diuina non est ita communicata humanitati assumptæ, vt sit ipsa eius essentia: sic nec ipsa eius attributa sunt humanitati hoc modo communicata. Hęc autem sessio sic explicata fuit concessa Christo Domino eo planè instanti, quo vnio hypostatica est facta, cui tamen manifestatio & claritas exterior in ipsa eius ascensione, iuxta illud Christi Domini apud sanctum Ioannem capite decimo-septimo ad Deum Patrem, *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam; & nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum eâ claritate quam habui priusquàm mundus esset apud te.* VII.

Sanctus Thomas infrà quæst. 58. art. 3. in responsione ad tertium explicat hanc sessionem Christi Domini, quatenus ille habuit prædicta omnia attributa ratione suæ personæ; sicque explicat S. Damascenus libro 4. de fide orthodoxa capite 2.

Secundum fundamentum repetunt ex eo, quòd rectè admittamus vnionem personalitatis Verbi diuini cum humanitate, & eius communicationem factam humanitati: at subD sistentia Verbi est eiusdem rationis cum omnibus attributis diuinis: ergo sicut hæc potuit communicari humanitati sine aliqua sui confusione, sic & attributa diuina poterunt etiam communicari eidem humanitati à Verbo assumptæ, absque vlla sui confusione. VIII.

Ad hoc fundamentum responsum est suprà quæstione 9. disputatione articulis 2. & 3. & ratio discriminis ibidem allata, quam etiam hic inter probandum nostram propositionem tertio articulo insinuauimus.

Tertium fundamentum repetunt ex absurdis, quæ aliàs sequerentur: exempli causâ, quòd sublatâ tali communicatione, nostra redemptio tutebet: *Sanguis enim*, inquiunt, *Filij Dei effusus pro nobis nihil habebit ponderis: & falsò dicitur primæ sancti Ioannis primo, emundare nos ab omni*

I. *peccato, quia sic nihil plus diuinitatis habet, quàm si non esset vnitus Verbo, cùm sic spectetur solummodo secundùm se.*

Respondetur negando hæc absurda sequi ex negatione huius hæresis Lutheranorum, cùm valor & infinita dignitas sanguinis Christi Domini, & actionum eius proueniat à personalitate Verbi diuini, vt fusè ostendimus ad primam quæstionem huius partis disputatione 5. & sanguis Christi Domini fuerit immediatè vnitus hypostaticè Verbo diuino, vt suprà docuimus ad quæstionem 5. cùm item actiones quibus Christus Dominus satisfecit pro nobis, & gratiam, & dona gratiæ nobis promeruit, fuerint sustentatæ à Verbo diuino, & vt tales in nostram satisfactionem oblatæ, vt ostendimus citatâ disputatione quintâ &

II. sequenti: rectè intelligimus nostram redemptionem niti fundamento & pretio valoris infiniti, sanguinem Christi Domini nos emundare ab omni peccato, nec ad id fuisse opus reali communicatione proprietatum diuinæ naturæ factâ humanitati, cùm etiam Christus Dominus non tantùm suas actiones, sed & seipsum obtulerit, aliquid entitatiuum diuinum fuisse etiam oblatum pro nobis.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta Vbiquistarum.

PRIMVM repetunt ex sacris Scripturis: sancti Matthæi 18. capite, *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* & capite 28. *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Item ad Ephesios quarto capite Christus Dominus dicitur *ascendisse suprà omnes cælos, vt impleret omnia.*

III. Respondetur locum S. Matthæi 18. capite non intelligi de præsentia etiam inuisibili humanitatis Christi Domini in tali congregatione, sed *de præsentia* Christi Domini *quoad auctoritatem*, quatenus ibi promittit se affuturum Conciliis in suo nomine, id est suâ authoritate congregatis, nimirum tanquam supremum Iudicem stabilientem ea quæ in iis decernuntur.

Illud verò cap. 28. *Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*, intelligitur de præsentia Christi Domini etiam vt hominis, quoad præstandum auxilium Apostolis, & eorum successoribus in gubernanda Ecclesia: sæpè enim in sacris Litteris hæc locutio, *esse cum aliquo*, idem sonat ac *præstare illi fauorem & auxilium*: sic Actuum 7. capite, vbi Deus explicatur dedisse auxilium Ioseph, ita scribitur, *Et erat Deus cum eo.*

IV. Ieremiæ primo capite, vbi Deus pollicetur Prophetæ auxilium, ita ait, *Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum, vt eruam te.* Ad Ephesios capite 4. Christus Dominus dicitur *ascendisse suprà omnes cælos, vt impleret omnia*: non quòd simul & semel omnia loca, quæ sunt in vniuerso repleuerit reali præsentiâ suæ humanitatis, sed quòd in signum singularis illius dominij, & potestatis excellentiæ, quam habet in omnes res, ibi etiam conscenderet, vt sic acciperet possessionem omnium: iam enim per deambulationem suprà mare acceperat possessionem illius, & actum aliquem sui dominij in illud exercuerat: item per descensum ad inferos in loca inferiora, & sic de aliis: igitur vbi omnia loca adiuit successiuè, vt nullũ supereſſet spatium, saltem ex præcipuis, in quo Christus Dominus, tanquam Rex aliquis

A & excellens Dominus non apparuisset secundùm præsentiam suam humanam, & visibilem, vltimò ascendit suprà omnes cælos. Vnde sicut Rex aliquis rectè intelligitur apparere singulis ciuitatibus sui Regni, visitando illas successiuè, illisque ostendendo suam maiestatem, licèt simul & semel non sit in illis omnibus: ita etiam Christus Dominus rectè intelligitur adimpleuisse omnia & singula spatia, saltem magis præcipua, quando mari, terrâ, & inferis iam visitatis, ipse tandem per mysterium Ascensionis conscendit suprà omnes cælos, vt sic nullum esset spatium, saltem ex magis præcipuis, cui præsentiam suam corporalem non exhibuisset. V.

Secundum fundamentum repetunt ex quibusdam Patrum testimoniis. Verùm hæc testimonia intelliguntur tantùm de diuinitate Christi Domini, vt facilè potest colligi ex ipso eorum textu.

B Tertium fundamentum repetunt ex quibusdam rationibus, quarum prima est: Verbum diuinum est vbique: at Christus homo est Verbum diuinum: ergo Christus homo est vbique: ergo cùm Christus non sit homo sine humanitate, eius humanitas erit etiam vbique. VI.

Respondetur, illam tantùm euincere Christum hominem eo modo esse vbique, quo est Verbum diuinum (nam in ista ratione Verbum diuinum sumitur, tanquam medium totius syllogismi) atqui Christo Domino competit esse Verbum diuinum ratione personalitatis, & per communicationem idiomatum, quatenùs quicquid conuenit Verbo diuino, & dicitur de illo siue essentialiter, siue notionaliter, conuenit & dicitur de Christo in concreto, vt posteà explicabitur, non autem de eius humanitate in abstracto. Vnde hæc consequentia ibi facta, *Ergo & Christi Domini humanitas est vbique*, est mala: nam apud Dialecticos, *à concreto ad abstractum eius non valet consequentia.* C VII.

Hinc ista propositio: *Christus vbique est homo*: si hæc eius particula, *vbique*, construatur cum hac, *est homo*, seu, vt Dialectici loquuntur, cadat suprà attributum, quod in hac propositione, *est homo*, est falsa: sic enim significat humanitatẽ esse vbique, seu esse vnitam Verbo diuino vbique locorum: quod est hæreticum: si verò hæc particula, *vbique*, in dicta propositione coniungatur subiecto propositionis, seu cadat suprà illud, tunc propositio erit vera, quia eius sensus erit iste, Christus ratione suæ personalitatis & diuinæ naturæ vbique existens, seu qui vbique existit, est homo: sed prior sensus est magis formalis, iuxta Dialecticos: & ideò prædicta propositio simpliciter & absolutè pronunciata est falsa, & hæretica. D VIII.

Secunda ratio est. Si persona Verbi diuini est alicubi, vbi humanitas ab eo assumpta non sit, iam Verbum est alicubi homo, & alicubi non est homo: at hoc est absurdum: ergo & illud vnde sequitur.

Ad hanc rationem patet quid sit respondendum ex solutione primæ rationis Vbiquistarum: hæc enim propositio, *Verbum alicubi est homo, & Verbum alicubi non est homo*, est vera hoc sensu, Verbum est alicubi sine humanitate sibi vnita, seu existit alicubi vbi non habet humanitatem sibi vnitam: nam in tali propositione verbum substantiuum *est* ita est copula verbalis, vt tamen trahatur ab hac particula *alicubi*, ad supponendum pro existere in aliquo loco, &

I. spatio, quemadmodum facilè potest intelligi ex eius resolutione.

Et licèt hæc propositio, *Vbicumque est Verbum diuinum ibi est homo*, sit falsa iuxta explicationem eius nunc assignatam; hæc tamen est verissima, *Vbicumque est Christus, ibi est homo*, quanus hic terminus *Christus* sumitur in illa *formaliter*, id est *pro constituto ex humanitate & personalitate Verbi diuini* illam sustentante, quia de intrinseca ratione Christi, secundùm quam terminus hic *Christus* sumitur inter loquendum de hoc mysterio, est ipsa humanitas vt hypostaticè vnita Verbo diuino, & quantum ad hoc pertinet, hic terminus *Christus* plus dicit, quàm hic terminus, *Verbum diuinum*, importet: sicque sensus prioris enunciationis est iste, vbicumque Christus existit, est aliquod constitutum ex humanitate & personalitate Verbi diuini, & proinde homo.

II. Tertia ratio est. Si humanitas Christi Domini non est vbique, ergo potest moueri de loco ad locum: ergo quando sic mouetur, vel secum defert personā Verbi diuini sibi vnitam, vel non defert: si defert, ergo persona Verbi diuini mouetur, quia quod defertur mouetur: at Verbum diuinum moueri est falsum, cùm Deus sit immobilis. Si autem humanitas Christi Domini, dum sic mouetur, non defert secum personam Verbi diuini sibi vnitam: ergo desinit ei esse vnita, & sic hæc vnio dissoluetur: at hoc est absurdum & falsum: *Quod* enim *Verbum diuinum semel assumpsit, nunquam dimisit.* Ergo ne in alterutrum istorum incommodorum incidamus, dicendum est, humanitatem Christi Domini esse vbique.

Respondetur, nos admittere humanitatem Christi Domini existentem in certis sese mouisse
III. de loco in locum, vt passim patet in Euangelio, quando Christus Dominus recensetur venisse Hierusalem, in Galilæam, in domum Simonis, ambulasse supra mare, & id genus quamplurima feciſse; tùncque semper habuisse personalitatem Verbi diuini sibi vnitam, non quòd sic se mouendo de loco in locum illam propriè transtulerit; hæc enim, sicut & natura diuina, est omninò immobilis; sed quòd quocumque humanitas progrederetur, eò etiam secum deferret modum illam subſtantialem, quem ad quæstionem 2. huius partis diximus vt formalem terminum vnire actu illam personalitati Verbi diuini: vnde cùm nexus ille quocumque deferretur, semper repetiret eandem numero personalitatem Verbi diuini, semper etiam illam eodem modo vnitam Verbo retinebat; sicque talis vnio nunquam mutabatur, nūquam dissoluebatur. Tunc enim aliqua
IV. vnio censetur propriè dissolui, aut mutari, quando modus, vel copula vniens extrema inter se tollitur, vel mutatur. Istud autem explicari potest exemplo desumpto à Deo existente in omnibus & singulis rebus, qui, quia est vbique locorum, licèt res ipsæ in quibus existit moueantur de loco in locum, ipse tamen nunquam transfertur, aut desinit esse in rebus, quoad suam substantiam & præsentiam, quandiu res illæ creatæ manent in sua existentia.

Quarta ratio est. Quando duæ res sunt inseparabiles sibi inuicem vnitæ, tunc vbicumque vna illarum est, debet esse & altera, aliàs eiusmodi res non essent inseparabiliter vnitæ: atqui personalitas Verbi diuini & humanitas ab eo assumpta sunt inseparabiliter sibi inuicem vnitæ, & persona Verbi diuini est vbique locorum: ergo & humanitas Christi Domini est vbique locorum, & proinde vniuersa. V.

Respondetur, Maiorem eius esse falsummodò veram, quando extrema sunt totaliter & adæquatè sibi vnita: esse verò falsam, quando extrema non sunt sibi inuicem totaliter & adæquatè vnita, vt videre est in illa vnione, quam anima habet ad singulas partes corporis: licèt enim anima sit tota in pede, tota in capite, & vnita istis partibus, quia tamen non est illis vnita adæquatè & totaliter, cùm sit etiam vnita aliis partibus corporis, fit vt quamuis pes, vel caput hominis viuentis nullibi sit, vbi eius anima non sit, attamen anima eius verè & propriè, est alicubi, exempli gratiā, in brachiis, thorace, & aliis eius partibus, vbi pes & caput eius non sunt.

Cæterùm, quod Vbiquistæ asserunt hanc suam communicationem esse inexplicabilem,
II. ad quam tamen explicandam vtuntur exemplis VI. ignis & animæ, nihil eos iuuat: non quidem primum, quia licèt mysteria nostræ fidei sint ineffabilia, secundùm exactam eorum cognitionem, possunt tamen certā quadam communi terminorum notione explicari, vt patet factā inductione per singula: at figmentum istud vbiquitatis ne apprehendi quidem potest aliquā notione etiam valdè rudi, maximè cùm vnum mysterium fidei aliud nō euertat, sicut imaginaria hæc vbiquitas euertit alia humanitatis Christi Domini mysteria, quemadmodum suprà ostēdimus. Secundum item nihil eos promouet, nam rectè possumus intelligere vim lucēdi, & vrendi communicari ferro ab igne, quia sic producit in isto calorem, qui receptus in materia ferri valdè densa vrit acriter, & etiam lucet, vt iam suprà animaduertimus: at Vbiquistæ nolunt attributa diuinæ essentiæ vi vnionis hypostaticæ producere
III. aliquid in humanitate assumpta, ratione cuius cōfortata & eleuata possit aliquos effectus correspondentes istis diuinis attributis efficere. Rectè item intelligimus animam communicare oculo virtutem videndi, eo quòd est actus totius corporis organici, & supponit corpus organicum rectè dispositum, vt cum oculo, tanquam principio *quo* eliciat visionem: at persona Verbi diuini non actuat humanitatem per modum formæ informantis, nec humanitas præsupponitur ei, vt dispositа, quasi vi quarūdam dispositionum præuiarum postulans omnipotentiam, æternitatem, vbiquitatem, & id genus alia, quorum negationes potiùs comprehendit in suo conceptu, vt suprà ostendimus, & vnio hypostatica præcisè spectata dicit tantùm nudam terminationem humanitatis. VII.

IV. VIII.

ARTICVLVS VII.

In quo idiomatum communicatio ratione huius mysterij verè & propriè consistat.

EXPLOSA hæreticorum opinione præcedentibus articulis, nunc doctrina Catholica est tradenda, & modus ille quo diuina natura & humana, item earum proprietates quæ sunt in Christo Domino prædicentur, explicandus.

Hæc itaque sit nostra propositio. *Communicatio idiomatum consistit in eo, vt ratione vnionis hypostaticæ attributa diuina & humana dicantur de eadem persona Verbi diuini sustentantis vtramque naturam, & verè ei attribuantur.* Probatur ex Conciliis suprà citatis: item ex Patribus, S. Am-

I. brosio lib. 2. de fide cap. 4. S. Augustino lib. 1. de Trinitate cap. 13. S. Damasceno lib. 3. suprà citato dicente idiomata communicari nihil esse aliud, quàm proprietates vtriusque naturæ applicari communi hypostasi.

Item, ex eo quòd omnis communicatio plurium debet attendi penes id in quo conueniunt, & sunt aliquid vnum, vt patet in mysterio Trinitatis, in quo quia omnes & singulæ personæ habent eandem numero essentiam, attributa essentialia dicuntur de singulis personis in concreto: cuius prædicationis hæc est ratio; quòd modus prædicandi sequitur modum essendi: atqui natura diuina & humana sunt quid vnum in Christo, & conueniunt solummodò in supposito, seu hypostasi Verbi diuini: ergo communicatio idiomatum debet attendi penes ipsum suppositum

Ex hac propositione sequitur, vnionem hypostaticam non consistere formaliter & præcisè in tali communicatione idiomatum, sed potiùs vnionem hanc præsupponi ad illam, tanquam eius fundamentum: vt enim prius est, albedinem & dulcedinem esse in eodem subiecto communi, quàm prædicari de se inuicem in concreto, & ipsa eorum inexistentia in vno & eodem subiecto, seu identitas subiecti quam habent, est fundamentum prædictæ prædicationis mutuæ illorum in cõcreto: ita prius est naturam diuinam & humanam vniri inter se in eadem Verbi diuini personalitate, & in illa esse vnum subsistens, quàm vnam illarum naturarum, vel aliquam eius proprietatum prædicari de alia natura, vel proprietate in concreto.

II. B

DISPVTATIO II.

De mutua prædicatione absoluta duarum naturarum Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm natura & proprietates prædicentur de se inuicem in abstracto.

III. C

PRO faciliori intelligentia sequentis vtriusque disputationis repetendum est ex Dialecticis vbi agunt de multiplici diuisione enunciationum dari quasdam *enunciationes absolutas*, seu quæ absolutè significãt aliquid inesse, aut nõ inesse alicui; aliàs esse quæ cũ *aliqua nota* significant aliquid inesse, vel non inesse alicui, cuiusmodi sunt *reduplicatiuæ*, & aliæ quæ constant istis dictionibus, *quatenùs*, *vt*, *inquantum*, & similibus. Hac præsenti disputat. agimus de priori modo prædicandi; & primùm quærimus, vtrùm duæ illæ naturæ, quæ sunt in Christo Domino, & earum proprietates prædicentur de se inuicem in abstracto. Pro cuius explicatione

IV. D

Sit hæc nostra propositio. *Proprietates vnius naturæ non prædicantur de alia natura sumpta in abstracto, nec vna natura sumpta in abstracto prædicatur de altera etiam sumpta in abstracto, neque attributum diuinitatis in concreto dicitur de humanitate sumpta in abstracto*: verbi gratiâ, non rectè dicitur, *omnipotentia est humanitas*: nec item, *humanitas est diuinitas*: nec item, *humanitas est omnipotens*, *diuinitas est passibilis*. Et hæc propositio est de fide, ex Conciliis & Patribus articulis præcedentibus citatis. A V.

Probatur: in omni vera prædicatione extrema eius significantur esse aliquid vnum & idem; hinc enim Dialectici dicunt, *modum prædicandi sequi modum essendi*: vnde ad veritatem propositionis requiritur aliqua identitas realis, aut saltem identitas suppositi, vel subiecti, quod in prædicato, vel subiecto effertur: atqui neque naturæ illæ diuina & humana, neque proprietates illarum sumptæ in abstracto sunt aliquid vnum & idem inter se in Christo Domino, quia manent in illo impermixtæ, inconfusæ, & semper distinctæ: nec item vt sic enunciatæ habent aliquam identitatem suppositi, quia abstractâ vi suæ significationis, non important suppositum, sed simpliciter significant formam, nudè, & absque supposito, vel subiecto, ex suo proprio modo significandi, secundùm communem doctrinam Dialecticorum: ergo neque natura, neque proprietates vnius naturæ prædicantur de altera natura sumpta in abstracto, neque vnum attributum diuinitatis sumptum in concreto prædicatur de humanitate sumpta in abstracto. VI.

Neque his obstat, quòd istæ duæ naturæ, & earum proprietates habeant de facto & in reipsa idem simplicissimum numero suppositum Verbi diuini, quia prædicationes sunt tales, vt nunc insinuauimus, quales res enunciatæ per ipsas significantur ipsis propositionibus; prædicantur enim de se inuicem, vt subiunt nostris conceptibus: atqui licèt à parte rei & de facto naturæ illæ & earum proprietates sint sibi inuicem vnitæ in aliquo tertio, nempe in hypostasi Verbi diuini, nulla tamen identitas earum inter se importatur, dum propositiones formantur de illis in abstracto, sed formæ ipsæ tantùm nudè & simpliciter importantur, quæ tamen vt sic nullam habent inter se identitatem: ergo, non obstante hac identitate suppositi de facto & à parte rei existente, attamen in abstracto sumptę, nunquam vna natura prædicabitur de alia, vel eius proprietatibus etiam sumptis in abstracto: quod potest explicari exemplo albedinis & dulcedinis, quæ etiam vnitæ in eodem lacte non prædicantur in abstracto de se inuicem. VII.

Hinc, si aliquando nomen abstractum aliquod diuinitatis reperiatur apud Patres prædicari de humanitate, tunc nomen illud debet explicari de concreto, vt pro illo positum, vt quando S. Fulgentius libro ad Transimundum, dicit deitatem esse mortuam, nomen *deitatis* ibi est positum pro hoc concreto, *Deus*, vel *Verbum diuinum*. Hinc etiam quando Ecclesia canit de Christo Domino, *Mors mortua tunc est in ligno, quando mortua vita fuit*: hic terminus, *vita*, sumitur pro Deo, qui est terminus concretus, itavt sensus sit, Deum esse mortuum, quod est verum de Verbo diuino, vt incarnato. VIII.

ARTICVLVS II.

Soluitur dubium.

QVÆRES, licèt diuina natura, vel eius proprietates non possint in abstracto prædicari in sensu formali de altera natura, vel eius proprietatibus, etiam in concreto; an tamen possint prædicari in sensu identico: exempli causâ, an hæc prædicatio sit legitima, loquendo de Christo Domino, *homo est deitas*:

I. in qua attributum est *deitas*, quæ identicè est Verbum diuinum.

Suarez hac quæstione disputatione 35. sectione 2. existimat esse legitimam, *Quia*, inquit, *subiecta solent in propositionibus stare materialiter*: id est sumi pro supposito: at suppositum, quod in hac propositione importatur hoc termino, *homo*, qui est subiectum huius enunciationis, est Verbum diuinum, quod identicè est diuinitas, quæ prædicatur de illo in sensu identico, ex omnibus Theologis primâ parte, quando agunt de mysterio Trinitatis: ergo prædicta propositio erit vera in sensu identico; quod explicatur hoc syllogismo, *Verbum est diuinitas, Verbum est homo: ergo homo est diuinitas*: ait verò disparem esse rationem huius sequentis propositionis à nunc proposita, *Deitas est homo*, quia prædicatum sumitur formaliter: vnde tunc in hac propositione

II. significatur humanitatem, quæ est formale significatum huius termini, *homo*, esse ipsam deitatem, quod est hæreticum & falsum.

Melior tamen videtur esse aliorum sententia, asserens neutram istarum propositionum esse veram, siue in sensu formali, quod omnes admittunt, siue in sensu identico: quia tunc significant humanitatem identificari diuinitati, quod est falsum: sicut in ista propositione, *Deus est paternitas*, significatur deitas identificari paternitati: ergo pari iure in ista propositione, *Homo est deitas*, significabitur humanitas identificari diuinitati; quod tamen est falsum: neque enim est potior ratio, cur in hac propositione subiectum *homo* supponat materialiter, quàm in alia hoc eius subiectum *deitas*: cùm Suarez id tantùm fundet in eo, quòd homo sit subiectum, sed pari etiam modo *deitas* in illa alia

III. propositione est subiectum; & si deitas, quæ est subiectum prædicationis supponit simpliciter pro supposito, hæc propositio erit falsa, *Vnus Deus est tres personæ*: quia tunc sensus eius erit iste, *Vnum suppositum est tres personæ diuinæ*. At hæc vltima propositio, *Vnus Deus est tres personæ*, admittitur vt Catholica: ergo in illa subiectum *vnus Deus* debet etiam sumi formaliter: ergo & in ista propositione, *Homo est deitas*, terminus ille, *homo*, sumitur formaliter; & proinde significat humanitatem esse ipsam diuinitatem, quod est falsum.

Atque ex his patet solutio ad fundamentum Suaris: ad illum autem syllogismum eius expositorium respondetur, variari suppositionem, seu acceptionem terminorum. Nam Maior eius est tantùm vera in sensu identico: vnde prædicta enunciatio non potest esse vera in sensu for-

IV. mali. Minor item eius est tantùm vera in sensu formali, nimirum ratione humanitatis, quæ est vnita Verbo, & proinde eius conclusio non est legitima.

ARTICVLVS III.

Vtrùm naturæ & proprietates prædicentur de se inuicem in concreto.

SIT hæc nostra propositio. *Vna natura sumpta in concreto prædicatur de alia similiter in concreto: item proprietates, seu attributa vnius naturæ sumpta in concreto prædicantur de proprietatibus, seu attributis alterius naturæ sumptæ etiam in concreto.* Propositio est de fide, & sequitur ex præcedentibus: hæc enim enuncia-

A tio est vera, *Deus est homo*: item, *homo est Deus*: similiter, *risibile est immortale, immortale est passibile, passibile est immortale*. V.

Probatur prior pars: quando duæ naturæ existũt in eodem supposito, altera sumpta in concreto propriè prædicatur de altera etiam sumpta in cõcreto: atqui in præsenti mysterio duæ naturæ, diuina & humana, simul existunt in vno eodémque supposito Verbi diuini, vt est definitum contra Nestorium, vt docuimus ad secundam quæstionem huius partis: ergo diuina natura sumpta in concreto verè prædicatur de humana etiam sumpta in concreto. Minor est de fide. Probatur Maior; quæcumque significant vnum & idem ens singulare possunt prædicari de se inuicem, quia prædicatio fundatur in identitate attributi cum suo subiecto: atqui duæ

B naturæ existentes in eodem supposito & enunciatæ in concreto significant vnum & idem ens VI. singulare, quia sunt vnum ens substantiale, & nomen substantiuum, propter vnitatem sui suppositi, significat vnum & idem singulare, & non aliquod ens multiplex, seu multitudinem entium, vt docuimus ad quæstionem tertiam huius partis, ex distinctione nominis substantiui ab adiectiuo: ergo quando duæ naturæ existunt in eodem supposito, & sumuntur concretim, illæ etiam in concreto prædicabuntur de se inuicem.

Probatur posterior pars, quæ procedit de proprietatibus sumptis in concreto. Quando vnum verè & propriè prædicatur vniuersaliter de altero, quicquid dicitur de prædicato dicitur etiam de subiecto talis prædicati, vt colligitur ex receptissima illa regula, quam Aristoteles præmittit in categoriis: atqui ex præcedenti

C parte huius propositionis, vna natura, exemplicausâ, diuina quæ existit in eodem supposito VII. Verbi diuini cum humana, prædicatur de humana sumpta etiam in concreto, tanquam suo subiecto, & econtrà: item proprietates humanæ naturæ sumptæ in concreto prædicantur de diuina sumpta in concreto, similiter & proprietates naturæ diuinæ de illa in concreto: ergo proprietates vnius naturæ, putà diuinæ sumptæ in concreto, prædicantur de proprietatibus alterius naturæ, putà humanæ sumptis etiam in concreto, quando ambæ illæ sunt in eodem supposito.

Et imprimis, quòd proprietates vnius naturæ in concreto prædicentur de altera natura existente in eodem supposito, vt efferuntur in concreto, ostenditur hoc syllogismo expositorio, *Verbum diuinum est immortale, sed Verbum diuinum*

D *est homo: ergo homo est immortalis*: vel econtrà, VIII. *hic homo* (ostenso Christo Domino) *est mortalis, hic homo est Deus, ergo Deus est mortalis.*

Quòd item proprietates vnius naturæ sumptæ in concreto prædicentur de proprietatibus alterius naturæ existentis in eodem subiecto, vt efferuntur in concreto, patet etiam syllogismo expositorio: *Hoc corporeum* (ostenso Christo Domino) *est mortale, sed hoc corporeum est immortale: ergo hoc mortale est immortale.*

Ex his constat, ea quę videntur contraria prędicari de Christo Domino, non tamen propriè loquendo contrariè, quia licèt conueniant eidem supposito, attamen ratione diuersarum naturarum: vnde quod S. Thomas hac quęstione, articulo octauo in rẽsponsione ad secundum, ait istis ratiocinationibus adhibẽdam esse limitationem non est necessitatis, sed consilij tantum;

hinc

I. hinc in sexta Synodo, actione vndecima in epistol. Sophronij, Christus Dominus simul dicitur *corporeus, & incorporeus, mortalis & immortalis.*

Vbi notandum est, ista attributa, *incorporeum, immortale*, & id genus similia, tunc propriè loquendo, non accipi *negatiuè*, vel *privatiuè*, quasi immortalis idem sit ac non mortalis, sed accipi *positiuè*, quatenùs significant positiuam proprietatem Dei, à qua est, & dicitur immortalis, incorporeus: & hoc modo immortale & mortale, incorporeum & corporeum non sunt contradictoria, sed significant diuersas proprietates positiuas conuenientes eidem personæ per diuersas naturas: vnde nihil obstat quòd videantur esse contrariæ. Quòd si sumerentur quatenùs significant *negationes*, tunc propositiones illis formatæ essent falsæ, quia negatio, vt

II. Dialectici loquuntur, est malignantis naturæ, totum destruit: vnde significarent Christum Dominum nullo modo esse corporeum, nullo modo esse immortalem; & sic tunc prædicta animaduersio de adhibenda limitatione istis propositionibus habet locum. Hinc quia *assumere* connotat in assumente negationem humanæ naturæ ante assumptionem, seu connotat assumentem priùs sine tali natura extitisse: hæc consequentia non valet, *Hic homo est Verbum, seu Verbum assumpsit humanitatem: ergo hic homo assumpsit humanitatem*: ibi enim iste terminus, *Verbum*, aliter sumitur in maiori, & aliter in minori: in illa provt humana natura subsistit in Verbo: in ista provt consideratur natura priùs assumptione humanitatis.

Articvlvs IV.

Colliguntur duæ regulæ.

III. EX his colligimus duas regulas, quibus hæc mutua prædicatio explicetur. Regula prima est: *Quicquid dicitur de Verbo diuino personaliter, vel essentialiter, illud etiam propriè enunciatur de Christo homine mortali, in recto casu per terminos concretos*: exempli causâ, *esse Filium Patris æterni, esse Verbum Patris, esse vnigenitum ex substantia Patris, esse principium Spiritus sancti*; & his similia, quæ sunt notionalia secundæ personæ Trinitatis. Item *esse immensum, esse creatorem, esse gubernatorem rerum omnium*, & his similia, quæ sunt essentialia: & hæc regula est de fide: nam Christus Dominus loquens de Spiritu sancto, ait se esse principium illius: *Ille*, inquit nimirum Spiritus sanctus, *accipiet*

IV. *de meo*: quod omnes Theologi intelligunt de processione Spiritus sancti à Filio: item in Euangelio passim Christus Dominus profitetur se verè & propriè esse naturalem Filium Dei Patris: item in epistola ad Hebræos capite primo, Christus Dominus dicitur *Splendor gloriæ, figura substantiæ Patris*: & apud sanctum Ioannem capite octauo ait, *Antequam Abraham fieret ego sum*: S. Iudas in sua epistola ait, *Iesum saluasse populum de terra Ægypti*: Secundò, *eos qui non crediderunt perdidisse*: quod de Christo Domino vt Deo multi ex Patribus latiùs explicant.

Huius prioris regulæ ratio hæc est, in propositione propria, simpliciter & propriè vera: item & in propositione per se, quidquid prædicatur de attributo, illud etiam dicitur de subiecto, vt Dialectici communiter docent: atqui propositiones istæ, *Christus est homo, Christus est Deus*, sunt propositiones propriæ per se, simpliciter veræ, vt paulò pòst videbimus, & in illis *Deus*, & *homo* sunt attributa: *Christus* subiectum: ergo quicquid dicitur de Verbo diuino essentialiter, vel personaliter, dicitur etiam in recto casu, per terminos concretos de Christo Domino.

Regula secunda est. *Quicquid dicitur de homine essentialiter, vel necessariò, & quicquid etiam dicitur accidentariè de hoc homine Christo, dicitur etiam de Filio Dei*: verbi gratiâ, *constare animâ & carne, habere intellectum, voluntatem, appetitum sensitiuum, nasci, sitire, fatigari, crucifigi, mori, resurgere*, & his similia. Hæc etiam regula est de fide ex pluribus locis sacræ Scripturæ, in quibus aliquæ ex his loquendi formulæ, & nonnullæ illis simles habentur.

Cuius regulæ fundamentum est idem cum B fundamento prioris: nam Deus est propriè homo, quia Verbum est homo, & Verbum est propriè Deus: ergo cùm *homo* in ista propositione sit attributum, & quicquid in vera & propria propositione dicitur de attributo, dicatur etiam de subiecto illius, quicquid dicitur de homine essentialiter, item necessariò, item quicquid dicitur accidentariè de hoc homine Christo Domino, dicetur etiam de Filio Dei.

Ex hac regula sequitur, ea quæ sunt propria primæ & tertiæ personæ Trinitatis non posse prædicari de homine, seu de hoc homine Christo: nec item quæ sunt propria suppositi creato posse prædicari de Deo. Ratio prioris partis est, quòd ea tantùm prædicentur de supposito, quæ ipsi, quatenus est tale, vel conueniunt, vel sunt eius naturæ propria, seu essentialia, vt intelli-

C gitur ex istis regulis, & rationibus, in quibus fundantur: nihil enim aliud potest de illo prædicari, cùm nihil aliud sit in illo, vel ei, vt sic spectato, identificetur etiam in concreto: atqui quæ sunt propria primæ personæ: exempli causâ, *generare*; & tertiæ, exempli causâ, *spirari*, non conueniunt supposito Verbi diuini: nec item naturæ diuinæ sunt propria; hæc enim sunt notionalia, & notionalia sunt peculiaria suis personis: ergo quæ sunt propria primæ & tertiæ personæ Trinitatis, non possunt prædicari de homine, seu hoc homine Christo Domino. Hinc non valet hic syllogismus: *Deus generat & spiratur, Deus est homo: ergo homo generat & spiratur*: quia ibi mutatur suppositio; nam hic terminus, *Deus*, in maiori supponit pro prima

D persona Trinitatis, dum applicatur huic termino, *generat*, & pro tertia dum applicatur isti, *spiratur*: at in minori pro solo Verbo diuino, seu secunda persona Trinitatis: econtrà valet iste, *Verbum generatur & spirat, sed Verbum est homo: ergo homo generatur & spirat.*

Hinc intelligitur, hanc particulam, *Deus*, in ista propositione, & aliis similibus, *Deus est homo*, non sumi *indefinitè*, & *indeterminatè*, pro quauis persona diuina, sed *determinatè* tantùm pro secunda persona Trinitatis: tum quia ex regula Dialecticorum attributum appellat ad se subiectum, id est determinat eius suppositionem & significationem, vt quando agendo de mysterio Trinitatis hæc propositio formatur, *Deus generat*, attributum, *generat*, determinat hoc subiectum, *Deus*, vt supponat pro sola persona Patris: tum etiam quia alias eodem modo, nimirum *indefinitè*, & *indeterminatè*, sumeretur in hac propositione, *Deus non est homo*,

V. VI. VII. VIII.

I. quia negatio iuncta verbo non variat acceptionem subiecti; sicque prædicta propositio negativa esset simpliciter vera, quia prædicatum verè negatur de aliquo, de quo subiectum indefinitè sumptum negatur: exempli causâ, de Patre, de Spiritu sancto: at hoc est contra communem loquendi modum Doctorum: tum denique quia ex prima parte, tractatu de mysterio Trinitatis, hæc propositio, *Deus non generat*, est simpliciter falsa, quia significat nihil, quod est Deus, generare, cùm tamen Pater sit Deus, & generet.

Nec his obstat, quòd hæc propositio, *Deus est homo*, esset etiam vera, si Pater & Spiritus Sanctus, & non Filius fuisset incarnatus: nam hæc propositio, & similes sunt veræ, non ex eo quòd dicant solam possibilitatem coniunctionis extremorum inter se per non repugnantiam, &

II. absolutam potentiam Dei, sed quòd *dicant actualem coniunctionem illorum inter se*, quatenùs ex eo quòd res est, vel non est, propositio etiam est vera, vel falsa, vt patet ex communi conceptione Catholicorum, statim atque eiusmodi propositiones illis formantur.

Ratio item posterioris partis prædicti Corollarij ex vtraque regula deducti asserentis ea, quæ sunt propria supposito creato, non posse prædicari de Deo, est eadem ac præcedentis partis, scilicet ea tantùm attributa prædicari de Christo Domino, quæ insunt ei: at hæc prædicata, quæ in suo conceptu important suppositum creatum, non sunt in Christo Domino, cùm eius suppositum sit increatum: sic Christus Dominus non potest dici *purus homo*, *homo peccabilis*, & id genus cætera.

III. ARTICVLVS IV.

Vtrùm vna natura prædicetur de alia denominativè.

SIT hæc nostra propositio. *Neutra natura potest prædicari de altera, etiam in concreto denominativè, seu per modum nominis adiectivi: similiter nec attributa vnius natura possunt prædicari denominativè etiam in concreto de altera natura.* Exemplum prioris partis est hæc prædicatio, *Christus est homo deificus*, *deificatus*, *Christus est Deus humanatus*, sumendo hos terminos, *deificatus* adiectivè.

Hæc autem prior pars probatur. primò, quando nominibus adiectivis diuersæ naturæ affirmantur de se inuicem, tunc sensus est, indiuiduum, seu suppositum illius affici solummodò

IV. accidentaliter à supposito alterius, & sic inter illa dari tantùm vnionem accidentalem: exempli gratiâ, quando dicimus, *homo est vestitus*, significamus hominem & vestem esse vnita tantùm accidentaliter, & tam vestem esse aliquod indiuiduum, vel suppositum distinctum, quàm sit ipse homo; sicque duo illa coniungi tantùm accidentariò inter se: sic etiam si quis dicat, *homo iste est brutalis*, idem est ac homo iste habet aliquam accidentalem conditionem bruti: sed in Christo Domino ambæ naturæ sunt sibi inuicem vnitæ substantialiter, vt docuimus ad quæstionem secundam; nec humana aliud habet suppositum quàm Verbi diuini, nec humana natura in Christo Domino sumpta in concreto est aliquod indiuiduum distinctum à natura diuina sumpta in concreto, quatenùs subsistit personalitate Verbi diuini, vt ad eandem secundam quæstionem docuimus: ergo vna natura Christi Domini sumpta per modum nominis adiectivi, etiam in concreto, non potest prædicari de altera etiam sumpta in concreto. V.

Probatur secundò ex Patribus agentibus contra Nestorium, & similes hæreticos, vt sancto Cyrillo Alexandrino libro de Incarnatione capite vndecimo, qui expressè notat hanc propositionem, *Christus est homo deificatus*, esse Nestorianam: & ex Concilio Francfordiensi in epistola ad Episcopos Hispaniæ ante medium, vbi Christus Dominus dicitur *Deus homo*, & negatur esse *homo deificus*, *Deus humanatus*. Hinc quando Sophronius in illa sua epistola sæpiùs à nobis citata, & aliqui alij Patrum dicunt Christum esse *hominem deificatum*, sensus eorum est tantùm iste, humanitatem fuisse vi vnionis hy-

B postaticæ *sanctificatam*, sumunt enim concretum VI. pro abstracto.

Hinc etiam sequitur, Christum Dominum non posse dici *hominem deiferum*, vt etiam docet sanctus Damascenus libro tertio de fide, capite duodecimo: nec item, *Deum hominiferum*: sic enim denotantur duo esse supposita in Christo Domino, & vnionem duarum illarum naturarum in Christo Domino esse tantùm accidentalem; nam priori vocabulo significatur Christum iam subsistentem propriâ suâ subsistentiâ vnitum diuinæ naturæ, vel assumpsisse illam, quam ferret. Posteriori autem vocabulo humanitas, vt iam subsistens, significatur assumpta, quod est hæreticum: & si quando Christus Dominus dicitur à Patribus, *Deus hominifer*, sumpserunt ibi concretum pro abstracto, hominem pro humanitate, quatenùs sensus eorum est tantùm iste, Verbum sustentat humanitatem à se as-

C sumptam: quomodo etiam sanctus Athanasius VII. sermone de sanctissima Deipara ait, Christum rectè dici, *Deum carniferum*, quia Deus verè & propriè assumpsit carnem, eámque sustentat, siue hoc nomen, *caro*, sumatur tantùm pro altera parte humanitatis, quæ tamen animam alteram eius partem non excludat, siue sumatur pro tota humanitate, vt satis communiter accipitur in sacris litteris, quemadmodum patet ex dictis suprà, vbi ostendimus vnionem hypostaticam priùs naturâ fuisse factam ad partes humanitatis, quàm ad illam, vt est aliquod totum.

Dixi, provt hoc nomen, *caro*, ita significat vnam partem humanitatis, vt tamen alteram non excludat; nam Apollinaris & eius sequaces abutebantur hoc nomine; vocabant enim Christum

D *Deum carniferum*, vt significarent eum non ani- VIII. mam, sed solam carnem alteram partem humanitatis assumpsisse, vt observat sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 52.

Quæres, an Christus Dominus possit rectè dici, *homo diuinus*, vel an eadem sit ratio huius denominationis ac istius *deificus*, *deificatus*: Sanctus Thomas hac quæstione articulo tertio in solutione ad tertium, & aliqui recentiores affirmant posse dici, *Quia* (inquit sanctus Thomas) *hoc nomen diuinum consuevit prædicari de iis, de quibus hoc nomen* Deus *prædicatur essentialiter; rectè enim dicimus diuina essentia, Verbum diuinum, & diuina essentia est Deus*: At Deus prædicatur de hoc homine Christo, & pro hac locutione citat tertio argumento sanctum Dionysium appellantem Christum, *diuinissimum Iesum*.

I. Deinde illud propriè dicitur diuinum, quod habet aliquo modo ipsammet essentiam diuinam, vel aliquid ipsius Dei; sicut rectè dicimus naturam Dei esse diuinam essentiam, secundam personam Trinitatis esse Verbum diuinum, & alia id genus: atqui Christus Dominus verè & propriè habet in seipso naturam diuinam: item suppositum Verbi rectè appellamus diuinum: hanc autem appellationem, seu denominationem non posse tribui humanitati Christi Domini sumptæ in abstracto, quia sic præcisè sumpta, & secundùm se nihil habet diuinitatis, seu essentiæ diuinæ.

Alij contrà, negant Christum Dominum posse dici *hominem diuinum*, vt Vasquesius hic disputatione sexagesima-tertiâ, capite secundo, numero decimo-tertio, & sequentibus. Primò, quia *esse diuinum* idem est ac esse dominicum, II. quia vtrumque nomen est adiectiuum sumptum à substantia, nimirum diuina essentia, quæ est domina: vnde potest appellari *dominica*, *Verbum dominicum*, *persona dominica*: at, vt mox ostendimus, Christus non potest rectè dici *homo dominicus*. Secundò, hoc nomen *diuinus* dicit relationem ad Deum, quasi qui est diuinus non sit Deus, sed ab illo distinctus: atqui Christus Dominus verissimè est Deus: ergo non potest propriè appellari diuinus.

Verùm hæc controuersia potest facilè componi, dicendo aliud esse loqui de rigore iuxta præcisam significationem terminorum, & aliud secundùm vsum communem: si agatur de rigore, sententiam sancti Thomæ esse veram, quia denominatio diuina addita essentiæ & personalitatibus diuinis est substantialis, non accidentalis, vt patet cùm loquimur de diuina essentia, & III. eius personis: ideoque cùm hic terminus, *homo*, importet etiam personalitatem Verbi diuini; hæc denominatio non erit accidentalis, sed substantialis: & Christus Dominus dicetur *diuinus*, ratione suæ personalitatis, vel naturæ diuinæ, quæ non est humanitati eius vnita accidentaliter, sed substantialiter: & hæc propositio, *Christus est homo diuinus*, idem sonabit ac *est homo Deus*: quo modo etiam ratio, quâ sanctus Thomas vtitur pro hac suâ responsione, & alia ei additæ verificantur: nec prima ratio, quæ est Vasquesij, allata in contrarium obstat; nam, vt mox ostendemus, est dispar ratio huius nominis *diuinus*, ab hoc *dominicus*: hoc enim propriè non desumitur ab essentia, vel nomine essentiali purè & simpliciter sumpto, sed à diuina potentia, vt connotante extrinsecam relationem ad creaturas.

IV. Nec item secunda ratio obstat: illam enim propriè & in rigore loquendo esse falsam patet, tam in essentia Dei, quàm eius personalitatibus, quæ propriè dicuntur diuinæ à sanctis Patribus, & Conciliis, nec tamen dicunt relationem ad Deum, tanquam distinctum à se formaliter, vel realiter, cùm sint ipsemet Deus.

Si verò agatur de communi vsu, quia hic terminus *diuinus* additus rebus creatis, cuiusmodi est humanitas, quam homo importat, significat participationem alicuius perfectionis Dei per donum aliquod creatum, & est vtendum vocibus iuxta communem vsum: ideò, ne videamur significare vnionem personalitatis Verbi diuini & naturæ diuinæ cum humanitate Christi Domini esse tantùm accidentalem, nimirùm esse tantùm participationem alicuius diuinæ perfectionis, vt quando dicimus, *Plato est diuinus*: ideò Christus Dominus non est purè & simpliciter dicendus *homo diuinus*, sed si id dicamus, debet aliqua sufficiens explicatio adhiberi, vt rectè Suarez notat citatâ disputatione trigesima-quintâ, sectione tertiâ, ne sic loquendo videamur fauere Nestorianis, & aliis hæreticis, qui istis & similibus loquendi formulis solent tegere suas hæreses.

Cæterùm, quia gratia sanctificans est aliqua B participatio diuinitatis, & Christus Dominus habuit illam in perfectiori gradu, quàm sit in omnibus Angelis & hominibus, poterit etiam denominatione sumptâ à tali sua gratia, quæ tantùm est accidentalis, dici in rigore *diuinus*. VI.

Addidi in exemplis allatis initio propositionis hanc particulam (*si hæc nomina sumantur adrectitudinem*) nam si duo isti termini, *humanatus*, *deificus*, seu *deificatus*, sumantur tanquam vera participia; tunc iste terminus, *humanatus*, dicetur denominatione substantiali de Deo: sic enim sumptus significabit Deum esse factum hominem, seu sibi vniisse personaliter humanitatem, quomodo Græci dicunt Deum ἐνανθρωπήσαντα: vnde ipsa incarnatio Verbi diuini satis frequenter à sancto Damasceno, & aliis Patribus Græcis vocatur ἐνανθρώπησις, *humanatio*.

Posterior pars eiusdem propositionis fundatur in eadem ratione; nam quæ sic prædicantur significant id, à quo talis denominatio desumitur, habere distinctum suppositum ab eo, quod sic denominatur, & dicere tantùm aliquam habitudinem ad illud, ratione cuius prædicatur tantùm denominatiuè: at diuina attributa essentialia & notionalia Verbi diuini habent in Christo Domino homine idem omninò suppositum: ergo hæc diuina attributa sumpta in concreto non possunt denominatiuè prædicari de humanitate etiam sumpta in concreto: hinc quia esse *hominem dominicum* idem est, ac esse *hominem Domini*, tanquam distincti quoad suppositum, fit vt Christus Dominus non possit dici *homo dominicus*, sed *homo dominus*, vt sanctus Thomas docet hic articulo tertio, & vt sanctus Augustinus retractauerit hanc propositionem, quam aliquando vsurpauit, quem- D admodum sanctus Thomas citato articulo tertio in solutione ad primum animaduertit ex illo: quia verò *caro*, *passio*, & his similia sumpta *abstractè*, non significant suppositum, cùm exprimantur ad modum quarundam formarum tantùm, & dicant habitudinem ad Deum in Christo Domino, sintque vt sic aliquid abillo distinctum, rectè possunt dici *dominica*. VII. VIII.

DISPVTATIO III.

De mutua prædicatione cum aliqua nota duarum naturarum Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm prædicata diuina, vel humana possint dici de Christo Domino cum aliqua nota reduplicationis.

I. HACTENVS diximus de communicatione idiomatum vt absolutè expressa, nunc paucis est agendum de illa vt cum aliqua nota: est autem imprimis repetendum ex Dialecticis notas eiusmodi esse istas, *in quantum, quatenùs*: & alias ei similes,

II. Notandum secundò ex iisdem Dialecticis, istos terminos, seu prædictas notas posse sumi 2. modis, *specificatiuè* nimirum, & *reduplicatiuè*: tunc sumuntur *specificatiuè*, quando in subiecto propositionis designant particularem rationem, secundùm quam prædicatum illi conuenit, seu, vt alij dicunt, quando determinant proprium subiectum, quâ parte est susceptiuum talis prædicati: exempli gratiâ, si quis dicat, *Homo qua est homo, est species, est grammaticus*: sensus istius

III. propositionis non est, causam cur homo sit *species, vel grammaticus*, esse quia est homo: sic enim omnes & singuli homines deberent esse *species, & grammatici*: sed eius sensus est iste, quòd cùm multa possint distingui in homine, ratio iuxta quam est *species, vel grammaticus*, seu iuxta quam est capax talis prædicati, est ratio hominis, & non aliqua alia ei inexistens: tunc verò prædictæ notæ dicuntur à Dialecticis sumi *reduplicatiuè*, quando denotant causam, vel rationem formalem, vel principium, propter quod prædicatum conuenit subiecto, vel considerationem secundùm quam attributum inest, vel conuenit subiecto, vt si quis dicat, *Homo quatenùs homo est rationalis, homo quatenus est naturæ rationalis, est capax disciplinæ*: nam sensus prioris propositionis est iste, causa propter quam, & per quam homo est rationalis,

IV. est quòd sit homo: sensus posterioris est iste; causa propter quam, & per quam homo est capax disciplinæ, est quòd sit naturæ rationalis: & hoc vtrumque Dialectici fusiùs explicant agendo de terminis. His ita prænotatis, sit

Propositio. *Nullum prædicatum proprium naturæ humanæ, sumptum etiam in concreto, potest attribui Christo Domino cum reduplicatione deitatis; nullum item prædicatum proprium naturæ diuinæ, sumptum etiam in concreto, potest attribui Christo Domino cum reduplicatione humanitatis, seu aliquibus etiam attributi naturæ humanæ.* Exemplum prioris est istud: *Christus Dominus, quatenus Deus est homo, Christus Dominus quatenus Deus est mortuus.* Exemplum posterioris est, *Christus Dominus quatenus homo est omnipotens, est omniscius, est vbique*: & sic de cæteris, *Benè*

A *tamen vnum prædicatum humanæ naturæ proprium sumptum in concreto tribuitur Christo Domino, cum reduplicatione humanitatis.* Et similiter prædicatum proprium naturæ diuinæ sumptum in concreto rectè tribuitur Christo Domino cum reduplicatione deitatis in concreto. Exemplum prioris est istud, *Christus Dominus quatenùs homo esuriit, sitiuit*, &c. Exemplum posterioris est, *Christus Dominus quatenus Deus est æternus, est omnipotens*: & sic de cæteris. Hæc propositio sequitur ex dictis suprà aduersùs communicationem idiomatum confictam à Lutheranis, & contra vbiquitatem, quam Lutherani tribuunt humanitati Christi Domini. V.

Probatur, quoad priorem partem: aliquod prædicatum humanæ naturæ sumptum in concreto attribui Christo Domino cum reduplicatione deitatis, seu inquantum Deus, nihil est

B aliud, quàm illud prædicatum proprium humanæ naturæ conuenire Christo Domino ratione deitatis, vt patet ex secundo præmisso notabili: atqui falsum est prædicatum proprium humanæ naturæ conuenire Christo Domino ratione diuinitatis: nam *mortalitas, passibilitas*, & id genus cætera habent humanitatem pro suo principio & causa, non autem deitatem, vt patet in nobis, & etiam in aliis personis diuinis à Verbo. VI.

Probatur item posterior pars propositionis eodem fundamento: nam natura humana in Christo Domino est causa, & ratio, propter quam propria eius attributa tribuuntur Christo Domino cum reduplicatione humanitatis: ergo illa possunt tribui Christo Domino cum reduplicatione humanitatis, seu quatenus est homo:

C item natura diuina est ratio, ob quam prædicata propria diuinæ naturæ attribuantur Christo Domino: ergo hæc prædicata rectè possunt ei tribui cum reduplicatione deitatis. VII.

ARTICVLVS II.

Colliguntur quinque corollaria.

HINC aliquot corollaria sequuntur. Sequitur primò hanc propositionem, *Christus Dominus inquantum est homo, vel inquantum hic homo est Deus*, esse absolutè & simpliciter falsam: hæc enim particula, *inquantum*, sumitur in illa vel specificatiuè, vel reduplicatiuè: at vtroque sensu est falsa: priori quidem, quia sensus illius esset, conuenire Christo Domino esse Deum, quâ parte est homo, itavt humanitas

D sit ei ratio, secundùm quam hoc prædicatum, *Deus*, conuenit ei, quod patet esse falsum, cùm VIII. ipsa deitas sit ei talis ratio: est item eadem propositio falsa posteriori sensu, quia humanitas non est Christo causa, vel ratio, propter quam hoc prædicatum, *Deus*, ei conuenit, aliàs omnibus & singulis hominibus conueniret: sed talis ratio, causa, seu principium, est ipsa diuina natura.

Neque his obstat additio huius pronominis *hic*, nam tantùm singularizat terminum substantiuum, cui additur, quatenus significat naturam, vt patet isto exemplo, *Hic homo quatenùs est compositum, significat solummodò compositum ex hac anima, & hac materia.* Vnde non potest efficere vt significet aliter suppositum, quàm anteà: si tamen istud pronomen, *hic*, in tali propositione determinaret ad supponendum *perso-*

I. naliter, vt sensus esset iste, *Talis habitor humanæ naturæ, seu hic Christus, qui habet naturam humanam est Deus*: tunc talis propositio esset vera, quatenùs hæc particula, *inquantum hic homo*, determinaret significationem ad suppositum, quod sustentat hanc naturam, quomodo sanctus Thomas hac quæstione articulo vndecimo est intelligendus, dum admittit hanc propositionem, sed hoc modo enunciata est minùs propria.

Sequitur secundò, hanc propositionem, *Christus inquantum Deus est homo*, esse simpliciter & absolutè falsam, quouis modo hæc particula, *inquantum*, accipiatur, siue specificatiuè, siue reduplicatiuè, ob eandem rationem, ob quam præcedens est falsa.

Sequitur tertiò, hanc propositionem, *Christus Dominus, inquantum Deus, seu inquantum Filius Dei, est natus de beatissima Virgine*, esse II. falsam, siue hæc particula, *inquantum*, sumatur specificatiuè, siue reduplicatiuè, ob eandem planè rationem, quâ diximus in primo Corollario hanc propositionem, *Christus Dominus inquantum homo est Deus*, esse falsam: nam si hæc propositio, *Christus inquantum Deus natus est ex beatissima Virgine*, sit admittenda tanquam vera; hæc etiam, *Christus inquantum homo est Deus*, erit admittenda, quia tam benè hæc particula, *homo*, in hac propositione includit suppositum Verbi diuini, quàm hic terminus, *Deus*, in hac priori, *Christus quatenus Deus natus est de beatissima Virgine*: ergo quemadmodum, non obstante hac inclusione, prior illa propositio est falsa, pari iure & posterior.

Neque propterea beatissima Virgo desiit esse verè & propriè Mater Dei: nam vt beatissima III. Virgo sit propriè Mater Dei, non requiritur, quòd ipsa diuinitas sit ratio, secundùm quam hoc attributum, *natus de beatissima Virgine*, conueniat Christo Domino, seu sit particularis ratio, quâ Christus Dominus, tanquam subiectum in tali propositione sit susceptiuus talis attributi, *natus de Virgine generatione propriè dictâ*, quo modo prædicta particula, *inquantum*, sumitur specificatiuè; tunc enim hæc esse haberent impertinenter in Christo Domino, ad esse filium beatissimæ Virginis, & esse ex ea natum, nimirum ipsa, humanitas formata per vitalem actionem beatissimæ Virginis, & ex purissimis eius sanguinibus: item esse vnita per eius actionem, quoad suas partes essentiales, cùm ex suppositione, quòd hæc propositio sit vera, sola diuinitas sit Christo Domino peculiaris ratio, quâ ille tanquam subiectum sit IV. susceptiuus istius prædicati, & istis omnibus præcisis per mentem, diuinitas adhuc intelligatur: quæ tamen omnia nunc commemorata sunt falsa & absurda.

Nec item ad hoc, vt beatissima Virgo sit Mater Dei etiam propriissimè dicta, requiritur, vt diuinitas sit ratio, propter quam conuenit Christo Domino esse natum de beata Virgine, quo pacto hæc particula, *in quantum*, sumitur reduplicatiuè; tunc enim quemadmodum Christus Dominus non est consubstantialis suæ Matri, ratione suæ diuinitatis, ita nec vi suæ natiuitatis, quæ sit propria viuentium, esset consubstantialis suæ Matri, ratione suæ humanitatis, cùm hæc humanitas non esset ipsi Christo Domino ratio, cur sit natus ex ea, sed ipsa diuinitas, quæ omnia sunt falsa & absurda.

A Verùm, vt beatissima Virgo sit propriè Mater Dei, sufficit, quòd totum concursum requisitum ex parte Matris adhibuerit in generatione Christi Dominj; quòd item partes humanitatis primùm naturâ assumptas à Verbo coniunxerit inter se; quòd denique tota eius actio sese terminauerit ad suppositum Verbi diuini, non quidem tanquam ad aliquod *subiectum inhæsionis*, sed *denominationis tantùm*: quæ omnia habuisse locum in beatissima Virgine, ostendimus suprà ad quæstionem secundam, disputatione primâ, articulo sexto inter respondendum ad argumenta Nestorij. V.

Addimus tamen, quòd si in ista reduplicatione hic terminus, *Deus*, supponat *personaliter*, id est pro persona Verbi diuini, tunc prædictam propositionem posse admitti, quia natiuitas & generatio rendit in suppositum, quod in præsenti propositione est Deus; sed talis propositio B & suppositio est valdè impropria: vnde posita purè & simpliciter, & absque alia particula explicante prædictum sensum, est etiam purè & simpliciter neganda. VI.

Sequitur quartò, hanc propositionem (*Christus vt homo est hypostasis, seu persona*) esse veram, si hæc nota, *vt*, seu *inquantum*, vel alia ei similis sumatur *specificatiuè*, esse verò falsam, si sumatur reduplicatiuè: quod etiam sanctus Thomas docet hac quæstione, articulo duodecimo. Prior pars probatur ex dictis: si enim sumatur specificatiuè, significat Christum Dominum, vt subsistentem in natura humana, esse personam, seu habere à sua humanitate, quòd sit susceptiuus huius prædicati, *persona*, quod constat esse verum ex dictis suprà ad quæstionem secundam.

Posterior item pars probatur: quia hæc particula, *inquantum*, & similes sumptæ *reduplicatiuè* in hac propositione denotant Christum C VII. Dominum habere suam personalitatem à sua humanitate, itaut ipsa eius humanitas sit radix, à qua resultet, & proueniat eius personalitas, vt patet ex significatione termini reduplicatiuè sumpti, quod tamen est falsum, cùm hæc sit increata.

Sequitur quintò, hanc propositionem, *Christus inquantum homo est persona humana*, esse veram, sumptâ particulâ *inquantum*, *specificatiuè*, & *reduplicatiuè*. Prior pars patet ex nunc dictis in quarto Corollario. Posterior etiam patet, quia licèt Christus Dominus, purè & simpliciter loquendo, non habeat suam personalitatem à sua humanitate, nec humanitas sit D Christo Domino ratio, cur sit persona; attamen VIII. ipsa humanitas est ei ratio cur sit talis persona, nempe *humana*, quia sine illa non esset talis, cùm tunc nullo modo subsisteret in humana natura: ergo hæc propositio, *Christus quatenus homo est persona humana*, est vera in sensu reduplicatiuo: eo modo philosophandum est de hac propositione, *Christus inquantum homo est persona composita*, & aliis similibus.

ARTICVLVS III.

Quænam prædicata dicantur reduplicatiuè, vel specificatiuè de Christo Domino.

SIT hæc nostra propositio. *Prædicata quæ non dicuntur præcisè de sola natura humana, vel sola diuina, sed tantùm dicuntur de Christo Domi-*

I. *no, quatenus est verus Deus, & simul verus homo, non dicuntur de Christo Domino cum reduplicatione termini tantùm humani, vel termini tantùm diuini, sed vtriusque simul*: exempla sunt, *mereri infinitè, esse mediatorem, esse redemptorem*: & his similia.

Probatur. Vnumquodque eo tantùm modo potest prædicari de altero, quo ei inest & conuenit: atqui *mereri infinitè, esse mediatorem, esse redemptorem hominum*, & his similia, non conueniunt Christo Domino præcisè, ratione solius naturæ diuinæ, vel personalitatis Verbi diuini, quia vt sic non sunt aliquid capax meriti, vt omnes intelligunt, nec item conueniunt Christo Domino ratione solius naturæ humanæ, quia valor infinitus, qui includitur in prædictis attributis, & eorum functionibus, non potest prouenire à re creata, vt sic purè & simpliciter

II. sumpta, sed tantùm ab aliquo increato & infinito, cuiusmodi est diuina persona, vt fusè docuimus primâ parte quæstionis huius partis: ergo hæc prædicata non possunt tribui Christo Domino ratione solius naturæ diuinæ, vel personalitatis Verbi, nec ratione solius naturæ humanæ: ergo cùm ea tantùm prædicata possint tribui Christo Domino cum reduplicatione termini humani, quæ ei conueniunt ratione humanitatis, & ea tantùm cum reduplicatione termini diuini, quæ ei conueniunt ratione diuinitatis, vt constat ex secundo nostro notabili: hæc enumerata prædicata, & his similia non poterunt tribui Christo Domino cum reduplicatione termini tantùm humani, vel tantùm diuini.

Posterior pars eiusdem propositionis, nimirùm, *Ea debere tribui Christo Domino cum reduplicatione vtriusque termini diuini, & humani simul*, probatur. Christus Dominus habet ista

III. prædicata à sua personalitate, & humanitate simul: habet ab hac, *quòd exercuerit actiones liberas & honestas, quòd sit passus flagella, tot ignominias, & mortem*: ab illa, *quòd hæc omnia & vnumquodque illorum etiam seorsim sumptum sit valoris & pretij infiniti*, vt ad primam quæstionem ostendimus disput. 5. ergo cùm habeat hæc prædicata à sua humana natura, & personalitate Verbi simul, possunt tantummodò Christo Domino tribui cum reduplicatione vtriusque termini simul, sic dicendo, *Christus vt homo Deus nos redemit, Christus vt homo Deus meruit infinitè, est noster mediator*.

Hinc, quando aliqui Theologi, vt Lorca hîc disputatione 77. dubio vltimo, asserunt hanc

IV. propositionem, *Christus inquantum homo est mediator*, esse veram etiam reduplicatiuè: id non ita intelligunt, quasi velint illam esse veram, etiam seclusâ diuinitate, vel subsistentiâ Verbi diuini; sed quia homo est concretum, quod in hac propositione aliquo modo includit personam Verbi diuini, censent ex tali modo enunciandi illam sufficienter exprimi, & sensum eius esse eundem ac illius enunciationis, quæ vtrumque terminum reduplicat.

Secunda propositio. Prædicata illa nunc enumerata, *esse meriti infiniti, esse redemptorem, esse mediatorem, possunt rectè tribui Christo Domino vt homini sumptâ hac particulâ, vt, vel simili specificatiuè: non autè possunt tribui Christo vt Deo; hac eadem particulâ, vt, vel simili sumptâ specificatiuè.* Propositio est sancti Thomæ infrà quæstione vigesimâ-secundâ, articulo tertio, in solutione ad primum, quando ait, *Christum Dominum fuisse sacerdotem, secundùm quod fuit homo, non autem secundùm quod fuit Deus*. Item, quæstione vigesimâ-sextâ, articulo secundo, vbi docet, *Christum Dominum fuisse mediatorem secundum quod fuit homo, & non secundùm quod fuit Deus*: & ex communi omnium Theologorum sententia, tam istis quæstionibus, quàm aliis, & locis, in quibus agunt speciatim de istis & similibus aliis prædicatis propriis Christo Domino.

Probatur. Vbi aliqua prædicata conueniunt tantùm Christo Domino ratione humanitatis, & non ratione diuinitatis, tunc illa possunt tantùm tribui Christo Domino vt homini, hac particula, *vt*, vel simili sumptâ solummodò specificatiuè, quemadmodum patet ex secundo nostro notabili: at hæc omnia prædicata conueniunt tantùm Christo Domino, ratione suæ humanitatis, quia fungitur muneribus istorum prædicatorum per humanitatem tantùm, tanquam principium formale *quo*, & non per suam diuinitatem. *mereri* enim, *satisfacere, offerre sacrificium, interpellare*, & alia istis similia facere, dicunt habitudinem ad personam superioris naturæ & voluntatis, quàm sit illa natura & voluntas, secundùm quam, & per quam *Sacerdos satisfaciens, & mediator offert, satisfacit, & interpellat*: fit enim sacrificium in recognitionem supremi dominij, quod tantùm est in Deo, comparatione omnium rerum creatarum.

Nec obstat, quòd in istis prædicatis, & in executione munerum, quæ per illa importantur, persona diuina Filij includatur: hæc enim ita includitur, vt tamen non sit principium illorum efficiens, vel eliciens *quo*, sed tantùm *quòd*, & sit id vnde hæc prædicata, & eorum functiones

VII. habent infinitatem dignitatis & valoris: ideóque cùm hæc particula, *vt*, & similes, sumpta solummodò *specificatiuè*, determinet subiectum, quâ parte est susceptiuum attributi, & in præsenti difficultate tale subiectum sit sola humanitas, non autem diuinitas, vel personalitas Verbi diuini, fit vt hæc prædicata sumpta cum hac vel simili particula, *vt, specificatiuè*, possint tribui tantùm Christo Domino vt homini.

Neque item his obstat, quòd hæc propositio, *Deus est Sacerdos & mediator pro nobis*, sit vera per communicationem idiomatum, sicut ista, *Deus est homo*, quemadmodum Vasquesius observat hac parte, disputatione octogesimâ-tertiâ, capite octauo, numero decimo-nono: est enim dispar ratio, quòd in hac posteriori non denotetur natura, secundùm quam hæc duo

VIII. prædicata conueniant Christo Domino, sed tantùm affirmentur conuenire subiecto propositionis, non determinando in particulari specialem rationem, secundùm quam illi conueniant: vnde cùm hoc subiectum, *Deus*, in hac propositione supponat pro Verbo incarnato, & Verbum incarnatum habeat naturam humanam, quæ est principium proximum *quo*, elicitiuum & susceptiuum talium prædicatorum & functionum, fit vt allata propositio sit vera: quia verò hæc particula, *vt*, vel alia ei similis sumpta specificatiuè determinat illud cui applicatur esse subiectum proximum & susceptiuum eiusmodi prædicatorum, cuiusmodi non est diuinitas, vel hypostasis Verbi diuini, fit vt hæc propositio, *Christus quatenus Deus est Sacerdos, est mediator*, sit falsa.

Cæterùm quia istæ particulæ, *quatenus, in*

V. VI.

I. *quantum, secundùm quod*, & similes habent multiplicem significationem, vt patet ex Dialecticis, dum agunt de illis, & facilè intelligitur ex dictis, quoties aliqua propositio propter aliquam illarum particularum potest habere multiplicem sensum, tunc tutius est distinguere, vt asseratur in vero sensu, & negetur in falso.

DISPVTATIO IIII.

De conditione, & materia enuntiationum quæ formantur de Christo ratione communicationis idiomatum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm hæc propositio, Deus est homo, sit propria.

II. DIALECTICI habitudinem seu affectionem prædicati ad subiectum vocant *materiam*. Hanc inquirimus circa propositiones quæ ratione communicationis idiomatum formantur de Christo: & quoniam ex ipsa proprietate enuntiationis facilè deuenitur in cognitionem eius materia, exordiemur ab illa. Durandus in tertium sententiarum distinctione quartâ, quæstione secundâ, licèt admittat hanc propositionem, *Deus est homo*, esse propriam, censet tamen eam non esse ita propriam, ac est ista, *Petrus est homo*.

III. Communis tamen Scholasticorum sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, *est hanc propositionem, Deus est homo, esse maximè propriam, & tam propriam, quàm sit hæc, Petrus est homo*. Ita S. Thomas hic articulo primo, & omnes eius Interpretes.

Probatur primò, ex modo loquendi sacræ Scripturæ, S. Ioannis cap. 1. *Verbum caro factum est*, id est, Verbum est factũ homo, vt explicat S. Augustinus lib. 83. quæst. quæst. 80. iuxta propriam significationem, & reliqui Patres, dum ex hoc loco, tam contra Nestorium, quàm contra Eutychetem probant, nec diuinitatem fuisse conuersam in humanitatem, vel è contrà, nec factam fuisse confusionem naturarum in Christo

IV. Domino: nec item in illo fuisse duas personalitates, sed vnam eámque solius Verbi diuini, ex quo loco sic intellecto probatur nostra propositio: vnumquodque loquendo maximè propriè est illud, quod fit, si post effectionem maneat: atqui Verbum diuinum, ex hoc testimonio S. Ioannis, fit propriè homo & manet talis, quia est aliquid permanens, *& quod semel assumpsit nunquam dimisit*: ergo Verbum diuinum est maximè propriè homo: ergo hæc propositio, *Deus est homo*, in qua, *Deus*, supponit pro Verbo, est maximè propria.

Probatur secundò ex Conciliis definientibus beatissimam Virginem *propriè genuisse Deum, illam esse propriè matrem Dei*: nam in tantum A beatissima Virgo est propriissimè mater Dei, in quantum hæc propositio, *Deus est homo*, enunciata de Christo Domino, tanquam termino actionis eius generatiuæ, est maximè propria, quia maternitas attenditur penes terminum talis actionis; & proinde, vt hæc maternitas sit propriè Dei, homo, qui est terminus huius actionis, debet esse propriè Deus, & sic debet prædicari propriè de homine, & homo de Deo: atqui ex Conciliis condemnantibus Nestorium beatissima Virgo est propriè mater Dei, vt Ephesino, & aliis ad secundam quæstionem citatis contra Nestorium, item Lateranensi sub Martino I. consultatione quintâ canone tertio, ita definiente, *Si quis secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem Dei genitricem sanctam, &c. damnamus*: ergo hæc propositio, *Deus est homo*, est maximè propria. V.

B Probatur tertiò. Propositio illa est propria, in qua termini, *attributum* nimirum & *subiectum*, sumuntur in sua propria significatione, & in qua attributũ propriè inest subiecto, sic enim Verbũ substantiuum, *sum, es, est*, habet propriè rationem copulæ in enunciatione de tertio adiacente propriè dictæ: atqui in præsenti propositione hæc omnia habent locum: nam subiectum eius, quod est, *Deus*, significat Deum propriè & non metaphoricè, vt patet ex Conciliis condemnantibus Arium, & ex sacris Litteris, in quibus Christus Dominus passim asserit se esse propriè Filium Dei, & proinde Deum: similiter attributum eius, quòd est *homo*, significat hominem propriissimè dictum. Est enim Christus Dominus propriissimè homo etiam vniuocè nobiscum, vt docuimus ad secundam quæstionem, & hoc attributum, *homo*, propriè inest huic suo subiecto, *Deus*, quia hæc humanitas inest hypostaticè Verbo diuino: ergo tota hæc propositio, *Deus est homo*, est maximè propria. VI.

C VII. Probatur quartò. Vt aliqua propositio sit propria in ratione *prædicationis* seu enunciationis, sufficit quòd prædicatum propriè insit subiecto, non autem requiritur vt extrema propositionis sint vnum inter se in *ratione rei*, alias omnes propositiones, in quibus accidens prædicatur de subiecto, cuiusmodi est illa, *homo est albus*, essent minùs propriæ, quàm illa omnes, in quibus genus, vel proprietas prædicatur de sua specie, vel eius individuis, contra omnes Dialecticos: atqui natura diuina, & humana sunt propriissimè in eodem simplicissimo suppositò Verbi diuini vt incarnati, vt ostendimus ad secundam quæstionem contra Nestorium: ergo hæc propositio, *Deus est homo*, enunciata de Christo

D VIII. Domino est maximè propria.

Probatur vltimò. Identitas subiecti, & prædicati, quæ requiritur in enunciatione vt illa sit propria, est tantùm *in esse prædicati & subiecti*, quatenus hæc duo, iuxta modum quo enunciantur in propositione, debent esse aliquid vnum: atqui in præsenti propositione, *Deus & homo* ponuntur in concreto, *& Deus* vt hîc ponitur pro Verbo incarnato, *tanquam subiectum, & homo tanquam attributum*, sunt aliquid maximè vnum, quatenus sunt *vnum subsistens*, quia vnica tantùm datur ibi personalitas hanc vtramque naturam sustentans: ergo hæc propositio, *Deus est homo*, est maximè propria.

I.

ARTICVLVS III.

Quædam præmittuntur ad intelligentiam necessitatis, vel contingentiæ huius propositionis, Deus est homo.

VT melius intelligatur an hæc propositio, *Deus est homo*, sit in materia cõtingenti vel necessaria, repetendum est ex Dialecticis materiam, vt in præsenti disputatione nomen hoc materia sumitur, esse triplicem: prima est *necessaria* seu naturalis, quando prædicatum non potest non conuenire subiecto: secunda est *contingens*, quando prædicatũ potest conuenire, & non conuenire subiecto: tertia est *remota*, quæ aliter dicitur *impossibilis*, & est quando attributum non potest conuenire subiecto. Hinc quærere in qua materia hæc propositio sit, *Deus est homo*, idem est ac II. quærere, quomodo hoc prædicatum, *homo*, sese habet ad hoc suum subiectum, *Deus*: an contingenter, an necessariò, aut denique repugnanter, aut impossibiliter.

Quòd hæc propositio non sit in materia remota, nemo Catholicorum dubitat, cùm fides doceat hoc mysterium ita fuisse peractum, vt ambæ illæ naturæ, diuina & humana sibi inuicem sint vnitæ in vnica personalitate Verbi diuini. Cui non obstat, quòd duæ illæ naturæ sint maximè distantes à se inuicem, nec substantialis vnio immediata, quâ in vnam substantiam coeant, possit dari inter illas, vt ostendimus ad 2. quæst. huius partis disput. 4. & ad quæst. 3. disput. 4. art. 4. nam enunciatio proposita non formatur de istis naturis ita sumptis *in abstracto*, sed in *concreto*, iuxta quem modum enunciandi suppositum in- III. cluditur. Vnde cùm vnio diuinæ naturæ cum humana in vno eodémque supposito diuino sit possibilis, quia iam est facta, fit vt constet hanc enunciationem, *Deus est homo*, nullomodò esse in materia remota.

Restat tantùm difficultas de aliis duabus: Durandus in 3. sentent. distinct. 4. quæst. 2. numero 2. & ibidem distinct. 7. quæst. 1. numero 11. existimat hanc propositionem simpliciter & absolutè loquendo esse in materia contingenti: idem censent Gabriel ibidem dubio 3. Vasquesius hic disput. 68. cap. 2. & aliqui alij.

Verùm antequam aliquid hac de re statuamus, præmittendum est primò, quòd quemadmodum *voces*, ex Aristotele & eius Interpretibus libris de Interpretatione, significant ex instituto hominum extra propositionem, seu vt spectantur *absolutè*, ita etiam in propositione: nec enim IV. natura magis determinauit significationem vocum in propositione, quàm extra illam, præsertim cùm propositiones formentur ex illis, & propositiones sint ad explicandos nostros conceptus. Vnde sicut institutio hominum communi vsu recepta fecit, vt hæc & illa, vxor, sumpta *absolutè* significet hoc, vel illud, seu supponat pro hoc & illo: sic etiam eadem institutio communi vsu probata potuit efficere, vt aliqua vox iuncta tali, vel tali termino importante has & istas circunstantias, iam sumatur magis strictè & magis determinatè, supponat pro hoc vel illo, vt etiam confirmat vulgare illud Dialecticorum, *attributum appellat ad se subiectum*: quatenus enim prædicatum restringit subiectum, & ratione suæ significationis vel alicuius circumstantiæ à se ipso importatæ facit vt subiectum non sumatur in illa

A secundùm totam suam amplitudinẽ. Hinc quando in propositionibus aliquid tribuitur Deo, quod non ei, vt *absolutè* spectato, sed tantùm *relatiuè* sumpto conuenit, tunc terminus ille, *Deus*, supponit determinatè pro ea persona diuina, cui tale prædicatũ conuenit, excepti causâ, quãdo dicimus, *Deus generat*, *Deus generatur*, *Deus spirat*, *Deus spiratur*, hic terminus, *Deus*, nõ sumitur *absolutè*, seu pro eo omni quod significat extra propositionem, sed in prima propositione pro sola persona Patris, in secunda pro sola persona Filij, in tertia pro duabus personis Patris & Filij tanquam vno principio, in quarta pro sola persona Spiritus sancti, quemadmodum Theologi docẽt primâ parte agendo de mysterio Trinitatis: ergo pari iure quando in aliqua propositione aliquid tribuitur Deo, quod tantùm ei competit ratione Incarnationis, quia fides docet solam secundam B personam Trinitatis esse incarnatam, & omnes Catholici loquuntur de rebus fidei & aliis pertinentibus ad illam conformiter ad id quod Ecclesia de iis credit & profitetur: ideò in eiusmodi propositionibus hic terminus, *Deus*, debet supponere determinatè pro secunda persona Trinitatis: & quia quæ sic ei tribuuntur, non tribuuntur ei vt est secunda persona Trinitatis *absolutè* simpliciter, & secundùm se tantùm spectata, seu quatenus facit subsistere solam naturã diuinam: sed specialiter provt sustentat naturam humanam, &, quoad officium, est persona humana: ideò fit vt in istis propositionibus hic terminus, *Deus*, supponat pro hoc subsistente in natura humana, seu pro hoc individuo, vt est hic Deus, vt est hic Iesus Christus.

Confirmatur. Si hic terminus, *Deus*, deberet accipi absolutè in eiusmodi propositionibus, con- C siderata tantùm natura extremorum propositionis, & non habita ratione circumstantiarum & ipsius Incarnationis: iam tales propositiones essent purè & simpliciter falsæ, quia cùm eiusmodi propositiones sint tantùm de tertio adiacente, & significent connexionem extremorum inter se, hæc autem extrema purè & simpliciter spectata nullam habeant, sed potiùs aliquam repugnantiam, erunt potiùs in materia remota, & proinde falsæ, quàm in aliqua alia materia: at nemo Catholicorum admittet istas propositiones esse absolutè & simpliciter falsas: ergo in eiusmodi propositione hic terminus, *Deus*, debet supponere determinatè pro secunda persona Trinitatis vt subsistente in humana natura.

Notandum secundò, propositionem per se, seu in materia necessaria, esse præcisè diiudicandam penes ipsum modum quo attributum eius D afficit subiectum, non autem penes modum, quo de facto ei aduenit: potest enim fieri vt actualis coniunctio attributi cum suo subiecto sit contingens, quatenus pendet à voluntate alicuius, qui potest illam impedire, vel non facere, exempli causâ, quòd risibilitas coniungatur Petro, quia Deus potest eius resultantiam impedire, nihilominùs tamen quia risibilitas respicit hominem, vt id cuius est proprietas, & tali modo eum afficit, ideò non obstante hac contingentia semper prædicatur per se, & necessariò de homine & Petro: è contrà quia albedo ex se, & naturali sua conditione non afficit subiectum modo aliquo necessariò, sed facit prædicationem purè & simpliciter tantùm accidentalem, nullo autem modo essentialem, substantialem vel simpliciter necessariam, & qualitas propositionis sequitur

V.

VI.

VII.

VIII.

I. conditionè veritatis in propositione per se: ideò licèt ex hypothesi quòd albedo sit in homine, homo sit necessariò albus, quia tamen hæc necessitas est tantùm ex suppositione existentiæ albedinis in subiecto, & non simpliciter ex modo quo respicit, vel afficit suum subiectum, ideò, inquam, hæc propositio, *Petrus est albus*, manet semper purè & simpliciter contingens.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm hæc propositio, Deus est homo, sit in materia contingenti vel necessaria.

SIT hæc nostra propositio, *Hæc enunciatio, Deus est homo, est propositio per se, & in materia necessaria.* Ita S. Thomas hac quæst. art. 1. in solutione ad 1. & plures ex eius Interpretibus
II. hac quæstione, item Ferrariensis 4. contra gentes capite 45. & plures etiam ex recentioribus.

Probatur primò hac ratione S. Thomæ, loco nunc citato. Prædicatio speciei de suo individuo, est prædicatio per se, & in materia necessaria, quemadmodum Dialectici docent in libris posteriorum, quando agunt de propositionibus per se: atqui hæc prædicatio, *Deus est homo*, est speciei de suo individuo, nam in illa hic terminus, *homo*, sumitur pro vero & propriè dicto homine etiam vniuocè de Christo Domino ac nobis, ratione cuius dicitur esse *nobis consubstantialis & frater noster*, hic verò terminus, *Deus*, supponit pro Deo vt subsistente in hac natura, quemadmodum patet ex primo nostro notabili: subsistens autem in humanitate est aliquod individuum hominis: ergo hæc prædicatio, *Deus est*
III. *homo*, est prædicatio per se & in materia necessaria.

Explicatur ampliùs. Homo prædicatur per se & in materia necessaria de quolibet verè & propriè subsistente in humanitate: sic enim homo est quoddam superius intrinsecè & essentialiter inclusum in hoc inferiori, *aliquod subsistens in humanitate*: atqui Deus, vt est subiectum huius propositionis, *Deus est homo*, est aliquod subsistens verè & propriè in humanitate, vt patet ex primo nostro notabili articulo præcedenti posito, & ex dictis suprà de veritate humanæ naturæ in Christo Domino: ergo homo prædicatur de Deo per se, & per consequens hæc propositio, *Deus est homo*, est per se, & in materia necessaria.

Neque his obstat, quòd Vasquesius suprà obiicit, nimirum, prædicatum non determinare subiectum absolutè positum, vt rem illam, quam anteà absolutè significabat, iam significet vt subest formæ per prædicatum significatæ, alioqui futurum, vt nulla sit propositio contingens, quin potiùs sit necessaria & per se, quod tamen est falsum: sed ad talem determinationem requiri aliquid addi, quod tenens se ex parte subiecti determinet illud. Vnde cùm in præsenti propositione, *Deus est homo*, nihil tale addatur, hic terminus, *Deus*, qui est subiectum, & absolutè ponitur in illa, non determinabitur ad supponendum pro Filio Dei, vt incarnato, bene tamen in ista, *Deus humanatus est homo*.

Hoc inquam non obstat: nam quantum ad præsentem difficultatem pertinet, duplices termini possunt distingui: alij, qui *tam in propositione, quàm extra propositionem* communiter supponunt *absolutè*: alij, qui licèt extra propositionem A supponant absolutè, nihilominus tamen, etiam V.
ex communi vsu, supponunt plerumque pro re magis determinata in particulari, dum adiunguntur istis, & aliis similibus terminis: est enim satis familiare vocibus aliam, & aliam sortiri significationem pro varia, & varia terminorum adiunctione sibi facta, vt grammatici norunt. Iam quando in aliqua propositione subiectum exprimitur termino prioris generis, non magis determinatur per attributum in propositione, quam extra illam, nisi aliqua nota addatur ei istud significans: quia ex communi vsu sumitur tantùm *absolutè*, tam in propositione, quàm extra propositionem, & sic ratio Vasquesij est vera: at quando terminus explicans subiectum est posterioris generis, quia attributum est talis conditionis, quod cognoscatur conuenire vni tantùm rei determinatæ, tunc satis intelligitur sola & simplici ad-
B iunctione sui determinare significatum termini, VI.
quo subiectum propositionis exprimitur. Hinc quia omnes Catholici norunt solum Filium ex personis diuinis fuisse vnitum humanitati per mysterium Incarnationis, & insuper illum esse propriè Deum, quando enunciant aliquid, quod respicit Filium Dei vt incarnatum, & in tali enunciatione loco subiecti vtuntur hoc termino, *Deus*, statim concipiunt hunc terminum, *Deus*, sumi determinatè pro secunda sola persona Trinitatis, non quidem purè & simpliciter, sed etiam vt subsistente in humanitate: & sic patet esse falsum, quod Vasquesius supponit, nimirum hunc terminum, *Deus*, ibi supponere absolutè.

Secunda ratio pro nostra propositione est. Propositio *per se* diudicatur penes modũ, quo attributum eius afficit suum subiectum, & non penes
C modum, quo ei aduenit, vt exposuimus secundo VII.
nostro notabili articulo præcedenti: atqui homo in præsenti propositione afficit intrinsecè, & essentialiter hoc suum subiectum, *Deus*, qui modus constituit propositionem *per se*, nam Deus ibi supponit pro Deo vt subsistente in humanitate ex primo notabili, cui vt sic, humanitas est aliquid intrinsecum, quia ingreditur illud, & est aliqua pars eius tanquam cuiusdam totius & compositi, compositione ad modum numeri, & pars est de essentia sui totius, quatenus est totum quoddam: ergo hæc propositio, *Deus est homo*, est propositio *per se*, & in materia naturali, seu necessaria.

Hinc licèt fuerit contingens, humanitatem vniri Verbo diuino, quatenus totum hoc mysterium fuit ex libera, eáque gratuita voluntate Dei, non
IV. tamen fuit contingens Deo, vt subsistenti in hu-
D manitate, esse hominem, sed necessarium, intrinsecum, & essentiale, sicut est nobis contingens, quòd sumus positi in rerum natura, quia Deus potuit nos non creare, & nolle nos creare: at nihilominùs est nobis intrinsecum & essentiale, quòd constemus corpore & anima, & necessarium quòd simus risibiles: item iuxta Dialecticos hæc propositio, *iugulatus interiit*, est propositio per se, & tamen iugulatio non fuit facta necessariò, sed liberè.

Ex his sequitur, à fortiori: has propositiones, *Christus est homo, Iesus est homo*, esse propositiones per se & in materia necessaria: priorem quidem, quia S. Damascenus lib. 3. de fide cap. 3. vbi reiicit opiniones hæreticorum de Christo Domino, & eius compositione, explicans Catholicorum sententiam ita subiungit, *Christi porrò vo-*

I. *cabulum persona esse dicimus, vt quod non vnimodè dicatur, sed duplicem naturam significet*, id est, hoc nomen Christus non significat solam naturam diuinam, non solam humanam, sed vtramque earum in vnica persona vnitam hypostaticè: ergo cùm humanitas sit de essentia Christi, vt Christus est, & propositio, in qua attributum est de essentia subiecti, sit propositio per se, hæc propositio, *Christus est homo*, erit per se & in materia necessaria: similiter si Christus sumatur magis strictè pro solo composito ex diuina personalitate Verbi & humanitate assumpta, ob eamdem rationem. Pari modo & hæc posterior, *Iesus est homo*, est enim nomen illud proprium, quod ipse accepit in sua circumcisione, vt habetur sancti Lucæ secundo. –

ARTICVLVS V.

II. *Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ, articulo tertio relatæ.*

PRIMVM est, in omni propositione naturali necessaria, seu per se, prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, vel saltem conuenit ei necessariò, & omni contento sub eo, éstque sempiternæ veritatis: atqui *esse hominem*, quo ad prædicatum in præsenti propositione, non est de essentia Dei, qui est subiectum, nec ei conuenit necessariò, quia Deus liberè est incarnatus, nec etiam conuenit omni contento sub eo: nam Deus dicitur etiam de prima, & tertia persona Trinitatis, quibus tamen hoc prædicatum, *homo*, non conuenit; nec etiam respectu secundæ personæ Trinitatis hæc propositio, *Deus est homo*, est sempiternæ veritatis. Nam ante peractum mysterium Incarnationis erat falsa, & adhuc absolutâ potentiâ Dei potest reddi falsa, quatenus Verbum diuinum potest derelinquere humanitatem à se assumptam, & sic aliqua propositio poterit transire de vna materia ad aliam, sicque non esse ampliùs sempiternæ veritatis, quod tamen est proprium propositioni per se & in materia necessaria.

III. Respondetur, concessa Maiore, negando Minorem. Ad cuius probationem respondetur, tam ex primo nostro notabili, quàm ex dictis pro nostra propositione articuli præcedentis, in præsenti enunciatione hoc subiectum, *Deus*, sumi determinatè pro Deo subsistente in humanitate, de cuius, vt sic spectati, essentia est attributum, *homo*, nec facit ad rem quòd Deus sit incarnatus liberè, quia hoc tantùm se tenet ex parte modi, quo personalitas Verbi diuini aduenit humanitati, penes quem modum *perfectus* propositionis non attenditur, vt docuimus secundo nostro notabili, articulo quarto huius disputationis.

IV. Ad id quo dicitur, attributum, *homo*, non conuenire omni contento sub suo subiecto, negatur. Quia ibi terminus, *Deus*, non supponit *absolutè*, sed *determinatè*, pro solo Filio Dei, vt docuimus, nec vlla propositio desinit esse sempiternæ veritatis, licèt hæc vnio sit tantùm facta in tempore, & ex gratuita voluntate Dei, qui absoluta sua potentia potest illam dissoluere, quia propositiones *sempiternæ veritatis*, non requirunt vnionem actualem subiecti cum attributo, sed, vt Dialectici docent, in propositionibus necessariis copula verbalis, *est*, *absolutur ab omni temporis differentia*, & solummodò significat, dato tali subiecto, debere etiam dari tale attributum ei connectum, quod reperitur in præsenti propositione: non enim dari potest Deus subsistens in duabus naturis, diuina nimirum & humana, quin etiam detur *Deus homo*, sicque vna propositio non transit à materia necessaria ad contingentem, vel è contrà. A V.

Secundum fundamentum est. Omnis propositio vera per se, est etiam vera cum reduplicatione termini suprà se, verbi gratiâ, hæc propositio est per se & in materia naturali & necessaria, *homo est animal*, *homo est risibilis*, ideò & hæc est vera, *homo in quantum homo est animal*, *homo inquantum homo est risibilis*, quia Aristoteles libro primo posteriorum capite quarto, ait, *per se*, *& secundum quid ipsum*, *idem esse*, hæc autem particula, *secundùm quid ipsum*, idem est ac *conuertibiliter*, & proinde reduplicatiuè: atqui hæc propositio, *Deus est homo*, non est vera cum reduplicatione termini, seu subiecti suprà se, hæc enim est falsa, *Deus inquantum Deus* (sumpta particula, *inquantum*, reduplicatiuè) *est homo*, quemadmodum suprà docuimus. Ergo hæc propositio *Deus est homo*, non est per se, seu in materia naturalis & necessaria, sed tantùm in contingenti. B VI.

Omissâ solutione Nazarij & Aluaris hac quæstione, quæ minùs videntur conuenire cum doctrina Aristotelis de propositione *per se*, ne, quod obiicit Vasquesius, videamur fingere nouam Philosophiam contra regulas Aristotelis communiter receptas pro tuendis mysteriis fidei. Respondetur, Maiorem propositionem huius secundi fundamenti pure simpliciter, absolutè & vniuersaliter sumptam esse falsam: hæc enim propositio, *homo est sensitiuus*, *est per se*, nec tamen loquendo in rigore logico sumpta cum reduplicatione subiecti est vera, sic dicendo, *homo inquantum homo est sensitiuus*, sic enim significaretur præcisam illam formalitatem hominis, secundùm quam distinguitur à quouis alio esse præcisam rationem, cur sensitiuum ei conueniat, quod est falsum, quia homo id habet ab alio gradu superiori generico, nimirum animali, in quo conuenit cum bruto, cui etiam per se conuenit esse sensitiuum. Sed maior hæc propositio est tantùm vera in iis enunciationibus per se, quarum attributum & subiectum dicuntur omninò *conuertibiliter*, exempli gratiâ, in ista, *homo est rationalis*, *homo est risibilis*: at non in aliis, vt patet exemplo nunc allato. Vnde cùm subiectum & attributum propositionis, de qua hîc disputamus, non dicantur omninò *conuertibiliter*, ratione formæ per illa significatæ, nimirum diuinitatis & humanitatis, ideò sit vt illa non desinat esse per se, licèt non sit vera cum reduplicatione subiecti suprà se. C VII. D VIII.

Neque Aristoteles relatus à Vasquesio suprà capite quarto libri primi posteriorum fauet prædictæ opinioni: non enim vult ibi hæc duo *dici per se*, *& secundùm quod ipsum* esse synonyma, idémque significare, *ac dici omninò conuertibiliter*, quemadmodum ad illum locum expendunt tam veteres quàm recentiores Aristotelis Interpretes, Theophrastus, Philoponus Albertus, sanctus Thomas, Conimbricenses, Murcia, & alij communiter ad illum locum. Sed tantùm vult hæc duo comparata ad inuicem esse habere tanquam superius & inferius, itavt quicquid dicitur de subiecto secundùm quod ipsum, dicatur etiam de illo per se, non tamen è con-

I. trà, nec proinde cum reduplicatione subiecti supra se, vt prædicti auctores ibi fusiùs explicant, ac proinde posse dari propositionem per se, in qua tamen prædicatum non possit dici de subiecto secundùm quod ipsum, & cum reduplicatione subiecti supra se.

DISPVTATIO V.

De qualitate propositionum, quæ ratione communicationis idiomatum formantur de Christo.

Articvlvs Primvs.

II. *Vtrùm hæc propositio, Deus factus est homo, sit vera.*

DIALECTICI nomine qualitatis enuntiationum, illarum veritatem & falsitatem intelligunt. Sit igitur pro responsione ad præsentem difficultatem hæc nostra propositio. *Hæc enunciatio, Deus factus est homo*, est vera; *etiam cum proprietate sermonis*. Prior pars est de fide, posterior est contra S. Bonauenturam in 3. sentent. distinct. 7. articulo 1. quæst. 2. existimantem hanc enunciationem veram quidem esse, non tamen esse omninò propriam.

Probatur tamen tota propositio quoad priorem partem ex capite primo sancti Ioannis, *Verbũ caro factum est*, III. id est, iuxta communem expositionem Patrum, *Deus Filius factus est homo*, & hæc propositio vel alia ei æquiualens est satis frequens tam in sacris Litteris, vt ad Rom. 1. ad Galatas 4. quàm in symbolis fidei, quæ habentur in Conciliis & Patribus, dum agunt de hoc mysterio.

Probatur etiam ratione. Vnumquodque censetur esse factum illud, quod de nouo incipit prædicari de illo: sed *esse hominem*, incipit de nouo prædicari de Deo, ratione Incarnationis; ante quam peractam non prædicabatur actu de illo: ergo Deus factus est homo, & proinde prædicta propositio est vera. Deinde quòd antea existebat, & per veram aliquam efficientiam incipit esse formaliter quod antea non erat, censetur fieri illud: Sed Deus Filius ante mysterium Incarnationis verè & propriè existebat, & per IV. veram realem actionem vnitiuam verámque efficientiam, quâ modus subsistentialis vnitiuus est productus in humanitate, cœpit esse formaliter homo: ergo verè Deus factus est homo.

Nec hinc sequitur, Deum fuisse mutatum: quia licèt Deus sit subiectum in hac propositione, non tamen fuit subiectum *mutationis* illius, per quam factus est homo, sed sola ipsa humanitas, vt ostendimus ad secundam quæstionem huius partis disputatione 3. articulo 3.

Quæres, an ratione huius mutationis factæ in humanitate Verbum diuinum possit dici mutatum vel absolutè factum per communicationem idiomatum. Respondetur non posse: ratio est, quia communicatio idiomatum supponit vnionem Verbi diuini cum humanitate & partibus eius, hanc enim esse fundamentum huius communicationis docuimus suprà: at hæc mutatio, de qua hîc loquimur, non supponit vnionem hypostaticam, quin potiùs est via ad illam, vt intelligitur ex dictis tota disputatione 6. ad quæstionem secundam huius partis, de actione vnitiua, & formali eius termino: ergo ratione huius mutationis Verbum diuinum non potest dici per communicationem idiomatum fuisse vel esse mutatum: quia tamen anima & corpus fuerunt priùs assumpta à Verbo, quàm inter se vnita, vt etiam docuimus, & generatio hominis vltimatè consistit in ista vnione, ideò Verbum diuinum rectè potest dici esse genitum ex beatissima Virgine. A V.

Posterior etiam pars propositionis probatur. Vt aliquid dicatur propriè de nouo factum hoc & illud, non est necesse mutationem aliquam fieri in illo, sed sufficit si fiat in alio extremo, B exempli causâ, aliquod corpus fit dextrum alicui VI. propriè loquendo sine vlla sui mutatione, & absque eo quòd aliquid ineat ei per inhærentiam, aut informationem: atqui mutatio, quæ interuenit in hoc mysterio, tota se tenet ex parte humanitatis tanquam altero extremo huius vnionis: ergo Deus dicitur etiam propriè factus homo per Incarnationem.

Deinde vnumquodque iam existens dicitur propriè fieri illud, quod est propriè per aliquam efficientiam propriè dictam, exempli causâ, *paries factus est albus*: atqui Filius Dei iam existens est homo propriissimè dictus, per illam efficientiam seu productionem modi subsistentialis vnitiui humanitatis: nam productio talis modi fuit ipso Verbo via ad esse formaliter hominem, & Verbum incarnatum tam propriè est homo, quàm quilibet nostrûm, cùm homo dicatur C vniuocè de illo & nobis: ergo hæc enunciatio, VII. *Deus factus est homo*, est vera cum proprietate sermonis. Hinc quemadmodum Verbum diuinum, licèt rectè dicatur factum homo, non potest dici simpliciter factum: ita etiam non potest dici simpliciter & absolutè factum hoc suppositum, quia semper & ab æterno fuit hoc suppositum, sed sicut rectè dicitur *factum homo*, sic etiam rectè potest dici, *factum suppositum humanum*, quale non erat ante mysterium Incarnationis, cùm tunc non faceret subsistere humanitatem, quam ratione huius mysterij facit subsistere.

Obiicies. Si hæc propositio, *Deus est homo*, est vera: ergo & hæc erit vera, *Deus factus est Deus*, quæ tamen est falsa, vt ex se patet: consequentia probatur, hoc syllogismo expositorio, *Deus factus est hic homo: sed hic homo est Deus, ergo Deus factus est Deus*. VIII.

D Respondetur, negando primam consequentiam. Ad cuius probationem respondetur in isto syllogismo committi fallaciam accidentis: nam hic terminus, *Deus*, aliter sumitur in conclusione huius syllogismi, & aliter in eius præmissis: in conclusione sumitur pro ipso Deo secundùm *formale* significatum deitatis: nam sensus conclusionis est, Deum vt Deus est, seu secundùm rationem deitatis, fieri, seu incipere esse Deum, qui sensus est falsus & hæreticus: at in minori hic terminus, *Deus*, non sic sumitur, sed *prout subsistente in humanitate*, & vt subsistit formaliter, quæ significatio est omninò alia à præcedenti, sicque prædictus syllogismus expositorius est fallax.

I.

ARTICVLVS II.

Vtrùm hæc propositio, homo factus est Deus, sit vera.

SCOTVS in tertium sententiarum distinctione septima, quæstione secunda, existimat hanc enunciationem, *homo factus est Deus*, posse absolutè concedi.

Verùm contra Scotum sit hæc nostra propositio. Hæc enunciatio, *homo factus est Deus*, de proprietate sermonis est falsa. Ita sanctus Thomas hac quæstione, articulo septimo & eius interpretes. Probatur primò, ex Patribus, sancto Athanasio libro de Incarnatione contra Apollinarem sic dicente, *Scriptura dicit Verbum factum carnem, non carnem factum Verbum*: sancto II. Cyrillo libro tertio thesauri, capite primo: *Non*, inquit, *homo factus est Deus, sed Deus factus est homo.*

Probatur item ratione. In hac propositione hoc subiectum, *homo*, sumitur pro subsistente in humanitate (cùm enim per hanc enunciationem forma, per prædicatum significata, exprimatur aduenire supposito significato per subiectum, ipsum suppositum debet per tale subiectum significari, cùm prius sit singularem substantiam subsistere seu habere suppositum, quàm admittere aliquam formam sibi extraneam) atqui hoc subsistens in humanitate, nunquam fuit factum Deus, sed semper fuit Deus, quia est ipsemet Filius Dei: ergo nunquam *homo factus est Deus*, & per consequens prædicta enunciatio est falsa. III.

Deinde. Secundùm proprietatem in hac propositione significatum huius termini, *factus est*, tribuitur subiecto seu personæ, quam illud subiectum, *homo*, affert: sed persona, quam hoc subiectum, *homo*, vlum est sermo de Christo Domino, affert, est diuina persona Verbi, cui non potest conuenire factum fuisse Deum, cùm semper fuerit Deus: nec enim alia persona potest denotari, cùm nulla alia vnquam fuerit in Christo Domino, & cõtrarium sit hæresis Nestorij. Vnde si humanitas priùs habuisset proprium suppositum, deinde fuisset eo destituta in ipsa sui assumptione à Verbo, adhuc propriè non possemus dicere, *homo factus est Deus*, ob rationem nunc allatam. Ex quibus sequitur has propositiones, *hic homo est factus Deus*, &, *Christus est factus Deus*, esse falsas, quia magis distinctè important suppositum. Hinc Facultas Theologica Parisiensis anno Domini 1493. secunda Augusti, condemnauit prædictam propositionem tanquam falsam & erroneam, si spectetur secundùm proprietatem sermonis. IV.

Obiicies. Hæc propositio est absolutè vera, *Deus est factus homo*, ergo hæc eius conuersa erit vera, *homo est factus Deus*. Respondetur conuersionem illam non esse legitimam, quia suppositio terminorum mutatur: nam in priori propositione refertur hic terminus, *Deus*, ad suppositum ratione naturæ diuinæ, & in posteriori ratione humanæ naturæ. Vnde vt propositio conuersa sit legitima, debet esse talis, Is qui factus est homo, est Deus, quo sensu est verissima.

Obiicit Scotus primò. Quod virtute alicuius actionis factum est, vt homo esset verè & propriè Deus, cùm antea Deus non esset, est verum A & verè dictum, vt patet ex præcedentibus: atqui præsens enunciatio hoc tantùm significat: ergo est absolutè vera. V.

Respondetur, negando Minorem: nam iste sensus est impropriùs, vt rectè sanctus Thomas obseruat citato articulo septimo in corpore: sic enim iste terminus, *factus*, deberet cadere supra totam propositionem, cùm tamen tantùm cadat in subiectum vt iam suppositatum, cui possit conuenire fieri Deum, quod non potest habere locum in ipso Deo, vel etiam Christo Domino: & hic sensus intelligitur esse verus & proprius ex hac propositione, *Deus est factus homo*, quæ ob rationem illam, quia reiecimus præsentem propositionem, est etiam vera de proprietate sermonis, vt patet ex dictis pro prima propositione.

B Secundò obiicit, quòd aliqui Patres vsurpent hanc propositionem, sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 36. sanctus Athanasius libro de natura humana susceptâ à Verbo, sanctus Augustinus libro primo de Trinitate capite decimo tertio. VI.

Respondetur, Patres ibi relatos non vsurpare istas propositiones in sensu maximè *proprio*, sed *improprio* tantùm: ita vt terminus ille, *factus*, non supponat *personaliter*, sed *cadat supra totam propositionem*, ita vt sensus eiusmodi locutionis sit iste, *factum est vt homo sit Deus*, qui sensus est verus & Catholicus. Vnde quia ex verbis inordinatè prolatis interdum nascuntur hæreses, & prædicta propositio nudè, simpliciter, & de proprietate sermonis sumpta fauet Nestorianis, prædicta facultas Parisiensis in sua citata censura prohibet, ne aliqui ex suis illam asserant, nisi saltem cum expressione prædicti sensus nunc à nobis relati, secundùm quem sancti Doctores citati in obiectione illam prætenderunt. C VII.

Addunt aliqui, citatos Patres ibi per *hominem* non intelligere subsistentem in humanitate, sed individuum humanum præscindens ab omni subsistentia actuali, vel aliquos illorum ibi vsurpare concretum pro abstracto.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus Dominus possit dici creatura.

NOTANDVM primò est, hoc nomen, *creatura*, sumi duobus modis: primo, quatenus *creari* idem est ac *fieri*, quo modo satis frequenter sumitur in sacris Litteris ex sancto Hieronymo in caput tertium Isaiæ: secundo, creari sumitur *propriè*, quatenus idem est ac *produci ex nihilo*, siue mediatè siue immediatè, quo modo creatio est productio ex nihilo. Sèsis articuli non procedit de creatura, prout creari sumitur priori modo, est enim certum ex dictis ad quæstionem secundã, Christum Dominum hoc sensu posse dici creatum, quia quicquid est compositum aliquod ex pluribus vera aliqua actione productum, illud est creatum, sumpto verbo creare in prima illa significatione: atqui Christus Dominus significat quoddam compositum ex personalitate Verbi diuini & humanitate, item quoddam compositum ex diuina natura & humana in eodem Verbi diuini supposito: & personam Christi Domini esse D VIII.

I. compositam docuimus disputatione quinta, articulo secundo ad quæst. secundam. Sed præsens difficultas mouetur de nomine *creaturæ* sumpto *propriè*.

Notandum secundò, posse duobus modis inquiri, an Christus Dominus possit etiam dici propriè creatura. Primò, *simpliciter & absolutè* in rigore sermonis, nulla etiam adhibita limitatione explicante, secundùm quam naturam id conuenit illi, sed simpliciter per communicationem idiomatum; ita vt quemadmodum absolutè rectè dicimus, *Christus est homo, Christus est mortalis*, nulla adhibita particula quæ explicet id ei conuenire ratione humanitatis, sic etiam simpliciter & absolutè dicamus, *Christus est creatura*. Secundò, *non simpliciter* & absolutè, sed adhibita particula, quâ denotetur tale

II. attributum ei tantùm competere ratione humanitatis, ne videamur sentire cum Arianis, qui cõtendebant Christum non esse propriè Deum, sed creaturam. Hæc difficultas non agitatur posteriori sensu, sed priori tantùm, quia certum est posse cum prædicta vel simili particula id explicante dici esse creatum, & propter iam exortas hæreses Arij & Nestorij optimi esse consilij istas præcautiones adhibere huic propositioni, vt etiam S. Thomas hic articulo 8. docet. His ita præmissis,

Duæ sunt hac de re sententiæ, vna affirmans Christum Dominum posse de rigore sermonis dici absolutè & simpliciter creaturam per communicationem idiomatum, cessante prædicto periculo conueniendi cum hæreticis in modo loquendi: ita expressè Vasquesius hic disp. 65. cap. 2. & aliqui recentiores.

III. Melior tamen est sententia negans, quam loco nostræ propositionis ponimus, & est sententia expressa sancti Thomæ hîc articulo octauo, vt patet ex ratione qua probat illam, & clarius in tertium sententiarum, distinctione vndecima, quæstione prima, articulo secundo, vbi ita scribit, *Christus non potest dici creatura, non tantùm ad vitandum errorem Arij, vt quidam dicunt, sed etiam ad vitandam falsitatem.*

Ex quibus postremis verbis refellitur quorumdam recentiorum opinio, qua existimant sanctum Thomam non ideo negare hanc propositionem, Christus est creatura, quòd censuerit illam simpliciter & sine addito prolatam esse falsam secundùm proprietatem sermonis, sed tantùm ne cum hæreticis communia verba habentes communem quoque errorem habere videamur. Refellitur, inquam, nam in pau-

IV. cis illis verbis, duas affert rationes, vnam à priori fundatam in proprietate sermonis, alteram petitam ab incommodo & inconuenienti, neque ex eo quòd sanctus Thomas hac quæstione decima sexta, articulo octauo facit tantùm mentionem huius posterioris rationis, bene colligitur eum existimasse hanc propositionẽ esse veram in proprietate sermonis: fit enim plerumque vt quando eadem est duarum aut plurium veritatum conditio, quas distinctis locis explicamus ad vitandam repetitionem fundamenti principalis illis omnibus communis, vnam illarum probemus tantùm à posteriori vel ab incommodo, alteram verò à priori, quod in præsenti difficultate sanctus Thomas obseruat: nam cùm vellet distinctis articulis explicare qualitatem duarum istarum enunciationum, Christus est creatura, Christus incepit, & nulla sit vel esse possit saltem de potentia Dei ordinaria quæ non inceperit, nec etiam vllum ens dari possit quod inceperit, quin etiam simul sit aliqua creatura Dei, ideo vt inter rationes vtriusque articuli aliqua esset distinctio, sanctus Thomas fuit contentus priori articulo ostendere falsitatem prioris enunciationis probando ab incommodo, reseruando rationem à priori ad probandam sequenti articulo falsitatem posterioris enunciationis, qua etiam tacitè propter identitatem qualitatis probauit simul falsitatem prioris enunciationis: quòd autem hæc qualitatis identitas sit in duabus istis enunciationibus, omnes sancti Patres intellexerunt, qui vt contra Arium probent secundam Trinitatis personam non esse aliquam creaturam, vrgent eius æternitatem toties in sacris

VI. Litteris illi attributam.

Nostra autem propositio primùm probatur ex Patribus, qui loquentes de Christo Domino Filio Dei negant eum esse creaturam: sic sanctus Ambrosius libro primo de fide capite quinto in fine, expendens verba illa Dei Patris apud sanctum Matthæum capite decimo septimo, in Transfiguratione Christi Domini, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, non dixit*, inquit, Ambrosius, *hic est creatura mea, hæc fultura mea, sed hic est Filius meus, quem videtis in gloria, hic est Deus Abraham, Deus Isaac*, &c. quo loci hæc particula textus Euangelici, *ipsum audite*, & hæc sancti Ambrosij, *quem videtis in gloria*, denotat Christum non vt simpliciter & solummodo Deum, sed hominem: nam gloria corporis apparens in transfiguratione fuit humanitatis, & loquutus est Christus homo Apostolis: sic etiam loquitur sanctus Cyrillus de Christo Domino libro decimo Thes. capite quarto, vbi explicans locum illum Apostoli ad Colossenses primo, quo Christus Dominus dicitur: *Primogenitus omnis creaturæ*, ait, Christum Dominum dici in sacris Litteris simpliciter, absolutè, & sine vlla additione *vnigenitum*, quia solus ille, vt verus Filius, est in sinu Patris, dici verò primogenitum cum additione hac vel simili, *in multis fratribus*, eo quòd ei secundùm naturam conueniat esse *increatum & creatorem*, esse verò creaturam tantùm cum additione nimirum humanitatis assumptæ in

VII. tempore.

Probatur etiam ratione, vbi prædicatum aliquod non conuenit primò per se naturæ humanæ, & per illam eius suppositò, sed tàm primò

VIII. per se conuenit suppositò, quàm humanæ naturæ, si tale prædicatum in sua præcisa & formali ratione importet aliquam conditionem repugnantem diuinæ personalitati, tunc non potest simpliciter positum etiam in concreto enunciari de Christo Domino, sed tantùm cum aliqua particula explicante id ei conuenire ratione talis naturæ assumptæ (cuius rei hæc est ratio quòd tunc terminus ille purè, simpliciter, & absolutè positus sine vlla nota limitationis, afficit totum subiectum propositionis, seu secundùm illud omne quod continet, cùm tunc nulla sit ratio, vel fundata in eius significatione, vel in appositione alicuius notæ facta enunciationi, ratione cuius afficiat solam naturam & non eius suppositum:) atqui *esse creatum*, seu *esse creaturam*, propriè & formaliter sumptum, non con-

I. uenit primò per se naturæ humanæ, & deinde per illam suppositò, sed tàm primò per se suppositò quàm humanæ naturæ: nam formale & proprium significatum creaturæ, quatenus formaliter est *creatura*, est *esse mediatè, vel immediatè ex nihilo*, quod conuenit tàm per se suppositò, vt conditincto à natura humana, quàm humanæ naturæ, quia vtrumque secundùm se spectatum est verè ens aliquod extra Deum: & præterea *esse creatum*, importat conditionem repugnantem personalitati Verbi diuini, hæc enim non *est ex nihilo*, sed *est increata*: ergo esse creatum seu esse creaturam simpliciter & absolutè, & sine aliqua limitatione positum in aliqua enunciatione, non potest prædicari de Christo Domino, seu de Deo.

II. Maior satis patet ex subiunctis ibi in confirmationem illius, Minor etiam: & potest amplius confirmari ex diuinis subsistentiis, quæ vt habent entitatem relatiuam distinctam virtualiter ab entitate & existentia absoluta diuinæ essentiæ, ita etiam singulæ habent, quòd formaliter sint increatæ, cùm nulla illarum sit ex nihilo: ergo pari iure cùm subsistentia creata habeat entitatem aliquo modo distinctam à sua substantia, habebit etiam ex sua propria ratione, quòd sit creata. Vnde *esse creatum* est aliquod transcendens ad quodcumque ens extra Deum, & proinde sicut ens tàm bene dicitur de singulis partibus & entibus incompletis, quàm de toto, & entibus completis, ita etiam & *esse creatum*: ergo licèt suppositum, vt præscindit à substantia sit tantùm aliquis modus illius, quia tamen verè & propriè est aliqua entitas extra

III. Deum, verè etiam & propriè erit aliqua creatura seu aliqua res creata.

Eadem Minor confirmatur ex sancto Thoma hac quæstione, articulo decimo in solutione ad primum sic dicente, *Nomen autem creaturæ natum est prædicari non solùm de abstractis, sed etiam de concretis, dicimus enim quòd humanitas est creatura, & quòd homo est creatura*: vbi hæc eius particula *natum est prædicari*, idem est ac secundum proprietatem sermonis, fundatam in natura rei, hoc attributum, *creatura*, dici tam de supposito, quàm de natura, & etiam de toto illo quod ex illis resultat, sicque esse *quoddam transcendens*; vnde ibidem, quia Christus Dominus est habens naturam humanam, & hæc particula, *habens*, denotat suppositum, negat hanc propositionem, *Christus est creatura*, & in

IV. solutione ad secundum dicit hunc terminum *homo, homo Christus*, secundum quid ponitur in subiecto enuntiationis simplicis, seu non reduplicatiuæ magis respicere suppositum, & ideò hanc propositionem, *homo Christus est creatura*, esse falsam; Ergo sincera mens sancti Thomæ est hanc propositionem, *Christus est creatura*, secundum proprietatem sermonis esse falsam.

Probatur tertiò. Creatura dicitur propriè quod est productum ex nihilo: atqui Christus Dominus non est productus ex nihilo. Tum etiam quia compositio ex persona increata & humanitate non est creatio, & ex S. Thoma 1. parte quæstione 45. articulo 4. creatio definitur productio totius entis per se subsistentis ex nihilo: at hoc subsistens in humanitate non est ex nihilo: ergo Christus Dominus non potest simpliciter & absolutè dici creatus seu creatura.

Probatur quartò. Illud omne, quod propriè potest creari & dici creatura, potest etiam annihilari; vt patet inductione facta per omnes res creatas: sed Christus Dominus verè & propriè loquendo non potest annihilari, quia annihilatio distinguitur ab omnibus aliis mutationibus corruptiuis, quod nihil omnino obiecti eius remaneat, ne minimum quidem, sed illud secundum quicquid est sui penitus desinat, in aliis verò vel materia vel ambæ partes compositi, vel aliquid illarum aliquo modo remaneat, facta dissolutione totius: atqui repugnat etiam secundum absolutissimam potentiam Dei facere vt personalitas Christi Domini non remaneat. Licèt enim Deus possit facere vt Christus non sit amplius secundum rationem personæ humanæ; non potest tamen dissoluendo vnionem

VI. hypostaticam facere, vt hæc personalitas Verbi nullo modo sit in rerum natura; ergo Christus Dominus non potest dici propriè creatus, seu simpliciter & absolutè creatura.

Probatur vltimò iis omnibus, quibus infra docebimus Christum esse propriè filium naturalem Dei; nec posse dici adoptiuum: nam S. Hilarius lib. 5. de Trinitate, item lib. 6. S. Basil. aduersus Eunomium lib. 2. & lib. 4. S. item Cyrillus Alexandrinus lib. 1. thes. cap. 5. item lib. 3. cap. 5. & 7. S. Ambrosius, lib. de Incarnatione Domini cap. 4. & plures alij docent Christum Dominum non esse creaturam, quia est naturalis Filius Dei, non adoptiuus, seu per gratiam.

Nec est, quòd auctores prioris sententiæ respondeant, illos agere contra Arianos, & loqui

VII. de Christo vt est simpliciter Verbum diuinum, non autem vt est Deus incarnatus, seu compositum aliquod ex personalitate Verbi & humanitate. Nam plerique istorum Patrum vrgent confessionem illam fidei, quam sanctus Petrus professus est apud sanctum Matthæum decimo sexto capite, & sanctus Ambrosius relatus supra, *Tu es Filius Dei viui*: alij vrgent dictum illud Patris de Christo Domino in transfiguratione apud eumdem sanctum Matthæum capite decimo septimo, *Hic est Filius meus dilectus*, vt sanctus Cyrillus suprà: at hic vterque locus intelligitur de Christo propriè sumpto, & non tantùm vt solam naturam diuinam sustentat: ergo quo iure & modo Christus Dominus pronunciatur purè, simpliciter & absolutè esse naturalis Filius Dei, & negatur esse adoptiuus, eodem etiam iure & modo, iuxta

VIII. istos Patres, purè, simpliciter & absolutè negabitur esse creatura.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur fundamenta contraria sententia præcedenti articulo relata.

PRIMVM repetitur ab authoritate Sanctorum, qui dicunt Christum esse *creatum*, esse *creaturam*, sic ex Græcis, sanctus Gregorius Nazianzenus oratione 38. quæ est de natiuitate, sanctus Cyrillus libro decimo Thesauri capite quarto, sanctus Damascenus libro tertio de fide capite quarto, & libro quarto, capite decimo nono: ex Latinis sanctus Hilarius libro duodecimo de Trinitate, sanctus Ambrosius sermone quinto, in Psalmum 118. sanctus Augustinus li-

I. bro quarto de Trinitate capite decimo nono, sanctus Leo sermone tertio de Pentecoste, & plures alij, quos Vasquesius suprà refert. Vnde sanctus Hieronymus in epistolam ad Ephesios ad illa verba capitis 2. *ipsius enim factura sumus*, loquens de Christo Domino ita scribit, *Nos clamamus non esse periculum eum dicere esse creaturam, quem vermem & hominem & crucifixum & maledictionem tota nostra spei fiducia confitemur.*

Respondetur, Patres istis locis ita vocare Christum creaturam, vt tamen expresè vel tacitè adiunctione aliquarum particularum declarent se id tantùm intelligere ratione naturæ humanæ, quemadmodum facilè potest animaduerti ex diligenti lectione locorum eiusmodi: nam eorum alij ibi expresè tradunt in Christo Domino duas naturas fuisse inter se vnitas, earum II. proprietates manssisse integras, & sic Christum Dominum ratione illarum fuisse simul creatum & increatum. Ita sanctus Gregorius Nazianzenus, & Nicetus eius interpres loco citato, sanctus Hilarius, sanctus Augustinus, sanctus Damascenus interdum præmittunt aliquam aliam particulam soli humanæ naturæ competentem, qua dum ei subiungunt hunc terminum, *creatura*, vel similem alium dictum de Christo Domino, satis innouunt se id tantùm intelligere de illo, ratione istius naturæ, quæ in illo est longè infima: sic sanctus Hieronymus relatus suprà in comment in epist. ad Ephes. dum ait, Christum dici vermem (quod est nomen infimæ creaturæ) & dici crucifixum, quæ intelliguntur ab omnibus tantùm competere Christo Domino, ratione humanitatis, videtur satis limitare hanc appellationem *creatura* ad solam III. humanitatem Christi Domini.

Potest etiam addi, sanctum Hieronymum ibi non accipere *creationem*, & *creari* in stricta & propria significatione; sed in illa ampliori, qua idem sonat, ac *fieri*, quemadmodum patet ex verbis eius immediatè sequentibus.

Secundum fundamentum est. Omnia essentialia prædicata hominis, omnes item proprietates eius sumptæ in concreto prædicantur de Deo per communicationem idiomatum, & rectè etiam tribuuntur Christo Domino de rigore sermonis absolutè & simpliciter, nulla particula adhibita explicante id ei conuenire ratione humanitatis, vt patet ex dictis hac præsenti disputatione, articulo tertio: atqui esse *creatum*, *esse creaturam*, est prædicatum aliquod essentiale hominis, & hoc nomen, *creatura*, IV. habet vim nominis concreti. Ergo creatura poterit prædicari de Christo Domino secundùm rigorem sermonis absolutè & simpliciter absque vlla adhibita particula explicante id ei competere ratione humanæ naturæ.

Confirmatur. Tàm benè *esse creatum*, *esse creaturam* conuenit Deo incarnato, seu Christo Domino ratione humanitatis & non ratione diuinæ naturæ vel suppositi Verbi, quàm *esse mortuum*, *esse crucifixum*, *esse hominem*, & id genus cætera, est enim eadem ratio: atqui hæc enumerata prædicantur de Christo Domino, seu de Deo incarnato in rigore sermonis simpliciter & absolutè absque vlla particula illis addita explicante ea tantùm ei conuenire ratione humanitatis; nec ex eo quòd aliquis infidelis posset suspicari ex tali modo loquendi, Deum esse passum, vel mortuum in seipso, so-

A lemus adhibere aliquam particulam explicantem, id tantùm intelligi ratione humanitatis, V. quia omnes Christiani id facilè intelligunt: Ergo pariiure hæc propositio, *Christus est creatus*, seu, *est creatura*, erit vera in proprietate sermonis; & quia omnes Catholici satis intelligunt id tantùm competere ratione humanitatis, non est opus aliqua particula id explicante. Vnde syllogismus ille videtur esse legitimus, *homo est creatura*; *Christus est homo*; *ergo Christus est creatura.*

Respondetur, prædicata essentialia hominis esse in duplici differentia: alia *transcendentia*, seu quæ tam ipsi supposito vt condistincto à substantia, quàm ipsi eius substantiæ & naturæ conueniant: alia esse *non transcendentia*, nec tàm primò per se conuenientia ipsi supposito, ac eius naturæ, sed primò per se ipsi naturæ, & per illam VI. B supposito. Prædicata prioris generis ea sunt, quæ vel constituunt, vel necessariò sequuntur ens aliquod in *ratione entis* constituti extra Deum. Prædicata posterioris generis sunt, quæ constituunt aliquod ens in *tali specie*, vel illud vt sic constitutum consequuntur, vt in nobis *esse hominem*, *esse visibilem*, & id genus cætera. Inter quæ prædicata hæc est distinctio, quòd priora denominent non tantùm naturam, sed etiam suppositum ratione sui ipsius præcisè: ita vt significent rationem importatam istis prædicatis conuenire etiam ipsi supposito præcisè spectato, & ratione sui: posteriora verò prædicata denominent primò per se naturam cui conueniunt, & ratione illius suppositum eius: ita vt denominatio sequatur modum, quo tale attributum conuenit subiecto. Iam quando prædicata prioris generis sunt eiusmodi, vt vim tantùm naturæ VII. C primò per se conueniant, nullo autem modo supposito, quin potiùs repugnant ei: tunc, quantumcumque conueniant naturæ humanæ, non possunt etiam *in concreto* dici de Christo Domino simpliciter & absque particula explicante hæc ei tantùm conuenire ratione humanitatis, quia secundùm Dialecticos, *à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter consequentia non valet*, & modus ille prædicandi ita absolutè & simpliciter enunciatus, significat subiectum talis propositionis esse purè & simpliciter, absolutè, & secundùm se totum, seu secundùm illud omne quod includit, tale, quale attributum huiusmodi propositionis denotat illud, quod tamen est falsum.

Hinc quia, *esse creatum*, *esse creaturam*, est prædicatum prioris generis, cuius tamen significatum formale conuenit soli humanitati assumptæ, & non supposito Verbi diuini: fit vt VIII. D hæc propositio simpliciter & absolutè enunciata, *Christus est creatura*, sit falsa in rigore & proprietate sermonis.

Ad confirmationem respondetur: *esse mortuum*, *esse crucifixum*, & his similia cõuenire primò per se naturæ humanæ, & tantùm ratione illius suppositi: quia passiones recipiuntur in natura, tamquam in subiecto inhæsionis, & non in supposito, nisi denominatiuè tantùm: vnde sine vlla particula explicante radicem seu rationem huius conuenientiæ, possunt in concreto enunciari absolutè de supposito: at *esse creatum*, *esse creaturam*, simpliciter positum ex vi suæ significationis tàm primò per se conuenit supposito, quàm naturæ, & ita positum *absolutè* significat totum subiectum propositionis tàm

I. quoad subsistentiam, quàm quoad naturam esse ex nihilo, quod hîc est falsum. Sicque non est eadem ratio huius prædicati, ac aliorum communium, quoad veritatem enunciationis, & modum formandi illam simpliciter, absolutè, & absque aliqua nota limitante conuenientiam attributi esse tantùm ratione humanitatis.

Tertium fundamentum est. Omne superius in rigore & proprietate sermonis prædicatur de suo inferiori, ex vulgari doctrina Dialecticorum: atqui *creatura* est quoddam superius ad quemcumque hominem, quia est superius ad omnia quæ sunt extra Deum, cuiusmodi est quilibet homo. Ergo in rigore & proprietate sermonis *creatura* prædicabitur de quolibet vero homine. Ergo cùm Christus Dominus sit de rigore sermonis verus aliquis homo, *creatura*
II. propriè & in rigore sermonis prædicabitur de Christo.

Respondetur, concessa Maiore, negando Minorem: licèt enim esse creaturam sit superius ad *esse purum hominem*, non tamen *ad esse hunc hominem Christum*, *simpliciter*, *& absolutè dictum*, quia Christus homo includit suppositum simpliciter & absolutè increatum.

Quartum fundamentum est. In tantum propriè, & de rigore sermonis vnusquisque nostrûm est creatura, in quantum anima eius rationalis est immediatè ex nihilo, & materia, ex qua corpus eius formatur est mediatè ex nihilo: atqui hoc vtrumque reperitur in Christo Domino. Ergo Christus Dominus de rigore sermonis est creatura.

Respondetur: vnumquemque nostrûm ita
III. esse creaturam ratione animæ & corporis, vt tamen hæc non sint tota & adæquata ratio huius denominationis, sed etiam ipsa nostra subsistentia, quæ istis duabus partibus sic seorsim sumptis non explicatur. Vnde quia nihil est in nobis etiam comprehensa subsistentia nisi creatum, fit vt rectè dicamur absolutè, & simpliciter creaturæ: at in Christo Domino personalitas Verbi diuini, item & natura diuina sunt quid increatum: ideóque Christus Dominus non potest dici simpliciter & absolutè creatura seu ens aliquod creatum.

Vltimum fundamentum repetitur ex sancto Thoma hîc articulo decimo. Hæc propositio, *Christus secundùm quod homo est creatura*, est vera. Ergo & hæc propositio, *Christus est creatura*, est vera in rigore & proprietate sermonis.

Respondetur cum sancto Thoma hîc arti-
IV. culo decimo, admisso Antecedente, negando Consequentiam: cuius negati hæc est ratio, quòd reduplicatio propriè reduplicat potiùs formam quàm suppositum, vt patet in hac propositione formata de homine pessimo, bono tamen poëta, *hic homo qua poëta est bonus, & irreprehensibilis*, solùm denotatur esse peritissimus artis poëticæ, vnde tamen non licet inferre simpliciter & absolutè, ergo *hic homo est bonus*. Vnde hæc regula, quæ dicitur esse Scoti, *in propositione reduplicativa, prædicatum potest absolutè dici de eo, quod sequitur reduplicationem*, non est vniuersaliter vera.

A

B

C

D

ARTICVLVS V.

Vtrùm hæ propositiones, Christus incepit esse, & hic homo, demonstrato Christo, incepit esse, sint veræ & propriæ.

TOTA præsens difficultas est de proprietate sermonis, an istæ propositiones absolutè & simpliciter enunciatæ, absque aliqua particula limitante ad *esse humanum*, seu *esse humanæ naturæ*, sint veræ iuxta proprietatem sermonis. Affirmant Scotus, & aliqui alij vtramque esse propriè veram in tertium sententiarum distinctione prima, quæstione tertia. Vasquesius hîc disputatione 67. cap. 4. 5. 6. existimat posteriorem propositionem esse absolutè & propriè veram, licèt concedat priorem loquendo propriè esse falsam.

Melior tamen est contraria sententia, quam loco propositionis ponimus, & est expressa sancti Thomæ hîc articulo 8. & communis omnium eius Interpretum, estque eadem ratio huius vtriusque propositionis, ac istius præcedentis, *Christus est creatura*. Vnde primum argumentum allatum pro conclusione præcedentis articuli tertij probat etiam præsentem, similiter & auctoritates Patrum ibidem allatæ in confirmationem vltimæ rationis. Nam sicut repugnat Christo Domino esse creaturam, quia propriè est naturalis Filius Dei, & huic filiationi seu Filio repugnat esse gratuitò, cuiusmodi
VII. est esse omnis creaturæ: ita etiam eidem Filio repugnat cœpisse, cùm de facto id tantùm propriè aliquando cœperit, quod est creatum in tempore.

Probatur etiam iis Scripturæ testimoniis, quibus Christus Dominus dicitur absolutè & sine aliqua limitatione esse ab æterno: vt sancti Ioannis 8. *Amen amen dico vobis*, inquit ibi Christus, *antequam Abraham fieret, ego sum*: ibid. 17. capite, ita alloquitur Patrem eum orando. *Clarifica me tu pater claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret*: vbi istæ particulæ, *habui apud te priusquam mundus fieret*, denotant eum loquendo absolutè & simpliciter nunquam cœpisse: item Apostolus ad Hebræos 13. capite ait, *Christus heri & hodie, ipse & in sæcula*, id est, Christus est ab æterno & æternus, & nunquam desinit, vt sanctus Chrysostomus, homil. 33. in epist. ad Hebræos explicat cum aliis Patribus Græcis: *Hic*, inquit, *illud*
VIII. *heri dicit omne tempus præteritum, hodie præsens sæculum, in sæcula autem futurum & infinitum*. Vnde S. Ambros. libro quinto de fide, capite primo, probat hoc testimonio S. Pauli diuinitatem & æternitatem Christi Domini, & subdit, est ergo Christus, & est semper, qui enim est, semper est: *Christus autem semper est, de quo dicit Moyses: qui est misit me*: & paulò post, *In Christo autem non fuit est, & non, sed est in illo fuit*.

Ratione item propositio nostra probatur, prima. Ille dicitur absolutè, simpliciter, & absque aliqua restrictione incipere, qui ita accipit esse, vt ante hoc momentum quo dicitur incepisse absolutè non fuerit: nam *fieri* & *incipere esse* includunt hanc negationem, *hic antea absolutè non erat*, & hæ duæ proposi-

I. tiones non possunt simul & semel esse veræ, *Petrus ante heri fuit, & Petrus heri incepit esse*: atqui Christus Dominus ex citatis Scripturæ & Patrum testimoniis semper fuit: ergo non potest absolutè & sine aliqua restrictione dici incepisse.

Deinde istæ duæ propositiones sunt contradictoriæ, *hic homo fuit ab æterno*: & *hic homo non fuit ab æterno*: sed prior, demonstrato Christo est vera ex citatis auctoritatibus sacræ Scripturæ & Patrum: ergo posterior secundùm legem contradictoriarum est falsa.

Tandem, *esse*, pronunciatum simpliciter & absolutè denotat *primarium esse rei*: atqui primarium esse Christi Domini, est *esse* eius suppositi & diuinitatis, ipsum verò *esse* humanitatis est minus principale, & minus dignum: Ergo dum Christus Dominus dicitur absolutè incepisse, significatur incepisse quoad esse suæ personæ & diuinæ naturæ, quod est hæreticũ. Hinc licèt ista propositio, *Verbum incepit esse homo*, sit vera, quia significat hoc attributum, *homo*, actu tantùm conuenisse Verbo diuino in tempore, seu Verbum fuisse tantùm in tempore vnitum humanitati, hæc tamen est falsa, *Verbum incepit*.

II. Neque est, quod Vasquesius & aliqui alij dicant aliam esse rationem huius propositionis, *hic homo*, demonstrato Christo, *incepit*, & aliam huius, *Christus incepit*: nam hîc, homo, in priori supponit determinatè pro Christo, quia est indiuiduum determinatum non vagum: ergo quo iure Vasquesius concedit priorem esse falsam, eodem iure debet admittere priorem etiam esse falsam. Hinc Facultas Parisiensis notauit censura hanc propositionem simpliciter & absque limitatione pronunciatam, anno & die dictis secundo præcedenti articulo, nimirum, *Christus incepit esse*, de rigore sermonis esse falsam, scandalosam, & hæreticam, & prohibet suis illam asserere, nisi cum addito & expressa determinatione limitante ipsum *esse ad esse humanum*, quam censuram à Summo Pontifice Alexandro VI. tunc regente vniuersalem Ecclesiam fuisse approbatam, Caietanus disertè affirmat suis commentariis ad art. 9. huius quæst. ideóque libentius eam de verbo ad verbum hîc referemus.

III. Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, secunda mensis Augusti, Facultas per deputatos qualificauit duas sequentes propositiones, quas veras affirmabat in Sorbonica disputatione Frater Henricus Bancqueuille Minor. Primo itaque diffinit atque determinat, quòd hæc propositio, *Homo factus est Deus*, de proprietate sermonis est falsa, & erronea, prohibétque eam de cætero dogmatizari aut asseri per magistros Bacchalarios, & Scholares tàm in Schola Theologiæ quàm alibi, nisi cum expressione sensus quem prætenderunt sancti Doctores, videlicet *factum est quòd homo sit Deus*. Secundam verò propositionem, scilicet *Christus incepit esse*, de rigore sermonis, & sic absolutè dictam diffiniuit esse falsam, scandalosam & hæreticam: prohibet etiam præfata Facultas ne ampliùs dogmatizetur aut asseratur præcedens propositio, nisi cum addito & expressa determinatione limitante ipsum *esse*, ad *esse humanum*; & has propositiones censuit prædicta Facultas reuocãdas & reparandas in Sorbonico Gymnasio per Frattem Henricum Bancqueuille sub pœna priuationis, quas postmodum reuocauit prædictus Frater. V.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur fundamenta contrariæ sententiæ præcedenti articulo relatæ.

PRIMVM est, quòd aliqui Patrum loquantur ad modum primæ sententiæ præcedenti articulo explicatum, vt sanctus Augustinus tractatu 105. in sanctum Ioannem, *Antequam*, inquit, *mundus fieret, nec nos eramus, nec ipse mediator Christus*; sanctus Leo sermone tertio de Pentecoste vocat Christum *Dominum temporalem*; quod autem non erat ante mundum & habet esse in tempore, debuit necessariò cœpisse.

Respondetur, sanctum Augustinũ verbis immediatè antecedentibus apertè significare se loqui de Christo Domino secundùm esse humanitatis. Secundò, respondetur S. Augustinum ibi non simpliciter & absolutè dicere, *Christus non fuit antequam mundus fieret*, de qua tamen propositione vt sic enunciata disputamus, sed addit hanc particulam, *mediator Dei & hominum*: quæ particula limitat propositionem ad esse humanitatis. Est enim Christus Dominus ratione suæ humanitatis mediator Dei & hominum, vt obseruauimus præcedenti disputatione tertia, articulo tertio, propositione secunda. VI.

Ad auctoritatem S. Leonis respondetur: ibi nõ vocari Christum simpliciter & absolutè, *temporalem*, sed tantùm dicere sempiternum temporalitatem subiisse, quatenus enim Filius Dei, qui est sempiternus, assumpsit in tempore humanitatem. Deinde respondetur, quemadmodum præcedenti art. obseruauimus in solutione argumentorum, quando termini sibi inuicem opposiri dicuntur de Christo Domino in eadem sententia, tunc talis dispositio illorum est virtualis quædam limitatio significationis eorum: quod scilicet vnus dicatur tantùm de vna natura, nimirum diuina, & alter de humana in concreto, quia ambæ istæ naturæ sicut sibi inuicem vnitæ in eodem supposito Verbi diuini: sic hoc loco terminus iste, *sempiternus*, adiunctus à S. Leone, satis determinat hanc temporalitatem asseri tantùm ratione ipsius *esse* humanitatis, non autem diuinitatis eius aut personalitatis, quod quidem esse diuinitatis & personalitatis semper & ante mundum conditum ipse Christus Dominus habuit. VII.

IV. Secundum fundamentum est, quòd in tempore accipit nouiter suum esse proprium & substantiale, illud propriè & absolutè incipit esse: atqui tàm Christus Dominus, quàm hic homo, demonstrando Christum, accepit in tempore nouiter suum esse proprium, nempe humanum. Ergo verè & propriè Christus Dominus & hic homo, demonstrando Christum, potest absolutè & simpliciter dici cœpisse. VIII.

Quòd si respondeas, esse de ratione illius, qui incipit, non fuisse antea, quod Christo D. seu huic homini, demonstrando Christum, non cõpetit, cùm eius persona sit æterna & ab æterno; Vasquesius obiicit, nõ minus esse de ratione eius, qui morturus est, nec manere nec viuere, quàm sit de ratione illius, qui incipit, non fuisse antequam inciperet, quia negatio importatur vtrobique: at non obstante immortalitate conueniente Christo Domino ratione suæ naturæ

I. diuinæ Christus Dominus rectè & absolutè dicitur mortuus; ergo etiam rectè dicitur simpliciter & absolutè cœpisse.

Concessa Maiore, negatur Minor: nam ipsum esse Christi Domini simpliciter pronunciatum supponit pro ipso eius esse personali: & præterea hoc nomen, *Christus*, item, *hic homo*, cùm sit substantiuum, non tantùm significat aliquam formam, sed etiam suppositum seu substantiam: quia, vt docuimus primâ parte quæst. 39. significat formam & ipsum eam habens per modum stantis per se, seu subsistentis. Vnde cùm suppositum Christi Domini & huius hominis, Christo Domino demonstrato, semper fuerit, & nunquam inceperit, fit vt Christus & hic homo, demonstrato Christo, non possit dici simpliciter incepisse esse.

II. Ad rationem Vasquesij obiicientis, *non esse minus de ratione eius, qui est mortuus non viuere, quàm est de ratione eius qui incipit non fuisse antequam inciperet*; respondetur: id verum esse seruata proportione, at in præsenti difficultate proportio non seruatur. Nam hæc prædicata, *viuere, mori*, cõueniunt primò per se naturæ, & tantùm ratione illius suppositi. Vnde tantũ important negationem formæ sibi oppositæ cõparatione eius naturæ, cui primò per se cõueniunt. At *esse*, item, *incipere esse*, æquè primò per se cõueniunt nostris subsistentibus ac naturis, sicut & *esse creatum*, seu *esse ex nihilo*. Vnde quando absolutè pronuntiatur de aliquo subsistente, seu de aliqua natura vt subsistente, tunc significat subiectum huius propositionis incepisse esse, & proinde aliquando non fuisse, tàm quoad subsistentiam quàm quoad naturam illam, in qua subsistit, quod in vtraque præsenti propositione

III. est falsum.

Fundamentum tertium est. Illud cœpit esse, de quo ante mundum conditum propositio formata de secundo adiacente fuit falsa, & etiam post illum conditum pro aliquo tempore fuit falsa, & pro alio tempore vera: atqui tàm ante mundum conditum, quàm post illum creatum ante natiuitatem beatissimæ Virginis, hæc propositio erat falsa, *Christus est*, & post annunciationem Angelicam & consensum beatissimæ Virginis fuit vera. Ergo Christus Dominus propriè aliquando cœpit.

Aliqui respondent negando Maiorem: cuius negationis hæc est eorum ratio: quòd alia sit suppositio seu significatio subiecti in propositionibus *de secundo adiacente*, & alia in propositionibus *de tertio adiacente*: quod in

IV. propositionibus *de secundo adiacente* subiectum supponat *formaliter*, & proinde in hac propositione, *Christus est*, significet compositum ex personalitate Verbi diuini, & humanitate, seu etiam compositum ex duabus naturis in eadem subsistentia Verbi diuini existere eo tempore, quod importatur in propositione: at in propositionibus de tertio adiacente supponere *materialiter*, seu significare ipsum suppositum: vnde cùm suppositum Christi Domini nunquam inceperit, hæc propositio, *Chri-*

A *stus incepit esse*, simpliciter enunciata est falsa, quia per illam significatur is, qui est Christus, non fuisse ab æterno, quod est falsum. Hæc autem, *Christus est*, prolata ante peractum mysterium Incarnationis fuit falsa, sed post est vera. V.

Sed hæc solutio non videtur abundè satisfacere: nam hæc propositio, *Christus incipit*, est de secundo adiacente, & tamen simpliciter & absolutè pronunciata est falsa, ob ea quæ diximus in confirmationem nostræ propositionis, nec tamen subiectum eius, Christus, sumitur in illa tantùm formaliter, sed etiam materialiter, id est attributum eius cadit etiam in suppositum: ergo pari modo in illa alia propositione, *Christus est*, sumitur etiam materialiter seu etiam pro supposito, quod cùm verè extiterit ante natiuitatem beatissimæ Virginis, hæcque propositio VI.

B sit tantùm affirmatiua, ad cuius veritatem sufficit existentia personalitatis Christi Domini, hæc propositio, *Christus est*, simpliciter & absolutè pronunciata erit etiam vera ante natiuitatem beatissimæ Virginis: & quia negatio est malignantis naturæ, negat totaliter attributum de subiecto, hæc, *Christus non est*, etiam pro illo tempore antecedente natiuitatem beatissimæ Virginis pronunciata, simpliciter & absolutè est falsa.

Confirmatur ex eo, quòd sanctus Ambrosius à nobis relatus suprà expressè ait, Christum semper esse.

Ad hoc igitur fundamentum respondetur Minorem eius simpliciter & absolutè sumptam esse negandam: & quoniam potest facere sensum ambiguum ad intellectum proferentis, aut audientis illam, & intelligen-

C tis de *esse Christi Domini secundùm quod est aliquod compositum*, & de actuali eius existentia in illa differentia temporis, quæ præcessit natiuitatem beatissimæ Virginis: ideo tunc, sicut & in aliis similibus, ad tollendum occasionem erroris, optimum erit addere propositioni aliquam notam, quæ prædictum sensum explicet. VII.

Vltimum fundamentum est. In hac propositione, *Christus cœpit*, hoc attributum, *cœpit*, cadit suprà formale sui subiecti: sed formale huius subiecti, *Christus*, est compositum ex personalitate Verbi & humanitate; & formale huius termini, *homo*, est humanitas, quæ duo cœperunt in tempore. Ergo duæ illæ propositiones sunt veræ secundùm proprietatem sermonis.

D Negatur Maior: nam hoc attributum, *cœpit*, in prædicta propositione etiam cadere in suppositum patet ex dictis. Ex his intelligitur hanc propositionem pronunciatam de Christo Domino, *hic homo cœpit esse Deus*, esse simpliciter falsam: quia significat hunc hominem vel non semper fuisse, vel non semper fuisse Deum, vel denique huic homini & proinde subsistenti deitatem aduenisse, sicut & hypostasim Verbi diuini, quæ omnia patet ex dictis esse falsa. VIII.

I.

AD QVÆSTIONEM XVII.

DISPVTATIO VNICA.

De pertinentibus ad vnitatem in Christo Domino quantum ad esse.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Christus Dominus sit vnus, & vnum, ita vt nulla ratione sit duo, vel aliud, & aliud.

II. PRIMA propositio. *Christus ita est vnus, vt masculinè non possit* dici duo. Propositio est S. Thomę hîc art. 1. & communis : est de fide ex Symbolo Concilij Niceni, in quo ita profitemur, *Et in vnum Dominum Iesum Christum*, item ex Symbolo S. Athanasij, item ex Concilio Ephesino in professione fidei.

Probatur primò ex sacris Litteris, vt primæ ad Timoth. secundo, vbi *Christus*, dicitur, *vnus mediator Dei & hominum*, & qui diuidunt Christum in duos, passim condemnantur à Patribus, tanquam Nestoriani, vt in Concilio Chalcedonensi, & aliis.

Probatur secundò. Hic terminus, *vnus*, positus *masculinè* significat vnitatem subsistentiæ seu personæ : atqui in Christo Domino vna tantùm est persona, non duæ, aut plures, vt ostendimus contra Nestorium ad quæst. secundam : ergo &c. Confirmatur : rectè dicimus, *vnus est Pater* in diuinis, *vnus est Filius*, *vnus est Spiritus sanctus*, vt videre est in Symbolo S. Athanasij : at non possumus dicere simpliciter, *Pater, Filius, & Spiritus sunt vnus* : cuius rei hæc est ratio : quòd hic terminus, *vnus*, positus *masculinè* significat vnitatem personæ : at persona Patris alia est à persona Filij & Spiritus sancti, sic etiam quia tres illi non sunt vna persona, sed tres realiter distinctæ, non possumus dicere, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus*, nisi cum hoc, vel simili addito, *Deus* ; tunc enim hic terminus restringitur ad supponendum pro vnitate naturæ diuinæ.

Secunda propositio. *Christus ita est vnum in neutro genere, vt non possit dici duo neutraliter.* Ita S. Thomas hîc articulo primo, & omnes communiter. Probatur, *vnum substantiuè* seu neutraliter positum significat vel *suppositum*, vel *vnum ens*, vel *vnum individuum* : atqui hæc omnia conueniunt Christo Domino, est enim vnum subsistens in diuinitate & humanitate, vnicam habet tantùm personalitatem, vt ostendimus ad quæstionem secundam : similiter est vnum ens, quia licèt in eo reperiantur duæ naturæ, diuina & humana, item personalitas Verbi diuini, & humanitas, hæc tamen non manent separata, sed intimè & substantialiter vnita : ergo quemadmodum materia & forma in physicis, licèt distinguantur realiter à seinuicem, quia tamen vnitæ inter se constituunt vnum ens completum, non sunt duo neutraliter, sed solummodo vnum : sic etiam quia ambæ illæ naturæ vniuntur in eadem personalitate Verbi ad

III.

IV.

A constituendum ens aliquod completum, *Christum* nimirum, rectè Christus Dominus dicetur in neutro genere esse solummodo vnum.

Deinde, omne verum compositum est simpliciter vnum neutraliter : atqui Christus Dominus, siue consideretur vt constans personalitate Verbi diuini & humanitate, vnitis, siue vt constans duabus naturis inter se vnitis in eodem supposito Verbi diuini, est verum aliquod compositum, vt ad citatam quæst. secundam docuimus : ergo, &c.

Hinc, si quis quærat an hæc propositio sit vera, *Christus est diuinitas & humanitas simul*, respondetur : si diuinitas sumatur, quatenus includit suppositum Verbi, & Christus Dominus quatenus sustentat duas naturas, propositionem esse veram : sic enim Patres interdum loquuntur, vt S. August. in Enchirid. ad Laurent. cap. 38. & S. Leo epistol. 11. cuius rei hæc est ratio, quòd componentia simul sumpta prædicantur in recto casu de suo supposito, quia ei insunt : atqui diuinitas vt includens suppositum Verbi diuini & humanitas sunt ipsa cõponentia Christum Dominum : ergo &c. quando autem hæc propositio fuit condemnatain Concil. Constantienſi sess. 12. & 15. fuit tantùm condemnata in sensu diuiso, in quo illam defendebant : quemadmodum Vualdensis notat lib. 1. doctrinalis fidei cap. 42. si verò Christus sumatur pro solo supposito Verbi diuini, secundùm se & præcisè considerato, & non quatenus sustentat duas naturas, tunc dicta propositio est falsa, quia vt sic non includit humanitatem.

B VI.

Cæterùm repetendum est ex superioribus, si quando propositiones aliquæ sint ambiguæ, eas esse distinguendas, exempli gratia, *totus Christus est homo, totus Christus est Deus* : quia si significetur totam personam Christi Domini esse hominem & Deum, tunc dictæ propositiones sunt veræ, si autem significetur Christum esse totaliter Deum, aut totaliter hominem diuisiuè, ita vt Christus constet sola deitate cum exclusione humanitatis, aut econtrà, tunc sunt falsæ, vnde tunc melius erit eas distinguere.

C VII.

Tertia propositio. *Christus non est alius, atque alius, neque aliud, atque aliud.* Propositio est S. Thomæ hîc art. 1. in responsione ad argumenta. Probatur prior pars : per hunc terminum, *alius*, in masculino genere significatur distinctio suppositorum, vt patet ex dictis suprà, & ex iis, quæ Theologi communiter tradunt de istis terminis in primâ parte agendo de mysterio Trinitatis : atqui nulla est distinctio suppositorum in Christo Domino, sed vnica tantùm personalitas Verbi diuini sustentans vtramque naturam : ergo loquendo propriè, Christus non est alius atque alius.

D VIII.

Probatur secunda pars. Esse aliud atque aliud idem est ac esse duo, quia esse aliud, & aliud idem significat ac esse hoc & illud, ac proinde duo : atqui Christus Dominus non est propriè duo, vt iam docuimus : ergo propriè loquendo Christus non est aliud, & aliud. Deinde vt aliquid in rigore sermonis sit aliud, & aliud, significatum per hunc terminum, *aliud*, tanquam prædicatum debet de illo vt subiecto etiam in abstracto prædicari : atqui homo in abstracto non prædicatur de Christo, nec item natura diuina de homine, vt patet ex dictis ad præcedentem quæst. 16. ergo, &c.

Obiicies, multos Patres satis frequenter di-

I. cere Christum *esse aliud per diuinitatem, & aliud per humanitatem*, vt S. Aug. in Enchirid. ad Laurentium cap. 36. imò & ipsemet S. Thomas hac parte quæst. 2. art. 3. ad 4. primum admittit Christum dici aliud & aliud.

Respondetur, Patres tantùm velle esse diuersitatem naturarum in Christo Domino, & dum sic loquendo vsurpant istam particulam, *aliud & aliud*, loqui tantùm in sensu causali, nimirum ea, ex quibus Christus Dominus constat esse aliud atque aliud, id est diuersa & distincta, iuxta quem sensum S. Thomas citata quæst. 2. admittit in Christo Domino *esse aliud, & aliud*, quem tamen loquendi modum S. Thomas non ita probat ac præcedentem, ideóque eiusmodi propositiones, quia videntur ambiguæ, indigent aliqua explicatione.

II. Notandum verò quòd S. Thomas hìc art. 1. insolut. ad 7. ait, aliquid dici *alterum* ob solam diuersitatem accidentalem, esse dictum minùs propriè. nec enim lac potest dici esse alterum à se, eo quòd sit album, nisi abusiuè accipiamus hunc terminum, *alterum* pro diuerso, sicut de homine valdè mutato dicere solemus, *hic homo est iam aliter à se*: nam *alter* absolutè sumptum dicit *distinctionem naturæ* & etiam *suppositi*, vt potest intelligi ex his, quæ Theologi docent primâ parte tract. de mysterio Trinitatis.

Articvlvs II.

Vtrùm in Christo Domino sint plura esse existentiæ, seu an humanitas eius habeat suam propriam creatam existentiam, an verò

III. *tantùm existat existentia Verbi diuini.*

DVÆ sunt hac de re sententiæ. Prima omnium discipulorum S. Thomæ hìc & tertio sent. est humanitatem Christi Domini carere propria sua existentia, eámque fuisse suppletã per existentiam Verbi diuini; sicut propria eius subsistentia fuit suppleta per subsistentiam Verbi diuini.

Hæc autem opinio tria supponit. Primum est, dari in ipsis substantiis triplex esse, *vnum ipsius essentiæ*, vt præscindit ab existentia, alterum *subsistentiæ*, & tertium *existentiæ*: esse essentiæ est illud, quod communicatur rei per formam essentialem: exempli gratia, *esse animal rationale*, homini: esse subsistentiæ illud est, per quod ipsa substantia constituitur persona & subsistens: tertium esse existentiæ est illud, quo nimirum

IV. substantia existit actu.

Secundo loco hæc sententia supponit ista *tria esse* distingui realiter à se inuicem, sicut res à re, & entitas ab entitate distinguitur. Supponit tertiò tria hæc seruare hunc ordinem inter se: vt primò res habeat esse essentiæ: deinde quòd principiet, vt loquitur Caietanus, seu ex se per emanationem producat personalitatem: tertiò, quòd suppositum producat seu principiet actualem existentiam, sicque substantiam reddi capacem actualis existentiæ beneficio subsistentiæ, & actualem existentiam esse velut proprietatem personalitatis.

Quibus non obstat, quòd aliqui auctorum huius primæ sententiæ dicant personalitatem, & actualem existentiam substantiæ produci à generante, vel creante: quia id intelligunt de mediata productione, sicut dicunt lapidem moueri deorsum à producente, nimirùm mediante sua grauitate, quam lapis accepit à producente. V. Hinc quia proprietas debet esse proportionata suo principio immediato, & in eorum opinione existentia est proprietas subsistentiæ, tanquam immediati sui principij, & Verbum diuinum supplet in Christo Domino subsistentiam humanitatis: volunt similiter Verbum diuinum per increatam suam existẽtiam suppleuisse propriam & creatam existentiam humanitatis in Christo Domino, & quemadmodum humanitas assumpta à Verbo subsistit increata subsistentia Verbi diuini, ita & eam humanitatem existere increata actuali existentia Verbi diuini.

Contraria tamen sententia, quam loco conclusionis ponimus, est Scoti 3. sentent. distinct. 6. & communis inter Theologos, exceptis discipulis sancti Thomæ. VI. Vt autem melius intelligatur & probetur,

Notandum est primò, existentiam esse id quod constituit formaliter aliquam essentiam in actu seu in ratione actualis entitatis, quod breuiter probatur. Per illud essentia constituitur formaliter in actu, per quod formaliter ponitur extra suas causas, & per id quod significatur verbo illo substantiuo, *est*, in hac propositione, *essentia est*, sic enim ternuni illi, *esse in potentia*, & *esse in actu*, sibi inuicem opponuntur: atqui essentia ponitur extra suas causas per propriam suam existentiam, quia *existere* nihil est aliud quàm esse extra suas causas, & Verbum, *est*, in hac propositione, *essentia est*, idem significat ac *existit*. nam ex communi sententia Dialecticorum libro de interpretatione, verbum substantiuum, *sum, es, est*, in propositionibus de secundo adiacente significat existere: ergo essentia constituitur *in actu*, seu *entitas actualis* per propriam suam existentiam. VII.

Notandum secundò, existentiam consideratam simpliciter & absolutè abstrahere *ab esse in se*, & *esse in alio*: nam isti modi, *in se*, & *in alio*, adiunguntur existentiæ pro diuersa ratione, quam essentia in actu debet habere: quo fit vt quia accidens naturaliter postulat sustentari ab alio, habeat veram existentiam in alio, quia dependet à subiecto *in sustentari*, substantia verò relicta suæ naturæ minimè, quia non indiget alio à quo sustentetur. Vnde *esse in alio*, non significat existere aliena existentia, sed potiùs retentâ propriâ existentiâ dependere ab alio, à quo sustentetur, vel tanquam à *subiecto*, vt contingit accidenti, vel tanquam *à termino*, exempli gratia à supposito, cum quo habet

VIII. vnionem, vt reperitur in humanitate Christi Domini. His ita præsuppositis nostra sententia

Probatur primò, iis omnibus Conciliorum & Patrum auctoritatibus, quibus suprà ad quæstionem secundam contra Nestorium & Eutychetẽ docuimus vnionẽ humanitatis cum Verbo fuisse factam solummodò in persona & subsistentia Verbi: at hoc esset falsum, quia tunc daretur etiam alia vnio Verbi diuini cum humanitate in ipsa existentia; quia Verbum diuinum supplere existentiam humanitatis, nihil est aliud quàm vnionem humanitatis cum Verbo fuisse factam in existentia, sicut vnionem Verbi diuini fuisse factam in substantia, nihil est aliud quàm Verbum suppleuisse substantiam humanitatis.

Confirmatur. Vbi res vniendæ sunt realiter distinctæ, & seruant aliquem ordinem inter se, ibi distinctæ vniones sibi inuicem succedentes

I. debent dari, quia vnumquodque vnitur secundùm quod est: atqui iuxta auctores contrariæ sententiæ datur distinctio realis inter essentiam humanitatis, personalitatem eius, & existentiam, & inter hæc prima omnium est essentia: deinde personalitas, tertia existentia: ergo præter vnionem personalem Verbi cum humanitate, debet & alia vnio dari subsequens in ratione existentiæ: at Patres meminerunt solius vnionis personalis in hoc mysterio, & omnem aliam ab illo reiiciunt: ergo cùm nulla facta sit vnio Verbi cum humanitate in existentia, Verbum non suppleuit existentiam humanitatis.

Probatur secundò, ex iis omnibus Conciliis & Patribus, qui docent in Christo Domino esse duas naturas perfectas, integras: nam debent necessariò intelligi de duabus naturis *in actu*,
II. aliàs enim totum compositum non esset actu, quo posito, sic probatur nostra sententia. Vbi est distinctio entitatum in actu, ibi est distinctio existentiarũ, quia entitas in actu constituitur per existentiã, vt primo nostro notabili docuimus, & vbi non est distinctio principiorum constituentium, ibi etiam non est distinctio cõstitutorum, vt in persona Christi Domini: atqui, ex supradictis Conciliis & Patribus, duæ dantur in Christo Domino entitates actuales à se inuicem realiter distinctæ: ergo & duæ existentiæ dabuntur in Christo Domino, vna Verbi diuini, altera humanitatis.

Confirmatur. Vnio supponit membra vnienda esse actu: sed humanitas erat membrum aliquod vniendum Verbo, priusquam assumeretur: ergo humanitas debuit priùs esse actu: sed
III. hoc fit per existentiam, vt probatum est primo notabili, & non per existentiam Verbi diuini, quia vnio nondum erat facta: ergo per propriam.

Dices, quando aliquid fit, vt sit in alio per sui vnionem, tunc non debere priùs existere, aut fieri, quàm de facto vniatur & constituatur in alio, sed sufficere vt simul & semel fiat & ponatur in alio, quemadmodum patet in accidente, quod simul educitur de subiecto, & simul ei inest, nec priùs natura accipit suam existentiam, & deinde vnitur subiecto, sed simul & semel: ergo à simili, quia tota humanitas Christi Domini per assumptionem ponitur in Verbo diuino tanquã in alio, non debet priùs esse etiam natura seu existere, quàm de facto vniatur Verbo diuino, & ponatur in eo tanquam in alio.

Sed hoc non soluit nostram rationem: nam
IV. duobus modis potest intelligi aliquid fieri, vt sit in alio: primo tanquam *in proprio naturali*, & sibi debito subiecto: secundò vt sit in alio tanquam *in termino sibi extrinseco*, prout istud aliud consideratur secundùm se: si priori modo intelligatur maior propositio, admittimus illam esse veram, vt patet in accidente, cuius productio est ipsa eius eductio ex proprio subiecto, & simul eius coniunctio cum suo subiecto, quia producitur dependenter *in esse* & *conseruari* à suo subiecto: si verò propositio intelligatur tantùm posteriori sensu, falsa est, quia omnis terminus est aliquid posterius, saltem natura, eo quòd terminat: ideòque cùm humanitas Christi Domini sit in Verbo tanquam *in termino sustentante* illam, & non tanquam in subiecto per inhærentiam, aut informationem, debet priùs natura supponi in suo esse actuali, quàm assumatur à Verbo, maximè cùm iuxta sententiam S. Thomæ singularitas substantiæ corporeæ dicat hanc materiam, hanc formam: & ex eodem S. Thoma humanitas fuerit assumpta singularis & indiuidua superiùs quæst. 4. art. 4. hæc autem materia & hæc forma dicant aliquid formaliter existens, quòd possit quasi digito demonstrari: atque tota hæc ratio potest amplius confirmari ex iis omnibus, quibus suprà ad quæstionem 6. ostendimus, aliquem ordinem fuisse seruatum in assumptione humanitatis, etiam ex parte extremorum. V.

Probatur tertiò. Si Verbum diuinum suppleat existentiam humanitatis assumptæ, id facit, vel per existentiam personalem, & relatiuam sibi propriam, prout distinguitur à Patre & Spiritu sancto, vel per existentiam diuinæ essentiæ communem omnibus personis diuinis: primùm non potest dici ab auctoribus prioris sententiæ, nam illi vnam tantùm admittunt existentiam in diuinis, eámque communem & absolutam, háncque putant esse sententiam S. Thomæ primâ parte, quæst. 28. art. 2. secundùm etiam dici non potest, quia iam vnio hypostatica esset facta in aliquo essentiali, quod est reiectum quæst. 3. huius partis. VI.

Nec hanc rationem soluit, quòd Cabrera art. 2. huius quæst. §. 4. numero 97. & sequent. respondet, scilicet existentiam illam absolutã spectari duobus modis, *vno vt est communis*, altero, *vt est in Filio*, éique propria, saltem quoad modũ existendi: illam priori modo non supplere propriam existentiam humanitatis, sed posteriori tantùm, ex quo non sequitur vnionem esse factam in aliquo simpliciter absoluto, vt absolutum est, nec proinde omnes diuinas personas esse incarnatas. Hoc, inquam, non soluit, nam imprimis hoc repugnat Concilio Toletano citata quæst. à nobis relato definienti expressè in nullo absoluto vnionem Verbi cum humanitate fuisse factã. Deinde Durandus citata illa quæst. pari modo tueretur Verbum diuinum terminasse humanitatem per aliquid absolutum seu essentiale, cuius tamen sententiam ipsemet Cabrera citata illa quæstione refellit. Tandem existentia illa, vt est in Verbo, vel est aliquid omnino absolutum, vel relatiuum: si primum, ergo loquendo simpliciter & absolutè vnio hypostatica facta est etiam in aliquo essentiali, quod tamen ipsi negant; si secundum, ergo contra illorum sententiam tres dantur in Deo relatiuæ existentiæ præter vnam absolutam. VII.

Potest amplius hæc nostra sententia probari iis omnibus, quibus suprà quæst. tertia disputat. tertia, articulo quarto, ostendimus diuinam naturam non posse sibi immediatè vnire aliquam VIII. substantiam creatam.

Nec est quòd auctores primæ sententiæ sese tueantur auctoritate S. Thomæ: Nam Suarez hac quæst. disp. 36. sect. 2. plura refert S. Thomæ testimonia, quibus apertè constat eum agnoscere existentiam humanitatis Christi Domini distinctam ab existentia Verbi diuini: nec potest aliquis locus ex illo referri, in quo hanc sententiam reuocauerit, imò ex discipulis S. Thomæ Heruæus in tertium sentent. distinct. 6. quæst. 1. art. 3. & Paludanus ibidem quæst. 3. sequuntur nostram sententiam, asserúntque priorem esse aliam à S. Thoma, & cum hac quæst. articulo secundo, & aliis locis tribuit Christo Domino vnicam *esse* non fuisse locutum de *esse existentia* præcisè sumptæ, sed' de *esse suppositi*, quod est

I. vnum non tantùm *in esse personalitatis* sumptum præcisè, sed etiam prout sumitur tanquam aliquod compositum ex existentia humanitatis, & substantia Verbi diuini: cùm enim existentia substantiæ postulet subsistentiam vt compleatur, & personalitas Verbi diuini suppleat vicem subsistentiæ in humanitate assumpta, sicut in nobis existentia & subsistentia faciunt vnum tantùm esse completum, sic etiam existentia humanitatis & subsistentia Verbi diuini constituent tantùm vnum esse.

Addo tamen, mihi non probari modum illum loquendi, quo aliqui dicunt nos non debere simpliciter admittere in Christo Domino duas existentias completas, sed vnam tantùm completam & perfectam: nam eo modo possumus admittere in Christo Domino duas existen-
II. tias completas & perfectas, quo verè & Catholicè admittimus in illo, duas naturas actuales, completas, & perfectas, quia existentia est formale constitutiuum actualis entitatis: atqui verè & Catholicè contra Eutycherem profitemur duas esse naturas integras, actuales, & perfectas in Christo Domino.

Deinde, ideò rectè dicimus esse in Christo Domino duas naturas, duas item voluntates, & id genus cætera duplicia, non autem vnam tantùm naturam completam, vnam tantùm voluntatem completam, quia in ratione naturarum manent semper distinctæ, nec datur vnio immediata inter illas, per quam fiant vna tantùm natura perfecta, vna item voluntas, sicut in nobis datur vnio inter existentiam corporis
III. & animæ existentiam: atqui neque datur vnio immediata inter existentiam humanitatis, & existentiam Verbi diuini, siue relatiuam, siue essentialem, quasi ex duabus illis inter se vnitis fiat vna totalis & completa, sicut in nobis: aliàs enim non iam vnica tantùm daretur vnio immediata inter Verbum & humanitatem, nimirum hypostatica, sed insuper & alia nimirum existentiæ ad existentiam, cuius tamen nemo Patrum meminit, imò quàm tacitè excludunt dum solam vnionem hypostaticam vt immediatam agnoscunt in Christo Domino: nec possumus intelligere vnionem istam immediatam existentiarum, nisi & vnio immediata naturarum admittatur, cùm ipsum formale constitutiuum, cuiusmodi est existentia, comparatione actualis entitatis, sit illi intrinsecum & essentiale: at rectè possumus dicere, cum S. Thoma & aliis communiter, vnum esse tantùm *esse* in Christo
IV. Domino completum & perfectum, quia existentia humanitatis vnitur immediatè subsistentiæ Verbi diuini, vt sic componat cum illa vnum totale esse, perfectum & completum. Quare si aliquando hæc existentia humanitatis Christi Domini dicatur incompleta, non debet ita intelligi, quasi aliquid ei desit in ratione existentiæ formaliter, & præcisè sumptæ, quo perficiatur, sed id debet intelligi quatenus omnis existentia substantiæ postulat subsistentiam, qua vltimò compleatur. Vnde iuncta illi facit vnum completum esse substantiale, non duo.

Articvlvs III.

Soluuntur contrariæ sententiæ fundamenta.

PRIMVM est Sophronij authoritas in sua epistola recepta & approbata in sexta Syno-

A do generali actione 11. & 13. in qua ita loquitur, *Natura humana in illo, ideſt in Verbo, & non in seipsa habuit existentiam vnam.* Item S. Leonis epistola 11. vbi sic ait, *Natura quippe nostra non ita assumpta est, vt priùs creata postea assumeretur, sed vt ipsa assumptione creatur.* V.

Verùm antequam hanc authoritatem soluamus, respondendum est ad suppositiones contrariæ sententiæ præcedenti articulo relatas, & earum falsitas repetenda est ex Metaphysicis, illáque sese facilè manifestat. Nam distinguere reali distinctione essentiam ab existentia, & dicere illam priùs produci, quàm hæc producatur, est asserere rem posse produci absque eo quòd existat de facto: item posse conseruari, & poni extra suas causas absque eo quòd existat: deinde dicere existentiam provt præcindit ab existentia, illámque antecedit, esse principiatum alicuius substantiæ, est dicere aliquid esse
B principiū actuum & susceptiuum alicuius formæ, nimirum entitatis & substantiæ, antequam existat. At priùs est in omni re ipsum eius esse seu existere omni eius agere & recipere aliud à se realiter distinctum, sicque in omni substantia propria eius existentia semper debet antecedere substantiam: vnde intelligitur falsò dici existentiam esse proprietatem consequentem substantiam seu personalitatem, quæ omnia fusius traduntur in Metaphysicis. VI.

Ad auctoritatem Sophronij respondetur, eum tantùm velle humanitatem non priùs tempore extitisse quàm fuerit assumpta à Verbo, quod nos docuimus quæstione 6. huius partis: tùm quia ibi igitur contra Nestorium, & alios similes hæreticos, qui contendebant Christum hominem priùs tempore extitisse, quàm humanitas
C esset à Verbo assumpta: tùm etiam quia Sophronius paulò post verba ab aduersariis relata quasi illa explicans sic subiungit, *nullámque prorsùs tempus constitutionis tulerant* (caro nimirum & anima Christi) *quòd insusam & inseparabilem compositionem præcederet*: ex quibus verbis Sophronij satis intelligitur Patres non ita directè fuisse locutos contra Nestorium, & alios hæreticos, vt ibi excluserint omnem prioritatem etiam naturæ in existendo ipsius humanitatis ad vnionem cum Verbo: ideóque quando Sophronius ibi post illa sua verba, *Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro, simul caro rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis*, subiungit ista verba, *In illo itaque & non in semetipsa habuit existentiam vnam*: sensus eius non est, humanitatem Christi Domini habuisse
D eamdem existentiam cum Verbo diuino, nam post istam particulam, *vnam*, non addit, *cum Verbo*, quod tamen esset addendum, vt faciat ad sensum prioris sententiæ: sed ibi nomine *existentiæ* intelligit *temporariam durationem* existentiæ, quam humanitas Christi Domini non habuit in se ipsa, antequam vniretur Verbo diuino, sed tantùm postquam ei coniuncta est: quòd autem nomen *existentiæ* sumatur ibi in hac significatione, satis patet tàm ex verbis antecedentibus, quàm consequentibus nunc relatis. VII. VIII.

Ad auctoritatem sancti Leonis respondetur, illam eodem modo esse intelligendam de prioritate temporis, vt patet ex verbis eius tam antecedentibus quàm consequentibus: ibi enim reprehendit in Eutychete quod fuerat condemnatum in Origene, nimirum animas fuisse crea-

I. tas in cœlo longè antequam vnirentur suis corporibus, quòd Euryches contendebat contigisse in anima Christi Domini: ideóque qua ratione animæ nostræ creantur simul tempore ac infunduntur suis corporibus, eadem ratione S. Leo vult humanitatem Christi Domini fuisse simul & semel creatam & assumptam à Verbo diuino.

Secundum fundamentum. Existentia est proprietas consequens subsistentiam: sed humanitas Christi Domini non subsistit propria sua subsistentia, sed subsistentia Verbi diuini, vt fides docet: ergo existit etiam existentia Verbi diuini. Maior probatur. Id quod primò generatur & terminat productionem, non est ipsa natura, sed suppositum: ergo existentia est tantùm proprietas consequens personalitatem: ergo vbicumque propria personalitas non erit, ibi etiam propria existentia non erit. II.

Negatur existentiam esse proprietatem personalitatis: illa enim antecedit subsistentiam, cùm sit modus aliquis vltimò complens substantiam. Ad probationem Maioris respondetur, suppositum in concreto terminare generationem & productionem, attamen secundùm executionem priùs naturam, vt formalem terminum generationis, communicari, & sic naturam priùs habere existentiam, quàm subsistentia resultet tanquam vltimum complemẽtum illius naturæ.

Tertium fundamentum est. Si humanitas Christi Domini habet propriam suam existentiam; ergo illa non existit in Verbo, sed in seipsa; absurdum est consequens, vt patet ex dictis suprà quæst. 2. & 3. ergo non habet propriam existentiam.

Consequentia probatur. *Existere in se*, excludit existere *in alio*: ergo cùm humanitas Christi Domim habeat propriam suam existentiam, cuius beneficio est in se, non existet in Verbo tanquam in alio. III.

Quòd si respondeas, existere propria existentia non excludere esse in alio, quia accidens est in subiecto, tanquam in alio, & nihilominus habet propriam suam existentiam; replicant iuxta nostram sententiam, disparem esse rationem existentiæ accidentis ab existentia substantiæ, quòd illa ex sua naturali imperfectione postulet *esse in alio*, dependet enim ab existentia substantiæ: ideóque rectè possumus intelligere existentiam accidẽtis vt distinctam ab eo, quod sit in alio seu ab eius inhærentia; hæc verò substantialis existentia, cùm sit perfecta, debet esse per se & non in alio: ideóque si humanitas Christi D. habet eam, debet ratione illius impediri ne sit in Verbo, quod tamen repugnat fidei. IV.

Negatur prima consequentia, cuius negationis optima ratio ibi est assignata. Ad cuius replicationem respondetur, humanitatem Christi Domini esse in Verbo, non quasi indigeat illo præcisè ad existendum, sicut accidens indiget substantia, sed quòd sit in illo, tanquam *in terminante & sustentante illam*: cùm enim substantia quælibet præter existentiam postulet naturâ suâ subsistentiam, qua compleatur tanquam vltimo suo termino, & Christi Domini humanitas careat propria sua & creata subsistentia, fit vt indigeat diuina, sitque in Verbo: vnde per propriam suam existentiam & creatam non impeditur, ne dicatur esse in Verbo diuino.

Quartum fundamentum est. Duo entia, quorum quodlibet existit sua propria existentia, non A possunt constituere vnum per se; quia vt vnum fiat per se ex duobus, oportet eorum vnum esse potentiam, & alterum esse actum: atqui Christus; vt complectitur humanitatem & Verbum diuinum, est vna per se substantia, vt patet ex dictis suprà. Ergo humanitas Christi Domini & Verbum non debent simul existere propriis suis existentiis: ergo cùm Verbum in Christo Domino habeat propriam suam existentiam, humamtas eius non habebit suam propriam. V.

Confirmatur. Quidquid aduenit enti completo, facit cum illo vnum ens tantùm per accidens: atqui humanitas vt existens est aliquid completum, & iuxta nostram sententiam Verbum diuinum ei aduenit iam existenti per vnionem hypostaticam: ergo Verbum diuinum cum humanitate assumpta facit solummodò vnum per accidens quod redolet hæresim Nestorij. B VI.

Negatur Maior: nam anima rationalis habet propriam suam existentiam, similiter & corpus, nec tamen desinunt facere vnum per se substantiale ex illis duobus compositum.

Ad probationem Maioris nunc negatæ respondetur, loquendo absolutè, falsum esse, ad veram cõstitutionem vnius entis per se necessariò requiri, vt eorum vnum sit potentia, alterum actus: nam ex substantia & subsistentia creata fit vnum per se propriè dictum, vt docetur in Metaphys. nec tamen ibi est compositio ex actu & potentia, sed ex natura terminabili, & suo termino, & superiùs ad quæstionem secundam disputatione quinta docuimus etiam iuxta S. Thomam, fieri vnum per se ex personalitate Verbi & humanitate Christi, imò etiam ex duabus naturis diuina & humana vt vnitis in personalitate Verbi: in qua tamen vtraque compositione nec humanitas comparata ad diuinitatem aut subsistentiam Verbi habet rationem potentiæ, nec personalitas Verbi diuini habet rationem actus informantis, sed tantùm terminit & ad vnum per se, loquendo præcisè, sufficit, quòd habeat ea omnia, quæ ad essentiam vel complementum talis entis per se in suo genere requiruntur intrinsecè, vt fusè explicat Suares in Metaphys. disputat. 4. sect. 3. numero 6. quæ ratio vnius entis per se non desinit reperiri, licèt ea quæ includantur in tota essentia non se habeant per modum potentiæ & actus, vel si vtrũque componentium habeat propriam suam existentiam, vt patet ex dictis. C VII.

Ad confirmationem tertiæ rationis, patet ex dictis ad secundam quæst. huius partis, disputatione 3. art. 7. tunc id quod aduenit enti completo facere ens tantùm per accidens, quando ei aduenit per inhærentiam aut quasi inhærentiam, assistendo ei extrinsecè, sicut calor & indumentum aduenium Petro. Quod autem aduenit enti completo vt illud sustentet & faciat cum eo vnum tantùm esse personale, non facit vnum per accidens, sed per se, quia non accidentaliter sed substantialiter ei aduenit, quemadmodum obseruat S. Thomas lib. 4. cõtra Gentes cap. 49 D VIII.

Quintum fundamentum. Si humanitas Christi Domini habet propriam existentiam, beata Virgo propriè non genuit Deum, sed purum solummodò hominem: at hoc consequens est hæreticum. Maior probatur: generatio tendit ad esse, eò enim tendit vt res existat in rerum natura: ergo vt actio generatiua beatissimæ Virginis in generatione Christi Domini terminetur ad Deum, necesse est vt terminetur ad diuinam

existentiam:

I. existentiam: sed iuxta oppositam sententiam terminatur ad propriam existentiam humanitatis: ergo non ad existentiam Dei seu Verbi diuini, nec proinde beatissima Virgo propriè est mater Dei, quod tamen est hæreticum.

Negatur sequi ex nostra sententia beatiss. Virginem non esse verè & propriè matrem Dei, vt fusè expositum ad quæst. 1. huius partis, disp. 1. art. 6. ex S. Cyrillo Alexand. & ex dictis quæst. 6. de ordine assumptionis partium humanitatis inter se, & hæc ratio aduersariorum potest retorqueri contra suos auctores. Si enim humanitas Christi Domini careat creata sua existentia, iam beatissima Virgo non genuit Christum hominem, nec temporali generatione ratione ipsius humanitatis ab illa acceptæ dicetur eius mater, quod tamen est hæreticum.

Vltimum fundamentum. Si humanitas habeat
II. propriam existentiam antequã assumatur à Verbo, iam est duplex in Christo D. & Christus D. non erit vnus, sed duo, quod tamen suprà reiectũ est: item Verbum diuinum assumendo humanitatem existentem, simul etiã assumet & propriã eius existentiam, & quemadmodum Verbum rectè dicitur homo ab humanitate à se assumpta, ita etiam idem Verbum rectè dicetur existere creata existentia, quod tamen est absurdum, quia tunc dicetur, *ens creatum*, *entitas creata*, saltem per communicationem idiomatum.

Admissa duplici existentia in Christo Domino, negatur sequi eum non fore vnum, sed duo: sicut neque, ex eo quòd datur duplex existentia in homine, vna materialis propria corporis, altera spiritualis, animæ conueniens, non bene infertur loquendo absolutè & simpliciter hominem non esse vnum sed duo, in homine esse
III. duo esse, non vnum, quia illæ existentiæ ita coniunguntur inter se vt ordinentur ad constituendum vnum per se: pari etiam modo quia duæ illæ existentiæ coniunguntur in eodem Verbi diuini supposito, ad constituendum Christum vnum aliquod per se, quemadmodum explicatum est ad quæstionem secundam, disputatione tertiâ & quinta, fit vt ex duplici illa existentia non sequatur Christum Dominum esse duo. Addi etiam potest ipsum, *esse*, esse nomen aliquod substantiuum, ideóque, vt Christus Dominus ratione illius dicatur duo, præter formam per illud significatam, requiri insuper multiplicationem suppositi, quod tamen in Christo Domino est vnicum.

Tandem ad id quod additur isti rationi, nimirùm futurum vt Verbum assumpserit existentiam creatam humanitatis, admittimus eo mo-
IV. do, quo alia propria humanitatis assumpsit: negamus tamen inde sequi, fore vt Verbum diuinum dicatur simpliciter existens creata illa existentia, quam humanitas habet, sicut rectè dicitur homo ratione humanitatis assumptæ, sed tantùm sequitur, quod Verbum sit homo existens creata sibique propria existentia, quod est verissimum. Ratio verò cur, admissa nostra sententia, non sequatur Verbum existere creata existentia, est quòd hæc propositio faciat *sensum formalem*, seu significet existentiam creatam esse formam actuantem, & ponêtem formaliter Verbum diuinum extra suas causas, quod est falsum: tum etiam quod ad communicationem idiomatum requiratur attributum ita enunciari in concreto, vt includat suppositum Verbi, quia hæc communicatio fundatur in identitate suppositi

A comparatione attributi & subiecti. At in hac prædicatione attributum illud, *existens*, *existentia creata & humanitati propria*, nullomodò includit suppositum Verbi, quin potiùs negat: nam eo ipso, quo hæc explicatio, *existentia creata*, adhibetur, sequitur attributum illud non applicari prout suppositum est commune vtrique naturæ, imò quia ipsum existere consideratum secundùm se, est attributum aliquod transcendens naturæ actuatæ & supposito actuali conueniens, quódque enunciatum absolutè non magis significatur verificari ratione naturæ, quàm ratione suppositi, & dum ei additur hæc particula, *existentia creata*, habet repugnantiam ad suppositum Verbi diuini, sit vt absolutè loquendo etiam per communicationem idiomatum prædicta propositiõ non sit vera, ista tamen sit vera, *Verbum est homo existens propria & creata existentia*, nam hęc
B particula, *est homo*, satis denotat talem existentiam sequi tantùm humanitatẽ Christi Domini. V. VI.

AD QVÆSTIONEM XVIII.

De pertinentibus ad vnitatem quantum ad voluntatem Christi Domini.

DISPVTATIO I.

De voluntate Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Refertur opinio Monothelitarum de vnica
C *Christi voluntate, & quædam præmittuntur.* VII.

STANDVM est primò, nomen hoc, *voluntas*, tam apud auctores profanos quàm sacros, sumi pro ipso principio volendi, seu pro *facultate volitiua*: interdum etiam sumi pro *eius actione*, seu *volitione*, & etiam aliquando pro ipso *obiecto volitionis*, seu pro re à voluntate intenta seu volita. Ex qua triplici acceptione voluntatis triplex difficultas occurrit circa Christi Domini voluntatem: explicanda prima, an Christus Dominus habuerit aliam voluntatem in ratione facultatis à voluntate naturæ diuinæ: Secunda, an in ratione actus habuerit aliam voluntatem seu volitionem à volitione diuinæ naturæ: Tertia si habuit, an hæc eius volitio fuerit con-
D formis diuinæ in ipso volito: duas priores tantùm hîc explicamus. VIII.

Notandum secundò, actum voluntatis posse intelligi duobus modis elici ab voluntate: primò quatenus illa *suo ipsius nutu*, per determinationem ortam à sua actiua indifferentia mouet seipsam ad agendum, & vult, & agit hoc vel illo modo: deinde aliquis actus potest intelligi elici vel fieri à voluntate *ex solo nutu*, *imperio*, *& determinatione* alicuius superioris, putà diuinæ voluntatis, eo modo quo in nobis actus aliarum potentiarum exercentur ad nutum & imperium nostræ voluntatis: qua ratione actus voluntatis non magis procederet ex ipsa eius actuali indifferentia, quàm in nobis actus aliarum potentiarum imperati à voluntate procedunt ab aliqua actiua indifferentia eiusmodi potentiarum.

I. His ita prænotatis, vt ad rem veniamus, illi omnes hæretici, qui negarunt in Christo esse duas naturas, negarunt consequenter duas esse voluntates, similiter qui negarunt eum habere animam rationalem: tandem ex iis omnibus, qui duas naturas fatentur in Christo D. Macharius Patriarcha Antiochenus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, ac Pyrrhus, & Paulus eius successores vnam tantùm admiserunt in Christo Domino voluntatē eámque diuinam: vnde illi & eorum sequaces dicti sunt *Monothelitæ*. Circa cuius hæresis fautores Vasquesius hic disput. 73. cap. 1. decipitur, dum inter illos recenset *Typum*, vt vnum prædicti Pauli Constantinopolitani Monothelitæ discipulum: nam ibi & in toto negocio Monothelitarum quando agitur de typo, nomine *Typi* non intelligitur vir aliquis, quasi *Typus* sit aliquod nomen viri, sed intelligitur *edictum* à Constantino Imperatore factum suasu prædicti Pauli, quo quidem edicto continebatur formula suę fidei circa hanc controuersiam excitatam à Monothelitis, illáq; ab isto Imperatore proponebatur omnibus Catholicis amplectenda sub grauibus pœnis, & vocabatur *Typus*: hoc autem constat euidentissimè ex Conc. Lateranensi sub Martino I. consult. 4. vbi Theophylactus primicerius Notariorum Sedis Apostolicæ ait se illum habere præ manibus: tum ex eo quòd summus Pontifex ibi iubet eum legi, facta eius lectione, sancta Synodus ita dicit, *Relectus typus bonum quidem intentum habere dignoscitur, dissonantem autem virtutem* (fortasse legendum veritatem) *intentui continet*: & sequenti collatione can. 18. condemnatur tanquam libellus sceleros us, & suasione prædicti Pauli factus à Constantino Imperatore contra Catholicam fidem.

II.

III.

Quo autem sensu Monothelitæ astruerent suā hæresim, an nimirùm negarent in Christo Domino voluntatem in ratione *facultatis*, seu potētiæ naturæ humanæ assumptæ à Verbo: an verò *solam eius operationem*, omnē vel tantùm aliquā, non satis constat: nec enim illi etiam interrogati satis distinctè eam expresserunt, vt patet ex VI. Synodo actione 8. vbi Macharius aliquando respondet, & aliquādo noluit respondere ad quasdam illationes, quæ fiebant cōtra illum. Interim probabilius est, eos non negasse in Christo Domino voluntatem humanam in ratione *facultatis*, nec similiter actus aliarum potentiarum, vt sunt motio, deambulatio, & id genus cæteras: sed tantùm negabant voluntatem humanam esse in Christo Domino *vt se mouentem, sese & alias potentias determinantē ad agendum ex propria sua actiua indifferentia*: contēdebántque prædictas actiones solo nutu diuinæ voluntatis fuisse directas, gubernatas & exercitas, non dependisse à regimine & determinatione voluntatis humanę: sicque iuxta illos *vnica voluntas, & operatio* in Christo D. fuit *applicatio à sola voluntate diuina*, humana quiescente: quæ applicatio fuerit facta ad ipsa exercitia, seu opera humanitatis tāquam cuiusdam instrumenti: & ad hanc distinctionem talem applicationem vocabant *operationem*, actus verò ipsos, qui suberant isti applicationi seu diuino regimini, vocabant *operata* seu passiones, illam quidem applicationem exprimebant nomine *operationis*, quia procedebat *ab interna voluntate, tanquam à principio gubernante*, ipsa verò opera humanitatis appellabant *operata*, vel *passiones*, quia tantùm fiebant ex solo nutu,

IV.

A directione & sola determinatione diuinę voluntatis, humana voluntate Christi sese habente ad illa secundùm moralem efficientiam tantùm passiuè. V.

Atque hanc eorum fuisse intelligentiam suę hęresis colligitur primò ex eo, quòd hæc hæretis fuerit distincta ab hæresi Apollinaris, qui vt suprà vidimus negauit mentem, & potentias animæ rationalis fuisse in Christo Domino: deinde ex eo quòd, vt S. Thomas hìc art. 1. refert ex epistola Agathonis Papę, dicebant *naturam humanam in Christo Domino numquam se mouisse proprio motu, sed secundùm quod mouebatur à diuinitate.*

Terriò, ex confessione prædicti Macharij Monothelitæ, qui in VI. Synodo generali actione 8. in confessione suæ fidei hæreticæ, explicat hanc suam hæresim exemplo humani corporis, quod exerceat suas operationes ex imperio, & directione voluntatis, licèt habeat in seipso internū principium motus: quo exēplo satis innuit se, & suos admittere quidem in voluntate animæ Christi Domini actus ab ea elicitos, qui tamen exerceantur solummodò ad motum, seu nutum & directionem diuinæ voluntatis, vt etiam colligitur ex disputatione S. Maximi Abbatis cum prædicto Pyrrho Monothelita, quam Baronius ad finem tomi 8. Annalium refert, & eiusmodi volitionem seu directionem voluntatis, vt in actu exercito spectatam, Monothelitæ vocabant *operationem*, θεοθελητον, id est, *Dei-virilem*, mutuati hoc nomen à S. Dionysio epistolā suā ad Caium, & nonnullis aliis, qui aliquot actiones Christi Domini vocarunt θεανδρικας. B VI.

Articvlvs II.

Vtrùm in Christo Domino sint duæ voluntates.

C VII.

Sit hæc prima propositio. *Sumpto nomine voluntatis pro facultate seu principio volendi, duæ sunt voluntates in Christo Domino.* Propositio est de fide, ex Conc. Chalcedonensi & aliis cit. ad quæst. 2. contra Eutychetē definientibus *duas esse in Christo Domino naturas integras, perfectas, & inconfusas*: at de integritate & perfectione naturæ intellectualis, cuiusmodi sunt diuina, & anima rationalis Christi Domini, est voluntas in ratione principij volendi, est enim voluntas propriè appetitus rationalis consequens naturam intellectualem, vt patet etiam in Deo, in quo voluntas reperitur ob hanc rationem: ergo duæ sunt voluntates in Christo Domino diuina vna, & humana altera, sumpto nomine voluntatis pro principio volendi. Similiter probatur ex Concilio Lateranensi sub Martino I. & ex VI. Synodo generali similiter definientibus duas esse voluntates in Christo Domino. D VIII.

Probatur item ex traditione vniuersalis Ecclesiæ, quam Agatho Papa epistola sua ad Imperatorē lecta in VI. Synodo actione 4. & approbata actione 8. ita explicat, vt nomine voluntatis videatur intelligere voluntatem, quatenus est *principium volendi*, ita enim scribit non longè à principio, *Duas dicimus vnum eumdémque Dominum nostrum Iesum Christum, sicut naturas, ita & naturales in se voluntates & operationes habere, diuinam nimirum & humanam: diuinam quidem voluntatem & operationem habere ex æterno cum coessentiali Patre communem: humanam temporaliter ex nobis cum nostra natura susceptam. Hæc*

I. *est Apostolica atque Euangelica traditio, quam tenet spiritalis vestri fœlicissimi imperij mater Apostolica Christi Ecclesia. Hæc est mera confessio pietatis: Hæc est Christianæ religionis vera atque immaculata professio, quam non humana adinuenit versutia, sed Spiritus sanctus per Apostolorum Principes docuit.* Similia habet idem summus Pontifex & Romana Synodus 125. Episcoporum in sua epistola ad 6. Synodum generalem.

Secunda Propositio. *Sumpto nomine voluntatis pro actu volendi, duæ sunt voluntates in Christo Domino*, id est duæ species volitionum, vna diuinæ volitionis & increatæ, altera humanarum. Propositio hæc est etiam de fide expressè definita contra Monothelitas in Concilio Lateranensi sub Martino I. consult. 5. à can. 11. vsque ad can. 17. & in citata 6. Synodo generali actione 17. Probatur etiam multis Scripturæ & Patrum testimonijs tam in vtraque citata epistola Agathonis Papæ, quàm in vtroque Concilio nunc relato, Lateranensi consult. 5.6. verò Synodo actione 9. & 10. contentis, & de verbo ad verbum descriptis: & breuiter probatur ex cap. 26. S. Matth. vbi Christus Dominus ait Deo Patri, *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* S. Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.*

II. Confirmatur, ex actibus meritoriis obedientiæ, orationis, ieiunij, & aliis similibus, qui quatenus tales necessariò debuerunt ita esse liberi, vt essent alicuius voluntatis inferioris à diuina, cùm diuina voluntas sit incapax meriti, ac proinde actus isti debent esse humanæ voluntatis Christi Domini. Quod amplius confirmatur his omnibus rationibus, quibus suprà ad quæstionem nonam ostendimus intellectiones animæ Christi Domini debuisse elici ab eius intellectu

III. creato, & repugnare illas elici à diuino.

ARTICVLVS III.

Soluuntur fundamenta Monothelitarum.

PRIMVM est, quòd aliàs futura sit in Christo Domino contrarietas voluntatum, quatenus vna volet, quod altera respuet, quod non est admittendum in Christo Domino, cùm inde sequatur peccatum, & Christus Dominus sit impeccabilis.

Respondetur, negando ex nostra sententia sequi in Christo Domino contrarietatem voluntatum propriè sumptam, vt sequenti articulo explicabitur, vel etiam peccatum aliquod leuissimum, vt patet ex dictis suprà de impeccabilitate Christi Domini.

IV. Secundum fundamentum est, quòd Honorius summus Pontifex prima sua epistola definierit, *vnam tantùm esse voluntatem in Christo Domino*, & in secunda definierit, *non esse dicendum vnam tantùm esse in Christo Domino operationẽ vel plures.*

Respondetur, quando summus Pontifex in prima sua epistola, ait, *in Christo Domino vnam tantùm esse voluntatem*, hanc particulam *vnam tantùm*, significare eam semper sibi & diuinæ voluntati fuisse consentientem, nec fuisse rebellionem partis inferioris contra superiorem, carnis aduersus spiritum in Christo Domino, vt in nobis, quemadmodum potest intelligi ex antecedentibus & consequentibus, & ipse Maximus in cit. disp. cum Pirrho ostendit, eo nihil in contrariũ obsiciente, & Baron. tomo 8. Annal. ad ann. Christi 633. fusè probat Honorium nõ fuisse Monothelitam, & eodem tomo ad annũ Christi D. 681. ostẽdit acta 6. Synodi fuisse corrupta à quo-

A dam Theodoro, qui post prædictam Synodum factus Patriarcha Constantinopolitanus deleuit nomen suum è numero damnatorum per 6. Synodum generalem, & ex odio concepto aduersus sedem Apostolicam, meruit nomen Honorij. Honorius autem secunda sua epistola solummodò prohibuit modum loquendi, vt hac ratione schisma illud sopiretur, & ne videretur fauere Nestorianis, qui ex duplici natura & voluntate in Christo Domino colligebant duas etiam in eo fuisse voluntates. V.

Tandem, ad id quod Monothelitæ vrgent operationem Christi Domini appellari à S. Dionysio & nonnullis alijs θεανδρικὴν, seu Dei-virilem, respondetur, negando eos sic eam vocare ad sensum quem Monothelitæ præmendunt: nam isto sensu est condemnata in Concil. Lateranensi sub Martino I. consult. 5. canone 16. sed duplici

B sensu eòque Catholico admittitur: prior est, quòd actiones voluntatis animæ Christi Domini & aliarum eius potentiarum ita exercebantur per humanitatem, vt tamen essent saltem *denominatiuè à supposito Verbi diuini*, tanquam *eas sustentante*, & illis conferente valorem infinitum. Vnde quia vt sic vna eadémque operatio tribuitur & naturæ humanæ & supposito diuino Verbi secundùm diuersam considerationem, fit vt quæhibet talis operatio Christi Domini rectè dicatur θεανδρικὴ, seu Dei-virilis. VI.

Sed, licèt sensus iste sit verus & bonus, non est tamen is, quem Patres intendunt, dum aliquas speciales actiones Christi Domini vocant θεανδρικὰς seu Dei-viriles: sed posterior, quem S. Damascenus lib. 3. de fide Orthodoxa cap. 19. habet, nimirùm, quia in aliqua operatione Christi

C Domini reluceret aliquid proprium naturæ diuinæ ortum ex voluntate diuina, item reluceret aliquid proprium naturæ humanæ ortum ex voluntate humana, ideò talis eius operatio θεανδρικὴ, seu Dei-virilis vocabatur, exempli gratia, quando Christus Dominus tangendo sanabat leprosum vel alium aliquo alio morbo laborantem, ibi erat aliquid proprium humanitatis, nimirùm contactus leprosi vel alterius ægrotantis, erat etiam aliquid proprium ipsius diuinitatis, nimirùm curatio morbi, ad quam efficiendam humanitas tanquam instrumentum concurrebat: hæc ergo operatio erat actio θεανδρικὴ, quia aliquid diuinum & aliquid humanum habebat, non quòd cõfunderet voluntates & operationes, sed quòd demõstraret mirificam & gloriosam illarum vnitionem, vt cit. Lateranense Concil. loquitur citato canone 15. id est, concursum in idem opus faciendum. Vnde S. Damascenus loco nunc citato ita ait, *Nihil aliud actio* θεανδρικὴ *significat, quàm quod Deo, viro effecto, id est incarnato, humana quoque ipsius actio diuina erat, id est deitate perfusa, nec diuina ipsius actionis expers: rursusque diuina ipsius actio humanæ ipsius actionis haud expers: verùm vtraque cum altera conspirabatur.* Hactenus S. Damasc. Hinc S. Leo epist. 10. cap. 4. loquens de Christo D. habente duas naturas in vna & eadem persona, ita scribit, *Agit vtraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo nimirum operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est.* Hinc Puchymita suâ paraphrasi in epist. 4. S. Dionysij ad Caium, conformiter ad hanc explicationem, ait S. Dionysium ibi τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν, id est, hanc miscellaneam operationem, vocare θεανδρικὴν, id est, Dei-virilem. D VII. VIII.

I. Cæterùm, modus iste posterior explicandi hanc operationem distinguitur à priori: quòd prior conueniat omnibus actionibus Christi Domini, cùm omnes, nulla excepta, sint ab eius humanitate vt suppositata: posterior autem tantùm conueniat miraculosis, in quibus exercendis vnaquæque istarum naturarum operatur quod suum est, vt sanctus Leo relatus loquitur.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm voluntas humana efficax Christi Domini fuerit omninò conformis diuinæ voluntati.

NOTANDVM primò est duplicem distingui conformitatem voluntatis creatæ cum diuina ex parte obiecti, quemadmodum colligitur ex primâ secundæ, quæstione 18. articulo 10. vnam esse *in volito materiali*, nimirùm quando humana voluntas idem vult, quod Deus vult: alteram *in volito formali*, quando nimirùm illud idem quod vult sub eadem ratione & propter eamdem causam vult, propter quam Deus illud obiectum vult.

II. Notandum secundò, volitiones esse in duplici differentia, alias esse *absolutas, & efficaces*, *alias inefficaces*: illæ dicuntur *efficaces* & absolutæ, quæ dicunt ordinem intrinsecum ad executionem: illæ *inefficaces*, quæ consistunt in nuda quadam complacentia vel displicentia obiecti, cuiusmodi est in mercatore tempore tempestatis voluntas saluandi suas merces, quas tamen pro vitando periculo naufragij proiicit in mare.

III. Notandum tertiò, aliquas fuisse in Christo Domino volitiones huius vtriusque generis: prioris quidem, quando volens mori pro nobis prodiit obuiam quærentibus se ad mortem: posterioris item generis, vt quando sancti Matthæi 26. capite dixit, *Pater si possibile est, transeat iste calix à me*: nam verbis istis significat affectum, sine ordine tamen ad executionem, sic enim subiungit, *verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

Neque actus huius posterioris generis arguunt imperfectionem in Christo Domino, quin potiùs ostendunt veritatem humanitatis eius, & quòd effectum non consequantur, non prouenit ex aliqua impotentia Christi, sed cùm Filius Dei assumpsisset humanitatem in carne passibili pro nobis redimendis, Deus autem hæc & illa postularet ab eo in pretium nostræ redemptionis, ille pro sua singulari prudentia & sapientia ea non voluit efficaci voluntate, nec ad eorum

IV. complementum adhibuit media, quæ obiecta istarum volitionum producerent efficaciter, vt ipsemet testatus est S. Petro volenti illum defendere contra Iudæos, *Possum*, inquit, *rogare Patrem, & dabit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum.* His ita prænotatis,

Sit hæc nostra propositio. *Volitio creata Christi Domini absoluta & efficax semper fuit conformis diuinæ volitioni tam in volito materiali, quàm in formali.* Ita sanctus Thomas hîc art. 5. & omnes Theologi communiter. Probatur prior pars, quę est de obiecto materiali. Voluntas absoluta & efficax nunquam fertur in impossibile cognitum vt impossibile, ex communi doctrina Philosophorum: atqui anima Christi Domini per scientiam tam beatam quàm infusam per se sciebat Deum efficaci voluntate nolle hoc & illud obiectum, exempli causâ, reparationem dæmonum à statu damnationis ad statum salutis & gloriæ, & hoc esse impossibile, ex suppositione, quòd Deus absolutè decreuerit eos damnare in æternum, cùm tale decretum sit immutabile: nam per hanc vtramque scientiam probè nouerat singula, quæ spectant ad diuinam scientiam visionis, vt docuimus agendo de hac vtraque scientia: ergo voluntas animæ Christi Domini nunquâ ferebatur vel ferri poterat volitione efficaci in aliquod obiectum à Deo actu efficaci voluntatis nolitú: & proinde voluntas animę Christi Domini, quoad volitiones efficaces, semper erat conformis diuinæ in volito materiali: si tamen humanitas Christi Domini destituta fuisset scientia eorum, quæ Deus efficaciter volebat, tunc potuisset esse ei difformis in volito materiali, sicut plerumque contingit in viris eximiæ sanctitatis, qui ex defe-

B ctu talis scientiæ, volunt aliquid efficaciter, quod tamen Deus non vult, verbi gratiâ, prorogationem longioris vitæ amico, cui tamen Deus vult finem vitæ. VI.

Obiicies. Christus Dominus constitutus in mediis cruciatibus poterat cõsiderare solùm naturæ suæ incommodum, non attendendo actu ad diuinam ordinationẽ, vel ad hominum vtilitatẽ ex suis cruciatibus prouenientem: ergo tunc poterat absolutè & actu efficaci nolle istos cruciatus, sicq; habere actum efficacẽ creatæ voluntatis difformẽ volitioni diuinæ in volito materiali.

Respondetur, Christum Dominum non potuisse vti hac præcisione per cognitionem beatificam, cùm hæc fiat necessariò, & obiecta cognoscantur per illam qualia sunt, & repræsententur per diuinam essentiam: vnde ex tali cognitione non potuit moueri ad absolutè & effi-

C caciter nolendum pati istos cruciatus. VII.

Deinde, si agatur de scientia infusa per se, respondetur, obiectum aliquod posse duobus modis considerari, *vel merè speculatiuè*, & sine vllo ordine ad electionem, *vel practicè*, seu in ordine ad aliquam electionem prudenter faciendam. Iam esto, intellectus animæ Christi D. beneficio scientiæ infusæ per se posset considerare suos cruciatus merè speculatiuè, præscindendo ab illa ordinatione, qua Deus decreuerat *eum sic pati pro nobis, & ita intrare in suam gloriam*: non poterat tamen illos considerare practicè, & in ordine ad aliquam prudentem electionem absq; eo, quòd essent à Deo ordinati, & multùm profuturi toti humano generi: nam prudens electio, qualis fuit quælibet Christi Domini electio, postulat fieri cum singulari & attenta consideratione eorum

D omnium, quæ pertinent ad obiectum intentum, VIII. posúntque cognosci ab ipso volente seu intelligẽte. Vnde cùm Christus D. posset per hanc scientiam infusam per se attẽdere ad diuinã illam ordinationem de suis cruciatibus, & ad eximias illas vtilitates, quæ ex iis aduenerunt toti mundo, essétque ardentissimæ & perfectissimæ charitatis erga nos, non potuit absoluto & efficaci actu voluntatis nolle istos cruciatus.

Probatur posterior pars, quæ procedit de volito formali. Primò ex eo quòd S. Ioannis cap. 4. Christus Dominus ait, *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me*, & apud eumdem sanctum Ioannem capite octauo. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Deinde probatur ex VI. Synodo actio. 4. & 17. in definitione fidei, vbi hæc conformitas humanæ voluntatis Christi Domini ad diuinam voluntatem definitur.

I. Tertiò, quia quælibet Christi Domini voluntas seu volitio efficax & absoluta habuit id omne, quod est sibi necessarium vt sit honesta, aliàs enim peccatum aliquod fuisset in Christo Domino: atqui conformitas in volito formali ad diuinam voluntatem est necessaria in omni volitione honesta, vbi voluntas diuina innotescit volenti, vt docent Theologi communiter cum S. Thoma 1. 2. quæst. 18. & voluntas Dei circa agenda & non agenda per Christum ei innotescebat, vt intelligitur ex dictis de multiplici eius scientia: ergo omnis & quælibet volitio efficax & absoluta animæ Christi Domini habuit conformitatem in volito formali cum absoluta & efficaci voluntate Dei.

ARTICVLVS V.

Vtrùm voluntas humana inefficax Christi Domini fuerit conformis diuinæ voluntati.

II. SIT hæc prima nostra propositio. *Humana volitio inefficax Christi Domini fuit difformis diuinæ volitioni in volito materiali, seu in re volita.* Ita S. Thomas hac quæst. art. 5. & omnes communiter. Probatur ex illo Christi Domini apud S. Matth. cap. 26. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: quem actum esse inefficacem hæc particula ostendit, *verumtamen*, quæ non est correctiua huius præcedentis, *transeat à me calix iste*, quasi imprudenter & contra rectam rationem prolatæ, hoc enim dicere est blasphemum, cùm istæ motiones & affectus in Christo Domino non potuerint præuenire rationem, vt docuimus agendo de illis: sed prædicta particula est tantùm *explicatiua* illius perfectionis Christi Domini, qua præponit diuinam voluntatem suo desiderio, vt S. Chrysost. obseruat homil. 83. in S. Matth. *Sublimem*, inquit, *admirabilis Philosophia veritatem tradidit, cùm exemplo nos doceat, etiam naturam abhorrentem, & renitentem, Deum esse sequendum.*

III. Secunda propositio. *Licèt humana voluntas Christi Domini in plerisque non esset conformis diuinæ voluntati in volito materiali, quoad actus inefficaces, nihilominùs tamen actus isti inefficaces erant semper conformes voluntati diuinæ in volito formali.* Ita S. Thomas hac quæst. art. 6. in responsione ad primum, & facilè probatur ex dictis. Tunc aliqua voluntas censetur esse conformis diuinæ in volito formali, quando obiectum est ab ea volitum sub ea ratione, qua est volitum à Deo, ex primo nostro notabili: atqui obiecta istorum actuum inefficacium humanæ voluntatis Christi Domini erant ab eo volita vel nolita, quatenus præcisè erant conuenientia, vel disconuenientia suæ naturæ, vt patet ex dictis, & Deus velit humanam Christi voluntatem refugere obiecta illa nolita sub hac ratione, vt sic Christus Dominus appareret verus homo, verè habere naturales nostras passiones, corpus verè & propriè passibile, item ad maiorem tristitiam in eo excitandam, & acerbiorem passionem pro nobis sustinendam: ergo humana voluntas Christi Domini, licèt istis actibus inefficacibus esset difformis à diuina in volito materiali, nihilominùs tamen semper erat ei conformis in volito formali.

IV. Confirmatur. Eadem est conditio humanæ voluntatis Christi Domini vt viatoris, ac beatorum fruentium visione beatifica, quoad ea, quæ præcisè possunt compari cum statu beatitudinis, quia Christus Dominus adhuc mortalis erat etiam comprehensor, vt ostendimus: atqui Beati regnantes cum Christo Domino ante vniuersalem resurrectionem habent aliquas volitiones inefficaces, & nihilominùs manent semper, etiam quoad eiusmodi volitiones, conformes diuinæ voluntati in volito formali, vt significatur 6. cap. Apocal. ergo pari iure humana voluntas Christi Domini, licèt haberet inefficaces actus difformes diuinæ volitioni in volito materiali, non tamen desinebat semper ei esse conformis in volito formali, etiã respectu eiusmodi obiectorũ.

V. Atque hinc intelligitur, quomodo actus illi, licèt discrepantes à diuina voluntate in volito materiali, essent nihilominùs conformes rectæ rationi. Nam ad id sufficit, quòd sint ex aliquo honestò motiuo circa obiectum honestum, sintque conformes volitioni diuinæ in volito formali, vel etiam in genere causæ efficientis, quatenus voluntas creata vult quod Deus efficaciter vult eã velle, vt Theologi citato loco primâ secundæ ostendunt: at ex dictis patet hæc omnia habuisse locum in actibus voluntatis animæ Christi Domini: ergo omnes illi actus erant conformes rectæ rationi: & quia fiebant cum plena aduertentia rationis, vt suprà notauimus, & à Christo Domino adhuc viatore, erant etiam meritorij.

ARTICVLVS VI.

Quinque consectaria traduntur.

VI. EX dictis nonnulla sequuntur corollaria. Primum est, *voluntatem sensualitatis* fuisse etiam in Christo Domino, quatenus hoc nomine appetitus sensitiuus, vt tendens in bonum sensibile, & refugiens contrarium, intelligitur, quemadmodum sanctus Thomas hîc articulo 2. accipit hunc terminũ, *voluntas sensualitatis*: hîc enim vidimus Christum Dominum appetisse bonum sensibile, & malum ei contrarium refugisse, verbi gratiâ, conseruationem vitæ, & fugam mortis, & nos suprà ostendimus in eo verè & propriè fuisse appetitum sensitiuum, cùm hic pertineat ad integritatem hominis: si tamen nomine *voluntatis sensualitatis*, velit quis intelligere appetitum sensitiuum, vt inclinantem ad aliquid contrarium rectæ rationi, tunc talis voluntas non fuit in Christo Domino, sic enim fomes peccati esset in illo, & ipsemet Christus Dominus esset peccabilis, quod vtrumque ostendimus esse falsum.

VII. Secundò, quòd licèt voluntas animæ Christi Domini sit vnica *in ratione potentiæ*, attamen *in ratione actus*, fuisse duplicem, seu habuisse duo genera actuum, vnum circa finem, vt est intentio, alterum circa media, cuiusmodi est electio, sicque habuisse voluntatem tam vt est *natura*, quàm vt est *voluntas*, quemadmodum eam plerique Theologorum distinguunt cum sancto Thoma hîc art. 3. siue nomine *voluntatis*, vt est *natura*, intelligatur volitio finis, & nomine *voluntatis*, vt est *voluntas*, intelligatur volitio mediorum, vt hanc distinctionem explicat sanctus Thomas hîc, siue etiam priori nomine intelligatur voluntas, quæ respicit *commodum & vtilitatem naturæ*, sub præcisa ratione commodi, non considerando aliam rationem, & nomine posterioris voluntatis intelligatur illa

VIII.

I. voluntas, quæ respicit id, quod *secundùm rationem est bonum* consideratis omnibus circumstantiis, quomodo alij hanc distinctionem voluntatis explicant: cùm enim efficaces actus humanæ voluntatis Christi Domini fuerint conformes diuinæ voluntati, tam in volito materiali, quàm in formali, illique fuerint perfectissimi, licut & eius potentia, debuit eius voluntas etiam hos vtrosque actus habere, item cùm refugeret mortem, provt illa est aliquod malum naturæ, & illam provt cedebat in maximum nostrum bonum ardentissimè concupierit, & appetierit fortiter, habuit etiam voluntatem, tam *vt est natura*, quàm *vt est voluntas*, iuxta vtramque expositionem huius distinctionis.

Sequitur tertiò, similiter esse verum, quod S. Thomas art. 5. ait, Christum Dominum per voluntatem sensualitatis voluisse aliquid, quod
II. Deus non volebat, licèt per voluntatem, vt voluntas est, semper voluerit id, quod omninò Deus volebat: id enim tantùm significat voluntatem Christi Domini non semper fuisse conformem voluntati diuinæ in volito materiali quoad actus inefficaces, quoad efficaces tamen fuisse semper illi in vtroque volito conformem.

Sequitur quartò, nullam fuisse contrarietatem voluntatum in Christo Domino, quod etiã est de fide ex Concilio Lateranensi sub Martino I. can. 12. & ex 6. Synodo actione 4. & 8. nam contrarietas voluntatum propriè in eo consistit, vt quod placet vni sub aliqua ratione, illud idem sub eadem ratione displiceat alteri voluntati, quod vocant *dissentire in volito formali*: atqui id non habet locum in Christo Domino, nam ex nostra propositione quarti articuli, efficax volitio Christi Domini semper fuit conformis in vtroque volito, formali nimirum & materiali, diuinæ voluntati, & ex propositione quinti articuli, inefficax volitio animæ Christi Domini semper fuit conformis diuinæ voluntati: ergo nulla
III. fuit contrarietas voluntatum in Christo Domino. Explicatur amplius, *volo & nolo* sunt contraria: atqui hæc non fuerunt in Christo Domino circa obiectum, sed tantùm *volo & nollem*, *nolo & vellem*, quibus particulis, *nollem*, *& vellem*, explicantur actus inefficaces, sicut istis, *volo & nolo*, efficaces: & hæc duo, *nollem & vellem*, non sunt propriè contraria, quia etiam ordinariè se inuicem compatiuntur, vt videre est in mercatore proiiciente merces tempore tempestatis, quas tamen vellet conseruare.

Sequitur vltimò, omnem & quemlibet actum humanæ voluntatis Christi Domini perfectissimè efficacem fuisse semper adimpletum: Chri-
IV. stus enim Dominus per talem actum volebat solummodò id, quod Deus vult & intendit efficaciter, quia talis eius volitio semper erat conformis diuinæ, ex dictis articulo quarto: atqui id omne, quod Deus hoc modo vult, semper impletur, vt sacræ Scripturæ passim testantur, & omnes Scholastici docent primâ parte: ergo & quilibet actus humanæ voluntatis Christi Domini perfectissimè efficax semper fuit adimpletus, & pro hoc Corollario facit illud S. Augustini. lib. 2. quæst. veteris & noui Testamẽti quæst. 77. *impossibile est, vt saluatoris voluntas non impleatur.*

Addidi hanc particulam, *perfectissimè*, quia Christus Dominus legitur S. Marci 7. *ingressus*
A *domum voluisse latere, nec tamen potuisse*, quatenus hæc eius voluntas non fuit perfectissimè efficax, cùm ad id non adhibuerit omne medium ad id absolutè efficax, & sibi absolutè & simpliciter consideratо possibile, quemadmodum iam animaduertimus quæst. 17. huius partis, agendo de executione omnipotentiæ Christi Domini. V.

DISPVTATIO II.

De libertate Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm humana voluntas Christi Domini sit libera.

B VI. SIT hæc nostra propositio. *Humana voluntas Christi Domini in iis actibus, in quibus ipse operatus est nostram salutem, fuit maximè libera.* Propositio vt iacet est de fide, Isaiæ septimo capite, *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum*: atqui electio est actus liberi arbitrij, vt Philosophi communiter docent in Ethicis, & Theologi primâ secundæ: item Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*, S. Ioannis 10. Christus Dominus loquens de morte, quam pro nobis passus est, ita ait, *Ego pono animã meam, & nemo tollit eam à me, sed eam pono à meipso*: quibus verbis docet esse in sua potestate animam suam ponere eo momento, quo ipse videbitur, nec vlla vi eam posse sibi extorqueri, vt sanctus
C VII. Chrysostomus docet homil. 59. in S. Ioannem. Probatur etiam ratione. Vbicumque est vera, integra & perfecta natura humana, ibi verè & propriè est liberras correspondens tali naturæ, quia hæc est vna ex proprietatibus & perfectionibus humanæ naturæ, vt docent Philosophi in Ethicis, & Theologi primâ secundæ: atqui ex Conciliis suprà citatis tam contra Eutychetem, quàm contra Monothelitas, duæ sunt naturæ integræ, perfectæ, vna diuina & altera humana: ergo in humana voluntate Christi Domini verè & propriè est liberras.

Probatur secundò. Verbum diuinum assumendo humanitatem, simul etiam assumpsit perfectiones eius, quæ nullam habent indecentiam vel oppositionem cum mysterio Incarnationis, vel eius fine, vt sæpè inculcauimus: atqui
D VIII. libertas est perfectio naturæ humanæ carens indecentia, hæc enim est in beatis Angelis & hominibus, imò & in Deo reperitur, vt fides docet, nec habet repugnantiam cum subsistantia mysterij Incarnationis, quia non est propria subsistentia humanitatis, nec impedit existentiam humanitatis in Verbo tanquam *in sustentante*, nec item repugnat eius fini, qui in carne passibili est nostra redemptio, quin potiùs confert ad illam, cùm hæc sit facta per actus satisfactorios & meritorios Christi Domini, qui sine libertate esse nó possunt; vnde sanctus Augustinus epist. 46. ait, *nullam posse esse obedientiam sine libero arbitrio*: ergo Christus Dominus assumpsit humanitatem habentem liberum arbitrium.

I.

ARTICVLVS II.

Quâ libertate anima Christi Domini fuerit libera.

VT definiamus quænam sit libertas voluntatis animæ Christi Domini, notandum est ex Aristotele libro 3. Ethic. cap. 3. & 4. *duplicem* distingui *libertatem*, sumpto nomine libertatis in ampla significatione: vnam quæ opponitur *coactioni*, secundùm quam ea dicuntur etiam libera, & fieri liberè, quæ tametsi necessariò fiant, nec possint non fieri, fiunt tamen *sponte*, & *voluntariè*: quo sensu Pater in diuinis dicitur à Scoto generare Filium liberè, id est voluntariè, spontaneè, & absque coactione. Altera *libertas* ea est, secundùm quam ea dicuntur esse libera,

II. quæ pro nostro arbitrio *possumus velle, & nolle*, B siue etiam *velle, & non velle*, quomodo dicimur liberè tacere, & liberè sedere, quomodo possumus loqui & ambulare. Prior libertas dicitur *libertas à coactione*, quia opponitur coactioni, eâmque excludit. Posterior appellatur *libertas à necessitate*, quia ei opponitur, & eam excludit.

Aliqui Scholastici referuntur admittere tantummodò priorem libertatem in humana voluntate Christi Domini asserentes eam sufficere ad meritum: sic Marsilius in tertium sententiarum quæstione 18. Gabriel & alij apud Suarem, hîc disput. 37. sect. 2. His tamen non obstantibus,

Sit hæc prima nostra propositio: *Libertas humanæ voluntatis Christi Domini non est tantùm libertas à coactione, sed etiam à necessitate.* Hæc propositio ita est certa, vt sanctus Thomas in C

III. quæstionibus disputatis de malo quæstione sextâ, articulo primo, dicat opinionem contrariam nostræ propositioni esse *hæreticam*: & quia non tantùm contrariatur fidei, sed subuertit omnia principia Philosophiæ moralis, esse annumerandam *inter opiniones extraneas Philosophiæ*. Nec obstat quòd sanctus Thomas ibi agat de libero arbitrio hominis, non autem in particulari de libertate Christi Domini: cùm enim Christus Dominus sit homo eiusdem speciei nobiscum, & assumpserit proprietates humanæ naturæ, vt suprà ostendimus, quod illis conuenit, nec habet aliquam indecentiam, vel etiam repugnantiam ad subsistentiam, aut finem Incarnationis, quale est liberum arbitrium, vt præcedenti articulo ostendimus, debet etiam ei conuenire, quoad

IV. præcisam & essentialem suam rationem: ergo si opinio opposita nostræ propositioni intellecta de libero arbitrio hominum est hæretica in fide, D & extranea in Philosophia, illa etiam intellecta de libertate Christi Domini vt hominis debet talis iudicari.

Et potest amplius confirmari: omnes hæretici etiam nostri temporis, qui damnati sunt ab Ecclesia, eo quòd negarent liberum arbitrium, non inducunt coactionem, sed solummodò necessitatem, & nihilominùs condemnantur: nam Caluinus, passim & eius sectatores apertè concedunt, omnes homines exercere suas actiones sponte & non coactè; & tamen hæc eorum doctrina damnatur hoc solo titulo, quòd inducat necessitatem: ergo si voluntas Christi Domini haberet necessitatem in operando, licèt non cogeretur, sed ageret spontaneè & voluntariè, non esset verè & propriè libera, quod est hæreticum:

A ergo humana voluntas Christi Domini debet esse libera, libertate non tantùm à coactione, sed etiam à necessitate.

V.

Hæc nostra propositio probatur. Christus Dominus debet secundùm humanam voluntatem esse liber eâ libertate, quæ necessaria est ad satisfactionem & meritum, non autem solâ illâ, quæ opponitur satisfactioni & merito, quæque vtrumque hoc destruit, quia Christus ipse satisfecit pro nobis, vt ostendimus ad primam quæstionem huius partis, & multa nobis promeruit, vt ostendemus ad sequentem quæstionem. Ad rationem autem meriti & satisfactionis libertas requiritur, vt docent omnes Theologi agendo de illis, & ipsimet morales Philosophi dum agunt de actibus humanis, vt laude, præmio, vel vituperio, aut aliqua pœna dignis: atqui sola libertas opposita coactioni non sufficit ad satisfactionem & meritum, quia hæc compatitur secum necessitatem in operando, vt videre est in

VI. brutis, imò in Deo, quoad diuinas processiones Filij & Spiritus sancti: sed libertas simpliciter & absolutè requisita ad satisfactionem & meritum est *libertas à necessitate*, seu opposita necessitati, eâmque excludens, vt Patres expresè tradunt: sanctus Hieronymus libro secundo contra Iouinianum, sic dicens, *Vbi necessitas, ibi nec corona.* S. Damascenus libro secundo de fide orthodoxa cap. 7. *Quod necessitate fit, nec vitij, nec virtutis nomen obtinet.* Vnde duæ illæ propositiones, *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit*: & *sola violentia repugnat libertati hominis*, sunt condemnatæ à Pio V. & Gregorio XIII. summis Pontificibus: ergo Christus Dominus secundùm humanam voluntatem fuit liber *libertate à necessitate*, seu excludente necessitatem, & non tantùm *libertate à coactione*. Probatur secundò ex iis omnibus, quæ attulimus

VII. in confirmationem propositionis articuli præcedentis.

Secunda propositio. *Libertas ea contrarietatis, quæ est in nobis ad faciendum malum, reiecto bono, non fuit in Christo Domino.* Propositio est certa eodem gradu certitudinis, quo ipsa impeccabilitas humanæ voluntatis Christi Domini, de qua suprà diximus. Vt intelligatur propositio, & antequam probetur,

Notandum est primò distingui duplicem libertatem à Philosophis & Theologis: *vnam contradictionis*, quæ est quando vno tantùm nobis proposito, possumus acceptare illud, vel reiicere: alteram *contrarietatis*, quæ est quando duobus, vel pluribus nobis propositis, possumus vnum seligere, & relinquere alterum.

VIII. Notandum secundò, hanc libertatem contrarietatis posse versari circa duo obiecta sibi inuicem contraria, quorum tamen neutrum habet aliquam malitiam, vt sunt ambulare, sedere, stare, & id genus cætera; vel circa duo obiecta, quorum vnum tantùm sit malum, vt amare proximum, odisse proximum. Iam nostra hæc propositio procedit tantùm de libertate contrarietatis sumpta hoc posteriori modo: quæ his præmissis,

Probatur ex dictis de impeccabilitate humanæ voluntatis Christi Domini. Quidquid in præciso & formali suo conceptu importat peccabilitatem, seu potentiam peccandi, item esse peccabilem, illud non fuit in Christo Domino, nec in eius humana voluntate, quia alias deberet esse peccabilis secùdùm hanc voluntatem, quod

I. suprà ostensum est, esse falsum: atqui hæc libertas contrarietatis ad faciendum malum importat in suo præciso & formali conceptu peccabilitatem, seu potentiam peccandi, & esse peccabilem, quia dicit actiuam indifferentiam voluntatis, quâ potest amplecti malum, seu peccatum: ergo hæc libertas contrarietatis, prout est ad obiectum malum, non fuit in humana voluntate Christi Domini.

Neque propterea humana voluntas Christi Domini fuit minùs libera, quàm sint voluntates purorum hominum: quia, vt rectè ait S. Thomas in quæstionibus disputatis de veritate quæstione 22. art. 6. *Velle malum non est libertas, nec pars libertatis, quamuis sit quoddam signum libertatis, sed posse velle malum habet se per accidens ad rationem libertatis*: quatenùs nimirùm illa sunt in natura defectibili, quemadmodum idem sanctus Thomas tradit in quæstionibus disputatis de
II. malo, quæstione 16. articulo 8. in corpore, & primâ parte quæstione 62. articulo 8. in solutione ad tertium ait, *ad essentiam libertatis pertinere posse eligere diuersa, seu opposita: at aliquid eligere, diuertendo ab ordine finis, seu peccando*, pertinet ad defectum libertatis: & patet in Deo & Beatis, qui sunt liberi, nec tamen possunt peccare. Quare cùm proprietates naturæ humanæ sint assumptæ à Verbo perfectæ, & hæc electio mali obiecti non faciat ad essentiam libertatis, sed importet defectum eius, voluntas humana Christi Dominifuit perfectissimè libera, absque eo quòd haberet libertatem contrarietatis ad malum.

A peccabilis, vt fusè docuimus ad quæstionem decimam-quintam primæ disputationis: ergo voluntas animæ Christi Domini non fuit propriè libera circa vnumquodque præceptum sibi impositum, etiam in particulari sumptum. V.

Confirmatur. Quicunque ratione alicuius sibi intrinsecè est incapax violandi aliquod præceptum, censetur adimplere illud necessariò, seu ex necessitate, & proinde non liberè, libertate oppositâ necessitati, quia per principium illud sibi internum determinatur absolutè & simpliciter ad obseruationem illius, itavt facere oppositum ei implicet: atqui Christus Dominus vt homo, ratione vnionis hypostaticæ sibi intrinsecæ, est incapax violandi aliquod præceptum sibi à Deo impositum, quia est intrinsecè impeccabilis: ergo Christus Dominus non liberè, sed necessariò adimpleuit vnumquodque præceptum
B sibi impositum; sicque ratione impeccabilitatis VI.
sibi conuenientis intrinsecè non fuit liber in obseruatione præceptorum.

Et hæc tota difficultas potest in particulari vrgeri circa illud præceptum, quod Christus Dominus habuit de subeunda morte pro nobis redimendis, an & quomodo talis eius actus singularis obedientiæ fuerit liber, cùm nullam videatur habere indifferentiam circa illum, sed potiùs intrinsecam determinationem, ratione impeccabilitatis sibi intrinsecæ.

Conuenunt omnes Scholastici obseruationem huius præcepti, & etiam aliorum fuisse liberam Christo Domino, cùm per illam nos redemerit, nobis multa dona supernaturalia, & sibi exaltationem nominis promeruerit, vt sacræ Scripturæ passim testantur, Patres & Concilia, vbi agunt de nostra redemptione, & aliis ad eam
C spectantibus. VII.

Articvlvs III.

Vtrùm Christus Dominus fuerit liber in obseruatione præceptorum, & quomodo eius libertas stet cum impeccabilitate, & status difficultatis aperitur.

III. HActenvs ostendimus humanam voluntatem Christi Domini fuisse liberam, tam libertate contradictionis, quàm contrarietatis circa obiectum non malum; nunc deuenien-dum est ad particularia, & inquirendum, in quibus actibus habuerit exercitium suæ libertatis.

Prima difficultas est circa præcepta illi imposita, & nascitur ex ipsa eius impeccabilitate. Hîc autem supponendum est primò, aliqua præcepta fuisse imposita Christo Domino, tanquam homini, & illum vt hominem fuisse subiectum aliquibus legibus: exempli gratiâ, iuris naturæ, tam ordinis naturalis, quàm supernaturalis, quem-admodum ostendemus infrà ad quæstionem vi-
IV. gesimam.

Supponendum est secundò ex prima secundæ, & ex Philosophis in Ethicis, libertatem consistere in indifferentia ad agendum, vel non agendum, positis omnibus ex parte principij ad agendum prærequisitis: sic autem præsens difficultas formatur. Vbi voluntas est determinata ad hoc bonum in particulari, itavt intrinsecè implicet eam velle oppositum, ibi non est libertas, respectu talis boni, quia hæc determinatio intrinseca voluntati tollit ab ea indifferentiam ad oppositum: atqui voluntas animæ Christi Domini est determinata ad vnumquodque præceptum sibi impositum etiam in particulari, itavt implicet eam velle oppositum eiusmodi præceptorum, quia vi vnionis hypostaticæ est intrinsecè im-

Confirmatur. Quicunque ratione alicuius sibi intrinsecè est incapax violandi aliquod præceptum, censetur adimplere illud necessariò, seu ex necessitate, & proinde non liberè, libertate oppositâ necessitati, quia per principium illud sibi internum determinatur absolutè & simpliciter ad obseruationem illius, itavt facere oppositum ei implicet: atqui Christus Dominus vt homo, ratione vnionis hypostaticæ sibi intrinsecæ, est incapax violandi aliquod præceptum sibi à Deo impositum, quia est intrinsecè impeccabilis: ergo Christus Dominus non liberè, sed necessariò adimpleuit vnumquodque præceptum sibi impositum; sicque ratione impeccabilitatis sibi conuenientis intrinsecè non fuit liber in obseruatione præceptorum.

Et hæc tota difficultas potest in particulari vrgeri circa illud præceptum, quod Christus Dominus habuit de subeunda morte pro nobis redimendis, an & quomodo talis eius actus singularis obedientiæ fuerit liber, cùm nullam videatur habere indifferentiam circa illum, sed potiùs intrinsecam determinationem, ratione impeccabilitatis sibi intrinsecæ.

Conuenunt omnes Scholastici obseruationem huius præcepti, & etiam aliorum fuisse liberam Christo Domino, cùm per illam nos redemerit, nobis multa dona supernaturalia, & sibi exaltationem nominis promeruerit, vt sacræ Scripturæ passim testantur, Patres & Concilia, vbi agunt de nostra redemptione, & aliis ad eam spectantibus.

Articvlvs IV.

Sex modi explicandi hanc doctrinam referuntur, & refelluntur.

SED tota difficultas est: conciliandaChristi Domini impeccabilitate cum prædicta eius libertate circa obseruationem vniuscuiusque præcepti etiam in particulari.

Primus modus est, nullum præceptum strictè & propriè dictum fuisse impositum Christo Domino vt homini: sic Lorca hac parte, disputatione 73. ait Christum Dominum non habuisse præceptum propriè & rigorosè dictum de morte subeunda pro nobis, sed simplicem insinuationem diuinæ voluntatis, quæ non inducit ob-
D ligationem, vel necessitatem, sed semper relin- VIII.
quit indifferentiam in voluntate agendi, absque eo quòd ex omissione eiusmodi actus peccatum aliquod, vel violatio legis, aut præcepti sequatur.

Sed modus iste refellitur: nam imprimis ostendemus infrà Christum Dominum habuisse præceptum de morte subeunda pro nobis. Deinde etiamsi illud non habuisset, adhuc tamen in sententia ipsius Lorcæ Christus Dominus fuit subiectus aliquibus præceptis, seu legibus iuris naturæ, tam ordinis naturalis, quàm supernaturalis, per quarù obseruationem meruit, & proinde tunc habuit vsum libertatis: exempli causâ, succurrendo extremæ necessitati proximorum egenorum, non tantùm spiritaliter, sed etiam corporaliter, vt quando tantam hominum mul-

I. titudinem in egestate positam satiauit in deserto: ait enim, *Misereor super hanc turbam, si dimisero eos ieiunos, deficient in via*, apud S. Matthæum 15. capite, & apud sanctum Marcum capite 8. Igitur quâ ratione, non obstante suâ impeccabilitate, obseruauit has leges ex plena libertate, ita & quodcunque aliud præceptum: vel si eius impeccabilitas non potest simul stare cum libera obseruatione præcepti propriè sumpti, tunc Christus Dominus locis nunc citatis non exercuit opus misericordiæ propriè dictæ, quod est tamen contra vim & proprietatem huius verbi ab illo prolati, *Misereor super hanc turbam.*

Addunt aliqui, Christum Dominum ex lege naturali fuisse obligatum mori pro nobis redimendis, posito tantùm ex vna parte desiderio Patris æterni sibi cognito, & ex altera parte positâ & sibi cognitâ extremâ necessitate totius humani generis, quòd ex rigore istud non poterat II. aliter redimi: lex enim charitatis obligat ad subueniendum proximo in extrema necessitate constituto, vbi potest illi facilè occurri, quemadmodum intelligitur ex his quæ Scholastici tradunt cum S. Thoma secundâ secundæ de præcepto charitatis.

Secundus modus respondendi est, præceptum moriendi pro nobis fuisse quidem datum Christo Domino, sed absque obligatione ad culpam, si illud non seruaret, & proinde Christum Dominum semper mansisse liberum mori, vel non mori pro nobis; nam authores illi volunt obligationem ad culpam non esse de essentia legis propriè dictæ, vt potest animaduerti in constitutionibus quarundam religionum, quæ non obligant ad culpam.

Sed modus iste non satisfacit; licèt enim obligatio ad culpam non sit de essentia legis purè III. pœnalis, vt patet ex proxima obseruatione, & Christus Dominus non potuerit obligari ad culpam, quia erat incapax illius committendæ; attamen poterat obligari ad excendum actum hoc vel illo præcepto sibi imposito contentum, quatenus obligatio legis, considerando legem præcisè, & abstrahendo ab hac & illa, intendit primò per se rem, seu actum quem præcipit, pœnam autem minimè, nisi secundariò, & consequenter, vbi subiectum est capax illius violandæ; & tunc vi talis præcepti non fuisset amplius ei liberum non exercere illum actum, nec impeccabilitas eius potuisset id compati, sed eum determinasset, & necessitasset ad non operandum, quod contrariatur tali præcepto.

Tertius modus respondendi est, præceptum IV. de morte subeunda pro toto genere humano redimendo fuisse impositum Christo Domino dependenter à liberâ eius acceptatione, sicque executionem illius fuisse ei tantùm necessariam ex aliqua suppositione liberè per eum posita.

Sed esto, id sit verum de hoc præcepto (qua de re infrà) hæc tamen solutio non potest applicari aliis præceptis, putà legis naturæ, quia sequuntur conditionem humanæ naturæ habentis liberum & expeditum vsum rationis & voluntatis, per quorum tamen præceptorum obseruationem aliqua bona nobis promeruit, in quibus proinde libertas eius tam benè defendi debet, quàm in illo præcepto moriendi pro nobis.

Quartus modus respondendi est quorundam recentiorum sancti Thomæ discipulorum, qui volunt ad operandum liberè sufficere iudicium, quo obiectum cognoscatur, & iudicetur non A habere ex sua ratione intrinseca connexionem necessariam cum ipso fine, itavt voluntas, quæ manente hoc iudicio operatur, etiamsi operetur necessariò, simpliciter tamen dicatur libera, ratione huius indifferentiæ, quæ secundùm illos sufficit ad rationem libertatis. V.

Sed facilè refellitur hæc responsio. Primò, ex his omnibus, quibus Theologi primâ secundæ docent, indifferentiam iudicij esse quidem radicem libertatis, non tamen formalem rationem eius, sed formalem rationem libertatis esse actiuam indifferentiam, quâ voluntas, suppositis omnibus ex parte principij ad agendum requisitis, est sic disposita, vt posit seipsam determinare ad agendum & non agendum, ad volendum & nolendum.

Deinde, ex eo quòd hæretici nostri temporis libenter admittant hanc indifferentiam iudicij: nam iudicant hoc & illud medium non esse absolutè necessarium ad assequendum finem vltimum, in quo sentiunt nobiscum, & nihilominùs VI. condemnantur, tanquam negantes libertatem propriè dictam esse in nobis: & Patres passim explicant nostram libertatem formaliter, non per iudicium de indifferentia ipsius medij ad finem, sed per id quod nimirùm possumus consentire, vel dissentire, quod est proprium voluntatis: sic Patres Tridentini sess. 6. Can. 4.

Tertiò. Libertas humanæ voluntatis Christi Domini non consistit formaliter in eo, quo remanente potest illa tolli, quia implicat aliquid esse sine sua formali ratione: atqui non implicat Deum facere, vt remanente in intellectu animæ Christi Domini iudicio & cognitione alicuius medij, vt indifferentis, seu vt non habentis necessariam connexionem cum vltimo fine, voluntas C tamen animæ Christi Domini amet necessariò III. tale medium, quia per efficaciam sui concursus VII. eam ita determinabit ad hoc medium, vt non sinat illam determinare seipsam ad aliud, sed de facto tantùm ad istud: ergo libertas humanæ voluntatis Christi Domini non consistit formaliter in tali indifferentia iudicij.

Atque rationes factæ contra hunc modum etiam militant contra istum alium, quem nonnulli recentiores afferunt pro solutione præsentis dubij, nimirum quamuis in voluntate animæ Christi Domini non esset libertas specificationis, & exercitij, attamen fuisse tertium quendam gradum libertatis, quem vocant *quoad modum*, ratione cuius actus Christi Domini fiebant modo libero, nimirum adeò suaui & cum tanto dominio in suos actus, ac si verè haberet indifferentiam, possétque non elicere actum. Iste, in- D quam, modus explicandi libertatem humanæ VIII. voluntatis Christi Domini refellitur ex dictis.

Primò, quia formalis effectus non potest communicari, nisi & causa formalis communicetur, cùm hæc sit ab isto inseparabilis, & nihil sit aliud, quàm ipsamet sui communicatio: atqui formalis ratio libertatis consistit in formali actiua indifferentia libertatis, quâ positis omnibus ad agendum ex parte principij requisitis, est disposita, vt posit seipsam determinare ad agendum, & non agendum, ad volendum & nolendum: quæ tamen indifferentia, iuxta hanc responsionem, non reperitur in Christo Domino exercente actus morales per creatam voluntatem.

Deinde, modus iste respondendi implicat contradictionem, scilicet actus istos fieri absque in-

I. differentia propriè dicta sese tenente ex parte voluntatis; & nihilominùs fieri cum tanto dominio in illos, ac si voluntas verè haberet indifferentiam. nam indifferentia humanæ libertatis est etiam respectu exercitij suorum actuum, & non tantummodò respectu terminationis eorum ad sua obiecta, cuiusmodi est indifferentia, quæ est propria libertati diuinæ: nec potest intelligi tale dominium volùtatis in suum actum spectatum secundùm substantiam, & sui exercitium, quin includatur actiua formalis indifferentia in voluntate, quæ illam constituat formaliter liberam, neque operari suauiter, & cum delectatione facit operationem sic exercitam liberam: nam & Beati vident Deum modo suaui & summa cum delectatione, nec tamen liberè, sed necessariò, vt habet communis doctrina Theologorum, & Deus Pater maximè

II. complacet sibi in generatione Filij sui æterni, quem tamen Scholastici omnes cum sancto Thoma primâ parte docent generari necessariò, non autem liberè, provt libertas opponitur necessitati.

Quintus modus respondendi est, voluntatem Christi Domini spectatam in sensu composito non fuisse liberam pro obseruandis præceptis: at in sensu diuiso fuisse liberam.

Sed hæc responsio non soluit difficultatem, quin potiùs significet Christum Dominum non obseruasse præcepta liberè, quia Christum Dominum in sensu composito non fuisse liberum pro obseruandis præceptis, nihil est aliud, quàm positis iam præceptis non fuisse liberum Christo Domino ea obseruare, sed antequam ponerentur fuisse ei liberum actus contentos in illis exercere, &

III. non exercere; sicque iuxta hanc sententiam Christus Dominus per actus præceptos spectatos formaliter non meruit, quod tamen est falsum.

Sextus modus respondendi est, simpliciter & absolutè loquendo, fuisse impossibile Christum Dominum non seruare præcepta, nihilominùs ea liberè obseruasse, quia ex parte potentiæ eius liberæ, seu voluntatis, nihil ponebatur, quod eam determinaret ad talem obseruationem, & proinde seipsam ad eam determinasse.

Sed neque modus iste satisfacit, nam humana voluntas Christi semper manet determinata ad obseruationem præceptorum, vt patet ex ratione difficultatis initio articuli propositæ, cui hæc solutio non satisfacit, cùm impeccabilitas adhuc insit voluntati Christi Domini, eius libertati non subiacens.

IV. Nec obstat, quòd hæc impeccabilitas nihil physicum influat in voluntatem Christi Domini, vel in eius concursum, aut actionem, nam vt aliquid tollat propriè libertatem ab aliqua voluntate respectu sui actus, vel obiecti, non requiritur absolutè, quòd physicè influat, vel aliquid realiter producat in potentia, quo determinetur ad vnum, sed sufficit quòd aliquid sit ei intrinsecum, seu intrinsecè inexistens, indè pendens ab eius voluntatis libertate, ratione cuius indifferentia, quæ formaliter & præcisè constituit libertatem, non reperiatur in illa, sic enim inducitur necessitas, quæ opponitur libertati: atqui impeccabilitas est aliquid intrinsecum humanæ voluntati Christi Domini, vt vnitæ Verbo diuino: Christus enim est impeccabilis ab intrinseco, hæcque impeccabilitas non subiacet eius libertati: ergo vt sic non manet ampliùs libera, respectu obseruationis præcepti sibi impositi. V.

Nec item obstat, quòd voluntas Christi Domini etiam vnita Verbo diuino posset, ante præceptum sibi impositum rem tali præcepto contentam facere, & non facere: præceptum autem superueniens nihil eius voluntatis immutauerit, causando aliquid, quod eam determinet ad exercitium obseruationis præcepti, sed sese habeat merè extrinsecè. Hoc, inquam, non obstat: nam licèt per tale præceptum nihil reale producatur de nouo in voluntate Christi Domini, & hæc etiam vnita Verbo diuino posset anteà rem tali præcepto contentam facere, & non facere: posito tamen præcepto, non potest ampliùs illam liberè facere, sed tantùm ex aliqua determinatione, & necessitate: cuius necessitatis hæc ratio est, quòd voluntas, quæ in trinsecè est impeccabilis, qualis est voluntas animæ VI. Christi Domini, vt vnita Verbo, non potest, cùm sit peiorfecta, velle efficaciter aliquod medium, nisi seruato ordine debito ad finem: hoc enim spectat ad eius perfectionem, vt expresè docet sanctus Thomas primâ parte, quæstione 62. articulo octauo in solutione ad tertium: & proinde qualis erit ordo medij ad finem, & propositio illius facta voluntati per intellectum, talis erit eius volitio: at res contenta præcepto ante illud impositum, quando nudè, simpliciter, & secundùm se spectaretur, nullum dicebat ordinem necessarium pro obtinendo fine, sed tantummodò congruentem: quo tamen medio omisso, finis poterat obtineri per aliud: sicque res eiusmodi manebat libera voluntati, facienda & non facienda: vbi verò ratio præcepti aduenit C tali rei, seu medio, iam recipit in seipso moralem quandam mutationem, & de indifferenti, quale anteà erat, fit necessarium ex institutione VII. superioris præcipientis illud: & hoc tale cognoscitur & iudicatur ab intellectu, proponiturque voluntati: ideòque impeccabilis voluntas animæ Christi Domini ferebatur ex necessitate in rem tali præcepto contentam, non per aliquam mutationem factam propriè in seipsa, sed in obiecto illi proposito.

ARTICVLVS V.

Alius modus explicandi hanc doctrinam refertur, & refellitur.

SEPTIMVS modus respondendi est quorundam recentiorum existimantium libertatem formaliter consistere in ea eminentia & ampli- VIII. D tudine, quâ ita Deo inhæremus, vt res omnes aliæ sint nobis indifferentes, nec illas volumus, aut illis inhæremus, nisi inquantum ordinatio Dei, vel finis noster vltimus postulant: vnde consequenter volunt, quòd si quis sit status, qui minuat indifferentiam ad multa, adaugeat autem adhæsionem ad finem vltimum, cuiusmodi est status gloriæ, ille augeat libertatem, non minuat: sicque explicant sanctum Thomam primâ parte, quæstione 62. articulo 8. in solutione ad tertium, dicentem in beatis Angelis maiorem esse libertatem arbitrij, quàm in nobis, qui possumus peccare: sic etiam intelligunt S. August. epist. 89. sic scribentem, *Voluntas libera tantò liberior, quantò sanior, tantò autem sanior, quantò diuinæ gratiæ misericordiaque subiectior.*

Hinc conformiter ad hanc suam explicatio-

I. nem libertatis dicunt humanam voluntatem Christi Domini fuisse liberam in obseruatione præceptorum sibi impositorum, quia indifferenter se habebat ad illa omnia secundùm se spectata, quæ continebantur ipsâ determinatione Patris æterni, viuere & mori, frui & pati, contemni & glorificari, perinde illi fuit, nihil respuebat, nihil desiderabat, sed parata erat seu in hanc, seu in illam partem inclinare, provt ferret voluntas Patris æterni.

Et hanc libertatis humanæ voluntatis Christi Domini explicationem iidem authores existimant esse ad mentem sancti Thomæ hac præsenti quæstione, articulo quarto in solutione ad tertium, dum ita scribit, *Voluntas Christi Domini, licèt sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc, vel illud bonum.* Quasi sensus verborum istorum sit, humana voluntas Christi Domini fuit determinata ad Deum, per sui II. B adhæsionem ad illum, vt finem vltimum, non autem ad creaturas absolutè, & secundùm se spectatas (sic enim ad illas erat indifferens) sed determinata tantùm erat ad illas, provt Dei ordinatione continebantur.

Verùm modus iste non tam explicat libertatem humanæ voluntatis Christi Domini, quàm illam euertit, quia Scripturæ, Patres, Concilia, & Scholastici communiter illam constituunt in actiua indifferentia voluntatis ad obiecta opposita, quorum testimonia fusè referunt primâ secundæ, vbi ex professo agunt de libero arbitrio; & obiter patet Ecclesiastici capite decimo-quinto, vbi Deus dicitur *reliquisse hominem in manu consilij sui.* & paulò post ita habetur, *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum.* Quæ postrema verba exprimunt actiuam indifferentiam ad ignem & aquam, vt opposita, quod idem ibi exprimitur, *Ante hominem mors & vita, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Ex sancto Thoma, qui cùm primâ parte, quæstione decima-nonâ, articulo decimo sibi obiecisset in secundo argumento Deum non esse liberum, quia non vult malum, in solutione ad illud, respondet simpliciter Deum esse liberum, *quia ad opposita se habet inquantum velle potest, hoc esse, vel non esse.* Et eadem primâ parte, quæstione octuagesima-tertiâ, articulo tertio in corpore: *Ex hoc,* inquit, *liberi arbitrij esse dicimur, quòd possumus vnum recipere, alio recusato, quod est eligere.* Et in quæstionibus disputatis de veritate, quæstione vigesima-quartâ, articulo primo in solutione ad decimum-sextum, reddens rationem, cur creatura immobiliter adhærens Deo maneat libera, ita scribit, *Quia potest adhærendo Deo, multa facere, vel non facere.*

Deinde modus iste refellitur ex eo, quòd non distinguat in actibus studiosis virtutum specie distinctarum, qui fuerunt in Christo Domino, proprias illas formales rationes, quas superaddunt humano actui, quatenùs consideratur vt & inquantum præcisè est liber: exempli gratiâ, perfectæ illius obedientiæ, quam habuit ad Patrem: item singularis illius virtutis, quam vulgò vocant abnegationem sui, quas tamen satis constat esse distinctas à formali ratione libertatis.

Primò, quia hæc in omni & quolibet actu studioso reperiri debet, & istis formalibus virtutum rationibus necessariò præsupponi, istæ verò minimè; aliàs enim vnaquæque illarum A tam latè pateret, quàm actus liber studiosus, quod nemo facilè dixerit. V.

Secundò, quia libertas à necessitate (nam de illa tantùm loquimur) habet pro sua formali ratione actiuam indifferentiam, quâ voluntas seipsam determinat, vt obseruauimus ex sacris Litteris, & sancto Thoma: istæ verò duæ virtutes prædictæ habent aliquam indifferentiam passiuam, non quidem *physicè, & entitatiuè, sed moraliter*: nam faciunt vt creatura sese tantùm moueat ad motum, & nutum superioris, & sicut corpus beatum, & eius potentiæ mouent sese ad nutum animæ, ita & hæ virtutes quando sunt in gradu heroico, quales debent admitti in Christo Domino, faciunt vt creata eius voluntas sese moueat ad nutum diuinæ voluntatis: ergo libertas creatæ voluntatis Christi Domini formaliter & præcisè spectata non consistit in illis, nec Christus Dominus vt homo: ideò fuit liber, quia sese indifferenter habuit ad omnia creata secundùm se spectata, determinatè verò, provt continebantur in ordinatione Dei. VI.

Neque Sancti Augustinus & Thomas locis suprà citatis fauent istis authoribus: non quidem sanctus Augustinus, quia agit tantùm ibi de *libertate Christiana, seu à peccato, à miseria, à seruitute*, & aliis id genus incommodis, à quibus sumus liberati per Christum Dominum, & Deo, tanquam fini nostro supernaturali coniungimur. Nunc autem agimus de libertate, quam vulgò Philosophi & Theologi vocant *à necessitate*, quæque nobis est insita à natura, ad cuius essentiam prior illa libertas non magis spectat, quàm gratia sanctificans, vel aliqua alia forma nos eleuans ad esse ordinis supernaturalis, sit de præciso conceptu III. C intrinseco nostræ naturæ. VII.

Sanctus Thomas relatus suprà illis etiam non fauet, quando citatâ quæstione sexagesima-secundâ, articulo octauo, in responsione ad tertium, ita scribit, *Quòd liberum arbitrium diuersa eligere possit, seruato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius*: Nam istud non intelligitur de substantiali, seu essentiali perfectione libertatis, quasi remoto tali ordine, essentia, & formalis ratio libertatis non remaneat vbi est, quando hoc solùm, *voluntatem se habere ad oppos a*, seu posse vnum ex duobus, vel pluribus eligere, remanet; sed intelligitur de perfectione tantùm accidentali libertatis in sua ratione præcisa spectatæ, vt ibidem satis expresè significat exemplo discursus, quo istud explicat, vult enim ordinem finis eo- IV. D dem modo se habere ad libertatem, & ad actum eius, scilicet electionem, quomodo processus conclusionum, secundùm principia data, sese habet ad tertiam mentis operationem, id est, ad discursum: atqui quòd noster intellectus discurrens procedat in diuersas conclusiones, secundùm principia data, id est rectè, & sine aliquo errore deducat ex datis principiis, seu ex præmissis aliquas conclusiones, est perfectio tantùm accidentalis discursus, non autem essentialis, quâ præcisè est discursus, vt intelligitur ex eo quòd varij dantur discursus illegitimi, vt sunt omnes syllogismi sophistici, quos Dialectici agnoscunt pro syllogismis essentialiter dictis, dum agunt de diuisione argumentationis, & syllogismi: ergo iuxta sanctum Thomam ordo ad finem seruatus VIII.

I. in libertate, seu in electione, est tantùm quædam accidentalis, non autem substantialis eius perfectio, & *inter eligendum diuertere ab ordine finis*, est accidentalis quidam defectus in actu libertatis, quâ præcisè est liber.

Hanc nostram mentis sancti Thomæ expositionem confirmat consectarium illud, quod inde colligit, nimirùm *libertatem arbitrij esse maiorem in Angelis*, quàm sit in nobis, ex eo quòd beati Angeli non possunt eligere, nisi seruato ordine finis, nos autem econtrà possumus eligere diuertendo ab ordine finis, colligit libertatem arbitrij esse maiorem in Angelis, quàm sit in nobis. Nam si id intelligeret iuxta sensum opinionis, quam impugnamus, deberet inferri libertatem nostram non esse tantùm minorem libertate Angelorum, sed non esse libertatem, cùm isti termini comparatiui, *maior & minor*, II. non dicantur, nisi de forma aliquo modo vna, quæ ratione alicuius sibi extrinseci, vt præcisè & formaliter consideratur, potest admittere aliquos gradus, essentiali vnitate seruatâ: & licèt dicat eligere, non seruato ordine finis, pertinere ad defectum libertatis, non tamen negat ibi interuenire libertatem propriè dictam; imò ait, talem defectum sese habere tantummodò per accidens, quatenùs nimirùm est in natura defectibili, & in quæstionibus disputatis de malo, citatâ quæstione decima-sextâ, articulo quinto in corpore, & esse signum libertatis non existentis in tali natura etiam tunc in actu exercito, malè tamen applicatæ, & redactæ ad actum: communis autem experientia docet, multas res posse subsistere in rerum natura cum aliquibus defectibus suæ formali rationi non repugnantibus, sed accidentali tantùm. III.

Multò minùs sanctus Thomas fauet isti opinioni, quando loco citato huius quæstionis ait, *Voluntatem animæ Christi Domini fuisse determinatam ad bonum*: nam eo ipso, quo statim subiicit, *non tamen est determinata ad hoc, vel illud bonum*, satis declarat mentem suam esse voluntatem animæ Christi Domini ita fuisse determinatam ad benè & honestè operandum, vt tamen semper retinuerit actiuam indifferentiam ad exercendum hoc & istud bonum, etiam morali specie distinctum.

Hinc intelligitur, quàm falsum sit corollarium huius sententiæ superiùs relatum, scilicet statum, *qui minuit indifferentiam ad multa, & adauget adhæsionem ad finem, non minuere libertatem, sed adaugere*. Si enim pro ratione diminutionis indifferentiæ ad multa media, & pro incremento adhæsionis ad vltimum IV. finem, libertas crescat, ibi maior erit libertas, vbi nulla dabitur indifferentia ad multa, sed vnicum tantùm medium, illúdque necessarium, & perfectissima adhæsio ad vltimum finem: at hoc non tantùm destruit libertatem, vt patet ex dictis, sed illam confundit cum necessitate: tunc enim datur immutabilis determinatio ad vnum: & ex sancto Thoma in quæstionibus disputatis de veritate quæstione vigesima-secundâ, articulo sexto in corpore, ex hoc aliquid dicitur esse necessarium, quod est immutabiliter determinatum ad vnum.

A

ARTICVLVS VI.

Refertur verus modus, & ad eius intelligentiam quædam præmittuntur.

VLTIMVS modus respondendi & legitimus ad difficultatem initio articuli primi propositam, quémque loco nostræ propositionis ponimus, est: ideò Christum Dominum liberè exercuisse opera sibi à Deo Patre præcepta, non tantùm quia omnes eorum circunstantiæ non fuerunt ei præceptæ, quas proinde vt non necessarias sibi ad obtinendum finem liberè obseruauit, sed etiam quia res istis præceptis contentæ fuerunt illi solummodò præceptæ indeterminatè, & secundùm aliquem suum gradum genericum, non autem secundùm omnem suum gradum specificum & individuum: qui gradus, cùm in genere moris sint de substantia actus, quo præceptum obseruatur, Christus Dominus liberè obseruauit præcepta sibi à Deo Patre imposita liberè, non tantùm quoad circunstantias, siue temporis, siue durationis, siue intentionis, sed etiam quoad substantiam. B VI.

Propositio explicatur, sumpto exemplo à præcepto imposito Christo Domino de morte subeunda pro nobis. Imperauit Deus Christo Domino, morere pro redimendo humano genere, ibi tantùm mors præcipitur, at actus interior informans eiusmodi actum exteriorem, quo mors subitur, non præcipitur ex quo motiuo determinatè debeat fieri, an charitatis, an misericordiæ, an iustitiæ, nec item variæ circunstantiæ, quæ talem actum cohonestant: ideòque cùm ista, quæ pertinent ad actum interiorem, faciant ad substantiam ipsius obseruationis talis præcepti, & in seipsis importent obiectiuam quandam indifferentiam ad multa, & actiuam formalem in Christo Domino, etiam seruato ordine ad finem, iuxta explicationem istius particulæ, *ordo*, paulò antè traditam, fit vt Christus Dominus hoc præceptum liberè sit executus, etiam quoad substantiam suam, & non solummodò quoad suas circunstantias, suâ impeccabilitate non obstante. Vt hæc propositio meliùs intelligatur, & probetur facilius, C VII.

Notandum est primò, ex communi sententia Theologorum primâ secundæ actum moralem, vt coalescit ex actu interiori & exteriori simul, ita esse vnum in genere moris, vt tamen formalis eius bonitas & libertas formaliter sit tantùm in interiori, à quo vt dirigente & moraliter informante deriuetur ad exteriorem: vnde quando moralis aliquis actus, vel aliquod opus dicitur esse secundùm substantiam suam bonum, meritorium, liberum, & id similibus aliis denominationibus afficitur, illud debet intelligi de bonitate, libertate, & merito, quæ actui interno formaliter communicat & communicetur externo, quatenùs hic dirigitur & imperatur per istum. D VIII.

Notandum secundò, in actu morali & libero plures gradus posse distingui, nimirùm genericum, specificum, & individuum. Primus attenditur secundùm rationem entis in tali genere. Secundus, penes motiuum ex quo fit, & secundùm quod tendit in obiectum, suámque speciem ab illo accipit. Tertius à

circun-

I. circunstantiis, & aliis id genus, penes quæ Philosophi in Ethicis, & Theologi primâ secundæ desumunt individuas rationes actuum moralium: vt autem aliquis actus moralis sit & dicatur liber, quoad suam substantiam non est absolutè necessarium, quòd hæc libertas conueniat ei, & insit secundùm gradum suum generícum, sed sufficit quòd ei insit & conueniat, prout spectatur secundùm gradum suum specificum & individuum; alioqui cùm ipsa mors sit naturalis vnicuique hominum, sitque necesse vnumquemque nostrûm mori, iuxta illud Apostoli ad Hebræos nono capite, *Statutum est omnibus hominibus semel mori*: nullus Martyrum liberè oppetiisset mortem, nec proinde per illam meruisset apud Deum, quod est hæreticum: sed quemadmodum Beati, cùm aliàs euitare possent mortem, quia tamen eam liberè pro confitendo Christo Domino, ex singulari suæ charitate & amore erga illum sunt passi, mors ista dicitur illis fuisse quoad suam substantiam libera & meritoria, licèt quoad gradum suum genericum talis minimè fuerit: ita etiam vt aliquod opus, vel etiam aliquis actus dicatur esse liber alicui secundùm substantiam suam, sufficit quòd secundùm gradum suum specificum & individuum sit ipsi eum exercenti liber.

II. Notandum tertiò: præcepta tam diuina, quàm humana absolutè & simpliciter facta obligare tantùm ad illum interiorem actum & illas circunstantias, quæ sufficiunt ad ponendum id quod per modum substantiæ exprimitur eiusmodi præceptis & legibus: vnde si dari possint plures specie distincti actus interiores, quorum quilibet sit sufficiens ponere id quod ipsâ

III. lege, aut præcepto constituitur, nec vllus illorum sit in particulari determinatus, vel etiam exclusus per ipsam legem, tunc liberum est ei, cui hæc lex est posita, facere rem præcepto contentam, hoc vel illo actu interiori, seu motiuo, quod inter omnia conuenientia, nec aliquo modo exclusa ipse voluerit seligere: & sic cùm executio operis, etiam considerati quoad suam substantiam in esse moris, vt sit bonus & liber, non minùs constet ipso actu interiori, tanquam informante, quàm exteriori, tunc præceptum rectè dicetur etiam quoad suam substantiam liberè obseruari.

Ratio huius tertij notabilis est, quòd inferior ex vi ipsius legis sibi impositæ non teneatur plus præstare, quàm ei præcipitur, & modus obseruandi legem nunquam cadat sub

IV. præceptum, nisi sit intrinsecus rei præceptæ, vel expressius in lege, quemadmodum habet communis doctrina Theologorum, vbi agunt de legibus: atqui ex suppositione, quam facimus, substantia ipsius legis tantùm præcipitur obseruari, potestque sine hoc & hoc in particulari actu interiori per hunc & istum alium etiam interiorem actum obseruari. Item sine his & istis circunstantiis, sed cum aliis, nec hoc vtrumque est determinatum in particulari per legem: ergo tunc inferior, cui talis lex est imposita, non tenetur exequi tale præceptum per hunc, vel istum actum interiorem cum his & istis circunstantiis: ergo quoad hoc vtrumque illud liberè exequitur.

Nec obstat, quòd necessariò aliquis actus interior, & quædam item circunstantiæ requirantur ad obseruationem illius; sicque aliquis

A actus interior sit indeterminatè præceptus, similiter & aliquæ circunstantiæ: nam primò semper ibi saluatur libertas tam contrarietatis, quàm contradictionis. Prior, quia ex pluribus & diuersis mediis, vel actibus interioribus potest vnum seligere alio relicto. Posterior, quia potest hunc actũ assumere, & non assumere pro obseruatione talis præcepti. Vnde cùm alterutra libertas sufficiat pro libera obseruatione præcepti, tũc inferior dicetur obseruare legem liberè.

Deinde licèt aliquis actus interior, & similiter aliquæ circunstantiæ sint in confuso, & indeterminatè præceptæ ab eo, attamen plures actus interiores, vel plures etiam circunstantiæ requiruntur, quia substantia rei præceptæ potest demandari executioni vno tantùm actu interiori informantè exteriorem, & cum paucioribus circunstantiis: ergo si interior tunc exequatur opus externum, vt pluribus actibus inferioribus informatum simul, seu simul & semel ex pluribus motiuis, quorum vnicum est tantùm in præcepto cum his & istis circunstantiis, non cum aliis multis, cum quibus tamen de facto exercetur, non desinet talis obseruatio esse & dici propriè libera inferiori.

B Notandum quartò: Deum præcipiendo Christo Domino, vt moreretur pro nobis redimendis, non ei simul præcepisse, vt hoc præceptum executioni demandaret ex omnibus motiuis sibi etiam moraliter possibilibus, simúlque ei iniungendo omnes & singulas necessarias circunstantias, sed solummodò substantiam eius ex motiuo singularis obedientiæ, & aliqua alia virtute putà religionis aut simili, informatam cum aliquot circunstantiis eius.

C Ratio est. Deus imposuit Christo Domino tam præceptum hoc moriendi, quàm alia modo rationabili & conformi ei, quo solet nobis etiam præcepta imponere: nam quidquid Deus vult & iubet esse rationabile, dedit que Christo Domino vt homini præcepta, voluitque vt quâ ratione primus parens nos perdiderat, illâ ratione omninò oppositâ nos restitueret, quemadmodum intelligitur ex Apostolo ad Romanos quinto. Atqui modus rationabilis imponendi ei præcepta, & conformis ei, quo Deus nobis illa imponit, non est præcipere omnia & singula motiua, ex quibus possumus ea obseruare, vel quascumque etiam minutissimas circunstantias, sed ex istis multa nobis relinquit libera, quemadmodum patet ex eo quòd ex omissione aliquorum eiusmodi non censeamur peccare contra tale

D præceptum: & primus parens nos perdidit per inobedientiam, Christus verò Dominus reparauit per obedientiam, ad Romanos capite quinto: ergo Deus præcipiendo Christo Domino vt moreretur pro nobis, non præcepit ei vt mandatum istud exequeretur ex omni & quolibet motiuo sibi possibili, nec ei præscripsit omnes & singulas circunstantias eius, sed reliquit ei liberum istud præceptum exequi ex hoc & isto motiuo huius & istius virtutis, & cum aliquibus circunstantiis, siue intentionis, siue durationis, siue alius suæ libertati creatæ subiacentibus.

Deinde modus iste præcipiendi aliquid cum omnibus motiuis, quibus potest fieri, & omnibus etiam circunstantiis videtur dedecere Christum Dominum, quia arguit in eo quasi diffi-

V. VI. VII. VIII.

I. dentiam aliquam, ne nimiùm agat oppositum; sic enim inter homines vbi dominus aliquis diffidit de prudentia & diligentia serui in exequendis mandatis, singulas etiam circunstantias rei exequendæ sæpenumero minutatim præscribit, vt sic ne minimum quidem deficiat: econtrà vbi habet seruum fidelissimum, strenuum, & in rebus benè gerendis versatissimum, rem tantùm quoad suam substantiam, & proprias eius circunstantias præcipit, reliqua verò singulari eius prudentiæ committit, iuxta tritum illud, *Mitte sapientem, & nihil dicas ei.* Ergo cùm Christus Dominus fuerit perfectissimæ prudentiæ, sapientiæ, diligentiæ, & obseruantiæ erga Deum Patrem, non fuit conueniens Deum Patrem dare illi hoc præceptum de morte subeunda pro nobis cum omnibus illis motiuis, ex quibus poterat exequi illud, eíque

II. præscribere omnes & singulas circunstantias, vsque ad minutissimam, quas in illo exequendo obseruauit.

Tandem, & hæc sententia videtur esse sancti Thomæ hac quæstione, articulo quarto in solutione ad tertium, quando ait Christum Dominum fuisse liberum in exercendis bonis operibus, quia licèt creata eius voluntas esset determinata ad bonum, non tamen ad hoc, vel illud bonum in particulari: quæ sententia sancti Thomæ non potest aliter explicari, quàm de ipsa indifferentia eiusmodi boni in particulari considerata penes diuersitatem motiuorum, vel etiam circunstantiarum, ex quibus, & cum quibus tale bonum in particulari potest executioni demandari. Sed contra hoc vltimum notabile.

III. ARTICVLVS VII.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam præcedentis articuli.

OBIICIES primò illud Christi Domini apud sanctum Ioannem decimo-quarto capite, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*: vbi particula, *sic*, denotat non solam substantiam huius præcepti fuisse iniunctam determinatè Christo cum vno, aut altero motiuo, & aliquot circunstantiis, sed singula motiua, ex quibus illud obseruauit, omnes item circunstantias, quas adhibuit in eius obseruatione.

Respondetur, hanc particulam, *sicut*, plerunque etiam in sacris Litteris non significare omnimodam similitudinem, seu quoad omnes & singulas circunstantias & motiua, sed duntaxat quoad subiectum rei, vel alicuius alterius, de quo ibi fit sermo, quemadmodum patet ex illo Christi Domini sancti Ioannis decimo-quinto ad suos discipulos, *Si præcepta mea seruaueritis, sicut ego seruani præcepta Patris.* Item capite decimo-septimo, *Vt sint vnum, sicut ego & tu.* Quod tamen vltimum intelligitur etiam de vnitate naturæ & essentiæ Filij cum Patre diuino: & plerique Patrum explicant prædictam particulam loci nobis obiecti de sola substantia præcepti moriendi pro nobis; sanctus Cyrillus libro decimo in S. Ioannem, S. Augustinus tractatu 79. in Ioannem, S. Anselmus libro 2. *Cur Deus homo*, capite nono.

Deinde potest responderi, sumptâ hac particulâ, *sicut*, in eo rigore, in quo obiectio vsurpat illam, Christum Dominum eas omnes

A seruasse circunstantias, quas Pater ei præcepit, non tamen locutus hic probat Deum Patrem iniunxisse Christo Domino singula motiua, ex quibus de facto seruauit hoc præceptum, & singulas etiam circunstantias, nec aliquid horum reliquisse eius libertati, quod tamen solummodò contendit hoc vltimum notabile. V.

Secundò obiicies. Prædefinitio omnium actuum humanæ voluntatis, & singularum circunstantiarum, quæ in illis reperiuntur, necessitat voluntatem, non quidem influendo aliquid reale in illam, sed quatenùs dicit habitudinem ad tale subiectum, quod accedente præcepto amittit omnem indifferentiam ad multa respectu rei contentæ in præcepto efficaci: atqui omnes actus humanæ voluntatis Christi Domini, item singulæ illorum circun-

B stantiæ fuerunt à Deo prædefinitæ: Primò, quia VI.
Christus sancti Lucæ vigesimo-secundo id significat, dicendo, *Filius hominis secundùm quod est definitum vadit.* Secundò, quia hic modus prouidentiæ est sublimior & Deo conuenientior, potissimùm in rebus maximi momenti, cuiusmodi est dispositio totius vitæ Christi Domini, & dispensatio mysterij Incarnationis, & humanæ redemptionis. Tertiò, quia modus iste est etiam humanæ voluntati Christi Domini melior, cùm sic dirigatur per primam & increatam regulam infallibilem: est autem melius dirigi per regulam increatam, quàm per creatam, quales sunt intellectus & voluntas animæ Christi Domini. Quartò, quia sanctus Thomas libro quarto contra Gentes, capite trigesimo-sexto ait verbis expressis, *Christum Dominum nihil voluisse humanâ voluntate,*

C *nisi secundùm quod eum velle voluntas diuina disposuit.* VII.
Ergo omnes actus Christi Domini fuerunt à Deo prædefiniti, nec proinde liberi.

Respondetur, omissâ disquisitione Maioris, quæ non pertinet ad hunc locum, sed ad disputationem de prædestinatione & gratia efficaci, nos Minorem eius negare, ob rationes allatas in quarto nostro notabili.

Ad cuius primam confirmationem respondetur, dictum istud Christi Domini rectè posse explicari de substantia huius præcepti, & aliquot eius circunstantiis, absque eo quòd intelligatur de omnibus & singulis motiuis, ex quibus facta fuit eius obseruatio, sicut & præcedens locus sacræ Scripturæ.

Ad secundam confirmationem respondetur, modum nobiliorem prouidentiæ non debere attendi penes solam habitudinem ad Deum, sed

D etiam penes habitudinem ad eum, cui prouidetur, VIII.
quia prouidentia habet habitudinem ad vtrumque: at licèt ad ostensionem supremæ Maiestatis, & absolutissimi dominij, quod Deus habet in quancumque rem, modus iste prædefiniendi videatur esse conueniens, non tamen prout respicit voluntatem creatam, præsertim vbi illa pollet maximâ sapientiâ & prudentiâ, nec potest ex defectu scientiæ in intellectu, vel rectitudinis in voluntate aberrare, cuiusmodi est humana voluntas Christi Domini: nam dirigi isto modo tam stricto, est potiùs alicuius seruilis ingenij, valdè debilis, vel voluntatis non benè affectæ, & de cuius peritia & bonitate dominus eius diffidit, vt suprà animaduertimus: ex quo patet solutio ad tertiam confirmationem eiusdem Minoris.

I. Ad id autem, nimirùm *melius esse dirigi per primam & increatam regulam infallibilem, quàm per creatam.* Respondetur, id esse verum, quando regula creata est extrinseca, & obnoxia errori, & peccato: at quando regula creata est intrinseca, nullam admittens in se ignorantiam practicam, nec proximam potentiam incidendi in aliquod peccatum etiam leuissimum; tunc longè melius est dirigi à tali intrinseca regula, quàm gubernari ab extrinseca præscriptione diuinæ voluntatis; istud enim est regi à seipso, & à Deo simul, quatenùs hæc creata regula infallibilis intrinseca ipsi operanti est perfecta quædam participatio regulæ increatæ, & summæ illius perfectionis.

Ad quartam confirmationem petitam ab authoritate sancti Thomæ, Respondetur, ibi eum nihil aliud velle, quàm efficacem volitionem animæ Christi Domini fuisse semper conformem volitioni diuinæ, quia probat hoc suum dictum ex illo Christi Domini apud sanctum Ioannem capite octauo, *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Quod nihil aliud sonat, quàm conformitatem efficacis suæ voluntatis cum diuina.

II.

Articvlvs Vltimvs.

Verus ille modus probatur ratione.

EX istis omnibus prænotatis, & diligenter confirmatis nostra propositio facilè probatur. Res contentæ præceptis impositis Christo Domino eâ tantùm ratione fuerunt ab illo ex necessitate obseruatæ, quâ fuerunt illi præceptæ, & quando res eiusmodi sunt liberæ, quoad gradum specificum, & indiuiduum, tunc præcepta data de illis dicuntur liberè obseruari etiam quoad substantiam, vt docuimus primo nostro notabili: atqui res contentæ præceptis à Deo impositis Christo Domino non fuerunt illi præceptæ, quoad totam suam rationem substantialem, prout illa etiam coalescit ex gradu specifico & indiuiduo, sed solummodò iuxta gradum genericum, vt patet ex primo & quarto notabili: ergo res contentæ præceptis à Deo impositis Christo Domino fuerunt ab illis liberè obseruatæ, etiam quoad suam substantiam, & aliquot illorum circunstantias. Singulæ partes huius rationis sufficienter probantur ex præmissis notabilibus, & tam ex illis, quàm ex dispositione nostræ huius rationis patet solutio ad totam difficultatem initio articuli propositam.

III.

IV.

Atque modus iste conciliandi libertatem humanæ voluntatis Christi Domini cum impeccabilitate est etiam sufficiens pro concilianda eius libertate cum amore beatifico, & visione beatifica, quâ intellectus animæ Christi Domini à primo instanti suæ conceptionis videt in diuina essentia omnia, quæ erat ipse acturus in toto vitæ suæ decursu; nam vt exordiamur ab amore beatifico, ille solùm necessitat ad amandum ea, & volendum, quæ habent necessariam connexionem cum amore Dei, itaut si res illæ hoc & illo momento, hoc & illo modo, ex hoc & illo motiuo non sint volitæ, sequatur aliqua læsio diuinæ amicitiæ: at licèt voluntas Christi Domini hoc & illo momento non vellet hoc & illud obiectum ex hoc & illo motiuo, & cum his & istis circunstantiis, diuina amicitia non lædebatur, quia licèt hæc obiecta, vt volita ex tali motiuo, & cum talibus circunstantiis haberent aliquam conuenientiam cum amicitia diuina, non tamen necessariam, quasi illis prætermissis hæc amicitia esset dissoluenda, cùm non essent in præcepto, secundùm hæc motiua, & has circunstantias ex præmissis notabilibus, licèt essent secundùm quendam gradum suum genericum: igitur amor ille beatificus non necessitabat voluntatem animæ Christi Domini obseruare hæc & ista ex tali motiuo, & cum talibus circunstantiis: ergo cùm hæc obseruauerit ex motiuis sibi à Deo Patre impositis, & cum circunstantiis sibi præscriptis, insuper etiam ex quibusdam aliis motiuis, & cum quibusdam circunstantiis suæ libertati relictis, rectè dicitur etiam illa obseruasse, quoad suam substantiam cum plena libertate.

V.

VI.

Similiter visio illa beatifica, quâ à primo instanti suæ creationis nouerit omnia & singula, quæ toto vitæ suæ decursu erat facturus, non impediuit libertatem eius circa illa facienda.

VII.

Primò, quia talis eius scientia sese habebat merè per accidens ad exercitium suorum operum, cùm sit merè speculatiua, nec ad suas actiones ordinandas ei concessa, sed alia nimirùm infusa, tam per se, quàm per accidens: vnde cùm probè id nosset, & haberet omnes vires animæ perfectissimè in sua potestate, non inde magis mouebatur ad illas necessariò exercendas, quàm si caruisset tali cognitione. Quare quemadmodum si caruisset tali scientiâ, exercuisset suas actiones semper cum summa libertate, ita etiam ex tali scientia in eo posita: quâ in re differebat à nobis, qui defectu talis potestatis in nostras vires animæ, vbi cognoscimus aliquid futurum, illúdque apprehendimus ineuitabile, tunc vehementer anxiamur, licèt nos determinemus ad illud sequendum & amplectendum.

VIII.

Deinde potest responderi, quòd quemadmodum actiones Dei factæ in tempore, verè & propriè loquendo, sunt liberæ, ratione primæ illius liberæ volitionis, quâ Deus eas ab æterno voluit, ita etiam omnes actiones illæ, quas Christus Dominus per humanam voluntatem toto vitæ suæ decursu exercuit, sunt liberæ, ratione primæ illius volitionis, quâ primo instanti suæ conceptionis statuit efficaciter de his omnibus, quæ totâ vitâ suâ debebat facere, dicentur fuisse illi simpliciter, & absolutè liberæ, cuius suæ efficacis volitionis & determinationis ad istas actiones exercendas beata eius scientia nullo modo erat causa, licèt eodem planè instanti esset in eius intellectu.

AD QVÆSTIONEM XIX.

De operatione & merito Christi Domini.

DISPVTATIO I.

De operatione Christi.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrùm vna vel duplex operatio fuerit in Christo Domino.

I. NOTANDVM est, præsentem difficultatem posse moueri duobus modis. Primò, comparatione factâ ad duas naturas, quæ sunt in Christo Domino, diuina & humana. Deinde comparatione factâ ad vnicam naturam, nimirum humanam.

Notandum secundò, aliquam operationem posse duobus modis dici vnam, vel duplicem, cõparatione factâ ad vnicã humanam naturam. Primò, comparatione factâ ad principiũ morale, quatenùs omnes actiones humanæ naturæ subsũt voluntati, licèt in ratione principij physici sint ab aliis potentiis. Secundò, in ratione principij physici non subiacentis voluntati, quoad aliquam actionem talis naturæ, cuiusmodi est in nobis nutritio, & actiones appetitus sensitiui.

II. Notandum tertiò: vnitatem, vel multiplicitatem operationum, etiam humanæ naturæ, posse attendi penes ipsam rationem genericam, specificam, vel individuam actionum, quomodo Philosophi illas considerant. His ita prænotatis, sit

III. Propositio prima. *Duæ sunt operationes in Christo Domino, quemadmodum duæ sunt naturæ, vna operatio humana, altera diuina.* Propositio est de fide, ex Scriptura, Conciliis, & Patribus citatis præcedenti quæstione contra Monothelitas; & rationes quibus ibi ostendimus duas esse voluntates & volitiones, eædem probant duas esse etiam operationes, cùm vnitas, vel multitudo attendatur magis penes principium formale, *quo*, quàm penes suppositum, itaut vbi est vnicum principium formale, *quo*, licèt dentur duo supposita, vnica tantùm sit operatio, vt patet in diuina spiratione actiua: ergo cùm in Christo Domino, vt constante duabus naturis integris & perfectis, duo distinguantur principia formalia operandi, vnum proprium diuinæ, alterum humanæ, duæ etiam erunt operationes in illo, licèt vnicum sit suppotum.

IV. Propositio secunda. *In Christo Domino vnica fuit operatio humana, considerando operationem illam per comparationem ad principium morale, à quo actiones eius humanæ eliciebantur, vel imperabantur, vel cui subiciebantur.* Ita S. Thomas hîc articulo secundo.

Probatur. Illa operatio dicitur humana, quæ procedit à ratione & voluntate, vt voluntas est, & operationes quæ physicè plures sunt, dum tamen considerantur vt sic procedentes, dicuntur tantùm vnæ, ratione sui principij moralis, quod A vnicum est: atqui omnes actiones humanæ naturæ Christi Domini procedebant à iudicio rationis, & ab eius voluntate, vt voluntas est, quia nullus fuit in Christo Domino motus voluntatis, vel partis sensitiuæ, quem liberè non admiserit, vt patet ex dictis suprà de defectibus corporis à Verbo diuino assumptis: & ex dictis de perfecto illo dominio humanæ voluntatis Christi Domini in suum corpus, potentias & actiones: ergo in Christo Domino vnica fuit humana operatio, quatenùs hæc spectatur per comparationem ad suum principium morale, à quo vel elicitur, vel imperatur, vel cui subiicitur. Et hac in re Christus Dominus longè fuit alius à nobis, in quibus actiones appetitus sensitiui non subiiciuntur nostræ voluntati, quia tamen Christus Dominus permittebat potentiam suam nutritiuam, & aliquot alias eiusmodi operari, provt earum natura postulabat, nec eas aliquo modo mouebat, licèt posset, sed sinebat agere suos motus: ideò, quamuis ratione prædictæ subiectionis ad humanam voluntatem possint dici liberæ & humanæ, loquendo tamen propriè, & in rigore erant naturales, cùm ex se & propria sua conditione procederent modo naturali à suis principiis. V. VI.

B Propositio tertia. *Si agatur de multiplicitate operationum spectata penes rationes suas generícas, specificas & individuas, tunc multæ fuerunt operationes, & non vna tantùm, aut duæ in Christo Domino.*

Hæc propositio satis patet ex se, & ex dictis suprà de pluralitate motiuorum, ex quibus Christus Dominus obseruauit præcepta, & bona opera exercuit; nam ex Philosophis in Ethicis, & Theologis primâ secundæ, rationes eiusmodi in

C actionibus humanis desumuntur ab earum motiuis, circunstantiis, & aliis eiusmodi. VII.

DISPVTATIO II.

De merito in vniuersum, & de tempore quo Christus meruit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm aliqua operatio Christi Domini fuerit meritoria.

D PRÆSENS difficultas proponitur tantùm indefinitè, quia posteà explicabimus per quasnam actiones Christus Dominus meruerit. Hoc præmisso, VIII.

Sit hæc vnica propositio. *Christus Dominus habuit quosdam actus meritorios.* Ita sanctus Thomas hîc, & omnes Theologi: estque de fide ex sacris Scripturis, Conciliis, & Patribus, qui passim docent Christum Dominum nobis multa promeruisse. Ratione item sic

Probatur. Omnes conditiones ad meritum de condigno requisitæ reperiuntur in quibusdam actionibus Christi Domini: ergo illæ fuerunt meritoriæ. Consequentia est euidens. Antecedens probatur. Conditiones ad meritum de condigno requisitæ ex parte operis sunt, vt sit liberum, honestum & proportionatum præmio ex parte operantis, vt operans sit Deo gratus viator, & dirigat opus suum, siue ex-

I. preſsè, ſiue tacitè in finem præmij. Denique ex parte Dei requiritur pactum de reddendâ mercede pro tali opere: & has omnes conditiones Theologi fusiùs explicant primâ ſecundæ, quæſtione centeſima-decima-quartâ: at omnes illæ & ſingulæ conditiones fuerunt in quibuſdam actionibus Chriſti Domini de libertate.

Patet ex dictis præcedenti quæſtione, & ex his verbis Chriſti Domini apud ſanctum Ioannem capite quinto, *Filius quos vult vivificat.* Et ſancti Matthæi octauo capite, vbi poſtquam leproſus dixit Chriſto Domino, *Domine, ſi vis potes me mundare*: reſpondit, *Volo, mundare.*

De bonitate & honeſtate etiam ſupernaturali patet, quia illæ erant de tali obiecto: verbi gratiâ, quando remittebat peccata, quando reſuſcitabat mortuos.

II. De proportione ad præmium patet ex dictis ad primam quæſtionem huius partis, quia erant valoris infiniti. B

De eius ordinatione ad aliquod præmium patet ex illis eius verbis de effuſione ſui ſanguinis, apud ſanctum Matthæum vigeſimo-ſexto capite, *Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quòd item eſſet Chriſtus Deo gratiſſimus, id docent tam excellens eius gratia habitualis, quàm gratia vnionis.

Quòd item eſſet viator patet ex illo Ieremiæ vigeſimo-quarto, quod habetur de Chriſto, *Quaſi colonus futurus eſt in terra.* Et de eius ordinatione ſuorum operum in finem ſupernaturalem patet ex reſurrectione Lazari apud ſanctum Matthæum vndecimo capite, & apud ſanctum Ioannem capite octauo, vbi ait, ſe ſuis operibus gloriſicare Patrem ſuum.

III. Pactum denique interceſſit inter Deum & illum, vt patet Iſaiæ quinquageſimo-octauo, & ex dictis primâ quæſtione huius partis: ergo aliquæ actiones Chriſti Domini fuerunt meritoriæ. C

Quæres, an per abſolutam potentiam Dei potuiſſet fieri, vt Chriſtus Dominus nihil de facto mereretur. Reſpondetur affirmatiuè, primò, quia Deus abſolutâ ſuâ potentiâ potuit neceſſitare creatam voluntatem Chriſti Domini, quoad ſuas actiones, ſicut & voluntatem vniuſcuiuſque noſtrûm, ex doctrina ſancti Thomæ primâ ſecundæ: at neceſſitas tollit libertatem, & proinde cùm illa ad meritum requiratur, tunc nulla actio Chriſti Domini eſſet meritoria.

Secundò, abſolutè loquendo, Deus potuit nolle paciſci cum Chriſto Domino de conferendo ei aliquo præmio, ratione bonorum ſuorum operum; nam voluntas vniendi humanitatem Verbo diuino, ſeiuncta ab omni alia promiſſione, nullam inducit obligationem in Deo, reſpectu operum humanitatis Chriſti Domini: ex vi enim Incarnationis ſolùm ſequitur, opera illius hominis non poſſe diſplicere Deo, & illa ex ſe, & propriâ ſuâ conditione, quatenùs ſunt à tali ſuppoſito, eſſe quidem apta ad meritum, & ſatisfactionem infiniti pretij, non tamen reipsâ & de facto eſſe meritoria, quia ad id opus eſt promiſsione Dei, & pacto de illis remunerandis, vt patet ex enumeratis conditionibus requiſitis ad meritum, iuxta communiorem & veriorem ſententiam Theologorum quæſtione centeſima-decima-quartâ, primâ ſecundæ, quod pactum pendet ex libera voluntate Dei. IV. D

Cæterùm, quanti valoris & efficaciæ ſit meritum quodcunque Chriſti Domini docuimus ad primam quæſtionem huius partis. V.

ARTICVLVS II.

Quo tempore Chriſtus Dominus meruerit.

PROPOSITIO prima. *Chriſtus Dominus capit mereri à primo inſtanti ſuæ conceptionis*: Itaut iſto inſtanti meruerit de re & facto: ſic ſanctus Thomas infrà, quæſtione trigeſima-quartâ, articulo tertio, & communiter omnes Theologi. Colligitur ex Apoſtolo ad Hebræos decimo, vbi ait Chriſtum Dominum ingredientem hunc mundum tunc dixiſſe, *Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam*: & ſubiungit, *In qua voluntate ſanctificati ſumus.* Ex quo loco hæc ratio formatur. VI.

Actus ille Chriſti Domini eſt meritorius, in quo cæteri homines ſunt ſanctificati, quia ſanctificatio hominum fit per meritum Chriſti Domini: atqui Chriſtus Dominus primo inſtanti ſuæ conceptionis (tunc enim ingreſſus eſt mundum) habuit, ex Apoſtolo ibi, actum ſubmiſsionis & obedientiæ, in quo ſanctificati ſumus: ergo Chriſtus Dominus à primo inſtanti ſuæ conceptionis habuit actum meritorium.

Item probatur ratione: poſitâ ſufficienti cognitione, ſiue iudicio de bono ſupernaturali, & perfectâ ſanctitate in voluntate, voluntas poteſt eodem inſtanti temporis elicere actum meritorium circa tale obiectum, modò talis voluntas ſit viatoris, atqui Chriſtus Dominus primo inſtanti ſuæ conceptionis habuit ſcientiam infuſam per ſe, & aliquos actus eius circa obiecta bona, & per ſe ſupernaturalia, vt oſtendimus agendo de hac ſcientia, & tunc erat in via: ergo tunc voluntas eius potuit exercere actum meritorium: ergo cùm id quod eſt perfectius ſit tribuendum Chriſto Domino, & vſus ſcientiæ infuſæ per ſe ſit independens à corpore, vt ibidem oſtendimus, & appetitus rationalis ſequatur cognitionem, ſicut Chriſtus Dominus habuit aliquos actus iſtius ſcientiæ, ita etiam & voluntas eius aliquos iſtis correſpondentes, cúmque eſſet maximè grata Deo, etiam meritorios de condigno. Vnde quod poteſt obiici, nimirùm eſſe priùs exiſtere, quàm operari, & operationem ſupernaturalem præſupponere naturalem, id tantùm poteſt eſſe verum de prioritate naturæ, & non temporis; de cuius tamen inſtanti noſtra propoſitio procedit, & libertas tunc optimè potuit eſſe, quia voluntas habuit indifferentiam, quatenùs licèt de facto ſit operata, potuit tamen non operari. VII. VIII.

Propoſitio ſecunda: *Chriſtus Dominus à primo inſtanti ſuæ conceptionis, vſque ad finem vitæ ſemper meruit aliquo actu ſaltem interno.* Ita communiter omnes.

Probatur. Perfecta charitas poſtulat, vt quandiu intellectus cognoſcit bonum & honeſtum obiectum bonitate, & honeſtate ſupernaturali, tamdiu voluntas exerceat actus correſpondentes tali cognitioni, & proinde meritorios, ſuppoſito quòd intellectus & voluntas ſint alicuius ſancti viatoris: atqui charitas Chriſti Domini etiam viatoris fuit perfectiſſima, vt ſatis patet paſſim ex ſacris Litteris, &

I. intellectus eius semper à primo instanti suæ A creationis vsque ad finem vitæ habuit aliquem actum suæ scientiæ infusæ per se, circa aliqua obiecta supernaturalia, quia hæc cognitio est independens à phantasmatibus, vt docuimus, agendo de illa: ergo voluntas animæ Christi Domini semper etiam ab isto instanti suæ creationis vsque ad finem vitæ habuit aliquem actum meritorium; & proinde Christus Dominus continuis actibus meritoriis totam suam vitam peregit.

Propositio tertia: *Christus Dominus nihil promeruit ab instanti sua mortis.* Ita communiter omnes.

Probatur primò ex sancto Ioanne quarto capite, vbi Christus Dominus ait, *Me oportet facere opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.* Vbi per

II. hanc particulam, *dies*, intelligitur vita præ- B sens, per hanc particulam, *nox*, ipsa mors.

Probatur secundò. Solum tempus huius vitæ est tempus merendi, Ecclesiastæ nono, secundæ ad Corinthios quinto, & ibidem Patres & Interpretes asserunt: ergo cùm Christus Dominus sit homo, nec aliqua ratio sufficiens possit assignari, ob quam fuerit exceptus ab hac communi lege, meritum eius debuit finiri in eius morte.

Confirmatur. Tunc Christi Domini meritum finiit, quando nostra redemptio fuit consummata, quia eius meritum ordinabatur ad illam: atqui nostra redemptio fuit consummata in morte Christi Domini: nam ad Hebræos nono dicitur, *Per proprium sanguinem semel introivit in sancta, eternâ redemptione inuentâ.* Vnde quia instans mortis est extrinse-

III. cum vitæ & viæ, est etiam & merito, proindè- C que quia in illo instanti suæ mortis sumpto præcisè, Christus Dominus non erat ampliùs viator, non meruit in illo, & quando dicitur nos redemisse suâ morte, id debet intelligi per suam mortem *in fieri*, seu per illam passionem, quâ proximè tendebat ad mortem, non autem per mortem, vt *in facto esse*, quemadmodum sanctus Thomas rectè observat inferiùs quæstione quinquagesima-sextâ, & quinquagesima-septimâ.

Hinc vulnus inflictum lateri eius non fuit propriè meritorium, ne quidem per denominationem extrinsecam fundatam in ea voluntate, quâ viuens & præuidens illud acceptauit: Non, inquam, propriè fuit meritorium, quia, vt habetur expresè apud sanctum Ioannem capite decimo-nono, & definitur Clementinâ

IV. vnicâ de summa Trinitate, iam Christus Do- D minus erat mortuus: non item erat meritorium per prædictam denominationem extrinsecam, quia ad hoc, vt aliqua dicantur meritoria per talem denominationem extrinsecam, oportet quòd sint ab operante capace meriti: at dum hoc vulnus infligeretur, Christus Dominus non erat ampliùs capax meriti, quia non erat ampliùs viator, cùm esset mortuus: item opera quæ dicuntur sic meritoria, non debent habere libertatem distinctam à libertate voluntatis, ratione cuius dicuntur libera & meritoria: atqui hæc libertas erat alia; tunc enim libertas Christi Domini erat *comprehensoris tantùm, & non viatoris*: acceptatio tamen istius vulneris facta durante vitâ fuit propriè meritoria, quatenùs Christus Dominus præuidens vulnus illud, voluit liberè (cùm, loquendo absolutè, potuisset impedire) talem iniuriam inferri suo corpori, sicque hæc eius voluntas fuit meritoria. V.

Neque his obstat, quòd Patres communiter dicant Sacramenta fluxisse ex latere Christi Domini, non enim id intelligunt de merito, in quo efficacia eorum fundetur, vt patet ex dictis, sed id intelligunt *analogicè*, quatenùs nimirum aqua & sanguis ille, quæ effluxerunt ex latere Christi Domini iam mortui, fuerunt quædam symbola præcipuorum Sacramentorum nouæ Legis, quibus iustificamur, aqua baptismi, sanguis Eucharistiæ: simili etiam modo Ecclesia dicitur à Patribus *formata ex latere Domini*, quia nimirùm Ecclesia renascitur baptismo, & nutritur Eucharistia, quæ significantur per aquam illam, & eum sanguinem, quæ fluxerunt de latere Christi Domini. VI.

DISPVTATIO III.

De actibus per quos Christus Dominus meruit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quibus actibus Christus Dominus meruit.

PROPOSITIO prima. *Christus Dominus non meruit per actus suæ diuinæ voluntatis, nec actus humanæ eius voluntatis habebant formaliter rationem meriti à diuina eius voluntate.* VII.

Probatur priorpars. Meritum est inferioris ad superiorem, aut saltem eius qui ex se, & in sua potestate non habet quod ab alio expectat in mercedem, & ad quod obtinendum vel conseruandum ordinat actum suum honestum; atqui diuina voluntas Christi Domini nullum agnoscit superiorem, Christus enim Dominus, quoad illam, est æqualis suo Patri, nec datur aliquod bonum quo illa careat, possitve obtinere ab alio, est enim realiter Deus: Deus autem habet in seipso omnes & quaslibet perfectiones, nulla re indiget, Psalmo 15. ergo Christus Dominus non meruit per actus diuinæ suæ voluntatis.

Probatur posterior pars. Tunc tantùm actus VIII. vnius potentiæ habet formaliter rationem meriti ab actibus alterius potentiæ, quando duæ illæ, vel plures potentiæ habent eamdem libertatem, vt patet in actibus inferiorum nostrarum potentiarum, quæ licèt nullam formaliter in seipsis habeant libertatem, quia tamen *in genere moris* sunt liberæ eadem libertate quæ formaliter ineſt actibus interioribus nostræ voluntatis, vt *tali libertate informati*, sunt etiam meritorij, si habeant reliquas conditiones requisitas ad meritum: atqui libertas diuinæ voluntatis Christi Domini & libertas humanæ voluntatis eius, non sunt eadem formaliter libertas, hæc enim sequitur conditionem suæ voluntatis: ergo actus voluntatis Christi Domini non habebunt formaliter ratio-

I. nem meriti à diuina eius voluntate.

Propositio secunda. *Christus Dominus non meruit per actus necessarios suæ voluntatis creatæ.* Probatur. Esse liberum est conditio requisita necessariò vt aliquis actus sit meritorius siue præmij, siue pœnæ, aliàs enim per motus primò primos appetitus sensitiui in concupiscentiam mereremur damnationem, quod est contra communem doctrinam Ecclesiæ Catholicæ: ergo cùm actus necessarij careant libertate, quia necessitas opponitur libertati, voluntas Christi Domini quantumcumque sancta non meruit per actus suos necessarios.

Et quanquam de his omnibus conueniat inter Theologos, vbi tamen descenditur ad particularia, est inter illos controuersia de actibus amoris, vbi notandum est, *quadruplicem actum amoris* posse distingui in Christo Domino. II. *Primus* est *amoris beatifici* consequentis claram & intuitiuam visionem diuinæ essentiæ, & hic potest dupliciter considerari: primò, vt versatur *circa Deum duntaxat*: deinde vt versatur *etiam circa proximos & bona creata*, seu bona tantùm extrinseca, quæ beati volunt Deo. *Secundus* actus amoris est, qui sequitur scientiam per se infusam animæ Christi Domini. *Tertius* est gratiæ sanctificantis seu *charitatis*, licèt enim charitas patriæ & viæ sit vna & eadem, quia iuxta Apostolum, *charitas nunquam excidit*, hîc tamen alium habet statum, quàm ibi, vt patet in nobis. *Quartus est naturalis*, qui duo vltimi amores reperiuntur etiam in nobis existentibus in gratia.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus Dominus meruerit per aliquem actum amoris.

III. VASQVEZIVS hîc disputatione septuagesimâ quartâ, capite tertio, negat absolutè Christum Dominum meruisse per vllum actum amoris, seu charitatis, & dilectionis. Sit

Prima hæc nostra propositio. *Christus Dominus adhuc mortalis, seu viator meruit per aliquos actus amoris*, seu charitatis propriè sumptæ: est sancti Thomæ hîc quæstione decimanonâ articulo tertio in responsione ad primum, est etiam Scoti, in tertium sententiarum, distinctione decima-octauâ, quæstione vnicâ, & ferè communis omnium recentiorum.

IV. Probatur primò, ex illo Christi Domini apud sanctum Ioannem capite decimo-quarto, *Sed vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio: surgite, eamus hinc.* Quo loci Christus Dominus explicat se ex vero affectu sinceræ charitatis procedere ad patiendum pro nobis: item sanctus Ioannes passim in suis epistolis: similiter sanctus Paulus: item & sanctus Petrus commendant charitatem Christi Domini erga Deum. Neque est quòd Vasquesius aut aliquis alius explicet hæc & similia *de dilectione sumpta impropriè*, & quæ sit ab aliquo alio habitu quàm ipsius charitatis propriè sumptæ: nam, ex receptissima apud omnes Theologos regula sancti Augustini, verba sacræ Scripturæ sunt accipienda in sua significatione, vbi nullam includunt imperfectionem, aut repugnantiam, vel indecentiam.

At actus charitatis propriè sumptæ, nihil horum includunt, ratione cuius, termini qui in sacris Litteris important aliquos actus charitatis, vbi est sermo de Christo Domino, debeant à sua significatione propria transferri ad aliam, imò vicunt magnam perfectionem, ratione cuius debuerint esse in illo: nam propria, & specifica eius ratio est *diligere Deum vt summè bonum propter ipsummet Deum*, & etiam propter illum operari: hoc autem est summè perfectum, cùm Deus ita seipsum amet, & operetur omnia propter seipsum. Deinde vbi habitus aliquis est Christo Domino infusus ad connaturaliter operandum, Christus Dominus debuit ex illo aliquem actum, tali habitui proprium, aliquando exercere, ne dicatur fuisse in illo otiosus: atqui charitas fuit infusa animæ Christi Domini ad Deum connaturaliter amandum, & ad connaturaliter exercendum actus meritorios, vt ostendimus ad quæstionem septimam, disputatione tertiâ, articulo secundo, est enim charitas (siue distinguatur à gratia sanctificante, siue non) radix & principium meriti: igitur veri actus veræ & formaliter dictæ charitatis fuerunt in Christo etiam viatore, & cùm essent boni, honesti, liberi, & ab illo ordinati ad Deum colendum & aliquid etiam obtinendum, fuerunt propriè meritorij. Tandem videtur valdè improbabile, imò & indecorum, admittere in puris viatoribus actus veræ dilectionis erga Deum, & apud illum meritorios, in Christo autem Domino etiam viatore nullos velle tales admittere: cùm, vt animaduertimus, nulla in istis actibus imperfectio aut indecentia reperiatur.

A V. B VI. C VII. D VIII.

Atque hinc patet falsum esse, quod loco superiùs citato contendit Vasquesius, scilicet nullum alium amorem fuisse in Christo præter beatificum, item esse falsum actus illos dilectionis Christi Domini, quibus nostra redemptio satis frequenter in sacris Litteris tribuitur, non fuisse loquendo propriè ab habitu charitatis, sed ab habitu beneficentiæ, vel misericordiæ. Nam & proprietas verborum sacræ Scripturæ, quibus stabiliuimus nostram propositionem, & excellentia huius virtutis supra omnes alias absque vlla etiam quantumlibet minima imperfectione, vel indecentia, arguunt totum istud esse falsum. Deinde ad id quod Vasquesius ibi subiicit de habitu beneficentiæ & misericordiæ potest responderi, bonos & meritorios actus Christi Domini posse duobus modis considerari: vno, provt important præcisè rationem boni propter Deum voliti, & sic sunt actus charitatis. Altero, provt specialiter ordinantur in bonum generis humani, & sic possunt esse specialis virtutis & habitus, vt sanctus Thomas expressè tradit secundâ secundæ, quæstione trigesima-primâ articulo primo: Quare sicut ambo isti habitus sese inuicem compatiuntur, similiter & proprij illorum actus.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus Dominus per aliquem actum amoris beatifici meruerit.

SENTENTIA est quorumdam recentiorum, vt Gregorij à Valétia, hîc puncto secundo, amorem beatificum animæ Christi Domini, quatenus versatur duntaxat circa Deum, (quia vt sic est necessarius) non fuisse meritorium in

I. Christo Domino, vt autem versatur circa proximos & bona extrinseca illi volita, fuisse meritorium. Est & quorumdam aliorum opinio beatificum amorem animæ Christi Domini, vt etiam vagè & indeterminatè versatur circa Deum, fuisse meritorium.

Sed contra duas istas opiniones sit hæc nostra propositio. *Christus Dominus adhuc mortalis, nullomodo meruit per actus amoris formaliter beatifici, siue illi spectentur vt tantùm versantur circa proximum, & bona ipsi Deo extrinseca, siue vt versantur circa ipsummet Deum.* Et hæc propositio videtur esse expressa sententia sancti Thomæ hîc articulo tertio, in solutione ad primum, in his eius verbis de Christo Domino, *Nec tamen per charitatem meruit, in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris:* quo loci ista particula, *inquantum*, bis posita sumitur II. *specificatiuè*, vt Philosophi loquuntur, seu explicat & determinat statum Christi Domini, secundùm quem ipsum mereri competat ei, & secundùm quem ei non conueniat, quòd scilicet cùm in Christo Domino ante eius mortem duo distingueretur status, & actus distincti, istis statibus propriè correspondentes, nimirùm status *comprehensoris*, id est, videntis Deum clarè & intuitiuè, cui amor beatificus correspondet: item status *viatoris*, cui aliæ scientiæ tam infusæ per se, quàm per accidens, & actus dilectionis ei proportionati correspondent: Christum Dominum non meruisse per actus illos, qui propriè sunt eius tanquam comprehensoris, nec proinde per amorem illum, qui erat formaliter beatificus. In quibus paucis verbis sancti Thomæ totum fundamentum huius nostræ propositionis continetur, quod est hoc. Vt aliquis III. actus liber, honestus, & bonus, etiam honestate & bonitate supernaturali, sit meritorius, inter alias conditiones requiritur ex parte subiecti, vt sit verè & formaliter viatoris, quemadmodum patet in aliis beatis à Christo Domino, qui defectu huius conditionis non merentur apud Deum bonis & supernaturalibus actibus liberis, quos exercent extra visionem beatificam: sed omnes illi actus dilectionis beatificæ, quos recensent auctores supradictarum sententiarum, & modo quo considerantur ab illis, sunt verè & formaliter comprehensoris, non autem viatoris, quia formaliter, intrinsecè & propriè fundantur in cognitione beatifica, & ab illa propriè & formaliter diriguntur, & feruntur in sua obiecta vt per claram & intuitiuam visionem diuinæ essentiæ cognita: igitur quocumque modo considerentur omnes illi actus IV. dilectionis beatificæ, non sunt meritorij, nec ex consequenti Christus Dominus ante suam mortem per illos meruit. Dices, etsi actus isti dilectionis beatificæ per se, ex se & ex propria sua conditione pertineant ad statum beatificum, vti tamen sunt liberi, & in subiecto adhuc existente in via induunt quemdam modum pertinentem ad statum viæ, & ex consequenti erunt meritorij.

Sed hæc responsio refellitur: nam status subiecti, ex se, & ex sola sua consideratione sumpta præcisè, non potest facere vt actus qui præcisè, formaliter & vt hoc & isto formali modo exercitus pertinet ad statum formaliter beatificum, induat quemdam modum formaliter & intrinsecè pertinentem ad statum sibi oppositum, (quia aliàs isti actus ex se, & sua natura A non ampliùs pertinerent ad suos particulares status, sed ex se, & natura sua essent communes vtrique statui, & sic non essent ampliùs, ratione diuersi status, sibi inuicem oppositi:) sed omnes isti actus dilectionis beatificæ vt eliciti ab anima Deum clarè & intuitiuè vidente, & ex directione cognitionis beatificæ pertinent ad statum formaliter beatificum, quia beatifica dilectio, quæ versatur circa Deum, pertinet aut ad essentiam beatitudinis, quatenus beatitudo essentialiter consistit in duobus actibus cognitionis, scilicet dilectionis seu fruitionis diuinæ essentiæ; aut saltem pertinet ad eius complementum essentiale: igitur etiamsi actus isti dilectionis beatificæ sint in subiecto habente secundùm aliam sui considerationem statum viatoris, non propterea tamen induent aliquem modum pertinentem ab statum viæ cuiusmodi est esse meritorium. B VI.

Obiiciunt auctores prioris sententiæ amorem beatificum animæ Christi Domini, prout versatur circa proximos & bona Deo extrinseca, esse liberum. Similiter auctores secundæ sententiæ obiiciunt amorem beatificum animæ Christi Domini, prout versatur circa Deum, fuisse necessarium quidem *vagè*, & *indeterminatè*, liberum tamen *determinatè*, *& in particulari*, quatenus potuit hunc vel istum actum amoris exercere circa Deum, & proinde fuisse liberum: ergo, cùm Christus Dominus esset adhuc viator, potuit per eiusmodi actus mereri.

Respondetur, quidquid sit de istis dilectionis beatificæ actionibus sintne liberæ, vel non, (quod discutere non est huius loci, sed pertinet ad disputationem de beatitudine) cùm bonum sit ex integra causa, malum autem ex quo- C VII. cumque defectu, & ostenderimus actus illos non esse Christi Domini vt viatoris, qui tamen status ex communi omnium sententia requiritur ad meritum, non propterea posse inferri tales actus Christi Domini fuisse meritorios.

Articvlvs IV.

Vtrùm Christus Dominus meruerit per actus amoris consequentis scientiam per se infusam.

Respondetvr affirmatiuè. Et hæc propositio colligitur ex sancto Thoma citato articulo septimo, dum ait Christum Dominum meruisse per charitatem vt illa erat via- D VIII. toris: est etiam Ferrariensis libro tertio contra Gentes capite sexagesimo, vbi pro ea refert Capreolum: est etiam plurium recentiorum hîc contra Vasquesium loco suprà citato, & aliquos alios.

Quæ vt probetur tria præstanda sunt. Primum est ostendere talem amorem dari in voluntate animæ Christi Domini. Secundum est, illum esse distinctum ab amore beatifico. Tertium amorem hunc fuisse meritorium. Primum probatur. Voluntas bene disposita potest per affectum amoris tendere in obiectum, iuxta illum specialem modum, quo tale obiectum cognoscitur à proprio intellectu esse bonum; quia voluntas est appetitus rationalis; item amor boni, & eius cognitio sese consequuntur in subiecto bene disposito: est enim cognitio ad illuminandum

I. voluntatem, quæ de se est cæca: atqui voluntas animæ Christi Domini etiam tempore viæ semper fuit bene dispositæ: nam erat informata omnibus, & singulis virtutibus, tam infusis per se, quàm iis quæ per se possunt acquiri, vt ostendimus ad quæstionem septimam. Item & impeccabilis ex dictis suprà, & præterea per scientiam per se infusam, modo quodam speciali, & à modo cognoscendi per visionem beatam distincto, cognoscebat Deum vt summum bonum, vt summè amandum supernaturali amore: item & pleraque entia supernaturalia creata, vt obiecta quædam amabilia, quemadmodum patet ex dictis suprà ad quæstionem de scientia infusa per se, disputatione de eius obiectis: igitur voluntas animæ Christi Domini poterat, speciali amore correspondenti cognitioni per se infusæ, tendere in Deum, vt summè amandum, vt summè bonum, & in obiecta supernaturalia creata, quæ cognoscebat per scientiam infusam per se: ergo cùm voluntas animæ Christi Domini non fuerit otiosa circa obiecta sibi per suum intellectum proposita, quemadmodum intellectus animæ Christi Domini de facto ostendebat suæ voluntati supernaturalem bonitatem, & honestatem eiusmodi obiectorum, ita & hæc ferebatur circa illa aliquo affectu supernaturalis dilectionis & amoris.

II. Quòd item amor iste fundatus in scientia per se infusa sit alius & distinctus ab amore consequente scientiam beatam in anima Christi Domini, Probatur. Amor Dei vt summi boni fundatus in sola cognitione abstractiua Dei, & amor eiusdem Dei, vt summi boni fundatus in sola cognitione intuitiua Dei, sicuti est in seipso, sunt à se inuicem distincti, quia posterior est necessarius, & rapit voluntatem ad amorem talis obiecti, prior autem liber, nec necessitat voluntatem ad exercitium actus: sed amor ille, quo voluntas animæ Christi Domini existentis in via amabat Deum tanquam summè bonum per scientiam per se infusam cognitum, fundatur præcisè in sola cognitione abstractiua, quia proprius modus huius scientiæ est cognoscere sua obiecta tantùm *abstractiuè*, modus verò scientiæ beatæ proprius est cognoscere Deum *intuitiuè, & in ipso*, vt patet ex dictis superiùs de hac vtraque scientia: igitur amor ille quo voluntas animæ Christi Domini amat Deum & obiecta supernaturalia vt cognita per scientiam infusam per se, est alius & distinctus ab amore beatifico, quo eadem voluntas animæ Christi Domini amat Deum vt clarè visum.

III.

IV. Deinde eadem distinctio huius vtriusque amoris probatur. Vbi obiectum aliquod formaliter idem, quoad *rationem quæ* in illo attingitur, admittit aliquam varietatem seu diuersitatem materialem, occasione cuius postulat cognosci duabus distinctis cognitionibus, ibi etiam duo admitti debent actus voluntatis, duabus istis cognitionibus correspondentes, quibus voluntas per affectum tendat in istud obiectum sibi per huiusmodi cognitiones cum hac speciali diuersitate, tantùm materiali, propositum tanquam bonum: atqui Deus cognitus vt summè bonus, itémque obiecta creata entitatiuè supernaturalia, vt cognita quoad suam propriam bonitatem, ita sunt eadem formaliter penes *rationem quæ* in illis attingitur, vt tamen admittant aliquam materialem diuersitatem, ratione cuius postulant cognosci ab anima Christi Domini alia speciali cognitione, nimirùm *beata*, quatenus Deus cognoscitur *intuitiuè & in seipso*, & alia obiecta creata supernaturalia, & eorum bonitas; item & alia etiam speciali cognitione, scilicet *infusa per se*, quatenus propria illorum bonitas cognoscitur tantùm *abstractiuè*. igitur & in voluntate animæ Christi Domini duo admitti debent distincti actus amoris, vnus, quo per affectum tendat in ista obiecta, quatenus vnam includunt materialem varietatem, & alius quo tendat per affectum in eadem quidem obiecta, sed provt includunt aliam materialem varietatem. Maior propositio probatur. Voluntas, cùm sit appetitus rationalis, debet posse exercere actus appetitionis & amoris provt rationes boni in obiecto sibi proponuntur ab intellectu: ergo vbi duo dantur actus cognitionis quibus propter materialem varietatem obiecta formaliter eadem attinguntur, & proponuntur voluntati prosequenda, duo similiter actus amoris debent dari. Deinde eadem Maior probatur exemplis. Primum est, actus fidei speculatiuus, & actus fidei practicus sunt ex eodem motiuo formali, & attingunt eamdem rationem *formalem quæ* obiecti, quia eorum vnus versatur circa suum obiectum, vt est *speculatiuè bonum*, & alter circa illud idem vt est *practicè bonum*, & tamen quia, vt sic, important aliquam diuersitatem materialem, dantur etiam duo distincti actus amoris seu dilectionis, vnus obiectorum eius, vt sunt speculatiuè bona, & alius practicus à præcedenti distinctus propter solam diuersitatem materialem eiusdem obiecti. Secundum exemplum est amoris illius qui est in beatis, & amoris illius per charitatem qui est in iustis viatoribus. Nam licèt hîc, & in patria, sit eadem specie charitas, idem formale obiectum illius in via, & in patria, (hæc enim ex Apostolo primæ ad Corinthios decimotertio *nunquam excidit.*) quia tamen ibi quædam materialis diuersitas reperitur (nam beatus amat quidem Deum vt summè bonum, sed tamen intuitiuè cognitum, iustus autem viator vt obscurè & per fidem duntaxat cognitum) sit vt isti duo actus amoris Dei dentur, quibus voluntas creata fertur in Deum vt summè bonum cum prædicta diuersitate materiali tantùm. Minor eiusdem secundæ nostræ rationis satis patet ex dictis suprà de scientia beata animæ Christi Domini, item & de infusa per se & obiectis illarum: nam vtrobique sunt eadem quoad *formales rationes quæ attinguntur*, quia tamen admittunt aliquam materialem diuersitatem, non desinunt fundare duos amores quos dirigunt.

V.

VI.

VII.

VIII. Tertium denique, scilicet, *secundum illum amorem, qui consequitur scientiam per se infusam, fuisse* in Christo Domino adhuc viatore meritorium, probatur. Actus ille, quo anima Christi Domini adhuc viatoris, reflectendo se suprà scientiam sibi per se infusam, delectabatur, & quo Deum ex tali scientia cognitum amabat, erat actus amoris in scientia per se infusa fundatus, quia tam ipsa eius directio, quàm formales obiectiuæ rationes illum terminantes sunt obiectorum, vt per scientiam infusam per se cognitorum, nec potest, vt sic, esse actus amoris formaliter beatifici, vel eius qui est in puris viatoribus iustis: sed talis amor fuit in voluntate animæ Christi Domini, quia fuit capax illius eliciendi, & proinde cùm non fuerit

I. otiosa, illum de facto exercuit, & actus ille in Christo Domino adhuc viatore fuit meritorius; nam habet omnes, & singulas conditiones ad meritum requisitas; erat enim honestus, liber, exercitus à viatore ipsi Deo summè grato: item ad aliquid nobis obtinendum directus, vt facilè intelligitur ex summa illa charitate, qua procurauit nostram salutem: ergo actus ille amoris fundati in scientia per se infusa fuit in Christo Domino meritorius.

ARTICVLVS V.

Obiectiones contrariæ soluuntur.

PRIMA obiectio. Voluntas per scientiam beatam determinata ad amandum Deum, non potest per aliam scientiam inferiorem iterum determinari ad illum amandum; nec ex consequenti habere aliquem actum amoris circa illud idem obiectum huic scientiæ inferiori correspondentem: atqui voluntas animæ Christi Domini est per scientiam beatam determinata ad amandum Deum, vt summè bonum, sicut & omnes beati sunt ad amandum Deum determinati: & scientia per se infusa animæ Christi Domini est inferior beata eius scientia, vt patet ex iis quæ de illa vtraque diximus: igitur voluntas animæ Christi Domini non potest per scientiam infusam per se determinari ad Deum amandum, nec proinde habere aliquem actum amoris huic scientiæ per se infusæ correspondentem, quo Deum amet. Maior probatur. Cognitio minùs perfecta obiecti non mouet voluntatem in præsentia vehementioris & perfectioris cognitionis circa illud idem obiectum: exempli causâ, aliquis ductus sola fide humana amat Iacobum, quando postea illum videt, & amat, hæc sola cognitio intuitiua quam habet, illum mouet ad amandum.

Respondetur, negando Maiorem, similiter & quod affertur in eius probationem: nam quando vna & eadem veritas probatur medio scientifico, & alio medio tantùm probabili, licèt probatio scientifica magis & perfectiùs moueat intellectum ad assensum, intellectus tamen non desinit etiam ad illum moueri, licèt minùs perfectè per medium duntaxat probabile, similiter & voluntas vbi habet duo motiua, vnum perfectius, alterum minùs perfectum, non desinit ab vtroque moueri: esto, ab vno magis perfectè, & ab alio minùs perfectè, & scientia beata animæ Christi Domini sicut est Dei clarè & intuitiuè visi in se, sic etiam præcisè considerata solummodò determinat, imò rapit & necessitat voluntatem animæ Christi Domini ad amandum Deum clarè visum: quare cùm amor iste, de quo hîc loquimur, non sit Christi Domini vt præcisè *comprehensoris*, sed vt *viatoris*, fit vt per scientiam beatam nullo modo impediatur elici.

Secunda obiectio. Ad solam multiplicationem *conditionis sine qua non*, vel etiam solius regulæ dirigentis facultatem, actus illius non multiplicantur solo numero circa idem materiale obiectum, & ex eodem formali motiuo; sed in præsenti difficultate cognitio beata, & cognitio infusa per se, quæ sunt in Christo Domino, sunt tantùm quædam *conditio sine qua non*, vel saltem *quædam regulæ dirigentes* actus creatæ eius voluntatis, de quorum numero est amor, & ille vterque amor, qui iuxta sententiam contrariam dicitur fundari in istis duabus scientiis, est circa idem obiectum materiale, scilicet circa Deum authorem gratiæ, summè bonum, & circa obiecta supernaturalia, vt sunt propter Deum amabilia, & ex eodem formali motiuo eiusdem specie virtutis, nimirùm charitatis infusæ per se, & habent materialem tantùm diuersitatem à se inuicem: ergo amor ille non debet multiplicari quoad actum, seu duo isti actus amoris non debent dari, sed vnus duntaxat sufficit, nimirùm amor correspondens scientiæ beatæ, quæ est in intellectu animæ Christi Domini. Maior patet in fuga alicuius mali, & prosequutione boni, sub eadem formali ratione per diuersa præcepta iniuncti. Minor patet, quoad posteriorem sui partem ex confessione authorum contrariæ sententiæ: patet etiam quoad priorem, quia cognitio obiecti non est causa efficiens volitionis, seu amoris circa illud, sed est tantùm conditio ad illam prærequisita in voluntate, quæ quia de se est cæca, postulat illuminari & dirigi per cognitionem obiecti, circa quod debet actum exercere.

Confirmatur hæc obiectio. Duo accidentia solo numero distincta non possunt dari simul & semel in eodem subiecto: sed isti duo amores Dei, beatificus, & qui dicitur correspondere scientiæ per se infusæ, distinguuntur solo numero, quia sunt eiusdem speciei, nimirùm à charitate Theologica eliciti, quæ charitas est vna & eadem in via & in patria: igitur cùm amor Dei vt summè boni, correspondens visioni beatificæ daretur in anima Christi Domini adhuc mortalis, amor correspondens scientiæ eius per se infusæ, tunc non fuit in eius voluntate.

Respondetur, Maiorem huius obiectionis tunc tantùm esse veram, quando *hæc conditio sine qua non, & regula dirigens facultatem in operando*, multiplicantur sine vlla diuersitate materiali in obiecto, quæ per cognitionem dirigentem ita repræsentetur, vt etiam facultas non tendat in istud obiectum, provt est affectum hac diuersitate materiali: at quando materialis varietas datur in obiecto cum conditionibus hîc ei appositis, tunc prædicta Maior propositio est falsa vt patet, exemplis articulo præcedenti allatis in confirmationem probationis secundæ partis nostræ responsionis. Ex quo patet responsio ad confirmationem petitam ab actu fugæ mali, & prosecutionis eiusdem boni, quæ tamen iniungitur per diuersa præcepta; tunc enim ista materialis varietas non repræsentatur voluntati per cognitionem, vel si repræsentetur, voluntas non tendit in prosecutionem istius boni, provt est hac materiali varietate affectum, sed hæc eius varietas sese habet merè per accidens.

Ad confirmationem huius secundæ obiectionis respondetur consentancè ad solutionem eius datam, similiter Maiorem eius esse solummodò veram de iis accidentibus, quæ ita sunt eiusdem speciei infimæ, vt nullam habeant diuersitatem etiam materialem, quæ tamen reperitur in præsenti difficultate, & tunc duo hæc accidentia eiusdem speciei accipiunt suam differentiam numericam ab entitate sua, *non simpliciter* & secundùm se considerata, sed *vt respiciente diuerso* modoidem obiectum, quomodo

II. III. IV. V. VI. VII. VIII.

I. facilè intelliguntur seſe, citra aliquod miſtaculum, compati in vno & eodem numericè ſubiecto, nec vnum intendere alterum.

Tertia obiectio. Anima Chriſti Domini, etiam dum eſſet in via, per eum amorem non meruit, qui propriè eſt *comprehenſoris*, vt ſuprà docuimus: atqui amor ille qui ſequitur ſcientiam per ſe infuſam, eſt propriè comprehenſoris, hæc enim eſt ſolis Beatis propria, & hoc titulo, eſt etiam in intellectu animæ Chriſti Domini, vt patet ex dictis de illa ad quæſtionem nonam: igitur anima Chriſti Domini per hunc amorem ſcientiæ per ſe infuſæ correſpondentem non meruit.

Reſpondetur, aliquid duobus modis dici propriè eſſe *comprehenſoris, vno formaliter*, altero *cauſaliter*. Illud dicitur eſſe, *formaliter propriè comprehenſoris*, quod Beato competit formaliter præcisè ex vi & efficacia claræ & intuitiuæ viſionis, ratione cuius ita eſt beatus, vt ſi careret illo, tunc non cenſeretur eſſe *completè formaliter beatus*: quo modo clara & intuitiua viſio diuinæ eſſentiæ, & eius fruitio, ſeu amor beatificus correſpondens huic viſioni, pertinent ad completè formaliter beatum, imò illum conſtituunt in ſtatu *comprehenſoris*. Solis enim iſtis duobus poſitis in aliqua intellectuali creatura, & aliis omnibus ab illa ſeclusis erit beata & verè completa, quoad formalem rationem comprehenſoris præcisè ſumptam, vt intelligitur ex iis, quæ Theologi primâ ſecundæ tradunt de formali beatitudine Sanctorum, & de eo, in quo illa formaliter conſiſtit: illud verò dicitur eſſe tantùm *cauſaliter* proprium comprehenſoris, quòd licèt ex ſe, & natura ſua non poſtulet ſuum ſubiectum videre Deum clarè & intuitiuè, eſt II. tamen talis conditionis, vt ex quadam tantùm decentia, petita ex parte ſtatus beatifici, gratuitò & liberaliter detur à Deo Beatis extra viſionem beatificam eſſentiæ diuinæ, & fruitionem ei correſpondentem: quomodo cognitio aliquarum creaturarum, quam Beati habent extra Verbum, dicitur pertinere ad ſtatum comprehenſoris, inter quos duos modos hæc eſt diſtinctiò, quòd quia poſterior non habet intrinſecum ordinem, vel connexionem cum clara viſione diuinæ eſſentiæ, nec ex ſe & propria ſua conditione poſtulat eſſe in ſubiecto formaliter beato beatitudine ſupernaturali, ſed illi tantùm quaſi per accidens (loquendo in rigore phyſico) conuenit: ideò ſi reperiatur in aliquo ſubiecto viatore, cum aliis conditionibus ad meritum ſufficientibus, qualis erat in Chriſto Domino ante mortem eius, erit etiam loquendo propriè meritorium. Et de hoc poſteriori ordine ſunt tam ſcientia per ſe infuſa, quàm amor ei correſpondens in anima Chriſti Domini: quare potuit eſſe, imò fuit de facto meritorius in illo.

IV.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Chriſtus meruit per actus amoris correſpondentis charitati viæ, & per actus amoris naturalis, & liberos actus aliarum virtutum.

SIT hæc prima noſtra propoſitio. *Chriſtus Dominus meruit per actus liberos ſanctificatis gratiæ habitualis; item & dilectionis naturalis.* Prior pars de ſupernaturali dilectione Dei, probatur, ex hoc Chriſti verbo apud ſanctum Ioannem, A capite extremo decimo-quarto, *Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio*: nam in primis Chriſtus ibi loquitur vt homo, quia loquitur de ſe & ſuo Patre, vt inferior de ſuo ſuperiori, *mandatum*, inquit, *dedit*; item de ſua erga illum ſupernaturali dilectione creata eáque meritoria, quia aſſerit ſe ex motiuo ſingularis dilectionis, quo amat Deum Patrem, ire obuiam inimicis, pro exequendo eius mandato de ſubeunda morte pro nobis, per quam certũ eſt eũ promeruiſſe noſtrã redemptionem. Eadem pars propoſitionis probatur de ſupernaturali dilectione proximi, ex capite decimo tertio ſancti Ioannis, vbi ita ſcribit de Chriſto Domino. *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*: quæ verba licèt ad litteram ſignificent Chriſtum amaſſe ſuos diſcipulos, & ab hac ergà illos dilectione nunquam, etiam tempore ſuæ paſſionis, & mortis deſtitiſſe: attamen iuxta explicationem ſanctorum Patrum, vt Cyrilli Alexandrini, & aliorum, quos refert & ſequitur ad hunc locum Toletus annotatione ſexta, inſinuant Chriſtum ex actu charitatis propter illos mortem ſubiiſſe ad hunc ſenſum, quo hæc loquendi formula Euangeliſtæ, *diligere aliquos in finem*, idem ſonat ac mortem pro eis non recuſare. Item Apocalypſis primo capite dicitur de Chriſto, *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris, in ſanguine ſuo*. ad Romanos quinto, *Cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, & paulò pòſt, *Cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem Filij eius*. Ex quibus & aliis ſimilibus Scripturæ teſtimoniis hæc ratio formatur pro primâ parte præſentis propoſitionis. Mori pro proximo, & eum etiam inimicum reconciliare Deo, vt ſummè bono & auctori gratiæ, propter Deum vt ſic ſpectatum, eſt actus dilectionis meritorius. Qui vbi, & quando exercetur à ſubiecto habituali gratia informato, & mòdo illi conuenientiſſimo, tunc elicitur ex habitu gratiæ, ſeu charitatis: ſed Chriſtus Dominus eſt mortuus pro nobis Deo, cui eramus inimici, reconciliandis, & reipſa nos reconciliauit Deo, *lauit nos à peccatis in ſuo ſanguine*. Item tunc erat informatus gratia habituali, vt patet ex dictis ad quæſtionem ſeptimam, diſputatione ſecundâ, articulo primo, & diſputatione ſeptimâ, articulo ſeptimo; & elicere actum ex habitu, eſt modus conuenientiſſimus principio illum elicienti, ſeu proprio ſubiecto; ſic enim actus exercetur connaturaliter: ergo Chriſtus habuit actum dilectionis meritorium, ex habituali gratia, ſeu charitate elicitum, & ex conſequenti meruit per actum dilectionis correſpondentem habituali gratiæ, ſeu charitati viæ. Singulæ partes maioris patent: prima, quòd ſcilicet ſit actus dilectionis, quòd item meritorius ex ipſius ſacræ Scripturæ textu relato. Tertia, nimirùm quòd ſit ab habitu gratiæ ſanctificantis ſeu charitatis, patet ex eo quòd Patres dum vtuntur hoc teſtimonio Chriſti Domini, vbi vulgata editio habet *maiorem dilectionem*, ſatis frequenter dicunt *maiorem charitatem*, vt ſanctus Bernardus ſermone feriæ quartæ hebdomada ſancta, item Eccleſiæ in publico communi officio de Apoſtolis: vltima denique pars patet, ex eo quòd habitus per ſe infuſi dantur non tantùm ad poſſe operari, quia iſtud poteſt haberi per aliquod auxilium ſpeciale actuale gratiæ adiuuantis, ſed etiam vt ſubiectum illorum agat per aliquod principium

B

C

D

V. VI. VII. VIII.

I. sibi permanenter inexistens, tanquam per modum sibi connaturalem. Item singulæ partes Matris patent ex sibi adiunctis. Posterior pars propositionis quæ est *de naturali dilectione*, probatur, & primò quòd illa fuerit in Christo Domino, patet ex illo apud sanctum Ioannem, capite vndecimo, *Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum*, quod etiã intelligi potest de ea naturali honestã, seu morali dilectione, quæ solet esse inter familiares, qui alios vt amicos excipiunt hospitio. Toletus expressè notat ad illum locũ annotat. 4. Vnde quãdo sorores Lazari scripserunt ad eum, *Ecce quem amas, infirmatur*, intelligebant hanc particulam, de illa naturali honesta dilectione, sicut & quando postea dixit Apostolis, *Lazarus amicus noster dormit*, esto, dilectionem supernaturalem non excluderet: nam sorores, vt S. Chrysostomus animaduertit homiliã 61. in sanctum Ioannem II. ferè in initio, ob familiaritatem quam habebant cum Christo, existimarunt sufficere mittere nuncium, & fore vt veniret præsens eum sanaturus, quia alloquuntur Christum vt hominem, *Si fuisses hic, non esset mortuus*, & vna ex causis ob quas *Christus infremuit spiritu, & lachrymatus est*, fuit affectus compassionis quo mouebatur erga prædictas sorores: quemadmodum hæc causalis particula illius textus Euangelij, *Ergo*, declarat. *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes*, &c. *Et lachrymatus est*, quod etiam astantes Iudæi agnouerunt, *dixerunt ergo Iudæi, ecce quomodo amabat eum*: ergo actus dilectionis naturalis erga proximos fuerũt in Christo. Quòd verò actus isti fuerunt studiosi & meritorij probatur, quia fuerunt tantæ perfectionis, imò longè maioris in illo, quàm sunt in III. puris iustis hominibus, maximè cùm nullam habeant oppositionem, vel indecentiam cum vnione hypostatica, sicut diximus de defectibus assumptis: sed isti actus dilectionis naturalis in puro homine iusto viatore sunt meritorij, si ab eo ordinentur ad aliquod præmium vitæ supernaturalis, vt communiter Theologi docent primâ secundæ agendo de merito, nec aliqua sufficiens ratio apparet, ob quam Christus Dominus tales actus non etiam ordinauerit ad aliquod præmium: ergo Christus meruit de facto per actus dilectionis naturalis.

Secunda propositio. *Christus Dominus adhuc viator meruit per omnes actus liberos omnium reliquarum virtutum tam per accidens, quàm per se infusarum*. Probatur posterior pars de virtutibus infusis per se, vt de obedientia, humilitate, patientia, ex illo Apostoli ad Philippenses 2. IV. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Quo loco hæc particula *propter quod* apertè denotat Christum meruisse per talem actũ. De temperantia probatur, nam Christus meruit iis omnibus & singulis virtutũ actibus, quibus superauit dæmonẽ cum tentantem in deserto, cap. 4. S. Matthæi, & cap. 3. Lucæ, vt S. Damascenus signat lib. 3. de fide Orthodoxa cap. 20. sic de hac Christi tentatione scribens, *Tentatus est, ac superauit, vt nobis victoriam compararet, naturæque nostræ frangendi aduersarij vim tribueret, qua videlicet natura iampridem victa, per eosdem impetus per quos victa erat, victoriam ei qui olim vicerat, extorqueret*: Atque vnum ex mediis, quibus tunc Christus superauit dæmonem, fuit actus temperantiæ per se infusę, scilicet ieiunium illud insigne quadraginta dierum, & quadraginta noctium, vt patet ex citato loco Euangelistarum: & ideò esuritio, seu fames quæ subsequuta est hoc ieiunium, vocatur à S. Ambrosio sic lib. 3. in S. Lucam, *Pia fraus pro triumpho de dæmone referendo*. Item patet de paupertate; nam Apostolus 2. ad Corinthios cap. 8. ait de Christo, *Christus propter vos factus est egenus, cùm diues esset, vt illius inopiâ, vos diuites essetis*, quæ verba explicant illum nobis promeruisse bona spiritualia per illam paupertatem, & inopiam rerum temporalium quam passus est. Item probari potest de aliis virtutum aliarum etiam per accidens infusarum actibus; nam virtutes sunt non tantùm ad ornamentum, sed etiam & præcipuè ad operandum. Atqui Christus Dominus habuit omnes virtutes tam per accidẽs quàm per se infusas, quæ nullum habent oppositum vel VI. disconuenientiã cum vnione hypostatica, & actiones illarum in iusto viatore ad Deum ordinatæ sunt de facto meritoriæ, vt obseruauimus ex communi omnium Theologorum doctrina: ergo cùm illæ non fuerint in Christo Domino ortæ, sed ex illis operaretur, & illorum actus ordinaret in honorem Dei, & in bonum humani generis, pro quo redimendo venerat, de facto meruit per illos. Verùm quæres, cùm duplex sit præceptum, vnum affirmatiuum, alterum negatiuum, an etiã meruerit obseruando negatiua: Vasquesius hic disp. 74. cap. 5. existimat nullum esse meritum in obseruatione præcepti negatiui, quod sola negatione actus vetiti potest obseruari, quia meritum requirit opus: quare Christus Dominus consequenter per istos actus vt sic consideratos non meruit: Verùm melius respondetur obseruationem præcepti sumptam propriè non consistere in VII. C nuda tantùm negatione actus vetiti, sed in abstinentia, aliquo morali modo, libera ab opere prohibito in persona sciente & potente per se agere.

Prior pars responsionis probatur. Obseruatio præcepti sumpta formaliter est aliquid morale: nam ad illam moralitas supponitur: & præcepta dantur tantùm habẽtibus vsum rationis & agẽtibus modo morali. Sed pura negatio actus prohibiti importata per præceptũ negatiuũ nihil dicit morale, quia nihil ipsius rationis, etiam virtualiter, includit, vt patet in dormientibus, aut aliis vigilantibus quidem, sed nihil planè etiam virtualiter, aut aliquo modo, etiam remotè, implicitè cogitantibus de re vetita, aut aliquo ad illam spectante: ergo obseruatio præcepti negatiui non consistit in nuda tantùm negatione actus prohibiti per negatiuum præceptum. Posterior D pars patet ex illo cap. 31. Ecclesiastici, vbi dicitur, VIII. *Beatus, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*. Quare cùm id, quod apud Deum meretur laudem in iusto vlterius ei valeat ad mercedem, & retributionem, si ab illo ad eam ordinetur, hæc abstinentia ab opere vetito per negatiuum præceptum aliquo consensu saltem virtuali libera, erit in homine iusto viatore meritoria, & ex consequenti etiam in Christo Domino pro eo tempore, quo erat adhuc mortalis. Nec his obstat, quòd posita inhibitione Dei Christus Dominus non potuerit non abstinere ab actu vetito, seu habere actum ei oppositum, vt expressè docuimus quæstione præcedenti.

I.

DISPVTATIO IV.

Quid sibi Christus meruerit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Christus sibi meruerit de facto suam Incarnationem.

QVIA humanitas priùs natura exstitit, quàm vniretur Verbo diuino, vt patet ex dictis: ideo prima difficultas est, an in isto priori meruerit de facto vnionem sui ad personalitatem Verbi diuini. Deinde, si istud de facto nō meruit, vtrùm Christus Dominus illam sibi meruerit per aliqua opera illam subsequentia.

II. Quod spectat ad vtramque difficultatem, pro vt illa procedit de facto, communis omnium Theologorum sententia, quam loco conclusionis ponimus, est, *neque humanitatem Christi Domini in illo priori naturæ, quo exstitit antequam vniretur Verbo diuino, neque Christum per opera vnionem hypostaticam subsequentia meruisse de facto vnionem hypostaticam.* Hæc propositio est expressa doctrina sancti Augustini in Enchiridio ad Laurentium capite trigesimo sexto, & quadragesimo, & capite trigesimo sexto de correptione & gratia, cap. vndecimo de prædestinatione Sanctorū cap. decimo quinto & vltimo, libro decimo tertio de Trinitate capite decimo septimo, tractatu centesimo quinto in sanctum Ioannem. Quibus locis etiam si verba S. Augustini) si nudè spectentur) procedant tantùm de meritis, quæ antecesserunt vnionem hypostaticam, si tamen eorum scopus & mens sancti Augustini consideretur, debent etiam intelligi de operibus istam vnionem subsequentibus: vult enim hoc exemplo vnionis hypostaticæ à Christo D. non promeritæ docere neminem absolutè simpliciter, id est, nec per opera fidem subsequentia, nec per opera illam antecedentia sibi promereri de facto primam gratiam; quæ probatio esset inefficax ad hoc intentum sancti Augustini, si Christus Dominus vnionem hypostaticam per aliqua opera illam subsequentia sibi promeruisset.

III. Probatur autem nostra propositio. Primùm ex sacris Litteris, quæ passim *soli misericordiæ Dei*, singulari eius *amori & gratiæ* tribuunt hanc vnionem, capite tertio sancti Ioannis. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* capite primo sancti Lucæ, *Per viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos oriens ex alto*: ad Titum secundo & tertio capite, *Apparuit humanitas & benignitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit.* quæ testimonia, licèt non probent nostram propositionem esse de fide (quia eorum termini præcisè sumpti procedunt de gratia respectu nostri, non autem respectu Christi Domini, cui illud, quod comparatione nostri est mera gratia, potest esse merces & præmium, exempli causa prima gratia vocans, quam ille nobis promeruit:) nihilominus tamen iuuant nostram

IV. propositionem, quatenus indicant hoc beneficium hypostaticæ vnionis esse ex omni parte gratuitum, nulli, ne Christo quidem, ex iustitia redditum. Deinde probatur ratione quo ad singulas partes: quo ad primam. Priùs est, iuxta ordinariam Dei potentiam, aliquam substantiam suppositari seu compleri vltimatè per subsistentiam, quàm aliquem actum exercere, quia actiones sunt suppositorum, vt intelligitur ex dictis ad primam & secundam quæstionem huius partis: sed humanitas Christi Domini in illo priori naturæ, quo de facto existebat, nec dum erat vnita Verbo, non erat suppositata seu nullā habebat subsistentiam siue propriam, siue alienam, vt docuimus ad quæstionem secundam, & sequentes: ergo nullum actum meritorium exercuit de facto in isto priori naturæ, quo exstitit, nec proinde aliquo suo actu hypostaticam vnionem promeruit.

V. Posterior pars probatur. Iuxta viam ordinariam meritum antecedit præmium, quia est via ad illud; & quælibet via est prior suo termino: sed in præsenti hypothesi bona opera Christi Domini non antecedunt de facto Incarnationem seu vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo, quin potiùs illam subsequuntur: & vnio hypostatica est quædam via moralis ad meritum bonorum operum Christi Domini, quatenus per illam euadunt infiniti pretij & valoris: igitur bona opera Christi Domini quæ sunt subsequuta vnionem hypostaticam, non fuerunt reipsa & de facto meritoria vnionis hypostaticæ. Secundò probatur: non est conueniens illud, quod reipsa secundùm ordinariam Dei potentiam est fundamentum omnium beneficiorum fieri ex meritis; quia quod fit ex meritis est merces, non beneficium, & si illud quod est primum in vno genere non habet rationem beneficij, multo minus quæ fundantur in illo erunt quædam beneficia: atqui vnio hypostatica est de facto beneficium quoddam adeo singulare, vt sit fundamentum omnium aliorum supernaturalium, quæ Deus de facto concessit hominibus: igitur hæc vnio non fuit facta ex aliquibus meritis, nec proinde ex aliquibus, quæ illam subsequentur. Tandem id quod est radix omnis & cuiuscumque meriti non cadit, iuxta potentiam Dei ordinariam, sub meritum, quia iam desineret esse radix & causa, quinimo esset effectus, est enim meritum causa præmij & mercedis: sed vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate Christi Domini est de facto, iuxta potentiam Dei VIII. ordinariam, radix omnis & cuiuscumque meriti saltem in ipsis hominibus, vt patebit ex dicendis infra: igitur vnio hypostatica humanitatis Christi Domini cum Verbo diuino non fuit ex aliquibus meritis illam etiam subsequentibus in Christo Domino. Neque huic rationi obstat, quòd sancti Patres veteris Testamenti promeruerint hanc vnionem hypostaticam, quorum tamen meritum fundetur in ipso Christi Domini merito: illam enim propriè non meruerunt, sed aliquot tantùm eius circumstantias per accidens, & non ad illius substantiam requisitas necessariò, vt docuimus ad quæstionem sextam tota disputatione tertia.

VI. Quare istud Apocalyps. 5. *dignus est Agnus accipere diuinitatem*, & alia ei similia, non intelliguntur de merito, quasi Christus Dominus sibi

VII.

promeruerit diuinitatem, sed de manifestatione diuinitatis eius, quam sua passione promeruit, & petebat à suo Patre, quando apud sanctum Ioannem capite decimo septimo, dicebat, *Clarifica me Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret*, vt ad illum locum notant Interpretes; & isto versu Psalmi quadragesimi quarti, in quo agitur de vnione hypostatica, & exprimitur nomine *vnctionis ex oleo, Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo*: hæc particula *propterea* non significat causam *meritoriam*, sed *finalem*, ita vt sensus sit iste: Deus te vnxit, vt diligeres iustitiam & odisses iniquitatem, quo modo est nota explicationis impeccabilitatis Christi, tanquam specialis cuiusdam effectus hypostaticæ vnionis in illo.

II. ARTICVLVS II.

Soluitur dubium.

SED quæres, num Christus Dominus meruerit sibi de facto *continuationem vnionis hypostaticæ*, vel etiam *aliquas circumstantias* per opera, quæ post peractum hoc mysterium exercuit, exempli causa, quòd sit conceptus de Spiritu sancto, ex beatissima Virgine, ei per Gabrielem annuntiatus, pastoribus declaratus, & his similia.

Respondetur, *neutrum de facto meruisse*: non secundum, quia S. Augustinus relatus suprà capite decimo quinto de prædestinatione Sanctorum id expresè negat, & quamquam concipi ex beatissima Virgine, & similia non sint loquendo in rigore de substantia huius mysterij, & illud potuerit aliter fieri? nihilominus considerando illud, vt propter suam excellentiam est à Deo intentum & volitum, huiusmodi circumstantiæ includuntur in illo, & ad illud habent habitudinem longè specialiorem, quàm eæ circumstantiæ, quas antiqui Patres promeruerunt: Nec item Christus Dominus primum sibi promeruit, quia sanctus Augustinus suprà, & veteres Scholastici, dum negant Christum sibi de facto promeruisse vnionem hypostaticam, loquuntur simpliciter & absolutè, nec distinguũt inter primam illius productionem, & continuationem seu conseruationem, & Deus volendo tàm excellens mysterium, voluit illud vt indissolubile, & in perpetuum, præsertim cùm nullas in Christo haberet causas suæ dissolutionis, sicut ea volitione, qua Deus voluit creationem Angelorum, voluit & illorum durationem in perpetuum. Deinde continuatio huius vnionis est quædam incarnatio: ergo cùm iidem Patres simpliciter negant Christũ, aut aliquem alium promeruisse illam, ne fateantur primum principium meriti cadere sub meritum, negant consequenter Christum de facto promeruisse sibi prorogationem & continuationem istius vnionis. Quare nouæ illæ partes, quæ in Christo Domino producebantur per nutritionem, & de nouo vniebantur Verbo diuino, quia pertinebant ad hanc vnionem vt à Deo volitam, & in illa vt sic includebantur, ei non adueniebant ex aliquo illius merito.

Nec obstat, quòd iustus aliquis interdum promereatur de congruo perseuerantiam in gratia: est enim quoad tale meritum dispar ratio Christi Domini, at cuiuscumque puri viatoris in gratia existentis, quòd quia tale meritũ est aliquid imperfectum in genere meriti, quatenus importat tantùm in seipso congruitatem & decentiam, ratione cuius Deus excitetur ad conferendum quod petitur, non autem condignitatem ad illud, vt vi meritum de congruo possit habere locum in illo: at nullum potuit esse bonum, & honestũ opus supernaturale in Christo Domino viatore, quod, cùm esset dignitatis, & valoris infiniti, non haberet condignitatem ad quodcumque præmium, si ad illud dirigeretur & pretium intercederet, vt intelligitur ex dictis de valore & infinitate illius. V.

Quæ omnia & singula bona eius opera, vel de facto, & reipsa non fuerunt aliquo actu completo meritoria, vel si fuerunt, fuerunt illius meritoria de condigno, sed rationes superiùs allatæ ostendunt eum de facto & re ipsa non sibi promeruisse de condigno continuationem vnionis hypostaticæ: ergo nullo modo illam sibi promeruit, ne quidem de congruo. VI.

ARTICVLVS III.

Vtrùm de absoluta Dei potentia humanitas Christi Domini potuerit sibi mereri vnionem hypostaticam.

DVPLEX illa consideratio humanitatis, scilicet ante vnionem, & Christi Domini post vnionem humanitatis ad Verbũ, posita initio præcedentis articuli, duplicem nobis parit difficultatẽ. Prior est, an humanitas Christi Domini ante sui vnionem ad Verbum diuinum potuerit absoluta Dei potentia illam sibi aliquomodo promereri. Posterior, vtrùm illam iam peractam Christus promereri potuerit. Hic primam explicabimus, pro qua VII.

Sit hæc propositio. *Humanitas Christi Domini, priùs naturâ quàm vniretur Verbo diuino, potuit secundùm absolutam Dei potentiam sibi de congruo promereri vnionem hypostaticam ad Verbũ diuinum.* Ita Caietanus hac parte, quæst. secunda, art. vndecimo, & plures recentiores satis communiter ad præsentem quæstionem S. Thomæ. Probatur argumento sumpto à modo illo, quo Angeli de facto acceperunt habitualem gratiam in sua creatione, & quo se se ad illã disposuerunt, iuxta S. Thomam primâ parte, quæst. 62. art. 3. & art. 5. in solutione ad tertium. Potuit Deus absoluta sua potentia eam gratiam concedere humanitati Christi Domini priùs natura, quàm vniretur Verbo, quam reipsa concessit Angelis in primo instanti suæ creationis: sed, iuxta S. Thomam locis nunc citatis, Deus de facto dedit Angelis primo instanti illorum creationis gratiam sanctificantem, ad quam illi priùs natura sese disposuerant per actus supernaturales. Igitur potuit Deus absoluta sua potẽtia facere, vt humanitas Christi Domini, priùs natura quã de facto vniretur Verbo diuino, haberet gratiã sanctificantẽ: iam hæc humanitas, sic informata habituali gratia, & præsuppositis supernaturali cognitione de vnione hypostatica, potuit elicere aliquos actus supernaturales meritorios ex illa gratia, cósq; ad meritũ vnionis hypostaticæ secũ faciendæ ordinare, & Deus item tales actus meritorios ad hũc effectũ acceptare. Sed in hac hypothesi actus humanus non esset de condigno meritorius vnionis hypostaticæ cũ hac humanitate, vt patet ex dictis ad quæ- VIII.

I. stionem primam: nam licèt isti actus essent entitatiuè supernaturales, quia tamen datur quædam latitudo intra hunc ordinem, secundùm quem vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate est superior actibus ex habituali gratia elicitis, vt explicatum est ad quæst. 2. disp. 8. art. 3. & 4. actus supernaturales in tali casu mererentur tantùm de congruo humanitati vnionem eius hypostaticam cum Verbo diuino. Ergo à primo ad vltimum humanitas Christi Domini, priùs natura quàm vniretur Verbo diuino, potuit secundùm absolutam Dei potentiam sibi de congruo promereri vnionem hypostaticam cum Verbo diuino.

Prima Maior huius rationis cum sua subsumptione patet, quia in isto priori potentiæ spirituales humanitatis, scilicet intellectus & voluntas, tàm sunt capaces recipiendæ fidei habitualis & gratiæ, item exercendi actus ex illis de potentia Dei extraordinaria & absoluta, quam Angelus de facto fuerit in primo instanti suæ creationis, quia duæ istæ potentiæ possunt suos actus liberos exercere independenter à corpore, si Deus voluerit, & vsus rationis in illis accelaretur, sicut in sanctissima Virgine Deipara, & in sancto Ioanne Baptista. Potuit item cognitio fidei supernaturalis de mysterio Incarnationis, & aliis ei infundi, sicut fuit infusa Angelis: ergo humanitas his omnibus instructa, considerando absolutam potentiam Dei potuit, priùs naturâ quàm vniretur Verbo diuino, exercere aliquem actum meritorium vnionis hypostaticæ cum Verbo diuino.

III. ARTICVLVS IIII.

Soluitur obiectio.

OBICIES disparem esse rationem Angelorum in isto priori naturæ, ac humanitatis Christi Domini in præsenti difficultate. Primò, quòd Angeli in isto priori naturæ supponuntur habere propriam subsistentiam, ratione cuius sunt completi, & in ordine accommodato ad operandum eo modo & sensu, quo actiones sunt & dicuntur esse suppositorum: at in casu præsentis difficultatis humanitas Christi Domini supponitur carere omni subsistentia tàm aliena, quàm propria. Deinde quòd Angeli in isto priori supponantur vltimatè completi substantialiter, & priùs sit aliquod compositum substantiale cõpleri substãtialiter quàm accidentaliter: IV. Christi verò D. humanitas minimè, cùm careat subsistentia, vltimo suo substantiali cõplemento & in nostra hypothesi supponitur priùs completa *in esse compositi accidentalis*, ex substantia & sua operatione, quàm in esse *compositi substantialis* ex substantia & subsistentia modo suo substantiali. Tertiò, quòd cùm gratia habitualis in Angelis fuerit gratia adoptionis, & hæc in puris creaturis intellectualibus sit principium meriti, rectè intelligimus Angelos in isto suo priori naturæ de facto meruisse apud Deum: at in præsenti casu gratia quæ ibi fingitur infusa non est vnionis, quia vnio hypostatica nondum est ad Verbum diuinum, aliàs tale meritum deberet esse de condigno, sed tantùm intelligitur futura in alio instanti sequenti naturæ: non est etiam gratia adoptionis, quia hæc reddit suum subiectum filium adoptiuum Dei, quod nullo modo dici potest de Christo, vel eius humanitate, vt

A patebit infra: igitur nulla potuit esse gratia supernaturalis dignificans actus humanitatis in isto priori naturæ, ad promerendum sibi vnionem hypostaticam cum Verbo diuino. V.

Respondetur, nihil istorum facere disparitatem in eo præcisè, in quo instituimus comparationem humanitatis Christi Domini, pro eò statu & instanti, cum Angelis in primo illo instanti suæ creationis: non primum, quia etiam si, iuxta potentiam & ordinariũ cursum agentium, priùs sit substantiam compleri sua subsistentia, quàm operari, attamen considerando absolutam Dei potentiam, sicut hic facimus, non repugnat substantiãm aliquam omni subsistentia tàm aliena, quàm propria destitutam operari, vt intelligitur ex dictis ad quæstionem secũdam, disputatione secunda, articulo quinto, vbi ostendimus talem naturam esse completam in ratione principij actiui, & subsistentiam ad operandum requiri duntaxat vt conditionem, quam Deus potest supplere. Secundum etiam non facit disparitatem in eo, in quo facimus prædictam comparationem, nimirum in ipso *posse habere gratiam sanctificantem, & posse ex ea operari meritorie*. Nam licèt iuxta legem ordinariam priùs sit subsistentiale compositum ex essentia & existentia compleri vlterius sua vel aliena subsistentia, quàm aliqua accidentalis perfectio ei aduenial per operationem à se exercitam, iste tamen ordo, quod scilicet subsistentia priùs compleat substantiam quàm hæc operetur, non est essentialis vel absolutè necessarius, vt loco nunc citato obseruauimus. Quare Deus potest facere vt substantia carens omni C subsistentia, instructa tamen actuis principijs operetur conformiter ad illa. Denique tertium non magis facit disparitatem, quàm hæc duo à nobis iam reiecta: nam gratia sanctificans non eo præcisè & formaliter est in voluntate creata principium meriti, quo est formaliter adoptionis, sed habet istud à suo effectu primario, qui est *reddere suum subiectum Deo gratum formali sanctitate supernaturali*: eo enim ipso, quo quædam opera libera & honesta exercentur ex gratia sanctificante, & in statu viæ habent condignitatem requisitam in merito ad præmium; *tribuere* verò *spiritalem adoptionem suo subiecto*, est tantùm *effectus* quidam *secundarius* gratiæ sanctificantis conueniens supposito non naturæ: est enim adoptio, sicut & filiatio: *proprietas suppositi & non naturæ*, vt intelligitur ex dictis suprà ad quæstionem septimam disputatione secunda, articulo secundo, & ampliùs dicetur ad quæstionem vigesimam tertiam. Quare D cùm humanitas Christi Domini in illo priori naturæ antequam vniretur diuino Verbo sit capax prædicti primarij effectus gratiæ sanctificantis, nec tamen adhuc sit suppositum, rectè intelliget posse in illo priori naturæ accipere à Deo gratiam sanctificantem, & ex illa operari meritoriè, & hanc gratiam loquendo propriè non esse adoptionis. Vnde patet eos præsenti difficultati appositè non respondere, qui ideo putant tunc gratiam non esse adoptionis, quia humanitas Christi Domini in eodem instanti temporis haberet gratiam vnionis & filiationem naturalem Dei, cuius carentiam gratia adoptionis importat. Nam si Deus vellet aliquam humanitatem conseruare in perpetuum absque vllo supposito, eique gratiam sanctificantem infundere, & facere vt ex illa meritoriè VII. VIII.

I. operaretur, non propterea appellaretur propriè gratia adoptionis, ob solum defectum personalitatis creatæ.

Articvlvs V.

Soluitur dubium.

QVÆRES, si humanitas Christi Domini priùs natura quàm vniretur Verbo diuino extitisset existentia Verbi diuini, sicut volunt discipuli sancti Thomæ, an eius meritum tunc foret de condigno & valoris infiniti. Aliqui respondent negatiuè, quorum fundamentum est, quòd vt meritum sit infinitum, requiratur, vt, qui meretur, vel satisfacit, sit verè Deus-homo: ita vt natura humana, & persona diuina simul constituant vnum merentem, & vnum satisfacientem. II. Actin ista hypothesi istud non reperiretur, quia vnio non esset facta in persona, sed in sola existentia diuini Verbi. Verùm melius respondetur in ista hypothesi meritum fore valoris infiniti, & proinde de condigno: nam in diuinis non solæ personalitates habent infinitam dignitatem, sed & singula prædicata realia, quæ verè & propriè sunt in Deo, sunt infinitæ dignitatis: ergo quemadmodum diuina personalitas eo ipso, quo habet infinitam dignitatem in ratione suppositi, & coniungitur creaturæ rationali, est apta facere aliquid iustum infiniti pretij & valoris, vt ostendimus ad primâ quæstionem huius partis, disputatione quinta agendo de valore operum Christi, sic etiam & propria existentia Verbi diuini vnita humanitati erit apta facere iustum infiniti valoris & pretij, & ex consequenti actio eius libera & ex supernaturali motiuo exercita, positis aliis conditionibus ad meritum requisitis, erit meritoria de condigno III. vnionis sui ad personalitatem Verbi diuini.

Deinde, humanitas Christi Domini, vt citato loco ostendimus, accipit etiam dignitatem ab essentia diuina, & propriæ eius actiones etiam infinitum valorem ex eo, quòd habent cum illa specialem vnionem nimirum mediatam: ergo cùm in præsenti casu humanitas haberet vnionem immediatam cum existentia Verbi, & mediatam cum diuina essentia, fortiori titulo acciperet ab illis infinitam dignitatem, & eius liberæ actiones honestæ essent de condigno meritoriæ sui præmij. Nec ratio partis negantis obstat: nam licèt compositum resultans ex tali vnione non esset *vnum subsistens*, esset tamen *vnum existens*, vt explicatum est disput. vnica ad præcedentem quæstionem decimam septimâ, quod quidem existens tunc vna & eadé simplicissima IV. existentia actuaret duas naturas seu essentias realiter à se inuicem distinctas, diuinam scilicet & humanam: sicque respectu diuinę esset & denominaretur deitas, respectu humanitatis esset humanitas: sicut nunc, seruata tamen proportione, Verbum diuinum ratione diuinæ esentiæ, quam facit subsistere, est Deus, ratione humanitatis, quam facit etiam subsistere, est & denominatur homo. Et quanquâ in prædicto casu, considerando principium actiuum meritoriarum actionũ, non esset vnum & idem operans (tunc enim sola humanitas eliceret meritorias actiones) quia tamen natura non operatur nisi existens, sicut tunc existentia Verbi diuini cum tali humanitate faceret vnum existens, aliqua etiam simili ratione faceret vnum operans, in ratione tamen existentis, non autem in ratione A subsistentis, & sic liberæ actiones humanitatis semper essent infinitæ dignitatis & valoris in genere meriti & satisfactionis. V.

Articvlvs VI.

Vtrùm de absoluta Dei potentia Christus Dominus potuerit, peracto iam mysterio Incarnationis, mereri illud per merita subsequentia.

TRES sunt de hac re sententiæ. Prima absolutè negans, quam non pauci recentiores sequuntur.

Secunda sententia est quorumdam recentiorum, qui temperant præcedentem opinionem: considerant enim in operibus meritoriis Christi Domini valorem aliunde ad illa deriuatum, quam ex vnione hypostatica, nimirum præcisè *ex gratia habituali*, quam Deus infudit animæ Christi Domini: quo supposito, dicũt Deum potuisse velle dare humanitati Christi Domini, priùs ratione vel natura quàm vniretur Verbo, gratiam habitualẽ, & decernere vt si tempore sequenti (& proinde post hanc vnionem peractam) tot virib. bene operaretur, ex tali gratia haberet vnionem hypostaticam in præmium, alias fore vt propriam tantùm haberet subsistentiam, & sic cùm hæc opera exercerentur post hanc vnionem, quæ formaliter constituit Christum, eam fore principium huiusmodi operum meritoriorum: sicque Christum potuisse sibi promereri hanc vnionem per bona opera illam peractam subsequutura, cùm in tali casu habitualis gratia esset à Deo volita humanitati priùs ratione vel natura, quàm vnio, VII. tunc hæc habitualis gratia foret independens à C gratia vnionis.

Tertia sententia, quam loco propositionis ponimus, simpliciter affirmat *Christum Dominum de absoluta Dei potentia potuisse sibi promereri, etiam de condigno, vnionem hypostaticam per opera, quæ ab illa vim, & efficaciam valoris infiniti haberent, si Deus ita cum eo pepigisset, & ille ad hoc præmium illa ordinasset.* Ita Suares hîc, disputatione decima, sectione quarta, & aliqui alij. Et primùm, quòd inter hæc opera Christi Domini & vnionẽ hypostaticã reperiatur sufficiens condignitas, patet ex eò quòd opera Christi Domini, quia sunt valoris simpliciter infiniti, habent condignitatem ad quodcumque præmium possibile, vt docuimus ad primam quæstionem, disputatione quinta, articulo sexto & sequentibus: at, vt ibidem docuimus, vnio hypostatica Patris diuini, aut VIII. D Spiritus sancti cum aliqua humanitate est præmium, quod Deus posset dare meritis Christi, quæ tamen vnio hypostatica esset æquè excellens, ac nunc est hæc vnio naturæ cum Verbo, nam personæ sunt æquales in perfectione, & in vi & efficacia ad faciendum subsistere: deinde pactum istud inter Christum & Deum, item ista eius operum ordinatio ad hunc finem nihil includunt absurdi, vel impossibilis, vt patet ex dictis articulo præcedenti: ergo si quid aliud impediat, debet illud tenere se vel ex formali & præcisa ratione meriti, & præmij, qua *propriè & formaliter sint meritum & præmium*, vel ex speciali ratione, & cõditione illius gratiæ, à qua bonum opus Christi habet, vt sit propriè meritum, quatenus illa est talis,

I. vt formaliter & præcisè sumpta includat aliquid oppositum merito propriè & formaliter sumpto. Sed nihil ex parte istorum obstat, non quidem ex parte meriti & præmij: nam illud esset, vel imprimis quòd meritum natura sua postulet antecedere præmium: sed hoc esse falsum, patet primò in omnibus beneficiis gratiæ supernaturalis collatis Patribus antiquæ legis, quæ quamvis Christus nondum reipsa & actu meruisset benè operando, patiendo & moriendo (quia Verbum nondum erat incarnatum) nihilominus erant etiam loquendo propriè aliquod præmium seu merces meritorum eius. Secundò in victoria per Angelos in cælis ante hoc mysterium peractum parta: dicuntur enim in Apocalypsi obtinuisse illam in sanguine Agni. Tertiò, ex illo communi vsu, quo inter homines

II. anticipata solutio facta operario pro labore, quem impendet alio sequenti die, vel mense, non tollit ab eius labore rationem meriti, aliàs ipsa merces deberet adhuc solui de nouo, quod est contra communem vsum, etiam apud omnes homines receptissimum. Secundò, si quid obstaret ex parte meriti & præmij, est quòd hoc habet rationem effectus, istud causæ, & omnis causa sit prior suo effectu. At hoc etiam non impedit, vt patet in eodem exemplo Patrum veteris Testamenti & Angelorum: deinde causalitas seu efficientia meriti comparatione præmij est tantùm moralis quædam motio, quæ non postulat realem existentiam suæ causæ, sed duntaxat apprehensionem & cognitionem sui in præmiante seu conferente mercedem: at Deus decernens dare vnionem hypostaticam ea intentione, vt Christus per bona opera subsequentia illam de condigno mereretur, haberet

III. tale meritum in sua cognitione, & quia probè scit suam voluntatem esse omnipotentissimam, non posset dubitare de euentu. Ergo potuit inde moueri ad dandum vnionem hypostaticam, licèt meritum nondum existeret, maximè cùm apud nos vbi aliquis concepit firmam spem de futuro labore operarij, interdum libentissimè præmittat solutionem labori.

Quòd item non repugnet ex parte gratiæ, quin Christus potuerit sic mereri vnionem hypostaticam, probatur. Si tale quid daretur ibi, esset, vel quòd gratia vnionis tunc daretur in finem talis meriti, seu exercendi talem actum meritorium, & sic minueret rationem iustitiæ, quatenus tale meritum esset ex bonis ipsius præmiantis seu obineretur per eius bona: vel es-

IV. set quòd hoc meritum fundaretur & radicaretur in vnione hypostatica, nam vim suam infinitam & condignitatem ad tale præmium acciperet ab illa: vel quòd implicet illud, quod est principium omnis & cuiuscumque meriti, cadere sub meritum, vt prima sententia vrget primo suo fundamento. At ex neutro isto capite repugnat, non ex primo. Nam id quod datur in finem solutionis, minuit vel destruit rationem iusti in aliqua emptione, quando ipsummet secundùm ipsam propriam suam entitatem datur in pretium: quandò vero aliquis eius fructus labore ipsius donatarij partus datur, tunc solutio fit ex iustitia, vt patet exemplo sumpto ab agricola, qui à suo creditore accepit fundum, ex cuius tamen fructibus à se probè & longo labore excultis ita soluit totum debitum, vt tamen hæc solutio censeatur ex propria & ex stricta etiam iustitia, quatenus hic agricola erat verus dominus istorum fructuum, quorum tamen radix est ipse fundus ei à creditore donatus. Sed in præsenti casu id, per quod immediatè Christus Dominus mereretur, non esset vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate, sed actus meritorius ab eo elicitus, qui actus, ratione terminationis, est illi soli proprius, vt ostendimus ad primam quæstionem disputationis sexta, articulo secundo & tertio. Ergo nec in præsenti casu bonus actus Christi Domini impedietur esse meritorius de condigno ipsius vnionis hypostaticæ ex eo præcisè, quòd hæc vnio sit ei radix valoris infiniti. Non item repugnat ex altero capite: nam potest interdum contingere inter homines, vt quod est principium laboris meritorij, cadat sub meritum ipsius laboratoris, qui

V. anticipata solutione illud à præmiante receperat, vt ex illo operetur & laboret. Fit enim sæpè vt aliqui dent opificibus instrumenta suæ artis, vt postea opificio ex illis præstito & reddito ipsi domino, ea sibi iure dominij acquirant: nec enim repugnat artis medicæ peritissimum sanare militem, verbi gratia, graui morbo laborantem, viribus planè destitutum, conuentione factâ quòd vbi ad sanitatem redierit, & arma à prædicto medico acceperit, eis medicum tueatur, (puta bello tunc temporis exoriente) in condignam compensationem restitutæ sanitatis & instrumentorum, quo in casu tam vires restitutæ illi ægroto, quàm arma sunt principium meriti, nimirum laboris & custodiæ militaris, & quæ tamen vt comparantur ad laborem & opificium, habent etiam rationem veræ mercedis, & stipendij seu præmij.

VI. Neque istis & aliis similibus exemplis satisfacit, quòd aliqui respondent, nimirum duo hîc posse distingui. Vnum est, prima *concessio instrumentorum facta operario*, alterum est *continuata retentio eiusmodi instrumentorum*, istam esse factam gratis sub conditione tamen operis, nec eam vllam ibi habere rationem præmij: hanc verò esse præmium comparatione duntaxat instrumentorum & vsus illorum, quare cùm continuata retentio armorum sit aliquid distinctum à prima eorum concessione, non sequitur idem esse meritum & præmium, nec item sequitur id quod est prima causa meriti cadere proprie sub meritum. Hoc, inquam, non satisfacit: nam loquendo propriè implicat aliquid *esse factum gratis*, & tamen esse *factum sub conditione operis*: quod enim fit gratis, fit ex mera, pura puta liberalitate, absque

VIII. vlla spe remunerationis seu compensationis accipiendæ. Nam (vt rectè sanctus Ambrosius obseruat libro septimo in sanctum Lucam capite decimo quarto) *esse hospitalem remuneraturis est affectus auaritiæ*: auaritia autem opponitur liberalitati ex sancto Thoma secunda secundæ quæstione centesima decima octaua, articulo tertio. Igitur eo ipso, quo, iuxta hanc responsionem, hæc concessio instrumentorum fit cum tali onere operis laborioſi, non fit ampliùs gratis. Explicatur & simul confirmatur: illud, quod formaliter & intrinsecè includit contractum expressum per hæc verba *do, vt des*, licèt sit gratuitum, ex eo quòd fiat liberè & absque obligatione iuxta modum illum, quo cõtractus iustitiæ, antequam fiant, dicuntur esse voluntatis; quamuis vbi iam sunt facti, sint necessitatis, nunquam tamen iuxta regulas rectæ rationis &

I. iuris in rigore sumpti dicuntur simpliciter, & absolutè fieri, seu dari gratis, aliàs omneș & singuli contractus iustitiæ, exempli gratia, emptionis & alij eiusmodi, essent actus puræ & simplicis donationis, quod nemo admittet. Sed iuxta respõsionem prima ista concessio sanitatis, & instrumentorum includit formaliter & intrinsecè *do, vt des*, quemadmodum per se patet: ergo talis concessio instrumentorum non fit gratis, sed ex aliquo contractu veræ iustitiæ: sicque in istis exemplis, non sola prædictorum retentio, sed etiam prima illorum collatio, (quæ ibi est principium meriti) cadit sub meritum.

Nec obstat, quòd si per hypothesim, qui hæc instrumenta sub prædicto pacto accepit, opus promissum non peragat, tunc teneatur illa restituere. Id enim prouenit ex defectu conditionis obseruatæ isti contractui appositæ; cuius II. omissio facit vt talis contractus rescindatur: rescisio autem contractus supponit contractum, qui rescinditur, fuisse loquendo propriè ex iustitia.

Articvlvs VII.

Soluuntur fundamenta primæ sententiæ.

Primvm est. Illud, quod est primum principium omnis & cuiuscumque meriti, non potest cadere sub meritum: aliàs vnum & idem esset effectus & causa, etiam in eodem genere causæ scilicet efficienter moralis, & idem esset causa sui ipsius: atqui ipsa Incarnatio Verbi diuini cum humanitate est primum principium omnis & cuiuscumque meriti in genere causæ moraliter efficientis; quia quodcumque meritum habet vim ab illa. Igitur hæc Incarnatio III. non potest cadere sub meritum; & ex consequenti Christus Dominus eam per opera hoc mysterium subsequentia mereri non potuit.

Respondetur, Maiorem eius, vt procedit de absoluta Dei potentia, esse simpliciter falsam, vt patet ex dictis articulo præcedenti. Quòd autem prima gratia, quæ est radix & principium meriti, non cadat in hoc nostro statu sub meritum, id habet à Dei ordinatione, qua statuit illam omnibus dare gratuitò & absque obligatione alicuius operis tanquam meriti illius primò acceptæ, vt singularis eius amor in nos magis eluceret: etsi enim *gratia* sic appelletur, quia *gratis datur*, quatenus Deus absolutè & simpliciter non obligatur eam dare alicui, non propterea tamẽ in formali sua ratione importat, IV. vt semper detur gratis, quemadmodum patet in secunda gratia seu augmento sanctificantis gratiæ, quod, iuxta omnes Theologos cadit sub meritum de condigno hominis existentis in gratia sanctificante, & ex illa operante.

Ad id quod affertur in confirmationem prædictæ Maioris, nimirum *idem esset causa, & effectus, etiam respectu sui ipsius*, respondetur, id non esse absurdum in diuerso genere causæ, quia finis est semper causa operis, seu mouens & excitans ad operandum, ipsum verò opus est etiam causa ipsius finis acquisiti: nam ipsa executione operis finis eius ab operante intentus acquiritur. Deinde respondetur, in præsenti casu immediata causa moralis, & eius effectus, non sunt omninò vnum & idem: nam causa moralis immediatè productiua seu acquisitiua præmij & mercedis, est actus Christi Domini

A de condigno meritorius; causa verò radicalis tantùm, & mediata vnio hypostatica, quæ vt fuit à Deo anticipata solutione data in præmium, sortitur rationem moralis effectus, sicque sufficiens aliqua distinctio hic reperitur inter effectum & causam, sicut in illa falsa opinione Pythagoræ, qua filius actione naturali reproducebat auum, aut aliquem alium ex antiquioribus suis progenitoribus.

Secundum fundamentum. De ratione præmij & mercedis est, vt fiat per meritum, nec sit possessiuè ipsius merẽtis, vt est merens illud, ex sancto Thoma tertio sententiarum, distinctione 18. quæstione nona, articulo quarto. Cuius rei hæc est ratio, quòd meritum sese habet vt pretium, quod ad aliquid emendum soluitur, pretium autem debet esse ementis antequam soluatur, res verò, quæ emitur, minimè; aliàs, cùm VI. B iam sit ipsius vt possidentis, nihil esset soluendum pro habenda illa, nec in emptione esset propriè permutatio rei cum pretio; tunc enim nihil acciperetur, quia iam esset in possessione ementis. Sed vnio hypostatica est possessiuè Christi Domini, vt post peractum hoc mysterium exercentis opera meritoria, iuxta præsentem hypothesim. Ergo Christus Dominus de absoluta Dei potentia non potuit hanc vnionem promereri per bona opera hoc mysterium iam peractum subsequentia.

Respondetur ad primam partem Maioris, ad hoc vt præmium, & merces dicantur *fieri per meritum*, moralem dumtaxat efficientiam sufficere, quæ efficientia non postulat necessariò realem existentiam principij sui effectiui ante existentiam præmij, & mercedis, sed eius cognitionem, qua principale agens per intellectum, mouetur ad illud realiter & physicè conferendum, quemadmodum patet in gratia à C VII. Deo Patribus antiquæ legis collata ex merito Christi Domini tunc adhuc venturi.

Ad secundam partem eiusdem Maioris respondetur, vt merces, seu stipendium soluatur anticipata solutione, sub onere alicuius operis faciendi, sufficit in soluente, quòd prudenter existimet, futurum vt qui accepit stipendium fideliter exequatur opus secundum pacta conuenta: vt item hæc anticipata solutio sit possessiuè operarij, statim atque pecunia est illi numerata, & possit illa tanquam sua vti prout voluerit, satis est quòd promittat ex animo opus exequi intra tempus conuentione præscriptum: hæc enim conuentio dat illi ius in talem pecuniam, & vbi est recepta, veram possessionem, vt docet quotidiana rerum temporalium expe- D VIII. rientia: vnde istud, *merces non est merentis, vt merens est illam*, intelligitur solùm de dominio omnimodè absoluto, nullam obligationem cuiusuis operis, vel oneris ampliùs includente, non autem de omni & quolibet vero dominio etiam iuxta vsum communem hominum accepto, quale est dominium rei positæ in actuali possessione acquirentis sub onere tamen alicuius operis imposterũ faciendi; ad eum sensum, quo debitor dici solet, nihil habere in bonis, nisi deducto ære alieno, cuius verbi verus sensus non est debitorem hunc propriè, & verè non possidere quæ habet, nec illa ei esse propria: sed iste tantùm, quòd ita sunt in legitima eius possessione, vt tamen sint suis creditoribus oppignerata. Hinc patet respõsio ad rationem qua prædicta Maior huius secundi fundamenti con-

I. firmatur, scilicet *pretium debere esse ementis antequam soluatur; rem verò quæ emitur, minimè*: nam emptio potest fieri duobus modis, vel præsente, seu numerata pecunia, vel solutione ad præfixum terminum dilata; si fiat priori modo, pretium debet esse reipsa & de facto ementis; si autem posteriori, minimè, sed sufficit quòd emens habeat illud in spe, promittat venditori realem illius solutionem tempore inter contrahendum statuto; & nihilominus merces quæ sic emuntur, non desinunt transire in realem & actualem possessionem ementis, neque propterea talis emptio definit esse quædam permutatio mercium præsentium cum pecunia non præsenti, sed præfixo tempore persoluenda: quare sicut in isto contractu ratio veræ & propriè dictæ emptionis, & ex consequenti iustitiæ

II. saluatur, licèt res diuendita fiat emptoris solutione nondum facta, & pretium soluatur ex lucro mercium; pari modo etiamsi in præsenti difficultate humanitas Christi Domini priùs accepisset vnionem ad personalitatem Verbi diuini, qua facta Christus exercuisset opera meritoria ad finem promerendæ Incarnationis iam factæ, non desineret verè & propriè dici illam, extincta etiam iustitia, promeruisse, modò inter Deum & illum interuenisset conuentio. Ad authoritatem sancti Thomæ respondetur illam tantùm intelligi de eo, quod sit communius & quod vendentes frequentiùs intendunt contractu venditionis; neque potest obiici contra hãc responsionem in casu nostræ propositionis, Christum fore simul in via, & in termino, fore in termino, quatenus eius humanitas est de facto

III. vnita hypostaticè Verbo diuino, ad quam tamen vnionem tendit per meritum, ratione cuius adhuc est in via: hoc inquam non potest obiici, quia tunc non esset propriè in via ad hanc vnionem, sed solùmodò ad actum meritorium, sicut mercenarius accepta mercede per solutionem anticipatam non potest dici esse in via ad illam, sed solummodò ad faciendum quod tenetur pro mercede iam accepta, vel ad summum esse in via ad complendam legitimam mercium emptarum acquisitionem.

Tertium fundamentum. Quod priùs existit, existit independenter à posteriori, sed in præsenti causa mysterium Incarnationis priùs existit, quàm merita Christi Domini illud subsequentia existant: ergo mysterium Incarnationis, seu vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate non potest existere dependenter à merito Christi Domini illud subsequentis, nec proinde cadere sub aliquod meritum Christi Domini.

IV. Respondetur, duobus modis intelligi, *illud quod priùs existit, existere independenter à posteriori*: prior est, quòd illud verè & realiter priùs existit, & adhuc existat etiamsi posterius nondum sit in rerum natura: posterior sensus est, quòd existat & acceperit esse independenter etiam ab aliqua habitudine ad positionem & existentiam alterius nondum actu & realiter positi, sed futuri. Vnio hypostatica in casu præsentis difficultatis existeret quidem, iuxta priorem modum, independenter ab actibus meritoriis Christi postmodum futuris: at iuxta posteriorem sensum existeret dependenter ab illis, quatenus Deus daret illam intuitu bonorum

A ciusmodi operum futurorum, & vnio hypostatica sic collata includeret habitudinem ad positionem operum meritoriorum Christi Domini, sicut dona gratiæ collata Patribus antiquæ legis includebãt habitudinem ad positionem meritorum Christi, quorũ intuitu conferebantur. V.

Vltimum fundamentum est. Si hæc vnio potuisset cadere sub meritum Christi Domini, Christus Dominus illam de facto sibi promeruisset, quia perfectior possibilis modus habendi dona supernaturalia est Christo Domino tribuendus, & vbi aliquid potest obtineri per merita, perfectius est illud per merita obtinere, quàm sine meritis: sed Christus Dominus non habet vnionem hypostaticam vi suorum meritorum, vt docuimus: igitur nec potuit illam sic habere.

B Negatur Maior. Plura enim Christus Dominus potuit sibi vel aliis mereri etiam de condigno, quàm de facto sibi & aliis meruerit; vt patet ex eo, quòd sibi non meruit scientias siue infusas per se, siue infusas per accidens: item ex eo quòd non meruit Angelis damnatis reparationem. Ad rationem quæ ibi affertur in confirmationem, respondetur, accipere aliquid per merita, vbi & quando potest sic acquiri, non esse semper perfectius, quàm accipere illud merè gratuitò, & absque aliquibus meritis: hoc enim posterius arguit maiorem liberalitatem in conferente, & in recipiente obligationem magis specialem ad recognoscendum beneficia ex speciali gratitudine conferentis accepta. Deinde responderi potest, quòd modus perfectior accipiendi aliquod bonum à Deo potest considerari duobus modis: primo nudè, & solitariè penes nobilitatem formæ, quæ recipitur, & penes simplicem modum, quo confertur: secundo per habitudinem ad statum, in quo constituitur is, qui tale bonum accipit à Deo, & cui modus ille accipiendi debet accommodari. Hoc posterius in actuali collatione alicuius boni debet potiùs attendi, quàm priùs, iuxta prudens consilium cuiuslibet sapientis. Quare esto, modus accipiendi vnionem hypostaticam ex vi aliquorum meritorum de condigno, in seipso tantùm & præcisè consideratus videatur esse perfectior, quia tamen vnio hypostatica, vt à Deo ordinata in bonum non solùm totius humani generis, sed etiam vniuersi, facta tantùm ex pura puta gratitudine liberali, & misericordia Dei est conuenientior huic ordini, secundùm quem Deus omnia & singula huius mundi ordinans voluit suam misericordiam & bonitatem primas partes sibi vendicare, & superexaltare suam iustiVI. VII. VIII.

C

D tiam: ideo fuit conuenientius Christum habere vnionem hypostaticam ex pura Dei bonitate & misericordia, quàm ex aliquibus meritis vnionem hypostaticam subsequentibus. Tandem potest addi mysteriũ Incarnationis fuisse quoddam exemplar nostræ iustificationis, vt intelligitur ex sancto Augustino libro de prædestinatione Sanctorum, capite decimo quinto, & aliis superiùs citatis: quare sicut initium nostræ iustificationis est omninò gratuitum, nec habetur ex vllo nostro antecedenti vel subsequenti merito, sic etiam voluit Deus vt vnio hypostatica Verbi diuini cum humanitate esset absque vllis Christi Domini operibus, etiam postmodum illam de condigno promerentibus.

I.

Articvlvs VIII.

Soluuntur duo dubia.

PRIMVM est, an Christus D. sibi de facto promeruerit vel saltem potuerit promereri, vt liberi eius actus essent valoris infiniti. Respõdetur, loquendo in rigore, nec de facto meruisse, nec potuisse promereri vt eiusmodi actus consequentes vnionem hypostaticam haberent infinitum valorem. Nam propriè loquendo id non cadit, nec potest cadere sub meritum, quod ita necessariò ponitur, vt absoluta etiam Dei potentia non possit impediri: atqui posita vnione hypostatica Verbi diuini cum humanitate, valor infinitus ita necessariò communicatur

II. liberis & honestis actibus à Christo Domino exercitis, vt hæc eorum infinitas impediri non possit, quemadmodum expressè docuimus ad primam quæstionem disputatione quinta, articulo septimo. Ergo talis valor infinitus nec de facto nec de possibili cadit sub aliquod Christi Domini meritum. Nec obstat quòd ex dictis potuerit sibi promereri vnionem hypostaticam, ad quam infinitus valor necessariò resultat in liberas & honestas actiones Christi Domini. Nam hæc vnio in sui efficientia pendet omninò à causa plenissimè libera, nimirum à voluntate Dei illã per suam exequentem potentiã operante, & propterea potest ab illa constitui tanquam singulare quoddam præmium per opus aliquod admodum nobile acquirendum. At valor infinitus, posita vnione hypostatica, habet causam sui omninò necessariam, & in tantum potest

III. solummodò consequenter acquiri per meritum aliquod, in quantum hæc vnio hypostatica, ad quam necessariò sequitur, potest primò per se acquiri per aliquod opus meritorium.

Alterum dubium est, vtrùm secunda sententia art. 6. relata contineat aliquid veritatis. Respondetur, si procedat de solo *merito congrui*, nihil speciale, aut plus concedere Christo Domino, quàm eius humanitati consideratæ priùs natura vel tempore, quàm vniretur Verbo diuino: nam suprà ostendimus illam sic spectatam potuisse, de absoluta Dei potentia, vnionem hypostaticam sibi promereri de congruo: si autem procedat de merito condigni, est falsa, quia nullum bonum opus, quodcumque sit illud, & qualiscumque perfectionis, habens valorem ex sola habituali gratia quantumcumque summa, potest esse meritorium de condigno vnionis hypo-

IV. staticæ cum Verbo. Licèt enim vtrumque sit ordinis supernaturalis, datur tamen magna quædam latitudo in illo, secundùm quam meritum ex pura habituali gratia, vt comparatum ad hanc vnionem, est in aliquo ordine inferiori, cùm Deus nihil illâ maius, vel nobilius possit ad extra facere, vt intelligitur ex dictis tàm ad quæstionem secundam, disputatione octaua, articulo tertio, quàm ad quæstionem primam, disputatione quarta, articulo primo & sequentibus de insufficientia puri hominis, in gratia sanctificante constituti, ad satisfaciendum pro nobis. Nec obstat, quòd iuxta hanc secundam sententiam opus meritorium esset etiam à supposito Verbi diuini, à quo non posset non infinitè dignificari: nam aliud est bonum aliquod opus esse secundùm se infiniti valoris & dignitatis, & aliud illud vt tale offerri in meritum, & vt tale

A acceptari à Deo præmiante: hoc posterius pendet ab operante, illud dirigente in præmium, & ab acceptatione præmiantis. Iam Christus Dominus in sensu secundæ sententiæ illud dirigeret ad tale meritum, vt habens dumtaxat valorem ex habituali gratia, præscindendo ab valore infinito, quem haberet à personalitate Verbi diuini: ergo tunc bonum istud opus, vt sic, esset improportionatum in ratione *meriti de condigno* hypostaticæ vnioni cum Verbo diuino.

V.

Articvlvs IX.

Vtrùm Christus sibi mereri potuerit de absoluta Dei potentia gratiam sanctificantem, bona animæ, & alios supernaturales habitus sibi infusos.

VI.

B QVANTVM spectat ad gloriam animæ, seu visionem beatificam, Medina hîc quæstione decima nona sancti Thomæ articulo tertio, & Vasquesius hîc disputatione septuagesima octaua capite tertio, putant implicare Christum illam sibi promeruisse.

Contraria tamen sententia nobis videtur melior. Quare sit hæc nostra propositio, *Christus Dominus de potentia Dei absoluta potuit sibi mereri gratiam sanctificantem, gloriam animæ, & habitus supernaturales sibi infusos.*

Hæc propositio probatur, & simul modus, quo id potest facilè fieri, explicatur ex iis omnibus, quibus suprà ad quæstionem septimam, disputat. tertia, articulo primo, ostendimus habitualem gratiam non fuisse Christo Domino

C necessariam ad merendum de cõdigno donum VII. aliquod supernaturale: item ex iis, quibus suprà ostendimus humanitatem Christi Domini, priùs natura quàm vniretur Verbo, potuisse de potentia Dei absoluta mereri de congruo vnionem hypostaticam: item ex iis, quibus Theologi primâ parte cum sancto Thoma docent Angelos fuisse creatos in gratia sanctificante, ad quam tamen illi sese disposuerunt per actus supernaturales. Nam sicut in istis calibus, humanitas, priùs natura quàm vniretur, & Angeli, priùs quam acciperent gratiam habitualem, receperunt à Deo species infusas rerum supernaturalium, item gratias actuales excitantem, & adiuuantem, quibus eorum intellectus illustratus apprehenderet mysteria fidei, ad meritum cogniti necessaria, & voluntas ferretur in illa vt sic cognita, & tandem promereretur de con-

D gruo: ita etiam, in casu nostræ propositionis, VIII. intellectus animæ Christi Domini, priùs natura quàm acciperet gratiam habitualem, & alios supernaturales habitus infusos, item & lumen gloriæ, acciperet à Deo species infusas rerum supernaturalium, item actuales gratias, excitantem, & adiuuantem, quibus creatus eius intellectus illustratus apprehenderet prædicta dona supernaturalia, item creata eius voluntas per affectum ferretur in illa, vt meretur sibi à Deo propositam per actus meritorios obtinendam; ergo quemadmodum, iuxta doctrinam sancti Thomæ, Angeli disposuerunt sese ad gratiam habitualem, eámque sibi promeruerunt de congruo, sic etiam nihil repugnat Christum absoluta Dei potentia sibi promereri gratiam habitualem, alios item supernaturales habitus, & gloriam animæ, ergo etiam de condigno. Hæc

I. vltima consequentia probatur: meritum de condigno attenditur penes valorem operis meritorij ad præmium, sed valor cuiuscumque actus meritorij Christi Domini habet condignitatem ad quamcumque habitualem gratiam, & habitus infusos & gloriam animæ, imò maiorem infinitatem in ratione pretij, vt expressè docuimus ad primam quæstionem, disputatione quinta, articulo nono, quia valor ille sequitur conditionem personæ Verbi, quæ est simpliciter infinitæ dignitatis: igitur Christus Dominus, absoluta Dei potentia promereri potuit de condigno sibi gratiam habitualem, & reliquos habitus supernaturales infusos per se & similiter gloriam animæ.

Articvlvs X.

II. *Soluuntur fundamenta contrarij sententiæ.*

PRIMVM est. Implicat simul aliquid esse in via & in termino, moueri & quiescere: sed Christus Dominus à primo instanti suæ conceptionis habuit gloriam animæ seu visionem beatificam absque vlla interruptione perseuerantem, & hoc est quoddam quiescere & esse in termino; ipsum verò mereri est quoddam moueri & tendere ad terminum, vt patet in nobis: igitur implicat Christum sibi promeruisse gloriam animæ, seu beatitudinem æternã.

Respondetur, Maiorem eius esse tantùm veram de vero & propriè dicto motu, non autem de instantaneis, & iis quæ fiunt, & sunt in vno & eodem instanti temporis, vt patet de vltima III. dispositione ad recipiendum habitualem gratiæ sanctificantis, quæ est in eodem instanti temporis cum hac gratia: item patet in merito ex gratia habituali & augmento gratiæ sanctificãtis, hoc enim statim ac est meritũ datur à Deo, & tamen vltima dispositio est quædam via, & tendentia ad gratiam habitualem, similiter meritum de condigno est via ad augmentum gratiæ sanctificantis, sed sicut antecessio vnius respectu alterius secundùm ordinem naturæ sufficit ad hæc omnia, sic & in præsenti difficultate.

Deinde respondetur, Instans temporis secundùm communem Philosophorum sententiam diuidi in plura instantia naturæ: quare quando aliquid in vno priori instanti naturæ est in via, seu tendit ad terminum, & in alio instanti naturæ sequenti est in termino seu in facto esse; tunc res enuncia per propositionem falsò dicitur IV. esse *simul & semel in via & in termino*; cùm illæ duæ partes *simul & semel* debeant sumi per comparationem ad vnum & idem instans eodem plane modo sumptum. Hinc licèt actus Christi Domini de condigno meritorius vitæ æternæ, & vita æterna essent in vno & eodem instanti temporis, quia tamen hoc vnum instans temporis correspondet duobus instantibus naturæ, quorum priori meritum Christi Domini correspondet, & visio beatifica posteriori, via seu tendentia ad terminum, & potè hæc termini non essent propriè loquendo simul & semel in vno & eodem instanti.

Secundum fundamentum est. Nemo potest mereri, loquendo propriè, id quod est sibi debitum ex naturali quadam consecutione; quia quod datur in præmium debet esse tale cum conditionis, vt sit in libertate præmiantis illud non dare: at beatitudo animæ, item & gratia sanctificans naturali quadam consecutione debentur animæ Christi Domini ex vi vnionis hypostaticæ: igitur Christus Dominus non potuit illas sibi promereri.

A V.

Respondetur, Concessa Maiore, negando Minorem; cuius falsitas patet ex dictis supra quæstione nona, disputatione secunda, articulo tertio & quarto.

Tertium fundamentum est. Progressus à gratia imperfecta ad perfectam repugnat ipsi Christo: nam hic progressus prouenit ex imperfectione subiecti, Christus autem semper fuit perfectissimus, nec eius gratia potest intelligi aliquando fuisse imperfecta: atqui mereri gloriam animæ per bona opera illam antecedentia, est progredi ab imperfecto, nimirum à simplici gratia habituali nondum consummata, ad gloriam animæ, quæ est gratia consummata: igitur B VI. repugnat Christum sibi gloriam animæ promeruisse.

Imprimis respondetur, In donis quæ non conferuntur pro capacitate subiecti secundùm se considerati, sed pro libertate & voluntate conferentis, processum ab aliquo minus perfecto ad aliquid magis perfectum nullam in illo, vt sic prius, arguere imperfectionem, quia non sequuntur conditionem subiecti, sed liberalitatem concedentis: atqui habitus infusi per se, lumen gloriæ, visio beatifica, & id genus alia de quibus procedit nostra propositio, fuerunt à Deo animæ Christi Domini concessa, non pro capacitate illius, sed ex aliquo mandato dicto, vel iustitiæ, sed dumtaxat decentiæ & congruitatis, vt loco supra citato docuimus: ergo talis progressus nullam arguit imperfectionem in Christo Domino.

Deinde respondetur nec actualem gratiam, nec gratiam habitualem esse aliquid imperfectum, cùm Apostolus decimo tertio capite prioris ad Corinthios dicat hanc remanere in patria, sed comparata cum charitate patriæ dicitur tantùm esse aliquid minùs perfectum, non quidem intrinsecè, quia gratia præcisè consummata & formaliter non habet plures gradus quàm habebat in suo eodem subiecto, quando animi subiectum eius fuit in suo corpore separata, sed tantùm extrinsecè quatenus eius subiectum existens in termino non potest amplius ab illa excidere.

Verùm contra hanc responsionem obiicies. Sanctus Thomas primâ parte, quæstione vigesima secunda, articulo quarto, verbis expressis dicit gratiam quæ est principium merendi esse imperfectam, eam verò quæ est principium fruendi esse perfectam. Et ex eo ibi infert Angelum in sua creatione non potuisse simul suæ beatitudini, & illius fruitionem mereri, ergo cùm in præsenti difficultate istud meritum gloriæ esset ex aliqua supernaturali gratia, Christus, ratione illius, semper habuisset aliquid imperfectum, & sicut ratione huius imperfectionis tantùm Thomas hoc loco citato infert Angelum non potuisse simul suæ beatitudini, & illam mereri, sic etiam idem est inferendum de Christo Domino.

D VIII.

Respondetur sanctum Thomam ibi per gratiam, *quæ est principium merendi*, non intelligere gratiam habitualem quæ cum primo instanti, eo intelligendo illam, non simpliciter in se, & secundum se solum, sed prout operatur ex vera & propriè dicta fide per se ipsa quatenus ratione

C VII.

obſcuritatis quam fides eſſentialiter includit, gratia vt præcisè operans ex tali fide intellectum obſcurè tantùm illuminante habet aliquid imperfectionis: at in caſu noſtræ propoſitionis voluntas animæ Chriſti Domini non operaretur vt illuſtrata per fidem infuſam propriè dictam, ſed per actualem cognitionem ſcientiæ per ſe infuſæ: nec item tunc exerceret ex habituali, ſed ex actuali tantùm grátia talem actú meriti, cùm ſupponatur nondum habere habitum gratiæ, ſed per meritum tendere ad illius acquiſitionem. Vltimum fundamẽtum. Sicut in caſu præcedentis ſententiæ Chriſtus meretur in priori natura gratiam habitualem, item & alios ſupernaturales per ſe infuſos habitus, & gloriam animæ: ita etiam in illo eodem priori naturæ poſſet ſibi ſperare beatitudiné ſupernaturalem, maximè cùm nondum illa frueretur, & anima eius tot ornamentis decorata ad illam vt ſuum finem vltimum tenderet: ſed hoc eſt abſurdum, quia actus ſpei eſt actus amoris concupiſcentiæ, qui importat aliquam indecentiam ad vnionem hypoſtaticam; quæ tamen ibi ſupponitur eſſe inter perſonalitatem Verbi diuini, & humanitatem Chriſti Domini: igitur pari iure anima Chriſti Domini in iſto priori naturæ non poſſet mereri prædictos habitus per ſe infuſos, vel etiam externam beatitudinem.

II.

Reſpondetur. In tali caſu Chriſtus Dominus potuiſſet exſpectare & ſibi deſiderare gloriam æternam animæ, cùm in iſto priori naturæ nondum frueretur illa, ſed, ſicut quæſtione ſeptima, articulo ſeptimo in fine obſeruauimus actum illum, quo Chriſtus ante paſſionem exſpectabat, & ſibi deſiderabat gloriam ſui corporis, non fuiſſe actum veræ ſpei Theologicæ, ſed perfectæ charitatis; ſic etiam actus ille, quo in caſu præſentis propoſitionis ſibi deſideraſſet gloriam animæ, non eſſet actus ſpei virtutis Theologicæ, ſed perfectæ charitatis.

III.

IV.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Chriſtus Dominus ſibi meruerit gloriam corporis.

PRÆMITTENDVM eſt his duobus terminis, *gloria corporis, nominis exaltatio*, multas & varias perfectiones intelligi: nam priori comprehenduntur *reſurrectio corporis ad gloriam, immortalitas eius cum dotibus, impaſſibilitate, agilitate*, & reliquis; item *gloriosa & triumphalis aſcenſio Chriſti Domini in cælum*: poſteriori verò *dignitas capitis, ſummum eius ſacerdotium, ſingularis illa & admodum excellens poteſtas*, quam habuit in omnes creaturas; item *iudiciaria eius poteſtas*, ſimiliter multiplex illa *teſtificatio diuinitatis*, & perfectionum eius facta ſiue per Deum eius Patrem, ſiue per Angelos, ſiue per Prophetas, ſiue per homines; hæc enim omnia & his ſimilia faciunt ad cõmendationem Chriſti Domini, & eius nominis exaltationem. Hoc prænotato,

Caluinus libro ſecundo ſuarum Inſtitutionum capite decimo ſeptimo, §. ſexto & vltimo, arguit Magiſtrum ſententiarum & Scholaſticos ſtultæ curioſitatis & temeritatis, quòd has quæſtiones hoc & ſequentibus articulis explicandas moueant, & partem eius affirmantem aſſerant, cuius tamen negantem defendit.

Contraria tamen ſententia eſt communis inter omnes Catholicos, pro cuius explicatione ſit hæc noſtra propoſitio, *Chriſtus Dominus ſua paſſione meruit gloriam corporis ſui.* Hæc propoſitio ſub his terminis eſt de fide.

V.

Probatur primùm ex vigeſimo ſecundo capite ſancti Lucæ, vbi Chriſtus Dominus loquens de ſua paſſione ita ait, *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* quo loci hæc particula, *gloriam*, idem ſonat ac reſurrectionem ſui corporis ad immortalitatem cum dotibus ſuæ huius articuli explicatis: nam quòd ibi Chriſtus Dominus vocat gloriã ſuam, ibidem paulò pòſt explicat de reſurrectione ſui corporis, dicendo, *Sic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die*, & hæc particula *ita*, vt coniuncta ipſis verbis antecedentibus, *oportebat Chriſtum pati*, & his ſequentibus, *& ita intrare in gloriam ſuam*, declarat eum merito ſuæ paſſionis acquiſiuiſſe ſibi hanc gloriam, quæ verborum Chriſti Domini expoſitio patet eſſe legitima ex illo communi modo loquendi de conſequutione alicuius præmij per curſum equeſtrem, *oportet legitimè currere, & ſic accipere brauium*, vbi illæ particulæ *oportet, & ſic*, etiam apud vulgus ſignificant talem curſum eſſe cauſam meritoriam illius brauij ſeu præmij.

B

VI.

Deinde probatur eadem propoſitio ex Apoſtolo epiſtola ad Hebræos capite quinto, vbi loquens de oratione quam Chriſtus Dominus pendens in cruce fudit pro ſeipſo, ſic ſcribit, *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad Deum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia*: quo loci, hæc particula, *ſaluum facere à morte*, non poteſt explicari de non patienda ſeu ſubeunda morte in cruce, qualis fuit eius oratio facta in horto: nam præſens oratio Chriſti Domini fuit ex affectu abſolutæ voluntatis, & exaudita, vt Apoſtolus hîc expreſsè aſſerit, quando ait illum fuiſſe exauditum prout dignus erat, & pro ea reuerentia quam habebat apud Deum. At oratio Chriſti D. facta in horto non fuit ex affectu abſolutæ eius voluntatis, ſed potiùs naturale quoddam deſiderium, & adhuc ſub conditione, *ſi eſſet poſſibile, verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, ſancti Matthæi 26. nec item fuit exaudita, quia paſſus eſt mortem. Ergo hæc Apoſtoli particula, *ſaluum facere à morte*, eſt intelligenda de Chriſto Domino celeriter liberando à morte corporis per gloriosam illius reſurrectionem ad immortalitatem, quæ eius mortem penitus abſoluebat.

C

VII.

Tertiò idem probatur ex pluribus locis Pſalmiſtæ regij, quibus Chriſtus Dominus iuxta expoſitionem ſanctorum Patrum inuocat Deum Patrem, vt cum liberet à morte per celerem reſurrectionem corporis ad immortalitatem: ita ſanctus Auguſtinus enarratione in Pſalmum tertium hunc Pſalmiſtæ locum intellexit, *Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me: ego dormiui & ſoporatus ſum & reſurrexi: iuſtum*, inquit ibi ſanctus Auguſtinus, *erat vt innocentem occiſum, & cui tributa ſunt mala pro bonis, reſuſcitaret à mortuis.* quo loci hæc eius particula *iuſtum*, innuit Deum dediſſe Chriſto Domino hanc corporis ſui reſurrectionem, per modum mercedis. Item Pſalmo decimo quinto, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* quem S. Petrus Actuum ſecundo, & S. Paulus Actuum 13.

D

VIII.

I. explicant de resurrectione corporis Christi Domini ad immortalitatem & gloriam. Item Psal. 40. *Tu autem miserere mihi & resuscita me.* Item Psal. 29. Dauid in persona Christi Domini (vt sanctus Augustinus pulchrè ad illum locum explicat) vi suæ orationis impetrat sibi gloriam corporis seu eius resurrectionem ad immortalitatem in his verbis, *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor: quæ utilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem, nunquid confitebitur tibi pulvis:* his autem verbis sequentibus continetur exauditio, *audiuit Dominus & misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus, conuertisti planctum meum in gaudium mihi, & concidisti saccum meum & circundedisti me lætitia.* Quibus extremis verbis explicatur resuscitatio corporis Christi Domini ad gloriam, &

II. tacitè excluditur illa responsio, qua quis posset dicere Christum Dominũ sibi quidem meruisse resurrectionem corporis, non tamẽ gloriam seu immortalitatem corporis, sed talem, qualem Lazarus & alij per Christum resuscitati acceperant. Nam hæc particula Psalmistæ, *& circundedisti me lætitia*, item, *concidisti saccum*, & hæc sequens *vt non compungar*, explicant hanc corporis Christi resurrectionem esse talem, vt sit ad veram immortalitatem cum dotibus gloriæ corporis in hac particula, *circundedisti me lætitia*, & perpetuitatem in hac, *vt non compungar*, quæ, vt sanctus Augustinus suprà expendit, idem est, ac vt iam non moriar. Tùm etiam ex eo quòd Christus supra hanc sui corporis resurrectionem appellet *gloriam*, vt obseruauimus: tùm etiam quòd sit indignum Christo orare pro resurrec-

III. tione sui corporis ad aliquod tempus, quo tamen elapso deberet mori: præsertim cùm probè sciret se ita resurrecturum, vt post resurrectionem nunquam esset morituris, iuxta illud Apostoli ad Romanos sexto, *Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, & se sua morte propria ipsam mortem destructuum, iuxta illud eius verbum apud Prophetam, *O mors, ero mors tua, & morsus tuus ero inferne.* Tùm denique quòd resurrectio eius corporis fuerit ab eo talis postulata, qualis ei fuit concessa, quia hæc eius oratio, vt expressè habet Apostolus, fuit exaudita: sed hæc resurrectio corporis de facto fuit ei concessa ad perpetuam immortalitatem cum propriis dotibus corporis glorioſi: igitur Christus prædicta oratione apud Deum meruit non tantum resurrectionem sui corporis ad aliquod tempus, sed ad perpetuam immortalitatem

IV. cum perfectionibus illam concomitantibus & consequentibus.

Probatur etiam nostra propositio ex sanctis Patribus suis ad hæc citata sacræ Scripturæ testimonia commentariis.

ARTICVLVS XII.

Solvuntur dubio dubia.

PRIMVM est, quomodo Christus sibi meruerit hanc gloriam corporis, cùm iam à primo instanti creationis animæ videret Deum clarè & intuitiuè, & corporis beatitudo videatur esse debita beato quoad animam, dicatúrque ab ista dimanare, tanquam aliquid ad beatitudinem animæ consequens.

Respondetur, meritum boni operis inter alia

A à duobus dependere, nimirùm *ab ordinatione meretis ad mercedem*, & *ab acceptatione præmiantis*: nullum meritum Christi Domini fuisse ab eo ordinatum, & à Deo Patre acceptatum pro obtinenda vel iam obtenta animæ gloria, & ideò illam nullo modo sibi promeruisse, gloriam verò corporis hoc vtrumque habuisse, vt patet ex dictis articulo præcedenti. Neque obstat, quòd à primo instanti creationis suæ animæ esset beatus, & gloria corporis dicatur dimanare à gloria animæ: hæc enim dimanatio non est physica, nec proinde sequitur necessariò, sed est duntaxat moralis, quatenus nimirùm datur quædam congruentia, propter quam est conueniens Deum dare corpori vnito animæ beatæ gloriam sibi correspondentem. Quare cum hæc congruentia non haberet locum in

B corpore Christi ante mortem, quia per illam erat nos redempturus: nec item Christus Dominus vllum ex suis operibus meritoris ordinasset ad obtinendam illam tempore suæ mortalitatis, sed ad id solùmodo obtinendum post mortem: licèt ante mortem esset beatus quoad animam, non propterea tamen simul, & consequenter tunc fuit etiam beatus quoad corpus.

Alterum dubium est, quid importet ista gloria corporis, quam promeruit; an aliquid positiuum & reale superadditum humanitati adhuc mortali & eius perfectionibus: an verò subtractionem tantùm alicuius impedimenti, quo gloria corporis, durante vita eius mortali, impediebatur dimanare à gloria eius animæ.

Respondetur, istam gloriam corporis importare aliquid positiuum & reale humanitati Christi Domini & naturalibus eius perfectionibus superadditum, scilicet quatuor illas perfectiones, quas vulgò vocant *dotes corporis glorioſi, impassibilitatem, claritatem, agilitatem & subtilitatem*, quas Theologi disputando de resurrectione fusè explicant: ita colligimus ex sancto Thoma hac parte quæstione quadragesima quinta, articulo secundo in corpore, & in

C responsione ad primũ, & quinquagesima quarta, articulo tertio: nam priori loco expressè ait dotem claritatis (& ratio aliarum dotum est eadem) non fuisse in corpore Christi Domini adhuc mortalis. Vnde quando facies eius resplenduit in transfiguratione, negat hunc splendorem fuisse à dote claritatis; similiter quando ambulauit supra mare, à dote subtilitatis, sed ait fuisse aliquam duntaxat eius participationem, quatenus Deus tunc id transeunter fecit per seipsum, quod dos, habens esse permanens in corpore glorioso, facit in illo quo ad

D actum secundum: & posteriori loco docet Christum resurgẽdo accepisse istas dotes: ergo illud meritum Christi Domini sese terminabat ad aliquid positiuum & reale accipiendum velut præmium. Dein si sola gloria corporis vnà Christo Domino promerita importaret tantùm subtractionem alicuius impedimenti, iam corpus istud supponeretur toto tempore suæ mortalitatis fuisse in statu violento: nam impedimentum dicit obstaculum, quo aliqua causa impeditur producere effectum, quem aliàs esset naturaliter aut quasi naturaliter producturа, sicque pro tali statu patitur aliquod violentum. At est contra dignitatem corporis Christi Domini fuisse toto illo tempore in statu violento: & sic Christus Dominus non tantùm indirectè, sed directè, & primò per se meruit sibi gloriam

V. V. VI. VII. VIII.

I. corporis, quatenus non ad remotionem impedimenti, sed adipsammet immortalitatem sui corporis, vt præmium, ordinabat suam passionem.

Articvlvs XIII.

Vtrùm Christus Dominus meruerit Ascensionem suam in cœlos.

SIT hæc nostra propositio, *Christus Dominus sua Passione meruit Ascensionem suam in cœlos.* Probatur ex Isaiæ 63. capite, vbi Ascensio Christi Domini describitur, & Angeli illam admirantes dicunt, *quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra*, & Christus illis respondens significat merito Passionis tunc triumphare de hostibus, & hanc Ascensionis gloriam sua
II. morte sibi comparasse, *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* & paulò pòst, *Calcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea & deduxi in terram virtutem eorum.* Et fauet ratio, quicumque meretur strenuè pugnando victoriam de hostibus, meretur & triumphum de illis, quia triumphus est aliquid velut consequens victoriam, aliquid quasi annexũ isti, & qui meretur principale, meretur & eius consectarium: sed Christus Dominus Passione & morte meruit victoriam de dæmone: nam Isaiæ 53. de eo scribitur, *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam*, & gloriosa eius Ascensio est quidam triumphus eius resurgentis à morte de reportata supra dæmonem victoria: igitur Christus Dominus sua Passione meruit
III. etiam Ascẽsionem suam in cœlum.

Deinde, Christus Dominus ita meruit gloriam corporis sui, vt simul etiam meruerit quicquid in illa, vt est Christi Domini, importatur; quia illam meruit non tantùm quoad gradum aliquem specificum, sed & secundùm particulares suas conditiones: sicut enim meritum est aliquid particulare, sic etiam respicit præmium sibi correspondens quoad conditiones particulares. Atqui gloria corporis Christi, seu eius immortalitas, vt erat talis subiecti in particulari, importat, ascensum corporis eius in cœlum & eius sessionem ad dexteram Patris, ad id enim habebat rationabilem appetitum, vt intelligitur ex sancto Leone sermone primo de Ascensione sic scribente, *Super omnium creaturarum cœlestium dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura Angelicos ordines, & vltra Archangelorum altitudines eleuanda, nec vllis sublimitatibus modum suæ proiectionis habitura* (en prædictus eius appetitus) *nisi æterni Patris recepta concessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cuius copulabatur in Filio.* igitur Christus Dominus sua Passione & morte meruit sibi Ascensionem in cœlum.
IV.

Articvlvs XIV.

Vtrùm Christus Dominus meruerit exaltationem nominis sui.

SIT hæc nostra propositio, *Christus Dominus meruit sui nominis exaltationem, seu externam illam gloriam, quæ in clara, cum laude apud*
A *omnes creaturas rationales, notitia constitit.* Propositio hæc vt his terminis concepta est de fide. V.

Probatur. Apostolus ad Philippenses 2. loquens de præmio summæ Christi humilitatis & obedientiæ erga Deum, ita scribit, *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus est in gloria Dei Patris.* Quo loci, hæc particula, *propter quod*, exprimit humilitatem eius & obedientiam verbis præredentibus explicatam esse causam summæ eius exaltationis, quia Iesus est cognitus verus Deus, veri Dei Filius, seu fama eius diuinitatis est ab hominibus & Angelis cognita, & ab isdem magna cum laude celebrata, & magnopere
B honorata. Licèt enim natura diuina esset in VI.
Christo vnita humanitati eius ante Passionem & mortem, & sic Christus esset verus Deus, & verè Filius Dei: hæc tamen eius diuinitas*, quæ ibi apud Apostolum intelligitur per hanc particulam *nomen*, non adeò erat hominibus nota ante Passionem & mortem Christi, ac post illam innotuit, & est ab omnibus honorata, vt rectè sanctus Thomas ad caput secundum epistolæ ad Philippenses lectione tertia obseruat, & ante illum sanctus Cyrillus libro tertio thesauri cap. secundo, *Gloria*, inquit, *& exaltatio quæ post Incarnationem sibi donatur, nihil est aliud quàm dedecoris (vt ita dicam) destructio, quod dedecus propter humiliationem vsque ad assumendam carnem & formam serui, quamuis carnis & serui proprium esset, in ipsum tamen propter Incarnationem redundare videbatur, præsertim quoniam homo solum, & non Deus putabatur.*
C VII.

Idem probatur ex illo Christi Domini apud sanctum Ioannem cap. 17. instante sua Passione, *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te.* quo loci rogat Deum Patrem, vt eum apud homines declaret verum Filium Dei, & verum Deum, qualis est, & fuit ab æterno, vt explicat sanctus Ambrosius lib. 4. de fide cap. 6. sic etiam quinto capite Apocalypsis, Agnus qui occisus est, seu Christus dicitur *dignus accipere diuinitatem*, id est dignus vt ab omnibus agnoscatur, & celebretur tamquam Deus.

Ex quibus omnibus & aliis similibus Scripturæ locis hæc ratio pro nostra propositione colligitur: vbi omnes conditiones ad meritum requisitæ reperiuntur, ibi etiam est meritum propriè dictum: atqui omnes huiusmodi conditiones
D huius præmij, hac propositione explicati, VIII.
reperiuntur, condignitas operis ad præmium. Primò quia quodlibet liberum opus Christi Domini fuit valoris infiniti, & longe maioris quàm sint bona hîc in præmium assignata. Secundò, quia Christus D. erat adhuc viator, vt patet ex Euangelio. Tertio actus suos ordinauit ad obtinendum illa, vt intelligitur ex testimonijs relatis, quibus orat Deum Patrem pro illis obtinendis. Quartò, ex parte Patris diuini acceptatio, vt colligitur ex citato capite 53. Isaiæ, & à posteriori, ex eo quod Christum sic orantem exaudierit. Ergo Christus Dominus verè & propriè sibi meruit sui nominis exaltationem.

ARTICVLVS XV.

Vtrùm Christus Dominus meruerit dignitatem sacerdotij, dominij & iudiciariæ potestatis.

CVM nominis Christi Domini exaltatio, præter multiplicem testificationem diuinitatis ac perfectionum Christi Domini, includat capitis dignitatem, sacerdotium eius, singulare illud dominium quod habuit in creaturas, item & iudiciariam potestatem, vt præmonuimus initio articuli 11. huius disputationis, quæritur an Christus sibi promeruerit hæc omnia quatenus sonant aliquam auctoritatem sumptam præcisè in actu primo.

Aliqui affirmant, vt Vincentius sua relectione de gratia Christi, quæstione quinta. Melior tamen videtur sententia contraria, quam Suarez tradit hac parte disputatione 41. sectione 3. circa finem, & aliqui alij recentiores sequuntur. Cuius efficax fundamentum non est, quòd hæ dignitates sint debitæ Christo Domino ex vi vnionis humanitatis eius ad Verbum, & meritum est circa non debitum. Nam ad quæstionem octauam præcedentem, disputatione secundâ, articulo primo & secundo, ostendimus dignitatem capitis fuisse ei tantùm debitam debito decentiæ & congruitatis, hoc autem non impedit rationem meriti.

Sed vera & fundamentalis ratio est, quòd formales illæ rationes, secundùm quas Deus voluit efficaciter subsistantiam huius mysterij, abstrahendo à carne passibili & impassibili, non cadunt de facto sub merito Christi Domini, quia illæ includuntur in subsistantia huius mysterij sic voliti: Christus verò Dominus non meruit de facto mysterium Incarnationis, vt suprà docuimus: sed omnes istæ dignitates sunt speciales quædam rationes formales, secundùm quas Deus voluit efficaciter subsistantiam huius mysterij etiam abstrahendo à carne passibili & impassibili, vt docuimus ad primam quæstionem huius partis, disputatione septima, articulo secundo: ergo Christus Dominus de facto sibi non meruit istas dignitates, capitis, sacerdotij, dominij specialis in totum hoc vniuersum, & id genus reliqua. Minor confirmatur ex illo Angeli ad beatissimam Virginem capite primo sancti Lucæ, de perfectionibus quas Deus erat daturus Christo homini: nam vbi explicauit mysterium Incarnationis, statim nulla facta mentione meritorum Christi pro illis obtinendis, simpliciter dicit Deum eas illi daturum. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis;* quod sumptum in rigore sonat puram, & liberalem concessionem: esto, fundetur in eminenti quadam conuenientia. Et ita intelligitur de illo speciali Christi dominio in regnum Iudaicum, vt tamen intelligatur de eius in omnes Gentes amplificatione, iuxta illud Psalmi septuagesimi primi, *Et dominabitur à mari vsque ad mare, & flumine vsque ad terminos orbis terrarum.*

Secundò confirmatur ex Patribus, Sancto Augustino libro de prædestinatione Sanctorum, capite decimo-quinto, vbi expressis verbis asserit Christum hominem nullis suorum operum meritis obtinuisse vt esset saluator, esset mediator Dei & hominum, & in hoc fuisse exemplar nostræ prædestinationis ad primam gratiam: *Est*, inquit, *præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse saluator, ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui vt hoc esset (nimirùm Deus-homo, saluator & mediator Dei & hominum) quibus tandem suis vel operum vel fidei meritis præcedentibus, natura humana, quæ in illo est, sibi comparauit.* & paulò pòst, *Nempe omnia ista*, inquit, *singulariter admiranda & alia, si qua eius propria verissimè dici possunt, singulariter in illo accipit humana, hoc est nostra natura, nullis suis præcedentibus meritis.* Quo loci notandæ sunt duæ illæ particulæ, *ista omnia & alia*, & *si qua eius propria*: nam per priorem affert Christum hominem nec Incarnationem Verbi diuini, nec dignitatem Saluatoris, seu qua est à Deo constitutus in Saluatorem hominum, nec illam qua est mediator Dei & hominum tibi per merita comparasse, quod idem præcedenti textu asseruerat; & per posteriorem particulam docet eandem esse, quo ad hoc, aliarum singularium Christi Domini dignitatum rationem. Item ex sancto Bernardo libro tertio de consideratione ad Eugenium capite primo, *Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure communicationis* (nimirùm vt Deus) *& merito redemptionis* (scilicet vt Deus-homo patiendo pro saluandis omnibus hominibus) *& dono Patris: cui enim alteri dictum est, postula à me & dabo tibi Gentes in hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ?* Quo vltimo titulo vt ab aliis duobus distincto explicat dignitatem capitis & singularem regiam potestatem, quam habuit in totum hoc vniuersum, vt Christo, ex singulari liberalitate Patris, concessam.

Tandem confirmatur, ex eo quòd dignitates illæ seu potestates, summi sacerdotis, mediatoris Dei & hominum, item & supremi eorum iudicis quodammodo radicantur in eius dignitate capitis (vt de iudiciaria Christi potestate significat sanctus Thomas infrà quæstione sexagesima-nonâ, articulo secundo in corpore, & sequenti articulo etiam in corpore) in portant enim aliquam superioritatem in res sibi subiectas, & aliquem influxum in illas: at præterquam quod illæ sunt de numero earum formalium rationum obiectiuarum, secundùm quas Deus voluit efficaciter subsistantiam huius mysterij, etiam Daniel. capite septimo expressiùs, vt illi gratuitò & merè liberaliter concessæ: *Aspiciebam*, inquit ibi Daniel, *in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient, potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Ergo omnes illæ & singulæ potestates prout considerantur quoad actum primum, & sonant tantùm facultatem & potestatem aliquam, facturæ in Christo homine ex pura & liberali concessione Dei, & non ex aliquo eius merito.

I.

Articvlvs XVI.

Soluuntur obiectiones contra doctrinam superioris articuli.

PRIMA. Eadem est ratio omnium istarum dignitatum ac iudiciariæ potestatis, iuxta sanctum Thomam quæstione vigesima-secundâ, articulo primo ad tertium: sed Christus Dominus, ex eodem sancto Thoma sequenti quæstione quinquagesima-nonâ, articulo tertio, meruit iudiciariam potestatem.

Respondetur, illud sancti Thomæ de iudiciaria potestate per Christum promerita rectè explicari de illius exercitio & exequutione, item & manifestatione. Nam Christus Dominus apud sanctum Ioannem capite quinto de ista potestate secundùm suam substantiam & in actu primo ita loquitur, *& potestatem dedit ei* (scilicet Christo vt homini) *iudicium facere, quia Filius hominis est*: vbi hæc particula causalis *quia* explicat congruentiam, quæ mouit Deum Patrem vt hanc potestatem iudiciariam daret Christo homini, fuisse quòd esset Filius hominis: qui cùm esset, quatenùs homo, hominum caput, ei etiam tanquam iudici visibili Deus Pater dedit posse exercere iudicium externum & visibile tam viuorum quàm defunctorum, quale futurum est iudicium extremum, cùm Christus, vt Filius hominis, sit etiam visibilis: sic locum hunc sanctus Augustinus tractatu decimo-nono in sanctum Ioannem explicat, *Proinde*, inquit, *quia Filius hominis est, quid accepit? potestatem & iudicium facere: quod iudicium? in fine seculi, & ibi erit resurrectio mortuorum, sed corporum*: idem habet libro primo de Trinitate capite vltimo.

II.

III.

Secunda obiectio. Psalmo secundo, Deus Pater alloquens Christum, ait illi, *Postula à me, & dabo tibi Gentes in hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; quod intelligitur de singulari regia potestate & dominio Christi Domini, & hæ duæ particulæ, *postula, & dabo*, important pactum Dei Patris cum Christo, & postulatio, Christi meritum, & istud, *Gentes in hæreditatem tuam*, præmium.

Respondetur, locum illum Psalmi secundi non obstare, quia iuxta illud Christi Domini verbum post suam resurrectionem, capite vltimo sancti Matthæi, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, rectè intelligitur de exercitio & manifestatione talis potestatis, quod vtrumque Christus Dominus promeruit.

IV.

Tertia. Quidquid Christus Dominus acquisiuit pretio sui sanguinis, acquisiuit suo merito, quia meritum Christi Domini potissimum relucet in eius passione: sed Christus Dominus acquisiuit pretio sui sanguinis summum illud ius, quod habet in omnes homines, iuxta illud Apostoli primæ ad Corinthios sexto, *Empti estis magno pretio*, item ad Romanos decimo-quarto, *Christus mortuus est, & resurrexit*, vt viuorum & mortuorum dominetur.

Respondetur, dominium istud quo Christus Dominus nos sibi acquisiuit per redemptionem, esse aliquid speciale & aliquo modo

A

distinctum ab ipsa eius dignitate capitis: hæc enim sese extendit ad omnes rationes creatas, istud verò est inadæquata eius ratio sese extendens ad solos homines, & hæc fuisset adhuc in Christo Domino, si primus parens non peccasset, istud verò dominium minimè: & sanctus Bernardus relatus articulo præcedenti significat hunc titulum dominij, quo Christus nos sibi suo sanguine, tanquam pretio comparauit, esse aliud & distinctum ab eo, quod ei competit per dignitatem capitis, sicut inclusum ab includente, & inadæquatum ab adæquato includente illud.

V.

Articvlvs Vltimvs.

Soluuntur fundamenta Caluini contra doctrinam præcedentium articulorum.

B

PRIMVM est, quòd gloria corporis, exaltatio nominis & cætera id genus sint Christo Domino inutilia; quia non opus fuit ipsum vnicum Dei Filium descendere, incarnari vt sibi acquireret quidquam noui.

VI.

Respondetur, patere ex dictis pro nostra sententia, Filium Dei vnicum incarnari, non fuisse inutile illi secundùm humanitatem assumptam considerato, iuxta quem dumtaxat modum volumus eum aliquid sibi promeruisse: nam certum est ei secundùm diuinitatem considerato nihil boni etiam vtilis potuisse aduenire, vt intelligitur ex illo Psalmi decimi-quinti, *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egs*, habet enim omnes omnium rerum perfectiones in seipso inclusas, vt docetur primâ parte, quæstione quartâ.

C

VII.

Secundum fundamentum, quòd Deus Pater non dicatur in sacris Litteris consuluisse vtilitati Filij in eius meritis, sed eum tradidisse in mortem, neque ei pepercisse, quia mundum diligeret.

Respondetur, Deum in sacris Litteris ita dici tradidisse Christum pro nobis in mortem, vt tamen in iisdem dicatur totum istud etiam fecisse in bonum Christi hominis. Nam vbi Apostolus primæ ad Corinthios capite 3. dixit omnia in bonum & vtilitatem electorum esse facta, eáque recensuit, statim subiungit electos esse propter Christum; *Omnia*, inquit, *vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura, omnia enim vestra sunt, vos autem Christi*: &

D

ex Concilio Tridentino sessione sextâ capite septimo, Christus Dominus dicitur esse causa finalis nostræ iustificationis; & pro hac responsione videri possunt quæ ad primam quæstionem disputatione septimâ diximus de principali motiuo Incarnationis.

VIII.

Tertium fundamentum est. Si Christus Dominus aliquid sibi meruisset, tunc potiùs venisset propter se, quàm propter nos; cuius tamen contrarium sacræ Scripturæ passim tradunt; Isaiæ nono, *puer datus est nobis*, Zachariæ nono, *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & saluator*: item frigeret illa amoris hominum ad amorem Christi conformatio, quam Apostolus cap. 5. ad Romanos commendat, quòd scilicet subierit mortem pro inimicis.

Confirmatur hoc Caluini fundamentum au-

I

ctoritate sanctorum Patrum, qui respondentes Arrianis contendentibus Christum non esse Deum, Deo Patri consubstantialem & coæqualem, ex eo quòd ad Philippenses secundo scribatur, *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*: quo significatur Christum sibi aliquid apud Deum promeruisse, & proinde esse illo inferiorem. Negabant eum sibi aliquid promeruisse, & hoc eodem Caluini argumento vtuntur. Sic sanctus Athanasius oratione secundâ contra Arrianos satis longè post medium, vbi retulit Apostoli testimonia, & dixit Verbum diuinum seu Christum, vt pote perfectum, nullius rei fuisse indigum; subiungit prædictum illud Apostoli non significare aliquod meritum Christi Domini, quo aliquid sibi requireret, sed tantùm nobis. Verba eius sunt hæc, *Frustra*

II. *igitur innituntur Arriani coniunctioni isti, ideò, dum à Paulo dicitur, ideò & Deus exaltauit illum; non enim præmium virtutis, neque præstantiam eius in proficiendo iis verbis significauit, sed causam sublimationis in nos redundantis.* & paulò post verbis sequentibus asserit hanc suam explicationem prædicti apostolici testimonij esse ecclesiasticam, id est verissimam & Catholicam; *Propter nos igitur*, inquit ille, *& de nobis dictum est, exaltauit & donauit: hanc ergo arbitror istius dicti sententiam, eamque imprimis ecclesiasticam*; & paulò pòst, notat particulam illam Græcam *διὸ* Latinè, *ideò*, in vulgata editione, *propterea*, non significare mercedem virtutis aut profectus, sed significare causam, ob quam resurrectio Christi Domini sit. cùm tamen omnes ab Adam dependentes, morerentur, & mortui permanerent: sic enim scribit;

III. *Atque illud ipsum est, cuius gratia subintulit in hac sententia coniunctionem, ideò, non mercedem virtutis aut profectus, sed causam significantem, ob quam facta est resurrectio: & cui alij quidem homines ab Adamo vsque ad præsens tempus morerentur, & mortui permanerent, iste verò solus integer ex mortuis resurrexit; causa est quam ipse priori loco statuit, quòd cùm Deus esset, homo factus sit.* Similiter sanctus Cyrillus Alexandrinus libro tertio Thesauri capite secundo, eidem obiectioni Arrianorum ex eodem loco Apostoli desumptæ respondens; *Scripturæ diuinæ*, inquit, *Incarnationem Filij hominis prædicant ad restitutionem totius generis humani; sin verò (vt ipsi dicunt) exaltatus post Incarnationem est Filius Dei, & factus sublimis, quod anteà non habebat, prosectò magis esset incarnatus, quàm pro hominibus; sibi enim magis, secundùm eos,*

IV. *profuit, quàm hominibus: ita non pro nostra salute magis, quàm vt ipse exaltaretur, nominique maximum assequeretur, homo factus esset. Quomodo igitur Prophetæ, & Apostoli Saluatorem appellant nostrum, si sibi magis quam nobis profuerit, vel quomodo pro nobis mortuus est, si ea pro morte ipse exaltatus ac Filius Dei est appellatus.*

Respondetur negando maiorem: nam Christum venisse in mundum, nihil est aliud quàm Verbum assumpsisse naturam humanam. At Verbum diuinum non ideò assumpsit humanitatem, vt inde aliquid sibi mereretur, sed eam assumpsit passibilem vt nos redimeret, quod tamen non impedit, quin vt homo suæ humanitati aliquod bonum promeruerit: numquam enim finis primariò intentus destruitur ex boni

A alicuius secundarij adiunctione, nullam cum illo oppositionem seu incompatibilitatem habentis, cuiusmodi est in præsenti casu meritum, quo prædictæ dignitates acquirerentur à Christo. Neque propterea conformatio amoris nostri ad amorem Christi frigere debet, cùm totum istud, quod sibi Christus Dominus promeruit, sit tantùm aliquid consequens ad id, quod primò & principaliter nobis promeruit, quod redundat in bonum totius humanæ naturæ, vt fusè explicant sancti, Athanasius, & Cyrillus, locis citatis infrà referendis, & in responsione proxima ad tertium istud fundamentum.

Ad confirmationem istius fundamenti petitam ex auctoritate sanctorum Patrum, respondetur, duas esse in Christo naturas distinctas. Arriani, contra quos ibi sancti Patres disputant, nitebantur probare Christum non esse

B verè Deum, Patri suo consubstantialem, ex eo quòd apud illum meruerat: Patres negant sollummodò eum vt Deum sibi aliquid meruisse, & consequenter locum illum Apostoli ad Philippenses secundo explicant de nobis. & hanc eorum esse mentem patet ex apertissimis illorum testimoniis. Sanctus Athanasius illa eadem oratione duabus circiter paginis ante verba in obiectione relata, vbi prædictum locum Apostoli expendit, ad hanc particulam *Exaltauit eum*, ita scribit, *non exaltatum Verbi substantiam significat, fuit enim, & semper est æqualis Deo, sed ad humanitatem eius spectat: neque priùs ista dicta fuere quàm tum cùm iam Verbum caro factum esset, vt palam fieret illud humilians & illud exaltans de homine dictum esse*: & inferiùs pagina sequenti, ex eo quòd Do-

C minus in corpore natus est, ita infert, *Id euidenti ratione commonstrat non Verbum, quatenus Verbum est, eiusmodi gratiam, sed nos illam ipsam accepisse.* Et ibidem sanctus Athanasius conformiter ad suam explicationem loci Apostolici vult particulam *διὸ* esse explicatiuam eius, quod est subsequitum. Ad eundem planè modum sanctus Cyrillus, loco in obiectione relato seipsum fusè explicat.

Quartum fundamentum. Tale meritum repugnat istis verbis Christi Domini apud sanctum Ioannem capite decimo-septimo, *Pro illis sanctifico meipsum; sic enim*, inquit Caluinus, *sibi nihil acquirere testatur, qui fructum*

D *sua sanctitatis transfert in alios.*

Respondetur, negando nostram assertionem repugnare isti verbo Christi Domini, *pro illis sanctifico meipsum.* Non enim repugnat, imò inter homines sæpe contingit aliquem conferre alicui bonum aliquod insigne; ex quo tamen nonnihil commodi, vtilitatis, & honoris ipsi tale bonum conferenti aduenit.

Vltimum fundamentum. Nullum potest dari meritum, quo homo possit esse iudex mundi, caput Angelorum, quo potiatur summo imperio: atque in eo relidet maiestas illa, cuius millesimam partem cunctæ hominum & Angelorum virtutes nequeunt attingere.

Respondetur negando antecedens. Primò, quia redemptio totius humani generis est aliquid longè maius his omnibus & singulis potestatibus Iudicis, summi Imperatoris, & aliis id genus; & tamen Christus Dominus sua morte meruit nostram omnium redemptionem. Item ex dictis primâ quæstione, valor meritorum

V.

VI.

VII.

VIII.

I. Christi Domini est infinitus, proportionatus omni bono communicabili creaturæ rationali: imò maiorem habet infinitatem, quàm omnia bona purè creata simul sumpta habeant: ergo & istud meritum est his dignitatibus, quæ Christo homini sunt communicatæ, plusquam proportionatum.

DISPVTATIO V.

Quid Christus Angelis meruerit: vtrùm Christus Dominus meruerit illis gratiam & gloriam.

ARTICVLVS PRIMVS.

II. *Proponuntur sententiæ & affirmans asseritur.*

HACTENVS exposuimus quæ Christus Dominus sibi vel potuerit mereri, vel de facto meruerit: nunc inquirendum est, quid rationalibus creaturis meruerit, & primò videndum de Angelis. Alensis tertiâ parte quæstione duodecimâ membro secundo, articulo tertio: sanctus Thomas in tertium sententiarum, distinctione decima-tertiâ, quæstione secundâ, articulo secundo, & in quæstionibus disputatis de veritate quæstione decima-nonâ articulo quarto ad quintum, & articulo septimo ad quintum: sanctus Bonauentura in tertium distinctione decima-tertiâ, & ex recentioribus Vasquesius hac parte, disputatione 49. & aliquot alij sequuntur partem negantem. Quorum alij pro fundamento supponunt Verbum non fuisse incarnandum, si primus parens non peccasset, & proinde quia Angeli semper erant futuri, licèt Christus tunc non esset venturus, illos non habuisse gratiam & gloriam ex meritis Christi. Alij supponunt prædestinationem Angelorum priùs in aliquo signo rationis fuisse decretam, quàm præuideretur peccatum Adæ, & sic Christum, qui posteà tantùm fuit decretus à Deo in remedium peccati, non meruisse illis gratiam & gloriam.

III.

Sententia tamen affirmans, quam loco nostræ propositionis ponimus, videtur nobis melior consentaneè ad ea quæ diximus ad quæstionē primā, tota disputatione septimâ de futuro Incarnationis mysterio, etiam Adamo non peccante: item conuenienter ad ea quæ diximus ad quæst. octauam, disputatione primâ, articulo quarto de Christo tanquam capite Angelorum quoad interiorem influxum, hæc enim singula probant præsentem propositionem, vbi animaduertimus illam esse etiam sancti Thomæ, nec illam reuocasse: est item Alberti magni in tertium sententiarum distinctione decima-tertiâ, articulo secundo, & plurium aliorum, quos Suares refert & sequitur hîc disputatione quadragesima-secundâ, sectione primâ.

IV.

A

ARTICVLVS II.

Probatur nostra sententia ex loco Apostoli ad Ephesios capite primo.

PROBATVR primò ex sacris Litteris, ex Apostolo ad Ephesios capite primo, loquente de Christo tamquam vero capite per Deum constituto super omnem Ecclesiam, *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur*, vel, vt alij legunt, *adimplet*, nam citata quæstione septimâ animaduertimus verbum Græcum huic respondens esse medium, & interdum habere significationem actiuam, iuxta quam Theophylactus & Oecumenius Græci Interpretes explicant hunc locum. Ex quo sic intellecto

B

Ratio hæc formatur pro nostra propositione. Ab eo, *Qui tanquam caput primatum tenens supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro*, quique tanquam caput supra omnem Ecclesiam adimplet omnia bona spiritualia in omnibus creaturis rationalibus: ab eo, inquam, est istarū creaturarum gratia sanctificans & gloria æterna, aliàs non satis aptè diceretur, *tenere primatum supra omnem principatum etiam qui in cælo est*, item, *esse caput supra omnem Ecclesiam, & implere omnia in omnibus*: nam qui ad hunc sensum dicit omnia in omnibus, nullum beneficium supernaturale excipit, nullum etiam subiectum, in quo tale beneficium recipiatur, excludit. Atqui Christus Dominus vt homo est talis, & de eo Apostolus totum istud affirmat, item Angeli sunt creaturæ intellectuales, quarum gratia sanctificans & gloria æterna sunt bona quædam spiritalia: igitur gratia sanctificans & gloria æterna Angelorum est à Christo Domino vt homine, tamquam illorum capite, & ex consequenti Christus Dominus hoc vtrumque beneficium illis promeruit.

C

Neque responderi potest, Apostolum id tantùm intelligere de *Ecclesia ex solis hominibus constituta*, vel etiam de iis tantùm, quæ post Christi Domini resurrectionem contigerunt, eo quòd sic præmittat, *Suscitans illum à mortuis, & constituens illum ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum*. Primum, inquam, non potest dici, nam enumeratio illa principatuū, quam ibi facit, & hæc eius particula, *supra omnem Ecclesiam*, præcludit viam huic primæ responsioni. Posterius etiam dici non potest: nam aliud est sessionem istam fuisse Christo Domino concessam post resurrectionem, & aliud tunc solummodò fuisse de facto caput totius Ecclesiæ ex Angelis & hominibus compositæ, & ab eo tantùm tempore habuisse influxum interiorem gratiæ in illos: primum quidem est verum, & Apostolus ibi illud solùm asserit: secundum verò minimè, cùm in Apocalypsi Angeli dicantur vicisse in sanguine Agni, longè ante peractum hoc Incarnationis mysterium, & Patres veteris Testamenti dicantur etiam habuisse gratiam ex meritis Christi Domini: & si Apostolus vellet dumtaxat hoc secundum, non satis aptè diceret Christum *adimpleuisse omnia in omnibus*, cùm

D

V. VI. VII. VIII.

I. tunc gratiam & gloriam non contulisset Angelis.

Confirmatur. Angeli, secundùm pura naturalia considerati, non plus habent positiuæ proportionis ad gratiam sanctificantem, & ad beatitudinem æternam eiúsque meritum, quàm homines eodem modo spectati, sunt enim vtrique creaturæ intellectuales, istorum beneficiorum secundùm obedientialem tantùm suam potentiam capaces, quorum supernaturalis coniunctio ad Deum, vt suum finem vltimum, attenditur penes ista bona: sed omnes homines, vt gloriam consequantur, ita indigent gratia, vt, quia Deus voluit Christum Dominum esse illorum omnium caput, accipiant illam & consequenter gloriam æternam ex eius meritis. Ergo pari iure, quia Angeli indigebant gratia sanctificante, & insuper Deus voluit Christum Domi-
II. num esse omnium illorum caput, acceperunt gratiam sanctificantem, & gloriam ei correspondentem ex Christi Domini meritis.

Articvlvs III.

Probatur eadem sententia ex eodem Apostolo, capite primo ad Colossenses.

PROBATVR item ex eodem Apostolo capite primo ad Colossenses, vbi Deus dicitur voluisse omnia reconciliare sibi per Christum, *Pacificans*, inquit, *per sanguinem crucis eius sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*: non enim potest commodè intelligi quomodo Christus Dominus pacificauerit omnia, *sive quæ in cælis sunt, sive quæ in terris sunt*, nisi Angelos (qui eo loci intelliguntur per hanc particulam, *quæ in cælis*
III. *sunt*) suo merito, supernaturali amicitia Deo coniunxerit, & ex consequenti gratiam sanctificantem illius causam eis promeruerit.

Nec est, quòd quis faciat vim in hac particula S. Pauli *per sanguinem crucis eius*, qui tamen sanguis videtur pertinere tantùm ad redemptionem, ad quam sancti Angeli non spectant, quippè qui nunquam peccauerunt. Nam licèt boni Angeli, quia nunquam ceciderunt, non sint redempti, benè tamen intelliguntur conciliati Deo, & effecti eius amici amicitia supernaturali per sanguinem Christi Domini: non quatenus hæc eius passio meritoria importat talemmodum in particulari, sed quatenus importat *rationem meriti*, quæ latiùs patet: & rectè Angeli dicuntur esse Christi merito pacificati, quia dum pugnarent contra diabolum, sunt ex Christi Domini merito inter se con-
IV. iuncti concordia, & peruenerunt ad pacem æternam.

Neque vim huius nostræ rationis ex hoc Apostoli testimonio desumptæ frangit, quòd aliqui ex sancto Augustino in Enchyridio cap. 61. respondent, Christum ab Apostolo dici pacificasse omnia *sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*, quia inimicitiæ quæ erant inter sanctos Angelos, & homines, ratione peccatorum, extinctæ fuerunt. Licèt enim hæc reconciliatio hominum cum beatis Angelis sit ex merito Christi Domini, nihilominùs tamen Apostolus eò loci vult aliquid amplius. Primò, quia Apostolus ibi vult commendare plenitudinem gratiæ Christi Domini, vt patet ex verbis immediatè antecedentibus. At hæc reconciliatio hominum cum Angelis præcisè sumpta est aliquid exiguum com-

A paratione eius plenitudinis: è contra verò Angelorum cum Deo, amicitia supernaturali, conciliatio est aliquid longè maius, & est tale opus, vt per illud præcipua Dei opera manifestentur, & excellentia plenitudinis gratiæ Christi Domini. Secundò, quia enunciatio illa Apostoli, *Reconcilians omnia, in ipsum pacificans sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*, non est vna & simplex enunciatio, sed coniuncta, æquipollens istis duabus, Christus pacificans reconciliauit Deo *quæ sunt in terris*, Christus pacificans reconciliauit Deo *quæ sunt in cælis*, quia hæc particula *sive* est aliquod signum duarum eiusmodi enunciationum, vt etiam Grammatici norunt. Ergo vnaquæque illarum etiam seorsim sumpta ab alia libi annexam suam habet veritatem: ergo Christus Dominus conciliauit Deo amicitia supernaturali (nam de hac solà ibi Apostolus loquitur) Angelos: ergo cùm hæc conciliatio An-
B gelorum cum Deo per Christum non possit aliter intelligi, quàm illis promerendo gratiam sanctificantem & gloriam æternam, Christus Dominus de facto iuxta Apostolum hîc promeruit illis hanc gratiam. Tertiò, in hoc textu Apostoli nulla est particula, quæ primò, per se, & in suo directo significato sit nota aliqua illius mutuæ reconciliationis hominum cum Angelis, sed tantùm indirectè, & ex consequenti, quatenus quicumque est verus amicus Dei, est etiam amicus eorum, quos Deus habet pro verè amicis, & qui verè reconciliatur Deo, etiam ex consequenti reconciliatur eius amicis, quia vera & perfecta charitas postulat vt non solùm amemus Deum, sed etiam & quæ sunt illius, & quos habet sibi per veram gratiam coniunctos: iuxta quem sensum intelligimus explicationem huius loci à S.
C Augustino traditam esse veram, nostræ tamen expositioni nullo modo aduersari, sed potiùs illam supponere.

Item probatur nostra propositio iis omnibus Scripturæ locis, quibus Christus Dominus ait se ita esse viam & ianuam ingrediendi cælos, vt nemo nisi per eam eos ingrediatur, vbi hæc particula *nemo* rectè potest se extendere ad ipsos Angelos.

Articvlvs IV.

Probatur nostra sententia ex Patribus.

DEINDE probatur nostra propositio ex sanctis Patribus, sancto Cyrillo Alexandrino lib. 1. in Leuiticum, paulò post medium, vbi repetitionem huius particulæ *Altaris*, 1. cap. Le-
D uitici, *per circuitum altaris ante ostium tabernaculi*, vult significare fructum sacrificij à Christo Domino peracti, profuisse & Angelis & hominibus: *Hoc intelligi voluit*, inquit, *quòd sanguis Iesus non solùm in Ierusalem effusus est, vbi erat altare, & basis eius & tabernaculum testimonij: sed & quòd supernum illud altare quod est in cælis (vbi Ecclesia primitiuorum est) idem ipse sanguis asperserit, sicut & Apostolus ait, Quia pacificauit per sanguinem crucis suæ sive quæ in terra sunt, sive quæ in cælis. Rectè ergo secundò nominat altare, quod est ad ostium tabernaculi testimonij, quia non solùm pro terrestribus sed etiam pro cælestibus oblatus est hostia Iesus, & his quidem pro hominibus ipsam corporalem materiam sanguinis sui fudit, in cælestibus verò ministrantibus (si qui inibi sunt) Sacerdotibus vitalem corporis sui virtutem, velut*

V.

VI.

VII.

VIII.

I. *spiritale quoddam sacrificium immolauit.* & paulò A
pòst, *Si ergo duo intelliguntur vclamina, quæ velut Pontifex ingressus est Iesus, consequenter & sacrificium duplex intelligendum, per quod & terrestria saluarit & cælestia.* Vbi notanda est illa particula, *saluarit*, quæ applicata bonis Angelis, qui nunquam peccauerunt, non potest aliud significare, quá quòd actus meritorius Christi Domini promeruerit illis gratiam sanctificantem & gloriam, quæ duo sunt vera salus Angelorum & hominum. Et locus ille sancti Cyrilli confirmat explicationem loci ad Colossenses 1. capite, superiùs allati in fauorem nostræ propositionis. Item patet ex sancto Gregorio capite secundo suæ expositionis in primum librum Regum, ad illum versiculum, *Neque enim alius est extra te*, vbi docens neminem absque dono Christi sanctificationis spiritum habere potuisse, docet An-

II. gelos per Christum fuisse sanctificatos: & posteà B
sic subiungit, *Si ergo etiam Angeli sanctificati creduntur in filio, multo magis de hominibus creditur, quia extra eum sanctificationis gratiam inuenire non possunt.*

Neque huic authoritati satisfacit quod aliqui respondent, scilicet eum ibi loqui de Christo vt Deo, non autem vt homine, sicut illum hic consideramus. Nam tam initio præcedentis versiculi, quàm in eius fine expressè ait ibi agi de Christo redemptore, & huic versiculo, *neque alius extrate*, nimirùm *sanctus*, quem explicat de Christo redemptore vt authore sanctitatis omnium hominum & Angelorum, præmittit *Ecclesiam id insinuare subsequenti verbo*, id est versiculo, dum ad eundum redemptorem ex nimia charitate conuersa dicit, *neque enim est alius extra te.*

III. Item ex sancto Bernardo sermone 22. in Can- C
tica Canticorum, *Qui erexit*, inquit, *hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum ex captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens, & hac ratione fuit æquè vtrique redemptio soluens illum, & seruans istum.* Et quòd locus iste S. Bernardi non intelligatur de Christo secundùm naturam diuinam tantùm consideratò, vt volunt aliqui, sed de Christo vt homine, significant hæc eius verba, quibus introducit aliquem de nostra propositione dubitantem & obiicientem Angelos non peccasse, & ideò Christum non fuisse illorũ redemptionem. *At Angelis*, inquit, *quomodo redemptio fuerit, non video:* & paulò pòst, *Quo pacto tu dicis Dominum Iesum Christum eis fuisse redemptionem.* Audi breuiter: deinde respondet prædictæ obiectioni per verba nunc à nobis relata, quibus hæc subiungit,

IV. *& hac ratione fuit æque vtrique redemptio*, quæ D
denotant Christum fuisse, diuersa tamen ratione redemptorem hominum & Angelorum: ergo sicut Christus non vt simpliciter Deus, sed vt *Deus-homo*, fuit nobis redemptio: sic etiam ex mente S. Bernardi fuit vt *Deus-homo* redemptio beatis Angelis, cum hoc tamen discrimine, (vt ibi ipsemet explicat,) quòd homini fuerit redemptio, illum erigendo elapsũ, & eruendo à captiuitate in quam deciderat, Angelo autem, promerendo illi gratiam efficacem, qua impediretur à lapsu & casu captiuitatis.

V. ARTICVLVS V.

Probatur nostra sententia ratione.

TANDEM nostra propositio probatur congruenti ratione. Vbi naturalis filius est in maxima dignitate constitutus, ratione cuius singularis reuerentia ei debetur, item est quàm gratissimus suo patri, tunc, si quis extraneus sit à tali patre adoptandus, valde congruum est, vt ab eo adoptetur mediante filio, quia talis adoptio est quædã participatio filiationis eius naturalis, & cooptatio ad hæreditatem filio naturali aliqua decenti ratione debitam: atqui Christus Dominus est naturalis Filius Dei Patris, vt infrà docebimus, in maxima dignitate constitutus, ratione cuius debetur ei maxima reuerentia, vt

VI. Apostolus docet capite primo ad Hebræos, *Tanto Angelis melior effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu? & cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dixit, & adorent eum:* est itè Christus Deo quàm gratissimus, vt ipse testatur in Euangelio, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui:* item beati Angeli sunt à Deo Patre tamquam extranei per gratiam sanctificantem adoptati, & per gloriam missi in realem possessionem æternæ hæreditatis: ergo fuit valde congruum beatos Angelos accipere causam formalem talis adoptionis Christo mediante, & ex consequenti ex eius meritis.

Secunda similis ratio potest fundari in dignitate capitis. Valde congruum est vt singula membra eum omnem influxum vitæ quem recipiunt, mediante suo capite, recipiant maximè, vbi &

VII. quando hæc communicatio influxus non excedit vires, & facultatem capitis, quin potiùs magis commendat illud, & talis influxus est magni momenti: nam accipere solùm aliquid minimum ab aliquo vt capite, parum facit ad eius dignitatem: sed omnes beati Angeli, habent Christum, Deum-hominem pro suo capite, accipiunt à Deo influxum vitæ spiritalis, seu gratiam sanctificantem, æternam gloriam, quod vtrumque bonum non excedit vim & efficaciam meritorum Christi Domini secundùm se consideratam, cùm illa promeruerit nobis in quibus sunt eiusdem speciei ac in Angelis, & quòd Angeli acceperint hoc vtrumque bonum spiritale, mediante Christo Domino, tanquam capite, facit ad dignitatem capitis, quæ est in illo, quemadmodum patet in nobis. Igitur fuit valde congruum omnes beatos Angelos accipere Christo Deo-homine mediante, seu ex eius meritis gratiam sanctificantem & gloriam.

VIII. Postrema ratio hæc est. Illud omne fuit reipsa in Christo Domino, quod facit ad eius dignitatem, quódque Deus potest absque vllo incommodo concedere, imò & cuius vt reipsà concessi Christo existit sufficiens fundamentum; quia sicut beneficium Incarnationis est tantæ excellentiæ, vt nullum possit dari maius; ita etiam fuit valdè conueniens Deum illud cohonestare omni perfectione ei correspondente & habente aliquod fundamentum conformiter ad illum modum quo sancti Patres philosophantur de eminentissimis perfectionibus concessis beatissimæ Virgini, eo quòd Deus illam elegit in matrem filij sui: sed Christum Dominum meruisse Angelis gratiam sanctifican-

I. tem, & gloriam æternam, facit ad illam eius dignitatem, quâ est constitutus caput, non tantùm hominum, sed etiam Angelorum, quia ad perfectam rationem capitis spiritalis & mystici maximè pertinet influere vitam spiritalem in sua membra, vt patet in Christo Domino, tanquam capite hominum, quæ spiritalis vita consistit in gratia sanctificante & gloria; & Deus absque vllo inconuenienti potuit concedere Christo Domino, vt de facto promereretur Angelis gratiam sanctificantem, & gloriam æternam, vt patebit soluendo argumenta prioris sententiæ, & virtus meritorum Christi Domini est longè maior, quàm sit tale bonum, vt patet ex dictis ad quæstionem primam de illorum valore & efficacia: & hæc perfectio, scilicet, *Christum de facto meruisse gratiam sanctificantem & gloriam Angelis*, habet sufficiens fundamentum, vt patet ex au-
II. thoritatibus sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum allatis in fauorem nostræ propositionis. Igitur ipsum *meruisse Angelis gratiam sanctificantem, & gloriam æternam*, fuit reipsa in Christo Domino, & ex consequenti Christus meruit Angelis gratiam sanctificantem, & gloriam æternam.

Articvlvs VI.

Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ petitum ex Scriptura sacra.

Repetitvr hoc fundamentum ex Apostolo ad Hebræos secundo, *Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes, propter quam causam non confunditur fratres eos vocare.* Quibus & sequentibus verbis Apostolus docet Chri-
III. stum debuisse esse conditionis humanæ & passibilis, eo quòd sanctificandi per eum essent talis naturæ participes; Sacerdos enim debet esse similis iis pro quibus sacerdotio fungitur: sicque Apostolus indicat Angelos non fuisse per Christum sanctificatos, quia non descendunt ex eodem: vnde inferiùs sic argumentatur, *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ: ergo debuit per omnia hominibus assimilari.*

Et hoc fundamentum confirmatur ex parabola Christi apud sanctum Matthæum capite 18. & sanctum Lucam capite 15. desumpta à pastore, qui reliquit nonaginta nouem oues, vt quæreret centesimam; vbi per nonaginta nouem oues intelliguntur Angeli, & per centesimam, genus humanum, pro cuius redemptione Verbum est incarnatum.

IV. Respondetur, Apostolum ibi non agere de quauis sanctificatione, sed de *illa tantùm, quæ remissionem peccatorum habet sibi annexam*, vt patet tam ex consequentibus, quàm ex antecedentibus: & sic rectè ait oportuisse Christum Dominum esse eiusdem naturæ cum iis, quos erat sanctificaturus. Hoc modo, & iuxta hunc modum negat Apostolus Angelos fuisse sanctificatos per merita Christi Domini, sed tantùm homines, quia sunt à peccato in quod ceciderant liberati, Angeli verò non item, quippe quibus nullum peccatum fuit remissum: in sacris autem Litteris frequentior sit mentio nostræ redemptionis per Christum comparatæ, quàm & gratiæ & gloriæ per illum eundem concessæ Angelis, quia in sacris Scripturis agitur potissimùm de hoc mysterio, provt est factum in carne passibili, & in finem redemptionis hominum, quo modo est solùm pro nobis: hinc etiam Verbum diuinum dicitur hic ab Apostolo non apprehendisse Angelos, sed semen Abrahæ: sic enim præmittit, *Vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium*, scilicet diabolum, *& liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.* & sanctus Chrysostomus homiliâ quintâ in epistolam ad Hebræos notat Apostolum, vt id significaret fuisse vsum hac dictione, *apprehendit: Cur*, inquit, *non dixit* susce*pit, sed vsus est hac dictione*, apprehendit: *à metaphora eorum qui persequuntur auersos, & omnia faciunt, vt fugientes comprehendant, & personaliter apprehendant: ab ipso enim fugientem humanam naturam, & procul fugientem, longè enim eramus, persequutus apprehendit.*

Ad confirmationem huius fundamenti petitam ex parabola centum ouium, negatur illam significare Christum Dominum nihil Angelis meruisse, sed solummodò eum non ita speciali affectu curasse eorum salutem, assumendo naturam Angelicam, sicut nostram assumendo humanitatem, prædicando, cum hominibus conuersando, & faciendo miracula.

Articvlvs VII.

Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ petitum ex Patribus.

Repetitvr hoc fundamentum ex authoritate sanctorum Patrum, & primò ex authoritate sancti Augustini in Enchiridio capite 61. constituentis hoc discrimen inter Ecclesiam ex Angelis constitutam, & eam quæ constat solis hominibus: quòd *hæc sit redempta sanguine mediatoris, ista verò minimè.* Item ex authoritate sancti Gregorij libro 28. Moralium capite 7. vbi nullam aliam causam reddit, cur Angeli gaudeant de mysterio Incarnationis, quàm quia gaudent de nostra salute, & de reparatione suarum sedium: Quod idem habet sanctus Anselmus commentario suo ad caput primum epistolæ ad Ephesios, ad istud verbum, *instaurare*, quæ sunt in cælis: vnde statim ita subiicit, *Non enim pro Angelis mortuus est Christus, sed ideò etiam pro Angelis sit quidquid hominum per eius mortem redimitur.* Item sancti Bernardi sermone in feria quarta hebdomadæ sanctæ, vbi docet passionem Christi Domini non profuisse Angelis, quia illi non indigebant, nec Christus est in similitudinem Angelorum, sed hominum factus.

Respondetur, & primò ad authoritatem sancti Augustini, eam tantùm procedere de merito redemptionis à peccato, vt ipse istis verbis expressè declarat, *Hæc* (scilicet hominum Ecclesia) *sanguine mediatoris nullum habente peccatum ab omni redempta est peccato.* Et paulò pòst, *Non enim pro Angelis mortuus*: at præter istud meritum Christi redemptionis à peccato, datur & aliud eius meritum beatis Angelis proportionatum, quo scilicet sunt præseruati à lapsu, vt patet ex sancto Bernardo superiùs relato.

Ad authoritatem sancti Gregorij respondetur, hæc duo valdè distingui inter se, *Negare aliquid, & eius non meminisse*: ex posteriori prius non posse rectè inferri, sanctum Gregorium ibi meminisse quidem lætitiæ Angelorum de mysterio Incarnationis, propter nostram salutem, nullum tamen habet verbum, quo

V. VI. VII. VIII.

I. significet ibi illos non accepisse gratiam & gloriam ex meritis Christi Domini, quod secundum rectè potest stare cum primo, cuius tamen ibi non meminit, quoniam non videbatur facere ad propositum, quia ibi tantùm loquebatur de hoc mysterio, vt in bonum hominum ordinato.

Ad authoritatem sancti Anselmi respondetur, illum loqui de instauratione eorum, quæ sunt per peccatum destructa: quare cùm ex parte bonorum Angelorum nihil in cælis fuerit per aliquod illorum peccatum destructum, rectè subiungit istud, *Non enim pro Angelis mortuus est Christus*, id est pro illis à statu peccati, in quod fuerant lapsi, reducendis ad statum gratiæ: sic enim præmittit, *Instaurare, id est, ad primum statum reducere omnia per peccatum destructa, & illam instaurationem facere in Christo, id est in fide & charitate Christi.* Quare instaurationem illam

II. factam in cælis sic explicat, *Instaurantur quæ in cælis sunt, dum illuc humiliati homines redeunt, vnde apostatæ Angeli ceciderunt superbiendo, instaurantur & quæ in terris sunt, dum peccatores ad iustitiam conuertuntur.*

Idem respondetur ad authoritatem sancti Bernardi, quando scilicet loquitur de remissione peccatorum obtinenda, & obtenta per passionem Christi Domini, quem fructum ipsa Christi Domini passio in nullis Angelis causauit: non enim in bonis, quia illi nunquam peccauerunt; & idcò ibi ait illos non indiguisse passione Christi Domini, scilicet *ad effectum obtinendæ remissionis peccatorum.* Non item in malis Angelis, quia illis est denegatum, vt aliquando redeant ad statum gratiæ, nec pro illis Filius Dei est incarnatus, sed pro solis hominibus: & hunc esse sen-

III. sum eius patet ex his verbis, *Igitur quia hæc passio*, scilicet Christi, *potentissima est ad exhaurienda omnia genera peccatorum, sed quis scit si data est mihi? mihi data est, quia alteri dari non potuit, nunquid Angelo? sed ille non eguit, nunquid diabolo? sed ille non resurgit.* Vnde quando subiungit Christum non esse factum in similitudinem Angelorum, sed hominum, non istud explicat *in sensu litterali*, de similitudine naturæ humanæ eiusdem speciei cum nostra, sed *in spiritali*, nimirùm de similitudine carnis peccati, quam ob causam subiungit Christum non fuisse factum in similitudinem hominis, sed hominum, quia primus parens quando creatus est, fuit creatus in gratia: *In similitudinem*, inquit, *hominum, non hominis, quia primus homo nec in*

IV. *carne peccati, nec in similitudine carnis peccati creatus est.*

A illam priùs adirent, quàm verus iste & naturalis filius: sed si Christus promeruisset Angelis gratiam & gloriam, Angeli ante illum adissent hæreditatem cælestem, quia longè ante peractum mysterium Incarnationis ingressi sunt cælum empyreum, scilicet in tertio instanti suæ creationis; ergo cùm Deus nihil faciat indecorum, Christus Dominus de facto non meruit illis gratiam & gloriam. V.

Respondetur negando sequi ex nostra propositione Christum Dominum debuisse ante Angelos cælum ingredi, quia licèt ex parte Christi Domini præcisè spectati, nihil esset quod retardaret eius ingressum in cælos, ex parte tamen humanæ naturæ, cuius vadem sese constituerat, erat peccatum originale, cuius pretium nondum erat consummatè solutum, nam Christus Dominus voluit illud tantùm suâ morte

B consummari, & suâ passione cælum hominibus VI. aperiri: quam ob causam antiqui Patres veteris Testamenti, licèt decessissent ex hac vita absque macula cuiusuis peccati etiam leuissimi, & in gratia sanctificante; nihilominùs tamen detinebantur in Lymbo, quo fuerunt extracti in morte & resurrectione Christi Domini: at ex parte naturæ Angelicæ nullum erat obstaculum, quia nullum illorum peccatum erat expiandum.

Ad confirmationem petitam ab excellentia filij naturalis supra adoptiuum respondetur, illam tunc esse veram, quando filius ille naturalis existit de facto in ea natura, secundùm quam aliis communicat hanc adoptionem: at Christus Dominus quatenus homo, quo modo promeruit Angelis gratiam & gloriam, nondum existebat, quando boni Angeli ista supernaturalia

C dona acceperunt ex eius meritis, quia boni Angeli hæc acceperunt circa mundi creationem: VII. Christus verò venit tantùm in plenitudine temporis, ad Galatas quarto capite, & eius merita à Deo præuisa id obtinuerunt in genere causæ moralis, quæ nondum existens, præcognita tamen potest mouere ad operandum, sed statim atque humanitas Christi vnita fuit Verbo hypostaticè, statim etiam habuit visionem beatificam, & gloria corporis eius ad tempus eius resurrectionis est dilata propter redemptionem humanæ naturæ ab illo passione & morte consummandam.

Articvlvs VIII.

Soluitur fundamentum petitum à ratione.

PRIMA ratio est eiusmodi: si Christus Dominus meruisset Angelis gratiam & gloriam, debuisset ante Angelos ingredi cælum, sicut est illud ingressus ante Patres veteris Testamenti, aut saltem tanquam caput & Princeps illorum, & illos secum in illud introduxit: at Angeli cælum fuit ingressi ante ipsum Christum: ergo Christus illis non meruit gratiam & gloriam æternam.

Confirmatur. Non decebat, vt qui tanquam filij solùm adoptiui erant consequuturi hæreditatem cælestem per verum & naturalem filium,

Articvlvs IX.

Secunda ratio soluitur.

D SECVNDVM fundamentum à ratione petitum est. Christus Dominus non meruit Angelis, vel etiam hominibus ea quæ spectant ad donum creationis illorum, & quæ ad naturalem illorum rectitudinem pertinent, ex sancto Augustino epist. 105. sed gratia sanctificans collata Angelis in sua creatione & primo etiam parenti, pertinet ad donum creationis, & naturalem eorum rectitudinem: sunt enim creati ad finem supernaturalem, & proinde pertinuit immediatè ad Deum creatorem, dare illis media ad hunc finem necessaria, scilicet gratiam: ergo Christus Dominus non meruit Angelis, vel etiam primo nostro parenti gratiam illam, quam habuerunt statim in sua creatione, & in statu innocentiæ. VIII.

Confirmatur primò, ex eo quòd capite septimo Ecclesiastici homo dicitur *factus rectus*. Item capite primo Geneseos dicitur homo *creatus ad*

I. *imaginem & similitudinem Dei.* Et sanctus Leo sermone primo de ieiunio vocat hanc dignitatem nostri generis *naturalem*, ad quam gratia Saluatoris nos reparat, & sermone 13. de passione ait, *Nos libertatem naturalis innocentiæ per Adam perdidisse.* Et sanctus Augustinus libro de spiritu & littera, capite 27. *Hoc*, inquit, *agit spiritus gratiæ, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Hinc libro de correptione & gratia capite 10. 11. & 12. distinguit gratiam datam Angelis & Adamo à gratia Christi Domini, præsertim capite 12. vbi docet gratiam Adamo datam fuisse lætiorem, quia sine pugna data est, nobis verò datam esse fortiorem, quia datur ob merita Christi potentissima; & subiungit, *Hæc est gratia prima, quæ data est Adæ, sed hæc est potentior, quæ data est in secundo Adam.*

II. Confirmatur secundò: quia si primus parens in statu innocentiæ habuisset gratiam ex meritis Christi Domini, istud debuisset reuelari à principio, quando est primùm formatus. Non enim est probabile eum ex Christi Domini meritis fuisse iustificatum sine explicita fide mysterij Incarnationis: at sancti Patres vbi agunt de reuelatione huius mysterij facta Adæ, docent eam ei fuisse factam in ecstasi, quando capite secundo Geneseos Deus dicitur immisisse soporem in Adam, & ex eius latere formasse Euam: nam expergefactus videns illam, dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Quod Apostolus ad Ephesios quinto capite ita refert, vt velit mysterium Incarnationis ibi fuisse insinuatum.

Respondetur, concessâ Maiore, negando Minorem: nam sola naturalia pertinent ad donum creationis præcisè sumptæ: gratia verò sanctificans & gloria sunt ordinis supernaturalis: nec ex eo quòd Angeli de facto sunt creati in gratia, similiter & primus parens noster, & à Deo ordinati ad finem supernaturalem, benè infertur dona ista spectare ad ordinem naturæ & creationis, cùm nihil repugnet Deum creare aliquos Angelos & homines in puris duntaxat naturalibus illos nullo modo ordinando ad claram & intuitiuam visionem suæ essentiæ, sed ad finem tantummodò naturalem, & naturalia dicuntur à Theologis integra mansisse in dæmonibus, in quibus tamen ne minimus quidem gradus sanctificantis gratiæ reperitur.

Ad primam confirmationem fundatam in authoritate Ecclesiastici respondetur, illam tantùm probare Deum creasse primum hominem in gratia, ita vt productio illius, & collatio gratiæ sanctificantis ei facta fuerint simul tempore: at hæc concomitantia & simultas non importat identitatem ordinis inter res, quæ simul existunt hoc modo, vel ponuntur, vt satis per se patet.

Ad authoritatem primi capitis Geneseos respondetur, hominem non ideò formaliter & præcisè dici creatum ad imaginem & similitudinem Dei, quòd sit creatus in gratia, quasi hæc ratio imaginis & similitudinis consistat formaliter in sanctificante gratia, vt eius voluntatem informante: sed vel quòd habeat intellectum & voluntatem, quibus cognoscat & amet Deum, & hac rationis excellentia præponatur omnibus creaturis irrationalibus, vt explicat sanctus Augustinus lib. 24. contra Faustum cap. 2. sanctus Prosper libro 2. de vita contemplatiua capite 18. sanctus Thomas primâ parte, quæstione 3. articulo 1. in solutione ad 3. & quæstione 93. articulo 1. 2. & 3. vel ratione liberi arbitrij, quo pollet, vt intelligunt sanctus Basilius homiliâ 9. Hexameron, sanctus Ambrosius libro 6. Hexameron capite 8. sanctus Hieronymus epistolâ de filio prodigo: vel denique ratione dominij, quod tunc in prima sui creatione accepit à Deo in omnes alias creaturas, vt sanctus Chrysostomus explicat homiliâ 8. & 9. in Genesim, & homilia 7. ad populum Antiochenum, nam statim sequitur, *Præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra.*

A V.

Ad authoritatem sancti Leonis respondetur, hominem esse conditum primis duobus modis nunc explicatis ad imaginem & similitudinem Dei rectè dici esse naturalem nostri huius generis dignitatem, quia homo ex intrinsecis naturæ suæ principiis est substantia intellectualis & volitiua, cùm sit animal rationale: dicitur verò iuxta tertiam expositionem dignitas ei naturalis, quatenùs sumptâ hac dictione *naturale* in ampliori significatione, illud dicitur alicui naturale, quod à natura ei inest, id est, quod simul cum existentia est ei concessum: esto, sit aliquid merè gratuitum. in quaj etiam significatione potest gratia sanctificans appellari naturalis dignitas nostri generis, eo quòd Deus primum hominem fecerit rectum, & cum creauerit in gratia sanctificante, quam, si non peccasset, simul cum natura transfudisset in posteros, vt docent Theologi agendo de statu innocentiæ, & gratia originali. Illa autem libertas innocentiæ naturalis, quam sanctus Leo sermone 13. de passione Christi Domini ait nos perdidisse præuaricatione primorum parentum, est libertas illa, quam Theologi vocant à peccato & miseria, quam sanctus Leo dicit esse naturalis innocentiæ, quia pertinebat ad essentiam status originalis innocentiæ, in qua primus homo fuit à Deo creatus, non autem quòd pertineat intrinsecè ad ordinem naturæ purè in seipso & simpliciter consideratum: ad quem sensum Apostolus ad Ephesios 2. scribit de nobis in peccato originali nascentibus, *Eramus natura filij iræ:* & ad eundem sensum intelligitur, quod sanctus Augustinus in hac confirmatione relatus ait capite 17. libri de spiritu & littera, nos naturaliter esse factos in imaginem Dei, id est nos in primo homine fuisse creatos in gratia sanctificante, ratione cuius perfecta illa imago Dei superùs explicata relucebat in nobis: illud verò discrimen gratiæ primo parenti concessæ à gratia nobis concessa, quod ibi affertur, tanquam sancti Augustini libro de correptione & gratia capite 11. quòd scilicet *illa fuerit latior, nostra potentior*, non est præcisè, quòd prior sit concessa Adæ sine meritis Christi Domini: posterior verò sit nobis data ex Christi Domini meritis: nullam enim sanctus Augustinus ibi habet particulam, quâ significet se comparare duas istas gratias in ordine ad causam meritoriam illarum, sed solùm asserit gratiam concessam Adæ, quia nullam tunc experiebatur rebellionem carnis aduersùs spiritum, fuisse lætiorem: nostram verò ratione huius rebellionis esse potentiorem, & hoc, in quo superat prædictam gratiam Adæ, habere à Christo Domino, à meritis passionis & mortis eius: sicque confert tantùm istas gratias quoad maiorem & minorem perfectionem, & asserit causam huius maioris perfectionis in nostra gratia fuisse meritum Christi Domini ad id ab eo ordinatum, & à Deo Patre acceptatum;

B VI.

C III. VII.

D IV. VIII.

I. ad quam tamen perfectionem, vt de facto concedendam gratiæ Adæ, meritum Christi Domini non fuit efficaciter ordinatum.

Ad secundam confirmationem respondemus, esse quidem verum primum nostrum parentem fuisse primò iustificatum per proprios actus, vt sanctus Thomas docet primâ parte, quæstione 95. articulo 1. in solutione ad 5. & Suarez fusè docet tractatu de opere sex dierum libro 3. de creatione hominis cap. 19. Et licèt in prima illa iustificatione non habuerit fidem explicitam de mysterio Incarnationis Dominicæ: quia tamen fides implicita huius mysterij aliquando sufficit ad iustificationem, vt patet in Cornelio Centurione Actuum decimo capite: rectè etiam primus parens per actum talis fidei implicitæ circa hoc mysterium, & per alios actus ad iustificationem requisitos potuit sese ad primam iustificantem gratiam disponere: & ita factum est; nam primus parens per eandem fidem accepit primò gratiam sanctificantem, per quam accepit augmentum illius, quando expergefactus à sopore dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: quia prima gratia, & eius augmentum innituntur eidem fidei ex parte obiectorum, saltem implicitæ, aliàs talis iustificatio ex parte obiectorum principalium esset dimidiata, sed quando expergefactus à sopore dixit, *nunc os ex ossibus meis*, accepit augmentum gratiæ; nam actus ille erat meritorius, cùm esset à persona Deo grata, & versabatur etiam circa Christum, saltem implicitè, vt Apostolus significat capite quinto ad Ephesios: ergo etiam per actum fidei formatæ, saltem implicitæ, de hoc mysterio accepit primam gratiam: & hoc est consentaneum sancto Ambrosio libro secundo epistolarum epistolâ 15. ad Marcellinum, quando ait, *Adam reliquisse gratiam Christi propter vnam mulierem*, vbi hæc particula, *gratiam Christi*, potest tantùm significare illam gratiam, quam ante peccatum inobedientiæ contra præceptum Dei de non comedendo vetito acceperat.

II.

III.

Articvlvs Vltimvs.

Soluitur vltima ratio.

TERTIA aduersariorum ratio est hæc. Ij tantùm acceperunt gratiam & gloriam ex meritis Christi Domini, qui eius passione indiguerunt, & quos Christus verè & propriè redemit, quia merita Christi Domini fuerunt in eius morte consummata: sed boni Angeli negantur à Patribus indiguisse passione Christi Domini, item fuisse per illum redempti, vt patet testimoniis illorum articulo 7. huius disputationis relatis: igitur Angeli non habuerunt gratiam & gloriam ex meritis Christi Domini.

IV.

Respondetur, Maiorem huius fundamenti sumptam in rigore sermonis esse falsam: ad cuius confirmationem petitam ex eo quòd Christi Domini meritum dicitur consummatum in eius passione & morte, respondetur sensum huiusce dicti non esse quòd nullum aliud opus Christi fuerit reipsâ meritorium, præter eius passionem, seu sanguinis effusionem & mortem: hoc enim patet esse falsum, ex eo quòd pluribus aliis, vt oratione, ieiunio, & aliis virtutum infusarum operibus, etiam duntaxat interioribus, Christus meruit. Sensus item non est, quòd quælibet Christi Domini actio *in ratione meriti* dependeat ab eius passione & morte, tanquam à suo complemento in ratione meriti, saltem ex eius ordinatione & particulari relatione: nam licèt istud sit verum respectu perfectæ & omnibus suis numeris absolutæ solutionis ad redimendum totum genus humanum, tam iuxta ordinationem Christi Domini omnium hominum in hac parte sponsoris, quàm secundùm acceptationem Dei creditoris nostri: non est tamen verum respectu cuiuscumque eius operis & meriti, cùm Christus habuerit multa bona opera, putà charitatis erga Deum, aut aliarum virtutum sibi infusarum, quæ quia secundùm se, & præcisam suam naturam & conditionem abstrahunt à carne passibili, & impassibili, fuissent ab eo exercita etiam in carne impassibili: & ex his à Deo præcognitis Christus Dominus meruit Angelis gratiam sanctificantem & gloriam: quorum tamen actuum aliqui, quia præuiso Adæ peccato sunt à Deo ordinati hoc particulari modo, nimirùm *cum acerbissima passione, & cruenta proprij sanguinis eius effusione*, vsque ad mortem omnium crudelissimam; ideò denominatione sumptâ ab ista particulari conditione illis iam à Deo postmodum annexâ, explicantur etiam nomine meriti in Christi Domini passione & morte consistentis: iuxta quem sensum sanctus Cyrillus Alexandrinus relatus suprà in confirmationem nostræ propositionis, docet sacrificium Christi Domini fuisse etiam oblatum pro bonis Angelis: non enim hoc sacrificium habuit duntaxat vnam rationem, scilicet *esse expiatorium*, seu *satisfactorium*, sed fuit etiam *impetratorium*, & *eucharisticum*: quare licèt nihil profuerit bonis Angelis adhuc in via existentibus, quatenùs erat *satisfactorium*; tunc tamen illis prodesse potuit, vt fuit *impetratorium*: & infrà agendo de Sacramentis ostendemus esse admodum probabile, quod durante statu innocentiæ, sacramentum Eucharistiæ fuisset.

B

C

D

V.

VI.

VII.

VIII.

Hinc fit, vt sancti Patres dicant Angelos non indiguisse passione Christi Domini, nec fuisse per illum redemptos: nam prior formula loquendi significat Christum venisse in carne passibili propter Angelos, cuius contrarium profitemur in Symbolo, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* & paulò post, *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est.* Posterior verò denotat bonos Angelos aliquando peccasse, quia propriè loquendo nemo redimitur, nisi qui vel de facto est captiuus, ratione peccati quod contraxit, à qua captiuitate quando extrahitur per remissionem culpæ, & recuperat libertatem peccato deperditam redimitur, & hæc eius liberatio est vera redemptio: vel qui licèt nullum in se, nec in alio commisit peccatum; ex modo tamen suæ conceptionis sic habebat debitum illud contrahendi, vt de facto contraxisset illud, nisi diuinitùs fuisset præuentus: quo modo beatissima Virgo, quæ fuit immunis à peccato originali, dicitur per Christum redempta ab iis, qui aliquod debitum illud contrahendi in ea admittunt: qua de re dicetur inferiùs: at neuter istorum modorum habuit locum in bonis Angelis: non prior, quia boni Angeli nunquam peccauerunt: non item posterior, quia nullum in illis potest fingi debitum, ratione cuius eo ipso, quo sunt à Deo creati, statim ex modo illo, quo creabantur, contraherent aliquod peccatum, sicut seminalis propagatio datur in hominibus ab Adam descendentibus, tanquam omnium hominum capite.

DISPVTATIO VI.

Quid Christus meruerit hominibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Christus Dominus meruerit hominibus remissionem debiti carendi omnibus auxiliis supernaturalibus.

VONIAM disputatione sextâ, articulo vndecimo ad primum quæstionem huius partis docuimus, iuxta doctrinam sanctorum Patrum, nos per peccatum originale contraxisse debitum carendi omnibus auxiliis gratiæ supernaturalis, quærimus an Christus Dominus nobis promeruerit remissionem illius.

Pars affirmans, quam loco nostræ propositionis ponimus, satis patet vera ex ibidem dictis: nam Christus Dominus illud omne nobis promeruit, pro quo reipsa ipse tanquam vastorius humani generis, satisfecit Deo, quia licèt meritum & satisfactio præcisè considerata habeant diuersas formalitates, vt quòd meritum sit ad obtinendum præmium, satisfactio ad placandum iudicem, & ad vindicandam culpam cum toto suo rigore; nihilominùs vbi actus aliquis satisfactorius elicitur à persona Deo grata supernaturali gratitudine, & simul ordinatur ad aliquod præmium, ad quod à præmiante acceptatur, propter hanc duplicem bonitatem est simul & semel, diuerso tamen respectu, meritorius & satisfactorius, vt Theologi communiter docent. 2. agendo de merito, & hac parte agendo de opere satisfactorio; sed Christus Dominus tanquam sponsor totius humani generis satisfecit Deo etiam de rigore iuris, pro hoc nostro debito carendi omnibus auxilis supernaturalibus, vt ibi docuimus: igitur Christus Dominus promeruit etiam nobis remissionem eius debiti.

Secundò. Quicunque meretur alicui in peccato mortali constituto omnes gratias inseruientes eius iustificationi, meretur etiam ei illud quod virtualiter, sed tamen necessariò continetur in illis, & absque quo tales gratiæ non possunt subsistere: tunc enim hæc sunt inseparabilia, & qui vnum eorum directè meretur, meretur consequenter & alterum; aliàs implicaret tale præmium conferri pro tali merito: sed Christus Dominus nobis omnibus, etiam peccato originali, vel aliquo alio mortali infectis meruit omnes actuales gratias inseruientes nostræ iustificationi, vt sequentibus præsentis disputationis articulis docebimus, & in istis actualibus gratiis remissio huius debiti continetur virtualiter, quia actualis collatio eiusmodi gratiarum est quædam virtualis remissio huius debiti, cùm sit actualis quædam illius remotio: igitur Christus etiam nobis promeruit remissionem debiti carendi omnibus auxilius supernaturalibus.

Tertiò. Quicumque meretur alicui formam aliquam, eidem meretur remotionem priuationis oppositæ tali formæ: non enim forma confertur, nisi priuatio opposita simul etiam destruatur, vt videre est in omni generatione rerum naturalium: sed Christus Dominus promeruit nobis auxilia gratiæ vocantis, adiuuantis, & id genus alia, quæ inseruiunt nostræ iustificationi, vt mox docebimus; & hoc debitum carendi istis auxilius gratiæ est quædam priuatio opposita istis auxiliis, nam per actualem illorum collationem destruitur: ergo Christus Dominus promeruit nobis remissionem istius debiti carendi istis omnibus supernaturalibus auxiliis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus meruerit hominibus omnes gratias actuales, quæ antecedunt institicationem.

QVOD spectat ad præsentem articulum, duæ sunt hac de re sententiæ. Prior negat Christum Dominum promeruisse nobis remotas dispositiones, cuiusmodi sunt motus fidei, spei, attritio de peccatis, & alia id genus, quæ antecedunt infusionem gratiæ, nec insinuantur gratiâ, seu charitate, sed vult illas nobis dari ex sola tantùm misericordia Dei. Ita Capreolus in tertium sententiarum distinctione 18. quæstione vnicâ, Ferrariensis in librum quartum contra Gentes ad caput 55. Driedo libro de captiuitate & redemptione generis humani, tractatu secundo, capite secundo, articulo quarto.

Posterior tamen sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est adeò certa, vt etiam aliquibus Scholasticis videatur esse de fide, ob præclara fundamenta, quæ habèt tam in sacris Litteris, quàm in Conciliis & Patribus, vt mox patebit. Est expressa doctrina sancti Thomæ suprà quæstione 7. articulo 9. & 11. dum ait gratiam fuisse collatam Christo Domino, vt *cuidam vniuersali principio extendenti se ad omnes effectus gratiæ*. Item quæstione 8. articulo 3. agnoscit influxum Christi Domini in omnes homines, etiam in illos qui habent *solum fidem*: & in quæstionibus disputatis de veritate articulo septimo ad decimum tribuit eidem merita quæ conferuntur per Sacramenta, item & auxilia quæ dantur ad resistendum tentationibus.

Primò itaque probatur nostra propositio ex sacris Litteris ad Ephesios primo capite, *Qui benedixit nos omni benedictione spiritali in cœlestibus in Christo*: vbi hæc particula, *nos*, supponit pro omnibus hominibus: hæc sequens, *omni benedictione*, complectitur quodcunque bonum spirituale, nullo quantumuis minimo excepto: vltima hæc particula, *in cœlestibus*, iuncta præcedenti, & huic subsequenti, *in Christo*, significat quodcunque bonum conducens ad vitam æternam, quod datur hominibus, dari tantùm in Christo, seu ex meritis Christi Domini: atqui omnes & singulæ actuales gratiæ antecedentes, tam remotè, quàm proximè infusionem gratiæ iustificantis, quæ possunt reperiri in hominibus, dantur à Deo: sunt enim ordinis supernaturalis, & respiciunt finem supernaturalem: item conducunt ad obtinendam vitam æternam, aliàs ineptè appellarentur dispositiones ad illam: ergo omnes actuales gratiæ antecedentes infusionem gratiæ iustificantis, dantur hominibus à Deo ex meritis Christi Domini, & ex consequenti Christus Dominus nobis illas promeruit. Probatur item ex illo Christi Domini capite 15. sancti Ioannis, vbi Christus de seipso vt homine ait, nemmem hominum posse quicquam etiam quantumlibet minimum conducens ad vitam æternam sine ipso, sed illud omne dari ei, & fieri ex eius meritis, & per influxum gratiæ quem illis confert, vt rectè san-

I. ctus Augustinus obseruat tractatu 81. in sanctum Ioannem, *Sine me nihil potestis facere. Non ait*, inquit ibi sanctus Augustinus, *Quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere.*

Secundò probatur ex Concilio Tridentino sessione sextâ, capite 5. vbi declarat omnem & quamlibet præparationem ad iustificationem in adultis dari illis ex meritis Christi Domini: sic enim habet, *Declarat præterea ipsius institutionis exordium in adultis à Dei, per Christum Iesum, præueniente gratiâ sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, quia nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccatum à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* Quo loci Concilium comprehendit omnem & quamlibet dispositionem iu-

II. stificationis, nullâ illarum exceptâ.

Tertiò probatur ex sancto Augustino passim libris illis, in quibus agit contra Pelagium, & eius sectatores, item de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseuerantiæ ad sanctos Prosperum & Hilarium, & aliis contra istos hæreticos scribentibus: similiter & ex Conciliis aduersùs illos congregatis, contra quos Theologi disputant ex professo primâ parte, agendo de prædestinatione, & primâ secundæ quæstione 109. & sequentibus.

Tandem probatur ratione. Prima: quicumque meretur prædestinationem hominum, provt illa est præparatio beneficiorum ad consequendam vitam æternam, is etiam meretur eis omnes gratias actuales antecedentes iustificationem illorum, quia huiusmodi gratiæ sunt quædam supernaturalis ordinis specialia beneficia, homines,

III. quibus conferuntur præparantia ad consequendam vitam æternam, mediante habituali gratiâ sanctificante, ad quam illos disponunt: sed Christus Dominus meruit hominibus prædestinationem isto modo acceptam ex Apostolo ad Ephesios primo capite, *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* Ergo Christus Dominus meruit hominibus omnes gratias actuales antecedentes iustificationem.

Secunda: quando agens est perfectius tam forma introducenda, quàm dispositionibus contrariis in patiente existentibus, tunc est eiusdem agentis, quod introducit formam, dispositiones contrarias expellere, & conuenientes formæ introducere, vt patet in omnibus agentibus naturalibus: sed Christus Dominus est hominibus causa moralis meritoria gratiæ sanctificantis, &

IV. in tali genere est agens perfectissimum, quia eius meritum est valoris infiniti, & potentius prauæ qualibet dispositione in peccatoribus existente: item illæ antecedentes gratiæ sunt dispositiones ad gratiam sanctificantem, vt patet ex Concilio Tridentino: & vt illæ nobis darentur, Christus suum ordinauit meritum: igitur & Christus Dominus promeruit hominibus omnes gratias actuales, quæ antecedunt iustificationem illorum. Prima pars Minoris patet ex Tridentino loco superiùs citato. Secunda patet ex Apostolo ad Romanos quinto, *Non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Tertia probatur ex testimoniis initio relatis pro nostra propositione, quatenùs asserunt Deum illas nobis dare ex Christi meritis.

A Tertia & vltima ratio: Christus Dominus nobis meruit illud omne quod includitur in redemptione perfecta omnium & singulorum hominum, saltem quoad sufficientiam; hic enim est specialis titulus, ratione cuius singularis erga nos Christi Domini charitas maximè commendatur in sacris Litteris, sed in redemptione perfecta adultorum hominum omnes illæ actuales gratiæ, quæ antecedunt iustificationem, includuntur, quia illi non accipiunt gratiam iustificantem, nisi præhabitis istis eiusmodi gratiis, vt patet ex citato capite quinto sessionis sextæ Concilij Tridentini, & ex his quæ Theologi tradunt de necessitate istarum dispositionum primâ secundæ agendo de iustificatione adultorum: igitur Christus Dominus promeruit hominibus omnes actuales gratias, quæ antecedunt iustificationem.

V.

VI.

ARTICVLVS III.

Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ petitum ex sacra Scriptura.

REPETITVR illud fundamentum ex eo, quòd sanctus Paulus ita loquatur de nostra iustificatione, vt significet Deum ex solo beneplacito suæ voluntatis nos vocare & trahere, vt tamen ipsam peccatorum remissionem det propter Christi Domini merita: ad Romanos tertio capite, *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est Iesus Christus.* Quo loci prior particula denotat vocationem ex mera Dei liberalitate, posterior remissionem ex Christi Domini meritis. Item ad Ephesios primo dicimur *vocari secundùm propositum*, & in Christo Domino habere redemptionem: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum secundùm propositum voluntatis suæ, in qua gratificauit in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Et Christus Dominus sancti Ioannis capite sexto idem significat, dum soli Patri tribuit tractionem hominis ad Christum, sibi verò dare vitam & resurrectionem: vbi enim dixit, *se esse panem viuum & veræ vitæ*, ita subiungit, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Est autem priùs nos venire ad Christum, quàm participare illius meritis.

VII.

Respondetur, Deũ ita nos vocare ex sua benignitate gratuita, & ex beneplacito suæ voluntatis, vt tamen specialé illam vocationis & tractionis gratiam det nobis ex meritis Christi Domini:

VIII. neque authoritates Apostoli ibi relatæ euincunt contrarium: non prima, nam tertio illo capite ad Romanos textu ibi relato hæc particula *per gratiam ipsius*, non significat gratuitam Dei voluntatem, tunc enim redundaret, cùm ei immediatè præponatur hæc particula *gratis*, quæ significat hominem, non ex operibus siue legis, siue naturæ iustificari, & nullam ex parte illius dari causam meritoriam suæ iustificationis, quinimò illam per respectum ad hominem esse planè gratuitam: sed hæc particula *per gratiam* explicat ibi formalem causam nostræ iustificationis, & sequens particula, *per redemptionem, quæ est Christus Iesus*, causam eius meritoriam.

Ad locum primi capitis ad Ephesios respondetur, eum non intelligi de illa voluntate, quâ Deus proposuit vocare ad fidem credituros, seu

de

I. de simplici & qualibet vocatione ad fidem, sed de illo speciali proposito Dei, seu illa efficaci eius voluntate, quâ decreuit aliquos efficaciter saluare. Hic autem agimus tantùm de gratia vocationis, & aliis actualibus gratiis iustificationem antecedentibus. An verò Christus Dominus sit promeritus prædestinatis suam prædestinationem, provt illa sonat efficacem dilectionem & electionem ad gloriam, habet commodiorem locum primâ parte, vbi agitur de causâ electionis hominum ad vitam æternam quæst. 23.

Ad authoritatem capitis sexti sancti Ioannis respondetur, vocationem hominis ad fidem, nomine *tractionis* ibi explicatam, ita eo loci tribui Deo Patri, vt tamen nõ excludat meritum Christi Domini, tanquam aliquam meritoriam causam sui: quinimò eam ibi includi Christus Dominus significat, sic loquens de hac eadem tractione apud eundem Euangelistam capite duodecimo: *Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum.* Sed in isto priori loco meminit solius sui Patris ad commendationem suæ doctrinæ, tanquam cœlestis, & à Patre luminum descendentis, quia verbis immediatè præcedentibus illum, & suam doctrinam contemplerant, & murmurabant Iudæi, quòd de seipso dixisset, *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*: & dicebant, *Nonne hic est filius Ioseph, cuius nouimus patrem & matrem? quomodo ergo dicit hic, quia de cælo descendi?*

II. B VI.

Articvlvs IV.

Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ petitum ex Patribus.

III. C VII. REPETITVR illud fundamentum ex authoritate sancti Augustini capite 15. libri de prædestinatione Sanctorum, quæ sic habet, *Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus; quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus.* Atqui, licet ita subsumere, homo ille non est factus Christus gratiâ Christi Domini, seu ex propriis suis meritis, quia ibi sanctus Augustinus id intelligit de Christo Domino, quem negat sibi promeruisse vnionem hypostaticam suæ humanitatis ad Verbum, quod etiam suprà negauimus: & gratia illa, quâ homo fit ab initio Christianus, est gratia vocans: item & dispositiones illæ, quæ antecedunt iustificationem: igitur hæ actuales gratiæ antecedentes infusionem habitualis gratiæ, seu iustificationem, non sunt in nobis ex Christi Domini merito.

IV. D VIII. Respondetur ad authoritatem sancti Augustini gratiam vocationis, & alias quascunque actuales nostram iustificationem antecedentes, duobus modis posse considerari, nimirùm vel *per comparationem ad nos*, quibus à Deo dantur, vel *per comparationem ad Christum*, Redemptorem nostrum: illas priori modo consideratas in nullo nostro merito fundari, sed nobis à Deo dari merè gratuitò, & liberaliter, sicut & subsistentia Verbi diuini est ex pura benignitate, & magnifica liberalitate Dei vnita hypostaticè humanitati, & non ex aliquo eius merito, siue antecedente vnionem hanc, siue concomitante, aut subsequente: si verò prædictæ actuales gratiæ considerentur per comparationem ad Christum Dominum nostrum Redemptorem, tunc collationem illarum hominibus factam fundari in merito Christi Domini, cùm illæ dentur hominibus intuitu meritorum eius, vt probant testimonia Scripturæ & Patrum; tum etiam rationes quas in confirmationem nostræ sententiæ protulimus. Nec enim repugnat vnum & idem respectu vnius esse præmium & mercedem eius meritorum, quod tamen respectu alterius est omninò gratuitum. Redemptio generis humani comparatione Christi Domini & eius meritorum est merces & præmium, vt patet ex dictis de eius satisfactione ad summos apices strictæ iustitiæ: at comparatione hominum est omninò gratis, quia nihil habent ex parte sui, ratione cuius illam sint apud Deum promeriti: hinc Isaiæ 52. capite dicimur *redimi sine argento*, vt ad illum locum sanctus Hieronymus explicat, *Redimentur*, inquit, *qui voluerint credere nequaquam argento & pecunia, sed pretioso sanguine Christi, audiant per Apostolos, gratia vobis & pax: non enim ob merita, sed per gratiam: & fidem Christi Deo reconciliati sumus.* Et ad eundem sensum capite 55. sequenti dicitur, *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.* Quem locum sanctus Hieronymus ibi explicat similiter de gratia nobis immeritis data à Deo *de fontibus Saluatoris*, id est ex meritis Christi Domini. Illa autem comparatio gratiæ vocantis collatæ hominibus ad vnionem hypostaticam cum humanitate Christi Domini, quam loco in obiectione relato sanctus Augustinus facit, procedit solummodò de ista gratia per comparationem ad nos, non autem ad Christum, vt patet; tum ex eo quòd in isto opere totus est in eo, vt ostendat contra Massilienses & Semipelagianos gratiam vocationis non dari hominibus ex aliquo eorum antecedenti merito, dicátque vnionem hypostaticam cum Christi Domini humanitate esse lumen aliquod præclarissimum collationis huius gratiæ, & aliarum nostræ iustificationi inseruientium: tum etiam ex his verbis, quæ statim subiicit, *Humanahic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & requiratur quæ regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum.* Tum quòd in fine capitis dicat Deum fecisse Christum Principem, & perfectorem fidei: iuxta illud Apostoli ad Hebræos 12. *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum*: vbi loco illius particulæ, *authorem fidei*, Græca editio habet, τὴν ἀρχηγὸν, id est fidei inchoatorem, quia scilicet vt homo nobis promeruit primam gratiam vocantem, quæ est initium fidei, & cæteras dispositiones ad iustificationem, vt sanctus Chrysostomus homiliâ 28. in epistolam ad Hebræos explicat istis verbis Apostoli sic subiiciens, *Quid hoc est? id est, ipse nobis fidem indidit, dicebat nimirùm discipulis, non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Atque ex his patet solutio ad argumentum repetitum ex hac authoritate sancti Augustini, nimirùm Maiorem eius esse tantùm veram de gratia, per comparationem ad propria nostra merita, & non per comparationem ad merita Christi Domini, de quibus tantùm loquimur: vnde ex illis sequitur tantùm nos non promereri aliquibus meritis antecedentibus illam gratiam, quâ fuimus Christiani, quod est verissimum.

I.

Articvlvs V.

Soluitur fundamentum contrariæ sententiæ desumptum ex multiplici ratione.

TERTIVM hoc fundamentum petitur à multiplici ratione. Prima est: Christus Dominus nobis non promeruit ea quæ præcisè sunt necessaria, vt viuamus secundùm rectam rationem: hæc enim dantur nobis à Deo, tanquam authore naturæ, & debentur suaui dispositioni ipsius vniuersi, vt iam animaduertimus ex sancto Augustino, quod etiam iterùm habet libro de prædestinatione Sanctorum capite quinto; imò nec ea quæ dantur infidelibus: sed istæ actuales gratiæ fidei, spei, & id genus cæteræ sunt

II. nobis necessariæ ad benè & secundùm rectam rationem viuendum, & aliquæ illarum dantur etiam infidelibus: igitur Christus Dominus illas nobis non promeruit.

Respondetur, Christum non promeruisse nobis ea quæ sunt purè naturalia, & quæ sunt necessaria ad viuendum iuxta rectam rationem in ordine purorum naturalium, quæque nunc solis naturæ viribus possumus: istas verò actuales gratias ordinis supernaturalis non futuras nobis necessarias in statu purorum naturalium, si in eo fuissemus creati, vt ex professo Theologi docent primâ secundæ ad quæstionem centesimam-nonam: nunc verò in statu naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ, quo sumus ordinati ad vitam æternam; & nihilominùs ob rebellionem carnis aduersùs spiritum valdè imbecillem, iis indigemus tum propter supernaturalitatem obiectorum, quæ respiciunt, tum

III. propter nostram infirmitatem, vt loco nunc citato Theologi docent, & Christus Dominus illas nobis promeruit, & dum quædam actuales gratiæ dantur infidelibus, illis etiam dantur ex merito Christi Domini, quia hic est vniuersale principium gratiæ communicandæ hominibus.

Secunda ratio est. Christus Dominus id tantùm nobis promeruit, quod in Adamo perdidimus; sic enim dicitur nos redemisse: sed non perdidimus fidem in Adamo; hic enim non incidit in hæresim, quia ex Apostolo primæ ad Timotheum 5. secundo, ipse non fuit seductus, sed mulier, nec proinde perdidit nobis fidem: ergo nec Christus nobis promeruit actualem fidem, quæ antecedit nostram adultorum iustificationem.

IV. Respondetur loquendo absolutè, Christum Dominum plura nobis promeruisse, quàm de facto perdiderimus in Adamo: Apostolus enim rectè ait ad Romanos quinto capite, *Non sicut delictum ita & donum.* Et paulò pòst, *Multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes.*

Ad id verò quod hîc obiicitur de fide per Adam deperdita, respondetur, siue ille sic peccando inciderit in hæresim, vt Vasquesius hîc disputatione septuagesima-septimâ, capite quarto fusè contendit, siue peccauerit tantùm peccato superbiæ, vt docet sanctus Thomas secundâ secundæ, quæstione centesima-sexagesima-tertiâ, articulo primo & secundo, sicque fidem sibi retinuerit, nobis tamen perdendo iustitiam originalem, simul etiam perdidisse supernaturalem fidem, & omnes gratias actuales: igi-

A tur nos tales ita reos constituit apud Deum, qui essemus indigni quolibet supernaturali bono, quia, vt ostendimus disputatione sextâ ad primam quæstionem articulo vndecimo, per peccatum primi nostri parentis contraximus debitum carendi omnibus auxiliis supernaturalibus, inter quæ est & ipsa fides supernaturalis. V.

Tertia ratio est. Si Christus Dominus nobis promeruit istas actuales gratias, iam desinunt esse gratiæ, quia tunc erunt debita: gratia autem & debitum apud Apostolum sibi inuicem opponuntur: item falsò dicentur dari nobis ex gratuita Dei liberalitate, eius misericordia, & bonitate, cùm sint ex iustitia, sed passim in sacris Litteris dicimur vocari gratis, & alias id genus gratias gratis à Deo accipere: ergo Christus Dominus illas nobis non promeruit.

B Respondetur negando Maiorem: sunt enim propriè loquendo *gratiæ respectu nostri*: at respectu & *comparatione Christi Domini*, sunt aliquod eius meritorum *præmium*, vt suprà est explicatum. VI.

Quarta ratio est. Christus Dominus ea nobis non promeruit, quæ habuissemus, etiamsi Verbum non fuisset incarnatum: sed etiamsi Christus non venisset, Deus tamen nobis contulisset istas actuales gratias: igitur Christus Dominus illas nobis non promeruit.

Respondetur: quia iuxta nostram sententiam si primus parens non peccasset, semper Christus venisset etiam vt mediator, non quidem redemptionis, sed vitæ æternæ apud Deum nobis obtinendæ, item vt caput omnium hominum, tunc etiam istas actuales accepissemus à

C Deo ex meritis illius, eo modo quo suprà philosophati sumus de gratia per illum Angelis promerita. VII.

Articvlvs VI.

Vtrùm Christus Dominus nobis promerucrit remissionem peccatorum.

SIT hæc nostra propositio. *Christus Dominus meruit omnibus hominibus remissionem omnium & quorumcunque suorum peccatorum, tam actualium mortalium, & venialium, quàm originalis culpæ.* Tota propositio est de fide, & probatur ex sacris Litteris. Isaiæ quinquagesimo-tertio, *Posuit in eo* (nimirùm Christo, nam ibi agitur de illo) *Dominus iniquitates omnium nostrùm.* Sanctus Ioannes secundo capite primæ suæ epi-

D stolæ sic scribit de Christo Domino, *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Et sanctus Paulus tertio capite ad Romanos docet, neminem hominum, etiam à creatione mundi, fuisse consecutum remissionem peccatorum, nisi per Christum, *quem*, inquit, *proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum.* VIII.

Et quòd hæc remissio peccatorum intelligatur etiam de venialibus, patet ex illo sancti Ioannis 1. sua Canonica, capite 1. *Et sanguis eius*, id est Christi, *emundat nos ab omni peccato*: quo loci hoc signum vniuersale, *omni*, sicut & hæc particula, *pro totius mundi*, in præcedenti testimonio comprehendit illud omne, quod propriè & formaliter est peccatum, cuiusmodi

I. est veniale, ex communi doctrina Theologorum primâ secundæ.

Deinde illud idem confirmat hæc sequens eiusdem sancti Ioannis sententia, *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Item; *Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis.* Quem vtrumque locum etiam intelligi de peccatis venialibus docent sancti Patres: Augustinus epistolâ suâ nonagesima-quintâ ad Innocentium libro quarto contra duas epistolas Pelagianorum capite decimo, & alibi. Item Hieronymus Dialogo secundo contra Pelagianos, Cyprianus libro de Oratione Dominica post medium, & alij.

Item probatur ex Conciliis, vt Tridentino sessione sextâ, capite septimo: item ex sanctis
II. Patribus, vt sancto Augustino libro primo de B peccatorum meritis & remissionibus, capite vigesimo-septimo, libro secundo de gratia Christi capite vigesimo. Tandem quæcumque probant Christum Dominum satisfeciſſe pro toto humano genere, secundùm apices strictæ iustitiæ, quod fusè ostendimus ad primam quæstionem, totâ disputatione sextâ: hæc eadem probant hanc nostram propositionem.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Christus Dominus meruerit hominibus remissionem omnium pœnarum.

SIT hæc propositio. *Christus Dominus meruit omnibus hominibus remissionem omnium pœnarum omnibus illorum culpis correspondentium.* Hæc propositio, saltem vt procedit *de pœna æterna*, est de fide, quia sacræ Scripturæ
III. superiùs relatæ, quæ tradunt Christum nobis C promeruisse remissionem peccatorum, nomine huius *remissionis*, illam intelligunt talem, vt ratione illius reddamur capaces vitæ æternæ, ac proinde cùm pœna æterna non ponatur, saltem de via ordinaria, consistere cum vita æterna, seu visione beatifica, eo ipso quo dicunt Christum nobis promeruisse omnium peccatorum remissionem, significant illum etiam nobis promeruisse omnis & cuiuscumque pœnæ æternæ correspondentis nostris peccatis remissionem.

Item, illæ omnes authoritates, quæ docent Christum nos suo sanguine, & merito suæ passionis reconciliasse Deo: item, quæ dicunt
IV. Christum nos liberasse à captiuitate dæmonis, D quam per peccata incurrimus, idem omninò significant; nam qui habet debitum pœnæ æternæ est adhuc inimicus Dei, ab illo auersus, & remanet adhuc sub iugo dæmonis, & in statu perditionis: Christus autem capite tertio sancti Ioannis ait, *venisse se*, & ex consequenti se apud Deum promeruisse, *vt omnis qui credit in ipsum non pereat.* Igitur Christus Dominus promeruit omnibus hominibus remissionem omnium pœnarum æternarum, suis omnibus culpis debitarum.

De pœnis temporalibus idem patet ex Concilio Tridentino, sessione decima-quartâ, capite octauo & nono, Canone decimo-quarto, vbi definit afflictiones sponte susceptas, vel patienter toleratas, per Christi Domini merita esse satisfactorias pro pœnis temporalibus debitis peccatis. Item, eo quòd hoc nomen, *peccatum*, passim in sacris Litteris supponit etiam pro pœna temporali debita peccatis, vt capite duodecimo libri secundi Machabæorum, *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*: & in Oratione Dominica, *Dimitte nobis debita nostra*: & passim in veteri Testamento, vbi sacrificium propitiatorium iubetur offerri pro peccatis. Sed sacræ Scripturæ suprà relatæ dicunt simpliciter & absolutè Christum Dominum nobis promeruisse remissionem peccatorum: ergo hæc remissio nobis per Christum acquisita est tam omnis & cuiuslibet pœnæ pro illis exsoluendæ, quàm culpæ.

V. Tandem Christus Dominus nobis meruit illud, quod vi & applicatione thesauri Ecclesiæ, seu Indulgentiarum, confertur hominibus, quia iste thesaurus coalescit potissimùm ex meritis Christi Domini, vt habetur in Extrauaganti *Vnigenitus, de pœnitentia & remissionibus*; sed per applicationem thesauri Ecclesiæ, seu Indulgentiarum debitè factam, pœnæ temporales nostris culpis debitæ remittuntur, quia præcisa & formalis ratio Indulgentiæ consistit in ista remissione, vt omnes Theologi docent: igitur Christus Dominus nobis omnibus etiam promeruit remissionem omnium pœnarum temporalium nostris culpis debitarum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm Christus Dominus meruerit hominibus gratiam iustificantem.

SIT hæc propositio. *Christus Dominus meruit omnibus hominibus gratiam sanctificantem*: Item, *& gloriam, seu vitam æternam.* Hæc propositio est de fide. Prior eius pars habetur ex capite tertio epistolæ ad Romanos: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu*: vbi hæ duæ particulæ, *per gratiam ipsius: per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*, significant Christum fuisse causam meritoriam nostræ sanctificationis, vt obseruauimus articulo tertio præcedenti in responsione ad primum fundamentum prioris sententiæ. Item ad Ephesios primo capite Christus dicitur ab Apostolo ita fuisse gratus Deo, vt etiam nobis meruerit gratiam iustificantem, seu nos efficere illi gratos: *Gratificans nos*, inquit, *in dilecto Filio suo*: id est gratos, & Deo acceptos reddidit: quod non fit *formaliter*, nisi per gratiam iustificantem, & inhærentem. VIII. Hinc vbi sanctus Ioannes dixit nos omnes accepisse de plenitudine Christi, subiungit, *gratiam fuisse factam per Christum*: quia scilicet illam nobis promeruit: nam ibi confert Mosem antiquæ legis Legislatorem cum Christo Legislatore nostro, & docet istum dedisse tantùm legem absque gratia, quâ posset illam adimplere; hunc verum non esse tantùm authorem legis, sed insuper dedisse gratiam sanctificantem, seu suis meritis illam nobis obtinuisse, quâ possemus legem seruare.

Tandem illa omnia tum sacræ Scripturæ, tum Conciliorum, tum sanctorum Patrum testimonia, quæ asserunt *nos regenerari in Christo per gratiam*: Item, *nos per illum saluari*: Item, *vt per vnius Adæ delictum omnes periimus, ita per*

I. *vnius Christi obedientiam reconciliari*, item, & *iustificari*. Totum hoc volunt. Nam formalis causa huius regenerationis spiritualis, nostræ insitionis in Christo, & nostra saluationis, est habitualis gratia, & cùm donum Christi Domini sit potentius Adæ peccato, sit vt quemadmodum hic peccando nobis perdidit originalem iustitiam, & demeritorie causauit in suis posteris peccatum originale; sic iste suâ obedientiâ, & passione apud Deum promerendo, nobis obtinuit gratiam sanctificantem.

Posterior etiam pars, quæ est de gloria æterna nobis per Christum obtenta, probatur. Capite secundo ad Hebræos Christus Dominus dicitur *adducere multos ad gloriam*, id est, ad vitam æternam: & capite nono Apostolus ait, *viam Sanctorum*, id est ingressum illorum in cælum, & fruitionem vitæ æternæ non fuisse ante mortem Christi Domini propalatam, sed

II. ipsâ eius morte fuisse apertam, in cuius rei signum velum Templi fuit scissum à summo vsque deorsum capite vigesimo-septimo sancti Matthæi, & vigesimo-tertio sancti Lucæ latro pendens in Cruce audiuit à Christo, *Hodie mecum eris in Paradiso*: id est æterna gloria, & beatifica visione frueris.

Item probatur ex iis Scripturæ locis, quibus Christus Dominus appellatur *Dominus gloriæ, Rex gloriæ*: nam talis nuncupatur, quòd illam nobis promeruerit, Psalmo vigesimo-tertio, *Attollite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ*: Quod sancti Patres communiter intelligunt de ascensu Christi in cælum. Item primæ ad Corinthios secundo capite, *Nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*: sancti Iacobi capite vigesimo.

III. Probatur item ex Tridentino, sessione sextâ, capite decimo-sexto dicente, *Vitam esse bene vsque in finem operantibus proponendam, tanquam per Iesum Christum misericorditer promissam*. Hinc sancti Patres, vt Hieronymus epistolâ ad Dardanum, Augustinus libro decimo-nono contrà Faustum vltimo capite dicunt multa haberi in veteri Testamento, quæ præfigurent æternam vitam, seu gloriam: at apertam illius promissionem legi tantùm in Euangelio: hinc etiam Christus Dominus dicitur *nobis aperuisse cælos*: Item, *perfectè nos redemisse*, esse caput omnium hominum etiam beatè viuentium, mediator Dei & hominum, quatenùs à Christo Domino per spiritualem influxum æterna vita deriuatur in illos.

IV. ARTICVLVS IX.

Soluuntur obiectiones quæ militant aduersùs tres præcedentes articulos.

PRIMA obiectio est. Iustificatio hominum tribuitur resurrectioni Christi Domini: nam ad Romanos quarto capite ait de Christo: *Et resurrexit propter iustificationem nostram*: quæ tamen (cùm tunc Christus non esset amplius viator, & conditio viatoris requiratur ad meritum) non erat meritoria: ergò Christus, loquendo propriè, non meruit nobis remissionem peccatorum, nec iustificantem gratiam.

Respondetur ex sancto Thoma tertiâ parte, quæstione vndecimâ, trigesimo-sexto articulo, Christum dici ab Apostolo *resurrexisse propter* A *iustificationem*, non in genere *causæ moraliter efficientis*, seu *meritoriæ*, ob rationem obiectionem contentam, sed in genere *causæ exemplaris*, quatenus scilicet Christus Dominus moriens, & resurgens nobis dedit exemplum, vt à morte peccati resurgamus ad nouitatem vitæ, ad quod faciendum Apostolus capite sexto eiusdem epistolæ nos admonet: quo etiam modo sanctus Augustinus hunc eundem locum intellexit sermone centesimo-quadragesimo-primo de tempore. V.

Secunda obiectio est. Si Christus Dominus meruit omnibus hominibus bona illa supernaturalia his tribus superioribus articulis recensita, Deus ei facit iniuriam, cùm omnes & singuli homines ista bona non accipiant, imò magna pars hominum ad illa non perueniat, & ex iis qui ad illa perueniunt multi adhuc damnentur. VI.

B Respondetur, negando aliquam iniuriam hinc fieri Christo Domino, vt iam animaduertimus agendo de satisfactione Christi Domini: nam istæ propositiones, vt procedunt de omnibus & singulis hominibus, ne vno quidem excepto, intelliguntur tantùm *quoad sufficientiam*, quatenùs Christi Domini merita tanti sunt valoris & virtutis, vt sint apta causare hæc omnia & singula effecta in iis omnibus, quibus debito modo, iuxta Dei ordinationem, & eius dispositionem applicabuntur.

Tertia obiectio est. Fit Christo Domino iniuria, cùm aliqui decedentes ex hoc sæculo in statu gratiæ sanctificantis mittuntur in Purgatorium, vt pœnas temporales post culpæ remissionem adhuc remanentes ibi exsoluant: cùm enim C Christus Dominus satisfecerit pro illis omnibus, etiam de rigore strictæ iustitiæ, & Deus puniat VII. citra condignum, ad quid eò mittuntur? vel ergo Christus Dominus non satisfecit pro istis eorum pœnis, & sic propositio septimi præcedentis articuli est falsa, vel Deus est iniustus, quod dicere est blasphemum.

Confirmatur. Animæ illæ Purgatorij, quibus nulla suffragia viuorum applicantur, tantum doloris, & tanto tempore patiuntur, quantum debent pœnæ, nec inde egrediuntur donec vltimum quadrantem soluerint, ac si Christus nusquam pro illis esset mortuus: ergo tantum abest, vt pro omnibus illarum pœnis temporalibus Deo satisfecerit.

Respondetur, Christum Dominum satisfeciſſe *quoad sufficientiam* ex stricta iustitia pro istis temporalibus pœnis per animas in Purgatorio existentes debitis: vt autem istæ pœnæ D remittantur de facto ex Christi Domini meritis, opus esse applicatione meritorum eius, facta illis vel per indulgentias, vel per sacrificium Missæ pro illis oblatum Deo, vel per alia suffragia viuorum pro illis oblata, quæ tamen omnia talem vim proficiendi animabus in isto statu constitutis repetunt à Christi Domini meritis, sicut & actus meritorij, quos istæ animæ adhuc existentes in via exercuerunt, quibus factum est, vt pœnæ istæ ante illorum mortem minuerentur; hanc suam ad id præstandum efficaciam habent ab eiusdem Christi meritis, quod docent ex professo Theologi, cùm agunt de meritis bonorum operum: item de indulgentiis, de sacrificio Missæ, & de satisfactionibus hominum in statu gratiæ existentium. VIII.

I. Ad confirmationem ibi ſubiectam reſpondetur, illam ſumptam in rigore eſſe veram, non tamen defectu *remedij* per Chriſtum ordinati, ſed eius duntaxat *applicationis*, quæ tunc, vt ibi ſupponitur, omninò deficit, & tunc non tam loquendo propriè ſatisfaciunt animæ, quàm ſatiſpatiuntur, nihilque pœnarum temporalium debitarum eis remittitur, ex defectu prædictæ applicationis, ſed integrè, & vſque ad vltimum quadrantem ſatiſpatiuntur, quia tempus iſtud eſt iuſtitiæ, non gratiæ, vt rectè notat Suarez hac parte, diſputatione quadrageſimaquintâ.

ARTICVLVS X.

Soluitur dubium.

II. QVÆRES, vtrùm Chriſtus Dominus meruerit nobis immediatè ſanctificantem gratiam, ſeu iuſtificationem; an verò tantùm mediatè, quatenùs ſcilicet meruit nobis gratiam excitantem, & alias actuales gratias, quibus excitati conterimur de peccatis, quâ contritione poſitâ, gratia iuſtificans ſequitur; non autem vt nouum aliquod donum etiam ſpecialiter & ſecundùm ſe conſideratum, fundatum in meritis Chriſti Domini.

Reſpondetur, Chriſtum Dominum nobis illas omnes & ſingulas, & ipſam etiam iuſtificationem, ſeu gratiam iuſtificantem immediatè promeruiſſe, quia ſacræ Scripturæ hanc, vt ſingulare aliquod beneficium ab aliis antecedentibus, etiam à contritione de peccatis diſtinctum tribuunt merito Chriſti Domini: ad Romanos ſexto capite dicimur *mori cum Chriſto*, III. quia per veram contritionem in eius meritis fundatam deteſtamur peccata, & illa omninò per ſincerum affectum abiicimus, & dum conſequenter ad hanc contritionem accipimus gratiam iuſtificantem, cauſam formalem noſtræ iuſtificationis, dicimur *viuere Deo in Chriſto, ſi autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam viuemus cum Chriſto.* Quod intelligitur de vita animæ per gratiam ſanctificantem in præſenti vita, indicant hæc alia verba, quæ ſubiungit Apoſtolus, *Ita & vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto.* Similiter hæc noſtra iuſtificatio explicatur ab eodem Apoſtolo ad Epheſios ſecundo capite, vt ſingulare beneficium à contritione pro peccatis diſtinctum: *Et cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto.*

IV. Idem patet ex Concilio Tridentino ſeſſione ſextâ, capite ſeptimo, quod explicans ſingulas cauſas noſtræ iuſtificationis, vt diſtinctas ab omnibus ſuis antecedentibus diſpoſitionibus, ait verbis expreſſiſſimis, *cauſam illius meritoriam eſſe Chriſtum Dominum, qui*, inquit, *ſanctiſſimâ ſuâ paſſione in ligno crucis nobis illam meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit.* Et ibidem paulò pòſt, *Quanquam nemo poſſit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur: id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret.*

Ratio etiam fauet noſtræ reſponſioni: nam ſi mediatè tantùm Chriſtus Dominus meruiſſet nobis gratiam ſanctificantem, ipſe homo contritus, vt formaliter talis eſſet potiùs cauſa moralis effectiua propriæ iuſtificationis, quàm Chriſtus Dominus, nec eius contritio, loquendo propriè, eſſet tantùm mera quædam diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, quin potiùs cauſa quædam illius efficiens, quod eſt contra doctrinam Concilij Tridentini locis nunc citatis. V.

Deinde Chriſtus Dominus merito ſuæ paſſionis magis immediatè influit in noſtram iuſtificationem, vt ſumptam præcisè ab omnibus ſuis antecedentibus diſpoſitionibus, quàm illo eodem ſuo merito influat in actualem gloriam, quâ nunc Beati fruuntur, & in æternum fruentur in cælo; ſed Chriſtus Dominus merito ſuæ paſſionis influit mediatè in actualem gloriam, quâ nunc & in æternum Beati fruuntur, & fruentur in cælis, quatenùs non tantùm illis gratiam & gloriam promeruit, ſed etiam in ſingula bona illorum opera, quæ exercuerunt in via, & quibus ſunt iſtam gloriam aſſequuti, tanquam vitis in palmites, virtutem ſuam influxit: igitur Chriſtus Dominus nobis promeruit immediatè gratiam iuſtificantem, & ſingulas diſpoſitiones ad illam. VI.

Atque ex his ſequitur, Chriſtum Dominum immediatè nobis etiam promeruiſſe ea omnia & ſingula dona, quæ ſimul cum gratia iuſtificante infunduntur hominibus: nam ſacræ Scripturæ & Patres dum illam tribuunt merito Chriſti Domini, accipiunt illam, *vt completam*, & vt fit ordinariè, & ſatis expreſsè ſignificat Tridentinum ſuprà capite ſeptimo: quid autem ſint illa in particulari explicare non eſt huius loci, ſed primâ ſecundæ, vbi agitur de iuſtificatione. VII.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Chriſtus Dominus promeruerit ea dona, quæ dantur hominibus poſt iuſtificationem.

PRÆMITTENDVM eſt. Dona quæ dantur hominibus poſt illorum iuſtificationem, hæc ſunt: *Gratia excitans, adiuuans ad benè operandum ex habituali gratia*: Item, *ſubſequens*: Item, *eſſe meritorum*: Item, *augmentum gratiæ, in ſtatu gratiæ perſeuerantia*: & alia id genus, quæ ad totum iſtud obtinendum conferunt, de quibus ſingillatim Theologi agunt ex profeſſo primâ ſecundæ. VIII.

Deinde notandum eſt, hìc non tantùm quæri, an Chriſtus Dominus iſta nunc enumerata mediatè meruerit iuſtificatis; de hoc enim nulla poteſt eſſe dubitatio, cùm articulis præcedentibus oſtenderimus eum gratiam iuſtificantem, quæ eſt radix & principium meriti, immediatè hominibus promeruiſſe: ſed quæritur, an Chriſtus hæc ſingula dona, iis in quibus reperiuntur, immediatè promeruerit.

Propoſitio noſtra eſt affirmans, quæ tota habet euidens fundamentum in Concilio Tridentino, ſeſſione ſexta, capite 16. dum ſingularem efficaciam meritorum Chriſti, & omnium bonorum, quæ dantur iuſtis, dependentiam ab illis explicat his verbis, *Cùm enim ille ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis*

I. *in palmites, in ipsos iustificatos ingiter virtutem influat, quâ Christus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine quâ nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent.* Nam singulæ partes huius Tridentinæ periodi affirmant singulas partes nostræ propositionis: hæc eius pars, *quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur*, significat gratiam illam, quâ iustificati excitantur ad benè operandum, & cooperantem, quâ in benè operando iuuantur, dari eis ex merito Christi Domini, seu ab eius meritis diffluere: similiter hæc alia sequens, *sine quâ nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent*, illud *esse meritorium apud Deum*, quod habent illis prouenire ab eiusdem Christi Domini meritis. Item hæc eius particula præcedens, *virtutem ingiter influit*, importat continuationem & perseuerantiam eorum in benè operando, & perseuerantiam in statu gratiæ esse etiam ex eodem Christi Domini merito: & eadem sessione, Canone trigesimo-secundo definitur, non solùm actus meritorius augmenti gratiæ & gloriæ æternæ, sed & ipsum gratiæ & gloriæ augmentum, eiúsque consecutionem esse per Iesu Christi meritum. Et singula illa tam huius Canonis trigesimi-secundi, quàm capitis decimi-sexti adeò prudenter dispositа satis denotant hoc non posse sufficienter explicari, si Christus dicatur mediatè tantùm ista promeruisse iustificatis: nam si id sufficeret, ad quid istud *ingiter virtutem influit*, cùm vnicus ille influxus, quo gratiam iustificantem contulit, aliàs sufficeret ad explicandum Christum esse causam remotam istorum bonorum, gratiara iustificantem subsequentium.

II. Idem etiam explicat analogia vitis ad palmites, & membrorum ad caput ibi à Concilio ad totum istud explicandum appositа, & à Christo Domino apud sanctum Ioannem capite sexto, & ab Apostolo passim in suis epistolis vsurpata; nam singula membra ita accipiunt influxum continuum à suo capite, vt ratione illius vnumquodque membrum habeat singularem ab eo dependentiam, itavt hoc speciali influxu impedito, vel deficiente, membrum istud reddatur mortificatum, vel aridum, similiter & palmes ab vite cuius est palmes: ergo pari iure, vt seruetur analogia, vnumquodque bonum iustificato collatum habet specialem à Christi Domini merito, quoad influxum ab illo deriuatum, dependentiam: & proinde Christus Dominus illud immediatè promeruit iustificato.

III. Probatur etiam ex sacris Litteris quoad augmentum gratiæ, ex Apostolo capite quarto ad Ephesios, *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*: & paulò pòst, *In mensuram vnius cuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Quibus verbis Apostolus asserit augmentum charitatis, quod fit in vnoquoque fideli viuo membro Christi, fieri ex merito Christi Domini de bonis operibus, seu de merito bonorum operum. Idem patet ex capite secundo ad Ephesios, vbi iustificati dicuntur *factura Dei, creati in Christo Iesu, in bonis operibus*: quia hoc singulare beneficium, scilicet *benè & meritoriè operari*, accipiunt à Deo ex ipso Christi Domini merito. Item ex vtroque citato loco Concilij Tridentini: de perseuerantia idem patet ex Apostolo capite primo primæ ad Thessalonicenses, vbi pro illorum perseuerantia in benè operando vsque ad finem vitæ, ait bonum istud ita esse ex gratuita beneficentia Dei illud largiente, vt tamen sit ex Christi Domini meritis, *Oramus*, inquit, *pro vobis, vt dignetur vos vocatione suâ, nimirùm efficaci ad gloriam æternam, & impleat omnem voluntatem bonitatis suæ*, id est diuinæ electionis, illam complendo per collationem doni perseuerantiæ *secundùm gratiam Dei nostri & Domini Iesu Christi*, id est ex gratuita liberalitate Dei, & Christi Domini merito. Hinc Christus Dominus capite decimo-septimo sancti Ioannis orat pro suorum Apostolorum perseuerantia, *Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi.* & subiungit, *Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.*

IV. Tandem tota propositio probatur. De ratione perfecti, quoad redemptionem, mediatoris item capitis mystici est, vt omnis & quilibet gratiæ influxus conferens ad hominum redemptionem deriuetur ab illo, tanquam capite ad membra, quia si membra illud accipiant aliunde, iam quoad hoc desinet esse sub illo, tanquam capite, nec ab illo, vt eorum redemptore dependebunt: sed Christus Dominus est perfectus omnium hominum redemptor; item caput illorum omnium, & collatio omnium & singularum gratiarum nostrâ propositione enumerataram est specialis quidam influxus conferens ad hominum salutem, vt patet ex dictis: ergo quælibet istarum gratiarum, quando datur hominibus, datur illis vt deriuata à Christo Domino, & ex vi & efficacia meritorum eius.

Articvlvs XII.

Soluuntur obiectiones.

V. PRIMA obiectio est. Gratia sanctificans semel habita non dependet, quoad sui conseruationem & augmentum, ab iis particularibus causis extrinsecis, per quas fuit acquisita suo subiecto: exempli gratiâ, iustus bonis suis operibus promeruit de congruo alicui peccatori primam gratiam tam iustificationis, quàm vocationis: postmodùm iustus ille incidat in peccatum mortale, ratione cuius excidat à statu gratiæ, hoc non obstante prædictus peccator iustificatus conseruabit sibi suam gratiam bonis suis operibus, eius augmentum promerebitur absque vlla indigentia meritorum alterius; qui illam ei promeruit: ergo etiam si Christus Dominus promeruerit omnibus hominibus gratiam iustificantem, vbi tamen illam obtinent, non ampliùs indigent eius merito ad illam sibi conseruandam, vel augendam applicato.

VI. Explicatur hoc & simul confirmatur: demus per hypothesim impossibilem Christum Dominum iam excidere à statu gratiæ, vel, quod absolutè loquendo non implicat, Verbum relinquere humanitatem, seu non ampliùs ei hypostaticè vniri, & homines ex eius meritis iustificatos adhuc remanere in via, in statu gratiæ per illum acceptæ, tunc Christo vt homine non ampliùs existente poterunt benè operari ex sua sanctificante gratia, illam in sciplis augere: ergo nunc etiam qui iustificatus est ex Christi Domini merito poterit suam gratiam benè operando augere sine Christo, quia vtriusque iustificati est par conditio & par vis & efficacia gratiæ sanctificantis in vtroque, quantum est ex parte illius.

VII. VIII.

I. Respondetur, causas extrinsecas efficientes esse in duplici differentia, *alias esse particulares tantùm, alias esse vniuersales in causſando*, inter quas istud est discriminis, quod effectus, licèt *in suo fieri* dependeat à prioribus, vbi tamen est productus ab illis non dependeat necessariò *in suo conseruari, & in operari* consimiliter ad suas facultates & potentias, vt etiam experientia docet: at ille idem effectus vt cõparatur *ad vniuersales rerum causas*, ab illis non tantùm *in suo fieri*, sed etiam *in suo conseruari & operari* dependeat, quemadmodum Philosophi communiter docent in Physicis, agendo de concursu causarum vniuersalium, & eius necessitate, Christus autem Dominus vt redemptor & noster mediator Dei & hominum, item vt caput omnium hominum, est quædam *vniuersalis causa respectu cuiuscumque effectus supernaturalis*, promerentis vitam æternam, vt eiusmodi honorum tituli etiam per seipsos indicant, & testimonia sacræ Scripturæ superiùs citata explicant, sicut & istud Christi apud sanctum Ioannem 15. capite, *sine me nihil potestis facere*, vbi hæc particula, *nihil*, excludit quodlibet etiam quantumlibet minimum opus bonum, vt sanctus Augustinus ponderat tractatu 8. in sanctum Ioannem: quare singula nostra bona opera pendent ab illo, & eius influxu indigent, tam in suo *conseruari & operari*, quàm *in ipso suo fieri*. Ille autem iustus qui in obiectione supponitur alteri promereri de congruo primam gratiam iustificantem, respectu talis gratiæ est tantùm particularis quædam causa illius impetratoria; vnde dispar est eius ratio à conditione Christi Domini respectu omnium hominum. Ad confirmationem respondetur, in tali hypothesi si daretur, iustificatum tunc bene quidem operaturum esse, sed semper ex merito Christi Domini, etiam tunc meritoriè influente in hunc effectum, vt in particulari consideratum, quia licèt Christus non ampliùs existeret vt homo, vel esset destitutus gratia sanctificãte, illa tamẽ eius merita, quibus nobis, & aliis hominibus promeruit istas actuales gratias, semper viuerent & remanerent in acceptatione Dei, & quia eo tempore quo illa exercuit & ordinauit in hunc finem, verè exstitit etiam in statu gratiæ, & ad id sunt à Deo Patre acceptata, adhuc etiam in nostrum bonum operarentur meritoriè apud Deum, cùm ad hunc operandi modum actualis existentia operantis non requiratur, sed sola meritorum cognitio in Deo, excitans ad præmiandum, & debita eorum applicatio facta subiecto, sufficiant; nec obstat quòd in vna istarum hypothesium Christus supponatur excidisse à statu gratiæ per aliquod peccatum mortale, & adhuc in eo perseuerare: nam hoc supposito (non tamen concesso) ad maiorem inquisitionem præsentis difficultatis, responsio nunc allata adhuc valeret; nam collatio istarum gratiarum facta per Deum non fundatur vel in gratia sanctificante, vel in gratia vnionis hypostaticæ vt de facto & realiter existente in Christo Domino, hac ipsa temporis durationc qua tales gratiæ actuales conferuntur hominibus, vt patet ex eo quòd Patres veteris Testamenti eas acceperint ex Christi Domini merito longè antequam mysterium Incarnationis esset reipsa peractum, sed hæc prædicta collatio eiusmodi gratiarum semper esset fundata in Christi Domini merito valoris infiniti, ad hunc effectum ab eo ordinati, & à Deo

II. III. IV.

A Patre acceptati; quare vt carentia actualis existentiæ mysterij Incarnationis non impediuit prædictos Patres, ne acciperent istas actuales gratias ex merito Christi Domini, ita nec in præsenti, cùm iustitia illa Christi Domini, per quam ille nos meritorie iustificat, non sit iustitia illa inhærens eius animæ, seu eius habitualis gratia, sed meritorum eius, seu ipsa eius merita, quæ vt diximus tunc semper remanerent in acceptione Dei, nec aliqua ex parte ab hoc suo effectu consequendo essent impedita. V.

Secunda obiectio est. Quod est alicui debitum, non datur ex alicuius merito, sed adulto existenti in statu habitualis gratiæ, illæ actuales gratiæ quæ excitant, & adiuuant, sunt ei debitæ, quia gratia datur ad operandum quod sine istis auxiliis non potest facere; igitur non dantur iustificato ex Christi Domini merito.

B Respondetur, non omnes illas actuales gratias, quæ dantur iustis hominibus, esse eorum iustificanti gratiæ debitas, ex enim excitantes & adiuuantes possunt duntaxat illi esse debitæ aliquo iure connaturalitatis, quæ ei sufficiunt vt prorumpat in actus sibi quoad intensionem proportionatos, præter quas dantur de facto & multæ tam excitantes quàm adiuuantes quæ eius intensionem superant, nec sunt tali iusto debitę, cuiusmodi est donum perseuerantiæ, & plura id genus quæ dabuntur ex solo Christi Domini merito; deinde respondetur, esto, aliquæ ex istis gratiis dentur ex debito connaturalitatis gratiæ, iam ex Christi Domini meritis concessæ; nihil tamen impedit quin nouo aliquo speciali titulo dentur etiam ex merito, quatenus Christus aliqua merita speciali quadam explicita volitione ad illarum collationem ordinauit, sicque eas nobis post peractum Incarnationis mysterium nasciturus promeruerit. VI.

C Tertia obiectio est. Actus bonus, & honestus, bonitate & honestate supernaturali, exercitus ex gratia, & in statu gratiæ sanctificantis, est seipso meritorius tam alicuius præmij quàm augmenti gratiæ: ergo actus bonus & honestus eorum qui sunt in statu gratię, non habet à Christi Domini meritis, quòd sit meritorius. VII.

Respondetur, hæc distingui *esse idoneum ad merendum, & esse meritorium*, ad prius sufficit condignitas operis ad præmium, ad posterius insuper ex parte præmiantis requiritur acceptatio, & ex parte operantis ordinatio: Christus Dominus promeruit, vt omnes & singuli nostri actus ex gratia sanctificante, & eius statu exerciti ordinarentur ad præmium, & ad illud acceptarentur à Deo Patre: nec hoc tantùm, sed insuper

D quod à nobis tanquam suis veris & viuentibus membris facti longè maiorem dignitatem haberent & efficaciam ad aliquid promerendum apud Deum: vnde iubet cap. 16. S. Ioannis, vt eo tanquam mediatore etiã imperrationis vtamur apud Deum Patrẽ, quatenus ob eius considerationem & singularem affectum quo Deus eum prosequitur tanquam proprium & vnicum filium in quo sibi complacet; actus fidelium noui Testamenti sunt in seipsis longè gratiores, quàm fuerint actus meritorij, vel etiam preces fidelium veteris Testamenti, qui pro motiuo rei alicuius à Deo obtinendæ illis inserebant Abraham, & alios Patriarchas antiqui Testamenti, & hoc Christus docuit suos Apostolos quando 16. sancti Ioannis eis dixit, *Amen, amen dico vobis, Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis*, VIII.

& Ecclesia quotidie reducit ad praxim, quando omni & cuilibet suæ orationi, vel postulationi semper interponit Christum Dominum, vt videre est facta inductione per omnes eius collectas; & sanctus Augustinus tam primâ quàm secundâ expositione in Psalmum 108. ad illum versiculum, *& oratio eius fiat in peccatum*; addit aliquid amplius, scilicet omnem illam orationem, quæ non fit per Christum, fieri in peccatum: *Oratio*, inquit, *quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum.* & iterum: *Oratio eius fiat in peccatum, quia non fit per mediatorem Dei & hominum Iesum Christum, & Sacerdotem magnum in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Tertiò, nostra merita habent à Christo vt sint satisfactoria & amplioris præmij digna, & maioris pœnæ remissiua quàm si ex nuda habituali gratia absque vllo Christi Domini merito exercerentur, iuxta illud Christi Domini apud S. Ioannem capite 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*; hinc Concilium Tridentinum citata sessione sextâ capite decimo-sexto, vbi extulit dignitatem bonorum operum in gratia factorum, ita subiungit, *Absit autem vt Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino*, id est in Christo, *cuius tanta est erga homines bonitas, vt eorum velit esse merita quæ sunt ipsius dona*; vnde etiam sessione decima-quartâ, capite octauo, agens de nostris satisfactionibus, vt à meritis Christi Domini suam vim & sufficientiam accipientibus, ita ait, *Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsoluimus, vt non sit per Christum Iesum: nam qui ex nobis, tanquam ex nobis, nihil possumus, eo cooperante, cùm nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo vnde glorietur, sed omnis gloria nostra in Christo est, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre*: Ergo omnia singulorum hominum merita & satisfactiones fundantur in meritis Christi Domini, & ex consequenti Christus Dominus illa omnia nobis promeruit.

Articvlvs Vltimvs.

Vtrùm Christus nobis promeruerit efficacem suorum meritorum applicationem.

NOTANDVM est primò, meritum Christi Domini, & eius applicationem distingui inter se, sicut *pretium depositum* emendæ domus sufficiens, & eius emptio seu eius solutio tali pretio facta distinguu. tur. Notandum secundò, hanc applicationem posse intelligi *duobus modis* fieri, primus est *ex sola misericordia Dei* applicantis meritum Christi Domini, vel per actualem collationem gratiæ excitantis, adiuuantis, vel alterius nobis factam propter Christum absque vllo actu voluntatis Christi Domini explicito, sese specialiter & immediatè terminante ad efficacem suorum meritorum applicationem faciendam huic & isti, ad hunc & istum effectum, efficaciter consequêdum: *alter modus* est quo vltra prædictum actum diuinæ misericordiæ, interuenit actus aliquis humanæ voluntatis Christi Domini, quo meretur singulariter hanc vel istam, siue extra sacramentum, siue in Sacramento, huic & isti efficacem suorum meritorum applicationem.

Notandum est tertiò, eos quibus ista applicatio efficax concipitur fieri hoc postremo modo esse *in duplici differentia: vel enim præcesserunt* quoad existentiam ipsum Incarnationis mysterium in reipsa peractum, & illud duntaxat supponunt à Deo ordinatum & præuisum cum omnibus actibus meritoriis Christi Domini, vel quoad sui existentiam subsequentibus Incarnationem Verbi diuini. Notandum quartò, *duplicem* posse distingui *efficacem applicationem meritorum* Christi Domini, *vnam ad consensum* & cooperationem humanæ voluntatis; item & ad eius iustificationem siue in Sacramento, siue extra sacramentum purè & simpliciter, cui iustificationi perseuerantia in statu gratiæ vsque ad vltimam vitæ periodum non sit infallibiliter annexa, vt de facto contigit in Iuda, & multis aliis, quibus aliquando vel in Sacramento, vel extra Sacramentum collata fuit de facto gratia sanctificans, à qua tamen defecerunt postea & in statu peccati mortalis discesserunt ex hac vita; *alteram* quæ siue extra Sacramentum, siue in Sacramento facta habet perseuerantiam gratiæ vsque ad finem vitæ sibi infallibiliter annexam, vt contigit in latrone affixo cruci, simul cum Christo & aliis omnibus adultis ad gloriam æternam prædestinatis. His ita præmissis tres sunt de proposita difficultate sententiæ: prima est, Christum Dominum hoc tantùm sensu promeruisse nobis applicationem suorum meritorum, & efficaciam illorum, quatenus meruit nobis omnes gratias quas accipimus, eásque tales, quæ ex se sunt sufficientes, vt de facto per eas consequamur gratiam & gloriam, nti ex parte nostra iis desimus, itavt Deus ex sua parte, & intentione eas nobis conferat ex sincero desiderio nostræ salutis, & cupiens eas esse efficaces in omnibus. Secunda sententia vult Christum Dominum quibusdam promeruisse singularem aliquam suorum meritorum applicationem, non tamen omnibus. Tertia sententia asserit omnem, & quamlibet applicationem meritorum Christi Domini, quæ vel aliquando est facta, vel aliquando fiet, esse ex aliquo speciali Christi Domini merito; pro huius rei explicatione sit hæc primâ nostra propositio. *Christus Dominus vltra sufficientiam actualium gratiarum*, quibus homo correspondendo potest consequi gratiam, *& gloriam, meruit efficacem suorum meritorum applicationem iis omnibus, quibus de facto applicantur efficaciter seu cum aliquo effectu.*

Propositio est conformis tertiæ sententiæ contra primam & posteriorem partem secundæ opinionis. Probatur primò, iis omnibus sacræ Scripturæ testimoniis, in quibus Christus vocat se *ostium per quod quis ingreditur.* Item quibus dicitur *habere clauem Dauid super humerum suum*, vt Isaiæ vigesimo secundo capite, item *aperire ostium*, vt Apocalypsis tertio, item *oues educere ad pascua* vitæ spiritalis, & hæc per *illum inueniri*, vt citato capite decimo sancti Ioannis, vbi recensens officia boni Pastoris, se declarat talem esse respectu nostri; item iis quibus dicit se esse, *viam* per *quam itur ad Patrem*, vt 14. capite sancti Ioannis.

Hæc enim omnia istud apprimè significant: nam introductio animæ intra oues per Christum mediante claue (quam citato loco Isaiæ dicitur habere suprà humerum) optimè denotat applicationem passionis eius, vt sanctus Hieronymus innuit ad illum locum Isaiæ, seu

I. meritum eius pro applicatione actualis gratiæ excitantis & adiuuantis ad ingressum in Ecclesiam necessariæ, & ipsamet actualis exhibitio pascuorum & formalis ratio viæ, per quam peruenitur ad terminum illam eandem significant applicationem meritorum Christi factam efficaciter illis, qua de facto ad Deum Patrem perueniunt: ergo Christus non tantùm meruit quoad sufficientiam actuales gratias quæ conferuntur, sed etiam efficacem illarum applicationem iis quibus de facto conferuntur.

Secundò probatur. In ordine quem Deus de facto elegit, tam latè patet, & se extendit meritum Christi Domini, quàm latè patet, & se extendit medium ordinis gratiæ alicui homini de facto concessum, vel aliquando reipsa concedendum; iraut nullem de facto detur speciale beneficium ordinis gratiæ,

II. quod etiam vt tale non sit ex Christi Domini meritis, quia Deus statuit neminem saluare, nisi per Christum, vt mediatorem, iuxta illud Actuum quarto, *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*, vnde capite primo sancti Ioannis gratia dicitur simpliciter, & sine restrictione alicuius specialis gratiæ *facta per Christum*: sed efficax applicatio meritorum Christi Domini quibuscumque fiat actu, est speciale quoddam medium ordinis gratiæ, distinctum etiam à nuda & simplici sufficientia cuiuscumque medij ordinis gratiæ etiam à Deo oblati, & vt præcisè in ratione sufficientis, per Christi meritum acquisiti: igitur meritum Christi Domini sese extendit ad omnem & quamlibet efficacem applicationem suorum meritorum aliquibus factam, vel in posterum faciendam, &

III. ex consequenti illam eis promeruit. Maior patet ex iis quæ illi subiunximus. Minor probatur primò, ex communi omnium Theologorum doctrina primâ secundæ de necessitate specialis gratiæ ad actu & de facto bene operandū, vltra gratiam illam quæ dat nobis posse bene operari, cuius gratiæ specialis necessitatem sanctus Augustinus toto libro de gratia Christi docet contra Pelagium, & alijs suis libris passim contra illum & eius discipulos. Secūdò, patet, ex eo quòd sufficientia meritorum Christi Domini est pro omnibus, & Deus nemini denegat sufficientem gratiam, efficax verò applicatio meritorum Christi Domini non est de facto pro omnibus & singulis, cùm illa non detur omnibus & singulis sicut nec efficax gratia.

Tertiò probatur. Qui meretur alicui ipsum *velle actu bonum supernaturale*, & ipsum *actu perficere bonum supernaturale*, ille idem meretur ei efficacem applicationem meritorum Christi Domini, quia omne bonum supernaturale intenditur, & perficitur à nobis ex Christi Domini meritis, iuxta illud Christi, *Sine me nihil potestis facere*, & efficax applicatio meritorum Christi Domini consistit in istis duobus ponendis in homine, non autem in nuda tantùm & simplici sufficientia ad ponendum illa: sed Christus Dominus meruit omnibus bene de facto operantibus ipsum velle actu supernaturale, & illud ipsum actu perficere, quia ex iam obseruatis meritum Christi, seu eius gratia tam latè patet quàm ipsa gratia quam Deus de facto impertitur. Deus autem capite secundo ad Philippenses dat velle & perficere bonum supernaturale pro sua bona voluntate:

A igitur Christus Dominus meruit omnibus, qui de facto bene operantur, ipsam efficacem suorum meritorum applicationem. V.

Secunda propositio. *Christus Dominus efficacem suorum meritorum applicationem ita aliquibus instificandis, & bene operantibus ex gratia sanctificante singulariter meruit, vt eam illis mernerit etiam ad infallibiliter perseuerandum in gratia vsque ad finem vitæ; alijs verò efficaciter quidem ad instificationem, & ad bene operandum ex ea, non tamen ad infallibiliter perseuerandum in ea vsque ad finem vitæ.* Duæ sunt partes propositionis. Prior probatur, ex capite decimo septimo sancti Ioannis, vbi Christus applicat sua merita Apostolis orando Deum Patrem vt dignetur non tantùm eos conseruare, sed & perseuerantiam in gratia vsque ad finem illis concedere. *Pater sancte serua eos quos*

B *dedisti mihi.* & paulò pòst, *Non rogo vt tollas* VI. *eos de mundo, sed vt serues eos à malo*, nimirùm *virtute Dei omnipotentis tentationum impetus superante*, inquit sanctus Cyrillus libro vndecimo in sanctum Ioannem, capite vigesimo tertio: & paulò pòst ita prosequitur, *Nunc ad te venio, hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis, ita decedens ex hoc sæculo, & tam non morituras*, id est, à te postulo, vt sint tam perfecti ac ego sum, ac proinde aliquando fruantur vita æterna qua iam ego fruor. Et quòd Christus non solis Apostolis, sed etiam omnibus alijs saluandis meruerit singulariter efficacem hanc suorum meritorum applicationem, intelligitur ex eodem capite: nam subiungit se totum id, quod nunc postulauit pro Apostolis, etiam postulare pro iis omnibus, & singulis, qui per illos & eorum successores in promulgando Euangelio erant in eum credituri, & saluandi, *Non*

C *pro eis* (id est Apostolis) *autem rogo tantùm,* VII. *sed pro eis, qui creditursi sunt per verbum eorum, in me*, & quod ibi oret efficaciter per omnibus tantùm saluandis, patet ex istis eius verbis, *Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum.* Primò quidem ex hac particula, *quos dedisti mihi*, nam in nouo Testamento soli saluandi dicuntur Christo Domino dati à Deo Patre, vt sanctus Augustinus tractatu centesimo vndecimo in sanctum Ioannem docet, vbi animaduertit hæc duo distingui, *Deum Patrem dedisse Christo homini potestatem omnis carnis, seu hominis, & Deum Patrem dedisse aliquos homines Christo Domino*: primùm denotare potestatem iudicandi viuos & mortuos: secundum verò significare eos VIII.

D quibus de facto Christus est daturus vitam æternam. *Sed*, inquit ibi sanctus Augustinus, *eos* (supple ostendit) *sibi esse datos, quibus omnibus det vitam æternam; sic enim ait, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam, proinde non ei dati sunt, quibus vitam non dabit æternam; quamuis & ipsorum potestas data sit cui potestas data est omnis carnis, id omnis hominis*: secundò idem colligitur ex hac posteriori particula, *volo vt vbi ego sum, & illi sint*, id est in cælo fruantur mecum vita æterna, vt sanctus Augustinus ibidem explicat, quod vtrumque solis saluandis seu prædestinatis conuenit: ergo Christus Dominus speciali quadam oratione, omnis enim eius oratio facta ex deliberata & absoluta voluntate (qualis est præsens) fuit meritoria eius, ad quod illam ordinauit, pro-

I. meruit singulariter aliquibus, seu omnibus & singulis saluandis efficacem suorum meritorum applicationem ad consecutionem gratiæ ad bene & perseuerantèr viuendum in statu gratiæ sanctificantis vsque ad vltimam suæ mortalis vitæ periodum.

Posterior pars eiusdem propositionis etiam probatur omnibus rationibus allatis pro prima nostra propositione : nam illæ procedunt de omni gratia, seu gratuito beneficio ordinante hominem, cui de facto datur, ad vitam æternam : actuales autem illæ gratiæ, imò & habitualis quæ de facto datur aliquando iis qui sunt de numero damnandorum, licèt careat finali perseuerantia, quia tamen illis datur à Deo ad finem vitæ æternæ, tunc semper eis confertur ex eo Christi Domini merito, quo hanc actualem suorum meritorum applicationem illis promeruit, & ex eorum negligentia prouenit quòd in tali gratia sibi de facto collata per istam efficacem Christi Domini applicationem non perseuerent vsque ad finem vitæ, vt expressè de ipso proditore Iuda & aliis reprobis docet sanctus Cyrillus citato libro in sanctum Ioannem vndecimo capite vigesimo-secundo, circa finem : nam vt rectè Concilium tradit sessione sextâ capite decimo-tertio, homo prius deserit Deum, quàm à Deo deseratur : neque hîc obstat primò, quòd eiusmodi actuales gratiæ, item & hominis iustificatio consequens illas carens tamen finali perseuerantia, non sint aliqui effectus prædestinationis : nec secundò, quòd à nonnullis Theologis dicantur tunc dari ex generali tantùm prouidentia, non autem ex speciali, hæc, inquam, non obstant : primum quidem, quia quemadmodum vocatio hominum ad vitam æternam, facta per Deum & Christum, latiùs patet efficaci electione hominum, ad gloriam æternam, iuxta illud Christi Domini, *multi vocati, pauci verò electi* ; sic etiam non tantùm sufficientia meritorum Christi Domini, sed etiam efficax illorum applicatio, sumpta in significatione amplissima, latiùs patet ipso prædestinationis sumptæ propriissimè effectu genericè sumpto. Adde inter conditiones effectus prædestinationis hanc etiam requiri, nimirùm quòd ita concurrat efficaciter ad consecutionem vitæ æternæ, vt hæc tandem reipsa obtineatur. Quod in ista posteriori applicatione efficaci meritorum Christi Domini locum non habet. Secundum item non obstat, nam istud hoc tantùm sensu est verum, quòd scilicet eiusmodi gratiæ tunc non dentur à Deo ex illa efficaci intentione, quæ est propria prædestinationi, & quâ omnes & singuli effectus tandem perducùt infallibiliter hominem ad vitam æternam ; sed ex illa tantùm intentione Dei (ordinis tamen supernaturalis) quæ respondet ei diuinæ voluntati, quam Theologi vocant communiter, *antecedentem*, qua vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis peruenire.

II.

III.

IV.

Tertia propositio. *Ante Incarnationem Verbi diuini efficax applicatio meritorum Christi facta fuit per aliquem* actum creatæ eius voluntatis, *tunc in sola præuisione Dei existentem : post peractum verò Incarnationis mysterium facta fuit per aliquem actum de nouo elicitum ab illo vt homine.* Propositio statuitur, vt modus ille, quo Christus fecit hanc applicationem, explicetur : & primò, quòd hæc applicatio requirat aliquem actum humanæ voluntatis Christi Domini, probatur. Omnis ordinatio proprij meriti in bonum huius, & istius, in particulari, ad hoc, & istud bonum ei procurandum importat formaliter & intrinsecè aliquem actum voluntatis eius qui habet tale meritum quo vult hunc & isti hoc & istud bonum : sed efficax applicatio meritorum Christi Domini, superiùs explicata est talis quædam ordinatio suorum meritorum in bonum huius, & istius, & ad tantam & tantam quantitatem, in qua hic & ille eam de facto accipit : igitur efficax applicatio meritorum Christi facta hominibus, requirit formaliter & intrinsecè aliquem actum humanæ voluntatis Christi Domini. Secundò, illud ex cuius defectu, & carentia factum est vt dæmones non sint redempti per Christum, requiritur ad efficacem applicationem meritorum eius, quia hæc sunt valoris longè maioris in ratione pretij condigni, quam omnia omnium hominum & Angelorum peccata sint malitiæ infinitæ, vt ex professo docuimus ad primam quæstionem huius partis, disputatione quintâ : articulo quinto & sequentibus : sed illud, ex cuius carentia, quantum est parte Christi Domini, factum est vt dæmones non sint à Christo redempti, est ipsa per eius voluntatem ordinatio suorum meritorum ad saluandum illos, seu ad satisfaciendum pro illis : igitur ordinatio Christi Domini per aliquem actum eius voluntatis humanæ requiritur ad efficacem applicationem meritorum eius faciendam aliquibus.

V.

VI.

VII.

VIII.

Quod item actus iste fuerit à Christo Domino in primo instanti suæ conceptionis elicitus, pro tali applicatione facienda omnibus iis quibus est facta ante peractum Incarnationis mysterium, probatur. Christus Dominus habuit illo instanti aliquem actum applicationis, quo primùm intellexit Deum Patrem habuisse voluntatem saluandi homines per eius merita, & his & istis hæc & ista voluisse media, quia saluatio generis humani constat tam applicatione meritorum Christi Domini quàm diuini Patris acceptatione illorum ad hunc effectum, sed iuxta Apostolum ad Hebræos decimo capite Christus primo illo instanti suæ conceptionis intellexit hanc esse Dei Patris voluntatem saluare *homines per eius merita*, his & istis, hæc & ista dona gratiæ, vt fundata in eius meritis, voluisse : ergo Christus primo illo instanti suæ conceptionis habuit actum quo fecit applicationem illam efficacem suorum meritorum iis qui mysterium Incarnationis præcesserunt. verba Apostoli sunt hæc, *Ingrediens mundum*, scilicet Christus, *dicit hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi : holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Superiùs dicens quia hostias, & oblationes, & holocaustomata & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam.* & paulò pòst, *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel*, quo loco hæc particula, *ingrediens mundum* significat primum instans conceptionis Christi Domini : tunc enim propriè Christus, vt homo, est ingressus mundum ; illud verò *vt faciam voluntatem tuam,*

I. continet explicationem eius volitionis, qua Deus gratum habuit homines saluari per applicationem meritorum Christi, & alia sequens particula, *Ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam*, importat actum illum elicitum, quo hanc suorum meritorum adhuc futurorum applicationem fecit in isto primo instanti : nam quòd hæc Dei voluntas sit de hac Christi Domini applicatione facta etiam hominibus qui iam præcesserunt, patet ex eo quòd ibi arguat sacrificia veteris legis insufficientiæ, & loco illorum pro consequendo effectu substituat cruentum sacrificium Christi Domini, tum etiam ex eo quòd istud Apostoli. *In qua voluntate sanctificati sumus*, tam bene intelligitur de iis qui præcesserunt Incarnationem Verbi diuini, quàm de iis qui illam sunt subsequuti, cùm gratia nulli hominum fuerit vnquam concessa, nisi ex me-

II. rito Christi Domini; tandem quòd iste actus Christi Domini, prout ese terminat ad eos qui præcesserunt Incarnationem Verbi diuini, fuerit in præuisione Dei, patet ex illo, *in capite libri scriptum est de me*, quod significat istud prænuntiatum à Dauide in veteri Testamento, & ex consequenti existens in præuisione Dei ante peractum mysterium Incarnationis; modus autem, quo Christus ingrediens mundum habuit actum quo prædictam suorum meritorum efficaciam applicat hominibus qui præcesserant, facilè intelligitur ex dictis suprà de scientia animæ Christi per se infusa : nam ad quæstionem nonam disputatione tertiâ articulo secundo, docuimus illam fuisse Christo Domino necessariam ad meritum, & ibidem articulo primo, fuisse in illo primo instanti suæ conceptionis: Item disputatione septimâ articulo quarto ad quæstionem vndecimam, Christum in vsu hu-

III. ius scientiæ non indiguisse conuersione ad phantasmata ; item habuisse aliquem eius vsum primo instanti suæ conceptionis; item potuisse plura obiecta per plures species sibi repræsentata vno & eodem actu cognoscere, eadem disputatione septimâ, articulo octauo, & præcedenti secundâ disputatione articulo quarto : quare cùm voluntas illustrata per intellectum possit elicito actu ferri in obiectum sibi debitè per species repræsentatũ, & omnia necessaria ad hũc actum volitionis, tam ex parte obiectorum quàm ex parte vtriusque potentiæ intellectus & voluntatis essent sic admodum expedita, facilè intelligimus Christum Dominum in tali primo instanti suæ conceptionis non tantùm potuisse, sed etiam, iuxta veritatem prophetiæ superiùs ab

IV. Apostolo ad Hebræos explicatæ, de facto habuisse prædictum actum quo voluit hominibus, qui illum præcesserunt, suorum meritorum applicationem prædicto modo efficacem, similiter per alios actus à se ipso post hoc mysterium elicitos aliis hominibus, qui hoc mysterium iam peractum sunt subsecuti, vt ampliùs constat ex dictis in probationem secundæ nostræ propositionis.

V.

AD QVÆSTIONEM XX.

DISPVTATIO VNICA.

De subiectione Christi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Christus quatenus homo fuerit subiectus Deo Patri.

VI. NOTANDVM est *triplicem posse dari subiectionem*, quarum *prima* sonat tantùm *inæqualitatem naturæ, secunda, inferioritatem ad alterum, & ad eius potestatem ; tertia, obedientiam præstandam* tamquam *superiori* & præcipienti : duas primas subiectiones fuisse in Christo Domino secundùm humanitatem considerato, nulli potest esse ambiguum ; nam ipsemet Christus Dominus S. Ioannis 14 ait, *Pater maior me est*, vt omnes Catholici intelligunt de Christo Domino spectato secundùm humanitatem, & comparato ad Deum Patrem ; item omnis res creata iuxta secundum modum est subiecta Deo : atqui humanitas Christi est creata : ergo Deo subiecta. Restat igitur sola difficultas de tertia illa subiectione, pro qua explicanda sit hæc nostra propositio. *Christus Dominus fuit subiectus Patri, quatenus subiectio significat obedientiam præstandam alteri, tamquam præcipienti.*

VII. Probatur primò. Christus Dominus apud sanctum Ioannem capite 1. & 14. ait, *sa accepisse à Patre mandatum moriendi pro nobis*; & licèt hoc nomen, *mandatum*, sumatur aliquando latiùs in Scripturis, quatenus nimirùm, ea quæ nobis cõmendantur, nec tamen præcipiuntur, appellantur mandata ; nihilominùs tamen communiter in Scripturis, *nomine mandatorum*, intelliguntur *præcepta, & prohibitiones*; & locis nunc citatis Christus Dominus parem facit conditionem, in ratione præcepti, præceptorum sibi à Patre impositorum, conditioni præceptorum quæ imposuit Apostolis : atqui Christus Dominus dedit Apostolis vera & propriè dicta mandata seu præcepta.

VIII. Deinde ad Philippenses 2. dicitur Christus *factus obediens vsque ad mortem crucis*. At perfecta ratio obedientiæ est respectu præcipientis aliquid, est enim obedientia specialiter virtus, qua quis obedit superiori aliquid sibi præcipienti. Necest quòd quis dicat ex sancto Thoma secundâ secundæ, quæstione centesimâ quartâ, articulo secundo : & ex sancto Bernardo libro de dispensatione & præcepto, actum excellentiorem obedientiæ esse, quando quis obedit prælato, in his etiam ad quæ non obligatur dummodò licita sint ; & inferiorem eo censeri magis obedientem, quo exequitur voluntatem superioris sibi quidem cognitam, non tamen intimatam, & per præceptum expositam : nam duobus modis potest actus aliquis etiam obedientiæ esse excellentior. Primò, *Quando magis verè & propriè participat essentialem rationem actus virtutis* obedientiæ propriissimo & strictissimo modo sumptæ, quo modo loquendo physicè, & in rigore scholastico, actus obedientiæ debet esse circa rem præceptam, sumpto propriè nomine præcepti, quia obedientia est aliqua pars

I. subiectiua virtutis iustitiæ, quæ versatur circa debitum. Secundò, *Quando magis attingit ipsum finem obedientiæ* & fructum, qui ex actu obedientiæ expectatur, maiorem & cumulatiorem confert ad eum ferè modum, quo Patres loquendo de communione corporis Christi dicunt, *Veram eius communionem esse, eius passioni participare*, & non eius corpus & sanguinem ore percipere, quæ tamen communio non est propriè realis & physica, si sumatur sola excludendo realem seu oralem. Iam quando sanctus Thomas & alij dicunt actum illum obedientiæ esse excellentiorem qui fit à nobis nondum etiam intimatione præcepti facta, loquuntur tantùm de eo penes quod attenditur maior fructus in virtute obedientiæ, non autem de eo penes quod attenditur magis essentialis ratio &
II. constitutiua obedientiæ; & cùm in virtute obedientiæ duo illa possint considerari, *substantia eius seu essentia, & fructus*; hæc inter se conferunt hunc isti præferendo, quia fructus iste importat in operante maximam præparationem animi ad obediendum in omnibus suo superiori, quod est intrinsecum virtuti obedientiæ; quæ duo cùm perfectionem dicant sine imperfectione in Christo, verba item sacræ Scripturæ, iuxta receptissimam Patrum regulam debeant, quantum fieri potest, accipi in propria significatione, fit vt sit dicendum testimonia illa Scripturæ de obedientia Christi, & præceptis ei datis, debere intelligi in rigore & modo loquendi proprio.

Quod ampliùs confirmatur ex comparatione quam S. Paulus ad Romanos quinto instituit inter obedientiam Christi Domini, & inobedientiam Adæ: hæc enim fuit contra præceptum propriè sumptum, alias primus parens non peccasset, nec nos in illo, quod est hæreticum: ergo vt antithesis Christi Domini ad Adamum, & actus eius ad peccatum Adæ sit legitima, debet actus Christi Domini esse veræ & propriè dictæ obedientiæ. Quando verò Patres aliqui dicunt mortem Christi Domini fuisse à Deo tantùm *permissiuè*, & non *ex efficaci & præcipiente voluntate*, loquuntur tantùm de ea, prout tenet se ex parte Iudæorum & aliorum eam Christo Domino infligentium, non autem prout illa se tenet ex parte Christi Domini, illam patientis & pro nobis subeuntis. cùm enim Deus non sit author peccati, Iudæi verò grauissimè peccauerint Christum occidendo, Deus eis non præcepit hunc actum, sed tantùm permisit, passionem verò & mortis sustinentiam, quæ est actus maximæ charitatis & fortitudinis tenens se ex parte Christi, ei præcepit.

III.

IV.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

OBIECIES. Primò, præcepta dari alicui propter duo: vel primo ad directionem tantùm faciendam in ipsa voluntate operantis, vel etiam ad inflictionem pœnæ, quatenus lex est punitiua propter transgressionem sui: at neutro modo datum fuit Christo præceptum aliquod etiam moriendi pro nobis; non primo, quia erat impeccabilis, vt suprà ostendimus, & voluntas eius satis sufficienter dirigebatur speciali modo à diuina voluntate sine aliquo præcepto superaddito: non etiam posteriori modo, quia metus pœnæ sapit seruitutem quæ nulla erat in Christo: item vbi transgressio legis nulla potest esse, ibi etiam nulla potest prudenter adiungi legi pœna infligenda, quia deest Legislatori ratio motiua ad pœnam constituendam, quæ est continere subditos in obseruatione legis quam possunt infringere: ergo Christo Domino non potuit dari præceptum aliquod propriè dictum.

A

Confirmatur hæc obiectio: Eadem omninò est ratio voti propriè dicti ac præcepti propriè sumpti quoad capacitatem in subiecto: nam sicut votum emittitur ab homine, vt, quia eius voluntas non est firmata in bono, illam vouendo firmet immobiliter ad id quod expedit facere, vt docet sanctus Thomas secundâ secundæ, quæstione octogesimâ octauâ articulo quarto in corpore: & id facit, vt timore inhonorandi Deum, & violandi promissum abstineat ab eius contrario: ita etiam datur præceptum alicui ad eum dirigendum, quia eius voluntas non est firmata in bono, sed potest ab eo deficere & præterea vt memor pœnæ transgressori inflictæ, abstineat ab eius contrario. Vnde præceptum sumptum in rigore importat duo prædicta, scilicet *directionem*, & *coactionem*: atqui Christus Dominus etiam vt homo non fuit capax voti propriè dicti, vt expressè tradit sanctus Thomas, loco nunc citato in responsione ad tertium obrationem hîc allatam: igitur nec fuit capax præcepti propriè sumpti.

B

V. VI.

Nec obstat quòd in sacris Litteris suprà dicatur præceptum Christo Domino datum. Nam & votum eidem tribuitur, vt Psalmo 115. & alibi, & nihilominùs sanctus Thomas in responsione citata dicit verba illa, *Non verificari proprie de Christo*, sed de Ecclesia & de Christo tantùm in persona Ecclesiæ: ergo pari iure quando præceptum dicitur in sacris Litteris datum Christo Domino, erit illud intelligendum de præcepto impropriè & latissimè sumpto.

C

VII.

Respondetur negata Maiori, si intelligatur vt debet procedere *de proprio, & adæquato sine legis*, seu præcepti propriè dicti, prout illud etiam distinguitur *à consilio* cum quo habet sibi commune vt dirigat, quemadmodum docet sanctus Thomas primâ secundæ, quæstione 17. articulo 3. ad 2. sed præceptum, vt à consilio distinctum, datur propriè ad obligandum, vt docet sanctus Thomas primâ secundæ, quæstione 92. articulo 2. ad primum, & sequenti 93. articulo 2. est enim præceptum, seu lex imperium procedens à voluntate efficaci obligandi eius qui potestatem habet, quæ obligatio considerando legem præcisè abstrahendo ab hac & illa lege non respicit primò & per se pœnam; est enim indignum optimo Legislatore primò, & per se pœnam intendere: sed pœna tantùm intenditur consequenter & secundariò, quando scilicet, is cui fit præceptum, est capax violandæ legis: vnde quando est incapax, sicut est Christus, obligatio legis affirmatiuæ ei impositæ cadit primò & per se in actum lege ei præceptum, itavt cùm antea posset illum exercere tantùm de consilio, & absque obligatione, nunc strictiori vinculo, scilicet *præcepti*, obligetur eum facere. Atque primò, hoc sensu legem omnem esse *coactiuam*, id est, *obligatiuam*, ad aliquid abstrahendo à pœna, vel ab aliquo alio etiam provt distinguitur à consilio, docet sanctus Thomas citata

D

VIII.

quæstione

I. quæst. 17. Caiet. tomo 1. Opuscul. quæst. 2. Soto lib. 1. de iustitia & iure quæst. 6. art. 7.

Ad confirmat. respondetur. Si votum non sumatur secundùm quamlibet rationem finalem, iuxta quam potest fieri in particulari, sed secundùm eam iuxta quam potest validè fieri, seruato etiam rigore voti, nos admittere eamdem esse rationem voti ac præcepti, & ex consequenti Christum vt hominem potuisse aliquid velle & facere ex voto propriè sumpto, quia tota & sola finalis ratio voti non est illa quæ refertur in obiectione, sed cùm ex S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 5. votum sit aliquis actus latriæ, seu religionis, potuit Christus vt homo velle ex voto orare Deum Patrem, ieiunare, item offerre sacrificium, vt sic Deum coleret, & protestaretur se,
II. vt hominem, esse illo inferiorem, hoc enim totum nullam includit imperfectionem, vel indecentiam: vnde quando S. Thom. loco in obiectione citato negat Christũ fuisse capacem voti, tantùm intelligitur quatenus votum fit ex illa duplici causa in obiectione contenta, nam prò vtilitate voti quam asserit illo articulo, illam vtramque ponit expresè in corpore: vnde ad mentem eius quòd dixerat in corpore negauit Christum vt hominem esse capacem voti.

Secundò obiicies. Vbi est præceptum, ibi est necessitas exequendi illud: quia præceptum inducit obligationem: at Christus D. Ioan. 10. negat se habuisse necessitatem moriendi; *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* ergo Christus Dominus non habuit propriè præceptum moriendi pro nobis.

Respondetur, Christum loco illo S. Ioan. cap.
III. 10. ponere discrimen inter seipsum & alios, quòd alij moriantur necessitate naturæ, nec possint animã retinere in corpore, vel etiam separatã ei iteriũ vnire, Christus verò non moriatur necessitate naturæ, & possit iterum animã suam sumere.

Tertiò obiicies, S. Basilium libro de Spiritu sancto cap. 8. S. Chrysost. homil. 59. 68. & 76. in S. Ioan. & aliquos alios Patres dicere Christum non fuisse capacem præcepti, vel eum nullum habuisse præceptum.

Respondetur. S. Basiliũ & alios Patres, dum sic loquuntur, id tantùm intelligere de Christo D. spectato secundùm diuinitatem, & suam personam præcisè sumptam, tunc enim disputant contra Arrianos; vel loquuntur de præceptis spectatis secundùm modum, quo solent nobis imponi, nimirum *ad directionem*, & *ad corroborandam voluntatem* quæ aliàs, sibi relicta, id non
IV. faceret, in quem finem lex non fuit Christo necessaria. Atq; ex his constat præcepta non fuisse imposita Christo secundùm vimcoactiuã, prout coactio denotat inflictionem pœnæ alicuius, propter transgressionem præcepti, cùm fuerit impeccabilis: sed vt illos actus exerceret ex obligatione, sicque maioris essent perfectionis; item vt modus satisfaciẽdi pro nobis per actum veræ obedientiæ, esset magis proportionatus ei modo, quo per inobedientiam primus parens peccauit, & nos in illo: tertiò, quia in forma serui accepta satisfaciebat: est autem serui accipere præceptum à superiori & illud exequi.

ARTICVLVS III.

Quibus legibus Christus fuerit subiectus.

SIT hæc prima nostra propositio. *Christus fuit subiectus legibus iuris naturæ, tàm ordinis naturalis, quàm supernaturalis, quæ tamen dignitati personæ eius non disconueniebant.* Ratio est, quia Christus D. assumpsit naturam humanam cum conditionibus quæ illã sequuntur, exceptis peccato & ignorantia: atqui præcepta iuris naturæ sequuntur naturam humanam, item continent rectum ordinem quem rationalis creatura debet seruare, & contra quem Christus non potuit operari. Dixi inter respondendũ (ordinis etiam supernaturalis,) cùm enim anima Christi D. esset ordinata ad finẽ supernaturalem, respectu cuius dantur media quædam necessaria (cuiusmodi est dilectio supernaturalis) fit vt huic & aliis similibus præceptis fuerit Christus vt homo subiectus.

Addidi secũdò inter respondendũ hanc particulam restringentem (quę tamen dignitati personæ eius non disconueniebant) nam dignitas personæ Christi D. postulabat, vt ab aliquibus legibus etiam iuris naturæ eximeretur, exempli gratia, iure naturæ debemus parentibus obedientiam: at Christus D. eam matri suæ Beatiss. Virgini, cùm esset illa superior, non tenebatur præstare: ideóque quod Lucæ 2 dicitur de illo, *Et erat subditus illis*, scilicet Beatissimę Virgini & Ioseph, non est intelligendum ex obligatione præcepti naturalis, sed tantùm ex libera eius voluntate, & ad nostram institutionem, vt significant S. Gregor. Nazian. oratione in illud Apostoli, *Quando sibi subiecerit*, &c. S. Bernard. sermone 29. in Cantica Canticorum.

Secunda propositio. *Christus non fuit subiectus legibus humanis*: & contrarium fuit condemnatum à Ioanne xxij. tanquam erroneum, & colligitur hæc propositio ex 27. S. Matthæi, vbi Christus significauit se soluere tributum, non ex obligatione, sed ex volũtate, ne alij scandalizarentur: & ratio est quia inferior non potest obligare superiorẽ suis legibus: At Christus est superior omnibus regibus & legislatoribus humanis.

Tertia propositio. *Christus non fuit subiectus legibus positiuis, tàm noui quàm veteris Testamenti.* Ita S. Thom. infrà quæst. 27.

Probatur de legibus noui Testamenti, quia princeps est solutus suis legibus, & præcipuè quando lex respicit subditos, quatenus sunt in aliquo statu dissentaneo à statu legislatoris, vt patet quando Princeps fert legem de soluendis tributis: atqui Christus est auctor noui Testamenti, & lex noui Testamenti respicit homines, quatenus sunt aliquo modo peccatores.

Probatur idem de veteri, quia lex vetus tantùm fuit data pro Adæ posteris descendentibus via seminali, tùm ratione finis, tùm ratione
VIII. medij: at Christus hoc modo non descendit ab Adam, vnde quando ad Galat. 4. dicitur Christus *factus sub lege*, debet illud intelligi de voluntaria Christi subiectione in exemplum humilitatis, illud autem Matthæi 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere*, rectè intelligitur de adimpletione figuræ per exhibitionẽ veritatis.

Quæres secundò. An propter ista omnia hæc propositio, *Christus est subiectus Patri*, sit simpliciter & absolutè vera, & sine vlla determinatione admittenda.

Respondetur, ex sancto Thoma hîc in responsione ad primum, idem esse iudicium de ista propositione, ac de hac, Christus est creatura, quia subiectio Christi ad Patrem fundatur in eius creatione & dependentia à Deo: atqui ex dictis suprà propositio hæc, Christus est creatura, non est simpliciter & absolutè vera

I. in rigore sermonis, nec est sine determinatione admittenda: ergo neque ista propositio, Christus est subiectus Patri.

Obiicies passim in Scripturis & Patribus propositionem hanc absolutè & simpliciter efferri, Christus est mortuus, cuius tamen attributum tantùm conuenit ratione humanitatis: ergo à pari licèt, esse subiectũ, tantùm conueniat Christo ratione humanitatis, non desinet prædicta propositio esse simpliciter & absolutè vera.

Respondetur, ex vltima nostra propositione de communicatione idiomatum, quando prædicata sunt ambigua, ea tantùm tribui Christo cum additamento, prædicatum verò istud, *subiectum*, esse ambiguum, hoc verò (*mortuum*) minimè, ideóque hanc propositionem, Christus est mortuus, esse simpliciter veram, priorem verò non
II. nisi cum additione. Quod autem prædicatum istud, *subiectum*, sit ambiguum, prædicatum autem, *mortuum*, minimè, patet, quia non est ita euidens nobis, prout tantùm imperfectè cognoscimus Deum in hac vita, repugnare eius Filio, prout est Deus, esse subiectum Patri suo: At euidenter nobis constat eum prout est Deus non posse mori: nam admissa diuinitate Verbi euidenter conuincitur intellectus eidem cõcedere immortalitatem, quia eo ipso quo aliquis est propriè Deus, eo ipso cognoscitur naturaliter non esse obnoxius morti: at eo ipso quo cognoscimus Verbum procedere à Patre tãquam proprium eius Filium, non statim cognoscimus euidenter Filium hunc non esse subiectum suo Patri, quia ex rebus creatis assurgimus in cognitionem Dei, & in humanis ferè semper vt plurimũ
III. & maiori parte filij subdũtur parentibus. Dum aurem dicimus, *Christus est mortuus*, statim vnusquisque Christianus facilè intelligit absque vlla alia additione id ei competere tantùm ratione humanitatis.

A mali ratione seruitutis: atqui totum istud reperitur in qualibet creatura in ordine ad Deum, prout creatura est, nam & in esse & in conseruari dependet à Deo, potestque Deus vtendo iure suo absoluto illam destruere, item ordinatur in Deum tanquam finem vltimũ: & si sit rationalis creatura tenetur se & omnes suas actiones in illum dirigere, & si quem alium vltimum finem sibi constituat, iam peccat: ergo quælibet, creatura qua creatura est, verè & propriè dicitur serua in ordine ad Deum. V.

Secunda seruitus est *legalis & despotica*, quæ lege & non prima ipsius naturæ institutione est introducta, secundùm quam aliqui ita sunt sub dominio alterius, vt sint illius quoad omnes suas actiones & operationes temporales, eáque in eius bonum teneantur impendere, in qua specie
B constituuntur, non tantum serui emptitij, sed VI.
etiam conductitij, pro eo tempore quo seipsos & suas operas locant aliis.

Tertia seruitus est subiectio creaturæ rationalis ipsi peccato vel diabolo, quatenus ipsa peccans, fit eius seruum constituit, iuxta illud Ioan. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.*

Quarta & vltima seruitus consistit in illo affectu, quo creatura rationalis obedit Deo, tantùm metu pœnæ subeundæ, quo modo Apostolus ad Rom. 8. ait, *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore*, est enim hoc proprium seruorum.

Notandum secundò inter primam seruitutem & reliquas id esse discriminis, quod prima non repugnet ingenuitati, sed illam compatiatur secum, sicut & ius adeundæ hæreditatis: nam & primus parens ante peccatum, & eius posteri si perseuerassent in statu innocentiæ, fuissent serui Dei hoc genere seruitutis, vt satis per se intelligi-
C tur, & nihilominus vi iustitiæ originalis, in illis VII.
ad extremum vsque spiritum permanentis, habuissent ius ad vitam æternam, cõmunicasse ntq; in bonis ipsius Dei, cùm gratia sanctificãs, quam importat iustitia originalis, sit singularis quædam diuinæ naturæ participatio, ratione cuius nominamur & sumus Filij Dei, item & omnes iusti sunt serui, hoc genere seruitutis: nam & Beatissima Virgo Deipara in suo Cãtico *ancillam Dei* se vocat, & passim omnes Sancti, & nihilominus sunt maximè ingenui & liberi: imò vt canit Ecclesia in publico officio Beatæ Agathæ, *summa ingenuitas est, in qua seruitus Christi comprobatur*, & vt notat S. Hieron. ad illud psalm. 115. *O Domine quia ego seruus tuus. Grandis dignitatis est, & meriti, esse seruum Domini*; & S. Ambros. lib. 1. de Iacob & vita beata cap. 3. talem seruitutem
IV. D vocat *libertatem* gloriosam, & S. August. ad ci- VIII.
tatum versiculum Psal. 115. ait creaturam debere creatori suo famulatum, *Quem* (inquit) *cum exhibet libera est, hãc accipiens à Domino gratiam, vt ei non necessitate, sed voluntate deseruiat*: igitur seruitus hæc bene stat cum ingenuitate & libertate, reliquæ autem superiùs enumeratæ seruituris species minimè, vt satis constat illarum explicatione.

Iam quando cum S. Thoma concludimus Christum vt hominem esse seruum Dei, id tãtùm intelligimus de prima illa seruitute, non autem de tribus aliis seruitutis speciebus, secũdùm quas negamus Christũ esse aut fuisse seruum: & hæc posterior nostræ propositionis pars est de fide, ex citato Cõcilio Francfordiensi definita contra Felicem & Elipandum. Illi enim non primum seruitutis genus, sed reliqua tantùm contende-

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Christus quatenus homo sit seruus Dei.

PARTEM negantem ita fusè docet Vasquez. hîc tota disput. 80. vt existimet illam fuisse definitam in Concilio Francfordiensi tempore Adriani I. contra Felicem & Elipandum Tolet. Archiepiscopos, vt videbimus articulo sequenti in solutione obiectionum.

Melior est affirmans sententia S. Thomæ hîc in responsione ad secundum, & omnium eius discipulorum, quæ vt intelligatur & simul concilietur cum his omnibus quæ Vasquez. proferet pro sua sententia,

Notandum est quadruplicem posse distingui seruitutem in sacris Litteris. Primam *naturalem* & generalem omnibus creaturis communem in ordine ad Deum, iuxta quam quælibet creatura est ita sub dominio Dei, vt ei deseruiat ad quodcumque voluerit Deus: ait enim sapiens cap. 16. sui libri, *creatura tibi factori suo deseruiens*, & quòd hæc seruitus sit vera, patet: nam tunc propriè est seruitus, quando aliquis ita est subditus alteri, vt non tantùm teneatur ei obedire tanquam superiori, sed etiam totum quod est, & habet, existit sub illius dominio & potestate, tenerúrque se, & omnia sua in bonum eius dirigere: sic enim seruus propriè dictus, totum quod est, censetur esse sui domini, vt potest intelligi exiis quæ tàm ipse Aristoteles in Politicis, quàm alij Philosophi & Iurisconsulti tradunt de for-

I. bant conuenire Christo, tùm quia omnes Scripturæ & Patrum authoritates quas contra illos congerit tàm Synodus Francoford. quàm Summus Pontifex Adrianus in suis epistolis, tantùm procedunt de aliqua seruitute ex his tribus postremis, vt constabit cuilibet eas diligenter consideranti; tùm etiam quia Patres in citata illa sua epistola ex eo quòd primus parens fuerit liber & ingenuus antequam peccaret, colligunt Christũ multo maiori titulo fuisse liberum & ingenuum, cùm nullum peccatum fecerit, tùm etiam ex eo quòd Deus Pater illum fecerit superiorem & excellentiorem omnibus Angelis, tùm etiam ex eo quòd Elipandus & Felix cùm essent Nestoriani, diuidebant enim Christum in duos, vt facilè colligitur ex confessione Elipandi, quam refert Vasquesius infrà disput. 89. cap. 2. scilicet in

II. vnum qui ex Virgine non sit natus, & omnia condiderit, sitque natura Filius Dei, & in alterum qui ex Virgine sit natus, & non natura, sed adoptione tantùm & gratia sit Filius Dei; hunc qui est ex Virgine dicebant esse seruũ captiuum, leprosum, quæ verba postrema intelligebant de captiuitate & lepra consistente in peccato. Nec obstat quòd ibidẽ in sua confessione dicat Christum eadem Dei & hominis persona fuisse agglomeratum; loquebatur enim ibi ad sensum Nestorianorum, qui admittebant in Christo vnitatem personæ non *secundùm rem*, sed *secundùm affectum, consensum voluntatis & dignitatem*, vt notauimus suprà ad quæst. 2. disp. 1. art. 4.

Prior verò pars nostræ sententiæ probatur primò ex sacris Litteris, quæ passim in veteri Testamento vocant Christum vt hominem seruum

III. Dei, Isaiæ 42. *Ecce seruum meum suscipiam*, qui locus Matth. 12. refertur ad Christum. Nec obstat quòd ibi apud S. Matth. *pro seruo* ponatur Græcè παῖς, quod nomen solet etiam sumi *pro filio*, tamen pro illo Vulgata editio Isaiæ 1. reddidit *seruum*: similiter & Act. 4. Christus vocatur *puer* Dei, *conuenerunt verè in Ciuitate istâ aduersum sanctum puerum tuum Iesum quem vnxisti*, & hoc nomen, *puer*, non semper sumi pro filio, sed etiam *pro seruo*, in nouo Testamento patet ex cap. 8. S. Matth. Vbi seruus Centurionis vocatur *puer*, & Patres dum hæc & similia testimonia explicant, illa intelligunt de Christo; nec verentur nomen *serui* illi concedere, imò pro tali eum secundùm humanitatem expressè agnoscunt, S. Ambros. lib. 5. de fide cap. 4. & 6. S. Augustin. epist. 178. S. Hieronym. ad citatum locum Isaiæ, & alij, quos fusè hîc referunt sancti Thom. Interpretes.

IV. Nec est quòd quis dicat eos fuisse loquutos impropriè, nam S. Cyrillus lib. ad Euoptium in defensione Anathematismi 6. negat nos vllo modo debere offendi, si quis propter voces Prophetarum asserat Christum esse seruum Dei, & voces in sacra Scriptura debent quantum fieri potest sumi in propria sua significatione, & in locis sacræ Scripturæ suprà citatis nullum appareret vestigium metaphoricæ & impropriæ significationis, sed potiùs propriæ iuxta primam speciem seruitutis, si consulantur tàm antecedentia quàm consequentia, quinimo S. Hieronym. ad citatum locum Isaiæ explicat Christũ recte *dici seruũ ratione humanitatis per vnionem* assumptæ, nulla etiam facta mentione eius passionis.

Probatur vltimò ratione. Quicquid est effectum, & creatum, habet etiam seruitutem primi generis superiùs explicati in ordine ad Deum,

A vero primo notabili obiecimus. sed Christus Dominus secundùm humanitatem est aliquid creatum, & effectum, vt patet ex dictis: ergo Christus secundùm humanitatem est seruus Dei. V.

Nec obstat quod ait Vasquel. disput. 80. cap. 11. solam rationem creaturæ non sufficere ad rationem seruitutis, illam tantùm aliquam subiectionem, quæ latiùs patet seruitute, cùm hæc vltra subiectionem postulet negationem communicationis in bonis: quæ tamẽ reperitur in Christo etiam vt homine: hoc, inquam, non obstat. Nam ad negationem seruitutis postulat Vasquel. vel negationem æqualis, & eiusdem omnino cõmunicationis in bonis respectu serui & domini, vel tantùm negationem aliqualis & minus perfectæ communicationis in bonis domini quam cõpetat domino: quodcumque dicatur, semper Christus secundùm humanitatem est seruus Dei, B si primum, quia certum est Christum vt hominem seu secundùm humanitatẽ non eodem modo habere bona illa superiùs cõmemorata à Vasquel. ac habet Deus; nam humanitas Christi etiam vnita Verbo non est beata per essentiam, non habet suum esse independens à quocumque alio superiore, nõ est purus actus, sed quocumq; modo spectetur semper est aliquid minus Deo, ab eo dependens, etiam quoad sui vnionem ad Verbum. si verò dicatur secundum, multo magis dicetur Christus vt homo, seu secundum humanitatem, seruus Dei, quatenus tantùm communicat in bonis Dei modo minùs perfecto quàm ipse Deus. VI.

Articvlvs V.

Soluuntur obiectiones Vasquesij. VII.

Obiicit primò Vasquesius, suam sententiam fuisse definitam in Concil. Francfordiensi tempore Adriani I. contra Fœlicem & Elipandum Toletanum Archiepiscopum, ex eo quòd Adrianus in sua epistola ad Episcopos Hispaniæ, non longè à fine, postquam ostendit Christum non esse dicendum adoptiuum vel seruum, dicit prædictos illos Episcopos hæreticos duos istos errores prædicasse in sua professione fidei, vt videre est, prout illam refert de verbo ad verbum Vasquesius, infra disput. 89. cap. 2.

Respondetur facilè ex dictis suprà Concil. illud tantùm negare tres postremas species seruitutis, & seruitutem hominis ad hominem: nam Adrianus Papa in sua epistola circa medium satis id innuit, dum ita prædictos hæreticos alloquitur, *Cur non veremini querere obtrectatores, Deo odibiles illum seruum nuncupare, qui vos de* VIII. *seruitute diaboli liberauit.* & paulò post, *Dominum igitur Angelorum omnisque creaturæ, cuius subpedibus cuncta subiecta sunt, vos dicitis seruum & adoptiuum.*

Secundò obiicit Concil. Alexadrinum in sua epistola, quæ apud S. Cyrillum est decima, & in Concil. Ephesino recepta, quod ita loquitur de Christo, *Verumtamen nec seruus est sibi ipsi nec dominus, quoniam ineptum est, vel potius impium, hoc sentire vel docere*; quæ posteriora verba satis indicãt prædictã propositionẽ spectare ad fidem.

Respondetur, illud Concilium tantùm prohibere vocare Christum, *Seruum Dei, vel Verbi ad mentem Nestorianorum*, qui Christum diuidebant in duos, in vnum Christum Verbum, & in alterũ Christum hominem, hunc que dicebãt esse seruum istius: & quòd hæc sit mens Concil.

I. patet ex hac ratione quàm subiicit. *Ne* (inquit Concilium) *in duo diuidatur vnus Christus.*

Tertiò obiicit, Adrianum Papam in citata sua epistola satis fusè docere Christum numquam in nouo testamento appellari seruum, sed filium, & eum semper vocare Deum Patrem suum, numquam Dominum, etiam quando erat in magna anxietate constitutus tempore suæ passionis; & quando Christus in veteri Testamento vocatur seruus, id esse intelligendum allegoricè.

Respondetur ad summum id intelligi de ipso nomine, non autem de re per tale nomen importata, vt iam obseruauimus ex Actibus Apostolicis, & Patribus: quia enim lex Euangelica est lex amoris, & nomen Filij magis sonat amorem quàm nomen serui, etiam iuxta primam speciem seruitutis, ideo Christus II. in nouo Testamento appellatur potiùs nomine Filij quàm serui. Ad id item quod ibidem ait summus Pontifex, quando Christus appellatur seruus in veteri Testamento, id esse intelligendum allegoricè. Respondetur id tantùm ab eo dici de aliquibus Scripturæ locis ibidem ab eo relatis, quæ ad literam intelliguntur de aliis, & per allegoriam de Christo explicantur à Patribus, vt Iob cap. 1. & Psal. 115. quemadmodum ibi refert summus Pontifex ex S. Gregorio, non autem de omnibus locis, quinimò ibidem ait Christum *propter seruilis formæ conditionem* quam sumpsit ex Virgine, *dictum fuisse seruum* in veteri Testamento.

Quartò obiicit alios Patres relatos à Francfordiensi Concilio, in sua epistola ad Episcopos Hispaniæ, satis longè à fine, scilicet S. Leonem homilia 2. de Natiuitate Christi, III. S. Augustinum homilia 29. asserentes quidem Christum fuisse in forma serui, sed tamen fuisse seruum negantes, quibus addit sanctum Chrysostomum homilia 13. in epistolam ad Hebræos.

Respondetur, authoritates Patrum istorum tantùm procedere de aliqua specie trium posteriorum seruitutum, vt cuilibet eas diligenter legenti constabit.

Quintò obiicit. De ratione formali serui est, ita constitui sub dominio alterius, vt eum eo nec in bonis, nec in honore, nec in sede communicet, sic enim Aristoteles primo Politicorum cap. 3. definit seruum: atqui Christus vt homo, seu secundùm humanitatem, ratione vnionis hypostaticæ communicat in bonis, in honore, in sede cum Deo Patre: nam primò humanitas Christi Domini habet diuinitatem in seipsa, item ratione vnionis hypostaticæ adoratur cultu latriæ, IV. vt dicetur infrà, & per communicationem idiomatum Christus homo vocatur *Deus*, tandem, *sedet à dextris Dei.*

Respondetur, Maiorem esse falsam, si procedat de æquali communicatione in bonis: nam simul cum filiatione & prima seruitute potest consistere non omnimoda, & æqualis in bonis participatio inter seruum & dominum, vt patet in iustis hominibus, qui simul sunt Filij Dei & eius serui: Deinde constat ex dictis hanc cõmunicationem bonorum non reperiri inter Christum & Deum Patrem: ex quo patet solutio ad confirmationem; iusti enim habent ius ad vitam æternam, nec tamen desinunt esse propriè serui Dei.

Vltimò obiicit. Seruitus opponitur filiationi naturali, & potiùs sequitur filiationem adoptiuam: sed Christus Dominus, etiam vt homo, V. non est Filius adoptiuus Dei Patris, vt expressè definitum est in citato Concilio Francfordiensi, & nos infrà docebimus: igitur Christus Dominus etiam vt homo, non est propriè seruus Dei Patris.

Respondetur, negando primam speciem seruitutis opponi filiationi naturali, & tantùm sequi filiationem adoptiuam, quia adoptiua filiatio dicit personam adoptati esse alienam & extraneam ei à quo adoptatur: vnde importat negationem filiationis naturalis: at prædicta seruitus, præsertim quatenus conuenit ratione naturæ creatæ, non importat aliquam cõtrarietatem ad filiationem naturalem, sed tantùm in Christo denotat aliquod attributum ei conueniens ratione naturæ assumptæ sicut alia humanitatis attributa, quæ cùm sint ex sua natura creata, VI. eo ipso quo sunt in subiecto diuinæ personæ vnito, non eximuntur à dominio Dei, & obligatione quam habent omnes creaturæ ad seruiendum Deo.

Cæterùm quòd spectat ad dubium quo quæri potest, an Christus sit sibi ipsi subiectus, facilis est solutio: nam cùm subiectio dicat ordinem ad alterum, & Christus non sit alter à seipso, quia habet vnicum suppositum, fit vt Christus propriè non sit, nec dicatur sibi subiectus, quo modo hæc propositio fuit condemnata in Concil. Ephes. relato hac quæstione articulo 2. tàm in primo argumento quàm in responsione ad illud. Si verò comparatio fiat inter naturas, cùm humanitas sit inferior, rectè dicetur subiecta diuinæ naturæ.

VII.

AD QVÆSTIONEM XXI.

DISPVTATIO VNICA.

De oratione Christi Domini.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm competat Christo orare.

DVPLEX distinguitur in Christo natura, diuina & humana, duplex item totius vitæ tempus, vnum ante mortem, alterum post resurrectionẽ; duplex item orãdi modus, verus vnus, simulatus alter, quando scilicet quis verè non orat vt accipiat quod petit, quia scilicet illud est in plena eius potestate, nec ad illud habendum indiget VIII. alio, sed tantùm habet se ad modum orantis, & de his omnibus potest circa Christum moueri quæstio.

Quod spectat ad primum, cùm oratio sumpta propriè sit actus inferioris superiorem deprecantis vt eum adiuuet, seu explicatio desiderij eius facta superiori, vt ab eo aliquid impetret quemadmodum docet S. Thom. secundâ secundæ, quæstione 84. & omnes Theologi etiam ex Patribus, sicque arguat in orante aliquam inæqualitatem ad eum quem orat, & inefficaciam ad præstandum id quod postulat, meritò censent omnes Theologi Christo secundùm diuinam naturam considerato non cõpetere orare siue pro se, siue pro aliis: nam secundùm illam est æqualis Patri tàm secundùm dignitatẽ quàm secundùm potentiam, cùm in omnibus diuinis

I. personis vna & eadem sit numero diuinitas, voluntas & potentia, & proinde Christus vt sic tantam habet efficaciam ad præstandum quod vult quantam habet Deus Pater, vel Deus Spiritus sanctus. Si verò spectetur Christus secundùm naturam humanam, iuxta quam est minor Patre & ei inferior, de fide est eum in præsenti vita, seu ante mortem aliquo modo orasse; nam passim in sacris Litteris id habemus expressum, vt Matth. 14. *Dimissa turba ascendit in montem solus orare*, Lucæ 6. *Erat pernoctans in oratione*. & ad Hebræos 5. dicit Apostolus de Christo adhuc mortali, qui in diebus carnis suæ preces supplicationésque ad Deum offerens, qui potest eum à morte saluum facere cum clamore valido & lachrymis orans exauditus est pro sua reuerentia. Item ex Patribus, vt S. Ambros.

II. libro quarto de fide ad Gratianum capite tertio, vbi distinguens propria officia naturarum quæ sunt in Christo ait cum secundùm hominem rogare, diuinitatem verò imperare. & ad citatum locum sancti Lucæ, capite sexto. Orat (inquit) Christus vt pro me obsecret: ex sancto, item Hieronymo ad locum citatum sancti Matth. 14. vbi similiter distinguens opera diuinitatis in Christo, ait illud Euangelistæ. ascendit in montem orare, pertinere ad Christum vt hominem. S. etiam August. tract. 104. in Ioan.

Quod spectat ad secundum, respondetur eum vt hominem verè & propriè non simulatè tantùm orasse.

Probatur, ex citat. Scripturæ & Patrum testimoniis, in quibus ipsa verba debent sumi secundùm propriam suam significationem quantum res ipsa patitur ex receptissima Patrum & Theologorum regula: at locis illis Christus dicitur

III. orare, & oratio sumpta propriè nullam habet contrarietatem seu repugnantiam ad Christum vt hominem: nam Christus secundùm humanitatem non fuit omnipotens, nec humana eius voluntas fuit per seipsam solam efficax ad implendum quicquid voluit: nec item æqualis, sed inferior, vt patet ex dictis, & obseruat S. Thom. hic tàm in corpore, quàm in responsione ad primum, & potuit voluntas humana Christi aliquid sibi aut aliis desiderare, desiderium istud Patri suo manifestare, eius adimpletionem optare, quia inferior vt inferior potest optare vt superior velit adimplere illud quod est intrinsecè bonum & honestum: ergo cùm Christus vt homo fuerit Deo Patre inferior etiam secundùm potentiam, & aliquid honesti vellet,

IV. potuit verè & propriè Patrem suum orare.

Hinc quando Patres aliqui vt S. Chrysost. homil. 63. in Ioannem agens de resuscitatione Lazari, ait Christum nô verè & ex animo orasse, sed tantùm simulatè quatenus sese erga Patrem habuit ad modum orantis, hæc simulatio ab ipsis Patribus non tribuitur Christo vt homini, sed secundùm diuinam naturam considerato, iuxta quam non est inferior suo Patre; hanc enim rationem suæ assertionis ibi reddit sanctus Chrysostomus, & hanc solutionem aliqui Patres sunt amplexi propter Arrianos, qui ex Christi Domini oratione arguebãt illum esse minorem Deo Patre; quod tamen argumentum Arrianorum etiam facilè poterat aliter solui, distinguendo scilicet naturas Christi & propria illarum opera, vt expressè facit sanctus Ambros. contra Arrianos citato loco, ex capite tertio libri 4. de fide ad Gratianum.

A ARTICVLVS II. V.

An Christus vt homo orauerit ex necessitate.

SENSVS articuli est, an Christus vt homo orauerit ex necessitate, itaut indiguerit oratione, siue pro se, siue pro aliis, an autem verè quidem orauerit, sed nihilominus tantùm ex quadam cõgruentia, scilicet vt nos suo exemplo instrueret, vel alia simili congruentia; vt hoc soluatur & concilientur inter se Patres, qui alioqui circa hoc videntur inter se aliquo modo contrarij,

Notandum primò est naturam humanam in Christo etiam vnitam Verbo posse duobus modis spectari: primò nudè & simpliciter secundùm ea quæ illi sunt propria, quæque habet ex

B præcisa vnione hypostatica secundùm suam substantiam spectata: secundò iuxta illa quæ ex VI. morali quadam congruentia illam consequuntur.

Notandum secundò duobus modis posse aliquid esse necessarium, vel absolutè & simpliciter, vel tantùm ex suppositione aliqua & conditione. His præmissis,

Prima sit propositio. Primò si natura humana Christi spectetur, iuxta primum modum primi notabilis, Christus vt homo orauit ex necessitate & indigentia, eáque absoluta & simplici.

Propositio satis exprimitur à sancto Thom. tàm in corpore quàm in solutione ad primum, quando ait conuenire humanæ voluntati Christi orare, quia non habebat omniporentiam & efficaciam adimplendi quæcumque vellet; hæc enim inefficacia & impotentia non tantùm arguit conuenientiam, sed necessitatem, & ex re-

C centioribus eam sequuntur Lessius de iustitia & VII. iure lib. secundo, cap. 37. dub. 5. num. 24. Vasquesius hic disput. 81. cap. 2. quam videntur ibi intelligere de humanitate vnita, prout etiam de facto habet ea quæ consequuntur ipsam eius vnionem ad Verbum.

Probatur autem. Voluntas humana Christi ex vi vnionis hypostaticæ ad Verbum, prout primo hoc modo consideratur, non est magis efficax ad aliquid exequendum quàm nostra, quia tunc nihil habet à Verbo præter nudam & simplicem rationem subsistendi, quæ vt sæpè obseruauimus nullomodò est principium operandi: sed voluntates nostræ orant ex necessitate & indigentia, vt docent Patres Concil. Carthag. apud S. August. epistola 95. & Innocent. I. apud eundem epist. 91. igitur & humana Christi Domini voluntas vnita Verbo primo illo modo spectata,

D debuit orare ex necessitate & indigentia.

Nec obstat quòd humana voluntas ex tali VIII. vnione sit facta potentior ad operandum saltem moraliter, & oratio vt impetratoria importet moralem tantùm efficientiam: nam vt aliquid possimus obtinere ab aliquo superiori absque necessitate orationis fundata in indigentia, non est satis loquendo præcisè, quòd in nobis sit aliqua condignitas ad illud habendum, sed præterea debet esse debitum aliquod in superiore ad illud conferendum, aliàs si inferior illo indigeat, nec supersit alia via obtinendi illud quàm via orationis, tunc inferior orans pro re ista, censetur orare ex necessitate & indigentia; vt videre est in humanis, dum aliquis æqualis vel superior rogat æqualem vel inferiorem, vt dignetur hoc vel illud facere quod ipse superior per se non potest præstare: atqui posita quantacumque morali efficientia in humana

I. voluntate Christi ex vi eius vnionis ad Verbum, Deus non obligatur dare ei omnia quæ tàm pro se quàm pro nobis obtinuit, quia obligatio illa tantùm prouenit ex pacto Dei, quod requiritur necessariò ad meritum, vt iam obseruauimus.

Secunda propositio. *Christus Dominus, vt homo, spectata natura eius humana posteriori modo primi nostri notabilis, non orauit propriè ex aliqua necessitate.* Probatur primò ex ipsomet Christi Domini verbo apud S. Ioannem cap. 11. cùm enim Martha soror Lazari dixisset ei, *Sed & nunc scio quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*, iis verbis significans existimare se eum non posse virtute propria resuscitare Lazarum, posse tamen id à Deo obtinere suis precibus; Christus respondens significat se ad id non indigere precibus: *Ego*, inquit, *sum resurrectio, & vita*, quod non est duntaxat verum de illo, vt Deo, sed etiam vt homine: est enim, vt sanctus Thomas dicit hac parte inferiùs qu.
II. 56. articulo 1. & 2. Christus vt homo causa resurrectionis hominum tàm in genere causæ efficientis moralis & physicæ, quàm in genere causæ exemplaris, & proinde sicut physica causa, debitè applicata subiecto, non indiget precibus vt effectum producat; sic nec Christus vt homo, pro resuscitando Lazaro.

Deinde probatur ex Patribus S. Iustino martyre, qui in quæstionibus & responsionibus ad Orthodoxos in responsione ad quæstionem 105. ait Christum eodem modo orasse Deum Patrem quo esuriuit, sitiuit, laborauit, lachrymatus est: at Christus homo vt includit vnionem suæ humanitatis ad Verbum non esuriit, sitiuit,
III. laborauit, lachrymatus est ex aliqua necessitate & indigentia, vt nos exposuimus suprà quæst. 14. art. 2. & sanctus Iustinus ibi expressè ait: ergo nec aliqua necessitate & indigentia Christus vt homo orauit Deum Patrem. Deinde ex S. Hilario libro 10. de Trinit. in fine: S. Ambrosio ad cap. 6. S. Luc. docentibus expressè Christum hominem loquendo absolutè non indiguisse oratione.

Probatur etiam ratione. Quicumque habet omnipotentiam respectu exequutionis voluntatis suæ efficacis non orat superiorem vel æqualem ex necessitate aut indigentia: sed anima Christi Domini ex vi vnionis hypostaticæ ad Verbum habet de facto omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis efficacis, etiam tempore vitæ mortalis, vt suprà docuimus cum S. Th m. quæst. 13. art. 4. ergo anima Christi Domini vt vnita Verbo, etiam tempore vitæ
IV. mortalis, non orabat ex necessitate & indigẽtia.

Maior satis patet ex eo quòd necessitas actionis fundetur in impotentia & inefficacia obtinendi quod efficaciter volumus: si enim tantùm inefficaciter velimus aliquid, & ad id obtinendum adhibeamus orationem, non propriè dicimur orare ex indigentia, cùm nobis superfit medium aliquod efficax illud obtinendi sine oratione.

Dices omnipotentiam illam quæ est in anima Christi Domini esse tantùm instrumentariam, & dependere à Deo tanquam à causa principali ad hoc vt exeat in actum, sicut omne instrumentum dependet à sua causa principali: ergo anima Christi Domini, etiam vt nunc est vnita Verbo, & ornata tali efficacia & virtute, non desinet Deum orare ex indigentia, vt dicatur concur-

A sum suum ei concedere ad virtutem suam instrumentariam reducendam in actum. V.

Respondetur, concessò Antecedente, negando Consequentiam: cuius negati hæc est ratio, quod ad faciendam orationem ex necessitate & indigentia, non est satis habere opus alio ad obtinendum, quod per orationem intendimus, sed præterea requiritur vt is cuius concursus requiritur non sit obligatus eum præbere: si enim concursus ille alterius, sit debitus ex aliqua obligatione non fundata in oratione, is qui alieno concursu indiget, propriè non necessitatur ad orandum ex indigentia, sed ad obtinendum talem concursum satis ei est quòd alio cognoscente & vidente tese accingat ad opus, quia eius concursum tanquam sibi debitum postulat: verbi gratia, quando inter homines vnus ex pacto
B tenetur adesse alteri in aliquo opere faciendo, VI. satis est si eum certiorem faciat eius quod vult facere, non autem tenetur eum orare: atqui in præsenti casu humana Christi Domini voluntas etiam Verbo vnita vt instrumentum diuinitatis indigebat quidem concursu Dei ad efficiendum quod volebat efficaciter, sed ex perfectionibus ei per vnionem concessis Deus per aliquod pactum sese obligauerat ad præbendum ei concursum necessarium ad faciendum quodcumque ipsa vellet efficaciter, vt facilè intelligitur ex dictis suprà de virtute Christi ad faciendа miracula, & ex dictis suprà ad quæst. 13. disputat. 1. articulo 4. & sequentibus, & hoc Christus Dominus significauit S. Ioannis 11. quando resuscitaturus Lazarum dixit omnibus qui aderant audientibus, *Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi, vt credant quia tu me misisti*: Nam
C VII. istis verbis loquitur Christus vt homo, cùm præmiserit actionem gratiarum, & explicat non ideo gratias agere, quia illum orantem pro resuscitando Lazaro exaudierit, cùm probè sciat etiam à primo instanti suæ Incarnationis Deum Patrem esse factuum quicquid vellet efficaciter voluntas eius humana, ac proinde non indigere precibus ad id obtinendum, sed tantùm se præmisisse hanc gratiarum actionem, vt adstantes sciant, se fuisse à Deo Patre missum, & in huius rei confirmationem etiam se resuscitare Lazarum.

Nec obstat quòd in ista Christi D. sententia ponatur verbum, *audis*, quod videtur supponere orationem fuisse priùs factam: nam vt ad illum locum notant Interpretes passim in sacris Litteris, Deus non tantùm dicitur exaudire orationes, sed etiam desideria & bonas suorum vo-
D luntates, vt Psal. 90. Iob. 31. & alibi. VIII.

Tertia propositio. Christus orauit ex hypothetica aliqua necessitate: probatur primùm ex illo Patris ad Christum apud Psalmistam, Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuã.* quo significat Deus Pater se facturum vt Gentes vniantur Christo per fidem & gratiam, si id sua oratione postulauerit: item Lucæ 22. *Sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Item ex Patribus superiùs citatis. Hinc rectè intelligimus quomodo Christus potuerit orare pro re, quam sciebat futuram, scilicèt quia eadem scientia videbat eam tantùm esse futuram, dummodo ipse pro eius euentu orationes faceret, & suam orationem esse vnum ex mediis, quibus Deus volebat sibi satisfieri pro nobis.

I.

ARTICVLVS XIV.

Vtrùm Christus existens in cælo post suam resurrectionem oret.

CERTVM est apud omnes Patres & Theologos eum aliquo modo orare pro nobis, nam Ioan. 14. ait, *Ego rogabo Patrem*, vbi loquitur de iis quæ facturus est post resurrectionem: & ad Hebr. 7. dicitur Christus semper viuens ad interpellandum pro nobis, quæ omnia satis declarant Christum aliquo orationis genere apud Deum pro nobis intercedere.

Difficultas restat de modo, & quo genere orationis Christus vt homo sedens post resurrectionẽ sui corporis ad dexteram Patris oret pro

II. nobis. Pro cuius rei explicatione notandum est, *triplicem posse distingui modum orandi; primus* est *oratione tantùm interpretatiua*, nimirum exhibendo seipsum præsentem Patri, eique ostendendo vulnera quæ pro nobis sustulit; *Secundus modus* est *tantùm expressa oratione*, vocali vel mentali tantùm, quando scilicet orans actu quodam elicito, siue tantùm interiori, siue etiã simul exteriori desiderium propriæ voluntatis explicat Deo, petendo actu, vel tantùm mentali vel etiam vocali, vt illud impleat: *Tertius modus* est, quando orans præter actum illum elicitum secundo modo explicatum exhibet interim orandum, *singularia quædam externa signa submissionis*, quæ statũ personæ orantis indicant esse *vilem* & *abiectum*, vt quando orans prouoluitur ad pedes eius quem orat, vel etiam cum effusione lachrymarũ, & cætera id genus. Chri-

III. stum pro nobis orare Deum primo modo, est certissimum apud omnes, & habet expressum fundamentum in Apostolo, epistola ad Hebræos capite nono, *Non enim in manufacta introiit exemplaria verorum; sed in ipsum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Item in Patribus, vt sancto Gregorio Nazianzeno oratione trigesima sexta. *Intercedit*, inquit, *nunc quoque, vt homo pro nostra salute, quoniam cum eo corpore est, quod assumpsit.* Item sancto Gregorio Magno lib. 1. Moralium cap. 24. *Sine intermissione*, inquit, *pro nobis holocaustum redemptor immolat, quia sine cessatione Patri suo pro nobis Incarnationem demonstrat*, quòd idem plures sancti Pauli Interpretes habent ad caput octauum epistolæ ad Romanos, & cap. 9. epistolæ ad Hebræos sanctus Anselmus, sanctus Tho-

IV. mas, Primasius & alij: vnde Concilium Francfordiense sub Adriano primo, hunc Christi Domini modum orandi declarat dicens, *quia carnem, quam pro nobis assumpsit, Patri semper manifestat, ad cuius dexteram sedet.* & pro hac re plures Patrum auctoritates videri possunt apud Espenseum lib. de Christo mediatore cap. 8. & fauet ratio: nam si sanguis Abel iusti ipsa sui effusione iniusta dicitur Geneseos quarto capite interpretatiua tantùm petitione clamare apud Deum pro vindicta, *Vox*, inquit Deus ibi, *sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: multo magis sanguis Christi D. pro nobis effusus in cruce, & per resurrectionem reassumptus, verè & realiter præsens Deo, interpretatiua quadam postulatione dicetur apud Deum pro nobis interpellare, iuxta illud Apostoli ad Hebræos 12. capite. *Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem, quàm*

A *Abel*, quia scilicet, veniam loquitur, & gratiam, vt sanctus Thomas lectione quarta ad illum locum Apostoli explicat. Deinde Christum Dominum in cœlo post ascensum in cœlum non orare pro nobis tertio modo superiùs explicato sanctus Gregorius Nazianzenus expresse docet oratione trigesima sexta, quæ est 4. de Theologia, n. 53. 54. sic scribens; *A inuocatum habemus, non se*, nostri causa, *ad pedes Patris aduoluentem, seruilique modo abiicientem, procul sit ista seruilis suspicio, spiritusque indigna, neque enim Patris est hoc exposcere, aut filij pati, neque de hoc cogitare pium & æquum est*: & fauet ratio. Modus quo Christus Dominus orat Deum, debet esse conformis eius statui, quia repugnat Deo & Christo Domino non seruare decorum, at status Christi Domini nunc glorificati, non est quidam B status vilis & abiectus, qualis erat eius status ante passionem & mortem: sed eius, qui de morte, & omnibus suis & nostris hostibus triumphum reportauit, qui nunquam morturus sedet ad dexteram Patris in perpetuum, & per quem omnes quotquot sunt homines habent accessum ad Deum: ergo sicut in humanis filij regum, fratres illorum, & alij de regio sanguine principes, vbi aliquid postulant à rege, non vtuntur submissionibus iis quibus personæ conditionis abiectæ inter deprecandum regem solent vti; sed modo longè honoratiori, pro ea qua pollent dignitate, illum deprecantur; sic etiam Christus Dominus, immortalis etiam corpore, sedens in Patris dextera, non orat isto vili modo, personis abiectis proprio, *genuflexione*, & id genus aliis, & cùm sit omnino impassibilis, & C in eo statu in quo, iuxta sanctum Ioannem cap. 21. Apocalypsis, *neque luctus, neque dolor erunt*, multo minus poterit Deum orare pro nobis cum lachrymis. Et è contra, quia ante mortem erat vilis, & abiectæ conditionis, adeoüt dicat in eius persona Psalmista regius, Psalm. 21. *Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*; ideo apud sanctum Marcum cap. 19. *procidit in terram, & orat*, & apud sanctum Lucam, *positis genibus* orabat, & apud sanctum Paulum cap. 5. epist. ad Hebræos, *Cum clamore valido, & lachrymis exauditus est*; hinc Origenes rectè notatur excessisse limites veritatis, quando homil. 7. in Leuiticum ait Christum vt *hominem in cælo orare cum lachrymis, & aliis, ad humilitatem sæculi pertinentibus, Deum Patrem pro nobis*; quare his omnibus ita statutis restringitur tota præsens difficultas ad hoc vnicum punctum: *an Christus oret pro nobis post resurrectionem secundo orandi modo, seu expressa* D *oratione*, siue mentali tantùm, siue etiam vocali; de qua re duæ sunt oppositæ sententiæ, vna negans quam fusè docet Vasquesius hac parte disputationis 82. cap. 2. & sequentibus, & aliqui alij hac quæstione sancti Thomæ. Melior tamen est contraria sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, & docent Abulensis ad cap. 6. sancti Matthæi quæst. 82. & ad caput 14. quæst. 142. Dominicus Soto ad cap. 8. epist. ad Romanos, Toletus ad cap. 16. sancti Ioannis annotat. 35. vbi addit *contrariam sententiam esse improbabilem*, illum enim loqui de hoc orandi modo declarat hæc ratio, quam statim subiicit pro improbabilitate huius sententiæ: *vt enim in hoc sæculo orabat Patrem pro nobis vt homo; ita & nunc in cælis donec redemptionis effectus omni ex parte compleretur*: eandem nostram sententiam

V.

VI.

VII.

VIII.

I. traditidem Toletus suo commentatio in epistolam ad Romanos annotat. 35. ad caput 8. Suarez etiam hac parte quæst. disput. 45. sectione 2. imò sanctus Thomas satis expressè illam tradit lect. 4. ad cap. 7. ad Hebræos, & primæ sancti Ioannis 2. distinguit duos modos quibus Christus nunc orat pro nobis: prior *est repræsentatione humanitatis suæ*; posterior *est allegando sua merita, & exprimendo suæ animæ desiderium quod habuit de nostra salute; at Christum orare pro nobis allegando sua merita* est modus aliquis distinctus à repræsentatione suæ humanitatis, qui nihil potest esse aliud, quàm expressa oratione aliquid virtute suorum meritorum postulare à Deo Patre: item cùm ex S. Thoma tàm hac quæst. 21. articulo primo in corpore, quàm secunda secundæ quæst. 83. articulo 1. & 2. expressa oratio, sive mentalis, sive etiam vocalis, nihil sit aliud quàm *explicatio quædam propriæ voluntatis apud Deum, vt illam impleat*, sicq; oratio sit propriè & formaliter actus aliquis intellectus, præsupponens actum desiderij in voluntate; Christum nunc in cœlis exprimere (quod est actus veræ locutionis) Patri suæ animæ desiderium quod habuit de nostra salute, nihil est aliud, quàm eum nunc oratione expressa orare Patrem pro nobis.

II.

Et hoc idem patet ex articulo vndecimo eiusdem quæst. 83. nam ex eo quòd ad Hebr. 7. cap. dicitur de Christo *accedens per semetipsum ad Deum, ad interpellandum pro nobis*, confirmat conclusionem articuli, nimirum *Sanctos nunc regnantes cum illo in patria orare pro nobis:* at sanctus Thomas ibi loquitur de oratione non tantùm interpretatiua, sed formali & propriè expressa, quæ à Sanctis illis fiat pro nobis, vt patet ex eius *argumento. sed contra*: item ex toto articulo: ergo vt hæc sancti Thomæ confirmatio petita ab oratione Christi Domini, facta pro nobis post Ascensionem in cælum, sit suæ conclusioni conformis, debet illa ab eo intelligi de formali, expressa, & noua oratione quam nunc in cœlis existens fundit Deo pro nobis. Nostra itaque propositio probatur primùm ex sacris Scripturis, vt capite decimo quarto S. Ioannis, vbi Christus loquens de iis quæ facturus est post Ascensionem in cælos pro Apostolis apud Patrem, ait, *Ego rogabo Patrem.* item ex Apostolo dicente de Christo nunc in cœlis regnante cap. 7. ad Hebræos, *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* ad Romanos 8. *Qui etiam interpellat pro nobis*; & verbum hoc *interpellat* apud Apostolum importare veram & expressam

III. orationem, disertè notat S. Augustinus epistola 59. ad Paulinum, quæstione 5. dum ait Christum ita interpellare vt etiam postulet, imò verbum hoc, *interpellat*, fuisse positum pro *postulat*, item primæ Ioan. primo, *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum*, vbi Christus existens in cœlo vocatur *propriè noster aduocatus*; at inter officia aduocati agentis partes alicuius rei, hoc vnum etiam est *expressis precibus apud iudicem intercedere*, vt clementer, & non ex rigore iustitiæ agat cum reo, quemadmodū videre est in actionibus veterum oratorum: ergo cùm Christus sit verè & propriè noster aduocatus apud Deum Patrem, etiam verè & propriè eum orat pro nobis: atque hoc modo locum istum sancti Ioan. intellexit sanctus Augustinus tract. primo in primam sancti Ioannis epistolam, vbi facta allusione ad nostros reos qui causas suas committunt aduocatis valdè disertis, vt sic euadant

IV. mortem, ait homines in multo maiori titulo debere sese cōmittere Christo, nec fore vt pereant, & ibidem paulò pòst, cùm sibi formasset obiectionē hanc, *Si Christus est noster aduocatus, ergo Sancti non petunt pro nobis*; negat consequentiam, & ait orationes Sanctorum qui sunt in hoc mundo distingui ab oratione Christi, quòd hic oret pro omnibus tanquam caput, isti verò pro se inuicem tanquam membra: cùm ergo ponat tantùm discrimen hoc inter orationes Christi & Sanctorum qui adhuc viuunt in terris, & sancti isti orent expressa oratione, etiam Christus existens in cœlo orat pro nobis expressa oratione iuxta mentem sancti Augustini.

V.

Probatur eadem nostra sententia ex Patribus, vt S. Iustino Martyre q. cit. 105. vbi ex eo quòd Christus adhuc mortalis obtulit pro nobis preces cū vehementi clamore & lachrymis, colligit à fortiori eum nunc existentem in cœlo intercedere pro nobis; ergo sicut illa pars prior debet intelligi de oratione expressa, ita etiam & posterior quæ continet veluti reditionem similitudinis: item ex sancto Ambrosio. enarratione in Psalm. 40. in fine primi versiculi, vbi officium aduocati Christi, de quo loquitur sanctus Ioan. suprà, explicat *per quotidianas preces*; & enarratione in Psal. 109. in fine ait Christum stantem apud Patrem Christianorum *causas exorare*: quæ loquendi formula satis exprimit hāc Christi aduocationem pro nobis, non fieri sese tantum exhibendo Patri præsentem, quia & dum sedet ad dexteram Patris etiam præsens est, per quam tamen sessionem non explicatur eius pro nobis intercessio, imò illam distinguunt à sessione, vt sanctus Ambros. ibi, & sanctus Maximus homil. primā in festo Pentecostes, item & sanctus Cyprianus, dum epistola 8. ait nos habere Christum in cœlis aduocatum, & *deprecatorem:* vbi particula, *deprecator*, aliquid ampliùs significat quàm solam præsentiam & exhibitionem obiectiuam humanitatis & vulnerum Christi, & sanctus Ambros. in citat. locum ad Rom. 8. ait Christum interpellare pro nobis apud Patrem in cœlo, *eo modo quo ipse rogauit pro Petro, ne fides eius deficeret*: at hoc secundum omnes intelligunt de oratione expressa.

VI.

Probatur etiam ratione. Prima est illa, qua sanctus Thomas citato loco secunda secundæ probat, Beatos in patria orare pro nobis expressa oratione, quæ applicata nostræ propositioni eandem vim habet, imò maiorem in Christo Domino post Ascensionem, quàm in aliis Beatis; est autem eiusmodi, quantò Sancti existentes in patria sunt perfectioris charitatis, tantò magis orant pro viatoribus qui orationibus iuuari possunt, & quantò sunt Deo coniunctiores, tantò eorum orationes sunt efficaciores; sed Christus Dominus vt homo est charitatis longè perfectioris, quàm sint omnes homines, & omnes Angeli simul sumpti, vt intelligitur ex dictis ad quæst. 27. disput. 4. articulo 1. & sequentibus: ergo Christus magis orat pro nobis quàm alij; ergo iuxta sanctum Thomam ibi etiam magis expressa oratione, quàm omnes Sancti orat pro nobis. Singulæ partes probantur. Maior est tota sancti Thomæ loco nunc citato, & ab eo intelligitur de formali & expressa oratione, quia aliàs ad rem, quam ibi intendit, scilicet, *Beatos in patria orare pro nobis expressa oratione*, nihil faceret: nam quòd ibi moueat quæstionem de tali

VII.

VIII.

I. oratione nunc obseruauimus. Minor patet ex dictis citata disputatione ad 7. quæstionem, & est communis omnium Catholicorum sententia: vltima etiam Consequentia patet, quia ibi sanctus Thomas prædictam Maiorem intelligit de expressa oratione, vt iam animaduertimus. Secundò facit illam vniuersalem, absque vlla exceptione cuiusquam Beati in patria: & proinde illam extendit etiam ad Christum, non tantùm quoad orationem præcisè consideratam, prout abstrahit ab *expressa*, & *interpretatiua*; sed etiam ad illam vt *in specie*, seu quatenus est expressa, consideratam, quia illam probat ex eo quòd *diuinus ordo habet, vt superiorum excellentia refundatur in inferiora*, idque verbis expressis affirmat ibi de Christo & Beatis, vt in patria pro nobis orantibus: ergo vt iuxta sanctum II. Thomam hæc excellentia orandi expressa oratione pro nobis refundatur in Beatos, vt in inferiores Christo, ex Christi Domini tanquam superioris excellentia illam habentes, oportet quòd S. Thomas velit Christum nunc in cœlis orare pro nobis oratione formali & expressa.

Confirmatur. Christus, vt homo adhuc mortalis, orauit pro nobis ad Deum oratione expressa: ergo etiam nunc existens in cælo, orat pro nobis oratione expressa. Antecedens satis est eúidens ex dictis suprà. Consequentia probatur eodem fere modo, quo aduersus hæreticos solemus probare, Sanctos in cœlum existentes orare pro nobis, ex eo quòd dum essent in terris orabant pro aliis; quia Christus in cælo existens, non habet minorem erga nos charitatem, quam dum esset in terris; *charitas* enim, vt habet Apo- stolus, *nunquam excidit*: ergo quemadmodum III. summa eius charitas fecit, vt oraret expressa oratione pro hominibus dum erat in terris, eadem eius charitas efficiet, vt in cælo existens oret pro nobis expressa oratione.

Secunda ratio. Quicquid in Beatis ita bonum est, vt manifestet eorum charitatem, nec aliquâ habet aut repugnantiam, aut indecentiam ad statum Christi perfectè beati, tàm quoad cor- pus, quàm quoad animam, illud debet esse in Christo, vt homine nunc in cælis regnante, quia caput, quale est Christus respectu omnium Angelorum & hominum, debet habere omnes & quaslibet supernaturales perfectiones, quas membra sub illo constituta habent: sed quòd Beati orent pro nobis Deum expressa oratione, est bonum quoddam, quia est actus infusæ charitatis erga nos, tanquam aliquid Dei, & suos IV. proximos, vt post sanctum Hieronymum libro contra Vigilantium, docet sanctus Thomas citata quæstione 83. secunda secundæ; & hic actus ardentem illorum erga nos charitatem manifestat, quia subuenire infirmo, cuiusmodi est vnusquisque nostrûm in præsenti vita, eúmque subleuare à miseria, est insigne aliquod veræ charitatis argumentum, vt docet Christus Dominus Parabola Samaritani curantis hominem in via vulneratum à latronibus, & actus iste charitatis nullam habet repugnantiam, nullam indecentiam ad statum Christi Domini, nunc tàm quoad corpus, quàm quoad animam perfectè beati: igitur Christus Dominus vt homo perfectè beatus, tàm quoad corpus quàm quoad animam, regnans in cælis orat expressa oratione pro nobis. Maior quoad singulas partes patet ex adiunctis illi. Minor etiam, præterquam quoad vltimam, quæ sic probatur. Expressa ora-

A tio pro nobis Deo facta à Christo, vt perfectè beato, & regnante in cælis, diceret illam repugnantiam vel indecentiam, aut quatenus Christus simpliciter est glorificatus, vel vt tali modo sibi soli proprio est glorificatus: non primo modo; nam & Beati orant hoc modo pro nobis: non item posteriori, quia specialis glorificatio Christi Domini potest attendi vel penes gloriam animæ, vel penes gloriam corporis; sed non dicit imperfectionem aut indecentiam ad gloriam animæ eius, quia dum esset in terris fruebatur illa, & cùm illam, vel augmentum eius sibi non promeruerit, talis remansit in cælo, qualem habuit eam in terris: ergo sicut illa in terris compatiebatur modum orandi Deum expressè, ita etiam & nunc in cælo: nec etiam oratio expressa dicit imperfectionem vel indecentiam ad glorificationem corporis Christi, quia VI. B & Beata Maria Virgo nunc est etiam in cælo glorificata quoad corpus, vt piè credit vniuersalis Ecclesia celebrando festum Assumptionis eius, & nihilominus orat expressa oratione pro nobis; & gloria corporis Christi non est distincta rationis à gloria corporis beatissimæ Virginis, sed tantummodo distinguntur secundùm maiorem claritatem & maiores perfectiones, seu dotes corporis glorioſi.

V.

Articvlvs IV.

Soluuntur duæ obiectiones.

OBIICIES, disparem esse rationem humanitatis Christi iam perfecto modo glorioſæ à se ipsa ante resurrectionem, & etiam à C Beatissima Virgine, quòd humanitas Christi VII. Domini post resurrectionem sit consequuta aliquam omnipotentiam, iuxta illud Christi apud S. Matth. 28. cap. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, quam omnipotentiam antea non habebat, nec item habet beatissima Virgo.

Verùm, si hæc obiectio intelligatur de potestate excellentiæ, de qua egimus suprà, Christus eam accepit à primo instanti suæ conceptionis, simul cum aliis perfectionibus quæ eius vnionem sequuntur: ergo sicut illa non obstante, dum adhuc esset mortalis, orauit expressa oratione pro nobis; ita & nunc orat expressa oratione. Deinde citatum S. Matth. testimonium tantùm significat aliquod exercitium potestatis excellétiæ Christi circa aliquos eius actus fuisse post resurrectionem liberû, cùm antea esset aliquo modo impeditû, scilicet quoad publicationem legis *Euangelicæ per totum orbem terrarum*, VIII. D qua sibi vnirent per fidem & gratiam ipsas Gentes, quæ legis publicatio & Gentium vocatio prærequirebat solutionem nostræ redemptionis omnino peractam, iuxta illud Christi apud sanctum Ioan. cap. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* nam citato loco S. Matth. subiungit Christus, *Euntes ergo docete omnes Gentes.* & S. Marc. idem referens cap. 13. *Euntes in mundum vniuersum*, sed modus orandi expressè pro nobis non habet in Christo etiam glorificato aliquam repugnantiam vel indecentiam ad publicationem legis Euangelicę, & vocationem Gentium: imò potiùs illam ordinat, cùm sit vnum è mediis, quibus & Apostoli potuerint facilius docere Gentes cum fructu, & Gentes illis credere.

Obiicies secundò. Vt vnionis hypostaticæ

I. præcisè consideratæ, visio beatifica debetur humanitati, quia vi illius Christus est Filius Dei, & Filio Dei vt sic debetur hæreditas, quæ est visio beatifica respectu hominum: ergo & vi eiusdem vnionis præcisè cõsideratæ debentur humanitati sic vnitæ omnia ad illam necessaria: ergo cùm debitũ ex parte cõferentis excludat indigentiam & necessitatem orationis ex parte accipientis, Christus vt homo, seu humanitas Dei Verbo diuino vnita, & primo modo primi nostri præmissi notabilis cõsiderata, non habet necessitatẽ orationis faciendæ Deo ex aliqua indigentia.

Respondetur primò, necessitatem orationis non fundari in sola indigentia proprij boni ipsius orantis: sed etiam in eo quod potest aliquis honestè velle bonum aliquod alteri, quod tamen per se ei non potest præstare, sed indiget

II. alterius opera ad id nullo modo obligati ex iustitia, vel aliquo debito propriè dicto; nam iusti tàm in via quàm in patria orant ex indigentia & necessitate etiam dum orando pro viatoribus illis impetrant augmentum gratiæ, vel speciale aliquod auxiliũ: & ideo etiã si humanitas Christi vnita Verbo considerata primo modo, non indigeret orationibus propter bonum aliquod sibi proprium, quia ei deberetur: attamen pro impetrando aliquo bono aliis Angelis, exempli gratia, vel hominibus illa indigebat.

Respondetur 2. Visionem beatificam non ita deberi humanitati vi vnionis hypostaticæ præcisè consideratæ, quasi hac posita statim ista debuerit necessario sequi, contrarium enim ex professo docuimus suprà ad qu. 9. disp. 2. art. 3. & 4.

Respondetur tertiò, Antecedente huius secundæ obiectionis dato, non tamen concesso,

III. nihilominus potuisse Deum absolutè loquendo remanente iure in humanitate sic vnita ad visionem beatificam, differre illius fruitionem in aliud tempus ex aliqua congruentia sibi cognita, sicut de facto distulit gloriam corporis in Christo, sicut etiam distulit gloriam iustorum qui absque vllo culpæ vel pœnæ etiam leuissimæ debito mortui sunt ante Christi Domini resurrectionem: ergo quemadmodum posita congruentia passibilitatis eáque ordinata, Christus absolutè indiguit oratione & passione ad gloriam corporis accipiendam: ita & Christi Domini humanitas in tali statu posita non desiisset indigere oratione ad procurandam animæ suæ gloriam; quod similiter dici potest de singulis aliis bonis quæ locum habuerunt in humanitate Christi per moralem resultantiam vnionis. Et hoc confirmatur amplius, quia oratio non fit

IV. ad immutandam dispositionem & ordinationem Dei, sed ad impetrandum quod Deus disposuit, vt docet sanctus Thom. primâ parte, quæst. 23. art. 8. & secundâ secundæ, quæst. 83. art. 2. Ergo cùm Deus loquendo absolutè potuerit velle gloriam animæ debitam vi vnionis dare tantùm de facto alio tempore sequenti, potuit Christi Domini humanitas, illo posito, pro seipsa orare ex aliqua indigentia, vt scilicet poneretur à Deo quod prærequirebatur ad talem gloriam. Tandem actio gratiarum est aliqua orationis species, aut saltem aliqua eius pars, vt intelligitur ex Apostolo ad Philipp. 4. & primæ ad Timoth. 2. atqui humanitas Christi Domini egisset ex necessitate seu debito actionem gratiarum Deo, pro tot beneficiis ab eo liberaliter acceptis: ergo etiam tunc habuisset necessitatem orandi.

A

B

C

D

ARTICVLVS V.

V.

Soluuntur fundamenta Vasquesij.

PRIMVM repetit ex authoritatibus quorundam Patrum, vt sancti Gregorij Nazianzeni oratione quarta de Theologia, sancti Gregorij Magni, libro 22. moralium, capite 13. sancti Chrysostomi homilia 15. in epistolam ad Romanos, Ruperti libro primo de officiis diuinis, dicentium Christum Dominum orare in eius interpretatiua tantùm oratione, sese & vulnera, quæ passus est pro nobis, Deo Patri offerendo.

Respondetur. Ad authoritatem S. Greg. Naz. patet solutio ex dictis articulo præcedenti quarto; ibi enim tantùm vult vilem illum, & abiectum orandi modum non reperiri in Christo

VI. nunc pro nobis orante, & eius verbis locum illum procedere tantùm de hoc orandi modo patet.

Ad authoritatem sancti Chrysostomi respondetur, eum tantùm loqui de Christo vt Deo, & dicere Apostolum ibi vti hoc verbo *intercedit*, ad demonstrandum feruorem charitatis erga nos, & quòd hæc sit mens sancti Chrysost. patet, quia ex eo quòd Filius est eiusdem potẽtiæ cum Patre, probat eum propriè non orare Patrem, & in expositionem huius particulæ, *intercedit*, citat alium locum Apostoli, in quo Spiritus sanctus dicitur, *intercedere gemitibus inenarrabilibus*. Cuius tamen loci sensus non est quòd Spiritus sanctus oret pro nobis, sed quòd pro eo charitatis affectu quo nos prosequitur, faciat vt

VII. postulemus & oremus Deum, quemadmodum explicat sanctus Augustinus epistola 121.

Ad authoritatem sancti Gregorij Magni respondetur eum intercessionem Christi Domini pro nobis per exhibitionem realis suæ præsentiæ ita explicare, vt tamen non neget interiorem expressam illius orationem ad Deum pro nobis, sed vocalem vt duntaxat necessariam excludat, quin imò vt hæc eius verba sint conformia eius intentioni, debent intelligi de expressa oratione, quæ tamen sit tantùm interior. Nam vt etiam titulus istius capitis præ se fert, totus est in eo vt doceat orationem magis consistere in cogitationibus cordis, id est in interiori postulatione, oratione, in *affectu mentis fuso*, vt ibi loquitur, *in conspectu supremæ pietatis*, quàm in vocibus oris, & exempla Mosis Exodi 14. & Annæ primo Regum, item verbum Christi Domini cap. 6. sancti Matthæi, & Psalmistæ Regij Psalmo 9. quæ

VIII. ibi profert, postulant totum istud sancti Gregorij intelligi de interiori oratione quæ tamen sit expressa, & non tantùm interpretatiua: nam verba illa Dei ad Mosem ibi *quid clamas ad me? loquere Filiis Israël vt proficiscantur*, prout subiiciuntur istis verbis Mosis ad populum, *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*, satis indicant Mosis orationem ita fuisse interiorem, vt tamen esset expressa, vt notat Augustinus libro quæst. in Exodum quæst. 57. similiter orationem Annæ fuisse expressam disertè signant verba ista citati primi capitis Regum, *Porro Anna loquebatur in corde suo*, & istæ locutiones quibus sanctus Gregorius ibi vtitur, *tacente ore fundere affectum mentis in conspectu superne pietatis*, item *per sancta desideria silenter clamare*, non possunt rationabiliter intelligi nisi de ali-

I. quo actu expresso intellectus, quo Deus oretur: ergo quando ibi loquitur de oratione, debet etiam intelligi de illa sic expressa, licèt sit tantùm interior.

Secundum fundamentum repetit Vasquesius à multiplici ratione, quarum prima est, nemo postulat pro eo quod habet in sua potestate, aliàs eius oratio esset otiosa: at Christus existens in cœlo habet omnem potestatem in cœlo & in terra, Matthæi 28. habet item perfectissimam cognitionem eorum omnium, vel quæ sunt nobis necessaria, vel omnibus & singulis nostrùm contingent: ergo Christus propriè non orat pro nobis.

Respondetur primò rationem illam tàm militare contra orationem expressam quam fecit Christus ante mortem, quàm contra expressam II. orationem ab illo factam post resurrectionem, cùm vt homo habuerit à primo instanti suæ conceptionis potestatem excellentiæ, & omnipotentiam executionis suæ voluntatis efficacis: vnde cùm non possit Vasquez. negare Christum adhuc mortalem orasse pro nobis expressa oratione, vt patet ex locis superiùs citatis, & locus S. Matth. 28. non intelligatur de omnipotentia acquisita de nouo, sed tantùm de aliquo exercitio potestatis excellentiæ, vt suprà docuimus, fit vt non obstante hac omnipotentia, etiam existens in cœlo possit orare pro nobis oratione expressa.

Secundò respondetur, omnipotentiam illam Christi esse ex Dei ordinatione reducendam ad actum, mediante Christi oratione, idcóque sicut intercessio Sanctorum pro viatoribus prædestinatis ex mero Dei beneplacito, non dicitur otiosa, sed multum iuuare executionem prædestinationis, ita etiam Christi Oratio, quia iuuat executionem talis omnipotentiæ, non dicetur otiosa. III.

Simili modo satisfit alteri parti eiusdem primæ rationis, quæ fundatur in cognitione beata, quã habet Christus Dominus eorum omnium quæ sunt nobis necessaria: nam in primo instanti suæ Conceptionis, & toto etiam tempore suæ vitæ probè per istam scientiam nouerat, quæ erant necessaria, vel etiam quæ contingerent iis, pro quibus erat Deum Patrem oraturus; nec tamen desinebat pro illis orare etiam expressa oratione: ergo quemadmodum hæc certissima Christi Domini scientia futurorum non impediebat illum orare, quia scilicet Deus statuerat ea executioni demãdare per intermediam Christi Domini orationem; sic etiam nunc illa eadem scientia non impediet, quin expressa oratione postulet à Deo executionem illorum quæ statuit in IV. nostrum bonum.

Secunda ratio Vasquesij est: aut Christus in cœlo existens verè impetrat nobis aliquid sua oratione, vel nihil; non primum, tùm quia Christus sua passione & morte totum opus nostræ salutis ita cõsummauit, vt tantùm reliquerit fructum suorum meritorum applicandum per Sacramenta, & alias causas particulares, tùm quia si quid verè impetraret, oratio eius esset digna tali impetratione, & id, quod impetraret, daretur ei ex gratitudine, & proinde haberet rationem remunerationis, sicque etiam vt beatus, posset aliquid promereri, quod est falsum: non item secundum, quia oratio Christi esset otiosa.

Respondetur primò, rationem illam tàm militare contra orationes Sanctorum in cœlis cum A Christo regnantium, ac contra orationem expressam Christi in cœlo existentis: vnde responsum quod huic rationi ab hæreticis in medium allatæ contra orationem Sanctorum, accipiat pro responsione ad suam rationem. V.

Secundò respondetur Christum vt hominem nobis sua oratione aliquid impetrare, v.g. actualem collationem gratiæ, quam dum viueret in terris promeruerat nobis suo sanguine.

Nec obstat quod ante resurrectionem consummauerit opus nostræ salutis, quia id tantùm intelligitur quoad sufficientiam pro omnibus, & quoad efficaciam pro prædestinatis, iuxta illud Christi apud sanctum Matthæum vigesimo secundo cap. de effusione sui sanguinis, *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; executionem tamen & applicationem mediorum quæ nobis promeruerat, voluit B dependere à sua oratione. Neque hinc sequitur VI. talem executionem, eius orationem impetratam, habere rationem remunerationis; & impetrationem eius habere rationem meriti: sicut nec impetratio quę sit à sanctis cum Christo regnantibus. Nam ad rationem meriti loquendo propriè, requiritur vt remuneratio seu præmium detur ex vi & efficacia illius, quia merces & meritum sunt correlata: at quod Christus, vt homo, nobis impetrat nunc sua oratione expressa, non datur vi & efficacia ipsius suæ orationis, sed vi bonorum operum ab illo in præsenti vita factorum, itavt talis oratio sit quædam veluti repræsentatio meritorum præcedentium, & efficaciæ illorum, & quædam tantùm conditio ad actualem communicationem bonorum, quæ C nobis antea promeruit, adimplendam, ex vo- VII. luntate Dei requisita, vt S. Thom. secunda secundæ; quæst. 83.

Ad primum & secundum respondet simili argumento quod sit contra orationes Sanctorum in cœlis existentium.

Tertia & vltima ratio Vasquesij est. Si Christus existens in cœlo oraret pro nobis expressa oratione, possemus etiam nos eum ita orare, *Christe ora pro nobis*, quod tamen nusquam est factum in Ecclesia, cùm semper soleamus dicere, *Christe miserere nobis*.

Respondetur primo loquendo in rigore, considerãdo Christum quatenus est homo, item sublato eiusmodi periculo erroris, & scandali, esse per se licitum sic orare Christum.

Secundò respondetur, abstinendum esse ab eiusmodi modo orandi Christum, ne videamur sic orando fauere Arrianis, vel Nestorianis, tùm IV. etiam quia quando aliquem oramus, solemus D VIII. eum alloqui titulo magis honorifico, sicut & dum adoramus, summam quam habet potestatem, protestamur, ne alioqui vtendo titulis eius inferioribus & omittendo superiores, videamur illum potiùs irridere quàm honorare: vnde cùm Christus verè sit Deus, debemus dicere, *Christe audi nos, Christe miserere nostri*, & potissimum quando oramus publicè.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Christo conueniat orare secundùm sensualitatem, item orare pro se, & an omnis eius oratio semper fuerit exaudita.

PRIMÒ respondetur, Christum nunquam orasse secundùm sensualitatem hoc sensu,

1. quòd oratio fuerit actus sensualitatis, id est, appetitus sensitiui, est enim oratio actus rationis, vt docet sanctus Thom. secunda secundæ quæst. 83. articulo 1. potest tamen dici orasse secundùm sensualitatem, quia orando petiuit bonum aliquod naturæ suæ conueniens, v. g. quando dixit, *Pater, si possibile est transeat à me calix iste.*

Secundò respondetur, cõstare ex dictis suprà, & ex Ioan. 17. capite, Christum orasse pro se, *Pater venit hora clarifica Filium.*

Vltimò respondetur, quoad exauditionem orationis Christi eamdem esse omnino rationem, ac eius voluntatis, suprà autem docuimus omnem eius voluntatem efficacem fuisse adimpletam, non autem omnem inefficacem, pari modo omnis eius efficax oratio fuit exaudita,

II. non item inefficax: An autem inefficax oratio B propriè vendicet sibi rationem orationis, vt quando Christus Matth. 26. orauit, *Transeat à me calix iste*, eadem est difficultas, ac an voluntas inefficax absolutè & propriè loquendo dicatur esse voluntas, an verò solummodo secundùm quid; quam difficultatem expendunt Philosophi agendo de voluntario & inuoluntario.

AD QVÆSTIONEM XXII.

DISPVTATIO PRIMA.

De Sacerdotio Christi.

ARTICVLVS PRIMVS.

III. *Vtrùm conueniat Christo esse Sacerdotem.* C

NOTANDVM est *duplex distingui Sacrificium, duplex item Sacerdotium, vnum metaphoricum* & improprij, *alterum proprium: Sacrificium metaphoricum* nihil est aliud, sumpto nomine sacrificij, pro oblatione & sacrificatione, quàm exercitium boni alicuius operis siue interni, siue externi propter Deum, vt operans illi inhæreat, quemadmodum explicat sanctus Augustinus libro decimo de ciuitate Dei, capite sexto. Actus ille bonus vocatur sacrificium sumpto nomine sacrificij pro re sacrificata: Sacerdotium huic metaphorico sacrificio respondens, nihil est aliud quàm dignitas, potestas, & authoritas exercendi eiusmodi

IV. bonas actiones, & eas ordinandi ad Deum, vt D operans ei inhæreat: vnde sicut conuenit cuilibet exercere bonas istas actiones, eas sic referre in Deum: ita etiam & esse sacerdotem hoc genere sacerdotij, propterea passim in sacris Litteris bona eiusmodi opera vocantur sacrificia hostiæ, exercitium illorum, immolatio, sacrificatio, exercentes illa, sacerdotes. De primo, Psalm. 50. *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus.* De secundo, Ecclesiast. 15. *Qui facit misericordiam, offert sacrificium.* De tertio, primæ sancti Petri 2. & primo, capite Apocalyp. vbi sanctus Ioan. loquens de beneficiis quæ Christus contulit singulis fidelibus, ita ait, *Et fecit nos regnum, sacerdotes Deo & Patri suo.*

Sacrificium propriè dictum nihil est aliud quàm externa oblatio rei sensibilis, & permanentis, à legitimo ministro facta soli Deo immediatè, per realem immutationem ad testandum eius supremum dominium, & nostram subiectionem, vt colligitur ex sancto Thom. secunda secundæ tota quæst. 85. & fusius explicant ibi Theologi, & hac parte infrà quæstione 83. agendo de sacrificio Missæ. A V.

Sacerdotium verò propriè dictum est authoritas & potestas singulari titulo collata alicui, ad sacrificium hoc propriè sumptum Deo offerendum: hoc loco mouetur tantùm quæstio de hoc sacrificio & sacerdotio propriè dicto, an secundùm illud Christus fuerit propriè sacerdos.

Cuius pars affirmans est de fide, ex Apostolo ad Hebræos quarto, quinto, & sequentibus capitibus, vbi ex professo probat Christum esse Sacerdotem & Pontificem: ex quibus omnibus potest sic probari conclusio: ei qui ex speciali deputatione inter homines assumitur, vt pro VI. toto populo preces publicas, dona, & sacrificia Deo offerat, eáque de facto offert, conuenit quòd sit sacerdos: sed Christus ex speciali deputatione Dei assumitur ex hominibus, vt pro toto populo preces publicas, dona & sacrificium offerat, & pro illis de facto obtulit: ergo Christo conuenit quòd propriè sit sacerdos.

Maior præter quam quod est Apostoli in citato capite quinto, satis colligitur ex libro primo Regum capite decimo tertio, & ex secundo libro Paralip. capite vigesimo secundo, in quorum primo Saül, & in secundo Ozias Rex puniuntur, quòd sint ausi sacrificare, cùm ad hoc munus non essent vocati.

Minor verò probatur, quoad singulas partes, & primò quòd Christus ex speciali deputatione sit constitutus, patet ex Psal. 20. vbi dicit Christus, *Ego autem constitutus sum Rex ab* VII. *eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius*: quo loci nomine *Sion* intelligitur Ecclesia, vt ad illum locum notant sanctus Hieronymus, & S. Augustin. ad Hebræos 5. *Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret*, id est non semetipsum exuluit ad dignitatem Pontificiam, sed non fecit seipsum summum Pontificem, *sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, & Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum.* Quod verò obtulerit preces publicas docet ibidem Apostolus, cùm ait, *clamore valido, &c.* & item cùm ait, *eum fuisse pro sua reuerentia exauditum.* item obtulisse sacrificium cap. 9. cùm ait Christum *introiisse in sancta per propriũ suum sanguinem.* & ad Ephes. quinto, *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis.* Atque hãc nostram conclusionem docent omnes Patres VIII. suis commentariis in epistolam ad Hebr. quod etiam in institutione Eucharistiæ obtulerit sacrificium propriè dictum, & ex consequenti hoc etiam titulo sit sacerdos, docent omnes Theologi infrà quæstione 83. & definit Trident. sess. 22. can. 1.

Secunda propositio. *Christus Dominus est sacerdos, non in quantum est Deus, sed in quantum est homo, seu homo-Deus.* Est contra Caluinum & aliquos alios, qui volunt Christũ vt Deum fuisse sacerdotem, & vt hominem seu humanitatem eius fuisse victimam: sensus autem nostræ propositionis est dignitatem sacerdotis ita competere Christo D. ratione suæ humanitatis, vt per hanc elicitiuè exercuerit officium & actus sacerdotij, non quidem per illam nudè & simpliciter cõsideratam, sed vt terminatam à Verbo

diuino:

I. diuino: sicque non sola humanitas, sed etiam ipsum eius sacerdotium, item & sacrificium habuit infinitam dignitatem, & valorem. Ita sanctus Thomas infrà quæstione vigesima-sextà articulo secundo, & communiter omnes Theologi.

Probatur, ex sancto Paulo primæ ad Timotheum secundo. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*, quo loci particula illa, *homo*, præposita huic termino, *Christus Iesus*, indicat officium mediatoris, quod etiam includit sacerdotium, competere Christo ratione humanitatis, & terminus ille, *vnus Deus*, qui habetur in prima parte istius sententiæ, denotat Deum ibi sumi non pro sola persona Patris, sed *pro tota Trinitate*, quia tres personæ diuinæ sunt vnus tantùm Deus: similiter quando dicitur *mediator Dei*, idem est, ac totius Trinitatis, quia terminus ille *Deus*, ibi sumitur pro eo qui in verbis antecedentibus dicitur, *velle omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: at id intelligitur de Deo, absolutè sumpto, provt subsistit in tribus personis, vt patet ex Patribus locum hunc explicantibus. Et quoniam mediator, vt sic, opponitur ei apud quem est mediator, quia est medius inter eum apud quem intercedit, cùm Christus secundùm diuinam naturam spectatus non sit distinctus etiá numericè à diuinitate Patris: sit vt secundùm diuinam naturam non sit mediator, nec proinde sacerdos: atque hoc modo locum hunc intellexerunt sanctus Augustinus libro secundo de peccato originali capite vigesimo-octauo, & sermone primo in Psalmum vigesimum-nonum, sanctus Chrysostomus homiliâ septima, in illud capitis Apostoli, Theodoret. ibi, & alij.

II.

Probatur. Omnis sacerdos, vt sic, & quatenus offert sacrificium, est inferior eo, cui sacrificat: quia per talem actum profitetur supremum dominium eius cui sacrificat, & suam propriam subiectionem ad illum, vt patet ex definitione sacrificij: atqui Christus Dominus, vt Deus, siue ratione diuinitatis, vel etiam personalitatis, non est inferior Deo Patre, vel Spiritu sancto, sed æqualis, vt fides docet, éstque illis inferior tantùm ratione suæ humanitatis, vt eadem fides docet: ergo Christus Dominus fuit sacerdos ratione solius suæ humanitatis, proindéque exercuit per illam munus & officium sacerdotis.

III.

Quod autem Christus Dominus exercuerit actum sui sacerdotij per humanitatem, vt terminatam à Verbo diuino, patet ex Patribus, qui asserunt esse de ratione nostri mediatoris, vt participet aliquid vtriusque extremi. Sic sanctus Irenæus libro tertio aduersus hæreses capite vigesimo, sanctus Cyrillus libro duodecimo thesauri, capite decimo & alij. Quia scilicet natura humana non potuit ex se, munus tanti mediatoris, & tanti sacerdotis exercere, nisi, provt coniuncta verbo, habuit valorem infinitum, eo modo, quo supra diximus ad satisfaciendum Deo ex rigore iustitiæ, fuisse necessarium aliquas ex diuinis personis incarnari.

IV.

Deinde probatur ratione. Actiones & passiones, iuxta potentiam ordinariam Dei, sunt tantùm à subsistentia terminata propria, vel aliena subsistentia: ergo cùm humanitas Christi Domini nunquam habuerit creatam subsistentiam, A sed solam Verbi diuini, illa exercuit hoc officium, vt terminata à Verbo diuino. V.

Tertiò probatur. Actio sacrificij Christi Domini est valoris infiniti, vt passim Patres & Concilia docent, valor autem infinitus actionum Christi Domini maximè prouenit à suppolito Verbi diuini, vt primâ quæstione ostendimus.

ARTICVLVS II.

Soluitur prima obiectio.

OBIICIT primò. Sanctus Paulus ad Hebræos capite 5. probat Christum Dominum esse verè & propriè sacerdotem, ex eo quòd Deus Pater Psalmo secundo dixerit ei, *filius meus es tu, ego genui te*: ergo vt argumentum Apostoli valeat, Christus Dominus debet secundùm B illam naturam esse sacerdos, secundùm quam istud Psalmistæ est verum, & iuxta quam est propriè Filius Dei, sed istud Psalmistæ intelligitur, & est verum de diuina generatione Christi Domini, seu, qua diuinam essentiam accepit à Deo Patre: ergo Christus Dominus debet esse sacerdos secundùm naturam diuinam. VI.

Respondetur, locum illum Psalmistæ non ibi à S. Paulo adduci, vt probet sacerdotium Christi Domini, sed hunc versum Psalmi 109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*. Totum verò istud Apostoli, *Qui loquutus est ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te*, esse tantùm periphrasim personæ diuini Patris, proprium & naturalem suum filium incarnatum constituentis in sacerdotem, & Pontificem, vt facilè intelligitur ex immediatè præcedentibus quibus, explicat Christum Dominum, non semetipsum constituisse in sacerdotem, sed *eum* C *qui loquutus est ad eum*, id est, Deus propriùs & verus eius Pater, prima persona Trinitatis, nec proinde potest ex illo loco inferri sacerdotium competere Christo Domino secundùm diuinam naturam. VII.

Deinde respondetur, aliud esse explicare, *primam radicem summæ excellentiæ sacerdotij Christi Domini*, & aliud exprimere vel significare *respectu cuius naturæ*, diuinæ, an humanæ, *competat ei esse sacerdotem*, sicut aliud est exprimere primam & immediatam radicem infiniti valoris dominicæ passionis & mortis, & aliud explicare secundùm quàm naturam Christus sit verè & propriè mortuus, & sicut in hoc exemplo infinitas valoris est à personalitate Verbi vnita humanitati, passio autem & mors sunt loquendo propriè solius naturæ humanæ; ita etiam Apo- D stolus loco in obiectione citato explicat tantùm illo Psalmistæ testimonio primam radicem summæ illius excellentiæ, quæ sacerdotio & Pontificatui Christi Domini competit, & alio eiusdem Psalmistæ testimonio probat sacerdotium ei, vt homini, conuenire. VIII.

Et hæc responsio confirmatur auctoritate Theodoreti ad illum locum Apostoli sic scribentis. *Ad prophetica confingit testimonia, & per ea quidem præclarè, quòd dixit, confirmauit, præclarè autem ac sapienter ostendit eum non appellari solum Pontificem, sed etiam filium, & nouum quendam, & imprimis admirabilem Pontificatum suscepisse.*

I.

Articvlvs III.

Soluitur secunda obiectio.

OBIICIES secundò. Quidquid competit Christo Domino ratione naturę humanæ, cœpit ab aliquo tempore, quia vnio humanitatis cum personalitate Verbi fuit tàtùm facta in tempore, & non ab æterno. Sed iuxta S. Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi decima satis longè ante finem, & initio sequentis vndecimæ catechesis, Christus est summus sacerdos, *Immortale habens sacerdotium, quod nempè à tempore cœpit, nec ex hominibus promotione aliqua in sacerdotium ascendit, sed semper sacerdotij habuit dignitatem*: ergo esse sacerdotem, non competit Christo, ratione naturæ humanæ, sed diuinæ.

II.

Respondetur, S. Cyrillum ibi facere antithesim inter sacerdotium Christi Domini, & Aaronicum quòd hoc posterius fuerit collatum Aaroni, longo alio tempore post eius natiuitatem, per vnctionem olei veri & materialis, quòd Aaron habuerit successores in suo sacerdotio, quódque fuerit mutabile, & abrogatum; priùs verò istud fuerit à Deo Patre concessum Christo Domino primo instanti suæ conceptionis, sicut & omnes aliæ similes eius prærogatiuæ, sicque non cœpit à tempore, nimirùm consequente Christi natiuitatem, sicut Aaronis sacerdotium cœpit in tempore natiuitatem Aaronis consequente: fuit item vnctione spiritali, nimirùm ipsa vnione hypostatica, Christi Domini humanitatem sanctificanto, vt docuimus ad quæstionem 7. huius partis, quòd item nullus in sacerdotio succedat Christo Domino: est enim sacerdos in æternum, cuius omnes nostri sacerdotes sunt tantùm vicarij, vt docebitur ex professo inferiùs, agendo de sacrificio Missæ. Et quòd in his duobus locis S. Cyrilli, duæ illæ particulæ (neque à tempore cœpit, & semper sacerdotij habuit dignitatem) debeant in isto sensu accipi, patet ex eo quòd, priori loco, opponit priori particulæ, istud, *accipere ex corporea successione sacerdotium, & oleo factitio vngi in sacerdotem*, quod in lege Mosaica non fiebat filiis Aaron, nisi longè post illorum natiuitatem, & illis maximè adultis, posteriori verò particulæ opponit istud, *non ex hominibus promotione aliqua in sacerdotium ascendit*: quasi dicat, Christus non fuit obtenta iam adulta ætate, aliqua hominum promotione electus, & creatus in sacerdotem; sed semper, id est, statim à primo illo

III.

IV.

instanti, quo fuit aliquod subsistens compositum ex humanitate & subsistentia Verbi diuini, (quod propriè Christus importat) vsque ad finem vitæ, & amplius, in æternum vsque sacerdotij dignitatem habuit. Quòd si quis velit facere vim in ista sancti Cyrilli particula, *accipiens sacerdotium, sed ante sæcula à Patre*. Respondetur id dici, non ratione actualis collationis sacerdotij, (hæc enim supponit mysterium Incarnationis, quod reipsa contigit tantùm in tempore) sed de prærordinatione, per quam Deus ab æterno statuit dare Christo Domino excellentem hanc sacerdotij dignitatem in tempore, statim in primo instanti conceptionis eius; nam in illo Psalmo 109. Deus Pater introducitur loquens ab æterno, Christo, de singularibus perfectionibus, sacerdotis, regis, & iudicis, quas in

A

B

C

D

tempore, quo Verbum erit incarnatum, decreuit illi dare.

V.

Articvlvs IV.

Soluitur tertia obiectio.

OBIICIES tertiò. Est de intrinseca ratione sacrificij propriè dicti, vt sacrificans faciat realem immutationem in re oblata, destruendo illam: sed Christus in cruce seipsum non destruxit nec interfecit, sed crucifixores: igitur verè & propriè videtur Christus non fuisse sacerdos, dum sese obtulit ad mortem, & eam pro nobis est passus.

Respondetur, duobus modis posse intelligi, realem immutationem fieri ab sacrificante circa rem sacrificatam. Primò, *reali & physica actione* sacrificantis, qua propria manu destruit & interficit hostiam Deo oblatam. Secundò, *morali tantùm actione*, quatenus scilicet, iuxta moralem hominum æstimationem, potest aliqua actio tribui alicui tanquam principio illius moraliter effectiuo, quo sensu qui iubent aut consulunt aliquid faciendum, dicuntur illud efficere. Ad rationem sacrificij propriè dicti, non est intrinsecè necessarium, vt sacrificans propriis manibus mactet seu interficiat animal oblatum, sed sufficit si moralis aliqua actione concurrat ad destructionem rei oblatæ: vt potest colligi ex sacrificiis veteris legis. Legimus enim libro secundo Paralipomenon capite septimo, Salomonem in dedicatione templi mactasse hostias boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia, quæ omnia & singula animalia verisimile est non fuisse interfecta propria manu sacerdotum, sed vel aliqua tantùm, & reliqua per eorum ministros: Christus autem licèt seipsum non interfecerit, ita tamen concurrit ad separationem animæ à proprio corpore (in qua consistit hominis destructio) vt cùm posset animam retinere in corpore, etiam millies & millies percussio, ense, vel quouis alio instrumento, non tantùm sese liberè obtulerit ad mortem, sed etiam voluerit tunc animæ à proprio corpore separationem, sicque se pro nobis obtulerit, & sacrificauerit iuxta illud Prophetæ, *Oblatus est, quia ipse voluit*, & eius verbum sancti Ioannis decimo. *Nemo tollit animam à me, sed ego pono eam à me ipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*, quatenus scilicet nemo poterat animam eius separare à corpore, nisi ipse eam separaret. Quamdiu enim placuit ei animam retinere in corpore, tamdiu illa mansit ei vnita, & quando etiam voluit eam reuniri corpori, statim iterum ei est vnita, vt explicat sanctus Augustinus tractatu quadragesimo-septimo, in sanctum Ioannem, ad quem sensum explicat illud Psalmi tertij, *Ego dormiui, & somnum cœpi, & exurrexi*, quatenus per illa verba Christus Dominus dicit, quia volui, dormiui, & exurrexi, notátque Iudæos potuisse sæuire in Christum, animam verò ab eo tollere non potuisse, si voluisset; in quo differt ab aliis hominibus, qui licèt possint fugiendo euitare mortem, vbi tamen sunt apprehensi, & grauissimè sæuitur in illos, non possunt eam impedire retinendo animam in proprio corpore.

VI.

VII.

VIII.

Distinguitur item à Martyribus, qui licèt liberè & ex magna animi promptitudine offerant se martyrio, non propterea tamen se sacrificant,

I. quemadmodum Christus Dominus: quia ad separationem animæ à corpore sese habent tantùm passiuè, quatenus illis iam torturæ applicatis, velint, nolint, sequitur animæ separatio, quæ sic tota est à tortoribus; tum etiam quia actus ille martyrij non est propriè actus religionis, sed virtutis fortitudinis, vel charitatis in Deum, aut vtriusque simul; tum quia non est in protestationem supremi dominij quod est in Deo, & subiectionem quam homo habet ad Deum, sed in professionem veræ fidei; tum denique quia non fit ab illis vt publica auctoritate ad id deputatis, sed ex iure illo naturali etiam diuino, quo tenetur quilibet potiùs mori, quàm Deum, aut veram eius fidem negare; & pro hac distinctione mortis Martyrum à morte Christi Domini vendicantis sibi rationem sacrificij propriè dicti, potest videri Caietanus in suis sentaculis, sentaculo tertio.

II.

ARTICVLVS V.

Soluitur vltima obiectio.

OBIICIES quartò, hinc sequi Christum Dominum occidisse seipsum. Is enim propriè occidit seipsum, qui deliberata voluntate sciens & prudens facit actione positiua separationem animæ à suo corpore, cùm alioquin posset illam in eo conseruare; atqui ex dictis Christus Dominus fecit actione positiua animæ separationem à suo corpore, & non tantummodò permissiua, hoc enim importat verbum istud Christi Domini apud S. Ioannem cap. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso*, id est, separo à suo corpore; quemadmodum hæc eiusdem Christi Domini particula indicat, *& potestatem habeo iterum sumendi illam*, quòd actionem positiuam oppositam destructiuæ verbo, *pono*, importatam significat. Atqui est blasphemum dicere Christum Dominum occidisse seipsum; est enim occisio sui ipsius prohibita isto præcepto Decalogi, quo etiam Christus tenebatur, *non occides*, iuxta explicationem S. Augustini lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 20. igitur Christus Dominus non separauit animam suam à corpore, nec ex consequenti per illam, seipsum propriè sacrificauit Deo.

III.

Respondetur, in occisione duo distingui posse, primum est *actio exterior, quà corpus* ita vulneratur, vt ad illam mors naturaliter sit sequutura, nisi aliquid aliud obstet diuinitus; alterum est *actualis separatio animæ*, quæ sequitur ad vulnus lethale, sicut effectus ad causam debitè applicatam ad agendum. Quæ separatio animæ à corpore adhuc consideratur *dupliciter*, primò, vt fit, & sequitur, *ex vi, & efficacia prædictæ actionis exterioris*; deinde, *vt aliunde prouenit*, & alias sui causas habet: iam ipsa sui, vel alterius hominis occisio sumpta propriè & formaliter non consistit in separatione animæ à suo corpore, aliunde causata, vel facta, vt intelligitur ex eo quòd separatio talis animæ à suo corpore reperiatur in morte quamplurium, quos tamen nemo dixerit *interfici* seu *occidi*, sumpta hac vtraque dictione iuxta proprium & communem vsum loquendi, vel seipsos interficere: sed consistit in prædicta exteriori actione, priori modo consideIV.

A rata, quam Christus non exercuit erga seipsum, sed soli Iudæi, & propterea dici non potest seipsum occidisse. Nec obstat quòd teneatur homo, vbi, & quando potest conseruare propriam vitã, & ideò, quemadmodum S. Athanasius docet in Apologia pro sua fuga, Martyres quæsiti à persecutoribus fugerent, séque ab illis absconderent; Christus autem cùm haberet dominiũ in corpus suum, & animam posset inuitis Iudæis, pertinaciter conantibus eum interficere, vnionem sæ animæ cum corpore conseruare; hoc, inquã, non obstat: nam conseruatio vitæ propriæ, est tantùm de præcepto affirmatiuo, cuius obligatio cessat vbi, & quando insigne bonum cuiusdam singularis charitatis, aut iustitiæ, vel alterius virtutis occurrit. Quare cùm tunc occasio admodum oportuna occurreret Christo Domino seruandi præceptum sibi à Deo Patre impositum de

B subeunda morte pro nobis: item opus nostræ redemptionis & eius consummatio essent actus insignis tantùm obedientiæ, iustitiæ, & charitatis, iure merito potuit tunc nolle actu positiuo conseruare amplius animam in corpore, quin potiùs illam ab eo separare & sinere agens naturale sibi ad hanc separationem debito modo applicatum consequi re ipsa suum effectum, absque eo tamẽ quòd propriè seipsum interficeret. Tandem addi potest, quòd si ex hypothesi Iudæis vel aliis hominibus eum occidere nolentibus, Christus ipsemet seipsum interfecisset, vt sic pro nobis redimendis moreretur, tunc illa hæc sui ipsius occisio carnisset omni & qualibet culpa, non tantùm præcisè ex eo quòd id instinctu diuino fecisset, sicut beata Apollonia, & aliquot alij, de quibus S. Augustinus lib. 1. de ciuitate Dei cap. 21. sed etiam quia rationes illæ, ob quas iuxC ta S. Thomam & alios 2. 2. quæst. 64. art. 5. occisio suipsius est prohibita, cessarent in Christo Domino, vt facilè videre est discurrendo per illas. Prima est, quòd homo non sit Dominus suæ vitæ, & eius transitus ab hac vita ad aliam non subsit eius arbitrio sed diuinæ potestati: at patet ex dictis Christum ex speciali titulo habuisse dominium suæ vitæ. Secunda, quòd tam natura quàm recta ratio abhorret istud: sed natura præcisè sumpta ita abhorret mortem, vt nihilominùs recta ratio consulat illam ex aliqua honesta & rationabili causa pati, exempli causa pro defensione fidei Catholicæ, vel etiam patriæ: ergo, esto, naturalis appetitus Christi Domini refugerit mortem inferri à seipso; recta tamen ratio, ob summum bonum, ad quod illam ordinasset, & motiuum illud, ex quo id præstitisset, hunc horrorẽ sustulisset; sicut de facto sustulit, quando

D ex simili desiderio orans dixit, *transeat à me calix iste*, & statim subiunxit, *veruntamen non sicut ego volo*. Tertia, qui seipsum interficit, iniuriam facit reipublicæ cuius est membrum, & principibus quibus subest; sed Christus Dominus nulli humanæ legi fuit subiectus, vt suprà ostendimus, imò habuit singulare quoddam dominium in omnes & singulas creaturas, vt etiam aninaduertimus suprà, & cum mors Christi Domini sit aliqua totius humani generis perfectio, ratione boni quod ex illa contigit, occisio suipsius præcisè considerata, non potuit ex his, & aliis similibus capitibus esse Christo Domino, absolutè & simpliciter loquendo, illicita.

V.

VI.

VII.

VIII.

I.

Articvlvs VI.

Quæ ratione dignitas sacerdotis competat Christo Domino.

QVIA hæc dignitas conuenit Christo Domino vt homini, & homo dicit compositum ex anima & corpore: quæritur an hæc dignitas primariò conueniat toti eius humanitati, an verò eius animæ conueniat primariò, & consequenter toti. Duæ sunt hac de re sententiæ, vna affirmans primariò toti humanitati conuenire.

Cæterùm hæc sententia animaduertit, quòd si quæstio moueatur de actuali functione muneris sacerdotalis, tũc quia hæc actio sumpta adæquatè cõstat duabus partialibus, vna *consistente in affectu religioso colendi Deum*, vt auctorem vitæ & mortis, quæ est interior, & voluntatis: *altera exteriori*, consistente in occisione victimæ, facta per sacerdotem, animaduertit hoc munus sacerdotis *primariò* conuenire animæ, ratione *prioris* actionis, quàm toti humanitati conuenat; attamen ratione *posterioris* conuenire *primariò toti humanitati* seu composito, quia occisio non est corporis, nisi vt per animam viuificati; & actualis separatio vnius partis totius compositi ab alter- comparte, ratione cuius totum destruitur.

II.

Contraria tamen sententia, quæ asserit dignitatem seu potestatem sacerdotis cõuenire Christo Domino vt homini, primariò ratione animæ eius, & consequenter, seu denominatiuè toti eius humanitati seu composito ex anima, & eius corpore inter se vnitis, videtur nobis melior, cámque loco nostræ conclusionis ponimus, & est expressè Vasquesij hac parte, disput. 83. cap.

III.

5. & habet fundamentum satis euidens in sancto Thoma; nam potestas, seu dignitas sacerdotij est aliqua species gratiæ capitis, quæ fuit in Christo Domino, provt hæc sumitur adæquatè, vt etiam S. Thomas significat hac quæstione art. 1. in respons. ad 3. & patet ex eo quòd Christus Dominus ratione huius potestatis influit speciali modo in homines tanquam caput in membra, vt intelligitur ex effectibus proprij eius sacrificij: sed ex eodem S. Thoma præcedenti quæst. 8. art. 2. in corpore, gratia capitis conuenit principaliter animæ Christi Domini: ergo & dignitas sacerdotij conuenit principaliter animæ Christi Domini. Deinde quia fundamentum Vasquesij nobis non placet, hoc præsenti, probatur. Eo modo dignitas sacerdotij primariò conuenit Christo Domino, quo ius faciendi aliquid, præcisè sumptum in ratione iuris, competit illi, quia

IV.

hæc dignitas importat ius quoddam speciale exercendi singula munia sacerdotis verè & propriè dictis: sed in ente libero, cuiusmodi est Christus Dominus, ius faciendi aliquid conuenit primariò eius animæ, & consequenter tantùm toti, quòd componit cum corpore, sicut & esse formaliter liberũ: igitur dignitas sacerdotij primariò competit animæ Christi Domini, & ratione illius consequenter toti eius humanitati. Secundò, dignitas illa, quæ suo formali modo essendi est verè & propriè spiritalis, primariò competit enti spiritali; nam subiectum cui primariò competit debet ei correspondere; atqui hæc dignitas sacerdotij Christi Domini sumpta formaliter, & eo modo quo est aliquid reale, est etiam illo eodem modo aliquid spiritale, & nõ aliquid propriè materiale, vt etiam indicant illi effectus

A proprij quos causat in hominibus, qui sunt *recognitio supremi dominij in Deo; & nostræ ad illum subiectionis*, item *placatio Dei*, nostra cum illo reconciliatio, & id genus cætera. Igitur dignitas sacerdotij debet primariò competere animæ Christi Domini, & consequenter tantùm toti eius humanitati. Tertiò, ea potestas cõuenit primariò animæ Christi Domini, cuius actus proprij sunt ab eius anima, vt prædita tali potestate, & ab eius corpore, tanquam instrumento suo: (sic enim S. Thomas citato art. 2. quæst. 8. probat gratiam capitis conuenire primariò animæ Christi Domini) sed proprij actus sacerdotij Christi Domini sunt primariò ab eius anima, vt moraliter informata hac potestate sacerdotij, quia actus eius sunt morales; at omnes huiusmodi actus in agẽte libero sunt primariò ab ipsa eius voluntate. Nec obstat quòd sint etiam externi,

B quia etiam sunt per imperium voluntatis applicantis potentias exteriores ad agendum exterius illud quod interiori correspõdet, illiúsque complet & perficit, & hoc prior sententia concedit, vt expressè videbitur infrà in solutione argumentorum eius: igitur & hæc dignitas sacerdotij primariò conuenit animæ Christi Domini, & consequenter toti eius humanitati. Hæc ratio confirmatur: eadem est ratio, & proportio virtutis & potentiæ ad suum subiectum tanquam ad illud cui conuenit, quæ est ratio & proportio propriæ actus talis virtutis ad subiectũ cui conuenit, quia actus sequitur conditionem sui principij, sed ex sententia nobis opposita actus sacerdotij Christi Domini conuenit primariò animæ Christi Domini, & tantùm consequenter toti eius humanitati: igitur & dignitas sacerdotij in Christo Domino primariò conuenit animæ eius, & tantùm

C consequenter toti eius humanitati. Quartò, Dignitas illa seu potestas quæ remansit in Christo Domino pendente triduo mortis eius, & cuius actus aliquis tunc potuit dari, conuenit primariò animæ eius, & solùm ex consequenti toti eius humanitati tam ante quàm post prædictum triduũ mortis: sed dignitas seu potestas sacerdotij fuit & remansit in Christo D. pendente triduo eius mortis, & aliquis actus eius potuit exerceri: igitur hæc potestas cõuenit primariò eius animæ & toti eius humanitati tantùm cõsequenter; Maior intelligitur esse vera ex propriis terminis. Minor verò eius probatur quoad priorem eius partẽ, de permanentia huius potestatis est expressa sententia S. Thomæ infrà quæst. 50. art. 4. in resp. ad 3. vbi admirãs quòd ei obiiciebatur ibi, Christum D. fuisse sacerdotem in triduo, aliàs istud Psalmi 109. *Tu es sacerdos in æternum*, fore falsum; Re-

D spondet *esse sacerdotem conuenire homini ratione animæ*, & ex eo quòd homo, quia retinet characterem ordinis sacerdotij, non perdit ipsa morte ordinem sacerdotalem, sic infert, *& multo minùs Christus, qui est totius sacerdotij origo*, ex qua responsione S. Thomæ non tantùm hæc prior pars Minoris probatur, sed etiam nostra propositio, quatenus dicit *conuenire homini, ratione animæ, esse sacerdotem*, hæc enim eius particula, *ratione animæ*, idem sonat ac *primariò*. Nec obstat quòd ista verba intelliguntur ibi de nostris sacerdotibus; nam verba illa S. Thomæ quæ nunc protulimus, ostendunt S. Thomam velle istud longè maiori iure esse verum de Christo Domino, cum nostrũ legis nouæ sacerdotiũ, sit tantùm quædam participatio singularis illius sacerdotij, quod verè & propriè est in Christo Domino vt homine.

V. VI. VII. VIII.

I. Posterior pars eiusdem Minoris probatur. Licèt Christus Dominus in triduo, defectu vnionis animæ cum corpore, non potuerit humano modo proferre verba formæ consecratoriæ suprà materiam sufficientem sibi præsentem; quia tamen, vi potestatis excellentiæ, quæ singulariter est in illo, poterat alio modo, quàm verbis consecratoriis, tunc conficere sacramentum Eucharistiæ, & quia talis confectio, seu consecratio est vera sacrificatio, saltem quoad principalem partē, vel quoad totam essentiam nostri sacrificij (vt plures alij volunt) tunc verè sacrificasset: ergo tunc verè exercuisset actum sui sacerdotij: ergo cùm istud fieri non implicauerit, & actus sacerdotij supponat dignitatem, & potestatem sacerdotis in eo qui talem actum exercet, Christus Dominus etiam in triduo suæ mortis retinuit dignitatem & potestatem sacerdotis, quam ante mortem habebat. Cõfirmatur. Si Christus Dominus per mortem amisit hanc dignitatem sui sacerdotij, quomodo illam, resurgendo, recuperauit? non ab vnione hypostatica, quia hæc nunquam fuit dissoluta, etiam in morte, quod enim semel assumpsit nunquam dimisit; & proinde si habuit illam formaliter ex vi hypostaticæ vnionis, sicut hæc nunquam fuit dissoluta, sic nec hæc dignitas fuit vnquam ab illo deperdita; non item recuperauit illam vnione partium humanitatis inter se, quæ per eius resurrectionem fuit facta, quia hæc non est per se causaria istius dignitatis, vt patet in aliis hominibus, nec etiam vt est in particulari harum partium huius humanitatis, quia non potest explicari quid illæ partes in particulari efficiant, ratione cuius, vel tanquam causæ, vel tanquam fundamenti hæc dignitas sacerdotis ponatur, vel resultet in toto Christo Domino resurgente: ergo dicendum est eam etiam tempore tridui fuisse in illo, & ex consequenti illam primariò conuenire animæ, & consequenter toti eius humanitati, quæ ideò rectè dicitur esse illius *subiectum denominationis*.

II. B

III. C

ARTICVLVS VII.

Soluitur primum argumentum sententiæ contrariæ.

PRIMVM argumentum est. Ex Apostolo ad Hebræos 5. cap. *Omnis Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia.* Ex quo argumentum hoc formatur: vt quis verè & formaliter habeat & retineat dignitatem seu potestatem sacerdotij, debet ita esse formaliter homo, vt constet anima & corpore, quemadmodum significat relatus Apostolus: sed primariò conuenit Christo ratione totius humanitatis, quòd ita sit formaliter homo vt constet anima & corpore: ergo etiam toti eius humanitati conuenit primariò quòd sit sacerdos.

IV. D

Respondetur ad auctoritatem Apostoli, & ad primam rationem exillo petitam, aliud esse considerare *aliquid in suo fieri*, seu quoad *suum fieri*, & aliud considerare *illud in suo esse iam facto*. Plerumque res alias requirere conditiones & causas *in suo fieri*, quas tamen, vt *iam sunt factæ* non amplius requirunt; quemadmodum videre est in sacramento Eucharistiæ, quod *in suo fieri* postulat intrinsecè & essentialiter verba consecratoria debitè prolata suprà debitam materiã, quæ tamen verba, vbi est *in suo facto esse*, secundùm quod est permanens, non postulat. Apostolum ibi loqui tantùm de sacerdote *in fieri*, cuius hãc inter alias

A vult esse conditionem, quòd verè & propriè constet anima & corpore: & quòd talis eligatur in sacerdotem; non autem loquitur de sacerdote vt est in suo tali esse iam facto, vt hæc eius verba seipsis declarant, *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur*, quorum vltima particula præsentis temporis sonat actualem electionem & institutionem alicuius in sacerdotem; non verò importat conditionem illam quam debeat tandiu retinere, quãdiu talem sacerdotij dignitatem alias acceptam retinebit, de quo tamen procedit tantùm præsens difficultas. Neque his obstat, quòd S. Paulus cap. 7. eiusdem epistolæ sic loquatur de sacerdotibus veteris Testamẽti, *& alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere*; nam imprimis istud potius nostram confirmat responsionem quam infirmet, cùm Apostolus ibi opponat sacerdotium Christi Domini, quoad perpetuitatem, sacerdotio legis veteris, quòd hi haberent successores, Christus verò minimè, *eo quòd*, inquit *hic*, nempè Christus, *maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*: sed Christus Dominus non eo sensu dicitur habere sacerdotium sempiternum, quòd per semetipsum immediatè offerat quotidiè sacrificium, vt fatentur aduersarij; ergo sacerdotium eius debet dici sempiternum, quòd sacerdotalis dignitas in eo semper perseueret, & quòd per sacerdotes nouæ legis quotidiè offerat, & semper offeret vsque in finem mundi, non vt per suos successores, sed vt per suos vicarios: ergo cùm sacerdotium sit ad minus tantæ virtutis & dignitatis in principali offerente seu sacerdote, quantæ est in eius vicario; imò maior, quia hic agit tantùm representando illum, sicut nostri nouæ legis sacerdotes habent verè & propriè dignitatem, & potestatem sacerdotij, sic etiam Christus non solùm nunc post resurrectionem, sed etiam ante illam in triduo suæ mortis, verè & propriè retinuit.

V. VI. VII.

ARTICVLVS VIII.

Soluuntur reliqua fundamenta eiusdem sententiæ.

SECVNDVM argumentum est. Eadem est ratio Christi Domini, in ratione sacerdotis in triduo, ac aliorum hominũ, qui dum viuunt sunt sacerdotes, quia Apostolus suprà loquitur vniuersim de omnibus sacerdotibus: sed dignitas, & potestas sacerdotis competit tantùm aliis hominibus quandiu viuunt, & vbi eorum animæ separantur à corporibus, desinunt esse sacerdotes, & habere dignitatem & potestatem sacerdotalem: igitur dignitas & potestas sacerdotij cessauit in Christo Domino in triduo mortis eius, cuius cessationis nulla potest alia afferri ratio, quàm quòd totum, ex anima & corpore Christi Domini compositum, tunc esset dissolutum.

VIII.

Respondetur. Si præsens comparatio ibi fiat tantùm inter Christum, & nostros sacerdotes, admittitur Maior proposito seruata proportione inter dignitatem Christi Domini, & nostrorum sacerdotum. Ad Minorem eius respondetur, potestatem & dignitatem sacerdotalem remanere loquendo propriè in sacerdotibus noui Testamenti, etiam dum illorum animæ sunt à corporibus separatæ; hæc enim tandiu manet in illis, quandiu sacerdotalis character, eis per sacram ordinationem impressus, remanet in illis; nam ideò vocatur, *potentia moralis* ab omnibus

I. Theologis, quatenus est signum potestatis acceptæ in inauguratione sui sacerdotij: at hic est indelebilis, & manet tam in damnatis, quàm in beatis, vt omnes Theologi communiter admittunt: igitur & potestas seu dignitas sacerdotij remanet & perseuerat in anima separata.

Confirmatur. Si quis nouæ legis sacerdos mortuus, miraculosè resuscitaretur, non esset ei opus noua consecratione in sacerdotem, sed tam validè posset facere omnia quæ sunt ordinis Presbyterij, quàm anteà: ergo signum est, quòd hæc potestas in eo etiam mortuo remanserat, & ex consequenti hæc dignitas conuenit primariò animæ, & consequenter toti composito ex anima & corpore. Quòd autem anima sacerdotis, vbi, & quandiu est separata à suo corpore, non possit hanc potestatem ad actum reducere, non prouenit ex defectu potentiæ, sed ex eo quòd

II. non sit in statu accommodato ad operandum ex tali potestate, nimirùm *in corpore adhuc mortali, & viatoris*, vt docebimus infrà de sacramentis in genere.

Tertium argumentum est. Dignitas, seu potestas sacerdotij in Christo Domino, nihil est aliud formaliter, quàm ipsamet humanitatis assumptæ dignificatio per diuinam essentiam illi mediatè vnitam; sed hæc dignificatio conuenit primò per se, & proximè toti humanitati, & ratione totius humanitatis, consequenter eius partibus, quia hominis dignificatio sequitur assumptionem humanitatis ad subsistendum hypostaticè, hæc autem assumptio est primariò, & per se ad totam humanitatem, & tantùm consequenter ad eius partes: igitur & hæc dignitas seu potestas sacerdotis competit primariò toti humanitati Christi Domini, & consequenter eius partibus.

III. Respondetur negando Maiorem, cuius falsitas potest intelligi ex dictis suprà ad quæstionem octauam disputatione secundâ articulo tertio, in simili difficultate de gratia capitis, & pro præsenti motiuo explicabitur sequenti articulo.

Quartum argumentum est. Secundum vnum, & idem competit Christo Domino vt homini, esse sacerdotem, quo ei tanquam homini competit quòd sit victima, seu hostia, & templum: idem enim Christus homo est simul, sacerdos, victima & templum, ex S. Thoma hîc art. 2. sed primariò conuenit toti humanitati Christi Domini, quòd sit victima seu hostia, quia toti humanitati primariò conuenit occidi, interfici, mori, non autem animæ rationali, eius parti; similiter esse templum, quia nomine templi intelligitur locus in quo occisio victimæ perficitur, hæc

IV. autem in sacrificio Christi Domini fuit perfecta primariò, & recepta in eius humanitate: igitur dignitas & potestas sacerdotij ita Christo Domino conuenit, vt primariò conueniat toti eius humanitati.

Respondetur Maiori admissa in sensu materiali, sed illam negando in sensu formali: nam non eadem præcisa formali ratione Christus Dominus est sacerdos, qua est victima sacrificij siue cruenti in cruce, siue incruenti in altari. Nec sancti Patres, quando istam Maiorem asserunt, intelligunt illam *in sensu formali*, sed duntaxat *in sensu materiali*, imò Christus Dominus in victima cœna fuit vt homo viuens sacerdos huius sui sacrificij, cuius tamen victima, erant eius corpus & sanguis, vt modo mortuo, vi verborum consecrationis positâ, & eius anima tantùm per concomitantiam: quare cùm à sensu materiali, A ad sensum formalem Consequentia non valeat, secundùm omnes Dialecticos, ex eo quòd Christus Dominus, vt viuens, & constans anima & corpore sacrificauit tam in cruce, quàm in vltima cœna, & idem qui tunc sacrificauit, fuit etiam victima huius sui sacrificij, malè infertur hanc dignitatem sacerdotij primariò conuenire toti eius humanitati, quàm eius animæ. V.

Quintum & vltimum argumentum est. Ea est ratio dignitatis, & potestatis sacerdotij in Christo Domino, quæ est potestatis regiæ, & doctoratus inter homines: at hæc vtraque potestas primariò competit tantùm toti composito, vt constanti anima & corpore, hæc enim vtraque potestas per mortem deperditur: igitur & dignitas seu potestas sacerdotij in Christo Domino vt homine, competit primariò toti humanitati seu composito ex anima & corpore, quàm animæ

B eius. VI.

Respondetur negando Maiorem, quia dignitas regis dicit iurisdictionem temporalem, quæ morte regis expirat, & desinit, maximè cùm & mera spiritualis iurisdictio, quæ est etiam in summo Pontifice, ipsa eius morte cesset, similiter dicendum est de aliis huiusmodi præfecturis.

Articvlvs IX.

Quomodo Christus sit factus Sacerdos? Sensus difficultatis aperitur, & oppositæ sententiæ referuntur.

Hvius difficultatis sensus est iste: *An Christus Dominus sit, vel externa Dei voluntate seu deputatione factus sacerdos, vel ipsa vnione hypostatica humanitatis cum diuina natura:* cuius

C solutio facilè potest colligi ex iis quæ superiùs VII. ad quæstionem octauam disputatione secundâ articulo quarto diximus de dignitate capitis in Christo Domino vt homine; nam est eadem planè ratio, & provt vnusquisque sentit de capitis dignitate in Christo Domino, debet consequenter dicere de dignitate sacerdotis in illo, vnde mirum videri non debet, quod communiter sub istis expressis terminis non pertractetur à plerisque Theologis; quia tamen dantur specialia quædam argumenta, quibus nonnulli putant se efficaciter probare Christum esse factum sacerdotem *sola vnione hypostatica*, idcircò illam sub conceptis in titulo verbis explicabimus. Est igitur de hac re duplex sententia: prior Vasquesij hac parte, disputatione octogesimaquintâ, capite secundo, & quorundam aliorum, Christum Dominum non deputatione, seu ex-

D terna voluntate Dei, sed sola tantùm vnione hy- VIII. postatica esse factum sacerdotem. Ex qua sententia auctores illius colligunt primò Christum Dominum esse naturalem sacerdotem, sicut & est naturalis Filius Dei, cùmque sit natura sua, *Christus*, & *Christus* vnctum sonat, quomodo Concilium Francfordiense epistola sua ad Episcopos Hispanos columna septimâ, docet hoc interesse inter Christum Dominum, & alios iustos, quòd Christus Dominus sit natura vnctus; illi verò per gratiam, hanc istius discriminis reddendo rationem istis verbis comprehensam, *quia in illo pleniter fuit diuinitas*, id est reipsa, *in aliis verò quædam illius tantùm participatio.*

Secundò colligunt, quòd cùm in veteri lege (vt sanctus Hieronymus obseruat commentario ad caput tertium Abacuc ad illud, *in salutem*

I. *cum Christo tuo*) fuerit triplex genus vnguenti, pro triplici genere personarum, quæ vngebantur, & pro triplici munere ad quod illæ personæ vngebantur, nempe in Sacerdotes, Reges, & Prophetas, & specialis illa vnctio humanitatis Christi Domini per diuinitatem sibi vnitam contulerit ei, quicquid externa quæuis vnctio tribuebat hominibus: colligunt, inquam, Christum Dominum similiter *esse naturâ suâ Regem, & Prophetam*, & ita regem, vt hæc eius dignitas regis sit suprà omnes quascumque quorumcunque Imperatorum & regum totius orbis, etiam in rebus merè temporalibus, & ad purè politicam & ciuilem gubernationem pertinentibus.

Posterior tamen sententia cum qua concludimus, est, *hanc sacerdotis dignitatem non fuisse collatam Christo Domino vt homini, loquendo præcisè & formaliter per sanctificationem, & deificationem humanitatis eius, per diuinitatem ei mediatè*

II. *vnitam, vel etiam per vnionem Verbi cum eius humanitate, sed præcisè & formaliter loquendo, per externam Dei voluntatem, quâ deputauit Christum hominem in talem sacerdotem, eique tantam, & tam speciali modo perfectam sacerdotij dignitatem contulit.*

Vt intelligatur hæc propositio, & eius fundamenta, item & ea quæ sunt contrariæ sententiæ soluantur, repetendum est quod in simili difficultate de gratia capitis ad quæstionem 8. disputatione 2. articulo 1. præmonuimus obseruandum, scilicet in dignitatibus & præfecturis duo posse distingui: Primum est id quo aliquis *efficitur idoneus* exercendis propriis muneribus dignitatis & præfecturæ, & per quod, tanquam per aliquid, siue physicum, siue morale exequitur illa proportionatè ad talem dignitatem. Alterum est

III. *potestas*, vi cuius habet formaliter vt possit exercere *auctoritatiuè* propria munia istius dignitatis, quod loco nunc citato illustrauimus exemplo Iudicis. Iam pro explicatione præsentis difficultatis addimus tertium, quod etiam in eiusmodi dignitatibus possumus vltrà hæc duo distinguere, nimirùm illud *vnde*, & *à quo*, tanquam *aliquo principio, siue morali, siue physico*, quasi efficiente, vel proximo, vel radicali, hæc dignitas habet existentiam, & realem sui positionem in tali subiecto; verbi gratiâ, in dignitate regis, vel sacerdotis apud homines, à quo, & vnde quis illam accipiat; verbi gratiâ, in Gallia à præcisa ratione originis, quâ quis sic est de stirpe regia, vt sit omnium primus inter masculos regalis prosapiæ: similiter in sacerdote, quòd sit ad hunc ordinem vocatus, electus & consecutus per Episcopum: hîc tantùm agimus de hoc tertio.

IV.

Articvlvs X.

Probatur nostra sententia ex Apostolo ad Hebræos nono.

His ita præmissis, nostra propositio probatur primùm ex illo Apostoli ad Hebræos quinto capite, *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu, hodie ego genui te, quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Circa quem locum Apostoli notanda primùm est comparatio illa, quam Apostolus ibi facit inter Aaronem & Christum Dominum, *quoad modum accipiendæ dignitatis sacerdotalis*: Cuius comparationis hæc Apostoli particula, *sic*, est signum, quia est explicativa reductionis; & proinde Apostolus vult Christum eo modo (quoad formam præcisè consideratam) fuisse factum sacerdotem, quo Aaron fuit factus sacerdos, cùm præsens hæc comparatio fiat tantùm ab Apostolo penes istum modum, vt eius verba præcisè ferunt: tum etiam quia pro eo quòd primâ parte comparationis loquens de Aarone, & aliis ei similibus, ait, *qui vocatur à Deo*, in redditione comparationis ponit hanc particulam, vt illi oppositam, *non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret*, id est non semetipsum fecit Pontificem, sed qui locutus est ad eum, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: tum etiam quia sanctus Chrysostomus homiliâ 8. in epistolam ad Hebræos expressè notat Apostolû ibi duo facere: Primum est, quòd comparet Christum cum Aarone, & aliis ei similibus, in iis quæ sunt *tam Christo Domino, quàm aliis communia*. Secundum est, quòd recenseat ea *penes quæ* Christus Dominus sacerdos *præcellebat Aaroni*, & aliis sacerdotibus: & inter ista Christo Domino & Aaroni, aliisque sacerdotibus communia verbis expressis recenset *vocationem & ordinationem Christi Domini in sacerdotem*. Verba S. Chrysostomi sunt hæc, *Atque interim quidem ponit ea quæ sunt communia, & tunc ostendit quod exuperet*: & paulò post recensendo ista omnia, & ostendendo illa etiam fuisse in Christo Domino, vbi deuenit ad electionem & vocationem, ita scribit, *Fit*, inquit, *ab alio, & non inuadit. Hoc quoque est commune, nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, quemadmodum Aaron.* Atque eodem modo Oecumenius commentario ad illum locum epistolæ ad Hebræos explicat vocationem & electionem Christi Domini ad sacerdotium: similiter sanctus Anselmus ad illum eundem locum. Item sanctus Thomas lectione pi imâ ad quintum illud caput Apostoli ad illam eius particulam, *Sed qui locutus est*, quam sic explicat, *ibi ostendens à quo est promotus*: at aliquem promoueri ab alio potestatem habente ad aliquam dignitatem, nihil est aliud, quàm eligi & vocari ad illam, seu hac ipsâ eius vocatione & electione perfici.

Deinde circa hunc eundem locum Apostoli notandum est, Deum Patrem ibi alloqui Christum hominem, vt in præscientia sibi coexistentem, & iam reipsâ constitutum ex hypostasi Verbi diuini & humanitate: nam hæc verba Patris diuini, *Ego hodie genui te*, diriguntur ad præsentem, quemadmodum significat hæc particula, *te*, & hæc alia particula quæ explicat eius, ad quem ista locutio dirigitur, productionem vt iam perfectam, *non vt in fieri*, sed *vt in facto esse*, (genui) quæ etiam iuxta expositionem sanctorum Patrum, vt Athanasij oratione tertiâ contra Arrianos, Chrysostomi & aliorum plurium, quos recentiores Interpretes sancti Pauli referunt ad primum caput huius epistolæ, intelliguntur etiam de temporali generatione Christi Domini, quam etiam explicationem illud Dei Patris ad Christum vt hominem Psalmo secundo indicat, quo eum, vt iam in suo formali & vero esse Christi, seu Dei-hominis perfectè constitutum, & vt idoneum iam operari in illo statu interpellat, *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam*: Ex quo fit, vt cùm Christus Dominus in illo priori, quam Deus Pater eum sic alloquere-

V.

VI.

VII.

VIII.

I. tut, iam haberet omnia quæ non tantùm in præciso conceptu vnionis hypostaticæ eius humanitatis ad Verbum includuntur, sed etiam quæ tanquam veræ aliquot illius proprietates necessariò consequuntur illam, nec tamen adhuc haberet dignitatem sacerdotis, iuxta hæc verba Psalmistæ, rectè intell. gitur posteà tantùm illam accipere à Deo Patre per hæc eius verba, *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech:* sunt enim practica institutionis illius, quâ Christus Dominus vt homo constituebatur in gradu tanti sacerdotij, & verba illa antecedentia, *Filius meus es tu; ego hodie genui te*, speculatiua, quæ singularem excellentiam eius, cui Deus confert talem dignitatem, explicant. Atque hunc esse sensum istorum verborum satis expresè notat sanctus Cyrillus Alexandrinus libro secundo de

II. recta fide ad Reginas, capite de eo quòd Christus sanctificatus est, dũ post relata Apostoli verba ad Hebræos quinto capite ita subiungit, *Qui se dimisit ad inanitionem, expectat vocationem à Patre, quæ ad sacerdotium ducat decentissimum, & consuetissimum, non suæ naturæ, sed ei, quæ nobis est similis*, hoc est humanæ: vbi primis illis verbis, *qui se demisit ad inanitionem, expectat vocationem à Patre*, asserit mysterium Incarnationis (quod intelligitur per inanitionem) fuisse priùs integrè perfectum, etiam quoad ea quæ naturaliter & necessariò illud consequuntur, quàm Deus Christo liberè donaret dignitatem sacerdotij: nemo enim iam in rerũ natura positus, & in suo esse perfectè constitutus, dicitur expectare ab alio, nisi quod ille alius potest ei liberè donare, non autem quod ad eius existentiam sequitur

III. necessariò, eique conuenit ex intrinsecis naturæ suæ principiis: nam licèt nolit ille alius, si tamen necessariò sequatur, semper habebit naturaliter, & non ex liberali & gratuita donatione alterius, quam tamen importat ille terminus sancti Cyrilli, *expectat*, & sanctus Chrysostomus citatâ homiliâ octauâ in epistolam ad Hebræos ait, Christum fuisse institutum & ordinatum sacerdotem à Deo Patre, quando dixit, *Tu es sacerdos in æternum*. Nec de eo potest dubitari, cùm Apostolus capite 7. epistolæ ad Hebræos id expresè dicat, sic scribendo, *Alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt; hic autem cum iureiurando, per eum qui dicit ad illum: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum.* Quo loci Apostolus (vt sanctus Thomas ibi lectione 4. obseruat) facit antithesim inter Aaron, & a-

IV. lios ei similes, & Christum, quòd illi fuerunt instituti sacerdotes sine iuramento; Christus autem cum iuramento: & istis verbis Psalmistæ explicari decretum Dei de sacerdotio Christi notat Estius ad illum locum Apostoli.

ARTICVLVS XI.

Nostra sententia probatur ratione.

His circa prædictum locum Apostoli prænotatis, nostra propositio probatur ex illo, Primùm, eo modo & eâ formâ Christus Dominus vt homo est factus sacerdos, quo & ipse Aaron; sed Aaron factus est sacerdos externâ Dei voluntate, eum ad sacerdotium vocantis & eligentis; non autem id habuit naturaliter, seu ex intrinsecis naturæ suæ principiis, per aliquam ex illis naturalem & necessariam resultantiam, aut A emanationem: igitur & Christus Dominus vt homo fuit factus sacerdos externâ Dei voluntate, vocatione, & electione, non autem habuit suum sacerdotium naturaliter, seu ex intrinsecis naturæ suæ principiis, per aliquam ex illis naturalem & necessariam resultantiam, aut emanationem. V.

Maior tota est Apostoli loco citato, vt accuratè expendimus articulo præcedenti, & confirmatur ex sanctis Patribus ibi relatis. Minor propositio, præterquam quod est eiusdem Apostoli, ibi habetur etiam capite 28. Exodi, vbi Deus eligens Aaronem in sacerdotem & filium eius, sic Mosem alloquitur, *Applica quoque ad te Aaron, fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israël, vt sacerdotio fungantur mihi.* Hæc ratio ampliùs confirmatur ex eo quòd isti duo modi, *habere dignitatem ex externa voluntate alicuius, siue Dei, siue alterius*: &, *illam habere naturaliter,* B VI.
necessariò, & ex intrinsecis suæ naturæ principiis, sunt sibi inuicem repugnantes, quia hic posterior importat aliquod debitum naturale ad eum modum, quo personalitas, & aliæ naturales rerum proprietates dicuntur deberi suis subiectis: posterior negat tale debitum, & importat talem dignitatem dari, loquendo absolutè, gratuitò, neque subiectum eius priuatum iri aliquo sibi debito, vel futurum in aliquo statu violento, si Deus illam ei deneget.

Secunda ratio. Quod alicui iam perfectè constituto & completo quoad essentialia, & quoad illa quæ eius essentiam necessariò consequuntur, aduenit, ei ab extrinseco aduenit, & ii illud sit aliquid morale in genere alicuius præfecturæ, debet ei per externam voluntatem alicuius entis liberi per cognitionem agentis aduenire: C sed dignitas summi sacerdotis secundùm ordi- VII.
nem Melchisedech est aliquid morale in genere præfecturæ, vt intelligitur ex dictis: & præterea aduenit Christo Domino iam perfectè constituto *in esse Christi*, seu compositi ex duabus naturis in vno Verbi diuini supposito vnitis, etiam completo quoad illa omnia quæ naturaliter, & necessariò consequuntur tale constitutum: igitur sacerdotalis dignitas secundùm ordinem Melchisedech aduenit Christo Domino ab extrinseco, & per externam alicuius alterius (qui non potest esse alius, quàm ipsemet Deus) voluntatem.

Maior satis patet, tam ex ipsis eius terminis, quàm ex ei adiunctis. Minor probatur, ex iis quæ secundo loco animaduertimus circa prædictum textum Apostoli, quibus tam ex naturali significatione verborum Psalmistæ Regij, qui-

D bus introducit Deum Patrem alloquẽtem Chri- VIII.
stum quem instituit in sacerdotem, quàm ex sanctis Patribus ibi relatis patet, Christum priùs in præscientia Dei extitisse perfectum, quoad totam suam essentiam, & proprietates hanc eius essentiam consequentes, quàm Deus Pater illum fecerit, vel facere decreuerit sacerdotem. Et potest confirmari exemplo sumpto à rebus naturalibus, quæ primò postulant perfici, quoad ea omnia quæ sunt in ordine ad se, quàm quoad ea, quibus perficiuntur in ordine ad aliud; quam ob causam Philosophi & Theologi communiter docent priùs esse aliquam substantiam habere subsistentiam, quâ vltimò quoad seipsam perficiatur, quàm perficiatur in ordine ad aliud sibi extrinsecum, operando circa illud: vnde dicunt actiones esse suppositorum. Atqui sacerdotalis

I. dignitas in Christo Domino est vera aliqua eius perfectio in ordine ad aliud, scilicet in ordine ad omnes homines, *Vt*, iuxta Apostolum citato capite 5. epistolæ ad Hebræos, *offerat Deo pro illis dona & sacrificia, & supplicationes tanquam Dei & hominum mediator faciat.* Igitur Christus Dominus priùs supponitur omninò perfectus, quoad ea, quæ eius essentiam ingrediuntur, & illam constituram necessariò consequuntur, quàm sacerdotis dignitatem in nostrum bonum acceperit.

Tertia ratio. Quod ab agente per cognitionem & voluntatem datur alicui cum solemni iureiurando promissorio durationis eius in perpetuum, datur tantùm per extrinsecam conferentis voluntatem, eámque ita liberam, vt si repugnet eum falli, vel mentiri, sic conferendo, vel promittendo cum iuramento perpetuitatem sui II. doni, significet donum illud non prouenire ex intrinsecis principiis donatarij, nec illi naturaliter esse debitum, quin potiùs ita pendere à seipso donatore, vt possit illud vel absolutè, vel simpliciter ei non dare, vel etiam tantùm ad aliquod tempus, quamuis det illud in perpetuum, aliàs tale iusiurandum promissorium erit ridiculum, cùm, vt fiat rationabiliter, debeat esse de re, quæ possit aliter euenire, & quæ subsit liberæ dispositioni donantis. Atqui Deus ita contulit Christo Domino dignitatem sacerdotis, vt iureiurando promiserit illam fore perpetuam, & longè excellentiorem sacerdotio Leuitico, vt expressè docet Apostolus ex Psalmo 109. citatis locis suprà, & in secundo nostro notabili animaduertimus: ergo hæc sacerdotalis dignitas fuit per extrinsecam tantùm Dei voluntatem collata Christo Domino.

III. Neque potest respondere istam dignitatem potuisse tolli à Christo Domino, quatenùs poterat Deus facere, vt vnio hypostatica humanitatis cum Verbo, ad quam naturaliter & necessariò sequitur, esset tantùm pro aliquo tempore determinato, & non in perpetuum: & ideò ad confirmandum promissum æternæ durationis istius dignitatis consequentis illam, decentissimum fuisse Deum adhibere iuramentum, præsertim cùm Aaronicum sacerdotium esset per illam, vt longè perfectiorem, abrogandum. Sed hæc responsio non satisfacit, tunc enim ista promissio esset tantùm consequenter de perpetuitate istius dignitatis in Christo Domino, & primariò de perpetuitate vnionis hypostaticæ humanitatis assumptæ à Verbo; cùm tamen Deus Pater ibi primariò faciat illam respectu perpetuitatis IV. huius sacerdotij, nullâ mentione factâ perpetuitatis vnionis inter humanam naturam & Verbum.

Deinde si iusiurandum istud in re ipsa & de facto sit tantùm secundariò de perpetuitate sacerdotij, adhuc videtur impertinens: nam vbi aliquod donum Dei quàm perfectissimum habet existentiam in rerum natura, & est ex intrinsecis naturæ suæ principiis incorruptibile, & inamissibile per virtutem cuiuscumque agentis creati: tunc quia *dona Dei sunt sine pœnitentia*, vt habet Apostolus, videtur impertinens confirmare aliquo speciali iureiurando perpetuitatem ei naturalem: exempli causâ, anima rationalis est aliquod singulare bonum à Deo nobis concessum, quia tamen est intrinsecè immortalis, nec potest per vllum agens creatum corrumpi, vel annihilari, sed à solo Deo: ideò nullum speciale iusiurandum Dei existit, quo hanc eius immortalitatem promittit se conseruaturum in omnem æternitatem. Similiter quia beatitudo patriæ est perfecta & incorruptibilis ab intrinseco, cui perpetuitas in omnes & quoscunque æternitatis est naturalis, Deus non reperitur illam sub formali & speciali ratione perpetuitatis aliquo speciali iuramento confirmasse. Qui enim fideliter promittit aliquid, & simul etiam promittit quæ ad illud necessariò consequuntur: quare si hæc dignitas sacerdotij in Christo Domino sequatur naturaliter & necessariò ad vnionem eius humanitatis cum Verbo, vt volunt authores prioris sententiæ, illud speciale iusiurandum Dei, de eius perpetuitate, fuit impertinens: ergo cùm Deus nihil faciat impertinens, ideò perpetuitatem huius sacerdotij confirmauit speciali iuramento, vt significaret illud ex sua cõcessione gratuita fore alterius longè rationis à sacerdotio veteris Legis, licèt cum illo conueniret in eo, quòd esset per externam tantùm Dei voluntatem, seu vocationem. V. VI.

Tandem hæc nostra propositio potest probari iis omnibus rationibus, quibus ad quæstionem octauam disputatione secundâ ostendimus Christum Dominum non habere dignitatem capitis ab vnione hypostatica præcisè consideratam, sed tantùm ex deputatione Dei: nam rationes ibi allatæ possunt facilè huic loco accommodari.

ARTICVLVS XII.

Soluitur primum fundamentum contrariæ sententiæ.

PRIMVM & potissimum est & petitur ab authoritate Patrum, qui loquentes de Christo vt sacerdote, & eius sacerdotio, dicunt illum fuisse vnione hypostaticâ humanitatis, & diuinitate, tanquam oleo spirituali, & sanctificatione factum sacerdotem, & ideò dici *Christum, quia est vnctus in Regem, Sacerdotem & Prophetam*: & in particulari de Christo vt sacerdote, sanctus Cyrillus libro 12. in Leuiticum sic habet, *Istud oleum noli quærere in terris, quod super caput infunditur magno sacerdoti, qui est Christus: sed, si videtur, disce à Propheta Dauid istud oleum quale sit, Dilexisti*, inquit, *iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: istud est ergo oleum lætitiæ, quod capiti eius infusum fecit eum Christum.* Et posteà eodem libro satis longè ante finem, sic iterùm scribit circa hunc eúdem locum Psalmistæ de Christo Domino: *Hic ergo est magnus sacerdos, qui solus oleo Domini vnctus est, & in quo semper sanctum permansit diuini chrismatis oleum.* Et hunc locum Psalmistæ idem sanctus Cyrillus in sua declaratione anathematismorum septimâ explicat de hypostatica vnione humanitatis cum Verbo, *Nominatus autem*, inquit, *& Christus est, propterea quòd nobiscum humanitùs vnctus est, secundùm Psalmistæ vocem dicentis, Dilexisti iustitiam, &c.* Et paulò pòst ibidem, *Ipsam*, inquit, *vnigenitum Dei Verbum caro factum Christus vocatum est.* Idem sanctus Cyrillus libro 2. de recta fide ad Reginas, capite de eo quòd Christus sanctificatus est, & de sacerdotio ipsius, hanc ponit distinctionem inter sacerdotium Aaronis & Christi Domini, quòd Aaron sit vnctus ad sacerdotij ministerium, *tanquam seruus*, nimirùm *externa & sensibili vnctione:* VII. VIII.

I. Christus verò, *tanquam filius secundùm virtutem vitæ indissolubilis*: id est interna & substantiali vnione humanitatis vnctione, per quam naturalis filius Dei constituitur. Sanctus item Damascenus secundâ oratione de natiuitate beatissimæ Virginis, simile discrimen ponit inter Aaronem sacerdotem, & Christum Dominum, quòd isti electione, & externâ tantùm vnctione fierent sacerdotes; hic verò suapte naturâ sit eam consecutus, quo loci vrgent hanc particulam, *suapte naturâ*, quasi denotetur Christum, vt quoddam compositum ex diuinitate & humanitate in eadem Verbi personalitate, esse naturaliter sacerdotem, quia in tali composito diuina natura, quæ est humanitati oleum spirituale, est Christo Domino vt sic considerato intrinseca & naturalis; sicque sanctus Damascenus vult hanc dignitatem sacerdotis conuenire Christo intrinsecè, siue ex aliquo principio sibi intrinseco.

II. Respondetur sanctos Patres istis testimoniis tantùm velle Christum Dominũ vnione humanitatis suæ ad personalitatẽ Verbi factum fuisse idoneum exercendis propriis muneribus huius sacerdotij, quatenùs habet actus tam perfectos, vt necessariò postulent esse à natura creata hypostaticè vnita ahcui personæ diuinæ, cuiusmodi est sacrificium crucis, quo pretium plusquam sufficientissimum, iuxta omnes & singulas conditiones strictissimæ iustitiæ, fuit Deo oblatum pro redemptione totius humani generis: item & alij similes actus: at principium, seu quasi principium, vel quasi causam istius idoneitatis, esse verè & propriè suo modo distinctam ab eo, à quo hæc dignitas, seu præfectura procedit veluti efficienter, ostendimus ad citatam quæstionem 8. & intio huius nostræ sententiæ prænotauimus, iuxta quam explicationem, si per hypostasim Deus illum non deputasset in sacerdotem, adhuc intelligeremus illum esse *Christum*, esse vnctum, quia semper humana eius natura esset immediatè vnita hypostaticè Verbo diuino. & mediatè naturæ diuinæ, & ex consequenti ab illis sanctificata, vt ex professo ostendimus ad quæstionem septimam præcedentem, totâ primâ disputatione.

III. Et quòd hæc sit mens Patrum intelligi potest ex eo, quòd in his & similibus comparant diuinum hoc oleum humanitatis Christi Domini cum oleo, quo in Lege veteri homines vngebantur in sacerdotes, vt patet ex S. Cyrillo hîc, & in isto primo fundamento ab aduersariis obiecto, & ex tertia illorum ratione inferiùs soluenda: atqui nec in Lege veteri, nec etiam in noua, externa illa vnctio, siue Regum, siue ministrorum Templi, seu Ecclesiæ, erat, vel est id per quod, vt *causam efficientem, quasi physicam, vel moralem*, homines creabantur sacerdotes, vel reges, sed duntaxat *signum aliquod deputationis*, vel electionis iam factæ ad tale officium, vel segregationis à communi populo, ratione cuius dicebantur sancti, & Deo dicati: item etiam vt tali vnctione consecrati, decenter fungerentur ministerio sacerdotis, quemadmodum Deus significat Exodi 30. vbi iubet Moysi Aaron & eius filios vngere, *Sanctificabisque eos, vt sacerdotio fungantur mihi*: nam præcedenti capite 28. Aaron', & eius filij à Deo eliguntur in sacerdotes, *Applica*, inquit, *fratrem tuum ad te cum filiis suis de medio filiorum Israël, vt sacerdotio fungantur mihi*. imò, in noua Lege vnctio sacerdotum eos non efficit sacerdotes, sed instrumentorum porrectio facta per

IV. Episcopum, & manuum eius impositio cum vtraque verborum formula debitè prolata illos faciunt completè sacerdotes. Similiter in veteri Lege Saül fuit priùs à Deo vocatus, & institutus in regem, quàm vngeretur; nam libro 1. Regum capite 9. Deus significat Samueli se illum elegisse in regem, quem posteà sequenti capite post hanc Dei electionem illi indicatum vnxit in regem. Item Dauid priùs eligitur à Deo in regem, quàm vngatur à Samuele libro 1. Regum capite 16. & iterùm longè post susceptam administrationem regni vngitur in Hebron lib. 2. Regum capite 5. Ergo quemadmodum hæc externa vnctio non est propriè id quod facit regem, vel sacerdotem: ita nec vnctio illa spiritalis, quam Christus vt homo est consecutus per vnionem humanitatis ad Verbum diuinum, est veluti causa efficiens specialis eius sacerdotij, seu etiam regiæ potestatis. Atque iuxta sensum huius responsionis potest etiam intelligi sanctus Damascenus ab authoribus prioris sententiæ in hoc eorum fundamento relatus: nam si verba eius diligenter expendantur, intelligetur ibi agere de radice summæ illius efficacitatis & perfectionis, quę reperitur in propriis actibus sacerdotij Christi Domini suprà excellentiam, quæ fuit in actibus sacerdotii Aaronici, quatenus actus sacerdotij Christi Domini sunt valoris infiniti, quæ illorum infinitas & summa efficacia prouenit ab vnione humanitatis Christi Domini cum personalitate Verbi diuini, vt fusè explicatum est à nobis, tam ad primam quæstionem huius partis disputatione quintâ, quatuor primis articulis, quam ad quæstionem 8. disputatione 5. articulo quarto: ita enim scribit, *Filius Dei mundo per carnem apparens, nouo atque inusitato modo, ac non iuxta carnalis mandati legem, vt Apostoli verbis vtar, munere suo functus est.* Quę verba intelliguntur de actibus sacerdotij Christi Domini: nam *fungi munere*, idem est ac exercere proprios actus alicuius dignitatis, seu præfecturæ. Deinde quando ait Christum exercuisse actus istos *nouo & inusitato modo, non iuxta carnalis mandati legem*, quia loquitur ad mentem Apostoli ad Hebr. 7. capite, vult Christum Dominum non succedere alicui alij sacerdoti, sicut in Lege veteri alius succedebat in locum sacerdotis demortui, sed esse perpetuum: nec effectus eius esse carnales, seu rerum temporalium, sed *secundùm virtutem vitæ insolubilis*, id est secundùm efficaciam spiritualem, per quam effectus spirituales conducentes ad vitam æternam generantur in nobis: vnde verbis sequentibus non dicit simpliciter Christum habuisse hanc dignitatem *suapte naturâ*, ad sensum illum, quo idem est ac *habere ex aliquo principio sibi intrinseco*, sed tantùm ait Christum ita nouo modo fuisse operatum ex potestate sui sacerdotij, vt censeretur, & certo testimonio declararetur habere dignitatem operantem, iuxta potentiam vitæ indelebilis, itavt hæc eius particula, *suapte naturâ*, explicet, non id vnde dignitas hæc quasi causetur, seu oriatur in Christo Domino; sed duntaxat *morale illud principium*, à quo habet vt tantos, & tam excellentes effectus producat, qui ingenerent nobis vitam æternam: iuxta quam expositionem hæc particula, *suapte naturâ*, explicat ibi tantùm illud, *quo Christus Dominus vt homo factus est idoneus*, qui tam egregiè ex sacerdotio operaretur: & sic sensus postremæ huius particulæ confirmatur hac aliâ particulâ immediatè sequenti, eique sic annexâ,

V. VI. VII. VIII.

I. *manens enim Pontifex in æternum* : huic enim sacerdotio Deus ex speciali decreto superiùs commemorato, *Tu es sacerdos in æternum*, alligauit perpetuitatem ; & proinde quia *Christus manet in æternum* : &, *quod Verbum semel assumpsit nunquam dimisit, donáque Dei sunt sine pœnitentia* : ideò ex infinita illa vi & efficacia sui sacerdotij potest semper saluare accedentes per se ad Deum.

ARTICVLVS XIII.

Soluitur secundum fundamentum contrariæ sententiæ.

SECVNDVM fundamentum est. Inde Christus Dominus vt homo habet vt sit sacerdos, & dignitatem sacerdotij, vnde habet eius æternitatem, quia perfectio æternitatis est propria eius II. sacerdotio ; sed æternitas sacerdotij Christi Domini prouenit ab vnione hypostatica humanitatis cum diuinitate : Primò, quia ita Apostolus significat ad Hebræos capite septimo, dum opponit modum illum, quo Christus Dominus factus est sacerdos ; illi modo quo in Lege veteri fiebāt sacerdotes, sic dicēdo, *Qui*, scilicet Christus, *non secundùm legem mandati carnalis*, id est more illo, quo lex Mosaica (quæ vt comparatur ad legem nouam appellatur carnalis) instituebat suos sacerdotes, deputatione nimirùm & electione, *sed secundùm virtutem vitæ insolubilis*, id est per virtutem diuinitatis vnitæ indissolubiliter humanitati indissolubilem vitam habenti. Deinde quia omnis alia eius perpetuitas petita ab effectu sacerdotij Christi Domini in æternum duraturo, vel à nuda immortalitate Christi Domini, conuenit etiam sacerdotio, & sacerdotibus III. legis Mosaicæ : nam bona illa spiritualia, quæ Patres veteris Testamenti obtinuerunt per sacrificia suæ legis, putà gratiæ augmentum, & his similia sunt, & in perpetuum erunt in illis : item eorum sacerdotes sunt sicut & nos immortales : ergo cùm hæc perpetuitas & æternitas sacerdotii sit soli Christo Domino propria, eique singulariter conueniat ex vi & efficacia diuinitatis indissolubiliter vnitæ suæ humanitati, idem Christus Dominus ab ista eadem vnione habet, vt sit verè & propriè sacerdos.

Respondetur, concessâ Maiore, negando Minorem : nam & sanctus Paulus significat hanc perpetuitatem sacerdotii fuisse à Dei ordinatione deputante Christum hominem, non tantùm in sacerdotem simpliciter, *sed in sacerdotem æternum* : vbi septimo capite ad Hebræos hanc inter IV. Christum Dominum, & alios sacerdotes Aaronis facit antithesim : *Alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt ; hic autem cum iureiurando, per eum qui dixit ad eum : Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum* : nam istæ particulæ, *facti sunt*, *& hic autem per eum qui dixit*, exprimunt Deum Patrem dedisse Christo Domino hanc perpetuitatem sacerdotii, quam non dederat Aaronicis. Deinde hæc particula in prædicto versu Psalmistæ, *non pœnitebit*, idem docet : nam iuxta sanctos Patres tam ad illum locum, quàm alibi, *Deum pœnitere alicuius sui facti*, est voluisse illud esse tantùm ad certum aliquod tempus : & econtrà, *Deum non pœnitere rei alicuius*, est illum efficaciter velle rem istam esse in perpetuum : ergo cùm hic versus Psalmistæ asserat Deum non ductum iri pœnitentiâ ob sacerdotium Christo Domino vt homini concessum, simul cum tali sacerdotio illius perpetuitatem, & penes hanc conditionem Christus factus est sacerdos alio modo quàm Aaron, & eius successores fierent sacerdotes in Lege veteri : istud autem Apostoli, *secundùm virtutem vitæ insolubilis*, nemo sanctorum Patrum explicat de indissolubili hypostaticâ vnione humanitatis cum Verbo, sed illo modo, quo paulò ante illud exposuimus, vt videre est apud sanctum Thomam ibi, & alios Interpretes Apostoli. Ad id quod in confirmationem dicunt, *Omnem æternitatem sacerdotij aliam ab ista, esse communem aliis sacerdotibus etiam veteris Testamenti*, negatur : nam imprimis Christo Domino quoad sacerdotium nemo succedit, sicut alij succedebant Aaron, & eius in isto officio posteris, cùm non essent vicarij Aaronis, nec in eius persona offerrent sacrificia, sicut in noua Lege omnes sacerdotes sunt tantùm vicarij Christi Domini, & in eius persona offerunt : ipse verò semper est primarius offerens per istos suos vicarios, fungens semper officio sacerdotis, & per seipsum in cælis, vbi pro nobis interpellat apud Deum. Deinde etiam ratione proprij effectus sui sacerdotij, quia Christus Dominus per sacrificium crucis promeruit apud Deum toti humano generi remissionem omnium peccatorum, consummauitque solutionem totius pretij Deo debiti pro nostris peccatis, & per inchoatum Altaris sacrificium applicat fidelibus, sicque vitam æternam illis procurat, & obtinet, quod omnia sacrificia Legis veteris, imò & legis naturæ simul sumptæ nunquam potuerunt, vel potuissent efficere, vt expressè docet Apostolus ad Hebræos capite 10. & si quod bonum speciale Patres veteris Testamenti consequebantur per sacrificia suæ legis, VII. hæc istud tantùm efficiebant ex opere operantis, & provt adhuc innitebantur meritis & sacrificio Christi Domini, non autem ex opere operato.

ARTICVLVS XIV.

Soluuntur reliqua fundamenta eiusdem sententiæ.

TERTIVM fundamentum est. Quicumque per deputationem, seu extrinsecam siue Dei, siue hominum voluntatem sacerdos constituitur, is pro solo tempore sacerdos instituitur, quo tali officio sacerdotis reipsâ & de facto potest fungi, vt significat Apostolus cap. 7. ad Hebræos in istis verbis, *Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere* : sed Christus Dominus est sacerdos VIII. in æternum tam ex Psalmo 109. quàm ex Apostolo ad Hebræos capite quinto & septimo, æternitate importante carentiam finis, vt sancti Patres explicant, dum volunt eius sacerdotium tam perpetuò duraturum, quàm eius regnum, vt sanctus Damascenus loco in primo fundamento relato : regnum autem Christi Domini est verè & propriè ita æternum, vt nunquam sit habiturum finem, quemadmodum promittit Angelus beatissimæ Virgini capite primo sancti Lucæ, & nos profitemur in Symbolo Nicæno : quam æternitatem satis euidenter exprimit Apostolus loco nunc citato verbis immediatè sequentibus, dum sic opponit Christum, vt sacerdotem, sacerdotibus veteris Testamenti, *Hic autem*, nempe *Christus, eo quòd maneat in æternum, sempiternum*

I. *habet sacerdotium* : ergo Christus Dominus non est sacerdos ex deputatione, seu extrinseca voluntate ipsius Dei.

Respondetur negando Maiorem, cuius falsitas patet ex dictis suprà, ad eius probationem à testimonio Apostoli petitam, illam tantùm procedere de sacerdotibus Leuiticis, & aliis similibus, qui aliquos habebant successores propriè dictos, & non puros duntaxat Vicarios, quales sunt omnes nostri sacerdotes, respectu Christi Domini sacerdotis, cuius sacerdotium, siue quoad dignitatem præcisè sumptam, siue quoad personam, siue etiam quoad fructum, semper & ad quancunque æternitatem durabit.

Quartum fundamentum est. Humanitas Christi Domini habet à sanctificatione sui per diuinitatem sibi hypostaticè vnitam, quidquid confertur hominibus per omnes & singulas vnctiones externas, quia hæc eius dignificatio & sanctificatio per diuinitatem sibi vnitam, vocatur à sanctis Patribus singulari quodam nomine, *vnctio*, vt intelligitur ex eorum testimoniis relatis suprà quæstione 7. cùm egimus de sanctificatione, & sanctitate humanitatis Christi Domini : sed dignitas sacerdotis conferebatur in Lege veteri per specialem aliquam externam vnctionem, vt videre est tertio capite Exodi, vbi Deus præcipit Moysi modum conficiendi speciale vnguentum, quo Aaron, & eius filij vngerentur, & fierent sacerdotes, *Aaron*, inquit, *& filios eius vnges, sanctificabísque eos, vt sacerdotio fungantur mihi* : Igitur & Christus Dominus habet à sanctificatione suæ humanitatis per diuinitatem sibi vnitam, vt sit propriè sacerdos, & ipsam sui sacerdotij dignitatem.

II.

III. Respondetur, concessâ Maiore, negando Minorem (si intelligatur quomodo debet, vt inferuiat difficultati præsenti) & eius falsitas patet ex dictis hic ad primum fundamentum, vbi satis fusè ostendimus in huiusmodi dignitatibus, aliud esse *realem illius collationem factam alicui*, loquendo præcisè, & aliud, *ipsam eius consecrationem*, seu *externam vnctionem*.

Articvlvs XV.

Respondetur ad duo corollaria eiusdem sententiæ articulo nono proposita.

IV. Ad primum corollarium sententiæ contrariæ, fatemur quidem, & infrà etiam docebimus ex professo Christum esse filium naturalem Dei, & naturâ suâ Christum, vnctum, sanctum, quia est talis ex aliquo principio sibi intrinseco, vt ostendimus suprà ad quæst. 7. disput. 2. art. 5. & ad quæst. 8. disput. 2. art. 2. negamus tamen eum pari iure & modo esse *naturaliter sacerdotem*, quia ex nullo sibi intrinseco habet quòd sit sacerdos, sed vocatione, seu deputatione æternæ voluntatis Dei, vt ostendimus ex Apostolo, Patribus, & ratione.

Ad secundum corollarium respõdemus, Christum Dominum habuisse quidem omnes istas dignitates, non tamen præcisè loquendo ex vi vnionis hypostaticæ ; nam omnes illæ rationes, quibus agendo de gratia capitis ostendimus gratiam capitis in Christo Domino esse singulare quoddam beneficium vnioni hypostaticæ superadditum, Christo Domino liberaliter concessum à Deo, applicatæ istis aliis dignitatibus idem cuincunt.

A Atque ex iis rectè intelligimus quidnam sit hæc dignitas sacerdotij in Christo Domino sumpta formaliter, & per quid item Christus Dominus sit capax & idoneus qui exerceat functiones talis dignitatis, scilicet illam sumptam formaliter esse *aliquid tantùm morale*, nimirùm passiuam Christi Domini vt hominis deputationem, extrinsecâ Dei voluntate factam ad exercendum propria munia huius sacerdotij, sicque formaliter non esse vel *hypostaticam vnionem*, vel *habitualem gratiam* animæ Christi Domini, vel *aliquod aggregatum ex vtraque*, aut aliquem propriè illarum effectum, vel quasi effectum ; hanc verò vtramque Christi Domini gratiam esse *id quo* Christus est redditus capax & idoneus, qui proprios eius actus exerceat eodem modo (seruatâ proportione) quo superiùs citatâ quæstione octauâ sumus philosophati de capitis gratia in Christo Domino.

V.

VI.

B

Articvlvs XVI.

Vtrùm Christus simul fuerit sacerdos, & hostia, & quæ ara & templum eius sacrificij.

Prima propositio. *Christus simul fuit sacerdos & hostia*, est de fide ex capite 5. ad Ephesios, *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis* : quod intelligitur de sacrificio crucis : & quando addit, *Christus tradidit*, explicat illũ fuisse sacerdotem offerentem, quando ait, *semetipsum pro nobis hostiam*, cùm hostia in sacrificio sumatur pro animali oblato, significat illum simul etiam fuisse tanti sacrificij hostiam. Quo loci notandum est *Christum dici oblatum*, & non solam eius humanitatem, quia vt ad primam quæstionem huius partis docuimus, ita per humanitatem satisfecit pro nobis, vt tandem se totum Deo Patri tradiderit ; & proinde totus Christus Dominus fuit hostia, & totus Christus etiam offerens. Vnde S. Ambrosius libro 3. de fide capite 5. dum agit de Christo offerente sacrificium crucis, ait, *Idem sacerdos, idem & hostia, sacerdotium tamen, & sacrificium humanæ conditionis officium est*. Quibus postremis verbis explicat rationem sacerdotis competere quidem Christo Domino, sed loquendo *specificatiuè*, & explicando ratione cuius illud ei conueniat, ei tantùm conuenire ratione humanitatis assumptæ, vt præcedenti articulo docuimus.

C

VII.

Secunda propositio. *Christi Domini humanitas potest dici simul templum & ara, respectu cruenti eius sacrificij, diuersâ tamen consideratione*, sumendo nomen templi, non tantùm secundùm acceptionem illam in sacris Litteris satis frequentem, quâ sancti homines, vel eorum corpora dicuntur *Templa Spiritus sancti*, quatenùs scilicet *metaphorica sacrificia*, id est bona virtutum opera (quorum potissimus fructus attẽdetur penes affectum interiorẽ) exercent, & ibi ea velut quædam laudis sacrificia offerunt Deo ; sed etiam quatenùs *templum* dicitur *locus*, in quo Deus colitur per verum & propriè dictum sacrificium. Probatur, nam ad Hebr. 9. vbi Apostolus agit de sacrificio Christi propriè dicto, ait *Illum introiisse in tabernaculum non manufactum*, id est, *non huius creationis* : quo loci *tabernaculum* idem est ac *templum*, & per illud intelligit *humanitatem*, in qua Christus Dominus, inuento æternæ & iustæ redem-

D

VIII.

I. ptionis pretio, seipsum pro nobis obtulit, & sacrificauit Deo, proprium suum sanguinẽ effundendo; & quoniam nomine *altaris* intelligitur *mensa* suprà quam sanguis animalium immolatorum funditur, quæque illo aspergitur, & Christi Domini humanitas hoc ipso suo sanguine fuit aspersa; ideò iuxta hanc considerationem potest etiam dici simul fuisse *altare* cruenti huius sacrificij.

Tertia propositio. *Respectu eiusdem cruenti sacrificij Christi D. potest etiam assignari aliud templum & aliud altare omninò distinctum à Christi D. humanitate.* Probatur: cùm enim Christus sit passus in monte Caluariæ extra portam, & nomine *templi* intelligatur locus, in quo sacrificiũ propriè dictum offertur Deo, & hæc mors Christi D. sit propriè *sacrificium*, rectè locus ille Caluariæ dicetur fuisse *templum*: crux verò in qua pependit, quam proprio suo sanguine aspersit, cuique affixus sese Deo pro nobis omnibus obtulit, rectè dicetur *ara*, Concilium enim Trid. sess. 22. cap. 1. sicut & multi Patres Ecclesię vocat crucem Christi Domini *aram sacrificij eius cruenti*.

II. B

Articvlvs XIII.

Vtrùm effectus sacerdotij Christi Domini sit expiatio peccatorum, & an effectus sacerdotij Christi non solùm ad alios pertinuerit, sed etiam ad seipsum.

EX dictis tam 1. quæst. huius partis de satisfactione Christi D. quàm quæst. 19. de eius merito, satis intelligitur Christum nobis promeruisse redemptionẽ, tam à macula, quàm à reatu peccatorum, & hanc Christi D. satisfactionem fuisse in eius morte consummatã: ideóque ex consequenti sacerdotium eius (cuius actus est ipsa eius oblatio ad mortẽ, quæ verè & realiter contigit) sibi vendicare pro suo effectu expiationem peccatorum: iuxta illud Apost. ad Heb. 9. *Qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis*, id est à peccatis, qui effectus competit sacerdotio Christi non tantùm ex *dignitate offerentis*, sed etiam *ex infinita dignitate rei oblatæ*, vt potest facilè intelligi ex dictis suprà ad quæst. 1. de infinito valore actionum humanitatis Christi Domini.

III. C

Cæterùm, notandum est cum Caiet. hic expiationem peccatorũ non esse vnicũ & adæquatum sacerdotij & sacrificij Christi D. effectum, quasi nullos alios sibi vendicet; nam hoc vnũ sacrificiũ suâ perfectione adæquat omnes effectus, & differentias sacrificiorũ veteris Legis, vt profitetur Ecclesia, quãdo in Secreta Missæ Dominicæ 7. post Pentec. loquens de sacrificio crucis, ait Deum *legalium hostiarum differẽtiam vnius sacrificij perfectione sæxisse*. At vt patet ex Leuit. & expresè docet S. Th. 1. 2. qu. 102. art. 3. in veteri Lege non tantùm erãt sacrificia *propitiatoria*, sed etiã *latreutica*, id est honoraria, quæ fiebãt ad colendũ Deum, & protestãdum summam eius potestatẽ. Item *pacifica*, seu *Eucharistica*, ad referendũ Deo gratiarũ actionẽ: item & *impetratoria*, ad beneficia postulanda: ergo & Christi D. sacrificium peractum in cruce, præter expiationem peccatorum, tanquam effectũ, habet etiam & cultũ Dei, tanquã Domini omniũ supremi, & gratiarũ actionem pro beneficiis acceptis, & impetrationem pro accipiendis: quod confirmatur ampliùs ex iis quæ tradũt omnes Theologi de sacrificio Missæ (quod est huius tantùm cõmemoratiuũ) dum docẽt hos quatuor omnes effectus ei competere; sed quia sacrificium crucis fuit *potissimè* ordinatũ ad satisfaciendũ pro

IV. D

A nobis, ad expiationem nostrorũ peccatorũ, & supponit aduentum Christi D. in carne passibili, qui fuit ad nos redimendos per mortem: ideò S. Th. mouit dubium speciale de isto eius effectu.

V.

Ex quo intelligitur, cùm consequenter quærit, *vtrùm effectus huius sacrificij pertinuerit ad Christum*, cũ tantùm loqui de sacrificio quod ad hunc effectũ, quod optimè negat ad Christũ pertinuisse, cùm nullum peccatũ habuerit, nec habere potuerit: quo sensu etiam Concil. Ephes. relatũ à S. Th. definit hanc conclusionem sub anathemate: sed cùm tam sacerdotiũ Christi, quàm eius sacrificiũ tres numeratos effectus habuerit, iiique nullã dicant in Christo D. imperfectionẽ, vel indecentiã, rectè possumus dicere Christum D. *quoad hos tres fines postremos obtulisse pro seipso sacrificium crucis*, quòd pro impetrando sibi aliquo beneficio illud obtulerit, colligitur ex Apost. ad Heb. 5. dum ait eũ pendentẽ in cruce, *cũ lactymis, vel clamore valido obtulisse preces, supplicationes; & ad eũ qui poterat eum saluũ facere, & fuisse pro sua reuerentia exauditu*: nam dum vtitur verbo *obtulisse*, indicat preces istas fuisse à Christo D. vt sacerdote fusas, maximè cùm ibi agat de sacerdotio Christi, & eius actibus. Item cùm addit, *ad eũ qui poterat eum saluum facere à morte*, indicat preces istas fuisse à Christo D. oblatas Deo, pro obtinẽdo aliquo beneficio, scilicet vt celeriter à morte, quam iam patiebatur, erueretur per resurrectionẽ. cùm addit, *exauditus est pro sua reuerentia*, indicat Christũ D. obtinuisse beneficiũ hoc per istas preces: ergo cũ eadẽ sit ratio offerẽdi sacrificiũ pro impetrãdo sibi aliquo beneficio, ac ex officio sacerdotali offerẽdi Deo preces pro se ipso: imò cũ preces illę fuerint comites sacrificij Christi D. & dicat Christus se obtinuisse gloriã & resurrectionẽ corporis per suam mortẽ, rectè possumus dicere Christum D. obtinuisse sibi aliquid per suam mortẽ & passionem, non tantùm vt illa erat actus meritorius, sed etiam vt erat propriè sacrificium impetratorium.

VI.

VII.

Articvlvs XIV.

Soluuntur obiectiones.

PRIMA obiectio. S. Th. hîc in solut. 2. ait Christũ D. nullo modo participasse effectũ sui sacrificij. Respondetur 1. negãdo Antecedens: nam ibi apud S. Th. hæc particula, *nullo modo*, non habetur. Deinde respondetur, quòd si haberetur, esset intelligenda cõformiter ad meritẽ quæstionis ab illo propositę, & respõsionis eius, quæ tantùm procedũt de sacrificio, provt est expiatorũ.

VIII.

Secunda obiectio est. Concil. Ephes. suprà cit. negare Christum D. indiguisse sacrificio, pro seipso illud obtulisse. Respõdetur, Concilũ hoc, dum in ipsomet suo Canone hãc eius interserit rationẽ, *Constat enim nihil vnquam deliquisse, nec vllum vnquam peccatum designasse*, satis manifestare se tantùm loqui de sacrificio, vt est *expiatorium*.

Tertia obiectio est. Sacrificium pro postulatione doni alicuius non potest offerri sine intẽtione placandi Deũ, quia tunc offertur, ne peccata impediant largitionẽ beneficij: Christo autẽ D. non cõuenit Deũ placare pro seipso, quia nõ potuit illũ offendere. Itẽ, sacrificiũ & fructus eius maximè pẽdet ex intẽtione sacerdotis; Christus autẽ D. nõ habuit intentionẽ offerẽdi sacrificiũ crucis pro seipso, sed tãtùm pro nobis, quia sacrę litterę passim dũ de illo loquũtur, & Conc. suprà cit. faciũt tãtùm mẽtionẽ nostri. Respõdetur, Maioré simpliciter & absolutè enũciatã esse falsã: nã si status innocẽtiæ diutissimè perseuerasset, fuissẽtq; homi-

I. nes confirmati in gratia, non desiissent offerre Deo sacrificia; tunc enim fuisset vera aliqua religio, quæ cùm non possit subsistere sine aliquo sacrificio, fuisset etiam aliquod sacrificium; non tantùm pro actione gratiarum, & pro beneficiis acceptis, verùm & pro aliis de nouo impetrandis: licèt enim tunc scirent per fidem Deum illis daturum omnia necessaria, imò & quæ tali statui forent congrua: nihilominùs quia scirent ea esse danda *sub ea conditione*, scilicet *quòd peterentur à Deo*, non desiissent in eo statu offerre Deo sacrificium pro illis obtinendis: & si sacrificium vt impetratorium tantùm offerretur, ne peccata nostra impediant largitionem beneficij, vt in hac sua obiectione Vasqu. significat dispur. 84. cap. 2. & ex consequenti vbi non potest esse peccatum, ibi non potest esse occasio offerendi

II. sacrificij: pari iure erit tantùm opus orationefaciendâ Deo, quando malè viuendo possumus eum impedire, ne nobis beneficia conferat, & proinde Christus Dominus, qui erat omninò impeccabilis, nunquam debuisset, dum esset mortalis, orare Deum pro impetrando sibi aliquo beneficio, quod tamen est apertè contra citatum textum Apostoli ad Hebræos quinto.

Nec item obstat nostræ sententiæ, quod affert Vasques de intentione offerentis: nam ea non potest melius innotescere, quàm ex circunstantiis ipsius sacrificij: at vna ex circunstantiis sacrificij crucis, est quòd Christus Dominus tanquam sacerdos orauerit, pro aliquo beneficio sibi impetrando, vt ostendimus ex Apostolo: ergo habuit etiam intentionem offerendi illud pro se.

Nec etiam refert, quòd sactæ Scripturæ, dum agunt de hoc sacrificio crucis, faciant tantùm mentionem nostri: ibi enim agunt de illo *vt fuit*

III. *expiatorium, & reconciliatiuum hominis cum Deo*, vt ex istis locis potest facilè colligi, quomodo Christus Dominus illud pro seipso non obtulit. Adde Christum vt hominem debuisse gratias agere Deo pro beneficiis ab eo acceptis: itè, summam eius excellentiam & potestatem protestari: ergo cùm sacrificiū crucis fuerit pro istis medium aptissimum, imò non possit conuenientiùs dari, nec vlla inde resultet imperfectio, vel indecentia in Christum, & Christus Dominus coluerit Deum modo & medio sibi conuenientissimo, verisimilius est eum de facto etiam pro seipso obtulisse sacrificium crucis in tres prædictos fines.

Obiicies quartò S. Thom. hîc art. 4. in resp. ad 1. dicere, *Orationem non conuenire sacerdotibus ex proprio eorum munere, sed conuenire omnibus orare; sacrificare verò conuenire sacerdotibus ratione publici sui officij.* At Christo D. non potuit conuenire sacrificare etiam pro seipso, quatenùs fungebatur munere publico; nam vt sic erat tantùm mediator Dei & hominum, ita tamen vt non esset de eorū numero, pro quibus erat mediator apud Deum: quia, vt docet S. Thomas infrà quæst. 25. art. 2. de ratione mediatoris est vt dignitate sit superior iis, pro quibus est mediator: Christus autem Dominus non est dignitate superior seipso: igitur non potuit pro seipso offerre sacrificium.

IV. Respondetur 1. partē Maioris, quæ procedit de oratione ita esse veram, vt etiam conueniat sacerdotibus orare, ratione sui publici officij & Christū D. pendentem in cruce etiam vt sacerdotem orasse pro seipso, S. Th. expresè admittit citatâ illa soluit. & probat ex textu Apost. Secunda verò eiusdem Maioris pars si sumatur *purè, simpliciter, absolutè, & abstrahendo à iure positiuo*, quod posteà

A statuit licere tātùm iis, qui essent authoritate publicâ deputati offerre sacrificium, negatur: nam & ante Legem Mosaicam licuit multis, nō ex publica authoritate ad sacerdotium euectis, offerre Deo sacrificium pro seipsis: legimus enim Genes. 4. Cain & Abel obtulisse pro seipsis Deo sacrificium, nec reprehenduntur: imò sacrificium Abel (qui tamen erat minor natu ipso Cain, nec propterea ratione primogenituræ poterat sibi vendicare sacerdotium) fuit Deo gratissimum: & est valdè verisimile vsque ad tempus ipsius Enoch, qui Genes. 4. dicitur *cœpisse inuocare nomen Domini*, quia solemniorem cultum Dei instituit, & ad formā cuiusdam conuentus spiritalis, pro precibus Deo fundendis & sacrificiis ei offerendis, tunc homines conuocauit, fuisse liberū omnibus & singulis priuatis etiā hominibus offerre sacrificium pro seipsis: ergo pari iure cùm Christus D.

B nullâ hominum institutione teneretur, nec etiam ipso Dei præcepto impediretur sacrificare pro seipso, esseque sacerdos à Deo institutus, potuit ita Deo offerre sacrificium ex publico munere pro omnibus aliis, quorum erat mediator, vt simul etiam ex proprio officio, quatenùs *Deo subiectus, & multis beneficiis cumulatus*, illud offerret pro se, præsertim cùm & in nostro Missæ sacrificio, cuius efficacia innititur efficaciæ ac virtuti sacrificij à Christo D. in cruce oblati, sacerdos non tantùm vt peccator, in expiationem suorum peccatorum, sed etiam in memoriam beneficiorum acceptorum, vel ad alia de nouo accipienda, posit partem aliquam fructus sibi reseruare, & ad bonum sibi proprium offerre Deo.

DISPVTATIO II.

C *De conditione & excellentia sacerdotij Christi Domini.*

Articvlvs Primvs.

Vtrùm sacerdotium Christi Domini fuerit Aaronicum, & an illo perfectius.

D Quia ex comparatione rerum inter se elucet quænam illarum sit perfectior, ideò insistendo vestigiis Apostoli in epist. ad Hebr. cap. 5. 7. 9. & 10. vt intelligamus eminentem perfectionem sacerdotij Christi Domini, eius conditionem & qualitatem expendemus, illūdque non tantùm cum Aaronico sacerdotio, sed etiam cum excellenti beatorum Angelorum dignitate conferemus: pro cuius rei explicatione sit hæc

Prima nostra propositio: *Sacerdotium Christi Domini non fuit Aaronicum*, est de fide ex Apost. cap. 1. 7. 9. & 10. Probatur, sacerdotes Aaronici debebant esse ex tribu Leui, secūdùm lineam paternam, vt constat ex cap. 29. Exodi & 28. Leuitici: at Christus D. quamuis habuerit aliquid cognationis cum tribu Leui, quoad quosdā parentes beatiss. Virginis, vt patet ex cap. 1. S. Lucæ, & ex professo docent multi Patres, S. Hilarius Canone 1. in S. Matthæum, S. Ambrosius lib. 3. in S. Lucam, & lib. 3. de benedict. Patriarch. cap. 3. S. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. Item, lib. 83. quæst. quæst. 61. S. Th. infrà quæst. 31. art. 2. in resp. ad 2. & plures alij. Attamen fuit de regia tribu Iuda, secundùm lineam paternā, vt constat ex eius genealogia per S. Matthæum descripta, & expresè tradit Apost. cap. 7. epist. ad Hebræos.

V. VI. VII. VIII.

I. Neque hîc obstat quòd Christus Dominus disputauerit in Templo; nam & S. Paulus Act. 13. disputauit in Templo, qui tamen, vt ipse agnoscit capite 1. epistolæ ad Romanos & capite 3. ad Philippenses erat de tribu Beniamin. Item, quòd Christus ejecerit de Templo vendentes & ementes capite 21. sancti Matthæi, & capite 2. sancti Ioannis: id enim non fecit quatenùs sacerdos Leuiticus aliàs non fuisset interrogatus, sicut fuit illo cap S. Ioannis à suis aduersariis, *In qua potestate istos vendentes & ementes ejiceret de Templo*: sed id fecit tanquâ singularis quidam Propheta.

Secunda propositio. *Sacerdotium Christi Domini fuit perfectius Aaronico sacerdotio.* Est etiam de fide ex iisdem locis Apostoli in epistola ad Hebræos, ex quibus sic probatur: perfectio sacerdotij attenditur penes durationem eius, efficaciam proprij eius sacrificij, quibus possumus addere dignitatem offerentis, modum deputationis eius, & excellentiam victimæ: atqui sacerdotium Christi Domini est Aaronico perfectius secundùm ista omnia: nam primò est *duraturum in æternum*, vt Apostolus loco citato probat ex illo Psalmi 109. *Tu es sacerdos in æternum*: licèt enim sacrificium crucis sit iam perfectum quoad actum, non tamen quoad suos effectus, sed illi durabunt in æternum: & licèt effectus aliqui sacerdotij Aaronici prouenientes ex opere operantis durent in æternum, nullus tamen eorum qui respondebant operi operato sacrificiorum Legis antiquæ manet, vel manebit in æternum, cùm illi omnes essent tantùm temporales, nec Lex Mosaica vllum ex suis cultoribus adduceret ad perfectum, sed omnes eius ceremoniæ essent *infirma & egena elementa*, vt Apostolus locis citatis obseruat: quin etiã Christus Dominus exercebit in æternum aliquos actus huius sui sacerdotii, nimirùm actiones gratiarum, & oblationes laudum. Deinde sacrificium Christi Domini est *remissiuum peccatorum*, quale nullum erat in Lege veteri, vt habet Apostolus locis citatis. Tertiò, *persona Christi Domini est diuina, deputatio Christi Domini in sacerdotem est immediatè à solo Deo* facta à primo instanti suæ conceptionis, nec fuit vnctus, seu sanctificatus, & in sacerdotem consecratus aliquâ externâ vnctione olei materialis, sed spirituali oleo vnionis hypostaticæ, quo eius humanitas fuit sanctificata, vt superiùs est explicatum. Tandem hostia, seu *victima* propria sacerdotij Christi Domini est *valoris infiniti*, cùm sit ipsemet Christus Dominus, vt sacræ Scripturæ passim docent, quando dicunt illum semetipsum tradidisse, obtulisse Deo in omnium nostrùm redemptionem.

II. B

III. C

IV. D

ARTICVLVS II.

Vtrùm sacerdotium Christi fuerit Legis naturæ, & an illo perfectius.

PROPOSITIO. *Sacerdotium Christi Domini non fuit sacerdotium aliquod Legis naturæ, sed illis omnibus & singulis perfectius.* Duæ sunt partes propositionis: Prior probatur. Sacerdotium Legis naturæ erat tantùm aliquo ex iis tribus modis, nimirùm primo, vel *vi primogenituræ*, quatenùs ante legem Moysis, imò ante & post diluuium, omnes primogeniti fuerunt simul sacerdotes, iuxta antiquam traditionem Hebræorum, quam refert. & sequitur sanctus Hieronymus epistolâ suâ ad Euagrium, & de traditionibus Hebraïcis cap. 27. & ipsemet Deus significat cap. 3. Leuitici, quando ait, *Ego tuli Leuitas à filiis Israël, pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filiis Israël*: nam videtur denotare officium Leuitarum (de quorum tribu erant sacerdotes) successisse primogenitis prioris Legis, nimirùm naturæ, iuxta quem sensum consentiunt plerique Interpretum S. Pauli, Esaü primogenitum Isaac appellari *prophanum*, eo quòd vendidit sua primogenita fratri suo Iacob cap. 1. ad Hebræos. Sed speciale hoc sacerdotium nõ competit Christo Domino vi suæ primogenituræ: Primò, quia ius istud erat longè ante Christi Domini vt hominis natiuitatem abrogatum apud Iudæos, si modò excipiamus annuam immolationem Agni Paschalis, vt patet ex eo quòd grauiter à Deo fuerunt puniti, qui à tempore institutti sacerdotii Aaronici, cùm essent alterius tribus à Leuitica, fuerunt ausi per semetipsos immediatè offerre Deo sacrificium, vt constat ex Saüle libro 1. Regum capite 13. & Ozia rege, ob tale crimen percusso leprâ: & etiam confirmatur ex capite 3. Leuitici nunc relato. Deinde quia Christus Dominus fuit sacerdos ex speciali deputatione Dei, vt ex professo ostendimus. Vel secundò fuisset ex speciali instinctu Dei, qualis fuit ipse Abel, quando obtulit Deo sacrificium de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum capite 4. Geneseos: at nec isto modo Christus vocatus fuit ad suum sacerdotium, nec tale aliquod sacrificium isti naturæ Legi proprium obtulit, quoniam ea quæ iam diximus ostendunt nullum dari istius modi fundamentum pro institutione Christi Domini in sacerdotem, cùm ex Euangelio constet eum diebus solemnibus ascendisse Hierosolymam, sicut & alii Iudæi ascendebant, & susceptione circumcisionis voluerit testari se obseruantissimum fore totius Legis Mosaicæ, adeoque audacter, verè tamen, dixerit Iudæis suis aduersariis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Vel tertiò fuisset ex particulari deputatione Reipublicæ: at non isto modo Christus Dominus consecutus est sacerdotium, cùm ex sola tribu Leui, cuius non erat Christus Dominus, apud Iudæos deputarentur sacerdotes, qui soli sacrificia Legi Mosaicæ propria Deo immolarent, quæ erant penitùs alia à Legis naturæ sacrificiis.

V. VI. VII.

Posterior pars eiusdem propositionis probatur iisdem rationibus, quibus secundâ propositione articuli præcedentis ostendimus sacerdotium Christi Domini eminere suprà Aaronicum *duratione* quidem, & *perpetuitate*, quia sacerdotium & sacrificia Legis naturæ iam cessarunt per ipsam Christi Domini Legem, sicut & omnia eius sacramenta. Item, *efficacitate*, quia cùm sequerentur conditionem suæ Legis, sicut Lex naturæ erat imperfectior Lege Mosaica; sic & eius sacrificia erant imperfectiora sacrificiis Legis Mosaïcæ, & ex consequenti efficaciæ longè minoris, quàm proprium Christi Domini sacrificium. Item, & *in dignitate personæ offerentis, modo deputationis eius & victimæ*: erat enim ipse offerens persona diuina speciali modo, & cum solemni iuramento à Deo vocatus ad istud munus, & ipsemet est victima proprii sui sacrificii, quoad valorem & efficaciam infiniti pretii & virtutis, vt intelligitur ex dictis.

VIII.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sacerdotium Christi fuerit secundùm ordinem Melchisedech, & quomodo.

PROPOSITIO. *Sacerdotium Christi Domini non eo sensu fuit secundùm ordinem Melchi-*

I. *sedech, quòd Christus Dominus fuerit ab illo in sacerdotem institutus: nec quòd Christi Domini sacerdotium fuerit eiusdem omninò rationis cum sacerdotio Melchisedecis.* Ita S. Thomas hic art. 6. in responsione ad 1. & omnes Theologi communiter. Prior pars probatur, quia Melchisedech fuit, iuxta S. Hieronymum epist. cit. ad Euagrium, & plures alios ex antiquioribus, Chananæus, seu ex filiis Cham longè ante Christum vt hominem temporali generatione natum, mortuus, vt sanctus Thomas significat hîc articulo 6. in responsione ad tertium, quando ait eum dici, *sine patre, sine matre, sine genealogia, sine initio, & sine dierum, non quòd ista non habuerit, sed quia in Scriptura sacra ista de eo non leguntur*: ergo Christus Dominus non potuit ab eo promoueri ad sacerdotium.

II. Posterior item pars probatur: quia Melchisedech erat purus homo, eius deputatio iuxta morem legis naturæ, res per illum oblata, panis tantùm & vinum, effectus conducens ex opere operato ad vitam æternam nullus, (hic enim modus operandi soli nostræ legi competit:) at Christus sacerdos Deus homo immediatè modo quàm specialissimo institutus à Deo in sacerdotem, hostia ipsemet Christus, proprij eius sacrificij effectus, redemptio totius humani generis.

Secunda propositio. *Sacerdotium Christi Domini eo tantùm sensu fuit secundùm ordinem Melchisedech, quòd excellentia sacerdotij eius fuit perfectè repræsentata per sacerdotium Melchisedecis.* Ita S. Thomas hîc cit. art. 6. in corpore, & in responsione ad 1. Item & omnes tam eius Interpretes, quàm S. Pauli epist. ad Hebr. capitibus suprà citatis. Probatur: sacerdotium Christi Domini eo tantùm modo fuit secundùm ordinem Melchisedech, quo S. Paulus epist. ad Hebr. & sancti Patres explicant; atqui S. Paulus locis citatis totum istud explicat tantùm de repræsentatione sacerdotij Christi Domini, quoad suam excellentiam per sacerdotium Melchisedecis; nam capite 7. vbi aliquot excellentias Melchisedecis sacerdotis recensuit, nimirùm *quòd esset rex pacis, & iustitiæ, & simul sacerdos veri Dei absque genealogia, sine patre & matre, quòd principium & finem dierum non haberet*, ita hanc suam periodum concludit, *assimulatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum*: id est Melchisedech in istis omnibus nunc recensitis gessit figuram & similitudinem Christi Dei-hominis sacerdotis. Nec etiam desunt ex Interpretibus, qui velint istud participium, *assimulatus*, ibi sonare idem, ac *gerens similitudinem*, & S. Chrysost. homil. 12. in epist. ad Hebr. expressè ait, *Melchisedech quoad ista omnia fuisse typum & figuram, Christum verò sacerdotem fuisse veritatem à Melchisedece istis suis perfectionibus adumbratam.* Maior patet ex se: tum quia S. Paulus totum istud scripsit ex dictamine Spiritus S. est enim hæc eius epistola Canonica: tum etiam nullum datur vel firmius, vel antiquius monumentum, quo hæc similitudo Christi Domini sacerdotis ad ipsum Melchisedech explicetur. Minor patet ex textu Apostoli, & sanctorum Patrum explicationibus ad illum locum.

Addidi in propositione hanc particulam (perfectè) quia licèt aliquot sacrificia legis naturæ, vt Abelis, Abrahæ immolantis Isaac, item & sacerdotes & sacrificia veteris Legis, in qua iuxta Apostolum, *omnia continebant in figuris*, adumbrauerint tam Christi Domini sacerdotiũ, quàm eius sacrificium; quia tamen hæc tantùm expressè serunt quoad aliquot conditiones, & nullum illorum tam expressè repræsentauit quoad suas omnes perfectiones & excellentias, vt disertè animaduertit ad præsentem locum Apostoli Primasius, & aliqui alijsidèò Christus Dominus speciali quodam titulo est appellatus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, & hanc ob causam addidimus nostræ propositioni hanc particulam, *perfectè*.

A V. B VI. C VII. D VIII.

ARTICVLVS IV.

In quo consistat repræsentatio sacerdotij Christi cum sacerdotio Melchisedecis.

HÆc repræsentatio Christi sacerdotis per Melchisedecem adæquatè sumpta consistit potissimùm in istis: Primò, *in potestate & dignitate regis; erat enim Melchisedech rex Salem*: quia rex Salem idem sonat ex Apostolo suprà ac *rex iustitiæ & pacis*. Similiter & Christus, nam de illo Psalm. 44. iuxta expositionem Apost. ad Hebr. 1. capite dicitur, *Virga æquitatis, virga regni tui: dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem.* Isaiæ 9. capite Christus dicitur *Princeps pacis*: & ad Colossenses 2. *Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Secundò, *in dignitate sacerdotij*, quatenus vnus idémque Melchisedech erat & rex & sacerdos veri Dei: quæ tamen duæ dignitates erant quoad personas omninò distinctæ in Lege veteri, & etiam naturæ: similiter Christus Dominus ita fuit rex, vt etiam simul esset sacerdos; nam Psalmo 2. sic loquitur, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Et ibidem Deus Pater ait illi, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* & Psalmo 109. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* & ibid. *Tu es sacerdos in æternum.*

Tertiò, consistit *in repræsentatione æternitatis* personæ Christi Domini sacerdotis, quatenus sicut Melchisedech in sacris Litteris describitur sine patre, sine matre, & absque genealogia, & sine principio & fine dierum; ita & Christus Dominus quoad generationem æternam est sine matre, & quoad temporalem sine patre: vnde versus ille apud S. Thom. dicitur de Christo Domino, *Est sine matre Deus, & sine patre caro.*

Quartò, consistit *in excellentia* Melchisedech vt sacerdotis, suprà omnes Aaronicos sacerdotes, nam ab illis decimas accepit, eíque benedixit in persona Abrahæ, quãdo illũ benedixit, & ab illo etiam decimas accepit, illi quippe omnes erant & continebãtur in lumbis Abrahæ secundùm viã seminalem: sícque cùm sit superioris accipere decimas à suis inferioribus, Melchisedech vt sacerdos fuit superior omnibus Legis veteris sacerdotibus: pari modo Christus Dominus, quia non fuit contentus in lumbis Abrahæ *secundùm viam seminalem*, sed duntaxat *secundùm corpulentam substantiam*, ratione cuius continentiæ, & modi procedendi ab Abraham, & eius posteris, eximebatur à debito soluendi decimas, vt S. Augustin. docet lib. 1. de Genesi ad litteram cap. 20. fuit etiam sacerdos longè superior & excellentior Aarone, & quouis eius successore.

Quintò, consistit hæc repræsentatio in perpetuitate & carentia successoris in sacerdotio, quatenùs Melchisedech nullum in sacerdotio habuit sibi successorem, sicut habebãt singuli sacerdotes Aaronici: Christus etiam nunquam habuit, aut

habebit successorem in sacerdotio : ideò enim vocatur Psalmo 109. *Sacerdos in æternum.* I.

Sextò, cõsistit hæc repræsẽtatio in eo quòd sicut Melchisedech legitur semel tantùm obtulisse, nec alium habuisse qui post eius mortem sacrificium suo sacerdotio proprium iteraret, sicut contigit in Lege Mosaïca: sic etiam Christus Dominus semel tantùm oblatus est *ad multorum exinanienda peccata*, vt Apost. loquitur cap. 9. epist. ad Hebræos, & capite sequenti, *Vnam pro peccatis offerens hostiam, vna oblatione consummauit sanctificatos, & ei nullus sacerdos succedit in sacerdotio*: nam omnes & singuli sacerdotes nouæ Legis sunt eius duntaxat vicarij, eiúsque personam gerunt in offerendo.

Est & alia specialis conditio, secundùm quam Melchisedech, vt sacerdos, & fungens sui sacerdotij officio, fuit Christi Domini vt sacerdotis typus, nimirùm quòd (vt refertur cap. 4. Genesis) ille panem & vinum obtulit Deo in sacrificium, Christus verò complens hanc figuram, verum, reale, & substantiale suum corpus, verum, realem & substantialem proprium sanguinem sub speciebus panis & vini obtulit Deo pro nobis in vltima Cœna, cui etiam, vt sic significando, nullus in noua Lege succedit propriè. Et hanc specialem repræsentationem sacerdotij Christi Domini ratione sacrificij incruenti per sacerdotium Melchisedecis fusiùs explicabimus infrà agendo de institutione sacrificij Missæ. II.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ratione sacerdotij Christus sit dignitate superior beatis Angelis.

PROPOSITIO. *Christus Dominus fuit beatis Angelis superior in dignitate & munere sacerdotis.* Ita S. Thomas hac præsenti quæst. art. 1. in responsione ad 1. Probatur, dignitas & munus sacerdotis attẽditur penes preces publicas & sacrificia, quæ sacerdos offert pro peccatis populi, vt colligitur ex S. Paulo ad Hebr. 5. At quoad hoc Christus est superior quibuscunque Angelis: nam & per sacrificium crucis ita fuit exaltatus suprà Angelos, vt *in nomine eius flectatur omne genu terrestrium, infernorum, & cœlestium*, ad Philipp. 2. & ad Hebr. 2. Item S. Matthæi 4. Angeli ministrant Christo exercenti religiosam & piam actionem pro nostris peccatis. III.

Nec obstat quòd Christus Dominus ad Hebr. 2. cap. dicatur, *paulò minoratus ab Angelis*, propter passionem mortis: id enim de Christo dicitur, *propter modum passibilitatis*, qui non reperitur in Angelis: quia tamen maior dignitas sacerdotis debet attẽdi penes ipsum *offerentem*, penes *hostiam* & *effectum* sacrificij, potiùs quàm penes *modum* aliquem eius, breui tantùm tempore duraturũ, fit vt loquendo simpliciter dicatur Christus in dignitate sacerdotis superior Angelis, cùm & Christus offerens, & Christus hostia, & sacrificij eius effectus sint aliquid longè superius, quàm sint vel ipsi Angeli, vel eorum preces, vel quod per illas possunt hominibus obtinere. IV.

ARTICVLVS VI.

Soluuntur dubia.

QVÆRES, an Christus Dominus, *quoad sacrificium cruentum quod obtulit pro nobis in cruce*, fuerit sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, & sui sacerdotij actum ibi exercuerit. Respondetur comparando Christum Dominum cũ Melchisedech, *quoad omnes & singulos eius excellentias* superiùs explicatas, *vltimâ tantùm excepta*, fuisse ibi sacerdotem secundùm ordinẽ Melchisedech, & ibi huius sui sacerdotij actum exercuisse. Comparando verò Christum sacerdotem cum Melchisedech, quoad omnes & singulas excellẽtias sacerdotij Melchisedech, *includendo vltimam*, esse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, *solùmodò ratione sacrificij sui incruenti*, seu quando in vltima Cœna obtulit seipsum incruentè, & nunc etiã per nostros sacerdotes eius tantùm vicarios in celebrando Missæ sacrificio. Duæ sunt partes responsionis. Prior habetur satis expressa apud Apost. ad Hebr. cap. 5. 7. 9. & 10. nam in istis locis agit tantùm de sacrificio cruento Christi Domini, vt patet expendendo singula eius verba, non autem de incruento, vt omnes eius Interpretes communiter notant ad illa eius verba, *de quo nobis grandis est sermo, & ininterpretabilis ad dicendũ*: & nihilominùs Apostolus ibi est totus, vt doceat Christum esse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech: ergo Christus Dominus fuit etiam in ara crucis, offerẽdo cruentum suiipsius sacrificium, sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. A B C D V. VI. VII. VIII.

Posterior item pars probatur: hæc particula, *secundùm ordinem Melchisedech*, speciatim sumpta idem sonat, ac *secundùm ritum & modum, quo Melchisedech obtulit Deo sacrificium*, vt ex professo docebimus infrà, agendo de sacrificio Missæ: at Christus Dominus hic ritu Melchisedecis tantùm Deo obtulit sacrificium in vltima Cœna, vt fusè tradunt omnes Patres, quos pro hac re proferemus loco citato; non autem in cruce, quia ibi seipsum viuum, & in propria specie externa obtulit Deo, vt clarè intelligitur ex Euangelistis eius mortem describentibus: igitur Christus Dominus non fuit sacerdos secũdùm ordinem Melchisedech, quoad specialem hanc conditionem vltimam, quando seipsum pro nobis obtulit Deo in ara crucis, sed tantùm quando in vltima Cœna obtulit Deo corpus suum, & sanguinem proprium sub speciebus panis & vini.

Tota responsio confirmatur. Christum esse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech nihil est aliud, quàm omnes & singulas eius sacerdotij excellentias fuisse adumbratas, & perfectè repræsentatas per sacerdotium, & sacrificiũ Melchisedecis adæquatè consideratum ex art. 3. præsentis disput. sed omnes & singulæ perfectiones sacerdotij Christi Domini, & eius sacrificij in ara crucis, fuerunt (exceptâ vltimâ) repræsentatæ per sacerdotiũ & sacrificiũ Melchisedecis, vt patet ex Apost. & ex dictis: omnes verò & singulę excellẽtiæ sacrificij eius incruenti, vltimâ etiam comprehensâ, perfectè repræsentantur per sacerdotium & sacrificium Melchisedecis, vt facilè cõstat discurrendo sigillatim per illas, & amplius patebit agendo de sacrificio Missæ: igitur Christus Dominus ita est sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, & in ara crucis tantùm respondet singularibus excellentiis sacerdotii Melchisedecis, exceptâ vltimâ: in vltima verò Cœna quando consecrauit & obtulit sacrificiũ incruentũ, omnibus prædictis perfectionibus sacerdotij Melchisedecis perfectè respondet. Neque hinc sequitur sacerdotiũ Christi D. fuisse *duplex*, sed duntaxat *vnicum*, habens tamen duos offerẽdi modos, vnũ *incruentè*, & *cruentè* alterũ, sicut quamplures potentiæ naturales ita habẽt suã vnitatẽ numericã, vt tamen duos habeant operãdi modos ex illa.

I. Quæres secundò, quare Christus Dominus non dicitur *sacerdos secundùm ordinem Aaronicum*, cùm Aaronis sacerdotium magis expresserit cruentum sacrificium Christi Domini.

Respondetur primò, hic supponi falsum; nam hæc maior expressio debet attēdi penes *maiorem, & ampliorem repræsentationem sacerdotij* Christi Domini quoad omnes & singulas suas perfectiones & excellentias, vt intelligitur ex dictis: at falsum est illas & singulas expressiùs & ampliùs repræsentari per sacerdotium Aaronis, quinimmò quamplures ex illis sunt omninò oppositæ conditionibus sacerdotij Aaronici, vt etiam patet ex dictis, & econtrà fuerunt magis expressæ, & melius repræsentatæ per sacerdotium Melchisedecis, vt docent quæ suprà tradidimus.

Secundò respondetur, Christum Dominum non debuisse dici sacerdotem secūdùm ordinem II. Aaronicum: Primò, quia sacerdotium Aaronis erat abolendū per Christi Domini sacerdotium, ex Apost. cap. 7. ad Hebr. sacerdotium verò legis naturæ, quale erat sacerdotium Melchisedecis, debebat perfici à Christo Domino, & ad statum altiorem erigi. Deinde quia sacerdotium Aaronicum vni duntaxat tribui erat alligatum, scilicet Leui, vt Apost. notat cap. 7. ad Hebr. & patet ex cap. 28. Exodi, & aliis superiùs citatis: at sacerdotium Christi Domini minimè, cùm ille esset de tribu Iuda, *De qua*, vt ait Apost. *nullus altario præsto fuit; manifestum est enim, quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.* Nec participatio sacerdotij Christi Domini in noua Lege est alligata vni certæ tribui, populo, vel genti: nam de qualibet gente, & quauis familia populi possunt assumi, qui consecrentur in sacerdotes nouæ Legis, & vicarios Christi Domini, modò illis insint III. aliæ ad istud officium requisitæ conditiones.

DISPVTATIO III.

De regno Christi.

Articvlvs Primvs.

Quædam monita præmittuntur, & status quæstionis aperitur.

IV. Via diximus sacerdotium Christi Domini fuisse repræsentatum per sacerdotium Melchisedecis, etiam specialiter penes coniunctionem istarum duarum potestatum, sacerdotalis & regiæ, in vno illo & eodem: difficultas est, *qualis sit ista potestas regia Christi Domini* spiritualis tantùm purè & simpliciter; an etiam præter spiritualem habuerit aliquam temporalem.

Et imprimis quòd Christus Dominus vt homo habuerit spiritualem regiam potestatem, habetur euidentissimè ex sacris Litteris Psalmo 2. vbi Christus Dominus vt homo ita loquitur, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*: cuius versiculi, iuxta sanctum Augustinum ibi, sensus est iste, *Ego autem* (inquit ibi sanctus Augustinus) *constitutus sum rex ab eo super Ecclesiam sanctam eius, quam montem appellat, propter eminentiam & firmitatem eius.* Similiter & alij Patres. Item capite 5. Michææ Prophetæ, *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda, ex te egredietur qui sit dominator in Israël.* Quem locum intelligi de Christo Domino Scribæ & Pharisæi, quos Herodes 2. capite S. Matthæi interrogauit, agnouerunt: vnde etiam Christus interrogatus à Pilato an esset rex, affirmauit, sic dicendo, *Tu dicis*, & volens explicare hoc suum regnum esse spirituale, subiecit, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et Apostolus ad Romanos 14. capite, *In hoc*, inquit, *Christus mortuus est, & resurrexit, vt & mortuorum & vivorum dominetur.* Hinc de Christo Domino canit Ecclesia, *Regnavit à ligno Deus.* Idem etiam patet ex institutione sacramentorum nouæ Legis facta per illum: item ex potestate Ecclesiæ ab eo tradita pro dirigendis hominibus ad vitam æternam.

Secundò certum est, Christum Dominum ex vi hypostaticæ vnionis sumptæ præcisè, abstrahendo ab omni alia supernaturali deputatione, B seu ordinatione Dei, nullum habere dominium temporale, siue in totum hoc vniuersum, siue in aliqua particularia mundi regna; nam ea omnia, quibus suprà disput. 2. ad quæst. 8. ostendimus Christum Dominum non habere dignitatem capitis, ex vi vnionis hypostaticæ sumpta præcisè: idem ostendunt de regia dignitate temporali in totum hoc vniuersum, vel aliquam eius partem.

Tertiò debet esse certum, Christum Dominum non fuisse temporalem Iudæorum regem, ex vi generationis suæ temporalis, secundùm quam descendebat à Dauide, vt volunt Armacanus libro 4. quæstionum Armenicarum capite 15. Paulus Burgensis in caput primum sancti Matthæi additione secundà: nam siue regnum temporale Dauidis defecerit in Iechonia, vt aliqui C volunt colligere ex capite 22. Hieremiæ, dum de eo dicitur, *Scribe virum istum sterilem, virum qui non prosperabitur in diebus suis, non enim erit de familia eius, qui sedeat super solium Dauid.* Quod sanctus Hieronymus ad illum locum Prophetæ intelligit de regno temporali, siue locus ille Hieremiæ affirmet tantùm in diebus Prophetæ neminem ex illius semine habiturum imperium, siue fuerit regnum hoc extinctum solummodò *quoad formam regni*, & permanserit *in forma principatus*, tantùm vsque ad Machabæos, qui erant de progenie Dauid per lineam maternam, vt sanctus Augustinus notat libro 12. de Ciuitate Dei capite 45. non propterea tamen regnum hoc, siue principatus potuit esse Christi Domini, vi suæ generationis, & cognationis temporalis: nam beatissima Virgo descendebat à Dauide per Nathan, vt constat ex eius genealogia, quam sanctus Lucas describit capite tertio, quiquidem Natham erat alter filius Dauidis D VIII. à Salomone, cui tamen Salomoni succedebatur in regno.

Et licèt S. Ioseph descenderet à Dauide per Salomonē, non tamen potest constare principatum ei, vt proximè succedenti fuisse debitum. Deinde quamuis istud probaretur efficaciter, quia tamen Christus Dominus *non erat naturalis filius sancti Ioseph, sed tantùm putatiuus, nec item adoptiuus*, quia nihil constat de eo, & quanquam constaret, adhuc non sufficeret, quia adoptio non est sufficiens ad transferendum regnum cum præiudicio legitimi hæredis & successoris, quem tamen hæredem alium à Christo Domino sanctus Ioseph habere potuit, imò & sceptrum Iudæ iam erat extinctum, & ad Herodem transla-

I. tum consentiente populo Iudaico, vt etiam intelligitur ex illa prophetia Iacob capite 49. Genesis; *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.* Quæ designatio temporis aduentus Messiæ fuit solummodò post extinctum regnum Iudæorum in tribu Iuda, fit inquam vt Christus Dominus non fuerit aliquo iure successionis rex Iudæorum; nec item iure belli, quia certum est eum nullum gessisse bellum temporale. Promissiones autem quæ passim in veteri Testamento dicunt Messiam futurum *Regem, sessurum super solium Dauid,* intelliguntur tantùm de *regno spirituali*, & multo minus Christus fuit rex temporalis Iudæorum, electione populi. Nam imprimis vbi post multiplicationem quinque panum, & duorum piscium capite sexto sancti Ioannis, cognouit fore vt illi, quos satiauerat, venturi essent vt raperent eum, & facerent regem, *fugit in montem ipse solus*; deinde sancti Ioannis capite 19. cùm Pilatus, refugiens affigere Christum Dominum cruci, diceret Pontificibus Iudæorum, id ab illo postulantibus, *Regem vestrum crucifigam?* Respondent Pontifices, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*: ergo Christus Dominus nullo iure humano fuit rex temporalis Iudæorum.

II. Quod ergo hic vocatur in dubium est, *An Christus vt homo acceperit à Deo speciale aliquod dominium, principatum seu regalem potestatem, non tantùm in vnum Iudæorum regnum, sed & in omnia regna mundi, & in omnes res temporales*; nam ita potuisse fieri, nemini potest esse dubium: reges enim, quotquot illi sunt, acceperunt dependenter à Deo sua regna, *Per me*, inquit, *reges regnant*, & proinde non implicat eum illa submittere Christo secundùm aliquam specialem rationem & dependentiam. Quare quæritur an ita sit factum: vt autem istud melius explicetur,

III. Notandum est, *dominium creatum per proprietatem esse duplex*; vnum quod vocant *vulgare, & humile*, per quod res aliqua sic est propria suo Domino, vt solus ille proprietatem eius obtineat, & simul excludat dominium aliorum, quo pacto quilibet rei suæ, seu hæreditatis, aut etiam pecuniæ est dominus. Istud autem dominium appellatur prædictis nominibus, quia conuenit omnibus & singulis, respectu eorum quæ possident. Alterum dominium appellatur *altum*, quia est superioris ordinis ab isto præcedenti quod *vulgare, & humile* vocauimus, & est ius illud, quod conuenit Communitati, Reipublicæ, vel Regi, in bona singulorum ciuium, quatenus illi sunt aliquæ partes suæ Communitatis, Reipublicæ vel Regni, quo iure vtendo Communitas, Respublica, Rex, possunt iusto titulo disponere de bonis vniuscuiusque ciuis, vt illorum quisque tantum tribuat Reipublicæ, in graui necessitate constitutæ, quantum est opus ad subueniendum ei; hoc autem dominium, in eo distinguitur à præcedenti, quòd existens in aliquo compatiatur secum, circa vnam & eamdem rem, vulgare dominium in aliquibus aliis, vt patet exemplo allato de bonis ciuium, quorum illi ita sunt veri domini proprietarij, vt tamen secundùm alium ordinem Respublica non desinat esse illorum domina.

IV. Notandum est secundò, *dominium per iurisdictionem*, provt condistinguitur à *dominio per proprietatem*, posse similiter distingui *duplex*: v-

A *num vulgare, & humile*, quo ita hæc vel ista iurisdictionis potestas, in hos & istos subditos competit alicui, vt etiam excludat omnem aliorum quorumcumque iurisdictionum eiusdem ordinis & rationis in eosdem inferiores, seu subditos; huius generis sunt iurisdictiones singulorum Parlamentorum seu supremorum Senatuum, quatenus illorum vnusquisque ita plenam habet iurisdictionem in proprios subditos, vt alij eiusdem regni Senatus supremi, pro alia eiusdem regni parte à rege constituti, non habeant eandem in illos seu eiusdem ordinis iurisdictionem: sunt etiam huius generis singulæ illæ iurisdictiones, quas singuli Prætores ciuitatum habent in proprios sibi subditos, provt isti comparantur cum aliis aliarum ciuitatum Prætoribus, & ob eamdem rationem, qua prius dominium quoad proprietatem appellatur *humile & vulgare*, & hoc etiam dominium, penes iurisdictionem, eodem plane nomine vocatur. Alterum dominium per iurisdictionem *est altum*, sic dictum, quia est altioris ordinis à proximè explicato; & est ius illud, seu dominium quod competit superiori, puta Regi, vel supremo Senatui, secundùm quod potest ordinare de iis, quæ spectant ad iurisdictionem inferiorum etsi sibi subditos, vt quòd supremus Senatus possit euocare ad se causas & lites quæ proponuntur dirimendæ Prætoribus ciuitatum, & omnes illorum controuersias per seipsum definire. Item & Rex illas, quæ via communi & ordinaria examinantur, & terminantur per supremum aliquem Senatum sui regni, per seipsum vel per suum secretum Consilium, & vltima, vt loquuntur, seu definitiua sententia concludere.

C ARTICVLVS II.

V. VI. VII. VIII.

Verùm Christus Dominus vt homo habuerit aliquod dominium vulgare.

SIT hæc nostra propositio. *Christus Dominus vt homo non habuit dominium aliquod vulgare, & humile, siue quoad proprietatem, siue quoad iurisdictionem, in aliqua regna mundi.* Ita communiter Theologi, Valentia libro secundo doctrinalis fidei capite 76. Abulensis in caput 21. S. Matthæi quæst. 3. Victoria relectione prima de potestate Ecclesiæ, Soto libro 4. de iustitia & iure quæstione 4. articulo 1. & in 4. sententiarum distinctione 25. quæstione 2. articulo 1. Gregorius à Valentia ad præsentem quæstionem sancti Thomæ puncto 6. & plures alij.

D Probatur primùm, de dominio per iurisdictionem ex illo eius responso ad Pilatum, *Regnum meum non est de hoc mundo*, sancti Ioannis 18. capite, quod sanctus Augustinus tractatu 115. in sanctum Ioannem explicans, Christum Dominum sic loquentem introducit, *Audite ergo Iudei & Gentes, audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena, non impedio dominationem vestram in hoc mundo, regnum meum non est de hoc mundo:* at dato opposito huic parti nostræ propositionis, tam istud Christi Domini verbum, quàm illa eius explicatio allata ex sancto Augustino esset falsa; tunc enim omnes Reges quotquot erant in ipso aduentu Christi Domini perdidissent sua regna, & cœpissent tantùm esse vicarij Christi Domini, & etiam sequentibus sæculis vsque ad finem mundi, quod vniuersalis Ecclesia docet esse falsissimum,

I. quando in festo sanctorum Innocentium ita canit, *non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia*; idem probatur ex capite secundo S. Matthæi, vbi Christus Dominus interrogatus à Pharisæis, an liceret dare censum Cæsari, ita prudenter respondit, *Reddite ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, supponens ipsi Cæsari tanquam vero Imperatori tributa deberi. Hanc enim responsionem non esse ambiguam, sed esse absolutam & simplicem, patet ex eo quòd sic subiiciat, *& quæ sunt Dei, Deo*, vbi hæc particula, *&*, coniungit vtramque partem, in eadem significatione, seruata proportione; atqui posterior pars istius compositæ enunciationis Christi Domini profertur à Christo Domino absolutè, & simpliciter, & non sub aliqua conditione, vt omnes facilè cognoscunt: ergo, & prior. Probatur etiam ex illo Christi Domini apud sanctum Lucam 12. II. capite ad eum qui postulabat vt de hæreditate ferret iudicium inter seipsum, & fratrem, *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos*: quasi dicat, non ego sum constitutus Iudex, vt tu existimas, quasi mihi incumbat sic iudicare petentes, vt rectè ad hunc locum Euangelistæ Toletus expendit, istud enim est proprium eorum qui vulgare & humile habent dominium iurisdictionis.

Probatur etiam ex sanctis Patribus, vt sancto Ambrosio libro tertio in sanctum Lucam, sancto Augustino tractatu 15. in sanctum Ioannem, *Non enim*, inquit, *rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, vel hostu visibiliter debellandos*: item tractatu 115. verbis superiùs relatis. Tandem illæ rationes, quibus suprà ostendimus Christum non fuisse regem temporalem Iudæorum, rectè & facilè III. possunt accommodari ad probandum primam partem nostræ propositionis, cuius altera pars quæ est de *vulgari*, & humili dominio *per proprietatem*,

Probatur ex capite 85. Matthæi, vbi Christus Dominus ita de seipso loquitur, *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum*. 2. ad Corinthios 8. capite, ita de Christo Domino Apostolus loquitur, *propter vos egenus factus est*, scilicet bonorum temporalium; nam fuisse valdè diuitem *quoad bona spiritualia*, patet ex dictis suprà de eius multiplici gratia, scientia, & aliis id genus perfectionibus.

Probatur etiam *ex Extrauaganti, Cùm inter nonnullos, & Extrauaganti Quia quorundam: de verborum significatione*, vbi Ioannes XXII. definit IV. Christum Dominum & Apostolos habuisse rerum aliquarum dominium, quia scilicet non erant domini rerum omnium, eo speciali modo quo homines solent possidere res aliquas, nam tale dominium non patitur eiusmodi res possideri simul à pluribus aliis hominibus in solidum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus habuerit dominium altum tam quoad proprietatem, quàm quoad iurisdictionem.

QVOD spectat ad dominium quod vocamus *altum*, tam quoad proprietatem quam quoad iurisdictionem, maior est difficultas inter Doctores; nam Valdensis, Soto, à Valentia locis præcedenti articulo citatis tuentur negantem partem. V.

Melior videtur nobis pars affirmans, quam loco nostræ propositionis ponimus hîc, & quam docent sanctus Antoninus 3. parte suæ summæ titulo 3. capite 21. & plures alij. Probatur primò, ex sacris Litteris ad Hebræos 1. capite, Apostolus ait de Christo Domino vt homine, *quem constituit hæredem vniuersorum*, id est, totius mundi, vt sanctus Chrysostomus primâ homiliâ in istam epistolam explicat, & sanctus Thomas lectione 1. in eandem epistolam ait hanc Apostoli particulam *vniuersorum* referri ad *totius naturæ vniuersitatem*, in quam Christus Dominus vt homo accepit dominium Psalmo 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues*, &c. Quod sanctus Paulus capite 2. ad Hebræos explicat de Christo Domino, & 1. ad Corinthios capite 15. de eodem Christo Domino loquens, ita scribit, B VI. *Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui ei subiecit omnia*, quo loci, quia exceptio fit mat regulam, & ibi solum Deum ab ipso Christi vt hominis dominio excipit, satis expressè significat nihil rerum creatarum excludi ab eo speciali dominio, quod Christus D. accepit à Deo Patre in hoc vniuersû, & cùm istæ, & aliæ similes propositiones tam apud illum quàm in aliis Scripturæ locis, sint *absolutæ, & vniuersales*, debêt accipi secundùm proprietatem verborum, in tota sua latitudine, non verò cum hac vel simili restrictione, *prout ordinantur & inseruiunt fini supernaturali*: sic enim Christus Dominus non accepisset à Deo maius dominium, vel etiam aliud in omnes eiusmodi res, quàm ipse Gregorius à Valentia, & alij eius sequaces agnoscunt in summo Pontifice: deinde hæc eiusmodi potestas quæcumque illa sit, est loquendo propriè tantum C VII. *spiritualis*, nec importat directum aliquod dominium, siue quoad proprietatem, siue quoad iurisdictionem, in omnes res creatas: at citata Scripturæ testimonia procedunt *de directo dominio*, vt ex illorum verbis patet, & capite primo Apocalypsis, Christus dicitur *Princeps regum terræ*, & capite 19. *habere scriptum in Testamento, & femore suo*, id est, vt omnes explicant, *in humanitate, rex regum, & dominus dominantium*, ex quibus omnibus particulis iuxta Patrum expositionem acceptis, intelligitur esse falsa responsio illa Gregorij à Valentia, ibi nimirùm hæc tantùm dici data Christo Domino *in hypostasi*, seu, *per communicationem idiomatum*, sicut & omnipotentia, soli Deo propria, potest dici data Christo, quatenus Deus communicando humanitati hypostasim Verbi diuini, con- D VIII. sequenter & mediata vnione ipsius essentiæ cum humanitate, attributa essentialia dici possunt in concreto de Christo Domino. Nam prædicta particula, *femur*, item & *vestimentum*, supponunt ibi pro humanitate Christi Domini, & sancti Chrysostomus, & Thomas locis superiùs citatis, verbis expressis distinguunt in Christo Domino duas naturas diuinam & humanam, dicúntque dominium illud, de quo Apostolus ibi loquitur conuenire Christo Domino *secundùm carnem, secundùm humanitatem, secundùm naturam humanam* considerato, & distinguunt ab illo dominio *independenti*, quod Deus habet in omnes, & quascumque res creatas, ex quibus omnibus formatur hæc prima ratio pro nostra propositione. Filius hæres ex asse bonorum Paternorum, tantùm habet extensiuè dominium

I. in bona eius cuius est talis hæres quantum pater eius habet & extensiuè, licèt illud non habeat tantum intensiuè, quantum pater eius, quia pater habet illud independenter à filio: at filius seu talis hæres dependenter à libera voluntate, & constitutione patris, qui potuit pro suo iure aliter de suis bonis disponere: at Christus Dominus quatenus homo, est hæres Dei ex asse omnium bonorum huius mundi, libera voluntate & constitutione Dei ex locis sacræ Scripturæ relatis, & Deus quatenus Deus habet speciale & altum quoddam dominium, siue *quoad iurisdictionem*, siue *quoad proprietatem, temporale*, in omnes & singulas res, & personas huius vniuersi, quod est talis conditionis vt compatiatur secum vulgare dominium, Imperatorum, Regum & singulorum hominum siue *iurisdictionis*, siue *proprietatis*, in res sibi proprias & per-

II. sonas sibi subiectas, vt patet ex notabilibus initio primi articuli præmissis: igitur & Christus Dominus, vt homo, habet altum quoddam dominium, tam quoad iurisdictionem, quàm quoad proprietatem omnium rerum creatarum huius vniuersi. Neque hinc sequitur Christum hominem fore, loquendo propriè, *omnipotentem*, quia omnipotentia præcisè sumpta, dicit independentiam absolutissimam à quocumque alio, & insuper facultatem ad aliquid producendam ex nihilo, & ad reducendum in nihilum quodcumque eius creatum, quod est proprium soli Entis, quod habet dominium *altum*, & à quocumque alio independens cuiusmodi non est hoc altum dominium quod asserimus esse in Christo Domino vt homine.

ARTICVLVS IV.

III. ### *Nostra sententia probatur ratione.*

NOSTRA propositio probatur ratione fundata in speciali excellentia sacerdotij Christi Domini adumbrata per excellentias sacerdotij Melchisedecis, & per Apostolum explicatas ad Hebræos septimo capite, secundùm quam Melchisedech, in quantum simul sacerdos & rex, præfiguravit Christum Dominum hoc modo. Christus Dominus eo genere dominij, altiori tamen, & longè amplioti, fuit verè & propriè Rex, quo Melchisedech fuit verè, propriè, & ad sensum litteralem sacræ Scripturæ, Rex Salem, & eo item genere dominij altiori tamen & amplioti, quo regnum Iudaicum speciali titulo fuit concessum à Deo tribui Iuda, quia duæ illæ potestates, quæ in lege veteri erant diuisæ, & distinctis tribubus populi Iudaici

IV. concessæ, fuerunt à Deo singulari modo vni & eidem Christo Domino vt homini concessæ, vt communiter sancti Patres docent ad relatum locum Apostoli, quando agunt de nomine Christi Domini, & de singulari eius vnctione per vnionem hypostaticam vt comprehendente illud omne quod aliis pluribus sacris vnctionibus in veteri Testamento commemoratis significabatur; atqui Melchisedech fuit verè & propriè *Rex Salem*, seu *Solymarum*, & Hierusalem, dominio temporali, verè & propriè dicto tam quoad iurisdictionem quàm quoad proprietatem, vt omnes tam sancti Patres, quàm alij sacræ Scripturæ Interpretes expresè docent ad caput decimumquartum Geneseos, in quo agitur de Melchisedece; item regnum istud & dominium quod in veteri Testamento Deus dedit tribui Iudæ, erat loquendo propriè & directè temporale tam quoad *iurisdictionem*, quàm quoad *proprietatem*, vt patet ex tota historia veteris Testamenti: ergo cùm veritas sit longè perfectior ipsa sua figura, Christus Dominus vt homo sit veritas per Melchisedech, *vt Regem & simul sacerdotem*, adumbrata, & in Christo Domino vt homine duæ illæ potestates, temporalis tribui Iudæ concessa, & sacerdotalis tribui Leui à Deo donata, fuerunt longè nobiliori modo, sicut Christus habuit veram & propriè dictam dignitatem, & potestatem sacerdotis longè suprà omnes & quoscumque sacerdotes, sic etiam habuit & speciale quoddam temporale dominium, tam secundùm iurisdictionem, quàm secundùm proprietatem, suprà omne quodcumque aliud temporale aliorum Regum & Principum dominium, & ex consequenti *altum*, illud dominium superiùs explicatum in totum hoc vniuersum.

V.

B

VI.

Confirmatur primò. Summus Pontifex legis Mosaicæ, tam bene, seruata proportione (iuxta auctores prioris sententiæ) habebat indirectè dominium in res temporales, prout illa specialis eius potestas exigebat, quam summus Pontifex nouæ legis; & tamen Christus Dominus alio speciatiori titulo dicitur fuisse sacerdos, & Rex totius huius vniuersi. Nam quoad hæc præfertur à sanctis Patribus, summo Pontifici Aaronico: igitur speciale illud dominium quod Christus, vt homo habet in res temporales, est aliud omninò ab illo quod prædicti auctores vocant *indirectum*.

Secundò confirmatur. Dominium illud indirectum in res temporales, inclusum in directa potestate spirituali, est tantùm prout, *& quantum ita expedit*, vt visus illius, sit necessarius ad

C VII. obtinendum finem supernaturalem, & non pro libito eius, qui habet directam illam potestatem spiritualem, quæ tale dominium indirectum in res temporales inclusa, vt etiam Gregorius à Valentia agnoscit, alias tale dominium reipsa & de facto esset *directum*, nomine tenus *indirectum*, & qui illud haberent possent *validè*, quamuis *non sine peccato*, ad libitum suæ voluntatis fingendo sibi congruentias, pro visu huius suæ potestatis, bona temporalia aliorum inuadere, illa ab vno auferre, & alijs dare, quod nemo prudens admittit: atqui Christus Dominus de facto est visus hoc seo dominio in res temporales pro libito suæ voluntatis, extra casum necessitatis: ergo tale eius dominium in res omnes temporales, fuit directum, & ex con-

D VIII. sequenti, quia compatiebatur secum vulgare illud dominium quod alijs competebat, erat *altum*.

Minor probatur, de dominio quoad proprietatem: nam capite octauo sancti Matthæi, & octauo sancti Lucæ eiecit legionem dæmonum ab vnico homine, quam cùm posset, sine vllo temporali damno Gerasenorum, apud quos hoc miraculum faciebat, detrudere ad inferos, vel in desertum aliquod, vbi nullum incolis huius loci afferrent incommodum, sicut alijs fecit, vt capite nono sancti Marci, quando liberat à dæmonio hominem ab infantia surdum & mutum, item & capite vndecimo sancti Lucæ alium, etiam cum vehementi admiratione turbatum, nihilominùs tamen illis, verbo suo efficaci, probe sciens damnum quod inde erat e-

I. uenturum, vtens hoc speciali in res omnes temporales dominio, concessit intrare in magnam porcorum multitudinem, eámque præcipitare in mare cum graui damno Gerasenorum, qui tamen hanc eius potestatem quasi agnoscentes non sunt apud illum, vel etiam apud aliquem iudicem conquesti de iniuria sibi illata, contenti eum rogare, vt ab illis discederet. Simile exemplum huius singularis Christi dominij in res temporales habetur capite 21. sancti Matthæi, quando arefecit ficulneam, in qua fructum non reperit, quando spectata secundùm nudam suæ naturæ conditionem, fructum ferre non poterat. Sic enim eius dominum fructu in plures annos inde sperato absoluta auctoritate spoliauit, cùm tamen finem isto miraculo intentum posset alio modo nullum importante incommodum obtinere. Tertium exemplum est, quando eodem capite S. Matthæi iubet Apostolos ad II. seipsum adducere asinam, quam reperirent alligatam, & simul eius pullum: nam sic subiiciendo, *Si quis autem aliquid dixerit, dicite quia dominus his opus habet*, satis declarat certè fore, vt ad hoc eius verbum proprietarius istius asinæ, nulla ampliori inquisitione facta, sed hac eius singularis domini, potestate intimata statim obtemperaret, cùm tamen similia animalia ad eumdem effectum à Lazaro viro nobili & diuite aliquo alio, putà Centurione, cuius filium sanauerat, accommodato posset accipere: ergo finis ille præcipuus, ad quem Christus hæc & similia fecit, videtur esse, vt ostenderet se vt hominem habere singulare illud *altum* quoad proprietatem dominium in res omnes temporales: idem patet de *alto dominio quoad iurisdictionem*; nam III. *punire nocentes* est aliquis actus iurisdictionis; item notorium peccatorem à pœna eius peccato per legem statuta absoluere: sed Christus vt homo absoluit à pœna lapidationis, per legem Mosis lata aduersus adulteras, mulierem in adulterio deprehensam à Pharisæis, illam accusantibus adductam capite decimo-octauo sancti Ioannis: nam dicendo illi, *non te condemnabo*, significauit se erga illam exercere actum mansuetudinis, vt sanctus Augustinus obseruat, tractatu trigesimo tertio in sanctum Ioannem, & subiiciendo, *vade, & iam amplius noli peccare*, denotat se illam absoluisse, non tantùm à culpa, sed etiam à pœna lapidationis, sicque cùm illa dispensare in hac lege veteris Testamenti, licèt id non expresserit verbis tam apertis, ne Iudæi inde arriperent occasionem eum calumniandi, vt ad illum locum Euangelij Toletus obseruat & expendit & facilè potest colligi; nam primò IV. ad quid illud, *Vade & noli iam amplius peccare*, nisi vt pacaret eius conscientiam, & illa sciret se eius beneficio esse liberatam à subeunda pœna lapidationis, & hoc vnum sibi esse curandum vt imposterum viter peccatum. Secundò, ad quid aliàs sanctus Augustinus tractatu trigesimo-tertio, diceret *mulierem illam timuisse ne à Christo condemnaretur*, nisi vellet & hanc potestatem fuisse in Christo Domino vt homine, & simul innueret istam mulierem iustè ita de Christo censuisse. Tertiò, ad quid aliàs epistolâ quinquagesima-quartâ ad Macedonium, scribit Iudæos illos, qui eam vi suæ legis poterant condemnare, discedendo reliquisse illam Christo Domino misericordi, nisi quia etiam pœnam legis condonauit.

Similiter Christus nocentes puniuit, nam ad A huius suæ potestatis ostensionem dicitur à quibusdam Patribus maledixisse ficulneæ superiùs commemoratæ; item prædictos porcos commisisse libertati & possessioni dæmonum illos in mare præcipitarium. Eadem iurisdictionis Christi Domini potestas probatur ex cap. 12. S Lucæ, quando rogatur vt tanquam iudex diuimat controuersiam de hæreditate inter duos fratres: ibi enim non negat absolutè se habere potestatem ius reddendi, etiam circa res temporales, sed solummodò talem, qualem iste qui rogabat, eum æstimabat, scilicet, *humano more*, vel, *quasi ad exercendum illam, primò & principaliter deputatum*; & hæc responsio Christi Domini confirmat nostram propositionem magis quàm infirmet illam, quia, vt prudenter Toletus animaduertit ad caput 12. sancti Lucæ annotatione 27. si Christus Dominus hac sua responsione negasset habere se potestatem iurisdictionis, sancti Pa- B VI. tres dum hæc Christi Domini dicta, & facta expendunt, non essent (vt tamen sunt de facto) admodum solliciti & diligentes in inquirendis & assignandis rationibus, propter quas Christus Dominus tunc noluerit sese istis temporalibus iudiciis & negotiis immiscere, quas tamen vt videre est in eorum homilus, & suis ad ista sacræ Scripturæ testimonia commentariis quàm diligentissimè inquirunt.

V.

ARTICVLVS V.

Nostra sententia probatur ex Patribus, & cuidam tacitæ obiectioni occurritur.

TANDEM hæc nostra propositio probatur, iis omnibus Scripturę & Patrum auctoritatibus, quibus suprà quæstione 8. ostendimus C VII. Christum Dominum accepisse à Deo dignitatem capitis rerum omnium creatarum, & eodem modo, & eodem etiam tempore vel instanti accepit hanc regiam dignitatem, quo modo & quando accepit prædictam capitis dignitatem: illa enim est aliqua pars istius, vt facilè intelligitur; neque ex hac nostra sententia sequitur summum Pontificem, Christi Domini vicarium in terris, habere dominium in omnia regna, & res omnes temporales, quia hoc altum dominium Christi Domini spectat ad peculiarem ejus excellentiam, quam non communicauit beato Petro, vel eius successoribus, vt patet in ipsa institutione Sacramentorum, & collatione sanctificantis gratiæ, sine applicatione sacramentorum, quam sibi soli reseruauit: & tam pro nostra præsenti sententia, quàm pro hoc discrimine inter D VIII. Christum & summũ Pontificem, extat singulare testimonium S. Bernardi lib. 3. de consideratione ad Eugenium cap. 1. vbi distinguit modum quo Christus Dominus, siue vt Deus, siue vt homo, sit Dominus totius huius vniuersi, & quo etiam Apostoli, & summus Pontifex eorum successor fuerint à Deo & Christo Domino instituti domini & hæredes illius, Christum quidem vt Deum *iure creationis*, vt Deum hominem, *iure redemptionis, & donationis*, illius sibi à Deo factæ, qui vltimus titulus est omninò alius ab illo qui est *redemptionis*. Hic enim est primò & per se, & directè importat potestatem spiritalem, iste verò est primò & per se, & directè importat altum illud dominium, quod nostra propositio asserit, dicitque ibi sanctus Bernardus Apostolos & summum Pontificem accepisse orbem terra-

I. rum non *in possessionem*, sed soli Christo, istis verò fuisse concreditam curam eorum quæ spectant spiritualem salutem hominum, qui sunt in illo, non verò temporalem principatum, sed soli Christo Domino: verba eius sunt, *Eis*, nimirùm Apostolis, *tu successisti in hæreditatem, ita tu hæres, & orbis hæreditas tua. At quatenus hæc portio te contingit, aut contigerit illos*, scilicet Apostolos, *id sobria considerationi pensandum: non enim per omnem eor modum, sed fanè quadamtenùs* (vt mihi videtur) *dispensatio tibi super illum credita est, non data possessio. Sic pergis & surpare & hanc*, contradicit tibi, *qui dicit, meus est orbis terræ, & plenitudo eius. Non tu ille, de quo Propheta, & erit omnis terra possessio eius. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris, cui enim alteri dictum est, postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, terminos terræ, possessionem & dominium, crede huic, tu curam illius habe, pars tua hæc, vltra ne extendas manum.*

II.

Articvlvs VI.

Soluuntur fundamenta sententiæ contrariæ.

PRIMVM est sacræ Scripturæ multiplex auctoritas: perfecta paupertas excludit non tàm vsum rerum, sed etiam & quodcumque illarum dominium, aliàs desineret esse perfecta: sed Christus Dominus, vt constat ex sacris Litteris, fuit perfectissimè pauper, Zachariæ nono capite dicitur de illo, *Ecce rex tuus*, venit tibi, *iustus & saluator, ipse pauper*, & aliis similibus locis articulo secundo relatis. Hæc enim omnia testimonia dicunt absolutè & simpliciter absque aliqua distinctione *vulgaris, & alti dominij*, Christum Dominum, *esse verè, & perfectè pauperem*: ergo Christus Dominus vt homo nullum habuit altum dominium per proprietatem.

III.

Respondetur, hæc & alia sacræ Scripturæ testimonia procedere tantùm de dominio quod suprà vocauimus *vulgare*, quia intelliguntur loquiad sensum communem hominum, qui istud dumtaxat vulgare dominium considerant, vt patet tam ex responsione Christi Domini ad eum à quo rogabatur dirimere litem quam habebat cum fratre apud sanctum Lucam capite 12. *Quis me constituit iudicem*: quàm ad Pilatum, *Regnum meum non est de hoc mundo*, quia significabat ita se esse Regem propriè, vt tamen regnum eius non esset eiusdem conditionis cum regnis quæ alij Reges possident vulgari tantùm dominio. Nec obstat quòd hæ Scripturæ loquantur absolutè, simpliciter & absque aliqua distinctione vulgaris & alti dominij; nam eo ipso quo aliis locis à nobis relatis pro nostra propositione articuli tertij præcedentis, eadem sacra Scriptura agnoscit in Christo Domino, vt homine directum aliquod insigne dominium, in omnes res temporales, & in vniuersum orbem terræ, nec illa potest aliquando mentiri, cùm sit à Spiritu sancto illam dictante, nec paupertas vulgari dominio opposita simul etiam opponatur directo alto dominio, quia hæc duo dominia sunt ordinis moraliter diuersi, opposita verò eiusdem ordinis, sic vt hæc testimonia Scripturæ non aduersentur nostræ propositioni. Et hoc potest illustrari exemplo sumpto à summa Christi Domini humilitate, & obedientia, qua etiam sancto Ioseph, parenti tantùm nutritio, erat

IV.

A subditus, vt expressè habetur 2. capite sancti Lucæ, quæ tamen secum in eodem Christo Domino admittebat singularem eius exemptionem ab obligatione soluendi tributum, & obseruandi leges ab Imperatore, Regibus & aliis Principibus constitutas, vt patet ex dictis suprà de eius subiectione, cùm sicut hæc eius exemptio magis commendabat summam illam eius humilitatem & obedientiam, quando ista sua exemptione non vtens, legem Mosaicam & id genus alia obseruabat, sic etiam illa Christi Domini paupertas, quæ tantùm opponitur vulgari dominio rerum huius mundi, potuit facilè compati in eodem Christo Domino altum illud dominium in res omnes temporales.

V.

Secundum fundamentum est Patrum auctoritas, qui considerantes Christum Dominum vt hominem & Deum, dicunt verbis expressis eum, *vt Deum, esse valdè diuitem, vt hominem verò esse voluntariè factum pauperem*, vt nobis suam opulentiam largiatur, ita S. Athanasius lib. contra Apollinarium non longè à principio. S. Chrysostomus hom. 17. in 2. epist. ad Corinthios, S. Cyrillus Alexand. lib. 2. ad Reginas de recta fide in Christum non longè etiam à principio, & fauet citata Extrauagans Ioannis XXII. Quòd verò Christus Dominus non habuerit altum dominium quoad iurisdictionem, probant primò ex sacris Litteris ex eius responsione apud S. Lucam cap. 12. suprà relata. *O homo quis me constituit iudicem.* Item apud S. Ioannem cap. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo, regnum meum non est hinc.* Item ex aliis Scripturæ locis quibus regnum Christi Domini asseritur esse spirituale, vt Psalmo 2. superiùs relato, Isaiæ 9. *Factus est principatus super humerum eius*, & totum Christi Domini regnum esse dumtaxat spirituale tradunt SS. Patres. Ambrosius lib. 3. in S. Lucam, S. Hieronymus in caput 12. Ieremiæ, S. Augustinus tractatu 51. & 115. in S. Ioannem, S. Gregorius homilià 8. in Euangelia.

B

VI.

Respondetur, tres illas auctoritates sanctorum Athanasij, Chrysostomi, & Cyrilli Alexandrini, nullomodò esse ad rem, de qua est præsens quæstio. Hic enim agimus de aliquo speciali dominio, quod Christus Dominus, vt homo, accepit in omnes res creatas: illi verò SS. Patres istis locis nomine *vilitatis, & paupertatis*, intelligunt *humanam naturam*, quam diuinum Verbum assumpsit, quæ cùm sit in infimo gradu subsistentiæ intellectualis, Deus verò, seu Verbum diuinum in supremo & perfectissimo, dicitur esse *vilis, & pauper*: imò & ipsa vilitas & paupertas, Filius verò Dei, Deus, ideóque assumendo naturam humanam rectè ab istis dicitur *assumpsisse nostram vilitatem*, seu *paupertatem*, & sui vnione hypostatica ad naturam humanam *se pauperem fecisse*, id est, *exinaniuisse*, vt nos diuites redderet, id est, vt eucheret nostram naturam ad eum sublimitatis gradum quo altiùs non potest ascendere. Quòd verò hæc sit eorum mens patet de S. Athanasio; nam ibi disputat contra Arianos qui ex assumpta humanitate quam ibi nomine *paupertatis* intelligunt, volebant inferre eum etiam vt Deum esse minorem Deo Patre, quod ibi refellit. S. Chrysostomus. Est adhuc euidentior, nam ibi explicans locum illum Apostoli nunc citatum, explicat singularia beneficia quæ sumus consecuti per exinanitionē Verbi diuini, quam expressè appellat *paupertatem*, ita scribit, *Atque hæc omnia paupertatis beneficio nobis contigerunt.*

C

VII.

D

VIII.

1. *Cuius paupertatis? perrid. nimirùm, quod carnem susceperit, atque homo effectus est.* Idem patet de S. Cyrillo, ibi eodem modo quo duo illi Patres, explicante illum eumdémque locum Apostoli 2. ad Corinthios 8. & ita scribit, *Valde inops est humanitas.* & paucis interiectis subiungit, *Sed Deus voluntariè pauper factus est, & nobis facilis*, id est, assumpsit naturâ humanam. Extrauagans autem Ioannis XXII. sicut & aliorum sanctorum Patrum auctoritates procedunt duntaxat *de dominio vulgari* tam quoad iurisdictionem, quàm quoad proprietatem, non autem de *alto*. Ad illas autem Scripturæ auctoritates contra dominium quoad iurisdictionem, patet responsio ex dictis, sicut & ad illud, regnum meum non est hinc. nam suprà ostendimus Christum isto suo verbo capite 12. sancti Lucæ excluisse solum vtrumque vulgare dominium, sicut & sancti Patres asserentes Christi dominium esse duntaxat spirituale.

II. Tertium & vltimum fundamentum est hæc ratio. Christus Dominus vt homo illud tantùm habuit dominium temporale, siue quoad proprietatem, siue quoad iurisdictionem, quod vel fuit necessarium ad redemptionem hominum, vel saltem conducibile ad illam. Deus enim nihil facit sine graui, & ad modum decenti ratione, præsertim in rebus tanti momenti: atqui altum illud dominium temporale, siue quoad iurisdictionem, siue quoad proprietatem, neque fuit necessarium vel conducibile ad redemptionem hominum: non quidem necessarium, quia plenissima spiritalis potestas quam habebat, ratione cuius poterat ad libitum disponere de rebus temporalibus in ordine ad finem supernaturalem, erat sufficiens pro complenda hominum redemptione: non fuit etiam conducibile, quia III. magis expediebat ad finem redemptionis, Christum exhibere nobis exemplum perfectæ paupertatis, & contemptus rerum mundanarum, qualis est carentia, non tantùm vsus rerum temporalium, sed etiam omnis dominij seu iuris & facultatis vtendi rebus ipsis temporalibus: ergo Christus neutrum altum dominium habuit.

Respondetur, nos admittere altum istud dominium in Christo vt homine non præcisè, quia Deus eum dedit nobis in redemptionem, sed quia etiam dedit illum *in caput*, non tantùm hominum, sed *etiam rerum omnium creatarum*, vt ostendimus ex professo ad quæst. 1. & 8. huius partis: & si primus parens non peccasset, quia tamen Christus Dominus semper venisset, vt ostendimus ad quæst. 1. tota disput. 7. habuisset etiam hoc altum dominium, vt significat S. Bernardus relatus suprà, quando in Christo Domino distinguit triplex dominij genus, primum IV. *creationis*, quatenus est Deus, secundum, *redemptionis*, quatenus venit vt redemptor, & de facto effusione sui sanguinis nos redemit. tertium & vltimum, *doni*. Christo vt homini per Deum facti, quod cùm faciat distinctam aliquam speciem à duobus reliquis, nec sumptum præcisè fundetur in humani generis redemptione, sed ab illa abstrahat, fit vt Deus illud ex gratuita liberalitate dederit Christo vt homini præcisè spectato, secundum verò obtineat præcisè vt redemptor, & primum denique vi æternæ generationis, qua Deus Pater essentiam diuinam, & omnia essentialia attributa ei tanquam vero Filio æterno communicauit.

A V.

AD QVÆSTIONEM XXIII.

DISPVTATIO VNICA.

De adoptione Christi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Deo conueniat adoptare.

IN PRIMIS notandum est nos hîc tantùm loqui de spiritali adoptione per analogiam, & comparationem ad ciuilem & temporalem, itavt conditiones quæ sunt essentiales huic provt præcisè spectatur in ratione adoptionis, repertantur etiam suo modo in illa. Definitur autem adoptio, *gratuita personæ extraneæ ad hæreditatem, vel ad partem hæreditatis acceptatio*: vnde B VI. in adoptione tres requiruntur conditiones. Prima ex parte adoptantis, vt adoptio *fiat gratis*, & liberaliter: si enim fiat aliquo titulo oneroso habet potiùs rationem alicuius contractus ex iustitia, cùm ibi interueniat debitum. Secunda conditio requiritur ex parte adoptati, *vt sit extraneus adoptanti*, id est, careat illo gradu coniunctionis ad quem assumitur; vnde filius adoptiuus solo affectu coniungitur adoptanti & non coniunctione naturali. Tertia conditio est, vt qui adoptatur *consentiat & velit adoptari*: qui enim adoptatur subijcitur adoptanti: nemo autem nisi volens subijcitur alteri: vnde si adoptatus non sit compos rationis, requiritur saltè consensus principis, aut eius cuius sub tutela est. His positis sit hæc nostra propositio, *Propriè conuenit Deo adoptare*. Probatur, adoptare est personam extraneam gratis & liberaliter ad hæreditatē acce- C VII. ptare: atqui Deus gratuitò & merè liberaliter acceptat homines ad beatitudinem, quę est Dei hæreditas, & homines ex vi fuæ originis sunt extranei Deo respectu beatitudinis, vt patet ex fe: igitur conuenit Deo adoptare, & hoc totum confirmatur ex ratione iustificationis, quæ vnius & idem est cum adoptione, cùm per illā constituamur & simus Filij Dei ex 1. S. Petri cap. 3.

Nec obstat quod non simus eiusdē naturæ specificæ cum Deo, adoptio enim est introducta ad communicationem bonorum faciendam: vnde specifica naturarū distinctio habet se per accidēs ad illam, ac proinde quia potest Deus nobis cōmunicare suā bona, rectè potest nos adoptare: sicut si Angelus haberet bona aliqua, ad quorum communicationem posset hominē vocare, rectè diceret adoptare, & homo adoptari. Neque ité- D VIII. subiectio illa quā homo habet ad Deum obstat, potest enim & tutor pupillum sibi subiectum adoptare in filium, diuina autē adoptio longè nobilior est humana: hæc enim fit *per solum affectū*, & non per aliquid inhærens adoptanti, & mortē adoptantis prærequirit vt fiat bonorū participatio; illa verò fit per gratiam, quæ est aliquid reale inhærens animæ, consistitq; in re spirituali quæ simul potest obtineri à Filio sine detrimēto Patris.

Nec deniq; obstat quòd adoptio inter homines sit introducta ad *solatiū orbitatis*, quando scilicet patres nullos habent filios, Deus autem Pater in diuinis habeat Filium naturalem & sibi consubstantialem, hoc inquam non obstat: nam conditio hæc est merè extrinseca adoptioni secundùm se, & suam substantiam consideratæ, vt facilè intelligitur ex definitione superiùs allata: vnde non

I. potest impedire, quin Deus sibi adoptet creaturam aliquam rationalem: deinde etiamsi in humana adoptione id requireretur, non propterea tamen id esset necessarium in diuina, nam in humana posset id fortasse requiri, quia adoptio facit adoptatum hæredem bonorum omnium adoptantis, itavt eodem iure & eodem modo post eius mortem illa possideat adoptatus, ac illa possideret filius naturalis; vnde vna communicatio bonorum facta filio naturali excludit communicationem illorum factam adoptato: at in adoptione hominum, vel Angelorum, quam facit Deus, istud non potest habere locum, Deus enim ita homines adoptat, eisque communicat sua bona, vt tamen illa eis communicet vt adoptatis, modo longè inferiori quàm Filio proprio & naturali: huic enim communicat per essentiam, istis verò tantùm per participationem

II. vna communicatio nihil detrahit alteri, sicut in humana adoptione. Item humana fit ex aliqua indigentia, quatenùs scilicet adoptans caret filio naturali, cui bona sua relinquat & communicet; diuina verò ex mera tantùm Dei misericordia, volentis creaturam rationalem ad tantorum bonorum communicationem euehere.

ARTICVLVS II.

Duo soluuntur dubia.

EX dictis articulo superiori duo nascuntur dubia: Primum est, cùm spiritalis adoptio sit per analogiam ad temporalem, vtrùm Deus magis propriè adoptet hominem vel Angelum, quàm vnus homo alium adoptet.

Respondetur, etsi nomen adoptionis translatum sit ab humanis ad diuina, rem tamen per illud significatam, propriè & non tantùm metaphoricè dici de Deo, imò Deum magis propriè adoptare homines & Angelos, quàm vnus homo alium adoptet.

III. Prior pars patet, quia tunc aliquid est tale propriè & formaliter, quando ei conuenit & inest definitio secundùm suas partes essentiales: esto quoad aliquot accidentales & extrinsecas conditiones ei non conueniat: at definitio adoptionis conuenit ei actioni quâ Deus facit homines & Angelos participes gratiæ & gloriæ, vt patet tam ex dictis, quàm ex dicendis infrà: ergo adoptio propriè & non metaphoricè conuenit Deo.

Posterior item pars patet, quia cùm adoptio sit quædam similitudo & imitatio generationis, quatenùs per illam communicatur quædam filiatio, ea erit in tali genere perfectior, quæ magis accedit ad veram filiationem: at diuina adoptio magis accedit ad veram filiationem quàm humana, in hac enim adoptans nullum esse reale & intrinsecum ipsi adoptato confert, in quo fundetur ius hæreditatis adeundæ, sed mero tantùm affectu ei coniungitur: at in diuina Deus adoptans communicat internum esse & reale, scilicet gratiam sanctificantem quæ adoptato dat esse supernaturale, est ei semen vitæ æternæ, sicut acceptio naturæ humanæ à patre per generationem est Petro, verbi gratiâ, fundamentum & ratio adeundæ hæreditatis paternæ: igitur ratio adoptionis magis propriè conuenit diuinæ adoptioni quàm humanæ. Neque huic responsioni aduersantur S. Thomas tertio sent. distinctione decimâ, quæstione secundâ, articulo primo, & Durandus eadem distinctio.

A ne quæstione secundâ, sed solùm asserunt nomen adoptionis esse translatum ab humanis ad diuina, sicut & nomen paternitatis translatum fuit à paternitate humana per nos cognita naturaliter ad significandam paternitatem in diuinis, cuius tamen paternitatis ratio magis propriè conuenit Deo, quàm hominibus, vt docent Theologi primâ parte. V.

Alterum est, cùm adoptio sit quædam similitudo & imitatio generationis, & ex diuinis personis solus Pater generet, an illi soli, vel toti Trinitati conueniat adoptare.

Respondetur, adoptare conuenire toti Trinitati; nam opera ad extra sunt toti Trinitati communia, vt fusè docuimus ad secundam quæstionem disputationis septimæ articulis tertio & quarto, sed adoptio spiritalis est quædam actio ad extra; est enim hominum iustificatio.

B Nec obstat quòd Filius & Spiritus sanctus non possint generare, nam iure etiam ciuili, qui non possunt generare non desinunt posse adoptare. VI.

Notandum tamen est, adoptionem ita esse à tota Trinitate, vt tamen per appropriationem & accommodationem quandam tribuatur primæ personæ tanquam principio & authori: secundæ personæ seu Filio, tanquam exemplari, quia filiatio eius (siue sit sermo de ea quâ est Verbum & consubstantialis suo Patri ad intra, siue sit sermo de ea quæ ei competit quâ homo est, & quatenùs per incarnationem Verbum est humanitati vnitum) est exemplar quoddam filiationis adoptiuæ quæ est in nobis, cùm per iustificationem dicamur ab Apostolo fieri conformes Filio Dei, & Christus homo dicatur exemplar nostræ prædestinationis: tribuitur denique etiam Spiritui sancto, quia talis filiatio adoptiua fundatur in amore quo Deus nos prosequitur, amor autem & dilectio tribuitur Spiritui sancto, est enim Spiritus sanctus amor notionalis & procedens per actum voluntatis, quo Pater & Filius sese mutuò amant & diligunt. C VII.

ARTICVLVS III.

Cuinam competat adoptari.

PRIMA sit hæc propositio. *Soli creaturæ rationali conuenit posse adoptari.* Ita sanctus Thomas hîc articulo tertio.

Probatur, Sola illa creatura est capax adoptionis spiritalis, quæ est capax iustificationis, visionis & amoris beatifici, quia in possessione istorum hæreditas Dei consistit: sed sola rationalis creatura, Angelica & humana est capax iustificationis, visionis & amoris beatifici, quia hæc important actus intellectus & voluntatis, quæ potentiæ in solis istis creaturis reperiuntur: igitur soli creaturæ rationali competit posse adoptari adoptione spiritali.

IV. D VIII.

Est tamen hîc duplex difficultas: prior de reprobis, quia non sunt per efficacem Dei voluntatem ordinati ad æternam hæreditatem: posterior de Patribus veteris Testamenti, qui passim in nouo Testamento dicuntur fuisse sub iugo, seu lege seruitutis, nos verò in lege gratiæ & adoptionis, pro quarum explicatione sit hæc

Secunda propositio. *Reprobi quandiu sunt in gratia sunt vere filij adoptiui Dei*, est contra Gabrielem 3. sent. dist. 10. art. 1.

I. Probatur, quia reprobus tunc verè est iustus, & vnum Christi Domini membrum, vt definitut in Concilio Constantiensi sess. 6. & 28. contra Ioannem Hus. Et patet, quia ratio hæredis seu etiam filij adoptiui non consistit in actuali possessione bonorum, sed in iure ad illa possidenda: atqui reprobi quamdiu sunt in gratia habent ius ad gloriam capessendam, itavt, si ex hypothesi tunc morerentur, obtinerent vitam æternam, quia gratia sanctificans *est semen vitæ æternæ*: ergo quamdiu sunt in gratia sunt etiam adoptiui Filij Dei.

Tertia propositio. *Patres veteris Testamenti fuerunt etiam filij adoptiui Dei.*

Probatur, Iustificatio eadem est cum adoptione ex dictis suprà: sed Patres veteris Testamenti verè & propriè fuerunt iustificati; ergo verè & propriè fuerunt filij adoptiui Dei.

II. Cæterùm adoptio illorum differt accidentariò a nostra; erat enim minùs perfecta quàm sit nostra, quia differebat in aliud tempus possessionem hæreditatis etiam longè post mortem, licèt nullæ pœnæ temporales remanerent exoluendæ pro peccatis: adoptio verò Legis nouæ est perfectior, quia si nullæ remaneant pœnæ, & homo sit in gratia, statim post mortem introducit illum in possessionem hæreditatis: & Patres antiqui habebant adoptionem non ex vi Legis veteris, hæc enim neminem iustificabat, omnia eius Sacramenta erant *egena elementa & vacua* ex Apostolo, sed habebant adoptionem ex vi fidei in Christum venturum, qui Christus spectat ad Legem nouam: Vnde eorum adoptio fuit figura nostræ adoptionis; sic enim insinuat Ecclesia, cùm in officio Transfigurationis Dominicæ ait, III. *Deum in illa gloriosa transfiguratione, adoptionem perfectam filiorum, voce delapsâ in nube lucida mirabiliter præfignasse*, vt etiam explicat sanctus Thomas infrà quæstione 45. articulo 4. & status Legis Euangelicæ vocatur ad Rom. 8. *status adoptionis*; status verò Legis veteris *status seruitutis*, quia Lex noua ex se habet quod afferat gratiam, Lex verò vetus minimè, sed illius vi, sumptâ præcisè, erant dicti patres tantùm subiugo & seruitute, vnde ad Galat. 4. vocantur *ancillæ filij*.

Fundamentum autem sententiæ Gabrielis superiùs citati facilè soluitur ex fundamento nostræ propositionis secundæ, nimirùm adoptionem formaliter consistere in iure hæreditatis adeundæ, & non in actuali possessione illius, quod quidem ius, reprobi, quandiu sunt in forma gratiâ sanctificante, verè & formaliter habent; IV. est enim talis gratia *semen vitæ æternæ*; quod verò non consequantur de facto hanc hæreditatem est quòd à tali gratia deficiunt per peccatum mortale ex libera eorum voluntate commissum, in quo perseuerant vsque ad finem vitæ inclusiuè.

A stare à suis partibus, quorum tamen sententias V. deprauabant. Eamdem partem & si non eodem animo (illi enim, vt animaduertimus, fauebant hæresi Nestorianæ, hi verò nunc commemorandi, minimè, sed sunt Catholici) Durandus (sententiarum distinctione 4. quæst. 1. Richardus ibidem, & pauci alij sunt sequuti, addèdo tamen abstinendum esse ab hac loquendi formula propter hæreses Arij, Nestorij & ad vitandum scandalum quod nasceretur, si Christum Dominum vocaremus simpliciter adoptiuum Filium Dei; esse tamen talem, & posse sic appellari cum hac limitatione vel simili, *quatenùs homo*.

Propositio prima. *Christus Dominus, siue simpliciter enunciatus, siue cum hac limitatione*, vt homo, *secundum humanitatem, vel simili, non est Filius adoptiuus Dei.* Ita S. Thomas hac quæst. art. 3. & communiter omnes eius Interpretes, & B VI. ante illos Magister sentent. lib. 3. dist. 10.

Probatur primò ex pluribus locis Scripturæ sacræ, in quibus Christus Dominus etiam *vt homo*, aliter vocat Deum, *Patrem suum*, & aliter *nostrum*, S. Ioannis cap. 20. *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*; nam dicendo *meum*, ostendit esse patrem suum, dicendo *vestrum*, esse tantùm patrem hominum beneficio gratiæ & adoptionis, vt notant eleganter sancti Patres, Ambrosius lib. primo de fide cap. 6. lib. 3. de Virginibus cap 9. Augustinus tractatu 121. in sanctum Ioannem, Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa capite 3. Hinc Christus Dominus nunquam dixit communiter nobiscum, *Pater noster qui es in cœlis*, quemadmodum docuit nos orare Deum. Item C S. Petrus, cuius confessionem Christus Dominus probat apud sanctum Matthæum 16. ait. VII. *Tu es Christus Filius Dei viui*, vbi expressè denotat eum alio speciali titulo, & longè excellentiori modo, esse Filium Dei viui, quàm sint Helias, Hieremias, Ioannes Baptista, & alij Prophetæ quos ibi commemorat: quos tamen constat fuisse tantùm Filios adoptiuos Dei, quemadmodum ad locum illum Euangelij sanctus Hieronymus & alij Patres obseruant, & hunc locum Adrianus Papa citatâ suâ epistolâ vrgens ita ait, *Nunquid am dixit Petrus, tu es Christus, qui propter nos factus es filius hominis, & per adoptionem factus es Filius Dei; absit hoc, nec Petrus confessus est, nec sancta Ecclesia*: quo loci summus Pontifex plura congerit sacræ Scripturæ & Patrum testimonia pro hac prima nostra propositione, sicut & ibidem libellus cui titulus est [illegible] & Patres huius Concilij Francfordiensis in sua epistola ad Episcopos D VIII. Hispaniæ, vbi expressè notant prædictos Episcopos Helipandum & Felicem falsasse libros Sanctorum Patrum, vt eos pertraherent in suam opinionem.

Probatur secundò, ratione desumptâ tam ex præcisa ratione adoptionis, quàm ex prædictis epistolis Adriani primi, & Concilij Francfordiensis. Qui adoptatur ita suâ personâ est extraneus adoptanti, vt etiam post adoptionem sit solummodò ei coniunctus affectu, desiderio, & amore; nullâ autem coniunctione naturali, seu realitatqui Christus Dominus etiam *vt homo*, non est quoad personam suam extraneus Deo, hæc enim est persona Verbi diuini, realiter & hypostaticè vnita humanitati eius, & non tantùm affectu, vel per gratiam habituali, vt fusè ostendimus quæstione secundâ huius

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus Dominus sit filius naturalis vel adoptiuus Dei, etiam in quantum est homo.

HELIPANDVS & Fœlix Episcopi Hispani, quorum suprà meminimus quæst. 20. asseruerunt Christum Dominum esse Filium adoptiuum Dei, contendentes multos sanctos Patres, vt Hilarium, Hieronymũ, & plures alios

I. partis, sed realiter & naturaliter intimus Deo Patri illam generanti: ergo Christus D. etiam vt homo, nullomodo est Filius adoptionis Dei.

Probatur tertiò. Esse filium, est proprietas personæ, non naturæ, vt patet ex mysterio Trinitatis: igitur esto, humana natura non sit aliquid intrinsecum personæ Verbi diuini, vel eius naturæ diuinæ, quia tamen persona sustentans hanc humanam naturam non est extranea Deo, non poterit dici adoptata, nec Christus Filius adoptiuus Dei.

Confirmatur. Ea tantùm attributa possunt ex parte humanitatis in concreto dici de Christo Domino per communicationem idiomatum, quæ sunt illi propria, quæ verò conuenient tantùm supposito creato, minimè, vt fusè docuimus quæstione 16. atqui adoptio non est attributum aliquod humanæ naturæ, quia est *personalis proprietas*, quæ etiam creatæ naturæ non potest aliquo modo inesse, nisi vt subsistenti, & iam determinatæ in aliqua persona: adoptio autem spiritalis soli supposito naturæ rationalis creatæ potest competere, quia omne suppositum diuinum est aliquid intrinsecum Deo, eique naturale: ergo adoptio, etiam in concreto sumpta, non potest prædicari de Christo Domino etiam vt homine.

II. B

Propositio secunda. *Si hic terminus Christus, vel hic terminus homo, sumatur personaliter, tunc Christus, siue simpliciter enunciatus, siue cum ista limitatione, aut simili, quatenus homo, est propriè naturalis Filius Dei.*

Probatur primò ex sacris Litteris vt ad Romanos 8. vbi Apostolus loquens de Christo Domino, vt pro nobis in mortem tradito, & proinde *vt homine*, vocat illum *proprium Filium Dei, qui proprio filio non pepercerit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum*, proprium id est, *naturalem*: nam *proprius* filius opponitur *adoptiuo*, & apud homines tantùm dicuntur *filij proprij* aliquorum, qui sunt naturaliter eorum filij. Et primæ sancti Ioannis quinto, Christus Dominus dicitur *verus Filius Dei*, ex quo Patres collegerunt illum esse *consubstantialem suo Patri*. Item ad Hebræos capite primo, Apostolus ponens discrimen inter Christum & Prophetas, per quos Deus est locutus patribus, vocat illum *simpliciter Filium Dei*, id est, naturalem, hoc enim exigit illa antitheſis quam Apostolus ibi format inter legem veterem, & nouam, inter Christum, & Prophetas, & pro hac propositione plures videri possunt Scripturæ & Patrum auctoritates in citatis epistolis.

III. C

IV. D

Probatur secundò ratione. Christus Dominus sub *simpliciter enunciatus*, siue cum hac, vel simili limitatione, *quatenus homo*, est talis, qualis est persona, qua formaliter subsistit: atqui persona qua Christus Dominus formaliter subsistit, est propriè verus & naturalis Filius Dei, vt fides Catholica docet contra Arium & Nestorium.

Probatur tertiò. Quicquid Verbo diuino personaliter conuenit, illud dicitur de Christo Domino in concreto, ex dictis ad quæst. 16. sed naturalis filiatio diuina, conuenit personaliter Verbo diuino: ergo Christus Dominus dicetur Filius naturalis Dei in concreto.

Atque hæc secunda propositio est de fide, vt patet ex Scripturis citatis, prima verò prout opponitur huic propositioni, Christus est Filius adoptiuus Dei, intellecta ad sensum Helipandi & Felicis Orgel ad sensum Nestorij duas distinguebant personas in Christo, duos item Christos qui accidentali tantùm vnione essent vnus, vt Ionas Aurelianensis, qui eorum tempore floruit, expressè notauit, vt facilè intelligitur ex confessione Helipandi, quam Vasquesius hac quæstione refert,) est planè de fide ex iisdem citatis Scripturæ & Patrum testimoniis, iuxta quem sensum prædictum Concilium Francfordiense illam definit. Quòd si propositio opposita nostræ intelligatur ad sensum Durādi, quod nimirum sit vna tantùm persona in Christo Domino, & quod quemadmodum Christus Dominus ratione naturæ humanæ dicitur *natus in tempore*, sic etiam ratione eiusdem humanæ naturæ, ratione cuius habet gratiam habitualem, & gloriam, sit adoptiuus filius, tunc nostra propositio non videtur esse de fide, vt rectè cum pluribus recentioribus Suarez animaduertit hic disputatione 49. sectione 2. assertione 6. Cùm iuxta hunc sensum à nullo Concilio videatur definita, sed in priori tantùm sensu, & ad omnes auctoritates pro nostra prima propositione allatas. Durandus respondet esse intelligendas iuxta secundam nostram propositionem, vel per communicationem idiomatum, cùmque præter istam & similes auctoritates nullum aliud fundamentum habeamus, quàm quòd adoptio sit proprietas personalis, & non ipsius naturæ, hoc autem non habeatur ex fide, sed aliqua tantùm communi Theologorum, Philosophorum & Iurisconsultorum sententia. Prima nostra propositio iuxta hunc sensum intellecta, non erit propriè, & in rigore de fide, nihilominus tamen ob periculum erroris, item scandali, quia vbi omnes audiunt aliquem esse filium adoptiuum alicuius, statim concipiunt non esse proprium & naturalem eius filium, ipsáque adoptio aliquam continet negationem filij naturalis, ideò Christus Dominus nunquam vel absolutè, vel etiam cum hac aut simili limitatione *quatenus homo*, est dicendus Filius adoptiuus Dei.

V.

VI.

VII.

VIII.

ARTICVLVS V.

Soluuntur obiectiones.

PRIMA est. Quòd sanctus Irenæus libro tertio aduersus hæreses capite 21. ita loquatur de Christo Domino, *Qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei, vt adoptionem percipiens, fiat Filius Dei*; S. item Hilarius libro secundo de Trinitate satis longè à medio, loquens de Verbo incarnato sic dicat; *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.*

Respondetur hanc sancti Irenæi particulam, *vt adoptionem percipiens*, non intelligi de Christo Domino, siue absolutè consideratо, siue etiam vt homine, sed de ipsa communitate hominum denotata per hunc terminum, *homo, sumptum specificè*, ita vt sensus sancti Irenæi, sit iste, Filius Dei factus est homo, vt homo, id est cœtus hominum, seu quilibet homo percipiens adoptionem, id est, iustificationem per gratiam habitualem, fiat Filius Dei, nimirum adoptiuus; ista enim verba eius antecedentia, *ingrati existentes Verbo Dei, quòd incarnatum est propter ipsos*, satis declarant hunc esse genuinum sensum sancti Irenæi, vt optimè ad illum locum Feuardentius notauit.

I. Ad auctoritatem sancti Hilarij, respondetur hanc particulam, *adoptatur*, ibi sumi tantùm *metaphoricè* prout idem sonat, ac *assumitur*, vel *coniungitur*: nam & hæc verbum rectè sumi in hac significatione etiam apud prophanos auctores, vt apud Ciceronem prima Verrina, & alios, obseruat Passeratius in suo Calepino verbo *adopto*, & sensus sancti Hilarij eo loci postulat hunc terminum ita accipi: ibi enim totus est vt doceat Verbũ ita assumpsisse infirmitates naturæ humanæ, vt nihilominus potestãs & maiestas Dei semper in illis reluceret; & tandem concludit per verba illa quæ hîc obiiciuntur. Vnde vt conclusio contenta verbis obiectionis respondeat assertioni eius, & probationibus ibi pro ea allatis: hæc particula, *adoptatur*, debet idem significare ac *assumitur*.

II. Secunda ratio est, Cuicumque conuenit ex libera voluntate Dei habere gratiam habitualem & gloriam, is propriè censetur esse adoptiuus Filius Dei, vt intelligitur ex dictis primis tribus articulis huius disputationis: atqui simpliciter & absolutè loquendo conuenit tantùm Christo Domino, ex libera voluntate Dei, habere gratiam habitualem & gloriam, quia, vt antea docuimus, Deus non tenebatur de rigore stricti iuris, etiam posita gratia vnionis hypostaticæ, dare animæ Christi Domini gratiam & gloriam.

Confirmatur. Vbi in natura rationali seu intelligenti est negatio iuris ad communicandum bonis alterius, ex cuius tamen libera voluntate aliquis communicat, ibi propriè est adoptio, vt patet ex primo articulo: atqui Christus Dominus *vt homo* est natura quædam rationalis, habens negationem iuris ad communicandum gloriæ Dei, quam tamen habet ex libera eius voluntate: ergo Christus Dominus vt homo est adoptiuus Filius Dei.

III. Respondetur negando Maiorem simpliciter & absolutè sumptam: nam *adoptio* potissimùm consistit in *extraneitate personæ adoptati, ad adoptantem*, quæ omittitur in ista Maiori.

Præterea non quæcumque libera voluntas acceptandi aliquem ad hæreditatem constituit Filium adoptiuum, sed ea tantùm quæ in adeunte hæreditatem negat *quodcumque ius ad illam*, etiam ex congruentia, analogicè & proportionatè ad ius filij naturalis pro adeunda hæreditate parentum: nam superiùs ad quæstionem nonam disputatione secunda, articulo tertio & quarto docuimus, nec ex stricto iure iustitiæ, nec ex aliquo iure naturali, sed alicuius tantùm congruentiæ filios etiam proprios & legitimos succedere hæreditati parentum; ideóque cùm ex ibidem dictis, non tantùm persona Christi sit maximè intima Deo, & non extranea, & præterea Christus Dominus vi vnionis hypostaticæ habeat aliquod ius congruentiæ, & decentiæ ad gratiam habitualem & gloriam æternam, vt vbi explicatum est; hoc ius istud, esto, sit tantùm congruentiæ, sit minus illo iure quòd proprij filij legitimi habent vi suæ filiationis ad communicandum bonis suorum parentum, vt intelligitur ex dictis loco citato, sit vt Christus Dominus nunquam possit esse, vel dici, Filius adoptiuus Dei.

IV. Tertia ratio est. Proprius effectus gratiæ sanctificantis est facere suum subiectum, Filium adoptiuum Dei: at Christus D. quatenus homo habet gratiam habitualem: ergo per illam constituitur Filius Dei adoptiuus. V.

Respondetur negando Minorem: nam adoptionem spiritualem non esse primùm formalem effectum gratiæ habitualis ostendimus suprà ad quæstionem septimam, disputatione secunda, articulo secundo, & gratiam tantùm habere hunc effectum, quando recipitur in subiecto capaci talis effectus, cuiusmodi non est Christus Dominus ratione naturalis suæ filiationis, quæ habet oppositionem cum adoptiua.

Quarta est. Eadem est ratio Filij adoptiui, ac serui Dei, nam seruitus opponitur filiationi: at ex dictis suprà Christus Dominus vt homo est seruus Dei, & talis rectè dicitur: ergo est etiam & rectè dicetur adoptiuus Filius Dei.

VI. Respondetur negando Maiorem. Ad cuius probationem respondetur ex sancto Thoma hic articulo quarto, in solutione ad primum, disparem esse rationem *seruitutis*, & *adoptionis*: nam hæc seruitus, quam tribuimus Christo Domino vt homini, est attributum proprium humanæ naturæ fundatum in ipsa eius inferioritate & creatione passiua, vt ad quæstionẽ vigesimam fuit explicatum. Vnde cùm attributa propria humanæ naturæ possint in concreto prædicari de Christo Domino cum hac vel simili limitatione, *quatenus homo*, hæc propositio est vera, *Christus vt homo, est seruus Dei*: at filiatio & adoptio sunt propria attributa suppositi, ideóque cùm attributum proprium suppositi, quatenus est creatum, nullo modo possit prædicari de Christo Domino, vt suprà ostendimus ad quæstionem decimam sextam, licèt Christus vt homo possit rectè dici seruus Dei, non tamen Filius adoptiuus Dei. VII. Quibus non obstat quòd *seruus*, sit *concretum* & *seruire*, *sit agere*, actiones autem sint suppositorum, quam *seruus* ita est concretum, vt tamen sic solummodo nomen subsistentium concretum ac proprij attributi naturæ humanæ, cuius primarium significatum *est seruitus*, suppositum verò tantùm significatum *confusè*, & *seruire* est ita suppositi *denominatiuè*, vt tamen *elicitiuè*, & *effectiuè* sit ipsius naturæ: vnde sicut alia propria attributa eiusdem naturæ, sumpta in concreto possunt prædicari de Christo Domino, sic & ipsum *seruire*, & *esse seruum* cum hac vel simili limitatione, *quatenus homo*.

VIII. Quinta est. Purus homo iustus, quatenus est iustus formaliter, & in sensu compositionis, habet ius ad vitam æternam, quia ei vt sic morienti Deus reddit gloriam ex iustitia; nam inde passim in sacris Litteris vita æterna vocatur *merces*, *retributio*, & Deus dicitur, *non esse iniustus vt obliuiscatur boni operis* ab ipso iusto viatore exerciti; & tamen non obstante hoc iure semper remanet Filius Dei tantùm adoptiuus, quia scilicet gratis, liberaliter, & ex mera Dei misericordia accepit primam gratiam sanctificantem, quæ est istius iuris fundamentum, ergo à pari esto Christus, *quatenus homo*, ex vi vnionis hypostaticæ, quæ ei confert sanctitatem personalem, habeat ius ad communicandum bonis ipsius Dei: quia tamen vnio hypostatica est humanitati facta ex pura liberalitate, & misericordia Dei, (non enim obligabatur Deus vnire humanitatem Verbo diuino,) dicetur Christus, *quatenus homo*, Filius Dei tantùm adoptiuus.

I. Respondetur primò purum hominem iustum habere quidem ius ad vitam, nec propterea tamen desinere esse Filium Dei tantùm adoptivum, quia gratia sanctificans, quæ est illi fundamentum iuris quod habet ad communicandum bonis ipsius Dei, cum tantùm Deo coniungit *per affectum, amorem, fidem, &c.* id genus, non autem *naturali*, seu *substantiali vnione*: at licèt vnio hypostatica humanitatis Christi Domini ad Verbum fuerit facta à Deo, ex mera eius misericordia & liberalitate, tanquam motiuo aliquo ad volendum nobis hoc mysterium, nihilominus quia illa vnio est facta in aliquo *reali, substantiali, non extraneo* ipsi Deo, & est Christo Domino fundamentum ad communicandum bonis ipsius Dei; fit vt ille *quatenus homo* semper sit naturalis Filius Dei, & non

II. adoptiuus. Et hoc potest illustrari sumpto exemplo ab hominibus: parentes liberè exercent actum generationis per quem suscipiunt filium: quia tamen per istum actum communicant ei suam naturam, & filius qui producitur fit illis propinquus naturali, & substantiali coniunctione, nec remanet vllo modo extraneus, loquendo propriè dicitur naturalis eorum filius.

Secundò respondetur, per infusionem gratiæ sanctificantis suppositum hominis, & totam eius naturam semper remanere extraneam seu in nullo *substantiali*, & *naturali* ipsi Deo coniungi: At Christi etiam vt hominis suppositum non est Deo extraneum, & humanitas Christi vnitur Verbo *substantialiter*: ideóque cùm adoptio neget communicationem bonorum secundùm illam naturam iuxta quam de-

III. bet dici filius adoptiuus, fit vt etiam *ratione humanitatis* non possit Christus Dominus dici Filius Dei adoptiuus. Vnde dispar est ratio istius propositionis, *Christus secundùm humanitatem est creatura*, ab ea quam præsenti articulo discutimus: quia enim humanitas etiam Verbo vnita non amisit rationem entitatis creatæ, dependentis à Deo, & habentis cæteras conditiones enti creato intrinsecàs, fit vt prior propositio sit vera: sed in præsenti nostra propositione licèt humanitas secundùm se spectata & extra vnionem ad Verbum sit extranea Deo: quia tamen per vnionem amittit istam extraneitatem, licèt adoptio consequeretur naturam, vt volunt aliqui, & non suppositum, vt melius vult sanctus Thomas hîc (quia naturæ non conuenit generatio tanquam termino, vel principio, cùm natura nec generet, nec generetur, sed

IV. supposito, quòd generat & generatur) ipsa Christi Domini humanitas non possit dici Filia adoptiua Dei.

A ram; primò *maximè propriè*, quatenus accipit communicationem naturæ per generationem propriissimè dictam, seu quatenus procedit viuens à viuente principio coniuncto in naturæ similitudinem, qua ratione in diuinis Filius generatur à Patre, & in humanis homo à suis parentibus. Secundò, *minùs propriè*, quatenus numerum talis generatio fit per aliquid proprium, seu non extraneum generato, quódque ipsi generato tanquam totali termino est intrinsecum. V.

Hoc præmisso, asserunt Christum Dominum esse solius Patris diuini Filium naturalem, priori modo; nec satis explicant aut id intelligant sub hac ratione, *quatenus homo*, quin potiùs videntur id tantùm intelligere de Christo Domino *vt Deo*, qua pro ratione asserunt,

B quòd Christus Dominus sit Filius solius Patris quoad generationem æternam. Quòd si VI. *generatio* & hic terminus *Filius per naturam* sumatur posteriori modo, tunc asserunt Christum esse naturalem Filium Dei, quatenus *Deus* sumitur *pro subsistente in tribus personis*, sicque esse Filium non tantùm Patris, sed etiam sui ipsius, vt Verbi diuini, & etiam Spiritus sancti. Vnde inferunt hanc filiationem esse distinctam ab ea filiatione, quam Christus Dominus, vt Deus, habet à Patre, ex vi suæ processionis æternæ, inde temporalem esse, cùm fiat per actionem vnitiuam subsistentis Verbi diuini ad humanitatem, quæ actio est à tota Trinitate; ideóque relationem ei correspondentem esse ad totam Trinitatem: cuius fundamentum sit modus ille substantialis vnitiuus, quem ad quæstionem secundam huius partis disputatione septima, vocauimus *inexistentiam*: & quia vnius C & eiusdem ad seipsum non est realis relatio, volunt hanc relationem *filiationis*, Christi Domini vt hominis ad Patrem & Spiritum sanctum esse realem, ad Filium verò esse tantùm rationis. VII.

Quòd si quæratur ab illis, an propter talem generationem & relationem filiationis ei correspondentem Christus Dominus sit dicendus *Filius Trinitatis?*

Respondent, non posse ita dici simpliciter, absolutè, & sine aliqua limitatione, eo quòd modus iste loquendi diuidit Christum Dominum in duos, nimirum in vnum qui sit *secunda persona* Trinitatis, principium tertiæ personæ diuinæ, & *in alterum*, qui tanquam effectus sit ab illo priori tanquam sua causa, sitque ab illo distinctus, & hoc modo explicant

D sanctum Augustinum, & alios Patres, qui ne- VIII. gant Christum Dominum esse Filium Spiritus sancti, vel sanctissimæ Trinitatis. Addunt tamen Christum Dominum posse dici *Filium naturalem Spiritus sancti, Verbi diuini, totius sanctissimæ Trinitatis*, cum hac vel simili limitatione *secundùm humanitatem*.

Sit hæc nostra propositio. *Christus Dominus, quatenus homo nullomodò propriè est naturalis Filius Dei, sumendo hanc particulam, quatenus, specificatiuè vel reduplicatiuè.*

Hæc propositio est contra auctores secundæ sententiæ, est tamen expressa sancti Thomæ infrà quæstione trigesimæ secunda, articulo tertio, vbi *negat Christum Dominum esse Filium Spiritus sancti, vel totius Trinitatis*, sed solius primæ personæ diuinæ.

Probatur primò, ex sancto Augustino in En-

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Christus, quatenus homo, fuerit propriè Filius Dei.

QVIDAM ita negant Christum Dominum, etiam vt hominem, esse verè & propriè Filium adoptiuum Dei; vt tamen velint eum, vt sic, esse naturalem Filium Dei, non tantùm prout hic terminus, *Deus*, supponit, *pro prima persona Trinitatis*, sed prout supponit *pro subsistente in tribus personis diuinis*, quod vt explicent, præmittunt aliquem posse *duobus modis* dici *filium naturalem alterius*, seu per natu-

I. chuidio ad Laurentium capite 40. vbi expressè docet Christum Dominum ex vi gratiæ vnionis hypostaticæ, non esse Filium Spiritus sancti, *Profectò*, inquit, *modus iste quo natus est Christus Dominus de Spiritu sancto, non sicut Filius.* qua loquendi formula asserit sanctificationem humanitatis, prouenientem à Spiritu sancto per actionem vnitiuam, non sufficere vt Christus Dominus dicatur, & sit Filius Spiritus sancti. Idem planè quod sanctus Augustinus ibi, Concilium primum Toletanum profitetur in sua confessione fidei, dum sic habet, *Nec tamen Spiritus sanctus Pater esse credendus est Filij, pro eo quòd Maria eodem Spiritu obumbrante conceperit, ne duos Patres Filij videamur asserere. quod vtique nefas est dici.* quibus locis non est sermo de æterna generatione, sed de temporali, vt ipsemet textus declarat.

II. Probatur secundò his omnibus rationibus, quibus ad quæstionem 16. ostendimus has propositiones, *Christus in quantum homo*, vel *in quantum hic homo est Deus*, *Christus in quantum Deus est homo*, *Christus in quantum Filius Dei est natus de Beatissima Virgine*, esse falsas tàm in sensu reduplicatiuo *quàm specificatiuo*; omnes enim rationes ibi allatæ probant etiam falsitatem præsentis propositionis. Addimus præterea quòd filiatio propriè dicta naturalis innititur veræ & propriè dictæ generationi, *quæ est processio viuentis à viuente principio coniuncto in naturæ similitudinem*, vt omnes admittunt agendo de æterna generatione Filij: at Christus Dominus *vt homo* non sic procedit, vel à Patre, vel à seipso, vel à Spiritu sancto, vel etiam à tota Trinitate, vt per se patet.

III. Neque distinctio superiùs allata ab auctoribus secundæ sententiæ *de filiatione naturali maximè propria, & minus propria* satisfacit. Nam si *ad esse Filium naturalem* sufficiat procedere viuens ab aliquo viuente per aliquid proprium non extraneum ei, à quo procedit, quòdque sit intrinsecum ipsi procedenti tanquam termino totali, iam Spiritus sanctus erit isto modo naturalis Filius Patris & Filij: nam est ab illis, quatenus communicant ei diuinam naturam, quæ etiam est ipsi Spiritui sancto tanquam totali termino huius secundæ processionis diuinæ propria, nullomodo extranea, sicut & est propria secundæ personæ, cùm vnaqueque illarum sit propriissimè loquendo Deus, & inter hanc filiationem Spiritus sancti, & illam Filij diuini ad intra, id tantùm erit discriminis, quòd hæc *sit propriissima*, ista verò *minus propria*: at dicere processionem Spiritus sancti esse aliquam generationem saltem minus propriam, & Spiritum sanctum esse naturalem Filium Patris & Filij, est hæreticũ.

IV. Item asserere (quod tamen sequitur) Spiritum sanctum tàm bene & propriè esse naturalem Filium Patris & Filij, ac Christus homo est naturalis Filius Dei, est valdè absurdum, (ne quid grauius dicamus) ergo naturalis filiatio diuina, quæ competit Christo Domino, non debet attendi penes eius humanitatem subsistentiæ Verbi à tota Trinitate vnitam, sed solummodo penes ipsam eius personalitatem, cui propriè diuina naturalis filiatio competit.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur obiectiones.

V. PRIMA obiectio est. Adrianus I. epistola sua decretali quæ habetur initio Concilij Francfordiensis, & circa finem asserit hæc verba sancti Matthæi 3. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, dicta esse de Christo Domino, vt homine, à tota Trinitate, sicque indicare Christum vt hominem esse Filium totius Trinitatis, & cùm non sit adoptiuus ex prima propositione articuli quarti huius disputationis, debere esse naturalem, non quidem filiatione naturali fundata in generatione propriissimè dicta, vt probat nostra ratio; ergo de filiatione naturali fundata in generatione minus VI. propria.

Respondetur. Ibi summus Pontifex non loquitur definitiuè decernendo hoc esse dictum à tota Trinitate, quia communis sententia Patrum, vt sancti Hieronymi ad illum locum, sancti Augustini sermone 38. de tempore, & aliorum Interpretum ibi est, hanc vocem ita esse formatam à tota Trinitate, vt tamen quoad repræsentationem loquentis sit solius primæ personæ. Ipsemet etiam summus Pontifex Adrianus id agnoscit, ibi enim dictum istud, *Tu es Filius meus*, vocat *testimonium Patris, vocem Patris*: & hæc duo sunt valdè distincta, *hanc vocem esse totius Trinitatis quoad repræsentationem loquentis, & totam Trinitatem, vel Patrem cum aliis personis sibi complacuisse in Christo Domino*: Adrianus Papa non asserit primum, sed secundum tantummodo, quatenus ait Deum Patrem VII. ibi fuisse vsum hoc verbo, *Complacui*, vt denotaret se, & duas alias personas Trinitatis complacere in Christo Domino homine, nec eum ibi fuisse locutum de æterna Christi Domini generatione, cùm hæc actiuè sumpta sit solius Patris, fuisset alioquin ei satis dicere, placui. Ergo cùm iuxta explicationem summi Pontificis *complacere*, sit *placere cum alio*, dum hæc vox, *hic est Filius meus, dicitur* ab illo esse Patris, intelligitur de prima persona Trinitatis, quoad repræsentationem, quæ tamen sit totius Trinitatis quoad affirmationem.

Secunda obiectio est, quòd generatio consistat in communicatione sui esse intrinseci & substantialis ipsius generantis, quod per generationem fiat intrinsecum ipsi genito tanquam totali termino, vt videre est in humana generatione: atqui tres diuinæ personæ actione illa, VIII. qua vniunt subsistentiam Verbi diuini humanitati, communicant ei esse aliquod diuinum sibi intrinsecum, faciuntque vt sit intrinsecum totali termino suæ actionis vnitiuæ, qui est subsistens in hac humanitate, nimirum Christus Dominus tanquam totum quoddam compositum ex personalitate Verbi diuini & humanitate: ergo Christus Dominus hac actione generatur à tota Trinitate, éstque naturalis Filius totius sanctissimæ Trinitatis.

Respondetur, ex dictis in secunda ratione contra distinctionem istorum auctorum de filiatione naturali maximè propria, & minùs propria, nam ex ibi dictis falsitas Maioris huius obiectionis intelligitur.

Tertia obiectio. Si Pater vel Spiritus sanctus assumpsisset humanitatem, fuisset Filius Dei non

I. [a]doptiuus, ob dicta prima propositione, ergo naturalis, quæ tamen filiatio non esset fundata in generatione propriſſimè dicta, sed in minùs propria.

Respondetur. Licèt Pater, vel Spiritus sanctus fuisset incarnatus, fuisset verè & propriè Filius virginis, ex qua fuisset conceptus naturali filiatione fundata in generatione temporali, neuter tamen illorum sic incarnatus fuisset propriè naturalis Filius Dei, vt ipsemet S. Thomas obseruat suprà quæstione tertia, articulo quinto, in solutione ad primum: cuius rei hanc indicat esse rationem, quòd quis ea filiatione sit naturalis Filius Dei quæ personam eius constituit: vnde cùm Pater & Spiritus sanctus non constituerentur personæ ipsâ filiatione, sed iam essent constitutæ, nullo modo respectu ipsius Dei essent propriè loquendo naturales Filij eius, nec vllam ad illum haberent filiationem, sed tantùm iste homo constitutus ex personalitate Patris, & humanitate assumpta, esset Pater per communicationem idiomatum, similiter Spiritus sanctus si fuisset incarnatus, & tunc Pater duas habuisset relationes, vnam paternitatis ad filium æternum simpliciter æternam, & alteram filiationis ad matrem simpliciter temporalem: similiter Spiritus sanctus suo modo, sicut nunc Filius habet vnam tantùm filiationem, eámque æternam ad solum Patrem & vnam temporalem ad Beatissimam Virginem Deiparam. Hinc tamen nullomodò sequitur Patrem aut Spiritum sanctum in tali hypothesi fore Filios adoptiuos Dei, vel Christum Dominum nunc vt hominem esse Filium adoptiuum Dei: nam negatio vnius istorum in ente intellectuali subsistentiali procedente ab alio, non infert necessariò

III. alterum, vt patet in Spiritu sancto, qui licèt procedat à Patre & Filio, nec sit naturalis eorum Filius, non propterea tamen est adoptiuus Filius eorum, & homo constitutus in puris naturalibus, licèt procederet à Deo, non tamen esset Filius Dei naturalis vel adoptiuus, sed eam tantùm haberet vulgarem filiationem ad Deum, quam omnes creaturæ rationales habent, quatenus nimirùm sunt creatæ ad imaginem Dei, & quando summus Pontifex Adrianus & Concilium Francfordiense suprà definiuit Christum Dominum esse Filium Dei naturalem, & nõ adoptiuum, id non intelligunt de Christo Domino vt homine in sensu reduplicatiuo vel specificatiuo, sed tantùm in sensu primæ & secundæ nostræ propositionis, cùm nusquam ibi vtantur

IV. notis reduplicatiuis, vel specificatiuis, & solummodò colligunt Christum hominem esse naturalem Filium Dei, & non adoptiuum, ex ipsa vnitate personæ Christi Domini, qui est naturalis Filius Patris diuini.

Quarta obiectio est. Modus ille subsistentialis vnitiuus per actionem vnitiuam productus à tota Trinitate in ipsa humanitate, sit fundamentum alicuius relationis realis ad Trinitatem: at non alterius quàm filiationis naturalis.

Respondetur. Christus Dominus, tanquam aliquod compositum, eam habet relationem ad totam Trinitatem, quam habet quoddam compositum ad ipsum suum componens effectiuè, præter quàm quòd ista relatio vt distincta est ad personam Verbi est tantùm rationis: nam quæst. 2. huius partis ostendimus Christum Dominum esse quoddam cõpositum, & actionem vnitiuam humanitatis ad Verbum fuisse à tota Trinitate.

A

B

C

D

V.

VI.

VII.

VIII.

AD QVÆSTIONEM XXIV.

DISPVTATIO VNICA.

De prædestinatione Christi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Christo conueniat prædestinatum esse.

AOTANDVM est in prædestinatione quoad præsentem difficultatem tria posse distingui. Primũ est *actus Dei liber* & efficax, quo ab æterno statuit se aliquid facturum in tempore. Secundum est *obiectum prædestinationis*, *res*, seu *persona* circa quam actus prædestinationis versatur. Tertiũ est ipse *terminus prædestinationis*, id est, *res* ad quam per actum prædestinationis ordinatur prædestinatus, cuiusmodi est gloria æterna respectu sancti Petri à Deo prædestinati. Si quæritio sit de primo, certum est Deum habuisse talem aliquem actũ circa Christum, & sic conuenire Christo esse prædestinatum. Nam passim in Scripturis sacris Deus significatur habuisse efficacem, & liberum actum circa Christum, vt quòd voluerit mysterium Incarnationis, cùm non ex necessitate, sed ex gratia & misericordia illud nobis concesserit, quod mysterium importat ipse Christus: hinc ad Ephes. 1. vocatur Sacramentum diuinæ voluntatis.

Fauet etiam ratio huic responsioni; qua sanctus Tho. hîc vtitur, scilicet, prædestinatio propriè sumpta nihil est aliud quàm diuina quædam ab æterno præordinatio eorum, quæ per gratiam Dei debent fieri in tempore: atqui Deus ab æterno præordinauit se ex gratia facturum in tempore vt Deus esset homo, qui Deus homo est Christus: ergo prædestinauit Christum, seu habuit actum prædestinationis circa illum.

De secundo, quod notauimus in prædestinatione, agit etiam hîc sanctus Thom. Sed vt distinctè intelligatur quodnam sit obiectum huius prædestinationis Christi,

Notandum est in Christo sumpto adæquatè posse à nobis tria considerari. Primò, *suppositum Verbi*, quatenus est Verbi: deinde *totam humanitatem*, iuxta illud suum esse actualis existentiæ quod habuit prius natura quàm Verbo vniretur. Tertium suppositum vt subsistens in vtraque natura simul diuina & humana.

De primo certum est illud non esse obiectum actus Dei prædestinantis: ita enim habemus ex Concilio Toletano secundo in professione fidei, vbi habetur Christum, *per hoc quod procedit à Patre sine initio, nec factum nec prædestinatum fuisse*, quod etiam confirmat ratio: nam quod prædestinatur fit ex libera, eáque efficaci voluntate Dei: at Verbum diuinum propriè non fit vt profitemur tàm in Symbolo sancti Athanasij, quàm Concilij Nicæni: Nec item accipit esse ex libera Dei voluntate, sed necessariò procedit per intellectum, habétque necessitatem essendi, seu est ens necessarium: igitur Christus vt Deus seu suppositum Verbi diuini, vt sic præcisè consideratum, non potest esse obiectum prædestinationis, nec potest esse vel dici prædestinatum.

I. De secundo, seu de tota humanitate respondeo, si consideretur tota Christi Domini humanitas in ordine ad vnionem hypostaticam, illam rectè dici obiectum actus diuinæ prædestinationis, seu prædestinatam ad vnionem hypostaticam. Ita Scot. tertio sentent. distinctione prima, quæstione tertia, & nonnulli recentiores. Probatur primò ex sancto Augustino lib. de prædestinat. Sanctorum, cap. 15. ita loquente de humanitate assumpta à Verbo, *Prædestinata est*, inquit, *ista naturæ tanta & tam excelsa & summa subiectio, vt quo extolleretur altius non haberet.*

Probatur etiam ratione. Ea rationalis creatura quæ liberè & efficaci decreto Dei ordinatur ad aliquod singulare beneficiũ gratiæ, rectè dicitur ad illud prædestinari, vt potest colligi ex definitione prædestinationis: atqui humanitas Christi D. est creatura rationalis ordinata per liberum II. & efficax decretum Dei ad vnionem hypostaticam, quia Deus statuit illam hypostaticè vnire Verbo diuino, cùm id peregerit in tempore, & talis vnio est summum aliquid gratiæ beneficiũ, vt patet ex sancto Augustino nunc relato, & lib. 9. de Trinit. cap. 9. *In rebus*, inquit, *per tempus ortis nulla maior gratia quàm quòd fieret Deus homo:* ergo rectè dicitur humanitas prædestinata ad vnionem hypostaticam.

Dices. Prædestinatio conuenit supposito tanquam obiecto: atqui humanitas Christi vt sic spectata non est suppositum: ergo nec prædestinata.

Respondetur maiorem ad summum esse tantùm veram de prædestinatione ad gloriam, cùm videre Deum clarè, frui eius amore sint actus III. naturæ integræ & perfectæ in esse suppositi, actiones enim sunt suppositorum: at de prædestinatione ad vnionem hypostaticam non esse verum; imò cùm naturæ ipsi conueniat sic vniri & non supposito, ei tantùm competere, vt sit & dicatur prædestinata ad vnionem hypostaticam, quæ vnio cùm sit vltimum & supremum bonum ad quod humanitas ordinatur, & propter quod cætera beneficia ei conferuntur, item prædestinatio sit primò, & principaliter circa bonum vltimum, rectè dicetur humanitas Christi Domini prædestinata od diuini Verbi vnionem.

Articvlvs II.

Vtrùm Christus sit prædestinatus ad filiationem diuinam.

IV. Multi ex Interpretibus sancti Thomæ tuentur partem affirmantem. Quòd si quæratur ab illis, cùm diuina filiatio includatur in Christo, quia Christus, vt sic, & formaliter dicit Verbum subsistens in duabus naturis diuina & humana, qui proinde sit etiam Filius Dei non adoptiuus, sed naturalis, qui fieri potest vt prædestinetur ad hanc filiationem, cùm nemo dicatur propriè prædestinari ad id quod iam habet.

Variè respondent: alij dicunt Christum ibi vt obiectum non sumi pro eo quòd subsistit *determinato supposito Verbi*, sed pro subsistente *vagè* & indeterminatè aliquo supposito, eo ferè modò quo in forma consecrationis Eucharistiæ pronomen demonstratiuum, hoc, sumitur vagè pro eo quod est sub speciebus, quod tamen in fine prolationis formæ est determinatè corpus Christi, sicque cùm obiectum huius prædestinationis, vt sic, non includat determinatè suppositum Verbi, quod tamen includit determinatè ipse terminus prædestinationis Christi, recte potuisse Christum hoc modo prædestinari ad filiationem naturalem Dei.

Alij respondent, in obiecto prædestinationis tantùm requiri vt non sit re vera tale secundùm realem suam existentiam, quando prædestinatur, quale ordinatur futurum per actum prædestinationis, sed satis esse si obiectum prius concipiatur vt possibile cum tali termino, & postea fiat tale.

Verùm melius dicendum videtur, si velimus loqui maximè propriè, Christum, vel hunc hominem, qui est Christus, non posse esse, nec dici obiectum prædestinationis ad filiationem diuinam: hanc sententiam tuentur Durand. tertio VI. sent. dist. 7. quæst. 7. & nonnulli recentiores tàm Scholastici, quàm sacræ Scripturæ expositores ad illud sancti Pauli ad Rom. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei.* vt Toletus ibi annotatione 9. & huic nostræ propositioni fauent omnes Patres Græci, qui verbum illud Apostoli, *prædestinatus est*, explicant declaratus est, item & Latini qui illum explicant non præcisè in ordine ad filiationem diuinam, sed in ordine ad aliquem alium effectum, v. g. clarificationis, exaltationis Christi, quomodo etiam videtur explicari à sancto Augustino tract. ad cap. 17. sancti Ioan.

Probatur. Obiectum prædestinationis debet esse non tantùm prius quoad apprehensionem termino ad quem ordinatur, sed etiam debet esse extra illum: atqui Christus quouis modo ex VII. superioribus consideratus non est prius etiam secundùm apprehensionem prædestinantis filiatione, diuina quæ constituitur tanquam terminus prædestinationis: nec item est extra illum: ergo loquendo propriè & rigorosè, Christus non est obiectum huius prædestinationis.

Maior probatur. Nihil ordinatur per actum liberum & efficacem ad id quod intrinsecè includitur in ipso, quia tale esse debet, vt sine illo esse possit, & dicatur illud accepisse gratuitò per actum prædestinationis: sed in prædestinatione obiectum ordinatur per actum liberum Dei ad ipsum terminum: ergo obiectum prædestinationis non debet includere suum terminum.

Minor verò eiusdem syllogismi probatur quoad singulas partes, & primùm Christum in ista prædestinatione non fuisse apprehensum à Deo vt subsistens aliquod vagè & indeterminatè. Probatur primò ex loco Apostoli ad Rom. 1. VIII. vnde nata est præsens difficultas, *Qui prædestinatus est Filius Dei*, nam ibi relatiuum illud, *qui*, refert obiectum prædestinationis iuxta sententiam quam hic impugnamus, sed relatiuum illud non refert Christum vt subsistens aliquod *vagè, & indeterminatè* abstrahendo à subsistentia Verbi: Ergo Christus prout est idem ac subsistens vagè & indeterminatè aliqua subsistentia, non est obiectum huius prædestinationis.

Minor hæc vltima probatur ex illa particula Apostoli, *Filio suo*, quæ est antecedens per hoc pronomen, *qui*, relatum in citato loco Apostoli, quæ particula apud Apostolum, *Filio suo*, supponit prò determinato supposito Verbi, vt per se constat: ergo in citato loco Apostoli particula illa, *qui*, non refert Christum vt aliquod subsistens vagè & indeterminatè: ergo & Christus

I. vt subsistens vagè & indeterminatè non est propriè loquendo obiectum istius prædestinationis.

Secundò probatur prima eadem Minor ratione. Eo tantùm modo potuit Deus habere Christum pro obiecto prædestinationis, quo potuit illum apprehendere: sed Deus in prædestinando non potuit apprehendere Christum vt aliquod subsistens vagè & indeterminatè abstrahendo à Verbi diuini subsistentia: ergo vt sic non potuit Deus illum habere pro obiecto suæ prædestinationis.

Maior hæc vltima satis ex se intelligitur, cùm prædestinatio dicat actum intellectus: Minor verò probatur: apprehendere Christum, vt aliquod subsistens vagè & indeterminatè est illum tantùm apprehendere confusè & indistincta cognitione: sed Deus non potest apprehendere

II. seu cognoscere Christum confusa tantùm & indistincta cognitione, quia omnis actualis cognitio Dei est distincta & non confusa, vt docent Theologi cum sancto Tho. primâ parte, quæst. 14. & confusa & indistincta cognitio prouenit ex imperfectione intellectus & summa perfectione obiecti, cui non correspondet actus in intelligendo, quæ imperfectio non est in Deo: igitur Deus in prædestinando non apprehendit Christum, vt aliquod subsistens vagè & indeterminatè aliqua subsistentia, abstrahendo à subsistentia Verbi diuini, sed vt subsistens aliquod propria Verbi diuini subsistentia: & ex hac ratione sic confirmata refellitur distinctio illa, quâ nonnulli ex autoribus prioris sententiæ dicunt filiationem diuinam includi distincta inclusione in Christo vt homine, quatenus habet rationem

III. termini in illa sua prædestinatione: at in eodem Christo prout habet rationem obiecti eiusdem suæ prædestinationis tantùm includi confusa & indistincta inclusione: refellitur, inquam, ex nostra ratione, nam ex illa debet necessariò includere suppositum Verbi filiationem diuinam distincto etiam conceptu, nec per aliquam abstractionem apprehenditur à Deo primùm vt subsistens subsistétia aliqua indeterminata, quia Deus etiam non potest intelligere per abstractionem vnum ab alio, quod tamen de facto inest obiecto suæ cognitionis. Est enim eius cognitio comprehensiua & necessaria; tùm etiam quia Deus non potest obiectum aliquod intelligere efformando plures conceptus inadæquatos de illo, vt docent Theologi primâ parte, agendo de virtuali distinctione inter attributa diuina: ergo neque apprehendere obiectum

IV. aliquod vt subsistens indeterminata subsistentia, quod tamen supponitur intellectui habere determinatum suppositum, & in nobis modus iste concipiendi, & apprehendendi rationes obiectorum nascitur ex imperfecto nostro modo concipiendi, quo vno conceptu non possumus totam obiecti perfectionem penetrare, aut ad summum etiam aliquando ex libertate cognoscentis applicantis intellectum tantùm ad considerationem vnius rationis, quæ est in obiecto cæteris omnibus relictis: quæ tamen libertas in cognoscendo non reperitur in Deo, cuius scientia semper est eadem inuariabilis in actu secundo, nunquam in actu primo.

Obiicies esse quidem verum, Deum non formare vagum conceptum personalitatis, quem nos per hunc terminum *homo*, explicamus: sed nos habere conceptus inadæquatos quibus explicare possumus quod Deus vult distinctè, &

A determinatè vno simplicissimo actu: ergo cùm hæc propositio à nobis pronuntiata *Christus prædestinatus est ad filiationem diuinam*, sit explicatiua illius rei quam Deus fecit, & Deus fecerit vt *hic homo*, ostenso Christo, esset Filius Dei, rectè possumus dicere illum prædestinasse ad filiationé Dei. Respondetur admittédo nos posse pluribus inadæquatis conceptibus explicare, quòd Deus vno tantùm conceptu cõcipit, & totùm simul & semel vult per practicâ scientiam: negamus tamen inde sequi hanc propositionem in rigore dialectico esse veram, quia, vt plures nostri conceptus inadæquati explicantes aliqua propositione totum illud quod Deus simul & semel vult, & facit, sint veri, debent obiectiui termini ex parte rei enuntiatæ quoad veritatè correspõdere terminis formalibus istius propositio-

B nis: nam ex eo quòd res ita est vel non est, speculatiua propositio est vera, vel falsa. At termini obiectiui, qui ex parte rei enuntiatæ debent correspondere terminis formalibus, & conceptibus huius propositionis speculatiuo modo pronuntiatæ, illis in rigore dialectico tumpus non respondent: nam hic terminus *est prædestinatus*, sonat effectionem diuinæ filiationis tanquam *termini* in Christo tanquam *subiecto*, eámque liberam & gratuitam ex parte Dei ad subiectum, vt ei non naturalem, sed gratuitò concessam: quo tamen modo ei non conuenit, cùm sit naturalis Filius Dei; quod verò hic terminus *prædestinatus est* sonet effectionem, probatur facilè ex eo quòd est explicatiuus scientiæ Dei practicæ, respectu eorum quæ sunt ad extra in ordine supernatutali; hæc autem est verè effectiua,

C cùm sit causa rerum ad extra ex sancto Thoma, primâ parte, quæstione decimaquarta, articulo octauo.

Ex hac eadem nostra ratione satis etiam colligitur disparem longè esse rationem istius particulæ, *hoc*, in forma consecrationis Eucharistiæ quoad apprehensionem & significationem, ac Christi quatenus apprehenditur à Deo tãquam obiectum prædestinationis; quia enim formæ nostrorum Sacramentorum consistunt in certis & determinatis quibusdam verbis, prout ex cõmuni hominum vsu significant, vsus autem communis habet vt in istis & similibus practicis propositionibus, istæ & similes particulæ, prout significant lubiectum, sumantur *vagè & indeterminatè*, rectè etiam intelligimus in citata illa consecrationis formula, particulam, *hoc*, significare *vagè & indeterminatè* contentum sub speciebus, quod tamen in fine formæ est determi-

D natè reale Christi Domini corpus: Deus autem dum apprehendit Christum vt subsistentem ad hoc vt illum prædestinet ad filiationem diuinam, non apprehendit illum modo nostro humano sed suo, qui est distinctè & non confusè concipere. Deinde est alia disparitas, scilicet quòd significatio istius particulæ, *hoc*, in prædicta forma sit practica, & significatio totius formæ & transsubstantiatiua vnius præsentis substantiæ in aliam per signum aliquod demonstratiuum; ideóque vt non sit omnimoda identitas attributi & subiecti in propositione, debet denotare tantùm *confusè*, quod eius attributum *determinatè* significat, sicut in similibus locutionibus solemus exprimere: at in præsenti difficultate cognitio illa de Christo, prout Christus habet rationem obiecti, quando Deus prædestinat illum est merè speculatiua, quia non fit, sed sup-

V.

VI.

VII.

VIII.

I. ponitur secúdùm suum esse & vt mentalis enunciatio Dei prædestinantis Christum ad filiationem diuinam sit vera, cùm sit practica, debet facere in Christo quod antea non erat; sicut illa vocalis enunciato practica, *Hoc est corpus meum*, facit & constituit sub speciebus quod de facto non erat sub illis: at quando ab æterno Deus practicè determinauit Christum, iam in Christo vt obiecto apprehenso includebatur de facto naturalis filiatio diuina, nec ei per tale decretum subaddebatur: ergo loquendo præcisè & propriè Christus non est obiectum suæ prædestinationis ad diuinam filiationem.

Deinde refellitur modus ille primæ sententiæ ex collatione propositionis eius ad alteram, sic propositio hæc, *hoc subsistens* (demõstrato Christo) *vel hic homo*, vel *Christus factus est Deus*, II. non est propria in rigore loquendi ex sancto Thom. quæst. 16. art. 7. ergo neque ista *(hoc subsistens)* demonstrato Christo, vel *hic homo*, vel *Christus est prædestinatus naturalis Filius Dei.*

Consequentia probatur. Eadem est suppositio omnium istorum terminorum, quibus in secunda propositione exprimitur subiectum eius, ac omnium terminorum quibus exprimitur subiectum in prima propositione: nam vtrobique important suppositum aliquod vel diuinum vel humanum: ergo quemadmodum in prima propositione non faciunt sensum proprium loquendo rigorosè, vt notauimus ad citatam quæstionem: ita nec in secunda propositione.

Dices disparem esse rationem vtriusque propositionis, quòd prima procedat de productione per actionem transeuntem, quæ respicit, prout est de facto, & à parte rei, & proinde cùm III. à parte rei humanitas nullum habuerit suppositum quando sumpta fuit, vt vniretur Verbo, & iste terminus homo, dicat suppositum, rectè intelligi propositionem illam esse, aut falsam, aut (saltem valdè impropriè: at posterior propositio procedit de actione tantùm immanenti: est enim prædestinatio actus immanés Dei ex prima parte, quæst. 23. articulo 2. qua potest Deus præscindere vnum ab alio, prius à posteriore, istud ad hoc ordinare: ideóque posse Deum prius concipere hunc hominem vt subsistentem vagè, quàm vt Filium naturalem Dei subsistentem determinatè per suppositum Verbi, sicque istud prius ordine naturæ scilicet *hominem apprehensum & cognitum vt subsistentem vagè*, ordinare per actum prædestinationis ad hoc posterius, scilicet *ad esse Filium naturalem Dei.* Verùm refellitur hæc solutio: nam quemadmodum actio IV. transiens respicit rem prout est à parte rei; ita & prædestinatio, quæ est actio immanens, respicit suum obiectum vt ordinandum ad id quod non includitur in ipso, nec ei, quantum est tale, debetur, aliàs contra naturam prædestinationis, terminus ei non conferetur ex gratia, sed ex aliquo debito naturali, & si quæ gratia ei fieret, est quòd obiectum istud poneretur vel ordinaretur ad accipiendum esse in aliqua temporis differentia, cùm Deus posset non velle illud existere, sicut potuit Deus non velle Petrum existere, quem tamen non censetur prædestinare præcisè, ex eo quòd vult illum existere in rerum natura, sed ex eo quòd eum, quem præsupponit futurum in aliqua temporis differentia, ordinat ad gloriam ei non debitam, nec in eo inclusam: igitur cùm *in Christo*, vel *in hoc homine vt subsistente* vagè à Deo præuiso vel præsupposito futuro includatur Verbum diuinum, ad quod vt iunctum humanitati necessaria quadam consequentia sequitur naturalis filiatio Dei: erit eadem ratio quoad præsentem difficultatem istius prædestinationis quæ est actus immanens, ac illius effectionis seu productionis; & proinde sicut prima propositio est impropria, ita & hæc secunda. Quod verò dicit hæc solutio, *Deum intelligendo posse præscindere prius à posteriori*, & hoc ad istud ordinare, non habet locum in præsenti difficultate: Deus enim non potest abstrahere, vt notauimus, maximè cùm prius, & posterius faciunt vnum tantùm adæquatum conceptum rei, vt est conceptus Christi considerati prout est subsistens, & prout subsistit hac determinata Verbi diuini subsistentia: deinde per actum prædestinationis formales rerum conceptus non ordinantur inter se, sed res in tempore, iuxta liberum decretum Dei, faciendæ: atqui Christus à parte rei non prius est subsistens vaga & indeterminata subsistentia, quàm hac Verbi diuini subsistentia: ergo secundùm rationem formalis conceptus prout res est in intellectu cognoscente, non sit prius Christum subsistere vagè, quàm hac determinata Verbi diuini subsistentia, non erit Christus vt subsistens vagè ordinatus ad subsistendum determinatè per subsistentiam Verbi.

VI.

Quod item Christus vt possibilis non sit loquendo propriè obiectum huius prædestinationis, probatur, quia gratia prædestinationis sumpta propriè non consistit in eo quòd creatura rationalis accipiat existentiam per decretum Dei, sed quòd supposita eius existentia vt futura sit accepturam donum aliquod gratiæ sibi non debitum, nec in illa inclusum, putà gloriam æternam: ergo Christus apprehensus vt possibilis & ordinatus ad existendum actu, non est obiectum prædestinationis propriè sumptæ. Consequentia patet, quia Christus sic apprehensus includit esse Filium Dei, habet enim Verbi diuini suppositum, & per hoc decretum tantùm ordinatur ad existendum actu in tempore.

VII.

Articvlvs III.

Obiectio & dubium soluitur.

OBIICIES ex Apostolo ad Romanos capite primo, vbi de Christo loquitur, qui prædestinatus est Filius Dei.

Respondetur, sanctum Paulum ibi non agere de prædestinatione Christi purè & simpliciter ad diuinam filiationẽ, sed de declaratione & demonstratione filiationis eius diuinæ, ita vt dicatur Christus prædestinatus Filius Dei, quòd præ aliis omnibus qui sunt dicti Filij Dei sit demonstratus Dei Filius, scilicet potentia miraculorum, sanctitate quam cõtulit credentibus in seipsum, & resurrectione qua seipsum suscitauit à mortuis: nam verba illa Apostoli immediatè sequentia satis illud explicant, *In virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi.* quæ expositio non tantùm est Patrum Græcorum ad illum sancti Pauli locum, sed & Latinorum, vt sancti Ambros. ibi, sancti Augustini tract. 105. in Ioan. item expositione inchoata in epistolam ad Rom. & etiam recentiorum sancti Pauli Interpretum, qui iudicant hanc explicationem magis quadrare textui sancti Pauli, quàm aliam quamlibet. Quòd si aga-

VIII.

I. tur de illa propositione, *Christus prædestinatus est Filius Dei*, sumendo nomen *prædestinationis* pro decreto Dei, dicemus sensum illius esse hunc, decretum & statutum fuit vt Christus esset homo Deus, Filius Dei naturalis, quod est verum, cùm sit factum in tempore, itavt totum istud, vt Christus esset Deus homo, naturalis Filius Dei, sit enunciatum, sicut rectè dicimus prædestinatum & ordinatum fuit naturam humanam vniri Verbo diuino; vel velit tantùm significare mysterium Incarnationis fuisse factum ex singulari Dei ordinatione, atque hoc tantùm euincit ipsa ratio prioris huius sententiæ: non autem Christum esse propriè obiectum prædestinationis ad filiationem Dei.

Quæres, an saltem propositio illa sit vera & propria, *Filius Dei prædestinatus est homo*, itavt II. Filius Dei seu Verbum propriè dicatur obiectum prædestinationis ad esse hominem.

Respondeo negatiuè, si nomen *prædestinationis* sumatur propriè: nam importat ordinationem obiecti ad donum aliquod gratiæ sibi collatum quo perficiatur: at certum est Verbo diuino nullam esse factam gratiam, nullum propriè donum ei collatum fuisse per vnionem ad humanitatem, sed tantùm humanitati, Verbum nullam perfectionem accepisse, sed solam humanitatem, vt patet ex dictis ad quæst. 2. & 3. huius partis: ergo propositio illa, *Verus Dei prædestinatus est homo*, non est propria: Si verò nomen *prædestinationis* sumatur tantùm pro decreto Dei, & in ista propositione particula, *prædestinatus*, tantùm significet fuisse decretum & statutum à Deo vt Filius Dei *incarnaretur*, *fieret homo*, tunc prædicta propositio est vera, quia ex dictis primâ quæst. huius partis, ab æterno fuit III. decretum efficax in Deo de incarnando Verbo diuino in tempore. Hinc sequitur esse *Filium Dei*, non posse dici terminum prædestinationis Christi, quia hæc filiatio eo tantùm modo potest esse terminus huius prædestinationis, quo Christus quatenùs *homo* est eius obiectum, quia in prædestinatione hæc duo se se consequuntur, & aliquam seruant inter se habitudinem, vt potest intelligi ex dictis art. 2. Vnde cùm ibi docuerimus Christum loquendo propriè non habere rationem obiecti prædestinationis ad filiationem diuinam; est etiam consequenter dicendum illam loquendo propriè non habere rationem termini.

Quæret tamen aliquis, an saltem essentialis gloria animæ Christi possit dici propriè terminus alicuius prædestinationis Christi.

IV. Respondeo, propriè non posse, tum quia prædestinatio est ad id quod est perfectissimum & vltimum: at gloria respectu animæ Christi non est vltimum & perfectissimum quod in ea reperitur; gratia enim vnionis est donum longè maius quam sit gloria animæ Christi, vt suprà docuimus, & ad gloriam animæ non ordinatur gratia vnionis, sed econtrà gloria datur consequenter animæ tanquam ornamentum alicuod tantæ gratiæ vnionis, & prima Dei intentio circa animam Christi fuit de gratia vnionis ei conferenda, consequenter verò & de gloria: vnde sicut Sancti, licèt accipiant gratiam & alia Spiritus sancti dona ex vi suæ prædestinationis, propriè tamen non dicuntur prædestinati ad gratiam, quia prædestinatio respicit primò & principaliter gloriam tanquam terminum, gratiam verò & alia Spiritus sancti dona, tanquam quædam media illius obtinendæ: ita etiam licèt anima Christi Domini sit consequuta gloriam, quia tamen eius consequutio fundatur in gratia vnionis, & propter illam fuit collata, fit vt Christus non dicatur propriè prædestinatus ad gloriam animæ. Deinde prædestinatio propriè dicta est ad bonum supernaturale prædestinato indebitum, vt patet ex dictis præcedenti articulo: atqui gloria animæ debebatur Christo iure congruitatis & decentiæ, vt patet ex dictis ad quæst. 9. disput 2 artic. 3. & 4. igitur loquendo propriè Christus non dicitur prædestinatus ad cœlestem gloriam, seu beatitudinem. Si tamen prædestinatio sumatur minùs propriè, provt se extendit ad bonum illud omne supernaturale quod tribuitur creaturæ rationali ex aliquo libero Dei decreto, tunc Christus *homo* dicetur etiam *prædestinatus* ad gloriam & beatitudinem, quatenùs eius humanitas est à Deo efficaciter ordinata ad gratiam vnionis, ex qua VI. posteà fit vt totalis terminus tantæ vnionis consequenter habeat & ipsam animæ gloriam & beatitudinem.

Articvlvs IV.

Vtrùm prædestinatio Christi sit nostræ prædestinationis causa & exemplar.

Sit prima propositio. *Christus fuit causa exemplaris nostræ prædestinationis*: Ita sanctus Thomas hîc, & omnes Theologi.

Probatur ex capite 8 ad Roman. *Quos prædestinauit & præsciuit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*: quæ verba rectè explicantur de Christo vt homine, secundùm quam rationem sunt fratres nostri, vt VII. patet ex verbis sequentibus: vnde sensus horum verborum est Deum prædestinando homines respexisse ad gloriam Christi hominis, & ita respiciendo voluisse alios homines esse illius cohæredes: neque enim potest locus iste tantùm intelligi *de conformitate materiali*, quasi ideò prædestinati, sint futuri conformes Christo quia erunt in gloria, & sit sensus iste, quemadmodum Christus est in gloria, ita & prædestinatos futuros in gloria: nam si conformitas prædestinatorum ad Christum hoc tantùm modo intelligeretur, tam benè beatissima Virgo & boni Angeli dicerentur causæ exemplares nostræ prædestinationis ac ipse Christus, cùm tamen sanctus Paulus eo loci aliquid singulare tribuat Christo Domino, quod alijs sanctis non competit; igitur debet locus ille Apostoli intelligi de *formali* conformitate, & ex consequenti iuxta illum erit Christus causa exemplaris VIII. nostræ prædestinationis.

Secundò, probatur ratione, primum in vnoquoque genere est exemplar cæterorum: atqui Christus vt homo est primus omnium prædestinatorum, vt docuimus ad quæstionem primam huius partis. disput. 7. art. 3.

Nec obstat quòd Christus sit aliquid creatum & Deo extrinsecum: nam primò vnus effectus potest esse exemplar alterius ex voluntate Dei, qui vult vnum esse ad imitationem alterius, vt sic res benè ordinentur: deinde Deus in prædestinandis hominibus non vtitur Christi Domini prædestinatione tanquam exemplari ex necessitate, sed ex libertate, & ad maiorem Christi Domini gloriam.

Secunda & vltima propositio. *Christus fuit*

I. *causa finalis & meritoria nostræ prædestinationis.*

Prior pars probatur ex capite primo ad Ephes. *Prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum:* quo loci particula, *in*, denotat causam finalem.

Deinde probatur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. 7. & 8. vbi docet Concilium Christum esse causam finalem nostræ iustificationis: ergo cùm sit eadem ratio glorificationis quæ est finis nostræ iustificationis, & glorificatio sit terminus nostræ prædestinationis, erit etiam Christus vt homo finalis causa nostræ prædestinationis, quod etiam potest intelligi ex dictis primâ quæst. huius partis. citatâ disput. septimâ.

Posterior pars propositionis patet ex dictis suprà de Christi Domini merito, ad quæstionem decimam-nonam. An autem Christus fuerit causa electionis hominum ad gloriam æternam, commodiùs explicatur primâ parte ad quæst. 25. vbi agitur de causa electionis prædestinatorum.

II.

AD QVÆSTIONEM XXV.

DISPVTATIO PRIMA.

De adoratione in genere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit adoratio?

III. VONIAM sanctus Thomas hoc loco ita agit de adoratione Christi Domini, vt etiam agat de cultu Sanctorum, Crucis, Imaginum, variósque adorandi modos explicet; & præsens disputatio maximè controuertitur inter nos & hæreticos huius temporis; ideò vt eius explicatio sit perfectior, eam in varias disputationes pro varietate rerum instituemus, quarum præsens est prima.

Duplex apud Philosophos distinguitur rei alicuius definitio, vna *nominis*, altera *rei*: quod spectat ad priorem, si vis & etymologia huius nominis, *adoratio*, spectetur, dicitur quasi *ad os*, sicut & nomen hoc Græcum illam significans, προσκύνησις, quasi deosculatio, à πρὸς, & κυνέω, quod idē est ac *osculor*, sumptâ notatione vtriusque vocis ab antiquo more, quo veteres aliquem venerantes, genu aut manus eius osculabantur, vt videre est primo Regum cap. 10. vel

IV. propriam suam manum, vt refert sanctus Hieronymus ad cap. 13. Ozeæ Prophetæ: vnde pro eo quod ipse, eodem Ozeæ loco, iuxta Symmachum & Theodotionem vertit *adorantes*, ait Aquilam interpretari *deosculantes*, & pro eo quod Septuaginta Psalm. 2. reddiderunt *osculamini filium*, loco huius particulæ quam habet vulgata editio *apprehendite disciplinam*, reddit S Hieronymus, *Adorate*: & pro hac derivatione huius nominis *adoratio*, videri potest Lipsius libro secundo electorum capite sexto, vbi reiectis quibusdam aliis nonnullorum Grammaticorum etymologiis, hanc à nobis allatam fusè probat plerisque Patrum & aliorum veterum testimonis: similiter & Gretserus libro primo de cruce capite quinquagesimo-tertio; si verò significatio huius vtriusque termini *adoro*, *adoratio*, spectetur secundùm illam amplitudinem quâ

A etiam aliquando accipitur in sacris Litteris, significat *cultum honorarium*, non tantùm *genuflexionem*, aut alio signo exterior exhibitum, siue Deo (vt quando Christus Dominus ait sancti Matthæi 4. *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, siue Angelis vt quando Abraham Geneseos 18. & Iosuæ capite quinto, Item vterque Tobias libro Tobiæ capite 15. adorant Angelum) siue hominibus, vt quando Abraham Geneseos decimo-tertio capite adorat filios Het, Miphiboset adorat Dauid libro secundo Regum capite nono, & libro tertio Regum capite primo; sed etiam *vero & propriè dicto sacrificio, & oblatione* præstitum, vt quando Christus Dominus apud sanctum Ioannem capite quarto, respondens Samaritanæ interroganti illum de legitimo loco sacrificij offerendi, ita ait, *Neque in monte hoc, neque Hierosolymis, adorabitis Patrem*, id est, offeretis Deo sacrificium: nam eo loci, mulier Samaritana mouet quæstionem illam, inter Iudæos & Samaritanos controuersam, de loco offerendi sacrificij. In hac autem tota disputatione *adoratio* sumitur prout distinguitur à *sacrificio*, & significat actum, quo vnus alterum honorat, sese illi subiiciendo in recognitionem eius excellentiæ, vt etiam sumitur à S. Thoma secundâ secundæ quæstione 84. art. 1. & 2. & quanquam nomen hoc *adoratio*, etiam in sacris Litteris interdum significet *venerationem* exhibitam hominibus excellentibus, vt constat ex iisdem Scripturæ locis citatis, communis tamen vsus, penes quem est vis & norma loquendi, nunc illud vsurpat ad significandum *reuerentiam & venerationem* quæ exhibetur Deo, Sanctis, & rebus diuino cultui conseratis; quem

B VI.

C VII. cultum, ad distinctionem ciuilis illius, quem mortales mortalibus, ob excellentiam aliquam eius ordinis pùtè naturalis exhibent, vocant *Sacrum*, & *Religiosum*.

Potest autem quoad rem, per nomen istud significatam sic in genere, & abstrahendo ab eius speciebus definiri: *Adoratio est affectus, seu actus à voluntate elicitus, quo quis efficaciter sese alteri subiicit, ob eius excellentiam, eique signa seruitutis, & subiectionis exhibet.* Ita S. Thomas secundâ secundæ, quæstione 84. articulo secundo, tam *in corpore*, quàm *in solutione ad secundum*. Probatur explicatione singularum eius partium, & primùm quòd sit *affectus*, seu aliquis actus voluntatis, patebit ex dicendis paulò pòst de principio elicitiuo adorationis, & potest breuiter probari generali ratione, quâ Philosophi in Ethicis, & Theologi primâ secundæ, &

D VIII. secundâ secundæ probant omnes virtutes morales, tam infusas per se, quàm acquisitas, esse in voluntate tanquam in proprio & immediato subiecto, & ex consequenti actus illarum esse elicitos à voluntate; nam adoratio est actus alicuius virtutis moralis, scilicet *religionis*, vel *duliæ*, vt intelligetur ex dicendis. Secundò, in definitione adorationis ponitur hæc particula, *alteri*, quia sicut religio, & obseruantia est propriè *ad alterum*; & à S. Thoma secundâ secundæ, & aliis Theologis recensetur inter partes potentiales iustitiæ, & proinde sicut iustitia est ad alterum, & non vnius & eiusdem ad seipsum; sic etiam adoratio est ad alterū, deinde hæc eadem particula ponitur in hac definitione, vt materiale obiectum adorationis explicetur. Tertiò dicitur *quo quis se subiicit*, adoratio enim est inferioris ad superiorem, itavt qui adorat reputet eum

quem

I. quem adorat esse, saltem in aliquo, & ratione illius propter quod illum adorat, superiorem sibi & excellentiorem. Tertiò, dicitur *efficaciter*, quia vera adoratio est actus verè, & non simulatè alicuius virtutis: ergo cùm actus exterior veræ virtutis debeat correspondere actui eius interiori, vt sic vtrumque totum, & integrum actum moralem componant in genere & ratione talis veræ, & propriè dictæ virtutis, sicut subiectio exterior in ratione exterioris est vera, & propriè talis; ita etiã & affectus ille voluntatis debet esse verus & sincerus, & proinde efficax. Deinde signum, & res significata debẽt sibi correspondere; atqui subiectio exterior est signũ prædicti affectus: ergo sicut exterior subiectio est secundùm se in ratione exterioris vera, debet & affectus interior esse verus, & proinde efficax. hinc Anastasius Episcopus actione 4. VII. Synodi generalis, tomo III. Conciliorũ

II. parte 2. loquens de adoratione sic ait, *Quid aliud est adoratio, quã honoris alicui exhibiti velut emphasis:* id est expressio seu significatio. Quarto loco hæc particula ponitur, *ob eius excellentiam*, quę explicat propẽsum motiuum adorationis, seu *formale* obiectum adorationis, vnde pro ratione excellentiæ, quam res participant, vel non participant, illæ sunt etiã capaces, vel incapaces adorationis. Vltimò loco additur hæc particula, *eiq; signa seruitutis & subiectionis exhibet*: primò, ob rationes allatas inter explicandum tertiam particulam huius definitionis: secundò, quia in omnibus sacræ Scripturæ locis, qui adorãt, semper exhibent quædam signa suæ subiectionis ad illum quem adorãt, sic Gen. 33. Iacob adorauit pronus in terrã. Iosue 5. cap. libri Iosue, videns & cognoscens Angelũ cecidit pronus in terram & adorãs ait, &c. & alibi passim. Hinc diabolus apud S.

III. Matth. cap. 4. postulans adorari à Christo D. ita ait, *si cadens adoraueris me*, & etiam apud omnes Auctores prophanos, quãdo aliquis refertur alĩ adorare, talis adoratio semper exprimitur facta aliquo signo exteriori. Tandẽ per hanc particulã sic absolutè positã, *signa*, absq; aliqua particulari determinatione illorũ, significatur rationẽ veræ & propriæ adorationis ita postulare signa aliqua exteriora, vt tamẽ illa non sint *ex se*, & *natura sua* determinata in particulari, *sed tantũ in cõfuso*, & veluti in genere, quatenus debẽt esse talis conditionis vt ex se sint apta, quæ assumãtur ab adorãtib. ad faciendã externã illã protestationẽ subiectionis ad eũ quẽ adorãt ob talẽ eius excellentiã. Quæ aptitudo & conuenientia ad significandũ subiectionem talis debet esse in eiusmodi signis (seruata tamẽ proportione) qualẽ omnes Scholastici solẽt requirere in aliqua re sẽsibili ad hoc vt determinetur materia alicuius sacramẽti ab habente potestatẽ instituendi illud. Hinc specialis determinatio signorum, quibus hęc subiectio exprimitur, est tantùm ex hominum institutione, vt intelligitur ex eo quòd illa, pro diuersitate temporum, personarum, & locorum, sunt alia, & alia, quemadmodum videre est apud Lipsium loco paulò antè citato, & adoratio in sacris Litteris aliquando exprimitur *per osculu dextere*, vt Iob cap. 31. aliquando *incuruatione genuũ*, vt lib. 3. Regum cap. 19. aliquando per *procubitu in terrã super faciem*, vt 1. Regum cap. 28. & Iosue supra cap. 5. aliquãdo aliis signis, vt *apertione capitis*, & aliis pro varia diuersarũ Gentium consuetudine, manente tamẽ eadem ratione adorationis, cùm hęc magis accipiat suam speciẽ ab affectu voluntatis informante, morali modo, signum istud externum,

A quam à tali signo exteriori, sicut moralis actus magis desumit suam specificationem ab actu interiori, quàm ab illo exteriori, qui sibi cõnectus facit vnum totalem & integrũ moralem actum. V.

Articvlvs II.

Vtrùm, & quomodo adoratio propriè dicta distinguatur à laude, gloria, & honore.

Sit vnica propositio. *Adoratio propriè sumpta, distinguitur à laude, gloria & honore*, ita S. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 1. in respons. ad 3. & communiter omnes. Probatur. & simul explicatur quid sit discrimen inter adorationẽ, & quodlibet ex numeratis in nostra propositione. Adoratio igitur distinguitur *à laude*, quòd hæc consistat *solũ in verbis*, seu quòd solis verbis fiat, & sit quædam testificatio facta verbis, de bonitate & per-

B fectione rei alicuius in ordine ad finem, exempli causã, laudamus eũ qui bene operatur, propterea quod opus ordinat in bonum finem, vt docet Aristoteles lib. 1. Ethicorum cap. 12. & lib. 1. Rhetoricorum cap. 9. & S. Thomas 2. 2. quæst. 91. art. 1. sic dicens, *Ideò laude oris ad hominem vtimur, vt vel ei, vel aliis innotescat quod bonam opinionem de laudato habemus, vt per hoc & ipsum, qui laudatur, ad meliora prouocemus, & alios apud quos laudatur, in bonam opinionem & reuerentiam, & imitationem ipsius inducamus*: vnde idem sanctus Doctor infert ibidẽ nos rectè & propriè *laudare Deum*, seu dare laudẽ Deo, licèt interiora nostra & conceptus nostri maximè innotescãt illi, quatenus scilicet ex ipsa laude quam Deo damus, excitatur in nobis affectus in Deum, & etiã affectum aliorũ prouocat in Deum, sęq; & alios retrahit ab iis quæ sunt cõtra Deum. At adoratio consistit in *factis*, postulat enim signum aliquod

C externum exhibere ab adorãte, quo testetur excellentiã eius quem adorat, & suam ad illum submissionem, vt patet ex dictis art. præced. Ab *honore* autẽ adoratio distinguitur, quòd *honor* ex Arist. lib. 4. Ethicorum cap. 13. & lib. 8. cap. 8. consistat in aliquo facto alteri exhibito in testimoniũ suæ bonitatis, & excellentiæ propter eius honestatẽ: at adoratio addat insuper submissionem adorãtis, ad eum quem adorat. A gloria denique, quòd hæc sit effectus tantùm quidam honoris & laudis, quo testificamur de bonitate alicuius quæ clarescit in notitia plurimorum, seu vt loquamur cum S. Aug. lib. 83. quæst. quæst. 31. quòd *gloria sit clara cum laude notitia*, ratione cuius non tantùm laudatur, sed nostra laude efficimus, vt apud alios bona eius æstimatio concipiatur.

IV. Ex quo adorationis discrimine tam à laude, honore, quàm gloria, constat hæc duo posteriora latiùs patere ipsa adoratione, omnem adorationẽ inferre honorem, & gloriam, præsertim quando præstatur publicè, non tamen è contrà honorẽ & gloriã importare adorationem, & honorẽ latiùs patere adoratione, docet ex Apostolo S. August. lib. contra sermonẽ Arianorum cap. 23. *Honorat*, inquit, *omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat*: nam fratres secundùm Apostolum *inuicem se honore præueniunt*, nec tamen se inuicẽ adorant: imò & honor potest esse ad aliquẽ ipso honorãte inferiorẽ, vt ratio honoris tradita, imò & experiẽtia docet: fit enim sæpe vt superior aliquis efficiat aliquid quo testetur excellentiã, perfectionem & honestatem, quę est in suo inferiori: at nunquam superior adorat inferiorem, imò nec sibi æqualẽ, cùm ei nõ sit inferior, nec se ei submit-

VI.

VII.

VIII.

I. tat, quo modo S. Auguſt. loco citato admittit Filium Dei honoraſſe quidem Patrẽ, & Spiritum S. ſimiliter Patrem & Spiritum S. honoraſſe Filium: at Filium Dei quatenus Filius eſt honoraſſe Patrem aut Spiritum ſanctum, quibus eſt æqualis & conſubſtantialis, negat Arianis volentibus ex honoris exhibitione inferre inæqualitatem & inferioritatẽ Filij ad Patrẽ & Spiritum ſanctum.

ARTICVLVS III.

Cuius virtutis ipſa adoratio ſit actus.

CVM omnis actus bonus & honeſtus videatur eſſe alicuius virtutis, aut poſſit eſſe ab aliqua virtute, & dentur quàm plures actus adorationis, qui tam in ſacris Litteris, quàm apud ſanctos Patres maximè commendantur. Quæritur cuius virtutis vera & honeſta adoratio ſit actus. Ad cuius difficultatis explicationem præ-

II. mittendum eſt actus adorationis ſumptos in genere eſſe *duplices*, alij enim pro ſuo motiuo, ſeu *obiecto formali*, & immediata ſua ratione colendi aliquid habent *increatam excellentiam Dei*, ſiue illud, quod tanquam *obiectum terminatiuum* ſic colitur, ſit aliquid increatum, vt cùm Deus adoratur, ſiue ſit aliquid creatum, vt cùm aliqua res creata adoratur adoratione reſpectiua propter Deum cum quo ſingularem coniunctionem habet, exempli cauſâ, quando humanitas Chriſti Domini adoratur propter Verbum diuinum cui eſt vnita hypoſtaticè: alij verò actus adorationis habent pro ſuo *obiecto formali*, & immediata ratione colendi aliquid tanquam *obiectum terminatiuum excellentiam aliquam creatam*; vt cùm Sancti adorantur propter ſanctitatem gratiæ habitualis, quam in ſeipſis habent. Hoc ita prænotato ſit hæc

III. Prima propoſitio. *Illi actui adorationis, qui pro motiuo ſeu obiecto formali habent excellentiam increatam, ſiue terminatiuum eorum obiectum ſit aliquid creatum, ſiue ſit aliquid increatum, ſunt à virtute religionis.* Ita ſanctus Thomas 2. 2. quæſtione 25. articulo 1. in ſolutione ad 2. & quæſtione 84. articulo 1. & omnes Theologi communiter ad hanc quæſtionem ſancti Thomæ, & quando agunt de adoratione.

Probatur. Actus morales ſunt propriè illius virtutis, ſub cuius formali motiuo feruntur in ſuum obiectum terminatiuum, quia actus & habitus ſpecificantur à tali ſuo obiecto, ſed increata excellentia, vt mouens ad cultum aliquem Deo reddendum, eſt formale motiuum religionis ex ſancto Thoma 2. 2. quæſt. 81. art. 4. & actus adorationis, de quibus noſtra propoſitio procedit, feruntur ex increata excellentia tanquam

IV. formali motiuo in Deum, vt obiectum terminatiuum: ergo illi adorationis actus, ſunt virtutis religionis. Neque obſtat quòd noſtra propoſitio idetiam intelligat de iis actibus qui tendunt in obiecta creata, quia omnis habitus, ſeu etiam virtus ſeſe tam latè extendit, quàm formale motiuum eius: ergo vbi increata excellentia erit formale motiuum reddendi aliquem cultum obiecto creato, actus ille ſemper erit à virtute religionis, exempli gratiâ, quando adoramus humanitatem Chriſti Domini propter perſonam Verbi diuini ei hypoſtaticè vnitam: igitur ipſa religio ſeſe extendit ad eos morales actus, quibus adoramus aliquas res creatas propter increatam excellentiam, & ex conſequenti tales actus ſunt actus virtutis religionis propriè dictæ.

Secunda propoſitio. *Illi actui adorationis, qui*

A *pro ſuo formali motiuo, ſeu obiecto habent aliquam creatam excellentiam, ſunt à ſpeciali illa virtute quam Theologi vocant duliam.* Ita ſanctus Thomas 2. 2. quæſtione 103. toto art. 3. vbi docet virtutem duliæ, quæ eſt exhibitiua reuerentiæ rationali creaturæ propter aliquam excellentiam creatam, eſſe virtutem ſpecie diſtinctam à virtute religionis, quam ibi nomine latriæ intelligit. Probatur, accommodando rationem præcedentis propoſitionis huic ſecundæ propoſitioni: nam formale motiuum duliæ, provt eſt virtus diſtincta à religione, eſt excellentia creata, ex S. Thoma nunc relato: ergo adoratio ex tali motiuo facta eſt actus illius ſpecialis virtutis quam Theologi vocant duliam. Quod verò tam iſti actus poſteriores eliciti ex motiuo creatæ excellentiæ, quàm ipſa virtus duliæ ſint alterius & diſtinctæ ſpeciei ab actibus prioris generis, & ab ipſa virtute Religionis,

B Probatur. Vbi ſunt motiua formaliter diſtincta, & formaliter diſtinctæ ſpeciei, ibi tam virtus quàm ipſi eius actus ſunt etiam diſtinctæ ſpeciei tam ab alia virtute quàm ab eius actibus, ex cõmuni ſententia Philoſophorum & Theologorũ, quando agunt de diſtinctione ſpecifica habituũ & actuum, moralium, atqui in iis actibus de quibus egimus prima noſtra propoſitione, motiuum eſt formaliter diſtinctum ſpecie à motiuo aliorũ actuum de quibus agimus hac ſecunda præſenti propoſitione, quia motiuum formale actuum prima propoſitione explicatorum, item & eorũ habitus ſeu virtutis eſt, *excellentia increata, vt increata*, quemadmodum docuimus ex S. Thoma, actuum verò ſecunda propoſitione explicatorũ, & conſequenter habitus ſeu virtutis illorum eſt *excellentia tantùm creata quatenus creata*, quæ

C duæ excellentiæ, *in ratione excellentiæ*, ſunt diſtinctæ ſpecici, vt ſatis patet ex ſe: ergo actus qui explicantur priori propoſitione ſunt alterius ſpeciei, & ab alia virtute ſcilicet à *religione*, actus verò qui explicantur ſecunda propoſitione etiam diſtinctæ ſpeciei, & à virtute diſtincta ſpecie minimùm à *dulia*.

Obiicies: excellentia illa creata, ex cuius motiuo actus illi poſteriores eliciuntur, dicit ordinẽ & habitudinem ad excellentiam Dei increatam, eſt enim aliqua eius participatio: ergo quemadmodum vnã & eadẽ charitate diligimus Deum, & proximum; ita & eadem virtute religionis colimus Deum & Sanctos, & ex conſequenti actus iſti poſteriores erunt à virtute religionis, & non à dulia tanquam à virtute diſtincta.

D Reſpondetur, eſſe quidem verum creatas iſtas excellentias eſſe quaſdam participationes increatæ, ſicut omnis creata perfectio eſt increatæ participatio; inde tamen non ſequi quòd actus eliciti ex illarum motiuo ſint à virtute religionis; quia motiuum, cur eliciantur non eſt *creata excellentia ſub ea ratione qua formaliter dicit habitudinem ad excellentiam increatam Dei*, ſed eſt ipſamet creata excellentia *ſub ea ratione abſoluta*, qua ſecundum ſe ſpectata, vt eſt aliquid abſolutum, reddit perſonam, cui ineſt, dignam cultu & honore: ideòque cùm *veſic & in ratione cultus*, non reſpiciat excellentiam increatam, niſi valde *remotè & impropriè*, non dicentur actus iſti eliciti ex virtute religionis, ſed ex dulia: nec eſt par ratio horum actuum adorationis, ac dilectionis proximi, quæ eſt ab eadem charitate qua Deum diligimus; nam virtus charitatis inclinat formaliter ad amorem amicitiæ, qui iuxta Ari-

I. stotelem 9. Ethicorũ cap. 5. nihil est aliud quàm beneuolentia cum redamatione, itavt postulemus ab eo quem sic diligimus redamari, & ille debeat nos redamare, vt intelligitur ex iis quæ tradunt communiter Theologi cum S. Thoma de charitate 2. 2. quæstione 25. ergo charitas illa sese debet extendere ad omnes illos actus qui erunt amoris amicitiæ, sicut est & actus, quo Deum diligimus. esto, sit in dispari gradu, debebit vterque hic actus esse ab eadem virtute, cùm sub eodem formali motiuo, & ratione feratur charitas in hoc vtrumque obiectum. At virtus religionis inclinat ad exhibẽdum cultum ex motiuo excellentiæ, vt *formaliter increatæ*, ad honorandam diuinam maiestatem, non autem ad alios honorandos, provt habent peculiarem aliquam creatam excellentiam, sed hoc relinquit alteri virtuti à se distinctæ, quam *duliam* vocamus: est enim religio virtus quæ nos ordinat ad II. Deum debitè colendum, per actus protestiuos increatæ excellentiæ in illo existentis, & nostræ ad illum submissionis.

Articvlvs IV.

Quædam colliguntur ex dictis.

EX dictis hæc sequuntur corollaria: primum est adorationem præsupponere actum aliquem intellectus, quo excellentia rei adorandæ apprehendatur, illa tamen formaliter sumpta, non est actus intellectus: nam omnis actus intellectus est cognitio; sed adoratio non est cognitio, si quæ enim esset maximè superioritatis excellentiæ, quæ est in obiecto adorato, sed talis III. cognitio non dicit formaliter adorationem, potest enim reperiri in aliquo intellectu sine adoratione; imò & cum aliquo despectu rei adorandæ, vt cùm aliquis ex malitia, aut inuidia contemnit superiorem, in quo tamen agnoscit certò aliquam excellentiam; exempli causâ, quando dæmones blasphemant in sacramentum Eucharistiæ, in quo tamen sciunt verum & reale corpus Christi Domini esse, & sanguinem realiter & substantialiter existere. Secundum est, exhibitionem externi signi, quo qui adorat protestatur submissionem esse de ratione formali completæ adorationis; sunt enim totalis adorationis duæ partes: prior *affectus interior* adorandi exterius, posterior *exhibitio signi exterioris* seruitutis & subiectionis: nam quotiescumque agitur de adoratione in sacris Litteris, illa semper exprimitur per signum aliquod exter- IV. num, quòd sit nota subiectionis & submissionis adorantis ad eum quem adorat, vt Exodi 12. *incurnati quepopulus adorauit*: sancti Matthæi 2. *procidens adorauerit*, & alibi *proni in terram*, vel *flectentes genua*, vel simile quid externum semper admiscebat quo explicetur adoratio: deinde probatur ratione. Actus ille, quo virtus aliqua tendens in Deum, duntaxat mediatè fertur in illum, est de formali ratione talis actus, quia formalis ratio virtutis est in tali habitudine qua informando potentiam, illam inclinat ad obiectum proprium: atqui religio, ad quam vt proprium habitum, pertinet adoratio ex dictis suprà, est virtus tendens in Deum duntaxat mediatè, non enim virtus est Theologica vt sunt spes, fides, charitas, quibus est proprium habere Deum pro immediato obiecto; hæc virtus religio pro vt consideratur iuxta rationem adorationis pro-

A priissimè tendit in Deum mediante actu externo submissionis, quo adorans protestatur excellentiam Dei vt obiecti adorati & sui ipsius ad illum submissionem: igitur exhibitio signi exterius quo qui adorat protestatur recognitionem excellentiæ in obiecto adorato, & sui ipsius adorantis submissionem ad illum, est etiam de ratione formali completæ adorationis: nec obstat quòd sanctus Thomas 2. 2. quæstione 84. articulo 2. tam in *corpore*, quàm *in responsione* ad secundum, distinguat duplicem adorationem, *vnam* scilicet *interiorem*, in interiori reuerentia consistentem, & alteram, *exteriorem* consistentem in humiliatione exteriori; nam ibi non diuidit adorationem in species: sed tantùm *in partes*, quibus *totalis adoratio essentialiter* completur, itavt prior & potissima pars illius sit *voluntas*, seu affectus adorandi exterius; *exhibitio* autem signi seruitutis B & subiectionis sit posterior: nam ibi initio quæstionis, vbi distribuit ea de quibus debet agere, annumerat adorationem exterioribus actibus religionis, quia nimirùm adoratio inchoatur per aliquid interius, consummatur per aliquod exterius, sicut à contrario, quia oratio tota perficitur interiùs, & non postulat necessariò vocalem, & exteriorem adiungi interiori, refertur ab eodem sancto Thoma ibidem, quæstione 82. inter actus interiores religionis.

Tertium corollarium est, obiectum immediatum adorationis, seu materiam non esse actum aliquem interiorem intellectus & voluntatis, sed aliquid externum, imò non quodcumque signum externum, sed illud solùm quod habet aptitudinem aliquam ad significandam & protestandam submissionem adorantis ad ipsum adoratum, & excellentiam adorati suprà ipsum C adorantem.

Prior pars huius corollarij probatur. Tunc tantùm aliquid potest esse obiectum immediatum adorationis, quando affectus reuerentiæ & submissionis per illud exprimitur in ordine ad rem adoratam, vt patet ex definitione adorationis, & ex eius fine: at talis affectus non exprimitur per actus illos posteriores intellectus & voluntatis, putà fidei, charitatis vel spei; nam in actibus virtutum Theologicarum nulla potest apprehendi submissionis nota in ordine ad obiectum, vt ratione suæ excellentiæ adoratum, sed ad summum potest apprehendi quædam submissio obedientiæ, provt est specialis virtus condistincta à religione, quatenus potest homo elicere actum fidei & charitatis, vt obediat Deo, vel vt illi placeat: quæ tamen submissio est longè alia à subiec- D tione adorationi propria. Nec dici potest actus virtutum Theologicarum posse esse obiectum immediatum adorationis, quatenus virtus religionis potest illos ordinare ad suum finem proprium, scilicet ad protestandum summam Dei excellentiam, & ipsius adorantis submissionem ad Deum: hoc inquam non potest dici.

Nam tunc tantùm aliqua virtus potest ordinare ad suum finem actus aliarum virtutum, quando illi actus aliarum virtutum sunt ei vtiles, & proportionati ad finem sibi proprium, exempli causâ, quia finis virtutis pœnitentiæ est Deum placare, ei satisfacere, & actus charitatis reddit Deum placabilem & propitium; item quia actus temperantiæ possunt ita elici, vt tamen sint etiam ex motiuo pœnitentiæ, ideò possunt aliqua ratione obiectum esse immediatum virtutis pœnitentiæ: atqui actus virtutum Theologicarum

V. VI. VII. VIII.

I. non sunt apti, nec proportionati fini virtutis religionis; licèt enim intellectus possit apprehendere per actum fidei summam Dei excellentiam, item & suam ad Deum inferioritatem, & ex tali consideratione voluntas possit bene affici erga Deum, iste tamen affectus, loquendo propriè, non erit actus adorationis, sed potiùs actus humilitatis, & cùm vterque iste actus sit tam intellectus apprehendentis summam Dei excellentiam per actum fidei, quàm voluntatis bene erga Deum affectæ, nullam importat notam protestationis & submissionis ad Deum, licèt Deus per illos rectè honoretur sicut & per quemlibet actum bonum & honestum (cùm honos latiùs pateat adoratione) non tamen per illos propriè adorabitur.

Nec his obstat quòd sancti Patres harum virtutum actus interdum appellent *adorationes*; imò II. *& veras adorationes*, nam tunc non sumunt nomen *adorationis* strictè, & propriè, vt hîc sumimus, sed *in ampliori significatione* quatenus omnis ille actus, qui cedit in honorem Dei, qualiscumque ille sit, appellatur adoratio. Sicut & quælibet virtutum opera dicuntur interdum à Patribus *sacrificia*, etiamsi sint merè interna, & dicuntur vera, non quòd in seipsis habeant essentialem rationem sacrificij propriè dicti, sed quòd reddant Deum nobis propitium, quod non præstant externa & propriè dicta sacrificia interiori affectu, & sanctitate offerentis destituta, iuxta illud Psal. 50. *Holocaustis non delectaberis, sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

Posterior item pars corollarij probatur: nam licèt significatio in signis non sit à natura, sed ex beneplacito, nihilominùs tamen vt assumantur ad significandum prærequirunt aliquam aptitudinem, vt etiam videre est in nostris sacramentis, quæ non in quacumque materia sunt institutа, sed in ea quæ illorum finem & effectus significet, quod etiam patet in sacrificio, in quo quia profitemur Deum esse rerum omnium principium, ab eo omnia pendere tam *in esse*, *quàm in conseruari*, quia destructio rei oblatæ hoc maximè indicat, ideò ratio sacrificij constituitur in destructione rei Deo oblatæ, non autem in alia re: nam in lege naturæ quando materia sacrificiorum & sacramentorum non erat ita determinata, sicut fuit in lege veteri, & noua, licèt liberum esset vnicuique Deo offerre sacrificium, & hoc vel illud animal indifferenter, non tamen assumere pro materia sacrificij quodcumque vellet, sed id solum quod posset destrui, & cuius destructione significaretur summum Dei dominium in res omnes.

IV.

Articvlvs V.

Vtrùm signum externum in adoratione requisitum debeat esse necessariò corporeum.

NOTANDVM est esse aliud signum aliquod esse externum, & aliud signum aliquod esse corporeum, licèt enim omne signum externum sit corporeum & sensibile; nam sumendo nomen signi in ampla sua significatione, qua signum dicitur id quod potentiæ cognoscenti repræsentat aliquid, re vera dantur signa quædam spiritalia. Possunt enim Angeli sibi inuicem aliquid significare dum sibi inuicem loquuntur, & superiores illuminant inferiores, nec tamen sunt corporei, & inter illos dari hæc signa spiritalia A significat sanctus Chrysostomus, dum homiliâ 83. in Ioannem, agens de signis sacramentalibus ait, *Deum ideò dedisse nobis corporea sub rebus sensibilibus, quia constamus corpore & anima: quòd si essemus incorporei, incorporea etiam dedisset dona*, id est sacramenta, quæ tamen sacramenta sunt in genere signi, vt docet sanctus Thomas, infrà quæstione 60. art. 1. Hoc præsuppositо, V.

Sit hæc nostra propositio, *Sumendo nomen signi exterioris in ampla significatione, provt etiam potest reperiri in Angelis, adoratio requirit necessariò actum aliquem exteriorem naturæ ipsius adorantis accommodatum*, ideóque in Angelis, qui sunt substantiæ immateriales, non corporeum & sensibilem, sed secundo modo exteriorem: in hominibus verò, qui sunt corporei, sensibilem & corporeum.

Hæc propositio sequitur ex dictis articulo B præcedenti, & probatur quoad singulas partes: VI. quoad primam, quæ asserit actum illum debere esse exteriorem, omnis actus necessariò & ex sua natura postulat fieri, provt requirit proprium & immediatum eius obiectum: atqui adoratio est actus, proprium & immediatum eius obiectum est signum externum, & hoc signum postulat fieri aliquo actu exteriori, quia sit tanquam nota quædam protestationis excellentiæ quæ est in re adorata & submissionis ad illam in ipso adorante: igitur adoratio postulat necessariò fieri actu aliquo exteriori, & proinde postulat necessariò actum aliquem exteriorem.

Maior patet, quia inter actum & obiectum debet esse aliqua proportio, & actus practicus ipsius obiecti factio: ergo quale est obiectum eius, & qualiter postulat fieri, debet ipse actus tali modo exerceri.

III. Minor patet ex dictis suprà. Confirmatur e- C VII. tiam hæc pars, ex eo quòd sanctus Thomas suprà citatus referat actus adorationis, inter actus exteriores religionis.

Dices actus istos exteriores esse actus, & signa humilitatis: ergo cùm humilitas sit alia virtus à religione & dulia, habeátque alios actus, non erit necesse dari aliquos actus exteriores, & signa in adoratione ex præcisa eius ratione.

Respondetur, signa illa externa ex se esse indifferentia, vt sint significatiua humilitatis vel subiectionis protestatæ, id totum pendere ex affectu eius qui illa exercet: ideóque, quia in adoratione vsurpantur ad denotandam hanc subiectionem, esse à virtute religionis, vel duliæ, & proinde adorationis signa, quando verò assumuntur ad compescendum nimium appetitum excellentiæ suprà propriam dignitatem, tunc D esse humilitatis & non adorationis signa. VIII.

Probatur item secunda pars, quæ asserit actum illum exteriorem adorationis & signum eius debere esse accommodatum naturæ ipsius adorantis, iisdem ferè rationibus & congruentiis, quibus Theologi probant nostra sacramenta debere constare signis sensibilibus: imò & quibus signa adorationis in hominibus debere esse sensibilia, possumus etiam probare ea in Angelis debere esse spiritalia; nam cùm vnaquæque rationalis creatura agnoscat excellentiam increatam Dei, séque omninò inferiorem, & ab eo dependentem, debeátque istud beneficium Dei recognoscere, eo tantùm modo tenetur istud præstare & testari, quo ipsa est: ergo vbi creatura rationalis erit purè spiritalis, vt est Angelus, debebit illud efficere signo exteriori quidem, sed non

I. sensibili & corporeo; homo verò quia est corporeus, corporeo & sensibili, & de ipsis Angelis videtur id significatum in sacris Litteris. Nam passim actus adorationis tribuitur ipsis Angelis, vt Psalmo 96. *Adorate eum omnes Angeli eius*, quod de vera adoratione intelligitur dictum ex versiculo illo præcedenti, *Confundantur omnes qui adorant sculptilia*, cùm Psalmista Regius ibi opponat Angelos Deum ipsum adorantes adoratoribus idolorum, & ad Hebræos primo capite illud Psalmistæ explicat Apostolus de Angelis adorantibus Christum, *Et adorent*, inquit, *eum omnes Angeli eius*, & Ecclesia in Præfatione Missæ canit Dominationes Angelorum adorare Deum.

Nec his obstat, quod sanctus Thomas 2. 2. quæstione 84. articulo 2. dicat adorationem importare actionem corporalem: nam, vt intelligitur ex ratione articuli, loquitur tantùm ibi de

II. adoratione solis hominibus propriæ, non autem de ea quæ potest conuenire Angelis substantiis spiritalibus.

Si quis autem quærat, quæ sint signa illa exteriora, quibus Angeli adorant Deum, respondetur ea in particulari non esse nobis cognita, sicut nec eorum natura vt est in se à nobis cognoscitur.

Dices, si Angeli possint Deum adorare sumpto nomine adorationis propriè, provt importat actum aliquem exteriorem, poterunt & Deo sacrificare, & proinde esse sacerdotes, quod tamen solis hominibus competit.

Respondetur primò. Sacrificia tantùm habere locum pro tempore viæ, vt intelligitur ex Malach. 2. capite, vbi increuentum Missæ sacrifi-

III. cium dicitur cessaturum in fine mundi, nec ibi vel alibi legimus verum aliquod aliud sacrificium ei in altero sæculo successurum: idcóque cùm Angeli breui duratione fuerint in via, vt intelligitur ex iis quæ tradunt Theologi cum S. Thoma in primâ parte de merito & peccato Angelorum, & sacrificia vt sint actus religionis requirant statum aliquem longa duratione constantem, vt intelligitur ex eo quòd in statu innocentiæ, quia breuissimè durauit, nulla fuerunt sacramenta, nullum sacrificium, non fuit necesse eos aut aliquem eorum esse sacerdotem, & offerre Deo sacrificium.

Respondetur secundò, omnem cultum debere esse proportionatum creaturæ rationali quæ Deum colit; ideóque cùm cultus per verum & propriè dictum sacrificium consistat in oblatione & destructione sensibili alicuius substantiæ

IV. corporeæ, de cuius genere non est Angelus, ideóque fit vt licèt ex hypothesi status viæ Angelorum fuisset longæ alicuius durationis, illi tamen Deo non obtulissent sacrificia propriè dicta, nec proinde opus fuisset eos aut eorum aliquos esse sacerdotes.

Tandem dici posset nullam videri repugnantiam, posito quòd via Angelorum fuisset longa, Angelos in recognitionem supremi dominij, quod est in Deo, & in actionem gratiarum pro beneficiis acceptis offerre Deo sacrificium, sicut perseuerante statu innocentiæ obtulissent homines sacrificium Deo: non enim ideò homines Deo sacrificant præcisè aliquid corporeum, quia sunt corporei, sed quòd solæ res corporeæ sint destructioni obnoxiæ, & proinde cùm per destructionem rei alicuius oblatæ Deo, protestemur summum eius dominium, & magnam nostrã subiectionem ad illum, solæ etiam res corporeæ sunt apta materia sacrificij; vnde cùm Angeli applicando actiua passiuis possent tunc interficere animalia, & hanc animalium destructionem facere in recognitionem dominij, quod est in Deo, & subiectionis suæ ad Deum, tunc etiam non repugnare eos offerre Deo aliquod sacrificium, quemadmodum & in lege tam naturæ quàm veteri multa offerebantur in sacrificium, quæ tamen in natura paruam cum ipsis hominibus habebant conuenientiam, vt quando thus offerebatur Deo, & alia id genus. V.

ARTICVLVS VI.

Quomodo adoratio diuidatur.

NOTANDVM est, adorationem posse considerari duobus modis: primo ex parte modi quo illa fit, secundo ex parte excellentiæ ex cuius motiuo exercetur. Hoc prænotato; Sit prima propositio. Adoratio considerata ex parte modi, quo fit rectè diuiditur in absolutam & respectiuam. Probatur. Tot sunt species adorationis, provt illa spectatur penes modum quo fit, quot sunt modi illius faciendæ; at duo sunt tantùm modi adorandi, vnus quo adoramus aliquod obiectum propter excellentiam sibi inexistentem, & hic constituit adorationem absolutam; alter modus est quo adoramus aliquod obiectum propter singularé alterius excellentiam, ad quem habet specialem ordinem & habitudinem, & hic modus constituit adorationem relatiuam, seu respectiuam: igitur adoratio considerata penes modum quo fit, diuiditur in absolutã & respectiuam. Hæretici nostri temporis admittunt primum membrum huius diuisionis, quæ autẽ proferet aduersus secundum, soluuntur inferius à nobis agẽdo de adoratione humanitatis Christi Domini, crucis eius, & etiam imaginum. VI. VII.

Secunda propositio. Adoratio considerata ex parte rei excellentis seu ratione excellentiæ, propter quam aliquid adoratur, rectè diuiditur in latriã, duliam, & hyperduliam: probatur, tot sunt species adorationis hoc modo spectatę, quot sunt excellentiæ moraliter distinctæ, atqui tres dantur excellentię, prima increata soli Deo propria, & hæc constituit latriam soli Deo propriam, qua ex efficaci affectu voluntatis testamur aliquo exteriori signo increatam Dei excellentiam, & summam nostram ad illum subiectionem. Secunda excellentia creata reperitur in creaturis rationalibus, aliquo tamen singulari modo perfectis; & ideò debet alia admitti adorationis species inferior quidem ipsa latria, superior tamen communi alia adoratione, quæ aliis creaturis rationalibus gratia sanctificãte & gloria perfusis conceditur, quam hyperduham vocant. Tandem quia creaturæ illæ rationales in sua illa creata excellentia, longè etiã excedunt homines in dignitate ciuili cõstitutos, sũtque vt beati ciues alterius Reipublicæ longè superioris, scilicet cælestis, etiã illis vt sic cõsideratis debetur cultus aliquis seu adoratio tali eorum excellentiæ correspondens, quæ hac vtraque latriæ & hyperduliæ adorationi sit inferior, superior tamen ipso cultu ejusmodi, quem hominibus in Republica ciuili cõstitutis in dignitate præstare cõsueimus, & hunc religiosum cultum vocamus duliam. VIII.

ARTICVLVS VII.

Qualis sit prædicta adorationis diuisio, vniuoca, an analoga.

SIT hæc propositio. Adoratio dicitur tantùm analogicè de adoratione latriæ, duliæ & hyperduliæ: ita sanctus Bonauentura libro tertio sententiarum, distinctione nonâ, articulo secundo, quæstione quartâ ad primum.

Probatur. Eo modo sese habet aderatio ad has tres species, quo modo sese habet ad illas ipsa excellentia, quia hæc diuisio attenditur penes excellentiam: atqui excellentia dicitur tantùm analogicè de tribus excellentiis, quæ insunt rebus adoratis per tres istas species adorationis. nam excellentia Dei est increata, & est talis per II. essentiam, reliquæ sunt tantùm creatæ & per participationem, sicut & omne ens creatum est tale per participationem entis increati, & sicut ens habet se ad ens increatum & creatum analogicè ex communi sententia Philosophorum; ita & adoratio dicitur de his tribus speciebus tantùm analogicè, itavt dicamus per prius & principalius de latria, quàm do aliis duabus, dulia scilicet & hyperdulia.

Confirmatur, quia actus morales non desumunt suam specificationem à principiis suis elicitiuis, quia aliàs omnes essent eiusdem speciei, cùm ab eadem voluntate eliciantur, sed à ratione formali & motiuo sub quo tendunt in sua obiecta: atqui excellentia increata Dei, quatenus increata, est motiuum latriæ, excellentia vt creata est motiuum reliquarum adorationum, quæ duæ excellentiæ in ratione motiui sunt inæ- III. quales, vna superior altera inferior: ergo, & adoratio ei correspondens erit inæqualis.

Obiicies primò. Ratio adorationis propriè & formaliter competit adorationi creaturarum, sine aliqua dependentia & habitudine ad diuinam adorationem, aliàs enim omnis adoratio creaturarum esset tantùm respectiua & nulla absoluta, quod infrà patebit esse falsum: ergo ratio adorationis competit illis vniuocè.

Consequentia patet, quia ad vniuocationem sufficit participatio eiusdem formæ, sine habitudine & dependentia ad alterum. Secundò, fides dicitur vniuocè de diuina & humana, licèt prior nitatur auctoritate increata, posterior creata; item amor dicitur vniuocè de amore Dei & proximi; item oratio de ea, quæ fit Deo & Sanctis, & sanctus Thomas secundâ secundæ, quæstione nonagesima quartâ, art. 1. ad secundum, IV. ait latriam & idololatriam conuenire vniuocè in ratione actus humani pertinentis ad cultum. Tandem voluntas sub eadem habitudine fertur in obiectum adorandum per actum hyperduliæ, duliæ, ac per actum latriæ: scilicet sub ratione excellentiæ, & ratio creatæ & increatæ tenet se tantùm ex parte differentiarum: igitur cùm actus specificentur per habitudinem ad sua obiecta, & inæqualitas formæ se tantùm tenens ex parte differentiarum non inducat analogiam, vt patet in animali respectu hominis & bruti, dicetur adoratio vniuocè de adorationibus latriæ, hyperduliæ & duliæ.

Ad primum respondetur, rationem adorationis propriè & formaliter competere quidem absolutè adorationi creaturarum, & non tantùm per meram habitudinem ad Deum, in A quo formaliter est excellentia increata, inde tamen non sequi eam conuenire vniuocè, & non analogicè increatæ & creatæ adorationi, quia ad tollendam vniuocationem formæ alicuius, & ad inducendam analogiam satis est, quòd forma etiam in ipsis analogatis formaliter & intrinsecè existens reperiatur in illis cum aliquo ordine & inæqualitate, vt docent communiter Philosophi agèdo de analogia entis: at verò ipsa excellentia ita formaliter reperitur in Deo & creaturis aliquibus, vt tamen in illis sit cum aliquo ordine & inæqualitate, quatenus in illo est tota & talis etiam per essentiam, in aliis verò solummodò per aliquam participationem, & cùm Deo & ipsis creaturis nihil sit vniuocum ex communiori Philosophorum sententia, excellentia quæ simul in vtroque eorum reperitur, non poterit esse vniuoca. V.

B Ad secundum respondetur, parem esse rationem fidei, amoris, ac ipsius adorationis, & proinde ista dici analogicè tantùm de suis inferioribus, cùm illorum ratio descendat inæqualiter ad sua inferiora, & cum aliquo ordine, vt patet euidenter in amore Dei & proximi, & ipsa auctoritas, quæ est motiuum fidei in Deo, est tota per essentiam, & in suo genere infinita, in creaturis per aliquam tantùm participationem. Quod autem ait sanctus Thomas, latriam & idololatriam conuenire vniuocè in ratione actus humani pertinentis ad cultum, nihil obest nostræ responsioni, quia ibi non sit comparatio inter varias species adorationis, sed inter duos actus eiusdem omninò rationis, saltem secundùm apprehensionem, & motiuum voluntatis eius qui talem actum exercet. VI.

C Ad vltimum negatur, voluntatem in adoratione latriæ, duliæ & hyperduliæ ferri sub motiuo formali planè eodem & æqualiter participato, vt patet ex dictis, & dicimus istam earum inæqualitatem non prouenire præcisè loquendo ex ipsis eorum differentiis contrahentibus ad hoc & illud subiectum; nam si per aliquam mentis operationem consideretur excellentia vt descendens ad Deum & creaturas aliquas tanquam ad sua inferiora, nondum tamen coniuncta de facto suis differentiis, & vt existens in hoc subiecto, apprehendetur tota descendere ad Deum, tanquam ad principalius analogatum, in quo sit per essentiam sine vlla diminutione purè & simpliciter, ad ipsas verò creaturas diminutè & solùm per aliquas partes, sicut & ipsa ratio entis facta comparatione ad Deum, & creaturas descendit ad illos tanquam ad sua inferiora inæqualiter, ad vnum D tota & per essentiam, ad alterum diminutè tantùm & per aliquam entis participationem. VII. VIII.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm res per tres illas adorationis species importata detur.

DVO possunt considerari in his speciebus adorationis, primum res illic importata, alterum conueniens expositio nominum, quibus singulæ exprimuntur. Caluinus vtrumque ridet libro secundo suarum Institutionum, capite 12. sectione 2. & 3. & alij eius sectatores, nos hic agimus tantùm de primo. Procuius explicatione sit hæc nostra propositio. *Res significata per tres*

I. *illas species adorationis datur.* Ita communiter Catholici, quod omnes Theologi hîc & vbi agunt de cultu Sanctorum docent: imò & Kemnitius in suo examine Concil. Trident. ad decretum de inuocatione Sanctorum, in solutione argumentorum ad argumentum 18. ait sanctum Augustinum *bono & recto consilio hanc distinctionem tradidisse, alterum cultum vocando latriam, alterum duliam, vt honorem & cultum qui soli Deo debetur, distingueret ab honore, qui creaturis etiam rectè impendi potest.* Et primò, quòd cultus latriæ importatus extet in sacris Litteris, probatur tam ex veteri Testamento, vt Exodi 20. cap. Deuter. 6. quàm ex nouo, vt Matth. 4. vbi singularis cultus soli Deo impendendus nobis commendatur.

Quòd item in isdem sacris Litteris fiat mentio alicuius cultus inferioris ab ipso Dei cultu, qui tamen religiosè, & non tantùm modo quodam

II. ciuili tribuatur aliquibus creaturis, patet primò B ex capite 12. Tobiæ, quo loci vbi vterque Tobias audiuit hæc verba sancti Raphaëlis declarantis se esse Angelum Dei, *Ego sum Raphaël Angelus vnus ex septem qui astant ante Dominum*, statim subiicitur, *Cùmque hæc audiuissent turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram in faciem suam:* quâ postremâ particulâ exprimitur adoratio. Item Iosue capite 5. apparet Angelus, quem vbi pro Angelo Dei agnouit Iosuë, adorat eum pronus in terram, & se seruum eius nominat: habetur enim expressè, *Cecidit Iosuë pronus in terram, & adorans ait*, &c. Item, Daniel cap. 10. suæ Prophetiæ adorat Angelum sibi apparentem: & similiter alij Prophetæ & pij homines in veteri Testamento adorant Angelos, nec hac de re ibi reprehenduntur ab ipsis bonis Angelis, vt patet in Iosuë, Daniele, & vtroque Tobia: at adoratio

III. illa non est latriæ, tum quia boni & pij Angeli, C quales erant isti, non fuissent passi se tanquam Deum adorari: tum quia & Prophetæ isti, seu pij viri Testamenti veteris erant probè eruditi tam in iis quæ ad bonos mores, quàm quæ ad fidem spectabant; & proinde cùm nossent istos Angelos esse puras creaturas, Dei cultum soli Deo debitum, cuiusmodi est latria, eis non exhibebant: ergo aliquem alium inferiorem: ergo iam datur alia species adorationis ab adoratione latriæ.

Nec est quod dicant hæretici cultum hunc fuisse tantùm *ciuilem*, qualem solemus etiam exhibere Magistratibus, nos autem hîc tantùm disputare *de cultu religioso*: non est (inquam) quod hoc respondeant: nam primò, vt iam animaduertimus, Iosuë & vterque Tobias non detulerunt hunc cultum Angelis, nisi vbi audierunt illos esse Angelos: vterque enim Tobias capite 4.

IV. exhibet cultum ciuilem sancto Raphaëli eum sa- D lutando. & quandiu vterque Tobias putat illum esse talem, tandiu ei vt homini *ciuilem honorem* impendit, vt videre est cap. 9. & initio 12. capitis: At statim atque sanctus Raphaël illis declarat se Angelum, commemorat quomodo bona opera & orationes Tobiæ senioris Deo offerebat, ei alium *honorem longè superiorem* priori exhibuerunt, dum *trementes ceciderunt super terram in faciem suam*: ergo cùm cultus honestus & licitus excedens ciuilem, qualis fuit iste cultus, non possit esse nisi *religiosus*, quia hæretici nullum intermedium agnoscunt, erit iste cultus S. Raphaëli exhibitus religiosus: & quia non est *latriæ*, cùm illum deferant S. Raphaëli vt Angelo, & non vt Deo, etiam secundùm eorum æstimationem, vt ibidem videre est, nec vllo pacto reprehendan-

A turà S. Raphaële, debet esse cultus iste religiosus *inferior latriâ*: sicque habebimus aliam speciem cultus religiosi. V.

Deinde cultus ille, qui alicui vt constituto in dignitate supernaturali, posito extra statum viæ, & ad cælestem Rempublicam pertinenti exhibetur, ob aliquid ad salutem animæ & assecutionem vitæ æternæ spectans, non potest esse nisi *religiosus*: Atqui cultus ille vtriusque Tobiæ exhibetur S. Raphaëli vt Angelo beato extra viam posito, ciui celebri atlanti Deo, & ob orationes & bona opera Tobiæ Deo repræsentata pro salute ipsius Tobiæ, vt videre est citato illo cap. 12. igitur cultus ille fuit *religiosus*. Idem patet de cultu exhibito Angelo qui apparuit Danieli, ex ipsomet textu cap. 10. nam Daniel agnoscit illum pro Angelo, vocat se eius *seruum*, ait se non audere ei loqui: & præterea ibi agitur de Danielis

B orationibus & bonis operibus, de salute Iudæorum, de aduentu Messiæ, quæ omnia spectant ad VI. salutem æternam, & proinde quoniam sunt Danieli occasio exhibendi cultum Angelo iam habenti vitam æternam, non potest cultus iste esse tantùm ciuilis, sed verè & propriè *religiosus*. Idem tandem patet de cultu illo, quem Iosuë reddidit Angelo, nam non tantùm vocat se seruum Angeli, sed etiam per reuerentiam, tatione sanctitatis eius, soluit calceamenta de pedibus.

Nec his obstat quod S. August. in Psalm. 96. dicat, *Bonos Angelos non pati se coli ab hominibus*: & Apocalypsis 22. Angelum prohibuisse ne sanctus Ioannes eum adoraret: nam S. Augustinus ibi loquitur de *cultu latriæ*, qui tribuitur aliquis, tanquam Deo: exempli causâ, per sacrificium: C ponit enim ibi discrimen inter bonos & malos Angelos, quòd hi postulent coli pro Deo, velint sacrificia sibi offerri, isti verò minimè, sed ea recusent, sicut & sancti Apostoli Paulus & Barnabas Act. 14. ait autem S. Augustinus bonum Angelum ideò prohibuisse, ne S. Ioannes eum adoraret, quia iuxta eundem sanctum Augustinum libro quæstionum in Genesim, quæst. 61. talis apparuerat Angelus, vt pro Deo posset adorari, & ideò fuerat corrigendus adorator, & hoc videtur significare Angelus, quando ait sancto Ioanni, *Deum adora*, videtur enim istud intelligendum de cultu soli Deo proprio, qui est cultus latriæ.

Deinde dici potest bonum Angelum non pati se adorari à sancto Ioanne, non quòd hoc esset illicitum; non enim est verisimile sanctum Ioannem tunc temporis tot gratiæ donis cumulatum, ab ipso Christo eruditum, nobis in Doctorem & VIII. D Apostolum datum ignorasse Legem Decalogi, tentasse aliquid verè & coram Deo illicitum scienter facere: sed, vt rectè docet Abulensis quæst. 56. in caput quintum Iosuë, cùm tempore veteris Testamenti, mysterio Incarnationis nondum peracto, facilè permitterent boni Angeli se adorari ab hominibus: nunc in Lege noui Testamenti, peracto Incarnationis mysterio, quo *facta est naturæ humanæ tanta* (vt loquitur sanctus Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum capite 15.) *tam celsa & summa subuectio, vt quo attolleretur altiùs non haberet*: & Angeli facti sint serui Christi-hominis, vt patet ex dictis suprà de Christo capite, quia iam homo & Angelus sunt conserui Christi-hominis, fit vt propter dignitatem hanc nostræ naturæ concessam, non ita facilè patiantur nunc se adorari à nobis,

I. ac tempore Legis Mosaïcæ, & hanc rationem significauit ibi Angelus, quando dixit, *Vide ne feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.*

Probatur idem ex Patribus infrà citandis, qui docent adorationem aliquam esse impertiendam sanctis Martyribus, & eorũ Reliquiis, eámque esse aliam ab adoratione soli Deo propria; & cùm agnoscant aliam dignitatem & excellentiam in Christi Domini humanitate, & in beatissima Virgine longè distantem ab excellentia & dignitate aliorum Sanctorum, vt infrà patebit, admittunt etiam ex consequenti alium & distinctum cultum à *dulia*, illóque superiorem, & *latria* inferiorem eis deberi.

ARTICVLVS IX.

II. *Vtrùm hæc nomina, latria, dulia, & hyperdulia sint conuenienter impositæ prædictis speciebus adorationis.*

CALVINVS loco citato præcedenti articulo negat similiter & sequaces eius, contra quos est communis omnium Catholicorum affirmans sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus: vt autem hæc distinctio adorationis, & nominum expositio facta eius speciebus probetur legitima, duo sunt supponenda, quæ etiam hæretici, velint, nolint, tenentur admittere. Primum est, vt aliqua diuisio sit vera & legitima, non esse necesse verba ea, quibus illam exprimunt Theologi, contineri expressè & disertè in sacris Litteris, sed ad summum satis esse, si res per illam significata in illis reperiatur, vel fundamentum habeat maximè cum Theologia, sicut & reliquæ scientiæ non sunt de ipsis nominibus & verbis, sed de rebus; nam & nomen hoc Trinitas non in sacris Litteris, nec item hæc nomina, essentia, subsistentia, personalitas, & alia id genus; quia tamen res per illa significatæ reperiuntur in illis, quando agunt de personis diuinis, non desinimus ea vsurpare, distinguentes in personis essentiam à proprietatibus personalibus: pari modo, vt hæc adorationis diuisio probetur legitima, non est necesse verba quibus illam exprimimus haberi disertè in sacris Litteris: sed satis erit si ostenderimus rem per illa significatam contineri in illis: alterum, Theologiam nostram non esse deterioris conditionis, quàm sint aliæ artes vel scientiæ, quibus licet non tantùm nomina & verba sibi adaptare, sed & noua adinuenire & efformare, vt accuratiùs explicent

III. C

IV. D

ea quæ sunt suæ artis & scientiæ propria: sic enim videmus adinuentum, & à Patribus Concilij Niceni approbatum fuisse nomen hoc ὁμοούσιον, quo consubstantialitatem Filij cum Patre explicabant: si igitur animaduertat Theologia sacram Scripturam frequentiùs explicare cultum Deo peculiariter debitum hoc vel illo termino, licebit ei à fortiori, tanquam scientiæ architectonicæ & superiori ea nomina suo vsui ita adaptare, vt diuidendo cultum genericè consideratum explicet hoc peculiari nomine cultum singulariter Deo debitum, cultum verò qui puræ alicui creaturæ potest exhiberi, hoc etiam vel illo nomine.

His ita prænotatis, prædicta nostra propositio probatur ex Patribus, qui innixi sacræ Scripturæ explicãt prædictos cultus istis nominibus. S. Aug. cit. quæst. 61. lib. quæst. in Genes. *Aduertendum est*, inquit, *in eodem præcepto non dictum, Dominum*

A *Deum tuum solùm adorabis, sicut dictum est, & illi soli seruies, quod est Græcè λατρεύσεις; talis enim seruitus non nisi Deo debetur: vnde damnantur idololatræ, id est eiusmodi seruitutem exhibentes Idolis, quæ debetur Deo.* Et libro 10. contra Manichæum capite 21. expressè distinguit cultum, quem exhibemus sanctis Martyribus, ab illo, quem Deo exhibemus, aitque hunc Dei cultum Græcè dici λατρείαν, Latinè verò vno verbo dici non posse: *Cùm sit*, inquit, *quædam propriè diuinitati debita seruitus.* Et lib. quæst. in Exod. qu. 94. distinguit latriam à dulia, ait illam deberi Deo, quatenus est Deus, istam quatenus est Dominus: vnde cùm sit aliquid minus esse Dominum, quàm esse Deum, & ratio Domini etiam propriè sumpti possit competere creaturis rationalibus, ratio autem Dei minimè, fit vt latria sit cultus superior cultu duliæ, & latria rectè significet cultum soli Deo debitum, possit item

B cultus duliæ competere aliquibus creaturis rationalibus. Hinc seq. lib. quæst. in Leuiticum qu. 66. ait δουλείαν & λατρείαν, *plurimùm distare; nam seruire hominibus, quomodo serui seruiunt; quod non est λατρεύειν*, sed δουλεύειν, *Scriptura non prohibet, seruire autem secundùm id quod est λατρεύειν, non iubet hominibus, nisi vni vero Deo, sicut scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Item libro 10. de Ciuitate Dei cap. 1. & lib. 15. contra Manichæum cap. 9. idem repetit: eadem etiam est mens Concilij Nicæni secundi actione quartâ, & S. Damasi oratione tertiâ de imaginibus, & reliquorum Patrum, qui in prædicto Concilio referuntur. Idem discrimen inter latriam & duliam obseruat S. Hieronymus libro contra Vigilantium, & alij, dum docent Sanctos & eorum reliquias esse

C venerandas, & colendas, non tamen adorandas: nam nomen adorationis ibi sumunt pro latria, prout est specialis cultus Deo debitus, vt facilè intelligitur ex eodem S. Hieronymo, dum sumens nomen adorationis non pro latria, sed pro cultu religioso, qui sit inferior latria, optat in epistola ad Marcellam pergere Samariam, & ibi adorare cineres sanctorum Ioannis Baptistæ, Elisæi & Abdiæ Prophetarum: imò & Henricus Stephanus in suo Thesauro Linguæ Græcæ notat etiam apud Platonem nomen latriæ sonare cultum religiosum Deo debitum.

ARTICVLVS X.

Soluuntur obiectiones hæreticorum contra doctrinam præcedentium articulorum.

D PRIMA est: mala est impositio illa nominum pro cultu significando, quâ minor honor tribuitur Deo, & maior creaturis: sed hoc nomen *latria*, quo cultus Deo debitus significatur apud Catholicos, significat aliquid minùs, quàm *dulia*, quia hoc posterius significat *seruitutem*, prius *cultum*: at *colere* est aliquid minus, quàm *seruire*: ergo hæc nominum impositio non est conuenienter facta.

Respondetur, concessâ Maiore, negando Minorem: patet enim ex dictis articulo præcedenti δουλείαν, esse aliquid maius quàm sit λατρεία, tam in sacris Litteris, quàm apud Patres, & significare specialem seruitutem longè maiorem, quàm importetur nomine duliæ, cùm seruitus mancipiorum propriè dictorum sit maior ea seruitute, quæ nunc est in vsu inter homines: &

V. VI. VII. VIII.

I. tamen iuxta prædictum Stephanum citato loco λατρεύειν, etiam apud prophanos illam specialem mancipiorum seruitutem exprimat: δουλεύειν verò non item specialiter illam significet. Deinde in dictionibus vsurpandis potiùs est habenda ratio vsus, quàm ipsius primariæ & primæuæ grammaticalis significationis: ideòque licèt ex hypothesi (quod tamen patet ex dictis esse falsum) λατρεύειν, secundùm ethymologiam esset minùs quid, quàm δουλεύειν, quia tamen vsu Ecclesiæ fundato in modo loquendi sacræ Scripturæ factum est, vt λατρεύειν sit accommodatum significandæ speciali seruituti, & cultui debito Deo, quatenùs Deus est, δουλεύειν autem minimè, sed ei tantùm, vt est Dominus, qui potest etiam impendi creaturis, quemadmodum fusè docuimus, sit vt non plus tribuamus creaturis, quàm Creatori, nec plus sit dulia, quàm latria.

II. Secunda obiectio. *Dulia* in sacris Litteris tribuitur soli Deo, vt illi soli propria: ergo malè applicatur ad significandum cultum puræ creaturæ debitum. Consequentia est euidens, Antecedens probatur Deuteron. 6 & Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Et ad Galatas 4. Apostolus dum vult illis reducere in memoriam quales essent ante susceptam Christi Domini fidem, quòd scilicet essent Idololatræ, ait eos exhibuisse *duliam* iis qui naturâ non erant dij. Respondetur primò, duobus illis prioribus locis Deuter. 6. & Matthæi 4. seruitutem illam esse latriam, & particulam illam, *seruies*, reddi in textu Græco λατρεύσεις, vt iam notauimus ex sancto Augustino.

Ad tertium testimonium petitum ex epistola ad Galatas 4. respondetur, posse duobus modis sumi: Primo, itavt significet adorationem in
III. communi. Secundo, vt significet specialem adorationem latriæ oppositã, quæ tamẽ ob inopiam nominum, vt plerumque fit apud Philosophos & Theologos, tanquam imperfectior species retineat nomen sui generis: ibi apud Apostolum verbum, *seruire*, & nomen *seruitutis* sumi priori modo, nec ibi significare proprium & specialem cultum ipsi Deo, quatenus est Deus, debitum, sicut sumitur λατρεύειν, & latria: idque facilè intelligitur tam ex antecedentibus, quàm ex consequentibus; nam toto illo textu eodem modo sumit Apostolus δουλεύειν, quando ait Galatas anteà seruisse *iis qui naturâ non erant dij*: ac quando ibidem dicit Iudæos tempore Legis Mosaicæ, quo erant adhuc paruuli sub elementis mundi fuisse seruientes, & quomodo posteà dicit Galatas velle iterùm infirmis & egenis elementis seruire,
IV. cùm non sit verisimile Apostolum in tam breui sententia verbum illud aliter atque aliter vsurpasse, præsertim cùm eandem omninò seruitutem explicet, vt patet ex illa particula, *iterùm seruire vultis*: atqui locis illis posteriùs citatis seruire nõ significat cultum illum, qué soli Deo, quatenùs est Deus, debemus & impendimus, sed subiectionem ceremonialem & religiosam, quam Iudæi ante passionem Christi habebant ad obseruanda legalia, quia ait nos ab ista seruitute fuisse redemptos, adoptionem filiorum Dei recipiendo: per legem autem Christi & eius gratiam sumus exempti à iugo seruitutis Legis Mosaicæ, ab obseruatione legalium: tum etiam quia ab ipsis Galatis seruitus illa exhibebatur etiam egenis elementis, vt clarè sonat textus Apostoli, quo egenorum elementorum nomine, vt statim exprimit Apostolus, significatur legalis & cere-

A monialis obseruatio dierum, mensium, annorum & temporum, id est Sabathi, Neomeniarum, Scenopegiarum, & cæterarum solemnitatum Iudaicarum, vt ad illum locum Apostoli notant sanctus Hieronymus, S. Chrysostomus & Theophylactus: igitur quemadmodum in posterioribus verbis S. Pauli δουλεύειν non significat cultum proprium & soli Deo debitum, ita nec in priori sententia.

Deinde etiamsi daremus aduersariis eo loci δουλεύειν intelligi de cultu proprio soli Deo, non inde tamen possent rectè inferre verbum istud fuisse malè applicatum à Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis ad significandum specialem cultum aliquibus creaturis debitum, cùm ad hanc accommodationem faciendam satis sit, quòd frequentissimè, imò ferè semper cultus soli Deo proprius explicetur in sacris Litteris per λατρεύειν, & latriam: cultus autem creaturis debitus per δουλεύειν, & duliam.

Nec item ab ista accõmodatione debet quemquam dimouere, quod obiicit Martinus Ayala opusculo de traditionibus parte quartâ, consideratione septimâ, capite primo, scilicet duliam significare honorem & seruitutem, quam serui debent dominis, vt etiam notauimus ex sancto Augustino: nos autem qui dicimur colere Sanctos dulia, non sumus serui Sanctorum, sed illorum conciues & domestici Christi Dei ex Apostolo ad Ephes. 2. cap. Non, inquam, est quòd ob istam causam displiceat talis accommodatio, nomine duliæ: tum quia, vt iam monuimus, in nominib as vsurpandis potiùs est habenda ratio vsus, quàm primariæ significationis: tum etiam quia nomen hoc, *dulia*, in sacris Litteris non semper significat seruitutem infimam, sed etiam honorariam submissionem, & ex charitate procedentem: nam ad Galatas quinto ait Apostolus, *Per charitatem seruite inuicem*, vbi pro *seruite* textus Græcus habet δουλεύετε. Adde, quòd licèt ratione charitatis simus conciues Sanctorum; attamen ratione beatitudinis & gloriæ, quâ iam Sancti regnantes cum Christo fruuntur, sumus illis inferiores, & proinde tanquam serui honorarij eos colere, & suspicere debemus.

Tertia obiectio. Sanctus Ambrosius libro 1. de fide ad Gratianum August. ait, prohibuit me Paulus creaturæ seruire, sed Christo admonet seruiendum, & seruitutem soli Deo deberi, eique esse propriam tradit S. Ambrosius libro secundo de Spiritu sancto capite 6.

Respondetur sanctum Ambrosium in hoc vtroque loco nomine seruitutis intelligere cultum
VIII. latriæ, quem, vt notat S. Augustinus, suprà Latini nomine satis accommodato & apto non possunt exprimere: ideóque sicut cultus latriæ propriè soli Deo est debitus, vt inteiligitur ex dictis: ita etiam rectè ibi ait S. Ambrosius sibi prohibitum esse seruire creaturæ, id est cultum latriæ soli Deo proprium exhibere creaturæ: & quòd hæc sit mens S. Ambrosij patet; nam priori loco probat contra Arianos Christum non esse creaturam, sed Deum & creatorem, quia seruitus ei debetur, quod probat ex capite primo ad Romanos: hæc enim sunt verba sancti Ambrosij referentis & applicantis sententiam sancti Pauli ad probandum Christum non esse creaturam: *Paulum*, inquit, *interrogemus, qui spiritu Dei plenus hæc præuidens quæstiones generaliter contra gentes, specialiter contra Arianos locutus ait, diuino iudicio eos esse damnatos, qui seruient creaturæ potiùs*

V. VI. VII.

I. *quàm creatori.* Denique sic habet, *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, vt contumeliis afficiant corpora sua inter semetipsos, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori, qui est Deus benedictus in secula. prohibet itaque me Paulus creaturæ seruire, sed Christo admonet seruiendum, non ergo creatura Christus.* Ergo cùm ex seruitute Deo debita, & ab Apost. ad Rom. 1. explicata, probet Christum non esse creaturam, sed Deum, & illa seruitus apud S. Paulum ad Romanos 1. sit latria: nam pro eo quòd Latina versio habet in prædicta sententia Apostoli particulam illam *seruierunt*, Græcus textus habet ἐλάτρευσαν, id est diuino cultu soli Deo proprio seruierunt, sit vt locus S. Ambrosij intelligatur tantùm de adoratione latriæ.

II. Quòd item S. Ambrosius in posteriori loco accipiat seruitutem pro cultu latriæ patet, tum ex eo quòd ibi probet Spiritum sanctum esse creatorem, præmittendo citatum locum Apostoli ad Rom. 1. & proferendo illud ad Philipp. 3. *Spiritu seruimus Deo*, quod ipse ita citat, *Spiritui Dei seruimus*: tum etiam ex eo quòd ipsemet in confirmatione huius rei profert textum Græcum Apostoli, *Græcos*, inquit, *inspiciat codices, & aduertat, quia scriptum est τῷ πνεύματι τῷ λατρεύοντες, quod interpretatur, qui spiritui Deo seruimus.* Ergo cùm seruiendum dicat spiritui, tanquam creatori, & ex hac seruitute probet Spiritum sanctum esse Deum, Deo autem debeatur seruitus latreutica, & non quæ exprimitur nomine duliæ, tanquam ei soli debita, fit vt pari modo sumat nomen seruitutis pro adoratione latriæ, vt condistinguitur à dulia.

III. Quarta & vltima obiectio. Licèt S. Augustinus libro 10. de Ciuitate Dei cap. 1. & alibi distinguat latriam à dulia, dicat istam soli Deo tribui, hanc verò etiam creaturis rationalibus, non tamen ad mentem Catholicorum, cùm libro 2. contra Faustum cap. 21. dicat, *cultum duliæ* posse reddi hominibus in hac mortali vita degentibus, quo nomine non potest intelligi cultus aliquis *religiosus*, qui non debetur mortalibus, sed ciuilis tantùm.

Respondetur negando, sanctum Augustinum non agnoscere hanc distinctionem ad mentem Catholicorum: nam libro 2. contra Manichæum cap. 21. expresè docet nos colere sanctos Martyres regnantes cum Christo inferiori cultu, quàm sit ipsa latria.

Nec his obstat, quòd ibidem S. August. dicat cultum illum posse etiam aliquibus viuis hominibus impendi: non enim id dicit quasi per hunc cultum intelligat cultum aliquem merè ciuilem, & non religiosum; nam cultum hunc fundat in illorum sanctitate & feruore charitatis, quo parati sunt mori pro Christo: sed cùm sancti homines etiam digni cultu religioso sint in duplici differentia, alij iam consummarint vitam martyrio, alij Christum fuerint confessi parati quidem mori pro Christo, nondum tamen de facto passi martyrium, imò adhuc viuant in terris, quos S. Cyprianus vocat confessores, docet cultum illum religiosum ita vtrisque conferri, vt tamen securiùs à nobis exhibeatur ipsis Sanctis iam vita functis, & gloriæ coronam adeptis, quàm aliis adhuc pugnantibus, & cultum aliquem religiosum etiam tempore primitiuæ Ecclesiæ fuisse exhibitum ipsis Sanctis adhuc viuentibus, patet ex eo quòd apud S. Cyprianum passim legimus lapsos pœnitentes honorasse confessores, & ab iis postulasse, vt intuitu eorum, quæ pro Christo iam erant passi, aliqua pœnitentiæ sibi imposita fieret relaxatio.

Quæres, an quando distinguimus tres illas species adorationis intelligamus tantam esse distinctionem inter duliam & hyperduliam, ac est inter duliam & latriam.

Respondetur negatiuè: nam distinctio latriæ à dulia est propriè & in rigore specifica, item actus illarum procedunt à distinctis specie virtutibus, vt facilè intelligitur ex dictis suprà, distinctio verò hyperduliæ à dulia est tantùm accidentalis, ex S. Thoma secundâ secundæ quæst. 103. art. 4. habent enim idem formale obiectum, sunt ab eadem omnino virtute duliæ, fundamentum illorum est sanctitas creata, quæ in obiecto adorationis hyperduliæ & duliæ differt tantùm secundùm magis & minùs, quod non est sufficiens VI. ad introducendam distinctionem specificam inter aliqua, si tamen spectentur ista non secundùm physicam suam naturam, sed tantùm iuxta moralem hominum æstimationem, possunt distingui specie: nam quemadmodum in Republica ciuili honos Regi vt Regi exhibitus est morali æstimatione alterius omninò rationis ab eo honore qui exhibetur Comiti, vel Baroni, & in ratione dignitatis ciuilis secùdùm moralem æstimationem Regia dignitas est alterius longè rationis & speciei à dignitate Comitis, vel Baronis; ita etiam & in supernaturalibus gratiæ donis dignitas maternitatis Dei in Beatissima Virgine, & dignitas capitis, & id genus alia in Christi Domini humanitate sunt iuxta moralem æstimationem dignitates specie distinctæ à dignitatibus supernaturalibus, quæ reperiuntur in aliis Sanctis, quæque præterea fundant & alium cultum ab ipsa dulia distinctum; & licèt iuxta eandem moralem considerationem dignitas Apostoli vel Martyris sit alia à nuda & simplici dignitate Confessoris etiam cum Christo regnantis; quia tamen cultus duliæ habet aliquam latitudinem, potéstque actus alios aliis maiores pro dignitate personarum exercere, & hæc distinctio etiam moraliter considerata non videtur esse tanta quanta cernitur inter humanitatem Christi Domini, beatissimam Virginem, & cæteros Sanctos, fit vt non sit opus admittere speciem aliquam cultus mediam inter hyperduliam & duliam, quæ sit ipsis Apostolis & Martyribus honorandis & colendis propria. VII.

V.

VIII.

DISPVTATIO II.

De adoratione Christi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm vnâ & eadem adoratione sit adoranda diuinitas Christi, & eius humanitas.

ADORANDVM primò est, nullam moueri difficultatem de Christo vt Deo, quin vt sic adorandus sit latria: cùm enim vt sic propriè & essentialiter habeat excellentiam increatam, diuinam essentiam, & non tantùm dininitas, quæ in illo vt sic includitur, sed & ipsa eius personalitas sit increata, aliquid relatiuum summè & infinitè excellens, & motiuum latriæ;

I. sic excellentia increata, sit vt Christus quatenus A est Deus adoretur per se latria.

Secundò notandum est, nullam etiam hîc moueri difficultatem, quin Christus homo possit adorari latria per communicationem idiomatum; nam attributa naturę diuinę, vel etiam Verbi diuini possunt enunciari de humana natura in concreto, vt suprà explicauimus, & esse dignum adoratione latriæ est proprium diuinæ naturæ, & etiam Verbo diuino competit. Sed difficultas præsens est, an Christus quatenus homo, id est quatenus etiam constat humanitate, adoretur latriâ, eáq; vna & eadem, quâ ipsa eius diuinitas adoratur. Pro cuius maiori explicatione adhuc

Tertiò notandum est, *duplex* distingui *obiectum* adorationis: vnum *motiuum*, alterum *terminatiuum*: Primum est illud quod nos mouet ad præstãdam adorationem. Secundum est quod

II. illam terminat: vt in homine propter sapientiam B honorato, sapientia est obiectum motiuum honoris & cultus illi exhibiti, homo verò ea informatus terminatiuum obiectum: & præterea potest fieri vt vnum & idem *simul sit & obiectum motiuum & terminatiuum*, scilicet quando mouet nos ad exhibendam adorationem, & præterea simul etiam adoratur, vt quando diuina natura adoratur. Vnde in titulo huius difficultatis particula illa, *inquantum homo*, potest bifariam accipi: Primò, itavt significet præcisam & *formalem rationem*, cur Christus homo adoretur latria, seu *obiectum motiuum* talis adorationis esse, quòd sit homo, seu humanitas in Christo existens. Secundò, potest accipi vt significet *subsistens istud*, quod constat Verbo diuino & humanitate, adorari latria, itavt humanitas in isto toto subsistente inclusa, *sit etiam obiectum terminatiuum*, si non *totale*, saltem *partiale*, ad quam sese

III. terminat ista latriæ adoratio: esto, non sit eius ob- C iectum motiuum. Atque in hoc tantùm sensu posteriori excitatur hæc quæstio: cùm enim Christi humanitas sit aliquid creatum, & obiectum motiuum latriæ sit excellentia increata, non potest iuxta priorem sensum Christi Domini *humanitas*, aut *Christus* inquantum *homo* adorari latria.

His ita præsuppositis, prima opinio fuit Nestorij, & eius sectatorum, qui vt duas distinguebant personas in Christo, duas etiam in eo distinguebant adorationes, denegãtes latriæ adorationem humanitati Christi. Atque ad hãc hæresim, quantum spectat ad adorationem, videtur accedere Beza cum nonnullis Caluinistis, si velimus credere Kemnitio: hic enim in sua epistola de cœna Domini contra 3. Apologiam Bezæ, *Adoro Christum non quà homo, sed quà Deus est: non autem adoro humanitatem ipsam deitate, sed λόγῳ adoro carni inseparabiliter & hypostaticè vnitum.* Atque,

IV. vt clariùs ostendat hanc esse Caluinistarum men- D tem, scilicet *humanitati Verbo coniunctæ, denegare adorationem latriæ*, notat alterum ministrũ Caluinianum scripsisse, *Christum adorandum esse in Deo Patre, sed non in assumpta humana carne.* Ne qui in carne Christum adorat, coniunctim creaturæ diuinum honorem tribuat: & fortassis si vergerentur Caluinistæ proferre distinctè suam sententiam hac de re, responderent se latriæ cultum nullo pacto impendere humanitati, cùm latriam quouis modo consideratam velint soli Deo etiam vt *obiecto terminatiuo*, impendi. His tamen non obstantibus, sit hæc

Propositio. *Christus quatenus homo, seu vt subsistens in humanitate, seu humanitas Christi vnita hypostaticè Verbo diuino, debet adorari vna & eadem adoratione latriæ, quâ Christi Domini diuinitas & eius subsistentia diuina adoratur.* Ita S. Thom. hîc articulo 1. & Theologi communiter tam hîc, quàm tertio sententiarum dist. 9.

V. Probatur primò ex sacris Litteris. Matth. 28. dicitur de mulieribus, *Illa autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum*: & Ioann. 20. ait S. Thom. qui anteà fuerat incredulus, *Dominus meus, & Deus meus*: cùm enim actus ille *tentionis*, seu osculi pedum sit externa adoratio interioris significatiua, & illa versetur circa corpus & pedes Christi, certum est eas sic tenentes Christum etiam humanitatem eius adorasse: & hoc significat S. Hier. quando ad prædictum locum S. Matth. sic ait, *Iste accedunt & tenent pedes, quia adorauerunt eum*: nam particula illa causalis, *quia*, denotat fuisse id factum ab illis in signum adorationis: & cùm signa illa exteriora versarentur circa humanitatem Christi Domini, illam fuisse etiam obiectum terminatiuum talis adorationis, & S. Th. ita confessus est Christum esse Deum & hominem, eúmque resurrexisse, vt etiam adoraverit; fuit enim actus insignis cuiusdam fidei, quæ proinde actum adorationis sibi comitem haberet, præsertim cùm Christus esset præsens, & circa eum commisisset S. Thom. peccatum infidelitatis, & actum hunc fuisse etiam versatum circa humanitatem Christi patet, ex eo quòd non tantùm profiteatur illum esse Deum, sed etiam resurrexisse, & ratione resurrectionis habere singulare quoddam dominium, dum dicit, *Dominus meus*, iuxta illud Christi, *Data est mihi potestas in cælo & in terra.*

VI. Probatur item ex Concil. Ephes. cap. 8. desiniente Christum hominem Deum vnicâ adoratione esse adorandum: quod S. Cyrillus explicat clariùs lib. 1. de fide ad Reginas: docet enim *in Christo non esse vnam naturam, quæ adoretur, & alteram quæ non adoretur, sed vtramque simul adorari vnâ adoratione*; itavt adoretur Verbum Domini simul cum carne quam assumpsit. Item ex 5. Synodo generali collatione 8. Can. 9. dicente, *Si quis duas adorationes introducit, & non vnâ adoratione Verbum incarnatum cum propria eius carne adoret, anathema sit.* Addi potest & Concil. Trid. sess. 13. cap. 5. vbi docet Eucharistiæ sacramentum esse adorandum latriâ. itavt species sacramentales simul cum Christo sub illis existente, adorentur latriâ: at longè maior est coniunctio inter Verbum diuinum & humanitatem Christi, quàm inter corpus Christi & species sacramentales; &

VII. omnia Concilia contra Nestorium congregata docent non tantùm vnam numero, eámque Verbi diuini personam esse in Christo, sed etiam vnâ tantùm, & non duabus adorationibus Christum debere adorari.

VIII. Probatur tertiò ex Patribus, S. Athanasio orat. 5. contra Arrianos, *Adoraturi*, inquit, *non seponimus Verbum à carne, scimus enim Verbum carnem factum, quis ergo dixerit, abstine à carne, vt adorem te?* Et statim subiungit ostendens & ipsam carnem Verbi incarnati esse adorandam, *Quomodo corpus Domini non esset adorabile, cùm Verbum manum suam extendens sanauerit febricitantem, vocem humanam edens excitauerit Lazarum, manibus in cruce protensis principem aëris prostrauerit.* S. Ambrosio lib. 3. de Spiritu S. cap. 12. vbi illud Psalmistæ, *Adorate scabellum pedum eius*, explicãs de humanitate Christi, quam adorant Angeli, ait, *Angeli adorant non tantùm diuinitatem Christi, sed*

I. *& scabellum pedum eius, aut si negant quòd in Christo etiam Incarnationis adoranda sint mysteria, in quibus velut vestigia quædà diuinitatis expressa, & vias quasdam Verbi cælestis aduertimus, legat quia & Apostoli adorabant eum carnis gloria resurgentem.* Idem habet & S. Aug. in Psal. 98. dum prædictum versiculum explicat. Item serm. 58. de verbis Domini. S. Leo serm. 1. de Ascens. Domini, & plures alij, quos etiam fusè refert Xantheſius repetitione 9. quæ est de adoratione cap. 3.

Tandem probatur ratione: ad hoc vt totum aliquod adoretur aliquâ adoratione, sufficit quòd in tali toto vt adorato includatur ratio motiua adorãdi, nec est necesse illam existere in omnibus & singulis partibus totius, quod talis adorationis est obiectum terminatiuum: exempli gratiâ, redditur alicui homini honos propter sapientiam quâ pollet, totus ille colitur, & totus est obiectum terminatiuum talis honoris; sapientia tamen, quæ II. est ratio motiua talis honoris, seu *obiectum motiuum*, est tantùm in intellectu hominis: sed quia talis sapientia includitur in toto homine, qui est obiectum terminatiuum, rectè totus homo honoratur: atqui Christus vt homo, seu vt subsistens in humanitate est aliquod totum constans diuinâ naturâ, Verbi subsistentiâ, & naturâ humanâ, & in illo vt sic includitur diuina natura: item Verbi diuini subsistentia, quæ est etiam ratio adorationis latreuticæ, quia est aliquid excellẽs & increatum: igitur Christus vt homo, seu vt subsistens in humanitate, debet etiam adorari latriâ, & proinde eius humanitas debet adorari vnâ & eadem adoratione ac ipsa eius diuinitas.

ARTICVLVS II.

III. *Soluuntur quatuor dubia.*

QVÆRES primò: cùm suprà diuiserimus adorationem in eam quæ est per se, seu absoluta, & eam quæ est per aliud, seu respectiua: Quæres, inquam, quâ adoratione latriæ adoretur Christus, vt subsistens in humanitate. Respondetur, aliter esse loquendum de ipso subsistente in humanitate, & aliter de humanitate in qua subsistit etiam Verbum: nam primùm adoratur adoratione latriæ per se & absolutè, secundum verò sic consideratum adoratione quidem latriæ, sed quæ sit per aliud, seu respectiua.

Prior pars probatur ex dictis: tunc aliquid dicitur adorari per se & absolutè, quando adoratur propter aliquid sibi inexistens: at Christus vt homo, seu hoc subsistens in humanitate, denotando Christum, adoratur latriâ propter Verbum diuinũ intrinsecè & essentialiter inclusum in Christo vt homine, quia Christus homo dicit suppositum, & non aliud quàm ipsius Verbi diuini, sicut & hoc subsistens, denotando Christum, seu Christus vt homo, quatenus dicit quoddam totum adoratur latriâ absolutè & per se. IV.

Posterior pars responsionis probatur, primò ex Patribus docentibus humanitatem Christi adorari latriâ, *propter Verbum diuinum*, cui est vnita hypostaticè: sic S. Athan. orat. 3. contra Arianos, & lib. de Incarnat. Christi: S. Epiphan. in Anchorato: S. Damasus lib. 4. de fide cap. 2. & 3. *Caro*, inquit, *secundùm ipsius naturam inadorabilis est vt creatura, vnita autem Deo Verbo propter ipsum & in ipso adoratur.* Quod idem anteà docuerat exemplo carbonis, quem ob ignem ligno coniunctum tangere pertimescimus, lib. 3. de fi- A de cap. 8. & S. August. citato sermone 58. id exemplo diadematis Regij, & purpuræ Regiæ, quæ, quando Rex est indutus, simul adoratur cum Rege propter sui cõiunctionem ad Regem, vbi verò Rex exuit minimè. *Si hominem*, inquit, *separaueris à Deo, illi ego nunquam credo, nec seruio, velut si quis purpuram vel diadema regale iacens inueniat, nunquam ea concubitur adorare: cùm verò eà Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea cum Rege quis adorare contempserit: ita & in Christo humanitatem non nudam vel solam, sed diuinitati vnitam, vnum Dei Filium, Deum verum, & hominem verum, qui adorare contempserit æternæ mortis pœnam patietur.* V.

Probatur etiam ratione: tum aliquid respectiuâ tantùm adoratione adoratur, quando ratio motiua illi non ineſt, nec ei secundùm se conuenit, sed tamẽ, quia habet ordinem & habitudinem ad illam, adoratur: atqui increata excellentia, quæ est ratio motiua latriæ, non ineſt humanitati Christi, sed tantùm humanitas hæc habet ordinem & habitudinem ad Verbum diuinum, quod est excellẽs & increatum, quatenùs scilicet habet modum illum substantialem; quem *inexistentiam* suprà vocauimus, & illa propter Verbum adoratur latria; neque in hoc cultu committitur idololatria, quia tunc tantùm est idololatria, quando cultus Deo debitus defertur per se creaturæ, & non defertur creaturæ per aliud, seu propter aliud distinctum à creatura, quod est ipsemet Deus, vt contingit in præsenti casu, sicut non violatur cultus Regi debitus, quando vesti Regiæ, provt eâ est indutus, propter personæ Regis reuerentiam etiam exhibetur. VI.

Atque ab hac sententia sic expoſita in re non dissentit Durandus, quando 3. sen. dist. 9. quæst. 2. ait adorationẽ latriæ deberi humanitati Christi Domini tantùm per accidens; nam particula illa *per accidens* ibi nihil aliud significat, quàm obiectum illud, quod dicitur sic adorari, non adorari *per se, propter se*, & *seorsim ab alio*, sed *cum alio*, & *propter aliud*, cum quo habet habitudinem: non autem significat vnionẽ, propter quam humanitas Christi Domini adoratur latriâ, esse tantùm per accidens talem; sicut quando Philosophi dicunt animam per accidens moueri ad motum corporis in quo est, non significant animam esse corpori vnitam vnione tãtùm accidentali: certum enim est apud omnes Philosophos vnionem animæ ad corpus esse substantialem, sed tantùm denotant motum illum *primò*, & *per se* non conuenire animæ, sed corpori, & quia motis nobis mouentur ea quæ sunt in nobis; ex consequenti motum conuenire animæ, quæ est inclusa in corpore. Ne tamen ita loquendo cum Durando videamur insinuare vnionem humanitatis ad Verbum esse tantùm accidentalem, abstinendum est in præsenti materia ab ista loquendi formula, & meliùs videtur explicari diuiſio adorationis per adorationem *per se*, seu *propter se*, & adorationem *per aliud*, seu *cum alio*, quàm per adorationem *per se*, & adorationem *per accidens*. VII. VIII.

C biicies, Concil. Alexandrin. in epist. ad Nestorium, quæ est decima inter epist. S. Cyrilli, quæque fuit approbata à Concil. Ephes. condemnare hanc Nestorij loquendi formulã, *Adoro visibilem propter inuisibilem, adoro hominem, quem induit propter eum qui induit, seu propter eum qui induit, veneror eum qui indutus est.* Ergo pari ratione videtur condemnanda illa propoſitio: *Adoranda est humanitas Christi propter Verbum, quod*

I. *illam induit, seu propter vnionem eius ad Verbum diuinum:* nam videtur vtriusque propositionis eadem esse ratio, & proinde humanitas non videtur adoranda respectiuâ adoratione latriæ.

Respondetur, disparem esse rationem prioris propositionis à posteriori, quæ nostra est, quòd prior significet *duo esse suppositа* realiter à se inuicem distincta, quæ terminent adorationem: *vnum creatum*, quod illam respectiuè tantùm terminet: *alterum increatum*, Verbi scilicet diuini, quod illam terminet absolutè, qui sensus est hæreticus, cùm in Christo vnica tantùm sit personalitas, eáque Verbi diuini. At posterior propositio minimè id significat, sed tantùm duo esse obiecta talis adorationis, quorum vnum, humanitas scilicet, est quidem *terminatiuum*, sed solummodò *respectiuè*: alterum, Verbum scilicet, *motiuum & terminatiuum simul & absolutè*, vnámque tantùm importat adorationem, quæ tamen à duobus illis obiectis diuersimodè terminetur. Prior verò propositio duas adorationes ad mentem Nestorij, contra quem fuit condemnata prædicta illa propositio.

II.

Quæres secundò, an cùm adoratio respectiua fundetur in habitudine humanitatis ad Verbum: an, inquam, pari & æquali modo eius accidentia adorentur, ac Christi Domini humanitas respectiuâ adoratione latriæ.

Respondetur, adorationis actum ferri in totum suum obiectum; & nihilominùs quemadmodum partes totalis obiecti seruant aliquem inter se dignitatis ordinem, & provt maiorem habent habitudinem ad rationem motiuam adorationis, seu ad excellentiam increatam Verbi, sic etiam magis primariò, semper tamen respectiuè, adorari latriâ, quàm adorentur partes aliæ, quæ minorem habent ad illam habitudinem. Cuius responsionis hæc est ratio, quòd vnumquodque est magis tale, provt magis participat rationem talis, sicut vnumquodque est magis album, provt magis participat rationem & formam albedinis: atqui formalis ratio respectiuæ adorationis latreuticæ, respectu eorum, quæ sunt in humanitate Christi, est habitudo illorum ad Verbum diuinum, seu etiam eorum vnio cum Verbo diuino, vt patet ex Patribus citatis, quæ habitudo est maior & propinquior, & immediatior inter humanitatem & Verbum, quàm sit ipsorum accidentium, quæ sunt in Christo, vt patet ex dictis suprà de vnione humanitatis, & partium eius ad subsistentiam Verbi diuini: igitur ipsa Christi Domini humanitas est magis adorabilis latriâ, semper tamen respectiuè, quàm sint accidentia, quæ in illa reperiuntur, quæque habent ordinem & habitudinem ad Verbum.

III.

Quæres tertiò: cùm in Christo non tantùm sit subsistentia Verbi diuini, sed etiam & natura diuina, quia in vno Verbi supposito duæ naturæ diuina & humana sunt coniunctæ, per quam habitudinem humanitas Christi sit primò adorabilis respectiuè, an per habitudinem ad subsistentiam Verbi, an verò per habitudinem ad diuinam essentiam *corporaliter*, vt loquitur Apostolus Christum inhabitãtem. Respondetur, humanitatem Christi esse quidem latriâ respectiuâ adorabilem per habitudinem ad vtrumque: & si attendatur origo istius adorabilitatis in humanitate, humanitatem esse primò adorabilem latriâ per habitudinem, quam habet ad subsistentiam Verbi diuini: secundariò verò per habitudinẽ ad

IV.

A diuinam essentiam: si verò attendatur ratio motiua istius adorationis illam inesse primario diuinæ essentiæ, deinde verò subsistentiæ diuinæ.

V.

Tres sunt partes responsionis. Prima est, humanitatem Christi esse adorabilem per habitudinem ad naturam diuinam, & ad subsistentiam Verbi: quæ probatur, quia vnumquodque tot rationibus est honorabile & adorabile, quot habet respectus & habitudines ad distinctas rationes motiuas adorandi: sed essentia diuina, provt distinguitur à subsistẽtia Verbi, est alia motiua ratio adorãdi, item & subsistẽtia Verbi: Prior est excellentia essentialis increata, posterior personalis excellẽtia Verbi etiam increata, & vtraque est in Christo, cùm in illo non tantùm sit personalitas Verbi, sed etiam & diuina natura: igitur humanitas Christi est adorabilis per habitudinem, & ad subsistentiam Verbi, & ad naturam diuinam.

B

Secunda pars responsionis probatur: qualis est ordo vnionum humanitatis ad subsistentiam Verbi, & ad ipsam diuinitatem in Christo, talis est ordo originis adorabilitatum, seu rationem adorandi humanitatem Christi fundatarum in habitudine vnionis ad subsistentiam Verbi & diuinæ essentiæ: sed vnio humanitatis ad subsistentiam Verbi est prior origine vnione eiusdem humanitatis ad diuinam naturam, quia vnio primò & per se facta est in personalitate Verbi, ad quam consequuta est vnio diuinæ naturæ cum humanitate, vt explicatum est suprà ad quæst. 2. & 3. igitur & adorabilitas, seu ratio adorandi humanitatem Christi per habitudinem ad subsistẽtiam Verbi, est prior origine vnione eiusdem humanitatis per habitudinem ad diuinam essentiam.

VI.

Tertia denique pars eiusdem respons. probatur: quia essentialia sunt priora notionalibus, & hæc ex istis pullulant, vt docent Theologi in. parte: sed increata excellẽtia diuinæ essentiæ est essentialis, propria autem Verbi est personalis, & diuina essentia est radix personalitatum: ergo & quæ sunt in persona primariò & radicaliter sunt in essentia, quàm sint in personis, & ex consequenti excellentia primariò & radicaliter inest ipsi diuinæ essentiæ, deinde verò istis personis diuinis.

C

Quæres quartò, an illa propositio, quã asseruimus Christum vt subsistentem in humanitate, seu humanitatem vt Verbo diuino coniunctam hypostaticè, adorandam esse latriâ, sit de fide. Ratio difficultatis petitur primò ex eo quòd sacræ Scripturæ, quæ illam probant, possunt explicari de Christo homine per communicationem idiomatum, cùm in illis hac mentio Christi *in concreto*, & non eius humanitatis *in abstracto*, quæ consideratio Christi est longè alia ab ea, quã eum consideramus in nostra propositione, vt patet ex notabilibus primi articuli præmissis.

VII.

Secundò petitur difficultas ex eo quòd Concilia & Patres relati suprà docentes Christum hominem debere adorari vnã & eadem adoratione latreutica ac ipsum Christum Deum, seu ipsam eius diuinitatem, loquantur contra Nestor. cuius mens erat diuidere Christum in duas personas, vnicuique illarum suam distinctam tribuere adorationẽ, quod cùm falso & hæretico fundamento niteretur, rectè Patres & Concilia condemnarũt.

D

Hi tamen non obstantibus, respondetur, *propositionem nostram videri de fide*: Ita Vasquez, & nonnulli S. Thomæ Interpretes ad hunc articulum, & probatur primò, quia Scriptura & Patres, dum agunt de adoratione Christi, ita illam explicant, vt apertè significent eam fuisse etiam

VIII.

I. terminatam ad humanitatem eius, vt Matth. 2. cap. Magi adorant Christum etiam secundùm humanitatem, quia iuxta Patres *adorarunt illum iacentem in præsepio*: sic tradunt S. Augustin, serm. 2. de Epiphania Domini: S. Leo serm. item secundo de Epiphania, & canit id Ecclesia in publico officio istius festi. Item Ioann. 9. cap. cùm Christus dixisset cæco, cui visum restituerat, *Credis in Filium Dei?* & cæcus ille respondisset, *Quis est Domine vt credam in eum*, subiunxit Christus. *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est*: quo audito cæcus statim *procidens adorauit eum*. At cæcus ille vidit Christum secundùm humanitatem, Christus ei loquebatur secundùm humanitatem: ergo cùm eum quem oculis corporeis videbat, & cui loquebatur, adoraret, eum etiam secundùm humanitatem adorauit, & hoc testimonium Scripturæ pro nostra conclusione vrget S.

II. Cyrillus lib. 1. de recta fide ad Theodosium. Item cap. 5. Apocalyp. viginti-quatuor seniores adorant Agnum, id est Christum, provt est aliquod subsistens in humanitate, seu secundùm humanitatem: nam eum adorando dicùt ei, *Redemisti nos Deo in sanguine tuo*. & paulò pòst, *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem & diuinitatem*. Et iterùm, *Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum*. In quibus omnibus locis ita distinguitur Christus secundùm humanitatem à Deo, vt humanitas significetur expresè terminare ipsam adorationem seniorum.

Probatur item ex Conciliis & Patribus suprà: nam ibi fundant totam rationem adorandi humanitatem in eo, quòd sit coniuncta Verbo hypostaticè, & præterea ibi non tantùm condemnant fundamentum Nestorij, tanquam hæreticum,

III. sed & eam quam inde deducebat conclusionem, non vnam scilicet, sed duas adorationes, eásque inter se distinctas deberi Christo: & licèt ex citatis suprà Scripturæ testimoniis aliquot possint explicari de Christo-homine per communicationem idiomatum, non tamen omnia, vt patet ex istis loco vltimo citatis: & sanctus Cyrillus primo illo libro citato de recta fide, totus est vt probet nostram sententiam, non autem vt ostendat vnam tantùm esse in Christo personam, vtpote quòd fuerat alibi ab eo fusè explicatum, vt intelligitur ex dictis ad quæstionem secundam, disputatione primâ, articulo quarto & quinto.

Articvlvs III.

Soluuntur obiectiones.

IV. OBIICIES primò, Glossam in illud Psalmi 98. *Adorate scabellum pedum eius*, dicere, *Carnem à Verbo Dei assumptam sine impietate adorari à nobis, sed non illâ adoratione, quæ latria est, quæque soli Creatori debetur.*

Respondetur, Glossam relatam ibi desumptam ex sancto Augustino enarratione in Psalmum 98. circa medium, ad illum versum, *Adorate scabellum pedum eius*, nec ibi, nec apud sanctum Augustinum haberi particulam illam, *sed non illâ adoratione, quæ est latria, quæque soli Creatori debetur*: Imò, si attentè legatur, asserit humanitatem Christi Domini esse adorandam latriâ respectiuâ, ait enim illam esse adorandam, *non quasi illam intueatur qui adorat, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est quod adorat,*

A *propter enim ipsum adorat*: id est, humanitatem illam Christi non esse ita adorandam, quasi propter se adoretur, sed propter Verbum Deum, cuius est scabellum. Et quòd ibi sit sermo de adoratione latreutica patet ex ratione dubitandi, quam huic responsioni præmittit sanctus Augustin. dum sic ait, *Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cælum & terram: rursum timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit, Adorate scabellum pedum eius*: Hæc enim adoratio Dei, quam prohibet Deus exhibere creaturis, est latriæ adoratio absoluta, vt patet ex dictis, & amplius patebit ex dicendis infrà. V.

Secundò obiicies, sanctum Damascenum oratione primâ de imaginibus, vbi loquitur de humanitate Christi per quam redempti sumus, ita dicere, *Materiam verò, per quam mihi salus parta*

B *est, colere non desinam, non tamen vt Deum.* VI.

Respondetur, ibi tantùm negare humanitatem Christi, quam ibi nomine materiæ intelligit sanctus Damascenus, debere coli *absolutâ* adoratione latreuticâ, non autem negare debere coli *respectiuâ*; imò id asserere, quia ibi ait sanctus Damascenus, *se eam colere, non tamen vt Deum*: Atqui Deo, vt Deus est, debetur absoluta latria. Deinde quia subiungit illam esse corpus Dei, & Deum propter diuinitatis atque humanitatis in vna persona coniunctionem, quo innuit se rectè dixisse eam sibi esse colendam, iuxta id quod diximus dubio primo articuli secundi.

Tertiò obiicies: quidquid adoratur latriâ est Deus: atqui humanitas Christi etiam vt vnita Verbo non est Deus, seu Christus quatenus homo non est Deus: ergo vt sic non debet adorari latria.

C Respondetur, illud tantùm probare humanitatem Verbo diuino vnitam, non esse *latriâ absolutâ* adorandam, cùm non sit Deus, non tamen probare eam *respectiuâ* etiam latriâ non esse adorandam, licèt sit suppositò & personalitate Deus, quod nos tantùm intendimus. VII.

Articvlvs IV.

Vtrùm humanitas Christi, secluso omni eius ordine ad suppositum Verbi diuini, adoranda sit adoratione latriæ.

NOTANDVM primò est, humanitatem Christi D. posse tribus modis considerari in ordine ad adorationem: Primò, quatenùs *apprehenditur vt coniuncta Verbo diuino* hypostaticè, & vt sic apprehensa adoratur. Secundò, VIII.
quatenùs *apprehenditur separata & derelicta à Verbo diuino*; sicque adoratur. Et hoc adhuc dupliciter: Primò, cum *aliquo ordine & habitudine* ad suppositum Verbi, cui in tali hypothesi *supponitur fuisse vnita*; nec tamen ampliùs vniri de facto. Deinde, secluso omni ordine ad suppositum Verbi diuini, illam tamen considerando, quatenùs multa per illam sumus consequuti gratiæ & redemptionis beneficia. Tertiò, potest considerari humanitas Christi, vt *ornata habituali gratiâ*, & cæteris gratiæ donis, præscindendo per intellectum, quòd sit vnita Verbo hypostaticè, seu non considerando etiam implicitè, quòd sit vnita hypostaticè Verbo diuino, quo pacto considerata habet eximiam aliquam creatam excellentiam.

I. Notandum secundò, adorationem posse duobus modis considerari, nimirùm *practicè*, seu moraliter, & *speculatiuè*, seu metaphysicè; adoratio tunc consideratur *practicè*, seu moraliter, quando consideratur secundùm eum modum, *quo debet exerceri in praxi*, etiam secundùm decentiam ad vitandum periculum & scandalum: tunc verò *speculatiuè* & metaphysicè, quâdo consideratur *secundum præcisam suam rationem*; scilicet quatenus est actus submissionis propter excellentiam, quæ aliquo modo conuenit rei adoratæ, non considerando quòd tali actui possit communiter subesse periculum, scandalum, vel etiam aliqua indecentia, iuxta moralem hominum æstimationem, licèt actus ille secundùm se & præcisè spectatus non sit malus. Articulis præcedentibus considerauimus humanitatem Christi Domini iuxta priorem modum primi notabilis: nam quod spectat ad illam humanitatis Christi Domini cõsiderationem, quâ spectatur secundùm gratiam vnionis, eadem est omninò ratio ac illius, vt ibi fuit considerata: cùm enim gratia vnionis non possit apprehendi sine ordine ad Verbum diuinum, imò sine Verbo diuino, vt terminante humanitatem, & vt sic dicat habitudinem ad excellentiam increatam, sit vt humanitas Christi Domini sic apprehensa semper sit adoranda respectiuâ adoratione latriæ.

II. Hoc autem præsenti articulo illam consideramus duobus modis posterioribus explicatis in secundo notabili; nam si spectetur primò, eadem omninò est difficultas ac de veneratione & cultu Reliquiarum, & quod dicetur infrà de illis, erit etiam, seruatâ tamen proportione, dicendum de adoratione & cultu humanitatis derelictæ, & sic consideratæ.

III. Quod igitur spectat ad illa primò ex prædictis duobus modis considerata, Vviclefus apud Valdensem lib. 1. Doctrinalis fidei cap. 44. art. 3. existimauit humanitatem sic spectatam debere adorari latriâ.

Verùm refellitur hæc hæresis: Primò ex sancto Augustin. serm. 58. dicente, *Si hominem* (seu humanitatem, vsurpat enim *concretum* pro *abstracto*) *separaueris à Deo, neque illi credo, neque illi seruio.* Quo loci verbum illud *seruio* sumitur pro vt significat singularem illam seruitutem, quam soli Deo debemus, quámque nomine *latriæ* diximus explicari in sacris Litteris & Patribus. Deinde humanitas Christi Domini hoc modo spectata est pura creatura, nec habet ordinem & habitudinem ad excellentiam aliquam increatam, sed tantùm consideratur in ordine ad beneficium nobis collatum, quod formaliter est aliquid creatum: ergo ei vt sic non debetur latria.

IV. Antecedens patet: quia humanitas sic spectata existimatur esse in eodem ordine & gradu dignitatis, ac esset purus aliquis homo in gratia quidem constitutus, sed non homo-Deus, qui ex misericordia & acceptatione Dei nos redemisset: at in tali casu purus ille homo non esset adorandus latriâ absolutâ, quia esset pura creatura: nec item respectiua, quia sic consideratus non haberet habitudinem ad Deum, quæ sufficienter fundaret talem adorationem, cùm eum tantùm respiceret, vel ratione gratiæ sanctificãtis, quam ab illo tunc haberet, vel gratiæ capitis, in qua tunc esset constitutus, redimẽdo aliquos homines, vel tanquam personam offensam, cui tamen satisfaceret pro reliquis hominibus. Neutra priorum duarum habitudinum, cùm fundetur in bono creato & creata excellentia, est sufficiens ad fundandum cultum latriæ etiam respectiuæ. Neque etiam tertia, quia pari iure omnes iusti tam homines, quàm Angeli possent adorari latriâ, ob actus meritorios fidei & charitatis, quos propter bonum proximi exercuerunt, quia tales actus etiam habent Deum pro obiecto, & tamen nemo dixerit Angelos vel homines esse adorandos latriâ.

V. Confirmatur hæc ratio: quia si per hypothesim Deus in creando homine fuit vsus aliquo Angelo, tanquam causa instrumentali, tali Angelo propter beneficium creationis non deberetur adoratio latriæ, sed soli Deo, vt causæ principali independenti, à qua tunc Angelus dependeret in creando: ergo cùm humanitas in reparando homine fuerit instrumentum Verbi, & sic consideratæ, separatæ tamen à Verbo non poterit tribui cultus latriæ.

VI. Obiicit Vviclefus, quòd non simus minùs debitores Christo propter beneficium redemptionis, quàm simus Deo propter beneficium creationis; imò in ratione beneficij ipsa redemptio videtur esse aliquod maius beneficium, quàm sit creatio, quia per hanc accepimus tantùm esse naturale: per illam esse supernaturale & aditum ad vitam æternam: ergo quemadmodum adoramus Deum latria, quia nos creauit; ita & nos debemus adorare latriâ Christi Domini humanitatem, quia nos redemit.

Respondetur hoc non vrgere: nam ex dictis suprà ad quæst. 1. & quæst. 19. de dignitate actionũ Christi Domini, infinitas fuit factionis Christi, & efficacia ad nos redimendum, fundatur in infinita dignitate Verbi hypostaticè sustentantis humanitatem, & humanitas censetur tantùm causa quædam instrumentalis: at in hypothesi præsentis difficultatis humanitas apprehenditur separata à Verbo illam dignificante infinitè, & conferente talem efficaciam, & ideò tunc non poterit amplius honorari cultu latriæ.

VII. Nec quoad hoc est par ratio beneficij redemptionis nostræ per humanitatem instrumentaliter causatæ, ac beneficij creationis; nam creatio arguit excellentiam increatam absolutam in Deo creante ex nihilo, cùm ab eo tam in conseruari, quàm in esse res omnis creata dependeat: at redemptio per humanitatem, sublatâ eius habitudine ad Verbum, cuius est instrumentum, nullam habet increatam excellentiam respectiuam, quare cùm in præsenti difficultate humanitas Christi Domini sic consideretur, tunc non poterit adorari latriâ.

VIII.

ARTICVLVS V.

Vtrùm humanitas Christi vnita quidem Verbo, sit capax adorationis, non tamen sic apprehensa.

QVOD spectat ad secundum modum considerandi humanitatem Christi, de quo egimus in secundo notabili articuli præcedentis,

Prima sententia est: eam vt sic nullo pacto posse, nec debere adorari siue practicè, siue speculatiuè: quæ sententia est Vasquesij hîc disput. 106. cap. 4. & sequentibus; licèt enim 4. illo capite in sua conclusione tantùm dicat illam sic consideratam non posse decenter adorari: nihilominùs inter probandum ita vrget, vt censeat contrarium

I. esse damnatam à Concilio, & sublato etiam periculo de scandalo non potest etiam sic adorari.

Videtur tamen melior esse sententia contraria cum qua concludimus, *Humanitatem Christi D. vnitam quidem Verbo, non tamen sic apprehensam, sed tantùm secundùm alia dona supernaturalia gratia esse capacem alicuius adorationis*, hyperduliæ scilicet, seu quod in idem recidit, humanitatem sic apprehensam posse speculativè loquendo adorari aliquo cultu, qui sit ipferior latria. Ita sanctus Thomas art. 2. in resp. ad primum: ibi enim non tantùm ait, *duplici titulo* adorationem deferri humanitati, *vno diuinitatis* sibi vnitæ, *altero gratiæ* sibi inexistentis, sicut dixerat ibi in corpore articuli; sed prætereà in solutione 1. argumenti ponit casum nostræ quæstionis fundatum in authoritate S. Damasi quam refert, & respondet *humanitati sic apprehensæ deberi adorationem singularis duliæ, quam hyperduliam vocant*: Vnde non II. B tantùm ibi distinguit nouum aliquem titulum adorationis distinctum à titulo fundato in diuinitate Verbi, & vnione hypostatica, sed etiam distinguit nouum obiectum adorabile *motiuum simul & terminatiuum*. Eandem partem etiam sequuntur Gandauensis quodlib. 10. quæst. 6. Palud. 3. sent. dist. 9. quæst. 2. Almainus ibid. quæst. 1. conclusione 2. Suarez hîc, vbi etiam pro ea multos authores refert.

Probatur primò authoritate S. Damasi lib. 4. de fide cap. 3. relata à S. Thoma suprà, & ab eodem explicata, vbi loquens de Christi Domini humanitate, sic ait, *Si subtili quadam cogitatione*, id est per mentis operationem, *id quod in oculos incurrit*, id est ipsa Christi humanitas, *ab eo quod animo tantùm & ratione intelligitur*, scilicet à diuinitate & Verbo Dei cui vnitur, *distinxeris, haud* III. C *quaquam adoranda est*, scilicet adoratione latriæ, sed hyperduliæ, vt explicat hîc S. Thomas.

Probatur etiam ratione humanitas Christi Domini, vt sic potest apprehendi à nobis, vt docet experientia, & sine aliqua falsitate, quia abstrahentium nullum est mendacium, & provt subest tali abstractioni habet aliquam excellentiam ordinis supernaturalis, & inter creatas maximam, quia in nulla creatura datur maior: ergo vt sic est digna aliquâ adoratione, non latriæ, quia in ea vt sic apprehensa nihil includitur, nisi merè creatum: neque item dulîâ communi Sanctis, quia est excellentia superior, & humanitati singularis: ergo etiam debet esse cultus aliquis superior dulîa: ergo hyperdulia.

Ad hoc argumentum respondent primò aliqui posse quidem humanitatem Christi apprehendi per abstractionem intellectus cum creata IV. D eiusmodi excellentia, non cogitando quòd sit vnita Verbo, non posse tamen tunc propter talem excellentiam adorari, disparem esse rationem adorationis & abstractionis, quòd hæc tantùm importet considerationem vnius, non considerando aliud cui coniungitur, quod rectè & sine mendacio potest fieri, illa verò importet exhibitionem notæ alicuius, quâ significat adorantem se submittere alteri, ob excellentiam quam in illo agnoscit, talem autem recognitionem debere esse non cuiuscunque excellentiæ, & cuiuscunque gradus, sed tantæ quanta est de facto in illo, quia attendendo solùm ad minorem excellentiam, relictâ maiori, fit contra reuerentiam ei debitam, quæ postulat vt res adoretur propter summam excellentiam, quam habet; nam qui adorat propter minorem dignitatem, relictâ maiori, A quæ tamen de facto inest, significat rem illam non esse maiori honore dignam, quod tamen est falsum, & rei adoratæ iniuriosum: igitur cùm adoratio non possit reddi cum iniuria rei adoratæ, non poterit Christi Domini humanitas, sic apprehensa adorari hyperduliâ. V.

Secundò respondent alij adorationem terminari ad rem *vt subsistentem*: at in præsenti hypothesi humanitatem non apprehendi *vt subsistentem*, quia ad hoc debet apprehendi coniuncta Verbo hypostaticè, à quo habet vt subsistat.

Addunt alij tertiò, adorationem terminari *ad rem, vt ad minùs existentem*: at Christi Domini humanitatem non posse apprehendi *existentem* sine Verbo, cùm ab illo suam etiam accipiat existentiam. Sed solutiones istæ non infirmant nostram rationem: non prima, est enim fictitia distinctio illa abstractionis ab adoratione, nam ad hoc vt aliqua adoratio in ratione adorationis sit VI. vera, satis est quòd respondeat apprehensioni, & quòd excellentia per intellectum apprehensa insit rei adoratæ: ergo quemadmodum apprehensio humanitatis Christi, secundùm excellentiam & dignitatem creatam, non apprehensâ vnione eius ad Verbum, est vera & legitima: ita etiam & affectus voluntatis erga humanitatem, ob talem excellentiam, & item nota submissionis ei exhibita, erit vera & legitima in ratione adorationis.

Probatur consequentia. Ad veram & legitimam rei alicuius adorationem ex parte voluntatis, & actus, seu signi exterioris, sufficit quòd sit affectus à voluntate elicitus, quo efficaciter sese submittit rei adoratæ, ob excellentiam quæ verè ei inest: non autem additur in definitione adorationis hæc particula, *summe & maximè excellentiæ, quæ inest rei adoratæ*, vel, *tantæ excellentiæ, quanta de facto*, secundùm omnem considerationem, *inest obiecto adorato*, sed purè & simpliciter *excellentiæ*: ergo cùm hæc dignitas humanitatis sic apprehensæ, quæ est motiuum adorationis hyperduliæ, verè & propriè sit excellentia, esto non sit tota, quæ reperitur de facto in humanitate, non desinet fundare legitimam & veram adorationem, & propter illam verè & legitimè adorari humanitas. VII.

Confirmatur: si humanitas Christi cum donis etiam supernaturalibus, quæ non includunt vnionem hypostaticam, vel non dicunt necessariam habitudinem ad illam, conseruaretur à Deo sine vllo supposito, tam alieno, quàm proprio, sic ornata donis supernaturalibus esset adorabilis, quia reperiretur motiuum sufficiens: ergo cùm hæc humanitas, item dona eius supernaturalia nihil deperdant suæ perfectionis & dignitatis ex VIII. coniunctione sui ad Verbum, dum remanent in humanitate Verbo vnita etiam dabunt ei posse adorari iuxta suam perfectionem ita præcisè consideratam.

Nec est quòd authores prioris sententiæ dicant posse quidem sepositam à Verbo adorari ob istas excellentias; coniunctam verò minimè, quia *minor excellentia, qua tunc ei aduenit, respuit hanc minorem, & maiorem postulat, ne sibi fiat iniuria.* Non est, inquam, quòd quis hoc dicat; nam primò expressè docet Vasquesius hîc disput. 94. cap. 3. adorationē deferri Deo non provt est in se, sed provt est in nostra consideratione: vnde colligit, licèt sit idem Deus, qui est potens, verus & liberalis, tamen alio modo consideramus eum, vt supremum Dominum, alio vt potentem & libera-

I. lem, alio vt veracem: ideò nos alio cultu latriæ eum colere vt supremum Dominum *per sacrificium*, alio vt liberalem & potentem per *orationem*, & ita de cæteris. Arqui licèt humanitas informata istis supernaturalibus perfectionibus sit de facto vnita Verbo hypostaticè, non tamen apprehenditur vt vnita, sed tantùm vt ornata istis donis supernaturalibus, quæ dicunt excellentiam sufficientem ad fundandum aliquam rationem adorabilitatis: igitur humanitas sic apprehensa potest adorari.

Deinde maior est coniunctio diuinarú proprietatum personalium in essentia diuina, quàm sit humanitatis & diuinitatis inter se in Christo, vel in persona Verbi, quia proprietates personales diuinæ non tam vniuntur inter se in diuina essentia, quàm identificentur, vt docent Theologi 1. parte. Diuinitas verò & humanitas in Christo semper seruant distinctionem realem inter se, & II. si personales proprietates diuinæ conferantur in perfectione cum diuina essentia, quatenus aliquo modo cõdistinguuntur ab illa, sunt aliquid minùs perfectũ, quàm sit diuina essentia, quia hæc non tãtùm dicit perfectionem simpliciter simplicem, sed etiam habet in se omnes perfectiones simpliciter simplices: personales autem proprietates diuinæ sunt tantùm perfectiones simplices, nec includũt omnes perfectiones, vt docent iidẽ Theologi 1. parte: & nihilominùs diuinæ proprietates personales vt sic sunt adorabiles. Item diuina essentia, nam in præfatione de sanctissima Trinitate canit Ecclesia, *Vt in confessione veræ sempiternæque deitatis & in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas.* Ergo à pari, licèt de facto humanitas, vt ornata perfectionibus supernaturalibus, sit vnita Verbo propter excellentiam longè maiorẽ, non desinet esse III. adorabilis, propter specialẽ suam excellentiam.

Dices, disparem esse rationem, quia diuina essentia & proprietates personales ita adorantur, vt vnâ & eadem adoratione colantur, non autem proprietates personales diuinæ sine essentia diuina: at in nostra sententia ita adoratur humanitas, vt tunc etiam simul non adoretur Verbum diuinum. Sed facilè id refellitur, nam ex ratione superiùs allata, quæque probatur ex Vasquesio, possumus adorare essentiã diuinam sine proprietatibus personalibus: item proprietates diuinas personales, sine essentia, quia adoratio defertur obiecto, provt subest nostræ cõsideration; & cùm proprietates personales diuinę non sint de conceptu diuinæ essentiæ, nec econtrà essentia diuina de conceptu proprietatum personalium, vt docet melior Theolog. sent. 1. parte qu. 8. art. 2. intellectus poterit per abstractionem considerare essentiam sine proprietatibus personalibus, vel econtrà, & ita seorsim adorare. IV.

Confirmatur: potest oratio ad vnam tantùm ex personis diuinis dirigi, vt patet ex praxi Ecclesiæ in suis orationibus, seu Collectis: igitur etiam adoratio poterit terminari ad vnam tantùm personam, quia non videtur esse maior ratio in vno, quàm in alio: igitur cùm aliqua sit proprietas in vna persona, quæ non est in alia, poterit etiam vna persona adorari sine alia.

Neque etiam duo illa quæ prima solutio asserit vera sunt: non primum, scilicet *Adorationem dicere recognitionem tantæ excellentiæ, quanta est in re adorata, & attendere ad minorem excellentiam, relictâ maiore, esse irrogare iniuriam rei adoratæ*: hoc, inquam, vtrumque non est verum. Primum A quidem ex ratione etiam desumpta superiùs ex Vasqu. quâ adoratio dicitur esse propter excellentiam rei, provt illa subest nostræ considerationi: non autem dicitur *totius excellentiæ*, vel tantæ quanta de facto reperitur in ipsa re, sed adoratio abstrahit à tanta & non tanta excellentia. V.

Secundum item est falsum, quia talis iniuria irrogaretur vel peccato aliquo omissionis, vel peccato cõmissionis: non primo, quia tunc illud tantùm committitur quando omittit quis quod tenetur facere: at quòd tũc teneatur elicere actum adorationis, vel circa diuinitatem Verbi, vel ex motiuo vnionis hypostatiẽ, etiam dum elicit actum cultus circa humanitatem, nullibi est præceptũ. Quod enim spectat ad Canones suprà citatos, id non prohibent, iuxta modum in nostra assertione positum, vt patebit infrà. Et hoc satis intelligitur ex eo, quòd ita loquãtur de vna adoB ratione, vt nihilominùs Verbum diuinum possit quidem nunc adorari à nobis, non adorată carne VI. Christi, vt etiam expresè notat Vasqu. cit. disput. cap. 7. & præceptum illud naturale, quo interdum faciendo vnum iubemur & alterum facere, tunc tantùm habet locum, quãdo secundum aliquâ ratione includitur in primo, vel quando vnum eorum secũdùm rationem quâ sit dependet ab altero: exempli causâ, dum volumus orare, tenemur ex præcepto naturali adhibere attentionem, quia hæc ad illam requiritur, imò in illa includitur. At adoratio Verbi diuini non includitur in adoratione humanitatis, vt à nobis considerata, nec eius excellentia tam secundùm se, quàm vt subest tunc nostræ considerationi. Nec item in sua ratione siue motiua, siue terminatiua dependet à Verbo, quia non cogitando de Verbo humanitas ita ornata, & à nobis apprehensa, C non desinit excitare nos ad sui cultum, cũmque VII. terminare. Nec item tunc irrogatur Verbo diuino iniuria peccato aliquo commissionis, quia actus qui tunc exercetur est ex suo obiecto bonus, nec habet malam aliquam circunstantiam, vt cuilibet consideranti patet, nec caret aliqua sibi necessaria; nam si quã careret, hac maximè scilicet quòd tunc non adoret Verbum: at actus iste, seu adoratio Verbi tunc non est necessaria, & carentia talis adorationis terminatæ ad Verbum, tunc non est propriè priuatio quædam honoris Verbo debiti, sed ad summum mera quædam eius negatio, quæ quando non est præceptum, vt hîc contingit, nullum est peccatum.

Nec denique dici potest, tunc Verbum diuinum vnitum videri contemni & minùs æstimari, vt potest contingere inter homines, dum similes actus exercent ex motiuo minùs nobili, relicto D obiecto motiuo magis nobili; nam talis æstima- VIII. tio contemptus esset, vel Dei iudicantis se tunc cõtemni, vel hominum: non Dei, quia Deus non iudicat aliter de rebus, quàm sint à parte rei, & de facto quia adorat humanitatem Christi, nullo modo intendit Deum contemnere, sed actum honestum exercere, & ad summum sibi temperare ab aliquo opere exercendo, non tamen præcepto, quod ex se nõ est malum. Nec item talis æstimatio contemptus est hominum, quia homines tantùm iudicant de exterioribus: actus autem exteriores adorationis ex se sunt indifferẽtes, & tantæ vel tantæ reuerentiæ, ex intentione & affectu honorãtis, qui non potest venire in notitiam hominũ, nisi provt ipse voluerit. Deinde potest homo solus in aliquo loco, vbi nullus alius aderit, exhibere humanitati Christi D. hûc adorationis

I. actum, & sic etiam iuxta hominũ æstimationem ibi nõ poterit interuenire cõtemptus aliquis Verbi diuini, nec ex tali adoratione oriri scandalum.

Secunda item solutio, quæ dicebat humanitatẽ Christi non posse vt sic adorari, quia caret supposito, refellitur etiam ex dictis suprà de diuina essentia, quæ apprehensa sine personis est etiam adorabilis, quemadmodũ expresè docet Cabrera hîc, qui tamen sequitur sententiam nostræ contrariam: item refellitur ex dictis suprà de humanitate Christi relicta à Verbo, & cum suis ornamentis supernaturalibus, sine vllo supposito, tam proprio, quàm alieno conseruata. Faciliùs etiam reiicitur tertia solutio, nam suprà docuimus humanitatem Christi Domini existere propriâ suâ existentiâ, secundùm quam apprehenditur in hac nostra præsenti assertione.

II. ARTICVLVS VI.

Vtrùm humanitas Christi Domini nudè apprehensa decenter adoretur.

SIT hæc nostra propositio. *Humanitas Christi Domini vnita Verbo, non tamen sic apprehensa, sed nudè tantùm, non adoratur decenter, sed est publicè adoranda simul cum Verbo.* Probatur. vt aliquis honoretur decenter suę conditioni & dignitati, si pluribus titulis sit honorabilis, debet nihilominùs titulo magis honorifico potiùs affici, quàm minùs digno: verbi gratiâ, licèt Rex sit etiã Comes & Dux, attamen dum eum colimus, non eum honoramus solo titulo, vel Comitis, vel Ducis, quia tituli isti sunt inferiores, sed titulo Regis, qui in eo est supremus: atqui Christi Domini humanitas est adorabilis titulo vnionis hypostaticæ ad Verbum, & item titulo gratiæ sanctificantis & III. aliorum donorum supernaturalium, quæ non habẽt intrinsecã habitudinem ad Verbũ, vt patet ex dictis: & ex istis duobus titulis, prior est nobilior, quia fundat cultum latriæ: posterior minùs nobilis, quia tantùm fundat cultum hyperduliæ: igitur vt humanitas Christi Domini decẽter adoretur, debet adorari cultu latriæ, & simul cum Verbo. Deinde in adoratione decenter facienda videndum est, ne demus etiam pusillis occasionẽ scandali, vel erroris, quia *mandauit vnicuique Deus de proximo suo suo, & væ homini per quem venit scandalum.* Atqui potest contingere vt adorãs humanitatem Christi modo prædicto animaduertatur ab aliquibus, & putetur æstimare Christum puram tantùm creaturã hoc tantùm honore hyperduliæ dignam, & inde sumat occasionem honorandi Christum hoc solo cultu; & licèt qui adorant iuxta modum hûc benè nouerint distinguere motiuus istius rationes adorãdi humanitatem IV. Christi, quia tamen illi pauci sunt, & plures ignorant eas, longè *tutius* est & *decentius* semper adorare humanitatẽ Christi latriâ. Tandem optima methodus adorandæ humanitatis Christi est quã obseruat vniuersalis Ecclesia: at Ecclesia in adoranda humanitate nunquã eam separat à Verbo, sed quemadmodum licèt humanitas Christi oret pro nobis in cælo, vt suprà ostẽdimus, vsus tamen Ecclesiæ inualuit, vt nunquam dicamus, *Christe ora pro nobis*, sed semper dicamus, *Christe miserere nobis*, ne videamur significare Christum etiam secundùm suppositum esse inferiorem Patre: ita etiam ne videamur vel minùs æstimare Christum, vel illum quasi in duo supposita diuidere, conuenientius est adorare Verbum latriâ cum sua humanitate.

A Quæres, quæ specie adorationis esset adoranda Christi Domini humanitas, si derelicta esset à Verbo; & nihilominùs prædictæ gratiæ ornamenta retineret. Respondeo, si apprehenderetur tantùm iuxta modum explicatum in nostra propositione, tunc fore adorandam hyperduliâ, ob rationes allatas pro nostra conclusione præcedentis articuli, quia tunc eadem esset omninò eius ratio ac nunc est, iuxta considerationem nostræ propositionis, cùm in vtroque casu apprehendatur sine ordine ad Verbum diuinum, & cum eadem omninò excellentia. V.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur obiectiones contra hos duos præcedentes articulos.

B OBIICIES primò, Canones, Concilia, & Patres relatos art. 1. huius disput. diserte condemnare anathemate eos qui introducunt duas adorationes: sic Concil. V. Constantinop. collat. 8. Can. 9. Quòd si respondeas ibi damnari duas adorationes ad sensum Nestorij admittentis duo suppositа in Christo D. contra ita ibi damnatur Nestorius, vt tamen condemnentur etiam qui diuidebant Christũ adoratione, & cit. illo Can. per *assumptum hominem*, intelligitur non persona hominis, sed humanitas; nam ita habet Canon ille, *Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducit, separatim Deo Verbo, & separatim homini, anathema sit*: vbi cùm post illa verba, *in duabus naturis*, dicat *separatim Deo Verbo, separatim homini*, satis indicat se in posteriori illa parte accipere *hominem* pro *humanitate, concretum* pro *abstracto*. VI.

C Confirmatur amplùs ex eo quòd ibi damnat Concilium, modum adorandi Christum duabus adorationibus: ergo etiam negat in Christo esse duo obiecta adorabilia: ergo ex consequenti negat humanitatem Christi Verbo diuino vnitam, apprehensam tamen sine tali vnione posse ob alia dona supernaturalia, quæ in se complectitur, adorari. Respondetur, Concilia tantùm damnare duas adorationes Christi ad sensum Nestorij, & aliorum hæreticorum impugnantium mysterium Incarnationis, vt patet ex tota octaua collatione quintæ Synodi generalis, cùm, vt iam obseruauimus ex Vasquesio, non condemnet eos qui vnã adoratione latriæ honorant Verbum diuinum, non considerando eius humanitatem: & quòd hæc sit mens Conciliorum satis intelligitur ex cit. illo Can. 9. quintæ Synodi, vbi non damnat duas adorationes duabus naturis Christi exhibitas, spectatis illis naturis secundùm proprias VII. excellentias, sed quatenùs ista rum adorationum vna tribuitur separatim Deo Verbo, & altera separatim homini, id est, vna personæ Verbi, quatenùs constat diuinitate & subsistentiâ Verbi, altera humanitati, quatenùs etiam constat proprio suo supposito; hunc enim sensum indicat particula illa, *ex quo*, in illo Canone: significat enim non purè & simpliciter, sed eo sensu damnari ibi introductionem duarum adorationum, quo vna tribuitur Deo Verbo, & altera separatim homini: & quòd Concilium vsurpet ibi hanc particulam, *homo*, in vera sua significatione, provt est *concretum*, patet ex eo quòd ibi sumatur eodem modo, quo particula illa, *Deus Verbum*: at Deus Verbum ibi non sumitur pro diuinitate *in abstracto*, sed pro *concreto*, constante diuinitate, & personalitate Verbi. VIII.

I. Patet etiam Vasquesium citata disput. cap. 5. malè colligere in citato Can. 9. per *assumptum hominem*, non intelligi humanitatem cum proprio supposito, ex eo quòd in aliis anathematismis eòdemnet varios loquendi modos Nestorij: ideóque vt nonus Canon sit distinctus à 10. & 11. oportere vt per *assumptum hominem* intelligatur *humanitas in abstracto*. Ex hac, inquam, nostra responsione intelligitur eum id malè colligere: nam in dicto illo Canone nono, non tam damnatur modus loquendi Nestorij, quàm modus adorandi ab eo introductus, vt etiam indicant verba subsequentia, quibus breuiter perstringit aliquot hæreses circa mysterium Incarnationis, & illis damnatis definit Christum vna tantùm adoratione esse adorandum cum propria sua carne: & aliud damnari in hoc nono Canone, & aliud in 10. & 11. patet: in nono damnatur modus

II. adorandi Christũ, qui significat duo esse in Christo suppositа, in 10. & 11. damnantur qui negant Christum, qui crucifixus est in carne, esse verum Deum, & vnum de Trinitate; & 11. etiam damnantur qui Arrium, Nestorium, & alios quamplures ibi enumeratos hæreticos non condemnant: & quoniam particula, *alter*, denotat *suppositum, & alter cum altero, seu alterum cum altero*, significat distinctionem suppositorum inter duo, sit vt in epistola 10. S. Cyrilli superiùs citata, & anathematismo 8. damnentur qui dixerint *Assumptum hominem vna cum Deo adorandum, & glorificandum, & Deum tanquam alterum, cum altero appellandum censuerint*, ex hac eadem nostra responsione patet solutio ad confirmationem prædicti primi argumenti.

Secundo obiicies, Patres dicere adorationem deberi Christo *ratione sessionis, qua sedet ad dexteram Patris*, Christum autem vnam tantùm

III. habere sessionem, non duas, seu non vnam humanitatis suæ, & alteram diuinitatis: ergo nec ratione suæ humanitatis debet habere aliquam specialem adorationem: sic sanctus Chrysostomus sermone de Ascensione, sanctus Cyrillus Alexandrinus libro Apologetico pro duodecim capitibus capite 26. sanctus Leo sermone primo de Ascensione: sanctus Damascenus libro 4. de fide capite 2. item ex iisdem & aliis Patribus, qui dum loquuntur de adoratione, quam Christo exhibemus, aiunt nos non diuidere Christum, quasi aliam eius humanitati, & aliam eius diuinitati tribuamus adorationem; sic sanctus Athanasius epistolâ ad Adelphium contra Arrianos ferè in principio: sic sanctus Ambrosius libro de

IV. sacramento Dominicæ Incarnationis capite 7. sic sanctus Augustinus in Psalmum 9. explicans illud, *Adorate scabellum pedum eius*, ait enim, *Et cùm adoras eum*, scilicet Christum, *ne cogitatione remaneas in carne, & à spiritu non viuificeris*: at qui apprehendit humanitatem Christi Domini siue vnione ad Verbum, manet cogitatione in carne, cùm ibi nullo pacto tendat ad diuinitatem Christi: ergo vt sic non potest eam adorare.

Respondetur, ex sancto Thoma quæstione 58. art. 3. nomine *sessionis Christi ad dexteram Patris*, plura significari, quæ ibi recenset, & vtrum eorum significare *peculiarem dignitatem ratione vnionis hypostaticæ* conuenientem Christo vt homini, ratione cuius etiam humanitas eo adoratur eadem adoratione latriæ, qua Deus adoratur: quæ tamen respectu humanitatis est tantùm *respectiua*, vt docuimus art. 2. quo solummodo

A Patres citati explicant *vnam sessionem Christi, vnam glorificationem, & vnam adorationem*, quod etiam clariùs facit S. Damasc. lib. 4. de fide cap. 2. Vnde tunc Patres illi tritum loquuntur ad sensum doctrinæ, quem tradidimus art. 2. quo modo rectè dicunt Christum vna sessione sedere ad Patris dexteram, vna item tantùm adoratione esse colendum, non tamen Patres relati negant per *sessionem Christi ad dexteram Dei*, significari etiam alias dignitates & excellentias humanitati Christi proprias, non habentes ordinem necessarium ad vnionem hypostaticam, exempli gratiâ, beatitudinem æternam animæ Christi, potestatem eius regalem & iudiciariam, imò sic expressè aliquando explicant illam, vt S. Aug. lib. de fide & Symbolo cap. 7. cap. 7. de Symbolo ad Catechumenos, S. Chrysost. homil. 1. de Symbolo, & satis conformiter ad frequentiorem modum loquendi Scripturæ, quo nunc *Beatitudinem* explicat nomine *sessionis ad dexteram Dei*, vt Matth. 20. cap. nunc potestatem regalem, vt 3. Reg. 1. cap. *Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum pro me*; nunc potestatem iudiciariam, vt Matth. 25. vbi explicatur iudicium vniuersale, *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ*, ac proinde *sessio* multiplex distinguitur in Christo, & consequenter pro multiplici hac sessione potest & apprehendi multiplex etiam excellentia in humanitate Christi Domini non apprehensa etiam eius vnione ad Verbum, ratione cuius multiplicis sessionis & excellentiæ, poterit etiam adorari, non attendendo ad dignitatem quam habet ex vnione ad Verbum, quæque ad istam vnionem dicit ordinem intrinsecum.

B

C Ad id verò sancti Augustini loquentis de adoratione Christi, *Nè cogitatione remaneas in carne, & à spiritu non viuificeris*. Respondetur, S. Augustinum ibi loqui de adoratione latriæ, quæ ita exhibetur Christo, vt etiã terminetur ad eius humanitatẽ, & tantùm velle monere nos adorationẽ hãc respectu humanitatis esse solùm *respectiuam*, & hunc honorem ei deferri, non quatenus caro est, nec eam vt sic præcisè esse considerandam in tali adoratione, sed *vt carnem Christi, vt carnem Verbo Dei vnitam*, quia caro, vt est simpliciter caro, non est digna adoratione: & hanc esse mẽtem eius patet ex probatione quam subiicit desumpta ex illo Ioan. 6. *Spiritus viuificat, caro autem nihil prodest*, id est, sensu & modo carnali considerata; sed quatenus est viuificata

D spiritu, id est quatenus est informata aliquibus supernaturalis gratiæ donis, & iuxta hanc expositionem intelligendi sunt Patres, quando dicunt nos in adorando Christo non debere *carni eius inhærere*.

V.

VI.

VII.

VIII.

Tertiò obiicies, Adoratio est tantùm suppositi, tendit enim adoratio in rem subsistentem, vt docet sanctus Thomas hîc: atqui humanitas Christi Domini, iuxta hanc considerationem, non includit suppositum, quia abstrahit à Verbo diuino sibi vnito: igitur humanitas vt sic apprehensa non potest adorari.

Respondetur, simpliciter & absolutè loquendo, falsum esse adorationem tantùm esse suppositi, seu tantùm tendere in rem subsistentem, etiam provt illa subest nostræ considerationi: nam suprà ostendimus essentiam diuinam apprehensam, sine subsistẽtiis personalibus, in quibus tantùm subsistit (quia iuxta S. Thomam & proba-

I. biliorem Theologorũ sententiam non datur cõmunis & absoluta subsistẽtia in diuinis) esse adorabilem etiam iuxta sententiam aduersariorum.

Nec obstat S. Thomæ authoritas hîc: nam, vt rectè animaduertit hîc Suares, ea tantùm intelligitur de *adoratione omninò completa*, quæque terminetur *ad ens omninò completum*, & perfectum etiam provt subest apprehensioni, cuiusmodi non est humanitas quantumcumque ornata donis gratiæ sine suppposito existens, cùm de illius perfectione & complemento sit subsistentia, vt docuimus ad quæstionem 2. huius partis.

DISPVTATIO III.

De imaginibus, & earum cultu.

II. QVONIAM S. Thomas, hac præsenti quæstione articulo 3. ita disputat de adoratione imaginis Christi Domini, vt seruata proportione sit eadem ratio imaginum, quæ nobis repræsentant Sanctos cum Christo regnantes, & adoratio imaginum non tantùm prioribus sæculis, sed etiam & hoc nostro est cõtrouersa inter nos & hæreticos: ideò ad maiorem illius explicationem & distinctionem, instituemus hîc disputationem de imaginibus & earum cultu, eámque pro varietate difficultatum diuidemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm nomina hæc, imago, idolum, & simulachrum, idem significent.

III. DISPVTATIONEM hanc à nominum significatione exordiemur. Hæretici nostri temporis ante paucos annos voluerunt hæc, *imago, idolum, & simulachrum*, idem significare, tam secundùm vsum Grammaticorum, quàm sacræ Scripturæ, & Patrum, vt videre est apud Kemnitium in suo examine ad decretum Concilij Tridentini, *de imaginibus* capite tertio, & apud Petrum Martyrem in locis suis communibus 2. classe cap. 4. & 5. numero 16. & Iunium animaduersione ad cap. 5. controuersiæ 7. Bellarmini. Nunc verò fatentur, saltem ex communi vsu factum fuisse, vt licèt tam secundùm etymologiam, quàm iuxta primæuam significationem, idem significauerint, distingui hoc modo inter se, vt *imago* latiùs pateat *idolo*, sitque *idolum* species aliqua sub ipsa imagine tanquam sub suo genere contenta: vnde admittunt omne idolum esse imaginem, non tamen è contrà omnem imaginem esse idolum, sicut omnis homo est animal, non tamen omne animal est homo, sic Polanus lib. 6. syntagmatum cap. 10. & recentiores Caluinistæ: si autem quæratur quid addat idolum suprà imaginem, & in quo distinguitur ab imagine; respondent in eo distingui, quòd imago tantùm sonet similitudinem rei expressam seu factam ad repræsentandum; idolum verò sit imago cui cultus aliquis religiosus tribuitur. Ita Polanus suprà, Scarpius de Ecclesia triumphante controuersia 2. quæst. 2. quod etiam dixerat Henricus Stephanus in suo thesauro linguę Græcæ: hinc quia imagines Dei & Sanctorum colimus, satis frequenter vocant illas *idola*, & nos *idololatras*, & quæ passim tam in sacris Litteris

A quàm Patribus dicuntur cõtra idola & idololatras, tanquam dicta contra cultum sanctarũ imaginum nobis obiiciunt. Sic dicunt serpentem æneum primò fuisse in deserto imaginem typicam Christi, Numerorum 13. Ioan. 4. at quando populus huic serpenti cultum exhibuit, ideóque destructus est lib. 2. Reg. cap. 13. euasisse idolum. V.

Dicimus tamen duo hæc nomina *idolum, & simulachrum esse quidem synonyma*, idem significare; hæc autem duo *idolum & imago minimè, sed posterius eorum esse veluti genericum quoddam nomen, cuius significationi nomen hoc idolum superaddit quòd sit rei alicuius falsæ, non autem quòd sit imago cui cultus aliquis religiosus tribuitur*: ita communiter omnes Catholici scriptores, dum agunt aduersus hæreticos de imaginibus, & earum cultu.

B Prior pars facilè admittitur ab hæreticis, vt patet ex dictis, & est S. Augustin. in Psal. 135. vbi ita habet; nam *quod attinet ad ipsa simulachra, quæ Græcè appellantur εἴδωλα*, & passim vbi septuagintâ Interpretes habent nomen hoc εἴδωλα, Latina editio habet nomen hoc *simulachrum*, & Biblia Gallica Geneuensium dum illud primæ Ioan. 5. *Custodite vos à simulachris*, cuius particulæ loco textus Græcus habet ἀπὸ τῶν εἰδώλων, non vtuntur nomine *imaginis*, sed *idoli* in sua editione vernacula: & Patres communiter dum scribunt contra Gentiles pro vno & eodem, accipiunt hæc duo nomina, quæ in eo tantùm differunt quòd prius sit Græcum, & posterius Latinum. VI.

Secunda pars nostræ propositionis probatur primò, ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 8. *Scimus quia nihil est idolum in mundo*, quod non potest intelligi quoad materiam, figuram, colores, vel lineamenta, vt satis ex se patet, sed quia formaliter & in genere *signi*, seu obiectiuè nihil est, quatenus res per idolum significata nihil est, sed est nomen sine re: nam significatur ei inesse aliqua diuinitas, quæ tamen ei re vera non inest, sed solummodò est merum cordis figmentum, vt explicat sanctus Chrysostomus homiliâ 20. in priorem epist. ad Corinth. item lib. Esther cap. 14. *Ne tradas sceptrum tuum iis qui non sunt*, id est, *idolis*, vt explicat S. Hieronymus ad cap. 7. Oseæ. Probatur item ex vera & legitima VII. Synodo act. 5. & 7. vbi dicitur anathema iis qui vocant venerandas imagines *idola*. Tertiò ex Patribus, vt Theodoreto quæst. 38. in Exodum, vbi ait, *repræsentationes rerum non subsistentium, seu imaginariarum dici idola*, similitudines verò esse rerum subsistentium, id est, verarum: item Origenes homil. 8. in Exodum, vbi ait eum censeri C VII. idolum facere, qui, iuxta Apostolum dicentem, *quia idolum nihil est*, facit quod non est; S. Hieronymo exprimente rem falsam & fictitiam nomine *idoli*, sic ad cap. 3. Oseæ loquens de hæreticis sequentibus falsa dogmata, *Perdito*, inquit, *mentis iudicio adorant idola, quæ de suo corde finxerunt*. & in cap. 7. Oseæ loquens de idolis, notat expresè *simulachrum* seu *idolum* ita opponi Deo, sicut mendacium veritati: vnde ibi particulam illam Prophetæ, *mendacium*, explicat *idolum*, *operati sunt*, inquit, *& ex eo populus mendacium, hoc est idolum: sicut enim contrarium est simulachrum Deo, ita mendacium veritati*: ex quo S. Hieronymi testimonio duo habemus. Primum est, *idolum* & *simulachrum* esse synonyma: alterum est *simulachrum* seu *idolum*, significare falsam imaginem, cùm dicat eandem antithesim ad Deum seruare, quàm seruat mendacium ad

IV. D VIII.

I. veritatem: igitur sicut oppositio mendacij ad veritatem in eo consistit, quod mendacium dicat falsitatem seu aliquid quod re vera non est, ita & idolum dicet falsam imaginem, & id quod habetur pro Deo, cùm tamen non sit Deus.

Probatur denique etiam ex profanis auctoribus, qui nomen *idoli* solent vsurpare tanquam in propria & natiua sua significatione pro ea re quæ quamuis appareat, nihil tamen est, sic notat ex Eustathio Henricus citato loco thesauri linguæ Græcæ sumi apud Homerum *pro vmbris & spectris*: vnde etiam Clemens Alexandrinus exhortatione ad Gentes, idola gentium vocat *vmbras*. Quod autem nomen hoc, *imago*, sit nomen aliquod *genericum*, patet, quia aliquando in sacris Litteris dicitur tam de falsis imaginibus, quàm de veris: de falsis, vt citato loco Deuteron. cap. 4. Ezechiel. 7. Abacuc 2. de veris imagini-

II. bus iis omnibus locis in quibus passim dicitur homo creatus ad imaginem Dei, item Christus *imago Patris* 2. ad Cor. 4. item iis in quibus monemur passim ab Apostolo *portare imaginem cælestis hominis*, 1. ad Cor. 13. item sanctorum Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20. vbi est sermo de imagine Cæsaris impressa numismati.

Confirmatur: quia si nomen hoc esset genericum ad veram & falsam imaginem, sed esset planè synonymum, tam bene possemus dicere Christum esse idolum Dei, Verbum diuinum esse idolum Patris, hominem à Deo fuisse creatum ad suum idolum, in prædicto numismate idolum Cæsaris fuisse impressum: ac rectè dicimus cum Apostolo Christum esse imaginem Dei, hominem fuisse à Deo conditum ad suam imaginem & similitudinem, Genes. 1. cap. & Sapientiæ 3. & sic de reliquis. Atqui etiam secundùm

III. hæreticos nostri temporis malè audiret qui diceret Christum esse idolum Dei, nos esse factos ad idolum Dei, & ita de cæteris, quia tunc significatur falsa quædam, & rei inanis repræsentatio (aliam enim huius rei rationē non possunt reddere hæretici:) igitur debet imago ita distingui ab idolo, vt hoc supra istud addat aliquā falsitatem, & proinde non distinguitur idolum ab imagine, penes cultum religiosum ei exhibitum, quia ex citatis locis Scripturæ & Patrum, priùs intelligimus aliquid esse *idolum*, quatenus est repræsentatiuum rei inanis & falsæ, quàm cultum aliquem ei tribui etiam apud Gentiles.

Nec est quòd respondeat Scarpius suprà Filium Dei vocari in sacris Litteris imaginem & non idolum, quia est essentialis imago Dei, hic autem tantùm est quæstio de imagine accidentali: nam verum quidem est Filium in diuinis esse

IV.* subsstantialem imaginem Patris, sed formalis ratio imaginis abstrahendo à subsstantiali & accidentali consistit in exprimenda similitudine rei repræsentatæ: ergo vt aliqua similitudo propriè sit imago, debet rem veram exprimere: ergo si res repræsentata non sit vera, nec verè, sed tantùm ficta per imaginationem, id quod illam refert propriè non dicetur imago etiam accidentalis, sed idolum tantùm: ergo præcisa ratio quare Filius in diuinis sit & dicatur imago Patris, est, quia est expressa similitudo veri & realis entis; est verò subsstantialis, quia est de subsstantia Patris, & illam totam exprimit ex vi suæ processionis, sicut verbum mentis rem intellectam.

Cæterùm notandum est, quòd licèt nomen hoc, *idolum*, nunquam applicetur ad significandum veras imagines, nihilominùs nomen hoc simulachrum etiam apud Catholicos scriptores nonnunquam, esto valde raro, accommodatur veris imaginibus significandis, sumpta tamē eius etymologia & deriuatione aliundè, quàm quando vsurpatur pro idolo: cùm enim nomen hoc *simulachrum* secundùm nonnullos deriuetur *à similitudine*, vt iuxta Lactantium lib. 2. diuinarum Institutionum cap. 2. Isidorum lib. 8. etymologiarum cap. 11. S. Thomam 1. ad Corinthios cap. 8. lect. 1. & vera imago sit naturalis & veræ rei repræsentatio & similitudo, fit vt interdum iuxta hanc deriuationem veræ etiam imagines dicantur simulachra, & tunc inter simulachrum & idolum ea sit distinctio quam diximus esse inter idolum & imaginem, sit que iuxta hanc deriuationem nomen hoc simulachrum synonymum cum ipso nomine imaginis: sic Lactantius loco citato negat idola defectu istius similitudinis

B esse *simulachra*, id est, *vera imagines*. *Quod si*, inquit, *à similitudine id nomen accepit, quomodo possunt ista simulachra Deo similia indicari, quæ nec sentiunt, nec mouentur*: sic etiam Catechismus Trident. parte 3. cap. 2. vbi agit de primo præcepto Decalogi numero 17. vsurpat nomen hoc *simulachrum, iussu Dei*, inquit, *simulachra & imagines effectas legimus, Cherubim, serpentis æneiy* sic S. Thomas loco citato; quia tamen meliùs *à simulatione*, deducitur *simulachrum*, sicut *imago ab imitatione, seu ab imitando*, fit vt *simulachrum*, non sit quæuis imago, sed *falsa tantùm & ficta*, & communis vsus nomen *simulachri* in hac significatione retinuerit, nomen verò imaginis non tam frequenter in malam partem acceperit, quàm ipsum nomen simulachri.

V.

VI.

Articvlvs II.

Soluuntur obiectiones.

C

VII.

OBIICIES primò, vbi septuaginta Interpretes habent in textu Græco εἴδωλον, Latini vertunt *simulachrum*, quod idem est ac *imago*, actuum 7. & 15. cap. 1. ad Cor. 12. & vulgata editio, quam Concil. Trident. vult haberi pro authentica, 4. Reg. cap. 11. habet, *Ingressi est omnis populus terræ templum Baal, & destruxerunt aras eius, & imagines contriuerunt valde*, quo loco nomen *imaginis* sumitur pro idolo.

Respondetur, negando simulachrum idem significare & eodem modo sumi, ac hoc nomen imago, vt patet ex dictis, & actorum 7. Larina editio vsa est nomine *simulachri*, & non imaginis, quia agebatur ibi *de vitulo aureo*, quem vt Deum apprehenderant Iudæi, eique vt Deo sacrificium

D offerebant, vt expresè refert ibi S. Stephanus, & proinde cùm esset falsus, & fictitius Deus, rectè ibi exprimitur nomine *simulachri*, non autem imaginis: sicut etiam 1. ad Corinthios 12. quia Apostolus agit de cultu quem Corinthij aliquādo exhibuerunt idolis, sumpto propriè nomine *idoli*, editio Latina vertit *simulachrum*.

VIII.

Ad locum 4. Reg. 11. cap. respondetur, tantùm confirmare quod anteà diximus, scilicet nomen hoc, *imago*, etiam aliquando sumi pro *falsæ & fictæ rei imagine*, & verba tam antecedentia quàm consequentia satis ibi indicare nomen hoc, *imago*, vsurpari eo loci pro hoc nomine, *simulachrum*.

Secundò obiicies. Idola Gentium repræsentabant id, quod re vera fuerat, vt homines, bestias & cætera, quæ pro diuinis apud Gentiles habebantur: at imagines Dei & Angelorum, quas

I. habent Catholici, repræsentant id quòd reuerà non est, quia Deus non est reuerà homo senex, qualis ab illis repræsentatur, nec item Angeli infantes alati, vt ab illis: ergo cùm vt sic sint idola, idolum & imago erunt synonyma.

Respondetur, quædam idola repræsentasse quoad lineamenta externa homines, sed putatos veros Deos, cùm tamen essent falsi & fictitij: at imagines Dei & Angelorum quæ sunt apud nos, Deum & Angelos nobis repræsentant non quales sunt in seipsis, nec quales eos credimus esse à parte rei, sed vel quales aliquando apparuerunt, vt dicetur infrà, vel quales fuerunt etiam in veteri Testamento in templo Salomonis, sine vlla Dei vel Prophetarum reprehensione repræsentati, vt patet ex lib. 3. Reg. cap. 6. vbi refertur Salomon fecisse in oraculo templi duos Cherubinos de ligno oliuarum alatos; vel etiam ad exprimendas eorum proprietates, vt amplius intelligetur ex dicendis infrà.

II. Tertiò obiicies. Ex S. Hieronymo ad cap. 11. Isaiæ, *Idola esse imagines mortuorum*. Respondetur, esse intelligendum de idolis *quoad suam originem*, & non quoad propriam nominis, idolum, significationem, quòd scilicet omnia idola ex mortuorum errore creuerint, vt ipsemet expressè ait ad cap. 2. Oseæ, quod etiam longè ante illum tradiderat Sapiens lib. Sapientiæ cap. 14. his verbis, *Acerbo luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia*; iuxta quem locum Sapientiæ intelligimus quædam idola fuisse quidem imagines aliquorum mortuorum: at omnes illas imagines quæ referunt eos qui fuerunt secundùm quod fuerunt,

III. vel apparuerunt, quique nec habentur pro diis, nec vt tales adorantur, esse idola, nec dicit ibi Sapiens, nec S. Hieronymus suprà, quod tamen suo argumento intendunt hæretici; imò Sapiens ibi satis expressè significat ad rationem idoli requiri, vt *existimetur & repræsentetur talis qualis non est à parte rei*, sed tantùm iuxta falsam adorantis imaginationem.

Tandem obiiciunt, prophanos auctores indifferenter vti nominibus idoli & imaginis: Respondetur, tunc tantùm id facere quando volunt significare aliquam repræsentationem, abstrahendo ab eo, quod sit *rei falsæ vel veræ*, & quando volunt exprimere falsas, & vmbratiles tantùm rerum similitudines, solent vti nomine *idoli*, vt suprà notauimus etiam ex Henrico Stephano.

IV. ARTICVLVS III.

Vtrùm vsus imaginum Dei sit honestus & licitus.

NOTANDVM primò est, circa vsum imaginum tria quæri posse. Primum est quarum rerum possint fieri imagines. Secundum, quo in loco possint collocari, an in Ecclesijs vel non. Tertium denique, cùm imagines fieri possint vel ad historiam, vel ad memoriam, vel ad ornatum, vel etiam ad cultum quronam ex istis omnibus fine & intentione possint fieri; & quoniam hæretici ita impugnant imagines, vt licèt tam praxi, quàm scripto testentur se earum vsum non improbare quoad ornatum, historiam, & memoriam, vt videre est apud Kemnitium suprà ad citatū decretū Concil. Trid. cap. 3. & Petrum A Martyrem cap. 5. citato numero 4. nihilominùs conentur suis rationibus probare eas absolutè & simpliciter esse prohibitas, maximè si sermo sit de imaginibus Dei & Angelorum, ideò de istis agemus distinctè abstrahendo à fine in quem fiunt, de quo posteà sicut & Sanctorum imaginibus dicemus. V.

Quòd igitur spectat ad imagines Dei, Caluinus lib. 1. suarum Institutionum cap. 11. sect. 1. & 2. Petrus Martyr in locis suis communibus cap. 5. numero 7. & sequentibus, & communiter eorum sectatores docent Dei gloriam corrumpi, quando aliqua forma & imagine repræsentatur, idque Deo valde displicere: vnde grauiter conqueruntur quòd nos Catholici non tantùm eas in templis, sed etiam pro insignibus priuatarum appendamus.

Verùm sit ista propositio. *Honestum est, & licitum facere & habere imagines Dei*: ita Caietan. ad B hunc S. Thomæ artic. & communiter Interpretes S. Thomæ hìc. Vt autem sensus huius nostræ propositionis intelligatur, VI.

Notandum est ex Caietan. hîc, imagines Dei posse fieri tribus modis. Primò, vt per eas intendatur depingi & figurari Deus, *secundùm veritatem suæ naturæ*. Secundò, vt per imaginē repræsentetur Deus, non quidem vt est in se & secundùm se, sed *prout aliquando apparuit*, in forma aliqua visibili, quia ex pluribus sacræ Scripturæ locis constat eū aliquando apparuisse, siue per seipsum immediatè apparuerit, siue per Angelū qui eum referret. Tertiò, vt per imaginem quatenus illa habet aliquam analogiam & metaphoricam seu mysticam significationem, potest *aliquo modo declarari aliqua Dei perfectio*, sicut quando depinguntur Angeli iuuenes, formosi, alati ad ex-

C primendam eorum perfectionem & celeritatē: VII.
iam nostra conclusio tantùm intelligitur de *imaginibus secundo & tertio modo Deum repræsentantibus*. Nā imagines primi modi prohibentur fieri & cōdemnantur Isaię 40. verbis suprà relatis, act. 17. & cit. VII. Synodo act. 2. quia vt sic sunt falsę imagines, & ad hęresim Anthropomorphitarum edocendam introductæ; imagines autē Dei iuxta secundum modum videntur etiam aliquo modo probare hæretici: nam Kemnitius suprà cap. 3. circa finem ait verbis expressis se non audere cōdemnare tales imagines Dei, & cùm iuxta hanc considerationē eadem sit omninò ratio imaginū Dei, ac Angelorum provt illi aliquādo apparuerunt hominibus, & Petrus Martyr cap. 5. cit. fateatur Angelos posse referri imaginibus provt

D hominibus sese interdum videndos exhibuerūt, debet etiam ex consequenti admittere esse ex se
IV. honestum & licitum facere & habere imagines VIII.
quæ Deum nobis repræsentent, provt ille aliquando *apparuit hominibus*.

Probatur autem nostra conclusio 1. ex VII. Synodo act. 5. vbi inter impura dogmata cuiusdam Xenei, siue Philoxeni, vt posteà ibidem nominatur, recensetur & istud, quòd diceret *hoc esse puerilis animi factum, fingere in columba idolum peradorabilem Spiritum sanctum*, & paulò pòst ibidem, quod *putarent inconuenientes pios homines Spiritum sanctum, vt corpus habentem, delineare*: item ex Synodo Constantinopolitana sub Menna act. 5. iuxta postremam editionem in libello suplici Clericorum & Monachorū Antiochiæ ad Ioan. Patriarcham contra Seuerum, inter scelera istius Seueri recensetur eum, *columbas aureas & argenteas in formam Spiritus S. super diuina lauacra, &*

I. *altaria appensa sibi appropriasse, dicentem non oportere in specie columbæ Spiritum sanctum nominare.*

ARTICVLVS IV.

Nostra sententia probatur ratione.

PROBATVR etiam ratione hæc nostra conclusio: nam aut est inhonestum & illicitum facere & habere imagines Dei, quia illud est malum, aut quia est prohibitũ eas facere vel retinere provt referunt Deum secundùm eã formã sub qua aliquando apparuit hominibus: sed neutro modo istud est inhonestũ & illicitum: igitur facere aut habere imagines Dei quæ eũ referãt provt apparuit aliquando hominibus, non est inhonestum vel illicitum. Maior satis patet ex vulgari illa distinctione mali in malum, *quia malum est*, seu ex intrinseca sua ratione & natura, & in malũ quod tantùm est eiusmodi ex singulari aliqua lege prohibente illud facere vel habere. II. Minor probatur quoad singulas partes, & primò quòd non sit malum ex se, seu quòd nõ sit prohibitum quia malum. Probatur. Aut est ex se & natura sua malum facere & habere imagines, quia purè & simpliciter malum est facere & habere imagines cuiuscumq; rei, aut quia, esto, nõ sit inhonestum & illicitũ facere & habere aliquas imagines, non tamen Deiinon primum, quia Caluinus in Catechismo Genevensi cap. de lege verbis expressis ait, *Non prohiberi in totũ, ne aliquæ pinguntur aut sculpantur imagines, sed tantùm ne quas faciamus imagines, vel Dei effingendi, vel adorandi causa.* & Lutherus tomo IV. suorum operum in Commentariis ad 1. cap. Michææ, dicit esse *insignem insciam, & barbariem eiicere è templis, sine discrimine, imagines Christi & Apostolorum*, ibiq; notat Iudæos fuisse vsos imaginibus in tẽplo: non item III. potest dici secundum, quia nõ est per se & ex natura sua malum litteris & libris describere Deum secũdùm illas formas, sub quibus aliquando apparuit, & est visus hominibus, quia Scripturæ sacræ, illas nobis referũt & describunt; item Patres dum explicant illa Scripturæ testimonia, quibus prædictæ apparitiones Dei continẽtur, vt videre est in eorũ Comment. ergo non erit etiã natura sua, & per se malum aliqua imagine vel pictura repræsentare Deum secundùm illam formã, sub qua aliquando apparuit hominibus. Antecedens satis patet. Consequẽtia probatur, quia Scriptura est genus quoddam picturæ, vnde aliquando *pingere* vsurpamus pro *scribere, & describere* apparitionis Dei secundùm formam humanã libro aliquo exarata, non magis monet lectorem (quæ tamen est ratio Caluini suprà sect. 3. cũr Deus apparuerit in signis visibilibus) de incomprehensibili essentia Dei, IV. quàm eius repræsentatio facta in imagine, quia sicut ista tantùm repræsentat apparitionem Dei provt facta est: ita & sacræ Scripturæ eam tantùm recitant provt illa repræsentatio cõtigit, cùm sint nudæ & simplices quædam narrationes: imò minùs mouent lectorem, quia quę percipiuntur visu magis afficiunt quàm quæ solo auditu, iuxta illud:

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Ergo quemadmodum non obstante repræsentatione illa minùs perfecta, non desinunt eiusmodi apparitiones Dei honestè & licitè describi in sacris Litteris, ita etiam honestè & licitè poterunt aliqua imagine vel pictura repræsentari.

Secundò probatur eadem pars primæ nostræ rationis: quod sit immediatè à Deo, vel saltem

A ab alio ex aliquo eius consilio, & præcepto, non est per se malum, quia Deus non potest velle & facere malum, & quod tali modo est malum respectu cuiuscumque iudicij, malum est, quia intrinsecè est contra rectam rationem: atqui Deus ipsemet fecit eiusmodi apparitiones, quibus appareret hominibus, aut saltè boni aliqui Angeli eum referentes ex eius consilio & præcepto Gen. 3. quando ambulat in Paradiso terrestri, & alibi: ergo facere tales repræsentationes & imagines non est per se malum. V.

Tandem omnis vera rei alicuius repræsentatio ex se & natura sua est licita, sed imagines illæ quæ nobis referũt Deum, provt apparuit hominibus, sunt veræ repræsentationes, quia Deum repræsentant provt de facto apparuit, & loquendo propriè non tam sunt imagines *Dei*, quàm *ipsius eius apparitionis* in forma aliqua visibili, secundùm quam verè aliquando apparuit: igitur tales B Dei imagines ex natura sua sunt licitæ. VI.

Probatur item & altera pars nostræ rationis, scilicet *facere, & habere imagines Dei nõ esse malum, quia prohibitum*; nam si quę esset facta prohibitio faciendi & habẽdi imagines Dei, maximè Exod. 20. & Deut. 4. vt intendunt hæretici: at nulla talis prohibitio ibi continetur propter duo. Primũ est, quòd præceptum istud tantùm procedat *de sculptili & similitudine* eorũ quæ sunt in cælo desuper, & quę in terra deorsum, & quę in aquis sub terra, id est, vt explicãt Biblia Gallica Genevensia anno 62. edita, ad imaginem solis, lunæ, stellarũ, auium, & aliarum creaturarum quæ sunt vel in aquis, vel in terra, inter quas non cõtinetur Deus, & propter quam expositionem Tremellius & Iunius in sua versione præmittunt particulæ, *quæ*, pronomen illud, *eorum*, iuxta quam expositionem non potest Deus comprehendi.

C Et confirmatur amplius ex cap. 4. Deur. dum populo Iudaico illud idem præceptum inculcatur, & iisdem ferè terminis prædicta particula nominatim explicatur de creaturis, ita enim habetur, *Ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœminæ, similitudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram, vel auium sub cælo volantium, atque reptilium quæ mouentur in terra, siue piscium qui sub terra mouentur in aquis:* quo loci nulla fit mentio imaginum Dei, sed tantùm rerum creatarum. Vnde contra præceptum, quo Deus prohibet aliquid addere verbo suo scripto, prædicta Biblia tã Genevensia quàm Tremellij & Iunij, itẽ & Caluinus citato Catechismi loco ad illam particulam, *non facies tibi sculptile*, malè addunt hoc glossema, *siue ad me repræsentandum, siue ad me adorandum*; D & si quæ imagines ibi prohibeantur fieri, sitque præceptum hoc (vt communiter volunt Caluinistæ) omninò aliud & distinctũ ab eo quòd cõtinetur verbis illis sequentibus, *non adorabis ea, neque coles*, vi prioris illius præcepti prohibebuntur tantùm sculptilia & similitudines rerum creatarum, quas tamen libenter faciunt, & apud se retinent hæretici, non autẽ imagines quæ ipsum Deum, provt aliquando apparuit hominibus, repræsentãt: alterum propter quod imagines Dei non prohibeantur ibi fieri, est quòd eo loci Deus tantùm prohibeat fieri imagines rerum creatarum non absolutè & simpliciter, vt etiam ibi annotãt hæretici, sed *vt adorentur*, quatenus toto illo præcepto tantùm prohibet cultum sibi proprium exhiberi sculptilibus rerum à se creatarum, & prædicta sculptilia fieri in hunc fi- VII. VIII.

I. nem: nam Deuteron. 4. vbi prohibet prædicta sculptilia, statim subiicit, *Ne statim eleuatis oculis ad cælum videas solem & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea & colas quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis Gentibus quæ sub cælo sunt:* & hanc fuisse mentem Dei Legislatoris præter nunc citata docet Tertul. libro secundo contra Marcionem capite 22. cùm enim Marcion ei obiceret Deum veteris Testamenti esse sibi contrarium, vt pote qui Exodi vigesimo prohibuerit facere sculptilia & similitudines, nihilominùs Numerorum 21. capite, iubet fieri serpentem æneum: Respondet Tertullianus, Deum tunc sibi non fuisse contrarium, *Quia tantùm prohibentur ne adorentur, longè*, inquit, *diuersus habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa ob quem similitudo prohibetur.* Item sanctus Augustinus lib. quæst. in Exodum quæst. 71. docet postrema illa verba, *non adorabis*, spectare ad illud idem præceptum, *non facies tibi sculptile, quo prohibentur coli idola*, & epistola 119. capite 11. imò & ex hæreticis ita hunc locum interpretatur Lutherus citato suo comment. ad 1. cap. Michęę. Confirmatur amplius ex eo quòd septuaginta Interpretes vertant *idolum* quod editio Latina habet *sculptile*. Secundò, ex eo quòd Scripturæ sacræ nomine *sculptilium*, intelligant passim *idola & Deos alienos*, vt Isaiæ 44. cap. *Quis formauit Deũ & sculptile*, & ibidem paulò post, *Operatus est Deum & adorauit, fecit sculptile & incarnatus est ante illud*, id est, fabricauit idolum quod posteà adorauit, & alibi: vnde cùm imagines repræsentantes Deum provt aliquando hominibus

II. III. apparuit non sint idola, nec aliqui dij alieni qui solo illo præcepto Dei prohibentur haberi & adorari, prædictæ imagines Dei ex vi præcepti istius ciuium non sunt aliquod malum, quia prohibitum.

Articvlvs V.

Vtrùm vsus imaginum Dei aliquam eius perfectionem repræsentantium per analogiam ad quasdam creaturas sit honestus & licitus.

PArtem affirmantem loco nostræ propositionis statuimus, quæ sic probatur. Repræsentare Deum in imagine provt sacræ Scripturæ illum nobis repræsentant, & in eundem omninò finem, non est illicitum & inhonestum: atqui

IV. Scripturæ sacræ passim nobis repræsentãt Deum per verba metaphorica & analogias ad res corporeas quibus nobis mysticè significant ipsa Dei attributa & perfectiones, vt quãdo attribuit illi *manus* & *brachia* ad denotandam eius *omnipotentiam, oculos ad cognitionem* eius exprimẽdam, & ita de cæteris: igitur repræsentare Deum per imagines analogicas, & mysticas non erit inhonestum & illicitum. Maior patet ex dictis articulo 3. & 4. Minor item probatur, ex sacris Scripturis, quæ frequenter membra humana attribuunt ipsi Deo.

Neque est quòd quis dicat, ex hoc vtroque genere imaginũ Dei nasci occasionẽ & periculum erroris, quatenus qui eas vidẽt, possunt æstimare Deum, esse talem à parte rei, & in se, quod tamẽ est falsum: non est, inquam, quòd quis hoc dicat: nam primò, in istis imaginibus Dei non magis apparet periculum erroris quàm in sacris Litteris, dum nobis Deũ & eius perfectiones exprimunt per res corporeas: ergo quemadmodum ex eo quòd Anthropomorphitæ inde sumpserunt occasionem suæ hæresis, non sunt reiiciendæ sacræ Scripturæ (quia hoc est contra intentionem Spiritus sancti illas dictantis, cuius intentio fuit per res corporeas & visibiles deducere nos in cognitionem Dei inuisibilis:) ita etiam imagines eiusmodi non erũt illicitæ & inhonestæ, licèt *per accidens*, possint esse aliquibus occasio errandi. Secundò. Quemadmodum huic periculo quod potest nasci ex sacris Litteris subuenitur per easdem sacras Litteras & earum Interpretes, qui docent ista tantùm dici de Deo *metaphoricè & improprie*: ita etiam & periculo quod potest oriri ex istis imaginibus Dei potest facilè occurri per

B Doctores & Pastores Ecclesiæ: imò & hanc in- VI.
structionem fieri populo expressè iubet Concil. Trident. sess. 25. in decreto de inuocatione Sanctorum, & de sacris Imaginibus; & quemadmodum, ex eo quòd omnes hæretici occasionẽ suarum hæreseon desumunt ex sacris Litteris malè intellectis, vt notauit Tertul. lib. de præscriptionibus aduersus hæreses cap. 17. 18. & 19. adeò vt idem Tertul. dixerit lib. de resurrectione carnis cap. 40. *hæreses esse non posse, si non & perperã Scripturæ intelligi possent*, non propterea tamen illæ sunt tollendæ, & ab Ecclesia omninò reiiciendæ, quia nihil tam pium est & vtile, ex quo non possit desumi mali alicuius faciendi occasio: ita etiam licèt imagines Dei possint aliquibus hominibus esse occasio erroris periculosi, non propterea tamen sunt exterminandæ, sed instruendus est populus & earum vsus retinendus.

C Hinc si quæ imagines reperiantur quæ sint falsi VII.
dogmatis repræsentationes, qualis est ea qua pictores aliqui repræsentant mysterium Trinitatis, per vnum hominem cum tribus faciebus veluti Ianum aliquem trifrontem, aut tricipitem Cerberum, vult Concil. Trident. suprà eas omninò amoueri, & quando repræsentant historias Scripturæ, quales sunt ipsæ apparitiones Dei Patris sub forma senis, Filij incarnati & passi pro nobis, & Spiritus sancti sub forma columbæ in baptismo Christi Domini, idem Concilium præcipit non quidem eas tolli debere, sed populum doceri non propterea diuinitatem figurari quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. Atque ex his satis intelligitur etiam Angelos posse iuxta duos posteriores modos art. 3. explicatos depingi. & imagine exprimi,

D cùm & tales aliquando apparuerint, vt patet ex VIII.
sacris Litteris, & etiam tales aliquando iussu Dei fuerint facti, vt Exodi 25.

Nec; satisfacit quod respondent hæretici Deũ nunc dispensasse in sua lege de non faciẽdis imaginibus, ex qua dispensatione semel facta nõ magis licèt colligere esse nobis licitum facere imagines Angelorum, quam ex eo quòd Deus semel dispẽsauit cum filiis Israël de tollendis Ægyptiorum bonis, licet colligere nunc cuilibet esse licitum bona sui proximi inuadere & eripere: hoc, inquam, non satisfacit, nam 1. & lib. 3. Reg. cap. 6. Salomon etiam fecit in oraculo templi duos Cherubin, nec tamen vlla fit ibi mentio dispensationis à Deo obtentæ pro illis faciendis, nec ibidem vel alibi increpatur, quod sic faciendo mandatum hoc, de non faciendis imaginibus violauerit: deinde suprà probatum est nullum fuisse

à Deo

I. à Deo datum præceptum de non faciendis imaginibus. Tertiò, secundùm hæreticos facere imagines Dei est intrinsecè malum, & præcepto primæ tabulæ prohibitum; malum autem eiusmodi nullam admittit dispensationem, cùm aliqua honesta circumstantia vestiri non possit, sicut potest ablatio rei existétis sub dominio proximi, quatenus potest Deus ratione supremi dominij quod habet in res omnes, dominium rerum quas nunc vnus possidet modò, in alium transferre, sicut contigit in facto Israëlitarum, maximè cùm filij Israël diu seruissent Ægyptiis nulla mercede recepta, iusto tamé titulo sibi debita. Confirmatur ampliùs nostrum hoc corollarium ex septima Synodo act. 7. vbi consensu totius Synodi approbantur *imagines Angelorum*, idem ex S. Dionysio de cœlesti Hierarchia cap.

II. 13. & 15. significante vsum eiusmodi imaginum esse vtilem, item ex S. Greg. Nazianz. orat. 23. statim in principio, vbi ait Angelos *pingi fulgentes*, candidos, vt significetur eorū puritas, *Angelorum est*, inquit, *vestitus, candor, & splendor, cum corporea forma pinguntur ad designandam infallibiliter naturalem ipsorum puritatem*: & hoc fusius explicat Elias Cretensis ad tertiam orationem eiusdem S. Greg. Nazianz. numero 118.

ARTICVLVS VI.

Soluitur dubium.

QVÆRES, An hæc nostra sententia de imaginibus Dei faciendis & retinendis sit de fide: Respondetur non esse de fide, sed esse ita certam, vt contraria censeatur ad minus temeraria: ita Belarm. lib. 2. de imaginibus cap. 8. Vasquez. hic disp. 103. cap. 3. & multi alij.

III. Probatur prior pars, quia nec in sacris Litteris, nec in aliquo Concilio habetur definita nostra conclusio, nec sufficienti traditione tanquam in rem de fide potest ostendi.

Posterior verò pars probatur 1. ex Concil. Trident. suprà, vbi insinuat se probare nostram sententiam de imagine Dei facienda; nam qui præscribit modum quo res aliqua debet fieri, vel explicat præcautionem quæ debet ei annecti, censetur tali facto rei istius substantiam approbare: at Trident. Concilium ibi dicit adhibendam esse hanc cautionem historiis, & narrationibus sacræ Script. depingendis. vt doceatur populus non propterea esse putandū diuinitatē posse figurari, & oculis corporeis conspici, quæ cautio vt censeatur rectè apposita sicuti est, debet necessariò intelligi de iis sacræ Script. histor.

IV. & narrationibus quæ sunt de Deo, & non de iis quæ sunt de Angelis vel puris hominibus, cùm propriè in his diuinitas locum non habeat: igitur censet ibi Concil. tales historias Script. quæ etiā includunt diuinitatem posse aliqua imagine exprimi, & proinde cùm sit temerarium negare id quod habet tàm euidens fundamentum in Concilio œcumenico, quale est Trident. temerariū est dicere non esse licitum facere vel retinere imagines quæ Deum nobis referunt, prout ille aliquando apparuit hominibus in veteri aut in nouo Testamēto. Deinde probatur eadem pars ex communi praxi Ecclesiæ, nam à longo tempore repræsentantur eiusmodi historiæ sacræ Scripturæ in variis diuersorum regnorum Ecclesiis, nec tamen vel à summo Pontifice, vel ab aliqua prouinciali Synodo reprehenduntur.

Nec iis obstat quòd Bartholomæus Caranza in summa Conciliorum dicat Can. 82. 6. Synodi imaginem Christi in formam Agni fuisse prohibitam: nam primò respondetur istos Canones non esse veræ & germanæ 6. Synodi, sed nōnullorum Episcoporum qui aliquot annis post solutam & finitam 6. Synodum congregati in Trullo aliquot Canones condiderunt, quos vniuersalis Ecclesia nunquàm probauit, vt notat Anastasius Bibliothecius in Epistola sua proœmiali dedicatoria ante septimā Synodū posita; & fusè docent Turrianus lib. de actis veris 6. Synodi, Baronius Annal. ad annum Christi D. 692. & si qui istorum Canonū sunt probati, non sunt probati quatenus sunt istius falsæ Synodi, sed quatenus in prioribus, aut posterioribus Conciliis fuerunt probati, & vsu in Ecclesia recepti: vnde Canon ille 82. de imagine Christi sub formam agni tantum abest vt probetur fuerit, quin potiùs vsu cōtrario in Occidentali Ecclesia fuerit reprobatus

B vsque ad hoc tēpus, vt patet ex agnis cereis qui sæpenumero à summis Pontificibus cōsecrātur.

Nec iis obstat quòd Greg. II. Adrianus I. summi Pontifices, necnon Patres Concil. Nicæni 2. agentes cōtra Iconoclastas citent hunc Canonē 82. pro imaginibus, hoc (inquam) non obstat, nam prædicti Pontifices & Patres Concilij non protulerunt illum Canonem vt veræ & legitimæ Synodi aduersus istos Iconoclastas, sed solummodo tanquam ab illis admissum & probatum: cùm enim Iconoclastæ in falsa sua 7. Synod. probassent omnem doctrinam & Canones sex præcedentium Synodorum, inter quarum Canones & hos Trullanos recensebant, in quorum 82. ita reiiciebant imaginem Christi sub formam agni, vt nihilominus vellent retineri in Ecclesia imaginem Christi in forma humana, prædicti Pon-

C tifices & Patres Concilij eos proprio argumento cōuincentes probant debere depingi Sanctorum imagines, & haberi ex eo quòd in isto Canone 82. definiatur Christum esse repræsentandum in forma humana.

Secundò potest responderi, licèt Canon ille esset legitimus & legitimæ Synodi, adhuc nihil obstare nostræ conclusioni, nam non loquitur absolutè, sed tantū comparatè, nec censet imagines Christi sub forma agni esse absolutè reiiciendas, sed tantùm illis præferendas esse imagines eiusdem Christi repræsentantes illum in forma humana, vt potest quilibet facilè intelligere ex sola lectione istius Canonis.

ARTICVLVS VII.

Soluuntur obiectiones hæreticorum.

OBIICIVNT 1. id Deo displicere, quòd nos Catholici non tantùm in Templis, sed etiā pro insigni ēdiū priuatarū imagines appēdamus.

D Respondetur primò, quòd si hoc sit peccatum, & illud ab eis committi, cùm plerumque & alia ipsis similia ipsimet præfigāt suis ædibus, vt facilè norunt qui vrbes hæreticorum frequentarunt. Deinde respondetur ista insignia poni, vt ædes eiusmodi sint in peculiari tutela Dei, & speciali ratione illi commendatæ, vt etiam legimus apud Sozomenum oculatū testem, vt ipsemet ait lib. 2. historiæ Eccles. c. 2. S. Michaëlem, licèt totius Ecclesiæ patronum & defensorem habuisse peculiari cura sibi cōmendatū locum aliquem prope Byzantium, qui ab eius cōmendatione & miraculorum frequentia ab eo factorū, vocatus est *Michaelium*, sicut etiam recensēt Sigebertus in Chronico eundem S. Michaelem habuisse in sua peculiari tutela montem Garganum, cuius

V. VI. VII. VIII.

I. S. Michaelis ibi factũ celebrat Ecclesia S. Maij.

Obiiciunt secundò. Illud esse prohibitum Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper.* Deuteronomij 4. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua loquutus est nobis Dominus in ore & medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem aut imaginem:* & paulopòst eodem capite, *Caue, ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, & facias tibi sculptam similitudinem.* Isaiæ 4. *Cui ergo similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei*, quasi dicat, *nullam*: item Actorum 17. sanctus Paulus ita ratiocinatur, *Genus ergo cùm simus Dei, non debemus æstimare auro, & argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Deum esse similem*; & ad Romanos 1. inter causas excæcationis Gentilium hanc etiam recensет, *quòd mutauerint gloriam incorruptilis Dei, in similitudinem imaginis corruptilis hominis.*

II.

Respondetur, & primò ad duo prima testimonia Exod. 20. & Deuteron. 4. abundè satisfactum est suprà ex dictis pro secunda parte nostræ rationis, articulo quarto præcedenti.

Ad duo sequentia petita ex cap. 40. Isaiæ, & 17. Act. respondetur ea tantùm intelligi de imaginibus primi generis, primo notabili post nostram propositionem posito articulo tertio, explicati. Locus quidem Isaiæ, quia S. Hieron. eo loci id habet expressè, dum prædicta verba Isaiæ explicat. *Cui*, inquit, *similem fecistis eum, aut quam imaginem ponetis ei qui spiritus est, & in omnibus est & vbique discurrit, & terram quasi pugillo continet*: quo loci docet sanctus Hieron. Isaiam velle ostendere *Deo* tanquam *enti omnino spiritali*, & infinitæ potentiæ non posse dari imaginem, quæ illum *sicuti est in seipso*, & à parte rei nobis repræsentet & notat expressè istud dici à Propheta de idolis Gentilium: locus item Act. 17. quia ex eo quòd sumus aliquid longè excellentius auro, argento & aliis eiusmodi rebus, ex quibus Gentiles sibi fabricabant idola, docet Apostolus Deum non esse aliquid tale corporeum, ideóque idola non esse colenda, quo modo etiam intelligitur Sapiens cap. 15. Sapientiæ, & Baruch vltimo capite.

III.

Locus denique Apostoli ad Rom. 1. tantùm arguit Gentiles fuisse traditos in reprobum sensum, *quia mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis*, & cætera. quatenus idola & simulachra adorauerunt tanquam veros Deos: sic locum hunc explicat sanctus Augustinus lib. de fide & symbolo cap. septimo, vnde Apostolus videtur ibi alludere ad illud Hieremiæ.

IV.

Secundò. *Populus meus mutauit gloriã suam*, id est, Deũ, qui est ipsa populi gloria, *in idolum*. & item ad illud Psalm. 105. *Et mutauerunt gloriam suam.* id est Deum, vt ad hunc versum explicat sanctus Augustinus enarratione in Psal. 105. vbi etiam explicat locum hunc Apostoli de idolis, *in similitudinem vituli comedentis fœnum.*

Obiicies tertiò ex Patribus, & primò ex sancto Augustino libro de fide & symbolo, dum exponit illum articulum, *Sedet ad dexteram Patris. Non debetis imaginari*, inquit, *Deum esse humana forma præditum, Christum incuruare poplites, & ad dexteram eius Patris sedere, nefas est talia simulachra habere*: & libro quarto de Ciuitate Dei capite nono, commendat Varronem, qui scripserit in sua Theologia, illos qui

A primi omniũ simulachra diis fecerunt, *ademisse timorem eorum hominibus*, nempe propter vilem materiam qua formabantur, & sic laudauit Varronem, qui eo nomine probauit populum Romanum, quòd per centum & amplius annos absque simulachris Deum coluerit. Item ex S. Gregorio epistola ad Leonem Isaurum Imperatorem paulopòst principium; *Cur tandem*, inquit, *Patrem Domini nostri Iesu Christi oculis non subiicimus ac pingimus? quoniam quis sit, non nouimus*; & Nicephorus libro 18. capite 13. inter hæreses Armenorum hanc recensет, quòd imagines Patris & Spiritus sancti haberent, & in septima Synodo actione secunda in Synodica epistola Theodori dicitur, *Inuisibilis est diuina natura, nec figurari se permittit*: quod repetitur actione quarta in epistola Germani, & multis

B aliis locis eiusdem Synodi, & Auentinus libro septimo annalium Boiorum refert Ioannem vigesimum secundum summum Pontificem quosdam, qui in finibus Boiorum atque Austriæ supremam illam maiestatem senis, adolescentis, & columbæ imagine depingebant, Iræ maiestatis accersiuisse, Anthropomorphitas esse denuntiasse, quosdam igne condemnasse: & tales imagines Dei non debere fieri etiam à Catholicis docent Abulensis ad caput 4. Deuteronomij quæst. 5. Durandus 3. sententiarum distinctione 9. quæst. 24. & videtur esse sententia S. Thomæ articulo tertio in responsione ad primum.

V.

VI.

Respondetur, & primò ad testimonium sancti Augustini petitum ex cap. 7. lib. de fide & symbolo, respondetur illud intelligi de primo genere imaginum Dei, quod suprà reiecimus: ait enim quòd diuinus Pater sedeat, non esse ita accipiendum, quasi habeat poplites more hominũ,

C qui cùm sint corporei verè & propriè sedent, in iis rectè distinguitur propriè latus dextrum, & sinistrum; & credere Deum esse talem à parte rei, esse sacrilegum, non autem loquitur de duobus aliis imaginum generibus.

VII.

Ad reliqua duo eius testimonia petita ex lib. 4. de Ciuitate Dei, c. 9. & 31. quibus probat sententiam Varronis, respondetur vtramque Varronis authoritatem intelligi de simulachris propriè dictis, quatenus simulachra eiusmodi quæ sunt corporea putantur esse dij, aut saltem dij putantur esse illis omnino similes, quod æstimare derogat dignitati Dei, cuius natura est vt sit substantia spiritalis in omnibus locis, & rebus, sicq; simulachra eiusmodi ad errorem inducunt: item adimunt hominibus metum. Dum enim putant

D Deum esse aliquid corporeum & alto loco constitutum, possunt facilè illum contemnere: at nostri imagines non eo fine eriguntur, vt Deum secundùm suam naturam nobis referant, sed tantùm prout nobis apparuit, vel vt eiusmodi repræsentatione, aliquot eius attributa possint nobis innotescere: & quòd hæc fuerit mens tam sancti August. quàm Varronis ibi, patet ex eo quòd sanctus August. ibi cap. 31. dicat Varronem dicere eos solos animaduertisse quid esset Deus, qui credebant eum esse animam per totum mundum diffusam, quem gubernaret, & colendo Deum sine prædictis simulachris magis accedi ad veritatem: deinde ex eo quod Viues ad cap. illud 31. notet ex Plutarcho in Numa illis 170. primis annis Romanos habuisse Templa sine simulachris, quia tunc prohibebantur habere imaginem aliquã Dei, ne putarẽt Deum habere formam animalis aut hominis.

VIII.

I. Ad authoritatem S. Gregor. (est autem Gregorij secundi, cuius hæc epistola extat apud Baronium tomo 9. Annalium ad annum Christi Domini 726.) respondetur, eam potius confirmare nostram sententiam: nam statim post verba ab hæreticis superiùs obiecta ita subiungit, *Quòd si eum. id est, Patrem diuinum, intuiti essemus, agnouissemus prout filium eius, illum quoque spectandum proponere potuissemus ac pingere:* ergo censet sanctus Gregor. posse nos facere & habere imagines Dei Patris, prout ille aliquando nobis apparuit, & solummodo in tantum negat eius imagines fieri posse, in quantum est Deus, & vt illum vt sic repræsentent: ita enim ait, *Quoniam quis sit non nouimus, Deique naturæ spectandæ propone non potest accingi.* imò sanctus Gregorius secundus est ibi totus in defendendis Sanctorum imaginibus.

II. Ad illud quod referunt ex Nicephoro de hæresibus Armenorum respondetur, Nicephorum tantùm loqui de imaginibus primi generis, & facilè intelligitur ex ratione quam ibi subiicit. Ait enim; *Pingi & figurari esse proprium corporum eorum quæ videri & circumscribi possunt, non autem earum rerum quæ etiam intelligentia non possunt comprehendi.* Vnde significat ipsos Armenos fuisse Anthropomorphitas, & verbis antecedentibus ait eos insinuasse totam Trinitatem fuisse crucifixam, & fortasse conformiter ad illam suam hæresim habebant imaginem totius Trinitatis, quæ cùm esset repræsentatio rei falsa, rectè ibi à Nicephoro reiicitur tanquam absurda.

III. Ad id quod refertur ex Auentino de Ioanne xxij. respondetur eum tantùm condemnasse imagines quæ Trinitatem referebant ad mentem, & sensum Anthropomorphitarum, quales nostræ non sunt, quod ampliùs confirmatur ex eo quòd Ochamus eiusdem temporis scriptor huic summo Pontifici Ioan. xxij. infensissimus, omnes quos potuit eius errores collegit, & in vnum redegit compendium, nusquam tamen meminit condemnationis nostrarum imaginum, quod pro sua in illum inuidia non omisisset.

IV. Quartò obiiciunt. Eius, quod est omnino incorporeum, & simpliciter spirituale, non potest aliqua dari, vel formari imago, seu similitudo corporea, quæ illum referat externis sensibus, quia imaginis ad prototypum debet esse aliqua analogia & habitudo in ratione repræsentationis: atqui Deus secundùm omnes Catholicos est substantia incorporea, purè & simpliciter spiritalis: ergo Dei non potest efformari aliqua imago. Respondetur, hanc obiectionem procedere tantùm de imaginibus primi generis, cuiusmodi non sunt nostræ, vt patet ex dictis.

Quintò obiiciunt. Imagines fiunt, aut vt referant nobis absentes, aut vt proprietates eorum nobis exprimant: at neutro titulo possunt, aut debent fieri imagines Dei, non primo, quia Deus est vbique, non etiam secundo, quia Deus est infinitus, & perfectiones eius certis limitibus non comprehenduntur, vt possint per aliquam imaginem repræsentari: igitur nec possunt nec debent aliquæ fieri imagines Dei.

Respondetur, imagines Dei eum nobis referre quoad cogitationem absentem, imò & iuxta illam formam sub qua illum nobis exhibet reuera absentem: nec enim apparitiones illæ personarum Patris & Spiritus sancti in forma senis & sub specie columbæ adhuc perseuerant, A sed trãsierunt, vt etiam agnoscit Caluinus suprà, & licèt filius maneat semper incarnatus, quia quod semel assumpsit nunquam dimisit; cùm tamen secundùm humanitatem sit in cœlo, nec conuersetur visibiliter nobiscum in terris, rectè potest depingi, vt illum semper aut saltem frequenter habeamus præ oculis: similitudines autem analogicæ & mysticæ non eo fine fiunt, vt intelligamus perfectè etiam sicuti est in seipso, sed vt rudi aliquo modo perfectiones eius apprehendamus. V.

Vltimò obiiciunt authoritatem S. Thomæ hîc art. 3. in responsione ad primum, Durandi 3. sententiarum distinct. 9. quæst. 24. Abulensis ad cap. 4. Deuteronomij qui est. 5. qui dicunt non debere etiam à Catholicis fieri imagines Dei. VI.

Respõdetur, authoritates illas intelligi de imaginibus primi generis, vt patet ex sola lectione solutionis S. Tho. ad primum, & solutionis Durandi ad. 4. q. 2. dist. 9. & tantùm vult Durandus imagines referentes mysteriũ Trinitatis, saltem quoad duas personas Patris & Spiritus sancti, non esse veras imagines Dei, sed earum tantùm formarum sub quibus apparuerunt, quod nos non negamus. B

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm in Templis imagines rectè collocentur.

PARTEM negantem sequuntur Caluinistæ locis superiùs citatis, illis tamẽ neglectis partem affirmantem loco nostræ propositionis statuimus, & est de fide: nam habetur definita in septima Synodo passim, & in octaua can. 7. & in Trident. sess. 25. Decreto de sacris imaginibus; quam etiam sententiam tuetur Lutherus citato commentario ad cap. 1. Michææ, & notat Coleus libro de dictis & scriptis Lutheri Carolostadium primum in Germania imagines Sanctorum à Templis abstulisse, & de hac re fuisse acriter reprehensum à Luthero. Probatur autem hæc nostra conclusio. Primò, quia Exodi capite 25. Deus præcipit Moysi duos Cherubim aureos & productiles facere, & 3. Reg. cap. 6. Salomon fecit in oraculo Templi duos Cherubinos. VII. C

Nec satisfacit quod respondent Deum tunc dispensasse in sua lege, hoc enim superiùs reiectum est, & Kemnitius aliàs imaginibus Sanctorum infensissimus ad Decretum Trident. de imaginibus capite tertio, circa finem docet in Templo Salomonis fuisse imagines, atque narrationes illas Iosephi libro decimo octauo Antiquitatum Iudaicarum capite vndecimo, & alibi de Iudæis nolentibus statuam Caij, & aliorum Imperatorum collocare in Templo, quia lege Dei erat id prohibitum, non fuisse ex vero & antiquo sensu legis diuinæ, sed ex recentioribus Pharisæorum traditionibus & superstitionibus sumptas esse. VIII. D

Secundò probatur ex praxi Ecclesiæ: nam Tertull. qui floruit circa annum 200. lib. de pudicitia cap. 7. & 10. notat suo tempore in sacris calicibus fuisse depictam imaginem Christi Domini portantis supra suos humeros ouem inuentam: Item S. Greg. Nyssenus oratione de Laudibus S. Theodori ait Christi D. effigiem fuisse depictã in Ecclesia, S. Basilius oratione de Barlaam Martyre ait, victorias Martyrum fuisse depictas in Ecclesia: idem fusè tradunt Patres

I. secúdæ Synodi Nicenæ. Sanctus item Damasc. tribus orationibus de imaginibus, Ionas Aurelianensis lib. primo de imaginibus, & ex recentioribus eam notarunt Pamelius ad caput 13. Apologetici Tertulliani, Feuardentius ad cap. 24. lib. 1. sancti Irenæi contra hæreses, & ex hæreticis Kemnitius in prædicto suo examine ad prædictum Decretum Trident. cap. sexto, vbi ab anno 380. vsque ad nostra tempora illam fusè probat. Vnde cùm & collocatio imaginum trita esset tempore Tertulliani, vt patet ex testimonio eius nunc relato, censetur hæc collocatio imaginum in templis esse aliqua Apostolica traditio, vt expresè habet S. Basilius in fragmẽto aliquo epistolæ ad Iulianum, quæ in vltima editione est numero 205. *Characteres* (inquit) *imaginum eorum*, (hoc est sanctorum Apostolorum, Martyrum & Prophetarum, quia ibi de illis loquitur)

II. *honoro, & adoro, præcipuè cùm hoc traditum à sanctis Apostolis, & non prohibitum sit, quin & in omnibus Ecclesiis nostris ostẽdatur depictum.* Et Pamphilus Martyr hanc Apostolorum constitutionem ait se cum pluribus aliis inuenisse in Bibliotheca Origenis, vt refert Turrianus lib. 1. pro Canonibus Apostolorum cap. 26. vbi constitutionem istam Apostolicam refert de verbo ad verbum: & hæc totius Ecclesiæ praxis est maximè conformis rationi. Nam ex cõfessione hæreticorum supra, imagines possunt fieri, & retineri ad ad ornatum: igitur in eo omni loco quem decet esse ornatum, vt est templum inter Christianos, iuxta illud Psalmi Regij, *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis tuæ.* Psal. 25. & iuxta id quod in libris Regum legimus Templum Salomonis fuisse ornatissimum: ergo rectè & de-

III. center poterunt imagines Sanctorum poni ex consequenti in Ecclesiis seu Templis.

Confirmatur. Maximè decet vt ornamenta loci sint suo fini proportionata & conuenientia: at imagines quæ referunt Biblicas historias, item Passiones & historias tùm Christi, tùm Sanctorum Martyrum, sunt maximè proportionatæ fini ipsius Templi, qui est vt sit locus ad Deum exorandum, ad auxilium eius implorandum, ad gratias ei agendas ob beneficia accepta, ad quæ omnia maximè conferunt prædictæ imagines, cùm exhibeant ad oculum beneficia ex passione Christi Domini accepta, excitent & ipsos sui inspectores ad imitationem virtutũ, quæ in Christo, & in sanctis Martyribus eluxerunt; tùm etiam quia prosunt ad institutionem & eruditionem, cùm id præstẽt quod præstat Scriptura, & adhuc efficaciùs, vt iam obseruauimus, &

IV. conseruent recordationem beneficiorum à Deo acceptorum: igitur rectè & conuenientissimè imagines Dei, Christi, & Sanctorum collocantur in Templis.

Nec est quod obiiciant hæretici esse periculum idololatriæ, nam huic periculo prouidetur per Pastores Ecclesiæ, vt suprà notauimus, & nemo est inter Christianos adeò rudis qui aliquam diuinitatem putet inesse ipsis imaginibus.

Articvlvs IX.

Soluuntur obiectiones hæreticorum.

Obiicvnt primò: nec in Templo Salomonis, nec in Synagogis Iudæorum aliquæ erant imagines, siue alicuius alterius Patriarchæ, qui tamen minoris fortasse non A erant sanctitatis quàm multi Sanctorum noui Testamenti, quorum imagines sunt collocatæ in Templis Catholicorum. V.

Respondetur patere solutionem ex ipso Kemnitio, suprà admittente non fuisse prohibitum Iudæis habere imagines in Templo, & in Synagogis, & imaginum prohibitionem contineri isto Dei præcepto, *Non facies tibi sculptile*, suprà ostendimus, cùm prædicta illa verba vnum tantùm componant primum præceptum cum istis, *Non habebis Deos alienos*, & tantùm prohibeantur fieri eiusmodi similitudines *vt adorentur tanquam dij*; vnde si quando fuit prohibitum Iudæis habere imagines, id potiùs videtur factum lege aliqua ciuili ipsius Magistratus cognoscentis proclinitatem Iudæorum ad idololatriã, & eam volentis coercere, quàm ipsius Dei.

B Secundò obiiciunt, quòd tempore primitiuæ Ecclesiæ nullæ fuerint imagines in Templis, VI. & confirmant ex Concilio Eliberitano Canone 36. ita decernente; *Placuit picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.*

Respondetur, ex relata praxi Ecclesiæ constare etiam in primitiua Ecclesia imagines fuisse in Templis Christianorum. Ad Canonem Eliberitanum respondetur in imaginibus etiam collocatis in Templo duo posse distingui. Primum est *historia* Christi, vel viri sancti repræsentatio. Secundum est *subiectum* cui talis repræsentatio imprimitur. Primum facit ad substantiam imaginis. Secundum est ei merè accidentarium, quia est per accidens imagini, qua imago est, quòd sit repræsentatio facta in pariete, vel in marmore, vel in tabella, charta, cera, lignea, vel

C in tela. Iam Cõcilium Eliberitanum non prohi- VII. bet ibi imagines quoad primum poni in Ecclesiis, nec ex consequenti statuit absolutè & simpliciter loquendo eas non esse collocandas in Templis, sed tantùm prohibet secundum, ne scilicet imagines depingantur in parietibus, vel aliis eiusmodi subiectis, quæ non possunt facilè transportari: & quòd hæc fuerit mens istius Concilij, patet tàm ex ratione quam ibi subiicit, quàm ex conditione illorum temporum; ex ratione quidem, quia ista, ait, ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur, quibus verbis significat se, hoc suo edicto tantùm prohibere picturas parietum, seu eas imagines quæ ipsis parietibus imprimũtur: ex cõditione etiam temporis, quia Concilium hoc celebratum est anno Christi Domini 305. 20. annis ante primum Nicænum Concilium, quo tempore durabat adhuc contra Christianos persecutio, nec

D eis erat liberum Christianæ religionis exercitium: vnde vt imminente sibi persecutione possent Christiani imagines secum adsportare, aut saltem occultare, & Ethnicis eas violandi occasionem subtrahere, noluerunt prædicti Patres imagines depingi in parietibus. VIII.

Tertiò obiiciunt S. Irænеum lib. 1. aduersus hæreses capite 23. & 24. inter hæreses Gnosticorum & Carpocratianorum, quòd habuerint *quasdam quidem imagines depictas, quasdam autem de reliqua materia fabricatas, dicentes formam Christi factam à Pilato illo in tempore, quo fuit cum ipsis hominibus.* quod iidem hæretici tribuunt S. Augustino lib. de hæresibus cap. 7. & S. Epiphanio aduersus hæreses hæresi 27.

Respondetur, istos hæreticos non reprehendi, quòd haberent imaginem Iesu Christi, sed

I. quòd more gentili eam ita adorarent, vt etiam ei sacrificium offerrẽt, quemadmodum expresè notat sanctus Epiphanius hæresi 27. quod significat sanctus Irenæus, dum loquens de imaginibus ita extremis verbis claudit caput 24. *Et reliquam obseruationem circa eas similiter vt Gentes faciunt*; nam ibi est sermo expressus de Marcellina, quæ ex sancto Augustino loco ab aduersariis citato, fuit secta Simonis; secta autem Simonis offerebat sacrificia istis imaginibus tanquam dus, vt habet Theodoretus libro primo Fabularum hæreticarum, in Simone: at nos Catholici non cõtendimus sacrificium deberi imaginibus, sed venerationem tantùm, quæ est aliquid longè inferius, vt patebit infrà.

Obiiciunt quartò. Ex sancto Augustino libro de consensu Euangelistarum cap. nono & decimo, vbi ait: *Eos errare qui Christum & Apostolos in pictis parietibus quæsierunt*; & epistola 49. & concione secunda in Psalmum 113. in illa verba, *Os habent & non loquentur*, vbi ait: *In templis Christianorum esse quidem vasa aurea, & argentea, sed non talia, quæ os habeant & non loquantur, & quibus supplicetur.*

II. B

Respondetur ad primum locum, sanctum Augustinum ibi non condemnare imagines, sed ignorantiam quorundam reprehendere, qui ex eo quòd viderunt beatos Petrum & Paulum Apostolos eadem imagine depingi cum Christo, colligebant etiam sanctum Paulum fuisse Discipulum Christi vitam mortalem adhuc degentis, & Christum ad vtrumque Apostolum scripsisse aliquos libros, vnde eorum ignorantiam reprehendendo, subiungit, *promeruisse decipi, quòd omissis sacris codicibus, in quibus falsitatem sui erroris cognouissent, eius probationem quæsierint in picturis*, & sanctus Augustinus ibi apertè significat imagines Christi & Apostolorum fuisse in vsu suo tempore, vt prædicti malè probarent suum errorem ex illis.

III. C

Ad auctoritatem eiusdem S. August. epistola 49. respondetur verba in obiectione relata ibi nullomodo haberi, sed eo loci quæst. 3. S. August. tantùm dicere *Christianos culpare in sacrilegis ritibus Paganorum, non quòd construant templa, instituant Sacerdotia, & faciant Sacrificia, sed quòd hæc idolis & damoniis exhibeant, quódque idola locentur sedibus, honorabili sublimitate, vt à precantibus & immolantibus attendantur*, quatenus eis tanquam Diis offertur sacrificium: at nostræ imagines non sunt idola, vt suprà ostẽdimus, nec quæ de illis, aut contra illa, dicuntur à Patribus, possunt dici de nostris imaginibus, aut contra illas, nec eis etiam quatenus referunt nobis Deum prout aliquando apparuit, offerimus sacrificium.

IV. D

Ad authoritatem eiusdem S. August. concione secunda in Psal. 113. respondetur eum ibi tantùm loqui de idolis & simulachris, esse quidem in Ecclesia instrumenta vel vasa quæ sunt opera hominum, quibus ibi ait nos non supplicare, sed per quæ supplicamus Deo, quæ postrema verba sunt notanda: nam neque nos Catholici supplicamus imaginibus, quasi aliquid ab eis petamus, vt recte notat Concilum Trident. suprà, sed tantùm Deo & Sanctis supplicamus: & quemadmodum ex verbis S. Augustini nunc citatis supplicamus Deo per instrumenta quæ sunt in Ecclesia, quatenus inter supplicandum Deo iis vtimur: ita etiam nos inter supplicãdum Deo & Sanctis vtimur eorum imaginibus ad excitandam in nobis eorum memoriam, item beneficiorum ab illis acceptorum, & affectus pietatis & charitatis erga illos. V.

Obiicies quintò, Adrianum Imperatorem in gratiam Christianorum templa condidisse, in quibus tamen nullæ erant imagines; negatur dici factum sine imaginibus. *sed sine simulachris*, quod longè est aliud, & sine *numinibus*, id est, idolis ad adorandũ propositis tanquã veris Diis.

Obiicies sexto, Epiphanius Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, quam Latinam fecit S. Hieronymus, ait *se scidisse velum habens imaginem cuiusdam hominis, quia id videbatur factum contra authoritatem scripturarum.* item & Serenus Episcopus Massilienſis, vt constat ex S. Greg. lib. 7. epist. 9. fregit omnes imagines. VI.

Respondetur, partem illam quæ continet scissionem veli esse suppositiam, ab hæreticis additam. Primò, quia tempore S. Hieron. quod longè antecessit secundam Nicænam Synodum, quàm plurima extabant huius epistolæ Græca exemplaria, vt testatur S. Hieron. stans in principio epistolæ 101. quæ est ad Pammachium, & Iconomachi in 2. Nicænam collegerunt omnia quotquot potuerũt Patrum testimonia, imò & noua confinxerunt, vt ibi videre est, & nihilominus huius testimonij nunquam meminerunt, illud si extitisset, non omissuri. Deinde quia si sanctus Epiphanius id fecisset in ea Diœcesi Ioannis Hierosolymitani, tàm bene fuisset conquestus Ioannes ille de sancto Epiphanio, vt arrogante sibi hanc iurisdictionem per hoc factum in sua Diœcesi, sicut de illo conquestus est, quòd in Diœcesi Hierosolymitana se inconsultò Presbyterum ordinasset, vt constat ex epistola S. Epiphanij quæ inter epistolas S. Hieron. habetur 60. at Ioannes ille de iurisdictione hoc facto per S. Epiphanium vsurpata, nullomodo conquestus est, vt patet ex eadem S. Epiphanij epistola, & ex sequenti epistola 61. quæ est S. Hieronymi respondentis ad omnia quæ prædictus Ioannes obiiciebat S. Epiphanio. 3. quia S. Damasc. oratione secunda de imaginibus sub finem, cùm locus aliquis S. Epiphanij contra imagines ei obiiceretur, ait sermonem illum fuisse confictum ab aliquo, qui nomine S. Epiphanij abusus est, quod confirmat ex eo quòd eius Ecclesia Cypri fuerit exornata imaginibus vsque ad tempus illud Iconomachorum. Quartò, quia si tempore S. Epiphanij fuisset hæreticum collocare imagines sanctas in Ecclesia, cùm illo suo opere aduersus hæreses sit complexus omnes hæreses quæ ad suum vsque tempus fuerunt, hanc etiam de imaginibus retinendis & in Ecclesia collocandis non omisisset, cuius tamen nusquam ibi meminit. Quintò, quia ista narratio non tantùm est habita post finem impositum epistolæ, vt patet ex sola eius lectione, sed etiam continet aliquid quo probat se esse falsam, dum non seruat decorum in tanto viro, qualis erat S. Epiphanius, requisitum. Nam primò dicit ibi S. Epiphanius se id fecisse in eo itinere quo cum ipso Ioanne Hierosolymitano pergebat, vt ibi cum illo collectam faceret, ac proinde illo Episcopo loci præsente: at non est verisimile S. Epiphanium virum prudentem voluisse aliquid attentare in aliena Diœcesi proprio loci Episcopo præsente, sed potiùs hac de re monuisset Ioannẽ Hierosolymitanum, eique præsenti consuluisset præcipere velum istud tolli, cuius tamẽ omnino contrarium iuxta istam fabulosam narrationem VII. VIII.

I. facit, ibi enim dicitur S. Epiph. statim atq; vidit tale velum scidisse illud, neque vlla fit ibi mentio consilij tunc proprio loci Episcopo dati de prohibendo velo isto vel alio simili : deinde extrema parte istius appendicis sanctus Epiphanius sese ridiculum præbet. Nam tota secundâ parte suæ illius epistolæ notat Ioannem Hierosolymitanum esse Origenistam, de seipso esse conquestum, quòd dixisset eum non debere laudare Origenem Arrij Patrem, & aliarum hæreseon radicem, & tamen extrema illa prædicta parte monet eum quasi Catholicũ vt fugiat Palladiũ, quia hæresim Origenis prædicat, eodem ferè modo, quo aliquis Catholicus moneret Ministrum aliquem Caluinistam, ne conuersetur cum alio sibi simili ministro Caluinista, quia Caluini hæresim prædicat, quod facere censetur esse ridiculum.

II. Ad factum Sereni, quod referunt hæretici, respondetur ibidem fuisse à sancto Gregorio condemnatum.

Obiiciunt septimò in multis Conciliis esse definitum tollendas esse imagines è templis, vt in Constantinopolitano tempore Leonis Isaurici, & in altero Concilio Constantinopolitano tempore Copronymi, item & in Ephesino tertio.

Respondetur ea Concilia non fuisse legitima, quin etiam illa expressè condemnat Petrus Martyr citato illo cap. 5. in locis suis communibus numero 22. & Constantinopolitanum sub Leone Isaurico nullum fuit, quia nullus Patriarcha ei interfuit, & Leo ille Isauricus in gratiam duorum Iudęorum Magorum, qui eum futurum Imperatorem prædixerãt, omnes Sanctorũ imagines iussit destrui, vt refert Sabellicus Æneade III. 8. lib. 8. qui etiam notat illum fuisse Arrianum. Alterum verò Constantinopolitanum sub Copronymo (quem etiam addictum magiæ notat Zonaras in Constantino Copronymo, vt constat ex secunda Nicæna actione sexta, vbi Ioannes Cancellarius negans illud fuisse legitimum ita ait, *Quomodo autem magna & vniuersalis in quam nec omnes consenserunt, & reliquarum Ecclesiarum præfecti non admiserunt, sed anathemate eam deuouerunt*, & idem iudicium est ferendum de tertio Ephesino, cùm ex secunda Nicæna actione sexta, constet hoc Constantinopolitanum etiam fuisse vocatum *Ephesinum*, sumpta occasione erroris à Theodosio Ephesino Episcopo qui huic Concilio præfuit.

Vltimò obiiciunt: occasio & instrumenta idololatriæ non sunt collocanda in templis : at imagines sunt huiusmodi, vt intelligitur ex serpente æneo, qui erat imago typica Christi, & nihilominus, quia fuit occasio idololatriæ, destructus IV. est ab Ezechia Rege, libro 4. Regum capite 18, ob idque laudatus est.

Negatur Minor: nam Ecclesia studiosè cauet ne in templis ponãtur imagines quæ sint vel falsi dogmatis, vel præbeant populo occasionem periculosi erroris, vúltque Pastores tàm huic rei, quàm instructioni populi de imaginibus sedulò incumbere, vt patet ex citato Decreto Tridentino sess. 25.

Nec est par ratio nostrarum imaginum, ac serpentis ænei per Ezechiam Regem destructi, hic enim tanquam Deus, aut aliquid diuinitatis in seipso habens, à quo Patres eorum fuerant sanati in deserto, adorabatur cultu latriæ à Iudæis, cùm ei adolerent incensum, & in eo tanquam in Deo totam suam fiduciam spémque collocabant, vt satis intelligitur ex verbis illis sequentibus, *Vocauitque nomen eius Nohestan. In Domino Deo Israël speranit.* quasi dicat, vocauit illum serpentem putum æs, seu massam æneam, vt hoc ipso nomine cunctis innotesceret non esse in eo tanquam in Deo sperandum, vel ei incensum adolendum, nec Ezechias speranit in serpente illo quasi posset ei facere bonum, sicut speranit populus, & ideo non coluit, sed confregit, quod etiam notat sanctus Augustinus libro decimo de ciuitate Dei cap. 8. *Quem serpentem*, inquit, *propter factã memoriam reseruatum, cùm postea populus errans tanquam idolum colere cœpisset, Ezechias Rex religiosa potestate seruiens cum magna pietatis laude contrinit.* At nostræ imagines nec sunt idola, vt docuimus suprà, nec eis tribuimus aliquid diuinitatis vel fiduciam aut spem in illis collocamus, vel eis sacrificium offerimus, vt rectè docet Trident. suprà.

Articvlvs X.

Vtrùm imagines sint adorandæ.

Partem negantem sequuntur omnes hæretici nostri temporis. Sed aduersus hanc opinionem sit.

Ista propositio. *Imagines Christi & Sanctorum sunt dignæ aliqua adoratione & veneratione.* Propositio est de fide in septima Synodo, vbi act. 2. & 3. adoratio seu veneratio imaginum dicitur *esse traditio Apostolica* : & pro hac conclusione fusè Patres ibi referuntur : item ex tertio Can. 8. Synodi; item ex Concilio Florentino sess. 5. Trident. sess. 25. & in multis alijs.

Probatur primò ex sacris Litteris, quæ docent rebus sacris & dicatis diuino cultui deberi aliquam venerationem & adorationem, Exod. 3. *Solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est*, Isaiæ 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Psal. 131. *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*, id est locum. Psa. 98. *Adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est.* quod intelligitur dictum de Arca Domini, vt patet ex libro primo Paralip. cap. 28. vbi eadem vocatur *scabellum pedum Dei.* Item eadem Arca præcipitur reuerenter portari, & qui eam temerè tangit, aut ad illam appropinquat, punitur, Iosue cap. tertio, primi Reg. cap. sexto, Oza punitur quia illã tetigit, item Exod. 39. lamina quæ erat in mitra Sacerdotis vocatur expressè, *Lamina sacræ venerationis*, quæ quia continebat sanctum nomen Dei in seipsa descriptum rectè potest appellari imago, & ita quàm plurima VIII. alia passim in sacris Litteris dicuntur aliquem cultum & venerationem sibi vendicare, quia cultui diuino sunt dicata: atqui imagines Christi Domini & Sanctorum sunt aliquid diuino cultui consecratum & dicatum : igitur sacris illis imaginibus debetur aliquis cultus, veneratio, & adoratio. Maior satis patet ex locis in ea citatis : nam in primo sanctitas propter quam iubetur Moses soluere calceamenta tribuitur ipsi loco, & propter ordinem quem ille habet ad Deum iubetur Moses eum venerari. Item Psal. 98. Veneratio & adoratio tribuitur Arcæ Testamenti.

Nec obstat quòd in Hebræo textu legatur : adorate ad scabellum, & non, adorate scabellum, vt nobis obiiciunt hæretici. Nam linguæ Hebraicæ periti notant particulam Hæbraicam

V. VI. VII.

I. cuius loco in nostra versione habemus, *Adorate*, propriè significare, sese prosternere: vnde cùm sit idem *sese prosternere ad scabellum*, ac *adorare scabellum*, fit vt semper eo loci exprimatur veneratio & adoratio Arcæ Testamenti propter ordiné & habitudinem quam habet ad Deum, qui ita sanctus est, vt etiam iis quæ speciali aliquo titulo ad illum pertinent, prout sunt illius, communicet sanctitatem. Confirmatur, quia septima Synodus act. tertia, & sanctus Damascenus libro quarto de fide cap. 17. docent non solam Arcam, sed etiam mensam, propitiatorium, torúmque tabernaculum fuisse adoratum à Iudæis: Minor verò ex finibus, propter quos omnes Catholici admittunt has imagines collocandas esse in templis: inter quos recensetur & iste, vt *per illas Christum, & Sanctos honoremus.*

II. Probatur secundò ex Patribus, quos fusè referunt septima Synodus in sex primis actibus, & sanctus Damas. tribus orationibus de imaginibus, quibus addi potest sanctus Athanasius in quæstionibus ad Antiochum quæst. 39. vbi ait: *Eos esse dementes & fastu quodam arreptos qui Crucem, effigiésque Sanctorum adorare recusant*, & ibidem refert Dæmonem hoc vnum postulasse à quodam Monacho Hierosolymitano, quem grauissimè tentabat, vt si vellet eum desistere à tentatione, desisteret etiam: Monachus ab adoratione imaginis beatissimæ Virginis: Item sanctus Cyrillus Alexandrinus epistola ad Theodosium Iuniorem, vbi ait, *Imagines esse honorandas propter archetypa.* Item sanctus Hieronymus epistola 27. in epitaphio Paulæ, vbi ait, *Illam adorasse Crucem Domini, quasi in illa Christum pendentem cerneret.*

III. Probatur tertiò nostra conclusio ex miraculis, quæ passim referuntur in septima Synodo, actione quarta & quinta. Item ab Eusebio lib. 7. historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. Euagrio lib. 4. historiæ Ecclesiasticæ cap. 26. Sozomeno lib. 5. cap. 21. & aliis passim.

ARTICVLVS XI.

Nostra sententia probatur ratione.

PRIMA ratio pro nostra propositione est eiusmodi. Quando res per imaginem repræsentata est digna aliquo honore & reuerentia, tunc & eius imago est aliqua veneratione digna: atqui Christus & Sancti qui repræsentantur per sacras imagines, sunt aliquo honore & reuerentia religiosa digni: ergo & sacræ imagines quæ illos repræsentant. Minor patet ex dictis suprà de dulia, hyperdulia, & patebit infrà. Tota difficultas restat in Maiori, quæ sic probatur. Excellentia prototypi redundat in eius imaginem, eique quodammodo communicatur: ergo sicut in prototypo excellentia causat & fundat honorem & reuerentiam; ita etiam causabit illam & fundabit in imagine.

IV. Consequentia hæc vltima probatur. Posita causa in actu, debet poni & eius effectus: atqui causa cur prototypum sit dignum aliquo honore & reuerentia, est ipsa eius excellentia, & hæc de facto ita à prototypo redundat in imaginem, vt illi quodammodo communicetur: ergo & illa debet etiam causare & fundare honorem & reuerentiam in imagine. Antecedens verò probatur. Excellentia prototypi sequitur & ipsum prototypum, & vbicumque illud est, vel communicatur eius esse, ibi est, & communicatur eius excellentia: atqui prototypum est in ipsa sui imagine, imò ipsa imago prout sumitur formaliter secundùm rationem imaginis, est ipsummet prototypum secundùm *esse repræsentativum*: igitur & prototypi excellentia est in eius imagine & ei communicatur.

Dices Maiorem tantùm esse veram de prototypo secundùm *esse reale* considerato, non autem de prototypo *secundùm repræsentationem* considerato, de quo tamen solùm procedit Minor: sed id refellitur & ostendimus secundum *moralem hominum æstimationem*, prototypi excellentiam etiam communicari eius imagini. Primò ex confessione hæreticorum, nam Caluinistæ profitentur verum & reale Christi Domini corpus non esse verè, realiter, substantialiter in Sacramento Eucharistiæ, sed Eucharistiam esse tantùm nudum signum, figuram & imaginem corporis Christi Domini, & nihilominus volunt non solùm nomen, & appellationem corporis Christi, sed etiam dignitatem eius communicari Sacramento Eucharistiæ, & ratione ist us dignitatis eos qui indignè accedùt ad illud, esse non contemptores panis & vini, sed Christi, & huius sceleris graues pœnas luere, sic Beza. Tremellius & Iunius ad caput vndecimum primæ ad Corinth. ad illa verba Apostoli, *Itaque quicumque manducauerit panem hunc*, & ad illa, *qui manducat & bibit indignè.* Probatur etiam Patrum auctoritate, sancti Athanasij orat. quarta contra Arianos paulò post principium, vbi ait, imaginem Regis ita posse alloqui inspectorem, *Ego & Rex vnum sumus, ego enim in illo sum & ille in me, & quod in me animaduertis, id quoque in illo animaduertis, & quod videris in illo, videris & in me.* Quòd autem sanctus Athanasius non tantùm id intelligat quoad externam expressionem lineamétorum corporis, sed etiam quoad *dignitatem* & *excellentiam* Regis, quæ ab eo redundet in imaginem, eique morali hominum æstimatione communicetur, patet ex istis eius verbis statim sequentibus, *Qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem, quippe cùm ipsa imago nihil aliud sit quàm Regis forma ac species:* vbi sanctus Athanas. ex eo quòd ea quæ sunt in Rege, sunt eadem & in eius imagine, colligit imaginem esse adoratione dignam; ergo cùm fundamentum adorationis sit dignitas, & excellentia vt patet ex superioribus, censet Beatus Athanas. dignitatem & excellentiam prototypi communicari aliquo modo eius imagini: & cùm non communicetur *ei realiter* & physicè, vt per se constat, saltem *moraliter* iuxta prudentem hominum æstimationem ei communicari, & hoc idem repetit oratione aduersus Gregales Sabellij paulò ante medium, *Qui Regis imaginem videt* (inquit) *Regem videt, & dicit en tibi Regem, neque tamen duos Reges constituit, neque imaginem, particulam Regis, neque Regem particulam imaginis diuidicat.* Item ex sancto Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 18. *Rex dicitur* (inquit) *Regis imago, non autem duo Reges, neque enim potestas scindutur, neque gloria diuiditur*, quibus postremis verbis exprimit dignitatem & excellentiam, quæ in Rege causat gloriam, esse etiam in eius imagine, non quidem *physicè*, sed *morali* hominum æstimatione.

Secunda ratio pro nostra conclusione est hæc: Cuilibet signo rei sacræ, & religiosæ potest religiosus aliquis cultus exhiberi: atqui imagines

I. Christi Domini & Sanctorum sunt signa rerum sacrarum & religiosarum: igitur Christi Domini & Sanctorum imaginibus potest religiosus aliquis cultus exhiberi. Maior est sancti Augustini libro tertio de Trinitate cap. decimo, vbi agens de variis signis ait, *ea quæ sunt sacra* (inter quæ numerat serpentem æneum & Eucharistiam) *posse tanquam religiosa habere honorem*: imo est & Caluinistarum, secundùm quos Sacramenta nouæ legis sunt nuda signa, quibus tamen ob suam significationem libenter admittunt honorem, venerationem & reuerentiam esse exhibendam, vt verbis expressis habet Mornæus lib. quarto de Sacramento Altaris cap. septimo paulò pòst medium, vbi etiam pro hac re citat hunc locum S. Augustini, & alium eiusdem S. Augustini de catechisandis rudibus cap. 26. vbi ait

II. *signa visibilia rerum diuinarum esse venerandæ.*

Nec est quòd respondeat Scarpius sanctum Augustinum ibi loqui de signis diuinitus institutis: imagines autem Christi & Sanctorum non esse signa diuinitus instituta: non est (inquam) quòd hoc respondeat. Nam sanctus Augustinus ibi non repetit veneration em istorũ signorum præcisè ex eo quòd sint à Deo instituta; alias enim cùm arcus cœlestis fuerit à Deo institutus in signum diluuij nunquam ampliùs futuri, Genes. cap. 9. esset honore aliquo & veneratione dignus, quod non dabunt hæretici: sed venerationem istorum signorum repetit sanctus Augustinus, ex eo quòd *sint signa, seu signacula rerum diuinarum*, & proinde cùm imagines Christi Domini & Sanctorum sint signa rerum etiam diuinarum & sacrarum, quia repræsentant nobis

III. Christum & Sanctos, erunt etiam ex mente sancti Augustini venerandæ.

Tertia ratio. Ad honorem alicuius pertinet, vt quando est honore dignus, non solùm honoretur in seipso, sed etiam in sua imagine, quia qui imaginem Regis adorat, adorat & Regem in ea, ex sancto Athanasio orat. 4. contra Arrianos, sancto Basilio libro de Spiritu sancto capite 18. sancto Ambrosio in Psal. 118. sermone 10. dicente, *Qui etiam coronat imaginem Imperatoris, vtique illum honorat cuius imaginem coronauit.* scilicet, quia honor imaginis redundat in honorem prototypi: atqui Christus & Sancti sunt digni aliquo honore, eóque non tantùm ciuili, sed *religioso*, vt patet ex dictis: ergo Christus & Sancti debent etiam honorari in suis imaginibus: & proinde quia eorum prototypa sunt obiecta cultus religiosi, eorum etiam imagines erunt religioso aliquo cultu dignæ. Confirmatur:

IV. quicquid est capax iniuriæ, est etiam capax alicuius honoris & cultus, quia hæc sibi inuicem opponuntur: atqui imagines Regum & Imperatorum quatenus tales possunt affici honore & iniuria quæ redundent in ipsarum prototypa, vt patet ex variis historiis Principum etiam Christianorum, qui iniuriam suis imaginibus factam tanquam sibi irrogatam, aut saltem in seipsos redundantem sunt vlti, vt videre est apud sanctum Chrysost. homil. secunda, & tertia ad populum Antiochenum, & sanctum Ambrosium de obitu Theodosij, qui punuit Antiochenos quòd suæ vxoris imaginem ignominiosè tractassent: ergo & imagines erunt capaces honoris: igitur quando earum prototypa erunt digna aliquo cultu religioso, cuiusmodi sunt Christus & Sancti, erunt & eorum imagines cultu aliquo religioso dignæ.

Neque huic rationi satisfacit quod respondent hæretici, primò falsum esse iniuriam illatam imagini semper redundare in prototypum, cùm moneta falsata gerat Regis imaginem, & tamen Decreto Principis feriatur, hac iniuria nullomodo redundante in ipsum Regem. Secundò, honorem prototypi nõ sequi ad honorem signi, nisi quando signum & honor signi sunt à Deo ordinata: imagines autem Christi & Sanctorum & eorum cultum non esse à Deo ordinata; hoc (inquam) vtrumque non satisfacit, non primum, quia moneta falsata non gerit legitimam imaginem Regis, vt ipsum eius nomen indicat, quod non est desumptum à metallo, quia potest esse falsata, & tamen vero & puro auro, vel argento impressa, sed dicitur falsata, quia fit contra expressam Regis prohibitionem, & resisio talis monetæ nullomodo redundat in dedecus VI. Regis, sed tantùm sui auctoris, quia resisio hæc fit tantùm in punitionem Regiæ authoritatis sibi arrogatæ ab eo qui eam nullomodo habet: è contrà verò vbi moneta iussu Principis est excussa, eiúsque gerit imaginem, nulli subditorum sine Regis authoritate licet eam rescindere: at Christi Domini & Sanctorum imagines, quas habemus in nostris Ecclesiis sunt legitimæ, cùm habeantur ex traditione Apostolica, & approbatione totius Ecclesiæ: vnde licut honos & iniuria, quæ legitimæ Regis imagini inferuntur, redundant in personam Regis, & in eius ignominiam vel honorem: ita etiam & honos vel iniuria, quæ infertur imaginibus Christi Domini & Sanctorum, redundat in honorem vel iniuriam Christi Domini vel Sanctorum. Non item secundum satisfacit, nam honos vel iniuria illata imagini non ex eo præcisè redundat in proto- VII. typum, quia signum & honos sunt à Deo instituta, sed ex naturali veluti conditione qua *legitima imago, & eius prototypum sunt aliquid vnum & idem*; & quando honos à Deo præscriptus non defertur signo, præcisè ex illo tantùm motiuo, quod præscriptus est à Deo, tunc iniuria non tàm censetur fieri vel redundare in prototypum, loquendo præcisè, quàm fieri vel redundare in legislatorem, cuius lex tunc violatur, & authoritas condemnatur, & ad hoc vt honos, vel iniuria illata imagini redundet in prototypum, non est absolutè necessarium vt lege aliqua positiua iubeatur fieri talis prototypi repræsentatio, seu imago, sed sufficit vt nulla lege sit prohibitum talem imaginé efformare, & eius prototypum sit tali honore dignum, vt patet in imaginibus Regum, Principum & Magnatum, quæ, quia licitè fiunt, etiam sine præcepto, & perso- VIII. næ quas repræsentant sunt dignæ ciuili aliquo honore, honos eis exhibitus censetur redundare in personas quas referunt: ergo à pari quia nullo præcepto prohibentur fieri vel haberi imagines Christi Domini & Sanctorum, vt iam ostendimus, & earum prototypa sunt digna cultu aliquo religioso, honos eis exhibitus redundat in Christum & Sanctos.

Postremò probatur ex miraculis factis per imagines, nõ quomodocumque, sed in punitionem eorum qui illas ignominiosè tractarunt, vel in bonum & commendationem illorum qui illas honore affecerunt. Cùm enim Deus sit summè sapiens & bonus, nec possit falli nec fallere, non potest aliqua miracula vt potè veritatis tantùm & non falsitatis signa facere in talem commendationem vel vindictam, nisi &

I. ipſas imagines Chriſti Domini & Sanctorum licitum ſit habere & colere. Hæc autem miracula legi poſſunt in hiſtoriis, vt apud Euſebium lib. 7. hiſt. cap. 14. apud Sozomenum lib. 5. cap. 20. & apud alios.

ARTICVLVS XII.

Solvitur dubium.

QVÆRES an non tantùm ſit licitum & honeſtum habere & colere ſacras imagines, ſed etiam ſit præceptum. Reſpondetur primò, *Nullum eſſe præceptum ſiue naturale, ſiue diuinum, quo teneamur habere vel pingere imagines, aut actu aliquo ſeſe ad illas terminante eas adorare.* Probatur vtraque pars reſponſionis, quia nullibi extat tale præceptum: nam quæcumque tradidimus ſiue ex traditione, ſiue ex Conciliis & Patribus pro retinendis ſacris imaginibus, & aliquo cultu religioſo honorandis, probant tantùm *honeſtum eſſe & licitum* illas habere: item eſſe dignas aliquo cultu. Vnde cùm latiùs pateat eſſe honeſtum, licitum, dignum honore & reuerentia, quàm eſſe præceptum, quia omnis actus ſtudioſus eſt licitus & honeſtus, non tamen præceptus, vt conſtat ex Conciliis Euangelicis, ſit vt ex tali honeſtate imaginum, & earum dignitate in ordine ad reuerentiam & cultum, non bene colligatur eſſe in præcepto eas habere aut colere. Deinde ſi quod eſſet præceptum, maximè ex eo quòd tenemur Chriſtum adorare, & proinde eius imaginem: at primum iſtud non infert neceſſariò hoc ſecundum, quia rectè poteſt intelligi Chriſtus adorari in ſeipſo, licèt actu aliquo elicito non adoretur in ſua imagine: ergo adoratio imaginum, vel illarum collocatio in Templis, non eſt de præcepto aliquo poſitiuo iuris naturalis, vel diuini.

II. III.

Reſpondetur ſecundò, ſuppoſito quòd ſint ſacræ imagines, *eſt præceptum naturale negatiuum non inferendi illis iniuriam, nec illas ignominioſè, vel irreuerenter tractandi.*

Probatur. Iure naturali tenemur abſtinere ab inferenda alicui iniuria, & hoc præcepto negatiuo, vt per ſe conſtat: atqui irreuerèter & ignominioſè tractare ſacras imagines, eſt Sanctis, earum prototypis aliquam inferre iniuriam, quæ ignominia illis illata redundat in illarum prototypa: ſicut honos & reuerentia ex dictis ſuprà: igitur naturali præcepto negatiuo tenemur non inferre iniuriam ſacris imaginibus, nec eas ignominioſè tractare.

IV.

Tertiò reſpondetur, *Data aliqua occaſione, vel aliquo ſuppoſito, poſſe fieri vt quis teneatur adorare poſitiuo actu ſacras imagines, & eas cum honore tractare.*

Probatur, quia poteſt contingere vt ad vitandum ſcandalum aliquis ad id teneatur, item ad profeſſionem fidei, exempli gratia, dum hæreſis Iconomachorum graſſatur, vel ob aliquam aliam alicuius momenti rationem.

ARTICVLVS XIII.

Soluuntur obiectiones hæreticorum ex Scripturis & Conciliis.

OBIICIVNT primò, adorationem imaginum eſſe prohibitam Exodi 20. & Deuteronomij 4. quòd ſi reſpondeas id intelligi de idolis & cultu, qui exhibetur eis tanquam diis; vrgent. Vbi ius & Scripturæ non diſtinguunt, neque nos debemus diſtinguere: at ſacræ ſcripturæ locis illis citatis non diſtinguûnt inter idola & imagines, ſed abſolutè prohibent cultum exhiberi non tantùm ſculptilibus, verùm etiam quibuſvis rerum creatarum ſimilitudinibus: imagines autem Sanctorum ſunt aliquæ rerum creatarum ſimilitudines; ergo etiam prohibetur ibi adoratio illarum.

A V. B VI.

Reſpondetur ad id fuiſſe ſuperiùs reſponſum. Ad eius confirmationem reſpondetur ſacras Scripturas ibi diſtinguere etiam inter *idola*, & *imagines ſacras*, tantùmque prohibere ſimilitudines rerum creatarum eo fine factas, vt cultus latriæ ſoli Deo debitus eis impendatur, vt fuſè docuimus ſuprà ex ipſo textu & Patribus.

Secundò obiiciunt. Iudæi quando adorauerunt vitulum aureum, reprehenſi ſunt tanquam idololatræ, nec tamen illum adorabant, ſed verum Deum in eo; nam Exodi 32. populus dixit de iſto vitulo, *Iſti ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*; quod non potuerunt intelligere de illo vitulo materiali aureo, cùm ibidem populus priùs dixerit Aaroni, fac nobis Deos qui nos præcedant, & pro illis faciendis dederint filij & filiæ Iſraël inaures aureas, quas habebant. Ergo hac lege decalogi prohibetur cultus, qui etiam exhibetur prototypo per imaginem, aut in imagine. quod ampliùs vrgent hæretici in aliquibus paganis, quos contendunt ita coluiſſe ſua ſimulachra, vt non ea, ſed tantùm in eis Deos ipſos adorauerint, & nihilominus paſſim in ſacris Litteris & Patribus tanquam idololatræ reprehenduntur.

C VII.

Reſpondetur, Iudæos tunc verè fuiſſe idololatras, adoraſſe vitulum, & non Deum in vitulo, nam ſacra Scriptura id paſſim explicat, vt Exodi 32. ait Deus Moyſi de Iudæis; *Fecerunt ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt, ij ſunt dij tui Iſraël*: quo loci oblatio ſacrificij dicitur facta ipſi vitulo cõflatili, ſacrificium autem ſoli Deo debetur, non item eius imagini, & Pſal. 105. dicitur; *Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriam ſuam*, id eſt, *Deum ſuum*, vt ex Apoſtolo ad Rom. 1. cap. explicat S. Auguſtinus ad illum verſum Pſalmi 105. *In ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*: deinde ſubſequens ille verſus, *Obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos*, ſatis exprimit noſtram reſponſionem: nam dicuntur filij Iſraël hoc ipſo, quo vitulum conflatilem ſibi conſtituerunt Deum, & eidem ſacrificauerunt, eſſe obliti ipſius Dei veri, quod non eſſet verum ſi in iſto vitulo verum Deum adoraſſent.

D VIII.

Nec iis obſtat quod priùs dixerint, *fac nobis Deos qui nos præcedant*, & pro illis fabricandis dederint ſuas inaures aureas, nam cùm viderent Moyſem abſentem, eúmque putarent mortuum, vt patet ex textu, nec, vt illis videbatur, ducem amplius haberent, poſtulârunt eiuſmodi idola & ſimulachra fieri, quibus putabant fore vt aliqua numina ſeſe inſinuarent, quæ eis reſponſa darent, & iter præmonſtrarent, vnde nunquam verum Deum in eiuſmodi vitulo adorauerunt.

Ad id verò quod affertur de Gentibus, negatur eos coluiſſe Deos ſuos in imaginibus: nam putabant hæc ſua idola eſſe Deos, ita vt tale ſimulachrum, ſui conſecratione mutaretur in

I. Deum aliquem; vnde passim Scripturæ exprobrant Deos Gentilium esse *merum aurum, argentum, metallum, lignum*, aut aliquid simile, & frequenter Patres dum agunt de idololatria contra Gentiles: & præterea dato quòd Gentiles adorarent statuas non propter seipsas, sed propter rem per illas repræsentatam, vt aliqui Gentiles conantur sese excusare apud S. August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 7. quia tamen res per eiusmodi statuas repræsentata non erat digna tali honore, cùm non esset Deus, & illam vt Deum colerent, non desinebant esse idololatræ: at nos Catholici ita adoramus imagines propter prototypa, vt hęc sint tali honore digna.

Obiiciunt tertiò. Nullum extat exemplum in veteri & nouo Testamento, nec etiam præceptum de habendis & colendis imaginibus: patet responsio ex resolutione dubij explicati articulo 12. qua parte verò obiicitur nullum dari exemplum: Respondetur esse falsum, vt patet ex dictis de *Arca*, & iis quæ erant in ea, & etiam de *Cherubinis* ex mandato Dei in oratio factis.

II. Quartò obiiciunt, præter Concilia articulo 9. relata pro sua hæresi, Concilium Francfordiense sub Adriano primo, in quo præsentibus Legatis Adriani secunda Nicena Synodus acriter damnatur, & componuntur libri Carolini, quibus istius Synodi doctrina erroris & falsitatis arguitur.

Respondetur, varias esse authorum opiniones, an in hoc Francfordiensi Concilio fuerit actum de Nicena Synodo secunda, vt videre est apud Surium sua ad Lectorem admonitione de Synodo Francfordiensi, item apud Baronium in Annalibus ad annum Christi Domini III. 794. Item apud Binium suis Notis ad hoc Francfordiense Concilium tomo tertio Conciliorum: alij enim, vt Sutius, & Binius, volunt nihil ibi fuisse actum de hac Synodo Nicena, tùm quòd in toto Francfordiensi Concilio nulla huius rei fiat mentio, tùm quòd sub eodem summo Pontifice Adriano, præsentibus eius Legatis, hæc secunda Synodus Nicena celebrata fuerit, & per illum approbata, sub quo Cõcilium hoc Francfordiense celebrabatur, cuius proinde definitionem Patres huius Concilij ignorare non potuerunt, vel si ignorassent, de ea per Legatos Adriani, huic Concilio præsentes, potuissent instrui, præsertim cùm in illo libro qui *sacrosyllabus* inscribitur, magnam profiteantur submissionem summo Pontifici Adriano, dum suam in hæreticos proferunt sententiam; libros autem Carolinos esse supposititios: alij, vt Baronius loco citato, & aliqui alij, quęstionem de secunda IV. Nicena Synodo condemnanda fuisse ibi motam à nonnullis, sed non definitam, & ipsimet Magdeburgenses centuria 8. & 9. notant Legatos Adriani summi Pontificis qui ibi intererant obstitisse, & refragatos fuisse; alij tertiò censent in Francfordiensi Concilio fuisse quidem actum de Nicena Synodo condemnanda, sed ibi tantùm fuisse in facto erratum ab illis Patribus, quatenus eis imponebatur à quibusdam Iconoclastis Patres Synodi Nicenæ definiisse *cultum latriæ* Deo soli proprium esse sacris imaginibus tribuendum; alij denique fuisse quidem ibi actum de secunda Nicena Synodo, sed eius definitionem fuisse receptam & probatam. verùm quicquid sit de hac controuersia, quæ potiùs ad historicos pertinet, quàm ad Scholasticos, ad propositam hæreticorum obiectionem respondetur, facilè intelligi ex ista varietate opinionum nostram propositionem nullomodo ibi fuisse condemnatam, non quidem iuxta primam & secundam opinionem, quia iuxta priorem de ea re nihil est actum, iuxta posteriorem eius definitio fuit per Legatos summi Pontificis impedita; non etiam iuxta tertiam, quia error facti, cui aliqua definitiua sententia tota innititur, illam reddit nullam, vt omnes norunt; vltima verò opinio quam sequitur Senonense Concilium in Decretis fidei cap. 14. facit pro nostra propositione.

Quod spectat ad libros Carolinos, addunt aliqui verum quidem esse eos sub nomine Caroli Magni fuisse conscriptos, ab eo ad summum Pontificem Adrianum missos, non tanquam contra Nicenam Synodum, sed tanquam compendium quoddam difficultatum quas circa Nicenam Synodum nõnulli ex Episcopis Galliæ VI. mouebant, quásque proponebat summo Pontifici, earum solutionem ab eo exposcens, & volens semper in vnitate fidei Catholicæ & Romanæ viuere, vt ipsemet expressè testatur cap. 6. lib. 2. Carolini: vnde etiam volunt his libris respondisse summum Pontificem ex eo quòd Sigibertus ad annum 772. ita ait: *Adrianus Papa ad reprimendam rabiem hæreticorum, imagines Dei & Sanctorum execrantium, nimis laborauit, & libro aduersus eos edito multis scripturarum inductionibus roborato errores eorum infirmauit, fidémque rectam solidauit.* quod tamen Sigiberti dictum tali anno & tempore potest rectè intelligi de iis quæ circa tempus secundæ Nicenæ Synodi prædictus summus Pontifex scripsit pro cultu Sanctorum imaginum.

Articvlvs XIV.

Soluitur obiectio hæreticorum petita ex Patribus.

Obiicvnt ex Patribus, vt sancto Epiphanio hæresi 29. vbi numerat inter hæreticos, eos qui imaginem beatissimæ Virginis circunducebant, & adorabant; item ex Eusebio Cæsari ensi epistola ad Constantiam Augustam, vt videre est apud Sixtum Senensem in sua Bibliotheca, annotatione 247. vbi expressè negat cultum imaginibus. Item etiam ex sancto Hieronymo ad caput tertium Danielis, ita dicente, *Cultores Dei, statuam aut imaginem adorare non debent.* Sancto etiam Augustino libro de moribus Ecclesiæ, capite 34. *Noui picturarum adoratores*, inquit, ex sancto Gregorio suprà vituperante quidem Serenum Massilienſem Episcopum, quòd imagines fregerit, laudante tamen eum, quòd illarum adorationem prohibuerit: ex Iona Aurelianensi Episcopo libro de cultu imaginum, *Picturæ*, inquit, *sanctarum rerum gestarum, quæ non ad adorandum, sed solummodo, teste beato Gregorio, ad instruendum nescientium mentes in Ecclesiis sunt antiquitus permissæ*; & rursus, *Sinantur à te imagines Sanctorum & historiæ quæque Sanctorum; non vt adorentur, sed potiùs vt quandam pulchritudinem reddant, & quarumdam rerum præteritarum memoriam sensibus imperitorum ingerant, in Ecclesiis depingi*: vnde idem Ionas libro secundo satis longè à fine, ait, *Numquidnam Galli atque Germani, qui cuicumque picturæ adorationem non solùm deferre detrectant, sed adorantibus libera voce resultant, eósque*

V. VII. VIII.

I. *quanta possunt inuectione redarguunt, & vt ad sanam mentem redeant toto conamine elaborant.* quibus verbis tacitè sugillat secundam Nicenam Synodum, cui Germani & Galli sese opposuerunt in relata Francfordiensi Synodo, & in Parisiensi sub Ludouico Pio.

Respondetur, & primò ad authoritatem sancti Epiphanij, eum istas mulieres tantùm condemnare quòd beatissimæ Virgini sacrificium offerrent, sibique munus sacerdotale arrogarent, quod facere ait sanctus Epiphanius esse idololatricum, quod verum est, quia soli Deo debetur sacrificium.

Ad authoritatem Eusebij respondetur ex Sixto Senensi supra libro quinto Bibliothecæ, istam Eusebij epistolam fuisse reprobatam à Patribus secundæ Nicenæ in sexta actione, sicut & non-

II. nulla alia eius scripta.

Ad authoritatem sancti Hieronymi respondetur eum esse intelligendum ad mentem textus Danielis quem ibi explicat: textus autem Danielis intelligitur de *adoratione latriæ*, soli Deo propria, *Notum tibi sit Rex* (inquiunt tres pueri apud Danielem) *quia Deos tuos non colimus, & statuam auream quam erexisti, non adoramus*, & quando sanctus Hieronymus ibi ait eos, *qui Imperatorum statuas & imagines adorant, hoc facere quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo*, sumit verbum *adorare* prout significat *cultum latriæ*: non autem prout aliquando sumitur *latius* pro quolibet cultu etiam ciuili, vt satis communiter accipitur, tàm in sacris Litteris quàm in prophanis autoribus.

Ad authoritatem sancti Gregorij respondetur eum verbo, *adorandi*, intelligere exhibitionem

III. supremi cultus latreutici, & non venerationem & honorem; nam epistola 54. lib. 7. regis̃tri ait Secundinum, ad quem ibi scribit, petere quidem imaginem Saluatoris nostri, non tamen vt eam *quasi Deum* colat: & est valdè familiare Patribus vsurpare verbum hoc, *adoro*, & nomen hoc, *adoratio*, prout applicantur tantùm *soli latriæ* cultui significando.

Ad authoritatem S. Augustini ex lib. 34. de moribus Ecclesiæ, respondetur eum non reprehędere simpliciter cultum sacrarum imaginum, sed eos tantùm qui in tali adoratione aliquid superstitionis admiscebant; ibi enim agit de aliquibus superstitionibus, & adorationem illam picturarum, quam ibi reprehendit, coniungit cum iis qui adorant sepulchra Martyrum: at certum est sanctum Augustinum non reprehendere eos qui simpliciter colunt Martyrum sepul-

IV. chra, vt patebit infrà ex eius testimoniis citandis pro cultu sanctarum reliquiarum, sed eos tantùm qui in tali cultu aliquid superstitionis admiscent, vt etiam intelligitur ex illo cap. 24.

Ad authoritatem Ionæ respondetur primò, illum non condemnasse absolutè cultum sacrarum imaginum, nam & *Crux* apud nos est sacra imago, & nihilominus Ionas ibi tribus illis suis libris fusè probat illam esse à nobis adorandam: ergo cùm eadem sit ratio aliarum sacrarum imaginum, seruata tamen proportione, quæ est inter illarum prototypa, fit vt non videatur ibi Ionas condemnasse adorationem seu venerationem sacrarum imaginum.

Secundò respondetur, Ionam ibi tantùm negare cultum *latriæ* esse exhibendum Sanctorum imaginibus, quem nomine *adorationis* ibi exprimit, vt satis potest intelligi ex eius textu, quo

A interdum confundit *adorationem* cum *cultu latriæ*, & ex eo quòd fuerit vnus ex Theologis & Episcopis Galliæ qui referuntur existimasse Nicenam secundam definiisse cultum *latriæ* esse exhibendum imaginibus Sanctorum, quam suam mentem satis exponit loco illo secundo pro aduersariis, & hæc solutio clarè patet ibidem istis verbis hunc locum ab hæreticis citatum proximè sequentibus; *si ergo tales reperiantur*, scilicet Galli & Germani, *& eos tecum, saltuo fraternitatis amore, in quantum tales sunt, detestamur.* Quid autem sit respondendum Concilio Francfordiensi hìc relato, patet ex dictis: Parisiensem verò Synodum hìc relatam esse falsam, & supposititi am fusè docent Baronius in annalibus ad annum Christi 825. & Binius tomo tertio Conciliorum parte primâ. V. VI.

B

ARTICVLVS XV.

Soluuntur obiectiones hæreticorum à ratione petitæ.

OBIICIVNT hæretici tres rationes, quarum prima est. Illud est tantùm capax honoris, quod est rationis particeps: atqui imagines non sunt capaces rationis; igitur nec honoris.

Respondetur, propositionem ad summum esse veram de honore qui confertur alicui, *propter se & absolutè*, non de honore & iniuria quæ conferuntur *propter aliud*, cuiusmodi est honor imaginum propter prototypa illis exhibitus.

Secunda ratio est: homo est Dei imago, nec tamen vt sic est dignus adoratione.

C

III. Respondetur primò, hominem non tàm propriè dici imaginem Dei, quàm factum ad imaginem Dei, vt patet ex modo loquendi Scripturæ, quatenus scilicet habet tres potentias in eadem numero animæ essentia, vel quatenus habet quoddam dominium in suas actiones, & res alias. Deinde respondetur adorationem religiosam, vt nunc exhibetur in eo ordine, in quo homo est creatus ad finem supernaturalem, quæque impertitur creaturæ, fundari in aliqua excellentia supernaturali, sicut cultus ciuilis in ea quæ est ordinis naturalis: vnde cùm homo sit tantùm imago Dei vel factus ad Dei imaginem, iuxta naturalem suam excellentiam & conditionem, fit vt ei, quatenus purè & simpliciter consideratur tanquam purus aliquis homo sine vllis gratiæ supernaturalis donis, non conferatur aliqua adoratio religiosa. VII.

D

IV. Tertia & vltima ratio est. In adoratione imaginum maximum est periculum superstitionis, quia statim affectus adhæret imaginibus, vt docet experientia; videmus enim aliquos propensius adorare vnam imaginem quàm aliam, & omissis iis, quas habent apud se, ad alias longè distantes peregrinari, quod non caret superstitione, cùm sit idem Sanctus qui in vtrobique loco tàm propinquo, quàm distanti colitur, & honor factus imagini, qui putatur redundare in sanctum repræsentatum per illam, tàm bene possit in eum redundare, si fiat imagini eiusdem Sancti existenti apud ipsos adorantes, quàm si fiat imagini eius existenti longè apud exteros; quia semper est idem numero Sanctus, qui in vtroque loco honoratur. VIII.

Respondetur, periculum re i alicuius in ordine ad prohibitionem etiam considerari secundùm

I. ea quæ ei conueniunt *per se & ex natura rei*; non autem secundùm ea quæ tantùm *per accidens* ei conueniunt, vel *ex malitia*, vel *ex ignorantia* venientium, & patet in rebus omnibus etiam humanæ vitæ apprimè necessariis, quæ tales sunt vt illis etiam possit aliquis ex malitia, vel ignorantia abuti, & nihilominus nec res illæ, nec earum vsus propterea prohibetur: pari modo adoratio imaginum secundùm se spectata, non est quid malum, & si quod inde nascatur, illud tantùm per accidens euenit ex ignorantia, aut malitia adorantium, cui facilè potest subueniri per Pastores Ecclesiæ, vt suprà notauimus ex Concilio Tridentino.

Quod autem dicitur in tertia illa ratione, *Illud non carere superstitione, quòd omissis imaginibus quæ sunt apud nos, interdum peregrinemur ad alias eiusdem Sancti adorandas existentes in loco valde distanti.* Respondetur illud posse fieri sine vlla superstitione, imò cum merito & fructu, nam licèt vtrobique sit eiusdem sancti Imago, potest tamen interdum contingere vt Deus per imaginem istius sancti aliquod miraculum fecerit in vno loco, & non in alio, & locum illum, in quo est talis imago, speciali cura commendatum habeat iste Sanctus: idcóque cùm Sancti possint à nobis adorari in suis imaginibus, & coram illis prostrati possimus Sanctos tanquam amicos Dei rogare, vt suis intercessionibus impetrent nobis apud Deum hoc & illud beneficium, auertant à nobis hoc & illud malum, nos etiam posse secura conscientia peregrinari ad eum distantem locum, in quo imago Sancti colitur, & hoc totum confirmatur ex iis quæ diximus suprà de apparitionibus sancti Michaelis.

II. B

III. Et adhuc confirmatur ampliùs expressa sancti Augustini in hanc rem authoritate epistola 137. ad Ecclesiam Hipponensem, vbi in simili causa parem sibi format obiectionem: agens enim de reliquiis quorundam Sanctorum Mediolani, & Nolæ reconditis, ad quas, pro veritate alicuius criminis occulti detegenda, suspecti de tali crimine mittebantur, sib. obiicit quare etiam ad corpora Martyrum quæ in Africa sunt in magno numero hæc miracula non fiant, *Numquid non*, inquit, *& Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena est, & tamen nusquam hîc scimus talia fieri*: & statim huic obiectioni sic respondet, *Sicut enim quòd Apostolus dixit, non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent diuidicationem spirituum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille qui diuidit propria vnicuique, prout vult*, & quemadmodum verbis antecedentibus declarat rationem ob quam

C

IV. Deus, qui est vbique, & vult adorari in spiritu & veritate, non in omnibus locis, sed tantùm in certis quibusdam facit miracula, esse voluntatem eius, *Verùm tamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt. Quis potest eius consilium perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula faciat, in aliis non faciat*; sic etiam rectè possumus dicere, quia beati sunt de numero timentiũ Deum, quorum voluntates seu desideria Deus in sacris Litteris dicitur facere; eorum autem desiderium est vt ad specialem honorem Dei, & aliquam eorum commendationem, quædam miracula fiant in hoc loco sub speciali eorum cura constituto, vbi hæc illorum imago veneratur, nec hoc desiderium ad alia loca, in quibus eorum imagines sunt erectæ, extenditur; ideo in isto, & non in alio ad illorum venerationem, & intercessionem fieri miracula, & propterea fideles ad venerandum illas iure meritò peregrinari. Habent hæretici & aliquot alia argumenta, sed minoris momenti, & quæ etiam soluuntur à Patribus secundæ Nicenæ Synodi actione octaua.

D V.

DISPVTATIO IV.

De modo adorandi imagines.

TRIPLEX modis potest concipi fieri adoratio alicuius sacræ imaginis. Primò, ita vt tota adoratio dirigatur ad eius exemplar, & sese tota terminet ad illud tanquam *ad obiectum, quod*, imago tamen dicatur adorari, quia ad eius præsentiam exemplar adoratur, & imago quatenus deseruit ad recordationem & repræsentationem exemplaris est aliquod exercendæ adorationis *medium*, quo pacto imago tunc tantùm dicitur *adorari vt quo*, & non *vt quod*, cùm in seipsa non terminet adorationem, hinc talis adoratio vocatur *abusiua*, & *impropria*.

B VI.

Secundò, ita vt ex prototypo & eius imagine conficiatur vnum totum, & adæquatum obiectũ per apprehensionem & conceptionem adorantis, ad quod sese terminet actus adorationis.

Tertiò, ita vt adoratio tantùm dirigatur ad imaginem tãquam ad rem quæ terminat adorationem, ad exemplar verò vt ad rationem adorandi.

ARTICVLVS PRIMVS.

C VII.

Vtrùm sacræ imagines possint adorari vt quo, vel etiam simul cum prototypis.

QVOD spectat ad primum modum, certum est apud omnes Theologos posse imagines hoc modo adorari. nam coram imaginibus Sanctorum preces fundimus, non quidem aliquid ab eis postulando, vel quasi aliquam in eis collocemus fiduciam, vt rectè docet Trident. citato Decreto, sed quòd dirigamus nostras preces ad illarum exemplaria, quorum memoriam nobis excitant prædictæ imagines; pari iure poterimus ad præsentiam eiusmodi imaginũ ipsos Sanctos earum exemplaria adorare. Sed

Quæres an talis actus sit propriè adoratio imaginis, & sufficiat pro iis quæ præcedenti articulo attulimus ex Conciliis & Patribus pro adoratione sacratum imaginum.

D VIII.

Respondetur, *nec propriè esse adorationem, nec etiam sufficere* dictis Patrum suprà, & Conciliorum definitionibus. Prior pars probatur. Talis adoratio dicitur *abusiua*, at quod tantùm est *abusiuè* tale, non est propriè tale: Deinde illud tantùm propriè adoratur, quòd terminat actum adorationis, vt patet ex dictis suprà: at iuxta hanc sententiam sacræ imagines non terminãt actum adorantis, sed sola earum exemplaria: igitur iuxta hunc modum sacræ imagines propriè non adorantur. Secunda item pars probatur, quia citata Concilia dum definiunt adorationem imaginũ, eam intelligunt quæ etiam terminetur ad imagines, vt patet tàm ex secunda Nicena actione quarta vbi in verbis Leontij dicitur; *Quòd qui adorat imaginem, non adorat lignum vel colorem, sed Christi Domini characterem*: & ex

I. Trident. suprà, quando ait, *Honorem qui exhibetur sacris imaginibus referri ad prototypa, nos caput aperire coram imaginibus sacris*, item *procumbere*, hæc enim omnia important actum adorationis etiam sese terminare ad sacras ipsas imagines.

Quod spectat ad secundum, respondetur posse sacras imagines *vno & eodem actu adorationis coli, seu adorari cum suis prototypis*, & eadem etiam specie adorationis, ita tamen, vt quatenus terminetur ad exemplar sit *absoluta* adoratio; provt verò ad imaginem, sit tantùm *respectiua*, sicque prototypum in imagine, & imago propter prototypum simul adoretur, sic S. Thomas hoc art. 3. & communiter omnes eius discipuli: vt autē intelligatur & simul probetur hæc propositio, repetendum est ex superioribus adorationem fieri in rem, provt apprehenditur ab adorante. Deinde notandum est imaginem quatenus *imago* est, non esse quidem realiter & physicè prototypum, vt omnes norunt, sed nihilominus *in esse repræsentatiuo* esse ipsummet prototypum, vt patet ex Patribus citatis, S. Athanasio, S. Basilio, & Patribus secundi Niceni Concilij suprà, & imaginem, & eius exemplar, esse vnum quoddam totum compositum, cuius veluti anima sit ipsum eius exemplar. & corpus imago, vt notat hîc Caietanus, in quod totum ita fertur adoratio, vt si quæratur ordo quo se terminat ad singulas eius partes, primò *per se & absolutè* sese terminet ad exemplar: deinde verò & præter exemplar ad eius imaginem, quæ adoratio, cùm non supponat nec includat iudicium aliquod, quo adorans iudicet in re, & de facto ibi in tali imagine esse realiter eius prototypum, sed tantùm per simplicem actiuam repræsentationem exemplaris, fit vt dum illa fertur actu adorationis in illud, ac si esset præsens, nulla interueniat deceptio, quia, vt diximus, adoratio fertur in rem provt ab intellectu apprehenditur. His notatis,

II.

III.

Probatur nostra propositio. Primò, ex Concilio Niceno secundo actione septima, ita docente, *Qui adorat imaginem, in ea quoque adorat descriptum argumentum*: vbi duo sunt notanda. Primum est, per *descriptum argumentum* intelligi *prototypum* seu exemplar repræsentatum in imagine: alterum est particula, *quoque*, qua Concilium denotat eundem numero actum adorationis terminari simul ad imaginem, & eius prototypum. Deinde probatur ex Concilio Tridentino, in citato decreto de inuocatione & veneratione Sanctorum sess. 25. vbi loquens de sacris imaginibus ita ait: *Quoniam honos qui eis exhibetur refertur ad prototypa quæ illa repræsentant, itavt per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur*: quibus verbis docet Concilium consentaneè ad Nicenum II. nunc relatum, cuius etiam ibi meminit, imaginem simul adorari cum prototypo: plures Patrum auctoritates fusè hîc referunt Suarez & Vasquesius.

IV.

Probatur tandem ratione. Vbi est eadem ratio formalis terminandi actum, ibi est etiam idem actus: sed in imagine & eius prototypo est eadem ratio formalis terminans actum adorantis: ergo & eadem est adoratio. Maior satis patet, quia actus specificantur & distinguuntur specie vel numero, iuxta rationem formalem specie vel numero distinctam. Minor probatur, in hypothesi nostræ propositionis ratio formalis actus adorandi tam imaginem, quàm eius prototypum est prototypi excellentia. Sed hæc est eadem numero, *iuxta moralem hominum æstimationem*, in prototypo & eius imagine, vt expresè docet S. Athanas. à nobis suprà relatus, etiam provt adoratio terminatur ad prototypum & imaginem, quia prototypum adoratur propter excellentiā quam habet, & eius imago; quatenus est imago, propter excellentiam prototypi, quatenus adorans illud adorat in imagine, & per illam adoratam, adorat & prototypum, vt ait Trident. suprà de humanitate Christi Domini vna adoratione cum Verbo, cui est vnita, adoranda.

A

V.

ARTICVLVS II.

Soluuntur obiectiones.

B

VI.

PRIMA. Excellentia est in prototypo secundùm suum *esse reale & physicum*, in imagine verò tantùm secundùm *esse repræsentatiuum*, & hoc esse, ab illo est distinctum: ergo & actus adorandi erit distinctus.

Respondetur, adorationem sequi apprehensionem intellectus; vnde cùm adorans prototypum cum imagine ita feratur in totum illud obiectum, ac si in illo includeretur prototypum secundùm suum esse reale, & excellentia eius realis, vt sic apprehensa in imagine illam referente, moueat adorantem ad eiusmodi actum, semper erit idem & specie & numero actus, qui sese & ad prototypum & ad eius imaginem terminat: & licèt ipsa repræsentatio secundùm *suum esse* sit aliquid inferius ipso *reali esse*, quod excellentia habet *in se*, attamen quod repræsentatur per talem imaginem non habet esse inferius quàm habeat prototypi excellentia: vnde cùm formalis ratio adorationis non sit, loquendo præcisè, repræsentatio, sed *excellentia repræsentata* per imaginem, semper erit eadem formalis ratio & idem numero actus.

C

VII.

Secunda. Concilium Nicenum secundum passim vt actione secunda, vbi loquitur Tharrasius, & eius sententiæ subscribit vniuersa Synodus; item actione sexta, vbi loquitur Epiphanius Diaconus; item actione septima in confessione fidei eiusdem 2. Concilij, habet *Christo quidem deberi latriam; ac eius imaginem non adorandam latria, sed quadam tantùm honorifica veneratione*, quæ longè sit inferior adoratione Christi.

Respondetur, Patres ibi nomine *latriæ*, tantùm intelligere *absolutam latriam*, qua aliquid summè adoratur propter se, & propriam excellentiam, non autem de *latria respectiua*, qua aliquid non tam propriè *adoratur*, quàm *coadoratur* propter habitudinē ad aliud; quæ adoratio, licèt sit vna & eadē, simúlque & semel terminetur ad prototypum & imaginem: quia tamē non habet ab imagine, sed à prototypo quòd sit *talis adoratio*, fit vt non dicatur *latria*, respectu imaginis, & cùm *esse tale per habitudinē*, sit aliquid minus quàm *per se, & absolutè esse tale*, fit vt Patres dicant imaginē Christi Domini coli *veneratione inferiori*, quàm Christus qui *latria* adoratur, & quod hæc sit mens Patrum, patet ex eorum collatione cum iis, quæ de adoratione imaginum habet Concilium Tridentinum, quod tamen in citato Decreto ait se *tradere doctrinam de adorandis sacris imaginibus iuxta Nicenum secundum*, ex quo prædicta testimonia sunt desumpta, ait itaque Tridentinum, Imagines non *esse colendas, quasi credatur inesse eis aliqua diuinitas*,

D

VIII.

I. vel virtus, sicut olim fiebat à Gentilibus, quibus verbis significatur *absolutam latriam* non posse impendi imaginibus, cùm hæc iis tantùm debeatur quæ aliquam in se diuinitatem habent, iuxta quæ explicatur quod aliis suprà citatis Concilijs Patres Concilij secundi Nicæni dixerunt *imagines non coli, vel adorari latria*. Deinde quando idem Tridentinum subiungit, *quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, itavt per imagines Christum adoremus*, significat cultum illum hoc modo esse inferiorē, quatenus est tantùm *respectiuus*, & terminatur ad imaginem in ordine ad prototypa.

Tertia obiectio. Eadem est ratio actus, quo adoramus imagines propter prototypa, ac ipsius assensus quo assentimur conclusionibus propter principia, & appetitus quo appetimus media propter finem: at noster intellectus non eodem
II. numero actu assentitur principiis & conclusioni, sed distincto, etiam specie; item alio actu appetimus media & alio finem: igitur non erit etiam idem actus adorationis, quo sacræ imagines adorantur, & illarum prototypa.

Respondetur, duobus modis intellectum posse assentiri conclusioni propter principia. Primò, *per habitum scientiæ*. Secundò, *per habitum sapientiæ*, vt docēt Philosophi: priori modo principium & conclusioné cognosci distinctis actualibus cognitionibus vt docent Dialectici primo posteriorum: secundo verò modo minimè, sed simul & vnum esse tantùm rationem cognoscendi alterum, sicut eodem actu beatifico videtur diuina essentia, & creatura in illa, ita tamen vt essentia clarè visa sit beato intellectui ratio videndi creaturas, quæ tamen creaturarum
III. visio non denominat istum actum *beatificum*, sed sola diuinæ essentiæ visio: eodem modo potest voluntas aliquando ferri in media & finem diuersis actibus; aliquando potest volitio esse tam efficax, vt vna & eadem, virtute tamen duplex, simul & semel feratur in finem & media, vt docent Philosophi agendo de intentione & electione: iam in nostra hypothesi quando adorantur imagines simul cum prototypis, actus adorationis habet se ad modum illum quo per sapientiam intelligimus conclusiones in principiis, quo item Beati clarè & intuitiuè vidēt creaturas in essentia, quo denique volendo aliquid efficaciter, interdum etiam simul & semel volumus media.

Vltima obiectio. Idem numero actus non potest esse *absolutus & respectiuus*: at adoratio vt terminatur ad prototypum, dicitur esse *absoluta*, vt terminatur ad imaginem, *respectiua*: igitur
IV. imago & eius prototypum non adorantur simul eodem actu adorationis.

Respondetur, non esse absurdum vnum & idem, diuersa tamen consideratione, esse absolutum & respectiuum, vt patet etiam in diuina essentia sumpta adæquatè, quæ, vt docent communiter Theologi primâ parte, est ens simul absolutum & respectiuum, spectata verò præcisè provt virtualiter distinguitur à relationibus diuinis, est tantùm absoluta; prout autem tantùm dicit relationes diuinas, est respectiua: pari modo adoratio illa prout terminatur ad suum prototypum est absoluta, prout verò terminatur ad imaginem est tantùm respectiua.

Quòd si quis inde inferat, tunc fieri vt aliqua creatura sit obiectum adorationis etiam latreuticæ, cùm possit fieri vt eius prototypum adoretur latria, verbi gratiâ, Christus. Respondetur, si id intelligatur de *obiecto coadorato*, seu quòd cum alio, vel propter habitudinem ad aliud adoratur, nihil esse absurdi, vt patet ex dictis suprà de humanitate Christi Domini, quæ vt vnita Verbo adoratur latria, & eadem adoratione qua ipsum Verbum et hypostatice vnitum adoratur; & quando Patres & Theologi dicunt soli Deo enti increato deberi *latriam*, loquuntur tantùm *de absoluta* & perfecta latria, item de obiecto eius *tam motiuo quàm terminatiuo primul*, quale non est ipsa imago, cuius prototypum est etiam ipse Christus.

Atque ex his intelligitur, quòd quando adoratio sit hoc modo, tunc & imago est etiam obiectum terminatiuum, saltem partiale, talis adorationis, nec signa exteriora fieri tantùm ad illam, actum verò interiorem voluntatis ad solum
B prototypum; si enim hoc ita se haberet, iam imagines non adorarentur, sed sola prototypa ad earum præsentiam, & actus adorationis non esset vera adoratio, cùm hæc, sicut constat actu exteriori protestatiuo excellentiæ & submissionis, ita etiam & affectu interiori ipsius voluntatis, quemadmodum patet ex definitione adorationis. Vnde in septimâ Synodo actione secundâ, de imaginibus Tharasius dicit, & S. Synodus approbat, *Eas desiderio nostro adoramus, vt in nomine Christi Dei nostri, Deiparæ & Sanctorum factas*. Quo loci particula *desiderio* importat actum voluntatis, & ibidem Elias Episcopus Cretæ ita ait, *eas perfectè adorauit*, quo loci hæc particula *perfectè* vtrumque actum complectitur, & si nostra adoratio non posset vllo modo se terminare ad imagines, iam hæresis Iconomachorum esset vera: illi enim, aut saltem
C plerique horum, non negabant actus exteriores posse fieri coram imaginibus ex affectu ad illorum prototypa.

ARTICVLVS III.

Vtrùm adoratio possit terminari ad imaginem.

HIs est tertius modus suprà explicatus initio huius disputationis: qua de re sit hæc Propositio. *Adoratio potest etiam dirigi ad imaginem tanquam ad rem quæ terminat adorationem: ad eius verò exemplar, vt ad rationem adorandi.* Ita Suarez disputatione quinquagesimâ quartâ sectione quinta, & multi alij, quos ibi refert.

Probatur. Actus ille habet obiectum honestum, carétque omni circunstantia vitiosa: ergo
D est licitus. Consequentia satis patet. Antecedens probatur quoad primam partem: adorare sacras imagines propter sua prototypa est honestum, quia Concilia superiùs citata pro adorandis imaginibus id sæpè definiunt, sed præsens actus est adoratio sacrarum imaginum, propter sua prototypa, quia ratio eius motiua est excellentia prototyporum secundùm esse repræsentatiuum, quod habent in imaginibus sic formaliter spectatis, & honor iste refertur ad prototypum: igitur actus ille habet obiectum honestum.

Secunda item eiusdem antecedentis pars, asserens talem actum carere omni circunstantia vitiosa, probatur. Si quam habet, est quod tunc prototypum non adoretur simul cum imagine, sicq; aliqua excellentia denotetur inesse imagi-

V.

VI.

VII.

VIII.

I. ni, propter quam sit digna cultu, quæ tamen illi non ineſt realiter; ſed licèt hoc ſit verum, non eſt tamen malum, primò, quoniam honos ille imaginis fundatur in repreſentatione prototypi, & ſic redundat in eius honorem: nam in præſenti propoſitione imagines ita terminant adorationem, vt tamen ratio motiua talis adorationis, ſit ipſum eorum exemplar quod repræſentatiuè eſt in illis, & ſubmiſſio quæ tunc fit imagini per adorationem, non ſit ei propter ſeipſam, ſed propter ſuum exemplar, & propter habitudinem quam habet ad illud: ergo actus iſte adorationis caret omni circunſtantia vitioſa. Deinde quia quando duo ſunt bona & licita, nec vllum exſtat præceptum poſitiuum de illis ſimul exercendis, tunc eſt bonum & licitum exercere vnum ſine alio, quia non tenemur ſemper quemcumq; bonũ actum exercere: atqui in actu quo adoratur imago ſimul cum prototypo duo ſunt bona, vnum

II. eſt adoratio imaginis: alterum ipſa prototypi adoratio, nec eſt vllum præceptum poſitiuum de duplici illa adoratione exercenda, vt ſuprà docuimus: ergo licet vnum ſine alio adorare, imaginem ſine prototypo, ſicque nulla tunc interuenit mala circunſtantia.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur obiectiones.

PRIMA contra vltimam rationem præcedentis articuli. Non eſt quidem præceptum de exercendo actu adorationis circa prototypum, vel etiam circa eius imaginem ex dictis art. 12. præcedentis diſputationis, ſed eſt præceptum naturale; vt ſi quis velit exercere adorationem

III. imaginis, etiam adoret & prototypum, ſicut non eſt præceptum de orando hîc & nunc, ſed poſita voluntate orandi, eſt præceptum naturale de orando cum attentione.

Reſpondetur, rationem hanc non habere locum, niſi in iis quæ neceſſariam habent inter ſe connexionem: at in præſenti caſu adoratio imaginum non habet neceſſariam connexionem cum adoratione prototypi, cùm prior ſecluſa poſteriori ſuam retineat honeſtatem, quòd non contingit in oratione quæ non ſit ſine aliqua attentione ei debita.

Secunda obiectio. Concilia prohibent talem adorationem: nam Concilium Senonenſe decreto decimo quarto, Chriſti *Imagines*, inquit, *adorantur, non quia illis inſit numen aliquod, ſed ob recordationem exemplaris.* & ſanctus Damaſcenus oratione prima de imaginibus, ita ait,

IV. *Quemadmodum purpura, & ſericum nihil aliud ſunt per ſe, quàm tenue operimentum, quod tamen ſirex induerit, ſit particeps honoris illius; ita res, materia conſtantes, adorandæ per ſe non ſunt, ſed ſolùm propter illum quem referunt.* & oratione tertia, *Cùm Iacob adorauit veſtigium virgæ Ioſeph non virgam adorauit, ſed cum qui virgam tenebat; ita & Chriſtiani qui adorant imagines:* ergo imago non poteſt adorari non adorato eius exemplari.

Reſpondetur, iſtas auctoritates tantũ conuincere ſacras imagines coli & honorari propter ſua exemplaria: itaut ſi conſiderentur materialiter & ſecundùm ſuam entitatem ſine vlla relatione ad ſua prototypa, quo modo non ſunt *formaliter imagines*, iam nulla eis debeatur vel poſſit impendi adoratio, quod rectè explicat ſanA ctus Damaſcenus citato loco primæ orationis de imaginibus, & hoc tantùm ſenſu dicuntur interdum exemplaria adorari, non imagines, non quòd cultus non terminetur ad illas, ſed quia totus ille cultus refertur in honorem prototypi. V.

Tertia obiectio. Illud tantùm eſt capax honoris & adorationis, quod eſt capax alicuius excellentiæ cui creatura rationalis ſeſe poſſit ſubmittere; item quod ſit capax iniuriæ, quia hæc ſunt ſibi inuicem oppoſita, & oppoſitorum idem eſt ſubiectum: atqui imagines non ſunt capaces alicuius excellentiæ, quatenus ita apprehenduntur, vt ab illis ſecludatur prototypum, tanquam obiectum, quia ſic ſunt aliquid omninò carens ratione: ergo non poſſunt vt ſic eſſe capaces adorationis.

Reſpondetur, Maiorem tantùm eſſe veram de eo quod in ſe, & propter ſe honoratur & B colitur, non autem de eo quod in ſe quidem colitur, ſed *propter aliud*, cuiuſmodi ſunt imagines ſacræ, quæ in præſenti hypotheſi ita terminant adorationem, vt tamen motiua ratio talis adorationis ſit eorum exemplar, quod eſt rationale: fit enim ſæpè in moralibus vt obiectum *formale* ſit aliquid extrinſecum *materiali*, vt in veritatibus fidei quæ ſunt credibiles propter teſtimonium dicentis, quod tamen illis eſt omninò extrinſecum: & ſicut veracitas illis competit propter primam veritatem reuelantem: ita & adorabilitas competit ſacris imaginibus propter excellentiam prototypi. Eodem etiam modo ſpectatæ imagines ſacræ ſunt capaces alicuius iniuriæ, licèt non ſint rationales, ſatis enim eſt quod *motiuum obiectum* cultus illarum ſit rationale, & capax iniuriæ, vt patet in iniuria imagini Imperatricis per Antiochenos illata, C & ab Imperatore Theodoſio punita. Neque pro cõtraria ſententia vrget, quòd *per iſtam adorationem homo qui eſt creatura rationalis ſeſe ſubmittat creaturæ irrationali*: nam talis ſubmiſſio ita fit imagini, vt tamen non fiat *propter imaginem*, ſed *propter eius exemplar*, & propter habitudinem quam imago res inanimata habet ad exemplar rem animatam, & ad maiorem excellentiam in eo exiſtentem: imò ſi talem ſubmiſſionem tollamus ab adoratione imaginum, & ſolum actum exteriorem eis concedamus, iam nullam exhibemus illis adorationem: nam de ratione adorationis eſt tam interior ſubmiſſio quàm ſignum externum illius proteſtatiuum, & ſublato priori

D definit eſſe adoratio, vt patet ex dictis prima diſputatione, ad præſentem quæſtionẽ vigeſimam quintam, ergo cùm imagines *verè & propriè*, & non tantummodò *abuſiuè*, adorentur, debet VIII. etiam interior ſubmiſſio, ad eſſentiam adorationis neceſſaria, illis fieri: & quemadmodum adoratio ita fit illis, vt tamen non fiat propter illas, ſed propter earum exemplaria, ita & ſubmiſſio interior. VI. VII.

Confirmatur. Corpus noſtrum quia humanum eſt, longè nobilius eſt imagine, quæ eſt res tantùm inanimata, & nihilominùs poſſumus per genuflexionem terminatam ad ſacram imaginem, illud ei ſubmittere propter eius exemplar quod eſt motiuum talis genuflexionis: ergo à pari licèt actus interior ſubmiſſionis ſit à voluntate noſtra, quæ, cùm ſit res quædam animata, eſt dignior, & ſuperior imagine, re inanimi, quia tamen fit imagini propter exemplar tanquam motiuũ, & exemplar iſtud eſt animatũ, rectè poſſu-

I. mus actũ etiam interiorem submissionis exhibere imagini. Atque his satis intelligitur cultum illum exhibitum imaginibus hoc tertio modo esse inferiorem eo cultu, qui exhibetur earum exemplari, cùm hic sit *absolutus*, ille verò tantùm *respectiuus*, hic sit ob excellentiam quæ formaliter inest exemplari, ille per habitudinem ad exemplar.

Dicitur autem cultus ille aliquo modo *inferior*, quia *reductitiè* est eiusdem speciei cum cultu exemplaris, cùm vtrobique sit idem *obiectum formale*, à quo specificantur actiones: vnde si exemplar adoretur latria, & cultus ille imaginis dicetur *latria*, si verò tantùm *dulia*, vel *hyperdulia*, etiam dicetur tantùm *dulia*, vel *hyperdulia*.

Cæterùm rectè notat Suarez hîc dispur. 44. sect. 4. inter concionandum populo satis esse illi explicare imagines, esse adorandas, non propter se, sed propter sactas personas quas repræsentant, esse abstinendum ab explicandis illis subtilibus considerationibus, quas circa cultum imaginum expendunt Theologi in Scholis, ne ei qui communiter est rudis & imperitus, detur occasio erroris vel idololatriæ.

II. Secundò aduertendum est, quòd quando asserimus imagines esse colendas eodem cultu, quo earum exemplaria, id nullo modo esse extendendum ad eum cultum qui redditur Deo per sacrificium, aut per orationem, quasi liceat offerre sacrificium imagini sanctissimæ Trinitatis, vel eam deprecari. Hæc enim præcisè respiciunt naturam intelligentem, quatenus est talis, abstrahendo ab iis quæ ei sunt adiuncta, & per notas exteriores huius vtriusque actus significatur non tantùm submissio orantis, & sacrificantis, sed etiam existimatio, quòd supremum dominium

III. insit, vel communicetur imagini, quod tamen est falsum: vnde dum oramus crucifixum, tunc apprehendimus Christum Dominum vt ibi in cruce pendentem, & quia aliæ notæ exteriores iuxta suam institutionem significant submissionem sub aliqua generali ratione, quæ aliis rebus potest communicari, ideò actus adorationis correspondens illis potest suo modo fieri, & sese terminare ad imagines, non autem solummodò ad prototypa.

A lianensis scripsit tres libros de cultu imaginum.

V. His tamen non obstantibus sit ista propositio. *Vera crux & singula illius partes sunt adoranda latria respectiua.* Duæ sunt partes propositionis: prior affirmat veram crucem esse adorandam, & est de fide ex VII. Synodo actione 7. vbi supponitur hæc nostra conclusio tanquam de fide: nam ibi definitur *honorem & adorationem deferendam esse typo venerandæ & vitificantis crucis Christi*: & quæcunque afferentur pro adoranda imagine veræ crucis, & signo crucis adorando, confirmant hanc nostram partem, quæ primò probatur ex Patribus, S. Hieron. epistola 17. quæ est ad Marcellam, vt commigret Bethleem, vbi ita ait: *Ergone erit illa dies quando nobis liceat speluncam Saluatoris intrare, in sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum matre, crucis deinde lambere lignum*; quæ postrema verba faciunt pro nostra conclusione; docent enim quanta cum reuerentia sit accedendum ad veræ crucis lignum, & actus ille *lambendi* importat affectum animi cum signo testificante summam aliquam excellentiam esse in illo, & proinde adorationem deberi, quatenus denotat singularem aliquem fructum percipi ex tali actione exercita circa vetam crucem sanguine Christi Domini perfusam: & idem sanctus Hieronymus Apologia secunda contra Rufinum ait se *adorasse præsepe Christi Domini*, cuius tamen adorandi ratio habet etiam locum in *cruce*; idem sanctus Hieronymus in Psalm. 98. ait illud Psalmistæ, *Adorate scabellum pedum eius, etiam de cruce Christi Domini esse intelligendum.* item ex sancto Ambrosio oratione de obitu Theodosij, vbi ait, *Helenam leuasse crucem in capitè regum, vt crux Christi in regibus adoretur*: cui testimonio non

VII. obstat quod ibidem dicat, *Helena Regem adorauit, non lignum*; nam tantùm significat Helenam non adorasse veram crucem *more Gentili*, qui, vt intelligitur ex eodem sancto Ambrosio libro tertio epistolarum epistola 32. *putabant lignum esse suum Deum*, & ita illud colebant: at Helena non ita, sed Christum in illa cruce apprehensum, vel crucem illam propter eius contactum ad Christum, vel quatenus fuerat salutis nostræ instrumentum, adorabat: item ex sancto Cyrillo Hierosolymitano Catechesi 10. & 13. sancto Athanasio oratione in crucem & passionem Domini circa finem, vbi postquam ostendit quomodo vera crux fuit instrumentũ Christi pro reconciliatione facienda inter Angelos & homines, ita subiungit, *Nunquid igitur dignius est crucẽ potiùs adorare, quàm Iudæorum mundum lucrifacere*, &

VIII. ibidem docet Apostolum ad Galat. 6. existimasse crucẽ Christi D. *sibi esse gloriam*, item in quæstionibus ad Antiochũ quæst. 39. docet crucem esse adorandam, item ex S. Chryf. lib. *quod Christus sit Deus*, satis longè ante finem, vbi docet veram crucem Christi Domini fuisse in tanto honore, vt omnes appetant habere aliquam eius particulam, & qui habent, hoc ipso existimare se magno honore affici, illúdque auro includere, & censere se hoc ipso *muniri & protegi*: & sermone cur in Pentecoste Apostolorum acta legantur, notat suo tempore diem aliquam inter Christianos fuisse sacram veræ cruci Christi Domini. Plura alia eiusmodi videri possunt apud alios Patres, vt apud S. Damasc. lib. 4. de fide cap. 12. item & apud Eusebium lib. 3. de vita Constantini, cap. 41. vbi ait Helenam matrem Constantini locis, in quibus Saluatoris erant impressa vestigia,

DISPVTATIO V.

De crucis adoratione.

Articvlvs Primvs.

IV. *Verùm crux, cui Christus pro nobis fuit appensus, sit colenda, & quo cultu.*

TRIBVS modis possumus loqui *de cruce Christi Domini*, aut enim loquimur de *vera cruce*, in qua Christus Dominus pependit pro nobis, aut loquimur *de imagine crucis facta in materia solida* & permanenti, aut denique *de imagine crucis facta in ære* seu de signo crucis.

Quod spectat ad crucem primo modo spectatã. communis est hæresis sectariorum nostri temporis veram crucem, vel partes eius nullo cultu religioso esse adorandas, quam ante illos docuerat Claudius Taurinensis, contra quem Ionas Aure-

I. *debitâ veneratione adhibuisse*, idque conueniẽter Prophetico sermoni dicẽti, *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*, & ex iis quæ præcedentibus capitibus refert de sepulchro Christi Domini, quod vocat *sanctissimum*, item *veneratione dignam*, cap. 24. & 27. at non est minor dignitas veræ crucis, vt satis per se constat, & Sozomenus lib. 1. historiæ Ecclesiasticæ cap. 3. refert Constantinum habuisse *veram crucem in honore*, & Euagrius lib. 4. historiæ Ecclesiasticæ refert Apameenses, se oculato teste & præsente, fuisse liberatos ab ingenti periculo *per adorationem veræ crucis*, & multa alia id genus possunt videri apud historicos.

Probatur etiã ratione. Ei, in quo Christus verè & substãtialiter fuit, religiosus cultus seu adoratio potius debetur, quã ei in quo Christus nõ est sic nec fuit, sed tãtùm habet ordinem ad Christũ, quia præsentia substantialis magis nobilitat, præsertim vbi multa præclarè facta eam comitantur, quàm nuda & simplex quædam habitudo ad Christum: atqui ex confessione sectariorum sacramẽtum Eucharistiæ est nudum signum corporis & sanguinis Christi Domini, reali & substantiali eius præsentia destiturum, & nihilominùs sacramentum Eucharistiæ potest religioso aliquo cultu venerari etiam secũdùm illos, Christus verò fuit in cruce verè, realiter & substantialiter, ibi, tanquam in altari, sese obtulit hostiam Deo pro nobis, & vsus est ligno crucis, tanquam instrumento, 1. Petri 2. & ad Colossi. 2. igitur potiori titulo lignum veræ crucis est dignum aliquo religioso cultu.

II. Secunda pars nostræ propositionis probatur iisdem omninò rationibus, quibus suprà probauimus humanitatem Christi Domini & imagines Christi & Sanctorum esse adorandas eodem cultu *respectiuo*, quo sua prototypa; nam, aut vera crux adhuc retinet formam crucis, aut non retinet: si primum, igitur quando apprehenditur ab adorante tanquam imago Christi, in illa expansi & patientis pro nobis, eadem adoratione *latriæ*, *respectiua* tamen adorabitur, qua Christus adoratur *absoluta*, ex dictis pro sacrarum imaginum adoratione. Si secundum, cùm vt sic apprehendatur ab adorante tanquam habens specialem excellentiam, fundatam in eo quòd Christum tetigerit, eíque fuerit *instrumentum* nos redimendi, & specialis hæc excellentia respiciat Christum, accipiat ab eo specificationem, sicut & dignitatem, idque totum redunderin Christi Domini honorem, sicut Christum adoramus *absoluta latria*, ita & istud lignum veræ crucis adorabimus latria respectiua.

III.

IV.

Articvlvs II.

Soluuntur fundamenta hæreticorum contra adorationem veræ crucis.

PRIMVM est: quòd sit sine fide, peccatum est, ex Apostolo ad Rom. 14. sed adoratio crucis sit sine fide, quia nullibi præceptum aut exemplum habetur in Scripturis pro illius adoratione.

Respondetur primò, mentem Apostoli relati ibi non esse, vt supponunt in hoc argumento hæretici, illud opus, quod non procedit ex ea fide qua sumus Christiani, seu qua credimus res fidei, quámque vocant *dogmaticam*, esse peccatum, sed nomen *fidei* sumi ibi pro ea *persuasione*, qua quis putat aliquid sibi esse licitum, ita vt sensus Apostoli sit, eum qui sibi persuadet aliquid non esse licitum, & nihilominùs illud facit, peccare, quatenus facit contra conscientiam: nam id indicant verba illa antecedentia, *Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est*, quia non ex fide, id est, qui hæsitat num sibi liceat vescì aliquo cibo, si comederit *damnatus est*, *quia non ex fide*, id est, quia facit contra propriam conscientiam: deinde supposita hæreticorum explicatione, adhuc negatur eum qui adorat veram crucem facere opus quod non sit ex fide, nam suprà ostendimus ex VII. Synodo veram crucem esse adorandam, idque ibi intelligi tanquam de fide, & fides *dogmatica* sese ad multa alia extendit, quàm ad ea sola quæ expresè continentur in sacris Scripturis, vt communiter docent Theologi agendo de Traditione, & suprà attulimus exempla adorationis veræ crucis.

V.

B Secundum est: tempore Apostolorum vera illa crux tota & integra extitit, nec tamen vnquam legitur ab eis adorata, & in honore habita, quin potiùs contempta etiam à Christianis, qui post Apostolos floruerunt, cum 300. annis & ampliùs, posteà dicatur inuenta: ergo multo minùs partes eius quæ nunc circumferuntur, erunt adorandæ.

VI.

Respondetur, argumentum hoc desumi ab auctoritate negatiua, quod non valere, communiter docent Dialectici; deinde singula bona opera Apostolorum non sunt sacris Litteris exarata; tertiò, quòd vera crux non fuerit contempta ab Apostolis, probari potest ex historia passionis S. Andreæ, & ex eo quòd passim Apostolus de ea loquatur honorificè, item quòd primis illis sæculis, quibus admittunt hæretici Ecclesiam floruisse in puritate doctrinæ, vera crux fuerit in honore, vt tempore Constantini & Patrum superiùs relatorum.

C

VII.

Tertium. Qui adorat veram crucem, aut aliquam eius partem, ignorat num verè ea fuerit aliqua pars istius crucis, in qua Christus pependit, maximè cùm tot circumferantur illius partes per totum hoc vniuersum dispersæ, vt in vnum congregatæ, longè excederent arborem quamlibet maximam: ergo cùm adoratio sequatur apprehensionem adorantis, hæc crucis incertæ adoratio est mala.

Respondetur. Ad hoc vt aliquis impendat adorationem veræ cruci non requiri mathematicam certitudinem, qua nouerit illam esse in qua Christus Dominus pro nobis redimendis pependit; sed sufficere moralem certitudinem in testimoniis fide dignis fundatam. Non enim ad

D hunc actum adorationis impertiendum sacræ Cruci absque peccato, imò cum merito maior certitudo de hac re, seu quod hæc crux sit vera crux aut aliqua eius pars, requiritur in adorante, quam requiritur in filio vt honorem debitũ parentibus reddat: præsertim cùm redditio huius honoris positiuè præcipiatur tam iure diuino naturali, & positiuo, quàm quolibet humano; cultus autem crucis nulla lege positiua iuris diuini sit præceptus; atqui vt quis reddat sine peccato, & conformiter ad legem Dei honorem debitum parentibus, non est necesse vt fide *dogmatica* credat se esse natum hoc & illo parente: nam hæretici qui solam Scripturam admittunt pro regula, & iudice fidei, nunquam id reperient in sacris Litteris determinatè, & in particulari scriptũ, sed sufficit ei moralis certitudo, qua ex testimoniis fide dignis nouit hunc & illum esse suos parẽtes.

VIII.

I. Ad id autem quod hæc hæreticorum obiectio addit, *Tot partes veræ crucis circunferri, vt simul congregate superent quamlibet maximam arborem.* Respondetur, sanctum Cyrillum Catechesi quarta *titulo de cruce*, sic de hac re scribere, *ligno crucis vniuersim tandem orbis terrarum particulatim oppletus est*, & Catechesi decima, *lignum crucis testatur, ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos qui secundùm fidem ex illo capientes hinc vniuersum orbem ferè iam repleuerunt*: similiter & S. Paulinus epistolâ suâ ad Seuerum, quam secunda parte tomi 4. Bibliothecæ Patrum refert Dumgalus libro suo responsionum aduersus Claudij Taurinensis Episcopi sententias, hanc veritatem hac parte præsentis obiectionis reiectam, probat dum sic de vera cruce scribit, *Quæ quidem crux in materia insensata, vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quotidie hominum votis, lignum suũ commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie diuidua sumentibus, & semper tota venerantibus, sed istam imputribilem virtutem, & indetridilem soliditatem, de illius profectò carnis sanguine bibit, quæ, passa mortem, non vidit corruptionem.* Modus autem, quo istud fiat, est Deo facilis, nimirum vel multiplicatione partium huius vnius & eiusdem crucis, sicut quando Christus in Euangelio per multiplicationem quinque panum & duorum piscium satiauit quinque millia hominum, vel reproductione earundem partium eiusdem crucis in pluribus variis, & distantibus locis, sicut Christi Domini corpus & eius sanguis reproducuntur quotidiana celebratione sacrificij Missæ, vel faciendo vt sicut vitis ad palmitis amputationem, alium de nouo emittit, sic etiam vera crux Christi ad

II. III. rescisionem alicuius suæ partis, aliam instrumentariè reproducat, nihil enim implicat eum, qui ex lapidibus potest suscitare filios Abrahæ, facere vt vera crux tanquam instrumẽtum suum in genere causæ efficientis non vitalis vel etiam materialis, diuerso tamen respectu concurrat ad pullulationem aliarum partium in seipsa, vt quod singulari deuotione fidelium est ab illa præcisum, reparetur, & semper maneat, quoad omnes suas partes, integra.

Quartum fundamentum hæreticorum est. Vera illa crux aut est adoranda respectiua latria propter contactum, quem habuit ad Christum, aut quia fuit instrumentum nostræ reparationis; non propter primum, quia multò magis beatissima Virgo, quæ per nouem menses gestauit Christum in vtero, deberet adorari latria, quandoquidem contactus ille Virginis Deiparæ ad

IV. Christum, fuerit naturalis, & diuturnior; contactus verò crucis violentus, & breui tempore duauerit. Respondetur, adorari latria tantùm respectiua ob vtramque rationem hîc positam, vt patet ex dictis præcedenti articulo.

Ad id quod affertur de beatissima Virgine Deipara, respondetur, agendo de rigore & de sola respectiua adoratione, illam esse capacem adorationis latreuticæ, ob contactum eius ad Christum & ministerium ei præstitum pro nobis redimendis; imò id ei maiori titulo conuenire, quàm & veræ cruci, cum nobiliore modo vtrumque hoc effecerit: nam vt satis fusè docet Clitouæus suis Commentariis ad caput 12. lib. 4. de fide orthodoxa sancti Damasceni, illa modo vitali tam in genere naturæ, quàm in genere moris ad id concurrit, corpus enim Christi est informa-

A tum ex purissimis eius sanguinibus & consensum præbuit ad peragendum Incarnationis mysterium: lignum verò crucis tanquam instrumentum tantùm mortuum & non vitale ad nostram redemptionem concurrit, quòdque ne minimam quidem entitatis substantiæ Christi partem contulit, sed corpus in seipsa extensum tanquam altare veri sacrificij à Christo oblati sustinuit, & de hac tantùm adoratione respectiua loquitur Clitouæus suprà, dum dicit Virgini Deiparæ maiorem venerationem deberi, quàm cruci; dum enim negat ibi latriam deberi veræ cruci, loquitur tantùm de absoluta latria, vt satis indicat hæc eius ratio, vt quæ omninò sit diuinitatis expers, ei verò respectiuam concedit, quando ait crucem esse adorandam ob aliquam eius ad Deum habitudinem; quæ Clitouæi verba non satis animaduertit Cabrera, hac quæstione, ar-

B ticulo quarto, numero decimo-quarto, dum hanc Clitouæi sententiam putat esse reiciendam, quasi asseruerit crucem non esse adorandam latria. Cur autem beatissima Virgo Deipara non adorerur communiter à nobis latria, dicetur dispur. sequenti.

Quintum. Si contactus iste sufficeret & aqua qua Iordanis, qua Christus fuit baptisatus, item terra quam suis contriuit pedibus, item asina cui insedit, quando triumphans ingressus est Hierusalem, item lecti, mensæ, & id genus alia, numero quasi infinita, quæ Christus tetigit, essent eadem latria respectiua adoranda; imò & ipsum impurissimum os Iudæ proditoris quo deosculatus est Christum: at negant Catholici beatissimam Virginem latria esse adorandam, item asinam, cui insedit Christus, similiter & ipsum os Iudæ proditoris, esse adoranda latria: igi-

C tur nec crux, in qua Christus pependit, est adoranda latria respectiua.

Respondetur. Quod spectat ad aquam Iordanis, si hæc eadem numero aqua quæ lauit Christum in baptismo, esset nunc asseruata, & pro tali certò cognita, tunc posset ob eiusmodi contactum etiam adorari; aliæ verò partes aquæ Iordanis, quæ exempli gratiâ, nunc fluunt, aut ante, vel post baptismum Christi fluxerunt, minimè, quia nec Christum tetigerunt, nec etiam sunt partes eius aquæ quæ Christum tetigit.

Quod spectat ad pullum cui insedit Christus, respondetur, si præcisè consideretur secundùm contactum quem habuit ad Christum, loquendo metaphysicè, esse capacẽ adorationis, eã tamen non fuisse ei exhibendam moraliter, tum quia videtur destitutus suo domino, & relictus communi vsui, res autem illæ quæ post contactum ad

D VIII. Christum, manserunt communibus vsibus peruiæ, non sunt adorandæ, cùm per communem eiusmodi vsum ex tacita Christi Domini ordinatione videantur secundùm moralem hominum æstimationem, amittere singularem illam habitudinem ad Christum, quam per eius contactum contraxerant, quæ tamen singularis habitudo sola est in eis fundamentum respectiuæ eiusmodi adorationis, tum etiam ad vitandum scandalum & irrisionem ignorantium: non enim est satis facere bonum, sed etiam requiritur vt illud benè & decenter faciamus: & ex his patet solutio ad ea omnia penè infinita, quæ Christus tetigit, & posteà communibus vsibus mancipata reliquit.

V. VI. VII.

Quod spectat ad os Iudæ proditoris, respondetur, illud tanquam membrum homi-

I. nis iniquissimi, & ignominiosè tractantis Christum, eum tetigisse, vnde vt sic potiùs contraxit aliquam pollutionem, & maculam, quàm sanctitatem, saltem denominatiuè, eo modo quo membra exteriora dicuntur esse subiectum peccati, quo fit vt non sit adorandum, cùm honos ei reddi non possit, quin etiam & in ipsum Iudam proditorem redundet.

Sextum est. Spiritus sanctus adest Baptismo, nec tamen Baptismus adoratur: Item sacerdotes secundùm Catholicos dum celebrant Missam, tangunt Christum, neque tamen propterea adorantur: ergo pari iure vera crux, licèt Christum tetigerit, non est adoranda.

Respondetur, Baptismum debere suscipi cum reuerentia, & esse signum aliquod sacrum & venerandum, provt apprehenditur tanquam causa effectiua sanctitatis interioris, concilians specialem mansionem totius Trinitatis in homine baptisato. Ad confirmationem petitam ex sacerdotibus Christi Domini corpus quotidie manducantibus, respondetur contactum eorum ad Christum per dignam eius manducationem esse sufficiens aliquod fundamẽtum pro adoratione respectiua: quia tamen digna hæc manducatio nobis non innotescit, nisi per aliquas coniecturas & sacerdotes alium habent titulum sibi proprium, videlicet sacerdotij, quo debent honorari, fit vt eos non sic honoremus.

Septimum. Filius non honorat patibulum patris, quia fuit instrumentum mortis eius ignominiosæ: at vera crux fuit instrumentum ignominiosæ mortis Christi Domini: item hostes Christi Domini gaudebant de passione, & dolebant de resurrectione: ergo Catholici qui adorant crucem Christi Domini, imitantur eius hostes.

III. Respondetur, filium non honorare patibulum patris, quando pater ob propriam culpam est ad id condemnatus, & quatenùs illud affert ignominiam patri: at si contingat patibulum illud & mortis istud genus esse patri gloriosum, quia scilicet passus est ab inimicis pro patria fortiter defensa, tunc illud est filio gloriosum, & arma, quibus pater moriens dimicauit pro patria, conseruat honestè, eáque interdum assumit pro stemmate suæ familiæ, vt docet experientia. Christus autem passus est in patibulo, vt non pro se, sed pro nobis tantùm redimendis, & diabolum hostẽ nostrum cruce debellarit, & nobis ad æternitatem aditum reserarit, quo etiam modo de Christi morte solemus lætari, non autem sicut hostes eius, provt ignominiam ei attulit.

IV. ARTICVLVS III.

Vtrùm imago veræ crucis, item & signum crucis sint adoranda.

SIT hæc prima propositio. *Imago veræ crucis est capax adorationis.* Propositio est de fide ex septima Synodo citata sæpiùs, actione 7. Probatur ex sanctis Patribus quos fusè referunt Dungalus opusculo contra Claudium Taurinensem, supèriùs relato: item Alanus dialogo 4. capite 6. Democharesibro 4. de sacrificio Missæ cap. 28. Pamelius in Apologeticum Tertulliani annotatione 238. & Scholastici hoc loco: vnde Epiphanius Tyrorum Episcopus apud Baronium tomo 7. Annalium ad annum Christi Domini 318. & Iustini imperatoris primũ, refert inter acta sacrilega hæreticorum crucem ab illis lapidatam.

A Rationes autem præcedentibus articulis allatæ pro adorandis imaginibus, probant & imagines veræ crucis esse adorandas *respectiuâ latriâ*, quatenùs referunt Christum extensum. V.

Sed quæres, quare solæ imagines veræ crucis, non item imagines *clauorum*, *lanceæ*, & aliorum instrumentorum passionis Christi Domini adorentur. Respondetur primò ex S. Thoma hîc in solutione ad tertium, sacras cruces referre Christum, seu esse imagines Christi Domini in cruce expansi: clauos verò, lanceam & alia eiusmodi passionis Christi Domini instrumenta non referre Christum, sed tantùm illum tetigisse, & ob hoc adorari: ideóque cùm reliqui claui, lanceæ, & alia instrumenta eis similia nullo modo Christum referant, vel non tetigerint, nullo modo etiam veniunt adoranda.

Secundò, quia posset dici nostras cruces non tantùm esse adorandas, quia Christum repræsentant. sed etiam quia sunt *imagines veræ crucis*, B VI.
vt significat septima Synodus supèriùs relata: ideóque respondetur, clauos, lanceas, & id genus alia, secundùm communem Ecclesiæ vsum non appropriari repræsentandis clauis, lanceæ, & aliis instrumentis passionis Christi Domini, ac propterea cùm careant hac repræsentatione & significatione, quæ sit fundamentum cultus, non potest ei religiosus cultus exhiberi, si verò deputentur per communem Ecclesiæ vsum (quemadmodum contingit quando simul cum cruce depinguntur omnia passionis Dominicæ insignia) tunc poterunt simul cum cruce adorari, quia tunc apprehenduntur, provt habent specialem aliquam habitudinem ad Christum patientem, ratione cuius, quatenùs sic considerantur, C
sunt digna adoratione *respectiuâ latriæ*, quæ tamen vt *absoluta* terminetur ad Christum. VII.

Atque ex his constat contra quosdam hæreticos imaginem, veræ crucis & reliquas Christi Domini & Sanctorum imagines non habere, vt possint adorari ex earum *benedictione*, quæ habetur in Pontificali Romano, & cuius etiam fit mentio in libro Adriani primi pro sacris imaginibus, nam adorationem crucis & imaginum fundauimus supràin suorum *exemplarium repræsentatione*; & adorationem veræ crucis etiam in eius *contactu ad Christum & causalitate instrumentaria* pro nobis redimendis, quæ omnes rationes semper in iis remanent, licèt nulla eis superaddatur consecratio vel benedictio, ideoque in Synodo, actione 6. habetur *imaginem sine omni precatione, & vnctione esse adorabilem ratione figuræ*: fit autem hæc consecratio & benedictio imaginum, tunvt per illam maior excitetur in D VIII.
illis colendis populi deuotio, & reuerentia, tum etiam vt intuitu precum Ecclesiæ tunc factarum, Deus faciliùs exaudiat cultores illarum.

Secunda propositio. Signum crucis est adorandum eodem modo, quo adoratur crucis imago expressa in materia solida, quia etiam repræsentat Christum in cruce extensum.

Et quod spectat ad eius vsum, constat esse in Ecclesia antiquissimum. Nam sanctus Iustinus Martyr dialogo cum Tryphone fusè illum commendat paulò post medium, item Tertul. dum lib. 2. ad vxorem cap. 5. notat Christianos fuisse solitos corpus & lectulũ signare ipsa cruce, cùm aliquid immundum flatu expuebant. Item lib. de corona militis cap. 3. docet Christianos fuisse solitos frontem crucis signaculo terere, ad omnem etiam progressum, aditum, exitum, vesti-

I. tum, & ad exercitium cuiuscumque actionis; item sanctus Cyprianus epistola 56. *Muniatur*, inquit, *frons vt signum Dei incolume seruetur*: item Eusebius orat. de laudibus Constantini ante medium multis prædicat huius signi efficaciam, cuius etiam meminerunt sancti Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 37. Hieronymus epistola ad Heliodorum, item epistola ad Eustochium de custodienda virginitate, Augustinus in Psal. 141. ad versum illum *in via hac qua ambulabam*, & omnes ferè Patres antiqui, quorum plura testimonia videri possunt apud Alarum dialogo 4. cap. 7. item apud Pamelium locis Tertuliani & D. Cypr. nunc citatis, tum etiam apud Bellarminum controuersia de imaginibus cap. 21. vbi refert miracula per eiusmodi signum facta; & hoc signum crucis profuisse Iuliano Apostatæ ad fugandos Dæmones notat Sanctus II. Gregorius Nazianzenus oratione 3. contra illum. B

Habet autem signum hoc tantam efficaciam, quatenus est quædam *fidei protestatio*, & *oratio* qua Deum oramus per meritum passionis Christi Domini: fit item in fronte vt significemur nos Christum non erubescere licet affixum cruci: adhibetur etiam signum hoc (ait sanctus Basilius loco nunc citato) *ex traditione Apostolica* ad consecrationem rerum, quia quando aliquid dedicatur in obsequium alicuius, tunc si signum eius, cui dedicatur, solet tali rei dedicatæ imprimi: At signum Christi Domini, est signum crucis: item adhibetur ad sanctificationem, quia per hoc signum crucis ita profitemur omnem sanctitatem prouenire ex merito passionis Christi Domini, vt etiam postulemus rem hanc, quam signo crucis signamus, ab eo sanctificari per virtutem suæ passionis.

III. C

DISPVTATIO VI.

De adoratione Deiparæ Virginis.

ARTICVLVS I.

Vtrum Mater Christi sit adoranda.

IV. D

DE fide est *Beatissimam Deiparam esse adorandam*. Ita habetur in 5. synodo actione 4. 6. & 7. & Trident. sess. 25. & quæcumque attulimus disputatione prima ad præsentem S. Thomæ quæstionem pro legitima diuisione adorationis in latriam, duliam & hyperduliam, hanc etiam nostram partem stabiliunt, sicut & ea omnia quæ dicuntur à sanctis Conciliis & Patribus de cultu Sanctorum. Nec huic nostræ conclusioni obstat quòd Sanctus Epiphanius hæresi 78. & 79. reprehendat mulieres, quæ in Syria statuam Beatissimæ Virginis circumferebant, eique liba & alia munera offerebant: nam ibi Sanctus Epiphanius *per libationem & munerum oblationem intelligit sacrificium*, vnde cùm illud soli Deo debeatur, meritò reprehenduntur à Sancto Epiphanio: Nec incidimus in errorem earum mulierum, quando eam vocamus *spem nostram*, & aliis eiusmodi titulis honoramus: non enim eo modo istos titulos ei tribuimus, quo Deo, sed modo inferiori, vt quod Christus, siue Deus *sit primaria* spes, Beatissima verò Deipara Virgo A *secundaria*, in qua ita confidimus, vt suis apud Deum precibus pro nobis sit impetratura quod postulamus: sicut Apostoli in Apocalypsi rectè dicuntur *fundamentum Ecclesiæ*, licèt Christus sit *primarium* Ecclesiæ fundamentum, Apostoli verò tantummodo *secundarium*. V.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quam ob rationem sit adoranda Beatissima Virgo Deipara, & qua specie adorationis.

VT respondeatur, Notandum est multiplicem posse distingui rationem in Beatissima Virgine cur adoretur. 1. est *contactiua*, qualis est in vera cruce. 2. est *instrumenti* ad nostram redemptionem, vt suprà monuimus. 3. est singularis eius *animæ sanctitas*. 4. est *maternitas*, quæ adhuc duobus modis potest considerari. 1. vt dicit *principium*, quo ipsa Beatissima Virgo attigit de facto conceptionem, generationem Christi Dei hominis, & alia id genus quæ pertinent ad causalitatem matris in filium, eam considerando metaphysicè secundùm ea solùmodo quę ei inessent aut cõuenirent, si Beatissima Virgo relicta in puris naturalibus tam antè quàm post Christi conceptionem & generationem concepisset & genuisset Christum. Secundò *moraliter* provt maternitas in Beatissima Virgine habet multas præclaras dotes illam comitantes. His ita prænotatis, sit prima propositio. Beatissima Virgo ratione contactus ad Christum, & etiam instrumenti quod concurrit ad nostram redemptionem, *est capax adorationis latreuticæ respectiuæ*. Ita Caietan. & Medina hic, & Suarez tomo 2. de Incarnatione disput. 22. sect. 2. & 3. & colligitur ex Sancto Thoma hic, in solutione ad 3. vbi negat Beatissimæ Virgini cultum latriæ fundatum in contactu ad Christum, *ob id quod illa secundum se ipsam considerata sit digna veneratione. At verò crux vera, minimè præcisa ratione contactus*, & instrumenti: vnde cùm ratio adorationis aliam necessariò non excludat, quando aliquam inter se non habent repugnantiam, fit vt Beatissima Virgo Deipara, licèt habeat aliquid sibi intrinsecum ratione cuius sit digna aliqua veneratione; quia tamen insuper habet rationem contactus ad Christum longè digniorem quàm vera crux, vt exposuimus præcedenti disputat. artic. 2. in responsione ad 4. etiam ex mente Sancti Thomæ sit capax latriæ respectiuæ. Probatur autem hæc pars iis omnibus rationibus, quibus nos suprà, & alii Theologi, probant veram crucem & alia passionis Dominicæ instrumenta VIII. esse digna adoratione latreutica respectiua, cum vtrobique sit idem fundamentum.

Secunda Propositio. *Licet loquendo Metaphysicè possit Beatissima Virgo sic adorari, loquendo tamen moraliter, & de publica adoratione, non debet sic adorari propter errorem & scandali periculum.* Propositio colligitur ex Sancto Thoma hîc, cuius prior pars patet ex nunc dictis, quia actus ille præcisè consideratus non est malus per se. Posterior item pars probatur, quia in communi adoratione est periculum erroris & scandali: erroris quidem, quia rudis & ignara plebs, cùm sciat creaturam rationalem esse alicuius venerationis capacem, si videat illam aliqua latria coli, facilè poterit credere excellentiam aliquam increatam, seu diuinitatem ei inesse.

I. Nec est quòd quis dicat nos etiam publicâ adoratione velle humanitatem Christi Domini latriâ respectiuâ adorari : est enim quoad hoc longè dispar ratio vtriusque. Nam dum publicâ adoratione colimus latriâ respectiuâ humanitatem Christi, apprehendimus illam, vt habentem vnionem hypostaticam ad Verbum; sicque non diuidimus Christum in duas personas: at in adoratione, quâ beata Virgo sic adoraretur, apprehenderemus illam vt personam creatam, à quacunque alia distinctam: vnde posset quis ita adorando dare alijs occasionem erroris & scandali, dum putarent eum tribuere veram aliquam diuinitatem beatissimæ Virgini Deiparæ.

Tertia propositio. *Beata Virgo Deipara est adoranda hyperdulia, ob singularem eius animæ sanctitatem, tam publicè, quàm priuatim.* Ita sanctus Thomas hîc, & omnes Scholastici: pro qua conclusione plura Patrum testimonia possunt videri II. apud Canisium in Manuali cap. 27. & sequentibus: item in Catechismo primâ parte, capite secundo.

Probatur. Adoratio debet correspondere excellentiæ: atqui excellentia hæc beatissimæ Virginis est tantùm creata, vt per se constat: ergo ei non debetur latria, est item superior alia quacunque creaturarum purarum rationalium, gratia etiam supernaturali, vt docet expresè sanctus Anselmus libro de laudibus Virginis cap. 9. & communiter alij Patres: Igitur ratione tantæ creatæ excellentiæ superantis alias omnes puras creaturarum excellentias, debet etiam Beatissima Virgo habere adorationem, quæ excedat adorationes quarumcumque aliarum purarum creaturarum: ergo cùm inferiores aliæ creaturæ adorentur *dulia*, vt suprà docuimus, debet Beatissima Virgo ratione singularis suæ sanctitatis III. adorari *hyperdulia*.

Quarta propositio. Beatissima Virgo ob maternitatem consideratam metaphysicè, iuxta primum modum ex duobus explicatis est capax adorationis hyperduliæ, minoris tamen quam ob maternitatem eius moraliter consideratam. Duæ sunt partes propositionis; prior probatur 1. ex Patribus, qui passim solent maximè commendare beatissimam Virginem hoc titulo, quòd sit *Mater Dei* : Probatur etiam ratione. Quæcumque dicunt ordinem intrinsecum ad vnionem hypostaticam etiam *in fieri*, eo ipso, quo habent ordinem hunc intrinsecum, sibi vendicant maiorem dignitatem, quàm quodlibet aliud ens creatum carens tali ordine, & ex consequenti maiorem cultum; atqui Beatissima IV. Virgo *ob maternitatem* isto modo consideratam dicit ordinem intrinsecum ad vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate, provt illa consideratur *in fieri*; quia vt nos suprà docuimus, eodem planè concursu, quo mater concurrit ad generationem filij, concurrit & Beatissima Virgo ad generationem Christi Dei-hominis: Ergo beatissima Virgo ob maternitatem, vt sic consideratam, vendicat sibi maiorem dignitatem & cultum; quàm quodlibet aliud ens creatum carens tali ordine; ergo cùm tunc consideretur digna & excellens ob aliquid creatum sibi vendicabit hyperduliam. Maior patet, quia, vt initio huius partis docuimus, inter omnia bona creata nullum est magis, dignius & excellentius vnione hypostatica; ergo quæ dicunt ordinem intrinsecum ad illam *in fieri* vendicant sibi maiorem dignitatem, & cultum, quàm ea creata entia, quæ talem ordinem non dicunt. V.

Confirmatur. Hoc ipso quo quis est pater, vel mater Imperatoris, eo, præcisè consideratо, censetur aliis omnibus esse dignior & excellentior, quia iure consanguinitatis, quo immediatè coniungitur Imperatori, vel regi, hoc ipsum sibi vendicat, vt patet experientia: At in nostra hypothesi Beatissima Virgo habet consanguinitatem omnium immediatissimam cum Christo, omnium creaturarum *Capite, Rege, & Imperatore*. Posterior item pars probatur, & S. Lucæ 11. cap. vbi cùm quædam mulier exclamasset, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Respondet Christus, *quinimo beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud* : quo loco particula, *quinimo*, non sumitur *negatiuè* quasi neget Christus esse magnum aliquod bonum beatissimæ Virginis quod illum genuerit, nam contrarium patet ex nunc dictis, sed vsurpatur ibi *comparatiuè*, quatenus significat eam fuisse inde multò beatiorem, quod vltrà hoc bonum maternitatis, habeat etiam & istud quod mandata Dei custodierit, & priùs mente, quàm ventre Deum hominem conceperit, vt exprimit Beda apud sanctum Thomam in cathena ad hunc locum sancti Lucæ. VI.

Articvlvs III.

Tria dubia soluuntur.

Primvm est, cùm ratio motiua tam hyperduliæ, quàm duliæ sit excellentia creata, quomodo adoratio beatissimæ Virgini debita erit maior quàm sit aliorum Sanctorum adoratio.

Respondetur fore maiorem secundum *æstimationem maiorem excellentiæ*, quæ est in beatissima Virgine, item secundum *maiorem voluntatis affectum* erga illam, & etiam secundum *singularia quædam signa exteriora*, quæ ex intentione adorantis ei exhibebuntur, & non aliis. Secundum dubium est: cùm cultus latriæ secundum se sit maior cultu hyperduliæ, & iuxta doctrinam secundi præcedentis articuli, loquendo metaphysicè, possit Beatissima Virgo adorari latria respectiua, an qui eam honorat latria respectiua magis eam honoret, quàm qui sola hyperdulia? VII.

Respondetur Beatissimæ *Virgini esse honorificentius coli sola hyperdulia absoluta, ob singularem suam sanctitatem, quàm prædicta latria respectiua*, quia nobilius & honorificentius est coli & honorari propter aliquid sibi internum & formaliter inexistens, (cuiusmodi est singularis gratia sanctificans in Beatissima Virgine,) quam solummodo coli propter aliud summè excellens sibi extrinsecum, ad quod tamen habet ordinem & habitudinem. VIII.

Tertium dubium est: si diuidantur à se inuicem duo hi tituli in Beatissima Virgine, *maternitatis* scilicet *& gratiæ*, & illi conferantur inter se, quisnam erit maior, & ratione cuius debeat magis coli Beatissima Virgo.

Respondetur. Si maternitas spectetur *moraliter*, & vt in radice ex quadam morali congruentia secum aduehit tot & tantas perfectiones tam antecedenter, quàm concomitanter, & consequenter, *titulum maternitatis esse maiorem*, vt patet ex dictis suprà: si verò spectetur *metaphysicè*, præcisis illis perfectionibus antecedentibus, concomitantibus & consequentibus *etiam in*

I. *radice*, iuxta moralem congruentiam, tunc in ordine ad supernaturalem beatitudinem titulum *gratiæ esse maiorem*, quia fundat ius ad illam, & est semen illius; maternitas verò præcisè considerata in beatissima Virgine, minimè: & iuxta hoc potest intelligi illud S. Augustini tract. 10. in Ioannem explicantis citatum locum S. Lucæ capite 11. *Et mater mea quam appellatis fœlicem, inde fulsit, quia verbum Dei custodit, non quia in illa Verbum caro factum est.* Quibus similia habet S. Chrysostomus homiliâ 45. in Matthæum: Dixi, *in ordine ad beatitudinem*, quia si consideretur *in ordine ad cultum & honorem*, titulus *maternitatis* videtur esse maior, vtpote altioris ordinis.

DISPVTATIO VII.

II.

De adoratione & cultu Reliquiarum.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Reliquiæ Sanctorum sint adorandæ.

NOTANDVM est per *Reliquias* nos non tantùm intelligere *corpora Sanctorum*, vel eorum *partes*, sed etiam *vestes*, & alia similia. Duo autem circa illas quæri possunt hoc loco. Primùm, an aliquo cultu religioso sint colendæ, nam Sanctorum corpora esse honorificè sepelienda admittunt hodie hæretici, licèt eorum patres violauerint Sanctorum sepulchra, & eorum corpora combusserint. Hoc prænotato, omnes sectarij nostri temporis primam partem negantem sequuntur, quam acceperant ab antiquioribus, vt Vigilantio apud S. Hieronymum epistolâ ad Riparium, Vvieleso, apud Valdensem tomo 3. tract. 19. & aliis. His tamen non obstantibus, sit

III.

Nostra propositio. *Reliquiæ Sanctorum sunt adorandæ.* Propositio est de fide ex Decretis septimæ Synodi act. 7. ex Concilio Constantiensi, in Bulla Martini V. ex Tridentino sessione 25. Decreto 2.

Probatur primò ex traditione Ecclesiæ, quam satis ostendunt Patres, dum docent Sanctorum reliquias esse honorandas: sic S. Ambrosius sermone de Nazario & Celso, S. Gregorius Nazianzenus oratione tertiâ & quartâ. S. Hieronymus lib. aduersùs Vigilantium cap. 2. 3. & 4. S. Augustinus epist. 103. S. Chrysost. homil. 23. in epist. ad Rom. homil. 3. ad populum Antiochenum, & alij quos referunt Alanus Dialogo 3. Coccius in suo Thesauro Catholico lib. 5. de Sanctis art. 16. Bellarminus libro 2. de Sanctorum beatitudine cap. 3. & Scholastici hoc loco.

IV.

Probatur ex miraculis quæ ad Reliquias Sanctorum sunt facta, vt libro 4. Regum cap. 13. ad contactum corporis Elisæi defuncti, mortuus resurgit: quod sanctus Ambrosius ad caput primum sancti Lucæ ad illa verba, *Et Spiritu sancto replebitur*, tribuit sanctitati ipsius Elisæi: item eorum quæ sunt facta ad illarum cultum, vt in Actibus Apostolicis cap. 19. *sudaria*, & *semicinctia sancti Pauli* applicabantur languidis, qui statim sanabantur, *Virtutis sanè* (inquit ibi sanctus Lucas) *non modicas quæstibet faciebat Deus per manum Pauli, vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria, vel semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.* Item ex illis Sanctorum miraculis, quorum sancti Patres in suis scriptis meminerunt, vt sanctus Ambrosius epistolâ 54. visus cæco restituti ad inuentionem & translationem corporum Sanctorum Gerualij & Prothalij: item & liberationis plurium tum à possessione dæmonum, tum à debilitatibus corporum, vbi *vestem prædictorum Sanctorum contigerunt.* Item ex miraculis sanctorum Vitalis & Agricolæ, de quibus idem sanctus Ambrosius sequenti epistolâ sic scribit, *Certè dæmones confitebantur, & ab hominum corporibus illicò egrediebantur, & multi qui variis vexabantur ægritudinibus Sanctorum tangentes sudaria continuò sanabantur, & plura per Sanctos suos mirabilia in populi præsentia, dum sacra veherentur pignora, operatus est Dominus.* Item ex miraculis ad contactum Reliquiarum sancti Stephani factis, de quibus sanctus Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 2. *Ad aquas tibilitanas. Episcopo afferente proiecto Reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magna multitudinis concursu & occursu: ibi cæca mulier vt ad Episcopum portantem sacra pignora duceretur orauit, flores quos ferebat dedit, recepit, oculis admouit, prolinus vidit, stupentibus qui aderant præbat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlteriùs non requirens.* Quo loco S. Augustinus addit ad contactum Reliquiarum eiusdem sancti Stephani miracula sanitatum à Deo multa fuisse facta, quæ vt *describerentur libri essent conficiendi plurimi:* vnde sermone 31. *alias de diuersis*, refert quendam iuuenem à morbo, quo laborabat fuisse curatum per contactum lapidis, quo brachium sancti Stephani fuit percussum. Item S. Chrysostomus oratione de sancto Babyla: sanctus Gregorius Turonensis 8. historiæ Franc. cap. 13. 15. 16. 17. de miraculis Sanctor. Nyssenus oratione de laudibus magni Theodosij: sanctus Gregorius Magnus libro 3. Dialog. cap. 17. & alij authores superiùs citati.

V. VI. VII.

Probatur item ex iis quæ habentur in Decretalibus toto titulo de Reliquiis, & veneratione Sanctorum.

VIII.

Vltimò, ratione sancti Thomæ sic fundata in authoritate sancti Augustini, & in communi experientia nunquam à viris prudentibus reprobata. Qui habet affectum erga aliquem, veneratur etiam illa quæ de ipso post mortem relinquuntur, ex S. Augustino libro 1. de Ciuitate Dei capite 13. sed pium habemus affectum erga Sanctos, & eos veneramur, vt patet ex dictis de cultu duliæ, & post eorum mortem supersunt nobis illorum Reliquiæ: ergo illæ sunt à nobis venerandæ.

Confirmatur hæc ratio: quæ sunt alicuius, participant aliquo modo eius dignitatem; ergo & honorem & venerationeni quæ fundantur in tali dignitate: atqui corpora & reliquiæ quas habet Ecclesia sunt aliquæ partes Sanctorum, quos veneramur: ergo eiusmodi reliquiæ sunt venerandæ.

Possunt autem Reliquiæ circunferri collo, vt docet S. Thomas secundâ secundæ quæstione 95. articulo 4. & patet ex S. Augustino epist. 103. S. Chrysostomo homil. *Quòd Christus sit Deus*, S. Gregorio lib. 7. epist. 120. quia tunc reuerenter feruntur, vt eruamur à periculis: vnde quando Concilium Bracarense cap. 5. reprehendit Reliquiarum gestationem, eam tantùm repre-

I. hendit, quæ fiebat ab Episcopis ad ostentationem & pompam, quatenus ad illam aucupandam deferebant Reliquias, vt sic veherentur in cellulis à Diaconis in vestibus albis.

Secunda propositio. Reliquiæ sunt adorandæ cultu respectiuo, propter Sanctos, quorum sunt reliquiæ, & proinde eiusdem generis adoratione, quo ij quorum sunt, adorantur, quatenus qui adorat reliquias ita illas adorat, vt animo apprehendat quasi ibi esse sanctum, cuius substantiales partes sint eiusmodi reliquiæ, & sic adoratio etiam ad illum terminatur, itavt coadorentur partes illæ quæ sunt reliquiæ: vestes autem illorum adorantur propter contactum. Tota propositio probatur iisdem omninò rationibus, quibus suprà probatum est, imagines sacras esse tali cultu adorandas.

II. ARTICVLVS II.

Soluuntur argumenta hæreticorum.

FVNDAMENTA eorum sunt. Primum, quòd Deuteron. vltimo capite Deus dicatur abscondisse corpus Mosis, quod omnes fatentur esse ne coleretur à Iudæis.

Respondetur, Mosis corpus fuisse absconditum, ne Iudæi ad idololatriam valdè propensi adorarent Mosem, tanquam Deum, vt notat Theodoretus quæst. 93. in Deuteron. S. Chrysost. homil. 1. in Matth. Deinde Deus voluit aliquem honorem exhiberi corpori ipsius Mosis, cùm illud Angelorum ministerio sepeliri voluerit, vt intelligitur ex capite vltimo Deuteronomij.

III. Secundum, quòd in veteri Testamento nullum exter vel præceptum, vel exemplum, licèt corpus Elizæi fecerit miracula. Primò respondemus sicut suprà de imaginibus, non esse præceptum *positiuum*, sed *negatiuum* tantùm, de exhibendo cultu Reliquiis Sanctorum. Deinde singula prælarè facta etiam Iudæorum non haberi descripta in veteri Testamento, & argumentum istud esse ab authoritate negatiua, cuius robur nullum est.

IV. Tertium, quòd Christus Matthæi 25. dicat. *Væ vobis Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum.* Respondetur, Christum ibi reprehendere Pharisæos, non quòd ædificarent monumenta Prophetarum, sed quòd eâ intentione illa ædificarent, vt hoc modo *apparerent iusti*, & possent Christum & eius discipulos liberiùs persequi, quatenus populus iudicaret eos ex zelo iustitiæ persequi Christum, quâ intentione (quam Christus penetrabat, videndo illorum cogitationes) satis denotabant se probare facta Patrum suorum qui Prophetas occiderant, cùm Christum Regem Prophetarum persequerentur.

Quartum. S. Paulus ad Colossenses 2. prohibet cultum voluntarium, qualis est hic cultus Reliquiarum. Respondetur, sanctum Paulum ibi tantùm reprehendere cultum superstitiosum, vt patet ex ipso textu, cuiusmodi non est cultus sanctarum Reliquiarum.

Quintum. Concilium Elibertinum Can. 34. & S. Hieronymus contra Vigilantium damnant vsum cereorum accensorum coram Reliquiis & sepulchris Martyrum: item ex corporibus Martyrum nihil restat præter materiam primam, quæ non est capax adorationis. Respondetur, ibi ceremoniam cereorum accentorum reprehendi, sed quatenus habebat *aliquid gentilitatis*; solebant enim Gentiles accensis facibus & incantationibus defunctorum animas aduocare: dicuntur autem defunctorum animæ hoc ritu *inquietari*, quia hæc vocatio vocabatur *inquietatio, sollicitatio*, vt colligitur ex libro primo Regum cap. 28. vbi anima Samuëlis per Pythonissam mulierem incantatione euocata ad instantiam Saülis, ait Saüli, *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* vel quia eiusmodi ceremonia modo Gentili facta dissplicet beatis animabus, ad eum modum quo ad Ephesios quarto Spiritus sanctus dicitur *contristari* malis nostris operibus, quia illi displicent. Et sanctus Hieronymus dum damnat vsum cereorum accensorum coram Reliquiis Martyrum, loquitur tantùm de iis, qui ita illos accendebant, vt putarent inde Martyres illustrari, vt patet ex obiectione Vigilantij, ad quam ibi respondet. VI.

Ad confirmationem, quâ dicitur ex corporibus Martyrum nihil restare præter materiam primam, Respondetur, eiusmodi corpora mortua, loquendo *moraliter*, censeri eadem ac cùm essent viua; rectè enim dicimus de corpore Petri qui mortuus est, hoc est corpus Petri, licèt loquendo physicè habeat aliam formam, nempe cadaueris. Pari modo, licèt nunc in Reliquiis Martyrum sit tantùm materia prima, attamen quia illa adhuc retinet *habitudinem* ad Sanctos, & *moraliter* loquendo censetur esse eadem cum illa, quæ pertinuit ad Sanctum à nobis adoratum, siue illa sit redacta in cineres, siue non, sit vt rectè eiusmodi adorentur propter Sanctos, quorum sunt Reliquiæ.

VII. Vltimum. Reliquiæ quæ exponuntur populo adorandæ, sunt vtplurimùm suppositiciæ: ergo qui illas adorat exponit se periculo idololatriæ, & cùm se exponere tali periculo sit peccatum, peccant qui illas adorant. Respondetur, multas ex illis claruisse vel adhuc clarere miraculis, & sic illarum veritatem esse probè cognitam: exempli causâ, Martyrum in Ecclesia Nolensi quiescentium apud sanctum Augustinum relata superiùs eius epistola 137. Item sancti Stephani apud eundem sanctum Augustinum lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. & plerasque alias, vt videre est apud Scriptores Historiæ Ecclesiasticæ dum acta Sanctorum referunt. Deinde respondetur esse in more positum, vt ex tantùm populo exponantur adorandæ, quæ priùs graui testimonio sunt diligenter recognitæ pro veris reliquiis Sanctorum, vt patet ex actis de hac re confectis, & in VIII. archiuis Ecclesiarum asseruatis. Tertiò, si quod dubium oriatur de aliquibus, tunc de illis sciscitandum esse iudicium Episcopi, vel Concilij Prouincialis, aut summi Pontificis pro ipsius rei grauitate, vt Concilium Tridentinum iubet expressè sessione 25. in secundo Decreto fidei. Tandem respondetur, ad vitandum peccatum idololatriæ in præsenti casu, & ad deferendum hunc cultum cum aliquo fructu spirituali, morale m de earum veritate certitudinem sufficere, quemadmodum suprà articulo secundo de adoratione Imaginum in simili causâ animaduertimus.

Cæterùm, pro coronide eorum omnium, quæ de sacrarum Imaginum & Reliquiarum adoratione diximus, placet eandem de hæreticis nostri temporis mouere querimoniam, quam

I. anno Christi Domini 815. mouebat Dungalus in eadem omninò controuersia libro suo à nobis superiùs citato aduersùs Claudium Taurinensem, vt doctrinam quam hìc tradidimus, agnoscant fuisse isto sæculo pro Catholica habitam, & ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio ad nostra vsque tempora religiosè obseruatam, *Qualis autem*, inquit, *& quanta est insana, elatio, & vana temeritas, vt quod à primæuo tempore Christianitatis per annos fermè* 825. (dicamus nos mille sexcentos triginta-sex, aut cò amplius) *à sanctis ac beatissimis Patribus, & religiosissimis postmodum Principibus, in gloriam & laudem Dei in Ecclesiis, & in quibuslibet Christianorum domibus fieri concessum, constitutum, & iussum est, vnius homo* (scilicet Claudius Taurinensis) *blasphemare, reprehendere, conculcare, proiicere, ac sufflare præsumat, quasi in tanto iam dicto spatio nullus sit sanctus, vel sapiens in Ecclesia Dei extitisset author, qui tam ardentissimum in corde suo zelum, vel subtilissimum haberet intellectum, sicut iste qui audet oppugnare, quod cateri, quasi formidolosi, auli non sunt vel vituperare, quod aly esse vituperandum, quasi stulti, non intellexerunt.*

II.

AD QVÆSTIONEM XXVI.

De Christo Domino mediatore.

III. IV.

PROPOSITA hæc quæstio habetur explicata in præcedentibus: nam esse mediatorem, vt hìc sumitur de mediatore, secundùm operationem, nihil est aliud, quàm vel per modum internuncij deferre vltrò pacta, vel conditiones pro duobus, vel pluribus inter se conciliandis, vel supplicare parti offensæ pro parte offendente, vel tandem satisfacere parti læsæ, pro ipso lædente: at Christum Dominum detulisse conditiones, quibus homines saluarentur, Deóque reconciliarétur, patet ex dictis suprà de eius merito, & ex eo quòd Malachiæ tertio, & alibi vocatur *Angelus noui Testamenti*. Item ex dictis ad primam quæstionem de satisfactione Christi Domini, & de eius merito ad quæst. 19. & de eius sacerdotio constat illum obtulisse Deo preces & supplicationes pro toto humano genere ex epistola ad Hebr. 7. cap. 5. & ex dictis quæst. 21. eúmque ad rigorem iuris satisfeciſſe pro toto humano genere.

Deinde quæst. 19. & agendo de eius sacerdotio ostendimus eum exercuisse functiones mediatoris, sicut & sacerdotij (quia quoad hoc eadem est conditio) per humanam naturam; ita tamen vt ad illas perfectè obeundas persona Verbi, tanquam principium morale illas infinitè significans, etiam concurrerit.

Tandem primâ quæstione ostendendo necessitatem huius mysterij, nec vllam puram creaturam potuisse nos redimere ex perfecta iustitia, simul etiam ostendimus solum Christum Dominum esse perfectum mediatorem, iuxta illud Apostoli primæ ad Timotheum secundo, *Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*: quo loci particula hæc *vnus* idem sonat ac *solus*, per exclusionem cuiuscunque alterius, sicut & in hac præcedenti *vnus Deus*.

Quibus non obstat, quòd beatissima Virgo & alij Sancti dicantur nostri mediatores apud Deum passim à sanctissimis Patribus, quia solus Christus est perfectus mediator, cùm solus ille nos redemerit: at beatissima Virgo & alij sunt tantùm mediatores intercessionis, & adhuc secundarij tantùm & minùs principales, quorum vis & efficacia *in meiando* fundatur in meritis ipsius Christi Domini; efficacia verò mediationis Christi Domini in nullius alterius meritis, sed in suis solis cum exclusione cuiuscumque alterius. V.

AD QVÆSTIONEM XXVII.

DISPVTATIO VNICA.

De sanctificatione beatissimæ Virginis. VI.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm beatissima Virgo concepta fuerit in peccato originali.

PRIMO, quemadmodum S. Thomas initio huius quæstionis rectè animaduertit, tota explicatio eorum, quæ pertinent ad mysterium Incarnationis sit expedita præcedentibus quæstionibus; vt tamen demus aliquid laudabili consuetudini huius Scholæ, quæ vt nulli alteri in tuenda dignitate beatissimæ Virginis cesſit, ita etiã in asserenda & propalanda immaculata eius conceptione omnibus aliis facem prætulit, dum de illa nunquam à suis impugnanda, quin potiùs datâ occasione propugnanda & stabilienda fecit solemne decretum, & ad eius obseruationem suos iureiurando astrinxit, nos huic sanctissimæ legi satisfacere cupientes circa totam hanc quæstionem de sola immunitate beatissimæ Virginis à peccato originali dicemus. VII.

Quod enim spectat ad eius immunitatem ab omni peccato actuali, etiam leuissimo, illam exposuimus primâ secundæ quæst. 109. & Concilium Trident. sessione 6. Can. 23. asserit Ecclesiam Catholicam illam tenere. Cui determinationi non obstant quæ Caluinistæ & Lutherani obiiciunt.

Primò, quòd fuerit incredula, S. Lucæ 1. ex istis verbis, *Quomodo fiet istud?* nam ibidem arguuntur mendacij à sancta Elizabeth sic alloquente beatissimam Virginem, *Et beata quæ credidisti quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino*. Istud autem *quomodo*, &c. non fuit *dubitantis*, sed *interrogantis* modum, quo mysterium hoc esset perficiendum; nam præterquam quod verba hoc tantùm præ se ferunt, id etiam tradunt Patres, S. Augustinus lib. 3. de fide cap. 2. S. Bernardus homilia 3. super *Missus est*, eo quod vouerat virginitatem. VIII.

Nec est secundò, quòd hæretici arguant illam negligentiæ, dum sancti Lucæ 2. capite reliquit Christum adhuc puerum in Templo, tam etiam ex consensu Caluini in sua harmonia ad illum locum, nulla fuit negligentia beatissimæ Virginis, cùm Christus Dominus *plenus gratia & scientia*, sese de industria subtraxerit, vt vacaret operibus Dei, nec illam fuisse arguendam ne-

gli-

I. gligentiæ Christus Dominus ipsemet significat dicendo, *Quid est quod me quærebatis?* &c.

Nec est tertiò quòd obiiciant eam S. Ioannis 2. capite fuisse à Christo Domino reprehensam, *Quid mihi & tibi mulier?* hæc enim verba non sunt reprehendentis, vt ex S. Iustino mart. quæst. lib. ad gentes responsione 136. Ex sancto Augustin. tract. 8. in Ioann. & aliis fusè probat Toletus ad illum locum Euangelistæ: sed *docentis* eam, opus istud quod exigebat, non pendere ab humano obsequio, sed à diuina voluntate.

Neque est quartò quòd obiiciant illam fuisse ambitiosam & inanis gloriæ cupidam, quando S. Matth. 12. illum concionãtem interpellat, & pro hac re citent S. Chrysost. homil. 45. in S. Matth. negamus enim id factum fuisse ab illa ex aliqua ambitione: & si textus S. Chrysost. benè expendatur videbitur potiùs accusare ambitiosos alios

II. parentes Christi D. quàm sanctissimam eius Matrem, & asserere Christũ D. sic fuisse locutum ad increpandos alios parẽtes non credentes in eum.

Nec denique est quòd obiiciant illam fuisse passam scandalum in morte Christi Domini, nam S. Ambros. lib. de institutione Virginis cap. 7. S. Greg. Nazianz. in sua Tragœdia quæ inscribitur, *Christus patiens*, imò & ipse Caluinus in cap. 19. S. Ioann. docent contrarium; & id satis patet ex eo quòd cap. 19. S. Ioann. dicitur, *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius.*

Vt igitur agamus de immunitate Beatissimæ Virginis à peccato originali,

Prima sententia fuit S. Thomæ hac quæst. art. 2. & aliquorum etiam antiquorum affirmans illam fuisse conceptam in peccato originali.

Altera sententia, quam loco nostræ propositionis ponimus, est, *Beatissimam Virginem de facto*

III. *fuisse immunem à peccato originali.* Hæc propositio hoc nostro tempore est tam certa vt Paulus V. summus Pontifex suo Decreto prohibuerit, *ne quis in concionibus, lectionibus, aut quibuscunque actibus publicis asserat Deiparam Virginem fuisse conceptam in peccato originali.* Et Gregorius XV. eius successor hoc Decretum Pauli V. extenderit etiam ad *priuata colloquia & scripta*, defendendo ni. nium præcedentem opinionem, non autem adducendo eius argumenta, eáque soluendo. Et hæc nostra propositio licèt sit verissima & certissima, quia tamen nondũ ab aliquo vniuersali Concilio, vel etiam à summis Pontificibus est definita, tanquam de fide, adhuc non est hæreticum priorem sententiam defendere, cùm per duo prædicta Decreta Pontificum non sit derogatum particulæ Decreti Trident. sess. 5. de peccato originali prohibenti afficere notã hæresis authores

IV. prioris sententiæ. Et Concilium Basilien se licèt daretur fuisse legitimum, quod est falsum, eam tamen sess. 36. si verba eius sumantur in rigore, non videtur absolutè & simpliciter definire, sed idem tantùm circa illam statuere, quod duo nunc relati summi Pontifices, vt potest facilè intelligi, si singula eius verba expendantur, & inter se conferantur. Nostra autem dicta propositio

Probatur 1. ex sacris Litteris Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ipsa conteret caput tuum*: quo loci multi Patres hac particulâ, *mulierem*, intelligũt Beatiss. Virginem, vt S. Aug. lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 34. S. Ambr. lib. de fuga sæculi cap. 7. S. Hieron. in quæst. Hebraicis: & per *caput* serpentis quod ipsa conteret, rectè intelligitur peccatum originale, quod est principium & radix omnium peccatorum, illúdque di-

A citur contriuisse, quia nunquam illud contraxit. V.
Cui expositioni non obstat quòd aliqui legant, *& ipse* (nimirùm Christus) aliqui, *& ipsum* (nimirùm semen, id est Christus) nam vulgata editio approbata à Concil. Trident. & recognita à Sixto V. & Clemente VIII. summis Pontific. legit in fœminino, *& ipsa*, quemadmodum multi Patres præsertim nunc relati. Item ex illo Cantic. 6. quod Ecclesia canit de Beatissima Virgine, *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* vbi per *ortum* eius, rectè potest intelligi conceptio eius, nam vt ortus est principium rei, ita & conceptio fuit initium quo B. Virgo cœpit esse; & tamen dicitur ibi *pulchra in tali ortu*. Et eodem lib. Cantic. multa continentur quæ ab Ecclesia accommodantur Beatissimæ Virgini, & aptissimè significant hanc immunitatem Beatissimæ Virginis à peccato originali. Idem patet ex salutatione

II. B Angelica, *Aue gratia plena*, quo loci non debet VI.
intelligi quæuis plenitudo & benedictio inter mulieres, sed *plenitudo insolita & inusitata*, qualis est carentia peccati originalis. Et Ecclesia accommodat Beatiss. Virgini illud Psalm. 84. *Benedixisti Domine terram tuam, & auertisti captiuitatem Iacob*; vbi per *terram* Domini rectè possumus intelligere Beatiss. Virginem, & per *captiuitatem Iacob* peccatum originalo.

Probatur secundò ex Patribus S. Andreæ Apostolo, qui, vt refertur in eius historia, ita dicebat, *Sicut de terra immaculata factus fuerat primus homo, ita necesse erat, vt de immaculata Virgine Christus nasceretur.* Item ex S. Hieronym. in Psal. 77. ad illum versum, *Deduxit eos in nube die*, vbi ait per *nubem* rectè intelligi Beatiss. Virginem & nubem illam non fuisse in tenebris, sed semper in luce; vbi notanda est hæc particula *semper*, quæ nullum

III. C instans excludit præsertim post hanc particulam negatiuam, *non fuit in tenebris*: quo loci per *tenebras* intelligit peccatum. Item ex S. Ambrosio
concione 22. in Psal. 518. ad illum versum, *Erraui* VII.
sicut ouis quæ periit, vbi sic ait, *Suscipe me, non in carne quæ in Adam lapsa est, suscipe me non ex Sara, sed ex Maria, vt incorrupta sit virgo, sed virgo per gratiam ab omni integra labe peccati*: quo loci opponit Beatiss. Virginem Saræ & carni, quæ de facto peccauit in Adam. Item S. Gregor. Neocæsariensi sermone de annunciatione Virginis: *Ex omnibus*, inquit, *generationibus hæc sola Virgo sancta corpore & anima fuit*: quod necessariò debet intelligi de sanctitate oppositа peccato originali, quia valdè probabile est aliquas alias virgines in sua sanctitate prima decedentes fuisse sanctas mente & corpore, quoad peccata actualia.

Item ex S. Augustin. lib. de natura & gratia cap. 36. VIII.
IV. D qui dum disputat de peccatis nullam quæstionem vult habere de Beatiss. Virgine, quod non potest intelligi de solis actualibus, tum quia ibi disputat contra Pelagianos, docétque etiam infantes non esse sine peccato, quod debet intelligi *de originali*: tum etiam quia si id intelligeret tantùm de actualibus, sola Virgo Deipara non esset excipienda, sicut solam illam excipit, sed etiam & innocentes. Item ex S. Cypr. sermone de Natiuitate Christi, vbi recensens priuilegia Beatiss. Virginis, ita ait, *Nihil in hac re petiit vltio, nec præcedens delectatio aliquam experiit pœnarum vsuram, Spiritu sancto obumbrante incendium originale extinctum est; ideóque innoxiam affligi non decuit, nec sustinebat iustitia vt illud vas electionis communibus laederetur iniuriis; quoniam plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.* Quo in

I. te monio hæ particulæ sunt obseruãdæ, Prima, *nisi per vltrò*) quæ significat nihil vnquam fuisse in Beatiss. Virgine quod aliquam mereretur pœnam, & proinde cùm peccatum originale sit huiusmodi vt mereatur pœnam damni, illud in illa non fuisse, aliàs non benè vteretur istâ particulâ, *nihil*. Secunda item hæc particula (*Spiritu sancto obumbrante incendium originale extinctum est*) quâ eius præseruationem à peccato originali incurrendo intelligitur; nam si id intelligeretur de illa extinctione talis peccati, quæ tamen præsupposuisset existentiam peccati originalis in Beatiss. Virgine, falsò subiiceret illam non fuisse *lassatam communibus iniuriis*. Item illam sic fuisse *ab aliis differentem vt naturâ, non autem culpa* communicaret cum illis, quia haberet sibi nobiscum commune, quod aliquando fuisset peccato originali. Item ex S. Ildephôso lib. II. suo aduersùs eos qui disputant *de perpetua virginitate Mariæ*, qui habetur tomo 9. Bibliothecæ Patrum non longè à principio ita scribit, *Et beata Virgo Maria, nisi in vtero matris sanctificata esset, minimè eius natiuitas colenda esset; nunc autem quia ex authoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse.* Et paulò inferiùs, *Et decus virtutis beatissimæ Virginis pudicitiam prædicare incorruptam & incontaminatam, & ab omni contagione primæ originis confiteri alienam.* Item ex Idiota vir pio & deuoto qui fertur vixisse anno Christi 350. cuius opera habentur tomo 5. Bibliothecæ, in libro quem inscripsit, *de beatissima Virgine contemplatio*, statim initio 1. capitis ita ait, *Trahe me post te, ô benedicta Virgo Maria, benedicta ante ortum, in ortu, & post ortum.* & cap. 2. post medium, III. *Tota igitur*, inquit, *pulchra es, Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit.* & ibidem cap. 6. *Inuenisti, Virgo Maria, gratiam cælestem, quia fuerunt in te ab originis labe præseruatio, angelica salutatio, Spiritus sancti supernentio, & Filij Dei conceptio.* Hoc nimirùm sensu, quòd quia Deus eam prælegit in Matrem Dei, & in hunc finem voluit etiam ei præseruationem à peccato originali. Plura in hanc rem Patrũ testimonia possunt videri apud Ferdinandum Quirinum in suo opere de immaculata conceptione Beatiss. Virginis cap. 42. vbi discurrens à primo sæculo Christi Domini nati vsque ad præsens, fusè refert varia Patrum & Doctorum testimonia pro hac nostra propositione.

Accedit & consensus præcedentiũ summorum IV. Pontificum, qui conceptionem Beatiss. Virginis vocarunt *immaculatam*, vt Iulij II. in 1. & 2. cap. regulæ monialium cõceptionis, seu institutarum in honorẽ immaculatæ conceptionis Beatiss. Virginis. Item Leonis X. in Bulla quæ in compendio priuilegiorum mendicãtium titulo *communicatio* refertur 18. Item Sixti IV. in Extrau. *Cùm præexcelsa*, & Extrau. *Grauè nimis*. Item accedit & celebratio festi conceptionis Beatiss. Virginis quod in Græca Ecclesia ante 1000. annos fuisse celebratum notat Galathin. lib. 7. cap. 4. vnde cùm nondũ incœpissẽt obseruari in his partibus, illud cùm Canonici Lugdunenses introducerent, eos quidẽ reprehendit S. Bernardus cit. epist. non quòd simpliciter illud colerẽt, sed quòd priuatâ authoritate id facerent. Nec his satisfacit quod aliqui respondent festum hoc celebrari, non quidẽ quod primo instãti Beatiss. Virgo fuerit sanctificata, sed A quod eodem die, alio tamen post instãti, vel tempore. Item non celebrari quatenùs fuit immaculata, sed quatenùs fuit principium nostræ redemptionis: neutrum, inquam, satisfacit, quia summi Pontifices in suis Decretis vocant conceptionem illam *immaculatã*, & per *immaculatam* intelligunt *exemptionẽ à peccato*, vt ex simplici eorũ lectione potest intelligiinõ item secundũ, quia Sixtus IV. in cit. Extrau. *Cùm præexcelsa*, satis denotat festũ hoc celebrari etiam ob naturalem eius cõceptionem, & si non putaretur immaculata, non magis celebraretur eius festum, quàm S. Ioannis Baptistæ, in cuius conceptione potest animaduerti aliqua nostræ salutis inchoatio, comitata præclaris quibusdam signis, quæ tamẽ non celebratur, quia facta est cum peccato originali ab eo contracto.

Probatur demique ratione, beneficiũ quod puræ alicui creaturę est collatum, facitq; ad dignitatem Beatiss. Virginis, fuit etiam ei collatum à Deo (neB que enim decet Deum minùs munificũ fuisse erga matrẽ, quàm erga alios) atqui Angeli & primi parẽtes, in primo suo exordio & creatione habuerunt gratiam, vt docet S. Thom. 1. parte: ergo & Beatiss. Virgo in sua conceptione & origine. Confirmatur, Beatiss. Virgo à Patribus dicitur *purior ipsis angelis*, quod tunc esset falsum, cùm illi nullũ habuerint peccatum. Secundò, Deus dispensauit cum Beatiss. Virgine de quibusdã pœnalitatibus peccatum originale consequentibus, vt de dolore in partu, de reductione corporis in puluerem: at peccatum originale grauius est his omnibus, quia hæc stant cum gratia; peccatũ verò originale minimè. Postremò, si quæ sit ratio ob quam Beatiss. Virgo non fuit præseruata, est quia id non fuit decens, nam de potẽtia Dei, & de capacitate Beatiss. C Virginis ad recipiendã gratiam in illo instanti sitæ conceptionis, nemo potest dubitare: at fuisse decens propter rationes allatas docet S. Anselmus lib. *de conceptu virginali*, cap. 18. dum de Beatiss Virgine ita loquitur, *Decens erat vt eã puritate quã maior sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Tum etiam quia fuit decens perfectissimum mediatorem habere perfectissimum modum redimẽdi, saltem circa eam personam quam singulari titulo respicit: atqui Christus fuit perfectissimus mediator: item singulari titulo respicit matrem, & perfectissimus modus redimendi aliquem, est illum præseruare à contrahendo peccato, cuius tamen contrahendi secundùm se spectatus, est capax: Igitur decens fuit Christum præseruare suam matrem à contrahendo peccato originali.

ARTICVLVS II.

Soluitur dubium.

D QVÆRES quomodo Beatiss. Virgo fuerit exempta à peccato originali, Respondetur id fieri potuisse duobus modis. Primus est, vel illam prædestinando cum Christo Domino ante præuisum peccatum Adæ, eligendo iliam efficaciter in Matrem Dei, ob hãnc que dignitatem eximendo illam ab omni debito proximè incurrendi aliquod peccatum, ex singulari priuilegio illi ob merita Christi Domini concedendo: vel etiam ante pactum cum primo parente initum, præuiso iam peccato, illam singulariter eximendo à tali peccato, nolendo illam co includi; quâ ratione Beatiss. Virgo non tantùm fuerit exempta à peccato originali, sed etiam à debito incurrendi illud. Cuius exemptionis hæc est ratio, quòd non solum peccatum, sed etiam debitum illud incurrendi habeat in se grauem indecentiam &

V. VI. VII. VIII.

I. turpitudinē, cùm impediat perfectam libertatem
a peccato, & inducat aliquā seruitutem: at dicere
Beatiss. Virg. fuisse aliquo sensu seruam peccati
alioquin proximè futuri, & caruisse perfectā li-
bertate à peccato, nō videtur satis decens pro sin-
gulari illa dignitate maternitatis Dei ad quā erat
specialiter prædestinata à Deo, quin potiùs hoc
cederet in aliquod eius opprobrium. Et sic facilè
intelligitur modus quo Beatiss. Virgo absolutè &
simpliciter fuit, & est purior Beatissimis Angelis: &
Christus D. est perfectissimus mediator, nō titulo
maximè speciali respicit, est enim eius Mater, à
qua voluit priùs cōcipi mente, quàm vētre illam
præsertim ado non tantùm ab actuali contractione
peccati, sed etiam eximēdo eam à debito contra-
hendi illud: ergo Deus non tantùm eximit Bea-
tiss. Virginem à peccato originali contrahendo,
sed etiam à debito contrahendi illud.

II. Alter modus est: eam habuisse quidem debi-
tum contrahendi peccatum originale, de facto ta-
men non contraxisse illud, sed fuisse impeditam,
quatenùs eo ipso instanti quo anima vnitur corpo-
ri, fit; pars filij Adæ, & ex consequenti contrahat
peccatū originale, priùs natura quàm tale peccā-
tum deberet resultare, Beatiss. Virgo habuit vsum
rationis acceleratum ex speciali priuilegio Dei, &
per actus supernaturales fidei, spei, & charitatis
meritorias de congruo, elicitos ex speciali auxilio
Dei, sese disposuit ad gratiam habitualem, eámq;
accepit eo ipso instanti quo peccatū originale de-
bebat resultare in illam, sicq; fuit impeditum per
hanc gratiam. Ratio huius secūdi modi est, quòd
omnes & singulæ perfectiones, quæ de facto con-
cessæ fuerunt puræ alicui creaturæ rationali, nec
dicunt incompossibilitatē ad statum Beatiss. Vir-
ginis, debeant ei concedi: at vsus rationis fuit ac-
III. celeratus S. Ioanni Bapt. item datum est Angelis,
vt sese disponerent per actus supernaturales ad
gratiam habitualem, vt ostenditur 1. parte, &
hæc perfectio potest consistere cum statu Beatiss.
Virginis, quia quoad hoc non pender à cogni-
tione sensitiua, sed ab illuminatione Dei.

Vterque modus habet suos authores: prior vi-
detur nobilior, & magis conueniens puritati Bea-
tiss. Virginis, quem Catharin. lib. *de peccato origi-
nali* cap. vlt. Galatin. lib. 7. *de arcanis* cap. 10. Vi-
guerius in suis Institut. Ferdinandus loco cit. &
aliqui alij ex recentioribus sequūtur; Suares, Vas-
quez, & plures alij etiam ex recentioribus ample-
ctuntur posteriorem. Cuius potissimum funda-
mentum repetitur ex S. August. epist 157. dicente
conformiter ad Zozimum summum Pontificem,
quem ibi refert, *neminem liberum effici, nisi qui per
IV. seruus est, neminem posse dici redemptum, nisi qui per
peccatum verè fuerit ante captiuus*: at Beatiss. Vir-
go consecuta est veram libertatē ex merito Chri-
sti D. fuit ab illo redempta: ergo debuit esse serua,
& captiua peccati; sed non fuit talis quoad actum
peccati & seruitutis, vt patet ex dictis pro nostra
propositione: ergo quoad debitum; sicque quam-
uis non contraxerit de facto peccatum originale,
habuit tamen debitum contrahendi illud, & sic
fuit inclusa in pacto inito cum Adam, dicitur esse
filia eius, & peccasse in illo.

A dum eximendi à peccato originali hæc omnia te-
stimonia procedere tantùm de iis qui cōprehen-
debant in illo pacto, quod Deus pepigit cū pri-
mo nostro parente, in quo tamē Beatiss. Virgo non
fuit comprehensa, vt ibi explicatum est. Deinde
iuxta secundum modum respondetur, hæc & si-
milia testimonia tantùm procedere de via ordi-
naria, non autē quando est aliquod priuilegium exi-
mens à communi lege, quo modo Beatiss. Virgo
fuit excepta ab ista vniuersali lege, vt etiam Sotus
qui interfuit sessioni & Decreto Trident. *de pec-
cato originali*, postea scripsit commentarius suis in
epist. ad Rom. ad cap. 5. ad ista verba, *in quo omnes
peccauerunt*, eodem sensu quo sacra Scriptura ait,
non est homo qui non peccet: item, *in multis offendi-
mus omnes*: & tamen ostēdimus Beatiss. Virginem
nullum actuale peccatum, etiam leuissimum ad-
misisse, & priuilegium hoc Beatiss. Virginis de
B immunitate à peccato originali eliciturVI.
ex sacris
Scripturis & Patribus à nobis suprà relatis; dum
verò Patres solum Christum D. eximunt à tali
peccato, asserunt id, considerando eum præcisè,
ex vi & ratione suæ conceptionis, iuxta quam
considerationem Beatiss. Virgo, si nihil aliud in-
tercessisset, non fuisset exempta, vtpote concepta
ex coniunctione viri cum fœmina, quo tamen
modo Christus D. non fuit conceptus, sed de
Spiritu sancto.

Secundum, quod aliqui Patres videntur ita sen-
tire, S Augst. lib. 2. *de peccatorum meritis*, cap. 24.
sic loquens de Christo D. *Solus ille peccatū nullum
habuit vnquam, nec sumpsit carnem peccati, quamuis de materna carne peccati*. Item in Psal. 4. S. Ful-
gentius lib. 1. *de fide* cap. 6. S. Bernardus epist. 174.
& aliqui alij. Respondetur, carnem Beatiss. Vir-
ginis appellari ab illo *carnem peccati*, quia Beatiss.
C Virgo fuit concepta per concupiscentiam carnis,
seu ex coniunctione viri cum fœmina; caro autem
Christi D. minimè, sed operatione Spiritus sancti,
iuxta illud Angeli, *Virtus Altissimi obumbrabit ti-
bi*. Auctoritas autem S. Fulgentij tantùm intelli-
gitur de communi lege, quæ nihilominùs patitur
vel exemptionem, vel exceptionem pro Beatiss.
Virgine, vt obseruauimus ad 1. argumentum.
Quæ responsio confirmatur ex eo quòd idem S
serm. *de duplici Christi natiuitate*, faciens antithe
sim inter Beatiss. Virginē Deiparam & Euam, ita
ait, *In primi hominis coniuge nequitia diaboli se-
ductam depranauit mentem; in secundi hominis ma-
tre gratia Dei mentem seruauit & carnem*: quod
tamen esset falsum, si Virgo Deipara fuisset ali-
quando infecta peccato originali; nam hæc anti-
thesis fit etiam inter ea quæ vtrique contigerunt
statim à principio suæ creationis, cùm ibi loqua-
D tur de illo peccato, quod Eua commisit per sedu-
ctionem serpentis. VIII.

Ad authoritatem S. Bernardi respondetur primò, eum alibi videri eximere Beatiss. Virginē ab
incursu peccati originalis, vt serm. *de priuilegiis S.
Ioannis Bapt.* quando ita scribit, *Cùm igitur omnes
in iniquitatibus concepti sumus, neminem vnquam
mortalium intra materna viscera sanctificatum le-
gimus, præter Hieremiam & Ioannem Baptistam,
quanquam & de singulari Virgine nulla sit ambigui-
tas, quin ipsa maternis visceribus circumsepta,
sublimiori sanctificationis genere mundata sit, vtpo-
te ad sanctuarium illud, in quo Deus & Dei Filius
carnem fuerat susceptuarus*. At genus illud *sublimio-
ris sanctitatis* rectè intelligitur de præseruatione
ab incurrendo originali peccato, quia aliàs mo-
dus sanctificandi Beatiss. Virginem à peccato ori-

ARTICVLVS III.

Soluuntur argumenta sententiæ prioris.

IN REMVM est, quòd Scripturæ, Patres, & Con-
cilia, dum loquuntur de peccato originali, so-
lum Christum D. & præter eum neminem exi-
mant ab illo. Respondetur, iuxta primum mo-

I. ginali fuisset eiusdem rationis cum illo, quo sanctus Ioannes Baptista est sanctificatus, & tantùm distingueretur penes maiorem gratiæ cumulum, cùm tamen modus ille loquendi S. Bernardi aliquid amplius importet. Secundò respondetur, S. Bernardum ibi non videri absolutè & simpliciter contendere Beatiss. Virginē fuisse conceptam in peccato originali, sed cùm videret festum immaculatæ conceptionis Beatiss. Virginis celebrati à Canonicis Lugdunēsibus sine authoritate summi Pontificis, fuit paulò vehementior. Tandem respondetur, ibi eum ita fuisse locutum, vt tamen extremis verbis istius epistolæ submittat suam hac de re opinionem prudenti aliorum iudicio, & præsertim Romanæ Ecclesiæ. *Quæ autem*, inquit, *dixi absque præiudicio sanè dicta sint sanioris sapientis, Romanæ præsertim Ecclesiæ authoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ eiusmodi sunt, vniuersa reseruo; ipsius si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare.* Quare cùm habeamus expressa duorum summorum Ecclesiæ Pontificum diplomata pro nostra propositione, authoritas S. Bernardi non potest vllo modo nobis opponi.

II. Tertium fundamentum est, quòd aliàs non fuisset redempta per Christum, quia per nullum peccatum fuisset mortua. Respondetur, iuxta secundum modum eximendi illam à peccato originali, fuisse redemptam in primo parente, in cuius voluntate continebatur, ratione debiti quod habebat ad incurrendum hoc peccatum, nisi fuisset præuenta à Deo.

III. Ad eandem rationem iuxta primum modum respondetur, quia per exclusionem à prædicto pacto fuit præseruata, ne incurreret hoc peccatū, tam debitum illud incurrendi hæc, quàm eius exclusio à tali pacto fuit ei concessa ex meritis Christi Domini, hoc etiam modo fuit redempta per Christum, quatenùs tunc fuit ordinata ex meritis Christi Domini ad accipiendum gratiam habitualem, cuius tamen aliàs, spectando nudè eius conditionem, non tantùm debebat habere carentiam, sed etiam priuationem. Et quòd S. August. ex S. Zozimo ait, *non intelligi redimi, nisi qui verè anteà fuerat perpeccatum captiuus*, procedit tantùm de ea redemptione, quâ communi lege omnes sumus redempti per Christum; cùm enim ibi loquatur de peccato originali, & eius transfusione à parentibus in suos paruulos, sicut locis à nobis suprà citatis S. August. suâ disput. de peccato originali non comprehendit Beatiss. Virginem; ita etiam nec hac speciali redemptione, quæ de facto supponit peccatum fuisse in illo, qui redemptus est, præsertim cùm ibi etiam agat de peccato

IV. originali.

Quartum, quod sit concepta libidinosâ conceptione, quæ est radix peccati originalis. Respondetur, siue actiua conceptio Beatiss. Virginis fuerit ex parte parentum facta cum aliquo ardore libidinis etiam venialis, vt hæc obiectio supponit, siue non, vt alij censent: quodcumque eorum dicatur, non sequi eam fuisse infectam peccato originali; nam parentes non ex eo dicuntur transfundere peccatum originale in filios, quòd in copula carnali committant aliquod peccatum, ratione cuius posteà peccatum originale resultet in animas suorum infantium; sed tantùm eo quod

A vniunt animam corpori viâ seminali ab Adam descendenti, quæ eo ipso quo hac ratione fit pars filij Adæ, si non sit vel excepta ab ista lege, vel à prædicto pacto exclusa, statim habet vt inficiatur peccato originali, illo ad talem vnionem resultante in animam; Vnde cùm Beatiss. Virgo fuerit vel excepta ab ista communi lege iuxta secundum modum, vel non comprehensa in pacto prædicto iuxta primum modum, siue parentes eius peccauerint illam concipiendo, siue nullum peccatum admiserint, non potuit, ex eo præcisè spectato, fieri vt ipsa contraheret peccatum originale. V.

Quintùm, quòd habuerit defectus consequentes peccatum originale, quos non assumpsit, sicut Christus Dominus, sed verè contraxit. Respondetur, Beatiss. Virginem hoc sensu dici *contraxisse defectus* consequentes peccatum originale, quòd eos non *liberè & voluntariè*, sicut Christus

B Dominus assumpserit, sed ex conditione & necessitate naturæ, nec habuerit aliquod dominium in suum corpus, quo posset illos impedire, sicut diximus Christum Dominum habuisse, suprà ad quæst. 14. vnde illi defectus, provt erant in Beatiss. Virgine, non habebant, propriè loquendo, rationem *pœnæ*, sed potiùs *naturalis cuiusdam conditionis* sequentis naturam à parentibus constitutis in statu vitæ mortalis, acceptam. VI.

Sextum, quòd Beatiss. Virgo fuerit priùs persona, quàm informata sanctificante gratiâ, & proinde cùm in hoc statu nullum detur medium inter peccatum & gratiam, nec tunc fuerit in statu gratiæ, debuit esse in peccato; at in nullo alio, quàm in originali: ergo contraxit peccatum originale. Respondetur, licèt Beatiss. Virgo priùs natura fuerit persona, quàm reciperet gratiam habitualem, non propterea tamen posse dici fuisse

C *in aliquo priori*, in statu peccati, vel *carentiæ gratiæ*, quia modus iste loquendi denotat aliquam *durationem*, quâ antecedenter fuerit persona, priusquam esset grata Deo: quod non habet locum in nostra sententia, vt videre est in Angelis, & primis nostris parentibus, qui priùs naturâ fuerunt à Deo creati, quàm acciperent gratiam, nec tamen dicuntur à Theologis vel fuisse in statu aliquo peccati, vel in carentia gratiæ, sed in illa creati: vnde etiam simili modo Beatiss. Virgo non dicitur priùs fuisse in aliquo peccato, vel caruisse gratiâ. VII.

Quæres, quando & quomodo caruerit peccato originali. Respondetur iuxta primum modum, eam ratione suæ exclusionis à tali pacto inito cum primo parente, non habuisse, vnde illud contraheret, sicut nunc si quis à Deo createtur: & iuxta secundum modum ratione priuilegij & suæ exemptionis seu exceptionis à communi

D ista lege, peccatum hoc modo fuisse impeditum resultare, quòd nimirùm eo instanti quo debebat resultare, Deus impediuit, dando animæ Beatissimæ Virginis accelerationem vsus rationis, præuenientes gratias actuales, quibus illa se disposuit ad gratiam habitualem, eámque recepit; & cùm hæc gratia & peccatum originale non se compatiantur, solam habitualem gratiam habuisse locum in illa primo illo instanti, sicque impediuisse ipsius peccati originalis resultantiam. Atque hactenùs de absstrusissimo Dominicæ Incarnationis Mysterio. VIII.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM,
QVÆ IN HOC TOMO CONTINENTVR.

Prior numerus denotat paginam, posterior numeros marginales.

A

Accidens.

ACCIDENS quî differt à substantia indiuidua, 96.III

Accidens separatum à suo subiecto habet naturalem appetitum & aptitudinem naturalem ad inhærendum ei, 108. VI

Accidens inhærens subiecto habet duo vel quasi duo. scil. quod informet subiectum cui inest, & quod dependentia illius terminetur à subiecto cui inest. 172.II

Accidens non potest assumi hypostaticè ab aliqua persona diuina, 172. V.VI.VII. *& seqq.* 172. I.II

Accidentia duo sibi inuicem contraria cur non possunt esse simul & semel in eodem subiecto & eadem parte subiecti, 164. I.II

Actio, Actus, Agere.

Actio Sacerdotalis duabus constat partialibus, 508. I.II

Actio adductiua quid, 194. VI.VII

Actio quo sensu dicta θεανδρικὴ in Christo, & quid, 433. VI.VII.VIII

Actio sacrificij Christi est valoris infiniti, 505. V

Actiones transeuntes duobus modis considerantur, vel per habitudinem ad suam causam efficientem, vel per habitudinem ad ipsum patiens, 22. III

Actiones sunt in duplici differentia, 116. III

Actiones non tantùm, sed etiam passiones sunt suppositorum quo sensu id intelligitur, 207. III. VII. VIII

Actiones quo sensu dicuntur esse suppositorum, 90. III. IV.

Actiones & passiones iuxta potentiam Dei ordinariam sunt tantùm à substantia terminata propria vel aliena subsistentia, 505. IV

Actiones Christi in ratione meriti sunt magis præcipuè ab anima & minus præcipuè à corpore, 271. III

Actiones liberæ satisfactoriæ & meritoriæ voluntatis creatæ Christi sunt sub speciali dominio Verbi vt incarnati, quàm sub dominio Patris & Spiritus sancti, 36. I.II

Actus vnicus scientiæ per se infusæ tam latè sese extendit, seu ad tot obiecta intelligenda quàm latè patet species pro vsu huius scientiæ omnium vniuersalissima earum, quæ sunt in anima Christi Domini, 353. II.III.IV.&c.

Actus meritorij dupliciter possunt considerari, vel per ordinem ad proprium suum subiectum, vel per ordinem ad personam & suppositum naturæ exercentis illos, 13. IV. 34. V

Actus aliquis dicitur inefficax ex duplici rat. 57. I

Actus vnus & idem potest esse absolutus & respectiuus diuersa ratione, 578. IV

Actus inefficax, non absolutus vnius passionis potest simul stare cum aliquo actu efficaci & absoluto virtutis aliquo modo ei oppositæ, 397. VIII

Actus meritorij variè cōsiderātur, 235. VIII. 236. I.II

Actus moralis virtutis naturalis fit ex motiuo pure naturali: nec ordinatur in finem supernaturalem duobus modis, 255. VIII

Actus magnificentiæ duplex, 256. II.III

Actus moralis vt coalescit ex actu interiori & exteriori simul, ita est vnum in genere moris, vt tamen formalis eius bonitas & libertas formaliter sit tantum in interiori, 444. VII.VIII

in Actu morali & libero plures distinguuntur gradus, 444. VIII. 445. I.II

Actus capitis quos Christus exercuit vel exercere potest sunt in duplici differentia, 275. IV

Actuum moralium tāquam mediorum ad aliquem finem conuenientia perfectior diiudicatur ex maiori proportione, quam tales actus vt sunt à tali persona habent ad eiusmodi finem, 7. II

Agere aliquid simulatè, & sese abstinere ab aliquo differunt inter se, *Adam.* 357. II

Adā fuit iniustificatus per proprios actus, 478. I.II

Adam in statu innocētiæ si perseuerasset, non fuisset propriè caput mysticum Ecclesiæ, 276. VII

Adam habuit dependenter à meritis Christi gloriam correspondentem suis meritis in statu innocentiæ exercitis, 63. III.IV

Adamo non peccante Verbum diuinum fuisset incarnatum, 59. VIII. 60. I.II.III. & *seq.*

Adæ peccatū fuit non tantùm inobedientiæ & intēperantiæ, sed etiam iniustitiæ erga Deum, 55. II

Adæ peccatum non tantùm est de lege ordinaria in omnibus hominibus via seminali progenitis, sed etiam causa & veluti radix omnium aliorum peccatorum & malorum, 32. III

Admiratio.

Admiratio quid? 398. IV

Admiratio propriè fuit in Christo comparatione suæ scientiæ experimentalis, 398. VII.VIII

Adoptio. Adoptio est proprietas suppositi non naturæ, 459. VIII

Adoptio est introducta inter homines ad solatium orbitatis, 528. VIII

Adoptio diuina fit per gratiam quæ est aliquid reale inhærens animæ, 528. VIII

Adoptionis nomen ab humanis ad diuina per analogiam & comparationem translatum, 528. V. VI. &c.

Adoptio patrum veteris Testamenti differt accidentario à nostra, 530. II

Adoptio quid & quot conditiones requiruntur,

Adoptare Deo cõuenit,528. VII.VIII.529.I.II.III.IV
Adoptare conuenit toti Trinitati vt tamen per appropriationem & accommodationem quandam tribuatur primæ personæ. *ibid.* VI.VII.
Adoptari soli creaturæ rationali competit, *ibid.* VII. VIII
Adoptio in quo consistit, 532. III
Adoptio quî differt à seruitute, *ibid.* VI

Adoratio.

Adoratio alicuius sacræ imaginis concipi potest fieri tribus modis, 576. V.VI.
Adoratio potest dirigi ad imaginem tanquam ad rem quæ terminat: ad eius verò exemplar vt ad rationem adorandi, 578. VII.VIII. 579
Adorationis duplex obiectum, 551. I.II
Adoratio duobus modis cõsiderari potest,551. I.II
Adoratio duobus modis considerari potest, 555. III.
Adorationis ratio formalis non est precisè loquendo repræsentatio, sed excellentia repræsentata per imaginem, 577. VII
Adoratio sequitur apprehensionem intellectus, 577. VI
non debet Adorari os Iudæ proditoris ob contactum Christi & quare, 582. VIII. 583. I
Adorandi multiplex ratio in Beatissima Virgine, 584. V
Adoratio B. Virgini debita maior est quàm adoratio aliorum Sanctorum, 585. VI.VII
Adorari sola hyperdulia absoluta est B. Virgini honorificentius quàm latria respectiua, *ibid.* VII
Adorationis duæ sunt partes, 543. III
Adoratio duplex, 543. V.VI
Adorationis obiectum immediatum non est aliquis actus interior intellectus & voluntatis, sed signum externum quod habet aptitudinem aliquam ad significandam & protestandam submissionem adorantis ad adoratum, & excellentiam adorati supra adoratum, 543. VI. VII. VIII. 544. I.II. &c.
Adoratio requirit necessariò actum aliquem exteriorem naturæ ij sius adorantis accommodatum, si nomen signi sumatur largissimè, prout etiam potest reperiri in Angelis, 544. V.VI. & *seqq.*
Adoratio vnde deriuatur, 540. III.IV. eius multiplex acceptio, *ibid.* IV.V.VI.
Adoratio quid? *ibid.* VII. VIII. & singularum partium definitionis explicatio, *ibid.* & 541. I.II. &c.
Adoratio propriè sumpta distinguitur à laude, gloria, & honore & quid sit discriminis inter se, 541. V.VI. & *seqq.*
Adorationis actus, qui pro motiuo seu obiecto formali habent excellentiam increatam, siue terminatiuum eorum obiectum sit aliquid creatum, siue sit aliquid increatum sunt à virtute Religionis, 542. III.IV
Adorationis actus sumpti in genere sunt in duplici differentia, 542. II
Adorationis actus, qui pro suo formali motiuo, seu obiecto habent aliquam creatam excellentiam, sunt à speciali illa virtute quam Theologi vocant Duliam, 542. V.VI
Adoratio præsupponit actum aliquem intellectus, quo excellentia rei adorandæ apprehendatur, illa tamen formaliter sumpta non est actus intellectus, 543. II.III.IV
Concilij Alexandrini condemnatio contra Nestorium de Adoratione Christi, 552. VIII
Adoratione latriæ humanitas Christi magis principaliter, semper tamen respectiuè adoratur quàm accidentia, 553. II.III
Adorabilis est humanitas Christi primò per habitudinem quam habet ad subsistentiam Verbi diuini: secundariò verò per habitudinem ad essentiam diuinam, 553. IV.V.VI
Adoratur Christus vna tantum adoratione, 553. I.II. &c.
Adoratio latriæ absoluta prohibetur à Deo exhiberi creaturis, 554. V
Adorate scabellum pedum eius, quomodo intelligitur, 554. IV.V
Adoratur humanitas Christi adoratione latreutica respectiua, 554. VI
Adoratur humanitas Christi, vt apprehensa Verbo vnita, imò vt apprehensa separata & derelicta à Verbo cum aliquo ordine & habitudine ad suppositum Verbi, 554. VIII. secluso tamen ordine & habitudine ad suppositum Verbi considerando tantum illam, ac si esset purus aliquis homo in gratia constitutus non potest adorari adoratione latriæ, 555. III.IV.V
Adoratio qua colitur humanitas Christi vnita quidem Verbo, non tamen sic apprehensa, sed tantum secundùm alia dona supernaturalia gratiæ, est hyperdulia, 556. I.II.III
Adoratio hæc est inferior latriâ, *ibid.*
ad Adorationem veram alicuius rei ex parte voluntatis & actus quid sufficit, 556. VI.VII
Adorari potest essentia diuina sine proprietatibus personalibus & econtra, 557. III IV
Adorationem dicere recognitionem tantæ excellentiæ, quanta est in re adorata, & attendere ad minorem, relicta maiore, esse irrogare iniuriam rei adoratæ hoc vtrumque est falsum, 557. IV V. VI. & *seqq.*
Adoratio non est tantùm suppositi simpliciter & absolute loquendo, 559. VIII
Adoratio potest considerari duobus modis, 545. VI
Adoratio spectata ex parte modi quo fit, diuiditur in absolutam & respectiuam, *ibid.* spectata verò ex parte rei excellentis propter quam aliquid adoratur, diuiditur in latriam, duliam & hyperduliam, *ibid.* VII.VIII
Adoratio est analoga respectu latriæ, duliæ & hyperduliæ, 546. I.II. & *seqq.*
Angeli boni nolunt pati se adorari & qua adoratione, 547. VI.VII.VIII
tribus speciebus Adorationis hæc nomina sunt rectè imposita, sc. Latria Dulia & Hyperdulia, 548. II. III. & *seqq.*
per tres species Adorationis res significata datur, 547. I.II. & *seqq.* *Æquiualens.*
Æquiualens quî differt ab æquali, 8. VII. 9. I

Affectio.

Affectio pia qua voluntas inclinat & determinat intellectum ad assensum fidei non fuit in Christo, 250. IV.III

Agnus.

Agnus veteris legis figura fuit Christi, 73. VII VIII

Alius.

Alius & aliud quî differunt inter se, 82. VII.VIII

Aliquid.

Aliquid fieri vt sit in alio duobus modis potest intelligi, 430. IV

Alter.

Alter absolutè sumptum dicit distinctionem suppositi, 429. II

Angelus

Angeli cognoscunt res singulares naturales per species à Deo sibi infusas, 327. I

Angeli acceperunt gratiam habitualem in sua creatione, ad quam prius natura illi sese disposuerant per actus supernaturales, 458. VII.VIII
Angeli prius fuerunt uniti Christo tanquam capiti per illos actus fidei & amoris, quibus sese disposuerunt ad gratiam iustificantem, & per ipsos habitus fidei & gratiæ: homines verò per sacramenta in re vel in voto sumpta, 271. V
Angeli habent subsistentiam distinctam à sua natura, 167. IV.V.VI
Angeli mali non sunt simpliciter & absolutè irreuocabiles à sua malitia, 167. V
Angelus priùs existit natura quàm subsistit, 167. VIII
Angeli & homines secundùm vim suam naturalem cognoscendi spectati, non possunt mysterium Incarnationis intelligere, 2. I
Angeli non possunt sacrificare, nec esse Sacerdotes, 545. II.III.IV
Angeli licèt non sint corporei, possunt sibi inuicem aliquid significare dum sibi inuicem loquuntur, & superiores illuminant inferiores, 544. IV
Angelus si assumeret hypostaticè humanam naturam aliquam, dum voluntas humana peccaret per proprium suum liberum arbitrium: voluntas Angelica non diceretur eam ad illud mouere, 387. IV
Angelus aliquis supremus non de facto intelligit omnia & singula obiecta ordinis naturalis tam immaterialia quàm materialia per vnicam numero speciem repræsentantem sibi omnia obiecta illa, 323. VII.VIII
Angelus non potest transire ab vno loco ad alium distantem impertransito medio, 193. II.III.IV

Anim, Anima Christi.

Anima est principium quo seu formale ratiocinandi & aliarum eiusmodi actionum: principium verò quod est suppositum illas sustentans, 35. V
Anima est nobilior corpore, 197. I
Anima fuit prius assumpta à Verbo quàm corpus ordine intentionis, 198. II. ordine verò executionis econtra, *ibidem.*
Anima quid secundùm Aristotelem, *ibid.* III
Anima vt informans est in genere actus, 162. IV
Anima separata à corpore non est in statu naturali nec violento, sed præternaturali, 148. I.II
Anima rationalis separata à suo corpore non dicitur propriè subsistere, 94. V.VI
Anima à corpore separata vocatur semipersona, 95. I
Anima rationalis immediatè fuit assumpta à Verbo diuino, 188. I.II.III
Anima quandoque sumitur per synecdochen pro tota humanitate, I. IV
Anima rationalis simul & semel toti corpori & singulis eius partibus coextenditur, 194. V.VI
Animæ separatio à corpore duobus modis consideratur, 507. IV
vnio Animæ cum corpore spectata secundùm ordinem intentionis est prius natura quàm vnio eiusdem animæ vel corporis cum Verbo diuino, 198. VII. ordine autem executionis & existentiæ anima & corpus prius natura sunt assumpta à Verbo quàm inter se vnita, *ibid.* VIII. 199. I.II *& seqq.*
Anima Christi non potuit intelligere per actualem intellectionem increatam Dei de absoluta Dei potentia, 280. V.VI.VII.VIII.
Animæ Christi duplex status, 283. V.VI
Anima Christi dum adhuc ille esset mortalis habuit beatificam scientiam, 283. VIII. 284. I. II. &c.
Anima Christi habuit summam tristitiam & summum gaudium, 285. VII.VIII. 286. I.II.III.IV
Anima Christi vt iam vnita hypostaticè Verbo non habet propriè aliquod ius naturale, aut quasi ius naturale vel etiam iustitiæ ex vi suæ vnionis hypostaticæ sumpta præcisè ad habendum visionem beatificam, sed solummodò ius congruitatis & decentiæ, 287. V.VI. *& seqq.*
in Anima Christi vnita Verbo tria possunt distingui, 288. I.II
Anima Christi est cultu latriæ adorabilis & infinitè sancta ratione vnionis ad personalitatem Verbi, 288. V.VI
Anima Christi à primo instanti suæ conceptionis habuit visionem beatificam, 292. VIII. 293. I. II. *& seqq.*
Animam Christi non vidisse clarè & intuitiuè diu nam essentiam tempore vitæ suæ mortalis non est contra fidem, licèt sit temerarium id negare, 293. VI.VII.VIII. 294. I.II
Anima Christi adhuc viatoris potuit vti sola naturali scientia & eius speciebus absque aliqua dependentia à concursu sensibilium phantasmatum, 298. VII.VIII
Anima Christi vt vnita Verbo & informata habituali gratia adhuc indiget adiuuante gratia ad exercendum actus quoad suam entitatem supernaturales, 237. VI.VII
Anima Christi vnita hypostaticè Verbo, ratione status beatificiin quo erat, nulla gratia actuali excitante seu præueniente indigebat, si tamen non vidisset Deum clarè & per essentiam, indiguisset illa, *ibid.* VIII
Anima Christi est impeccabilis vi & efficacia hypostaticæ vnionis in sensu morali & radicaliter, 238. I
Anima Christi vndenam habet vt sese ad hoc obiectum determinet potiùs intelligendum quàm ad aliud, & ad vtendum potiùs hac specie quàm alia, 353. VII.VIII
Anima Christi cognouit omnia obiecta scientiæ per se infusæ, *ibid.* VIII. 354. I.II
Anima Christi habuit omnes & singulas scientias naturales infusas à primo instanti suæ creationis & vnionis hypostaticæ ad Verbum diuinum, 354. VII.VIII. 355. I.II. *& seqq.*
Anima Christi non existentis in via non fuit subiecta intelligere per conuersionem ad phantasmata necessariò, 356. VIII. 357. I
Anima Christi ad solam creationem & annihilationem non fuit elevata vt instrumentum, ad alias verò transmutationes ordinabiles in finem Incarnationis fuit elevata tanquam instrumentum Verbi diuini sibi vniti, 363. V.VI *& seqq.*
Anima Christi potuit peccare sub hac conditione, si Deus voluisset, 386. VII
Anima Christi non videt in Verbo cogitationes illas quæ post extremum iudicium sunt futuræ in Beatis vel in damnatis, sed tantùm extra Verbum prout reuelantur à Deo, & quare? 301. I
Anima Christi à primo instanti suæ beatitudinis cognouit omnia quæ sunt, fuerunt, vel erunt in Verbo scientia visionis, 301. V.VI *& seqq.*
Anima Christi qui differt ab aliis Beatis in scientia visionis, 302. I.II
Anima Christi non tantùm vidit distinctè in Verbo singulos homines & singulas illorum cir-

cumstantias, actiones, cogitationes vsque ad extremum iudicium futuras; sed etiam omnes bonos & malos Angelos, eorúmque cogitationes, vsque ad prædictum tem num futuras, *ibid.* II.III.

Anima Christi per scientiam visionis vt distinguitur à scientia simplicis intelligentiæ non videt distinctè infinita, *ibid.* IV.V

Anima Christi videt in Verbo aliqua expossibilibus, non tamen omnia, 303. II.III. *& seqq.*.

Anima Christi non est formaliter sapiens, sapientia increata id. Verbo sibi hypostaticè vnito. 304. II.

Anima Christi cognoscit formaliter in Verbo etiam comprehensiuè varias rerum naturalium species, *ibid.*

Anima Christi cognoscit comprehensiuè vim & efficaciam suorum meritorum, *ibid.* V

quod Anima Christi potiùs videat tantum aliqua & non omnia, & cur hæc potiùs quàm illa duplex causa afferri potest, *ibid.* VII.VIII

Anima Christi non potest videre in actu primo omnia possibilia & quare? 305. V

Anima Christi videt clariùs diuinam essentiam quolibet alio intellectu creato, *ibid.* VI.VII.VIII

Anima Christi nondum vnita Verbo, informata tamen gratia sanctificante non potuit mereri de condigno vnionem hypostaticam, 214. VI. VII

Anima Christi vnita hypostaticè Verbo seclusa omni alia gratia tam actuali quàm habituali, vi talis vnionis fuit singulariter sancta, grata & accepta Deo sanctitate & gratitudine supernaturali, 223. V.VI. *& seqq.* 224. I.II. *& seqq.*

Anima Christi videt in Verbo omnia quæ sunt, fuerunt & erunt in aliqua veri temporis differentia, 300. V.VI. *& seqq.*

Anima Christi ab initio suæ creationis semper fuit & est in aliquo actu secundo scientiæ per se infusæ, 352. IV.V.

Anima Christi non habet vnicum solummodo actum huic toti scientiæ per se infusæ adæquatum, ibid. VII.VIII.

Anima Christi non fuit prius tempore assumpta à Verbo quàm caro, nec econtra, 189. IV

Anima Christi dum cognoscit obiecta ordinis alioquin naturalis secundum suam entitatem, ea absolutè & simpliciter loquendo cognoscit seipsa quidem, sed per obedientialem suam virtutem eleuata, 328. II

Anima Christi per scientiam per se infusam cognouit futura contingentia quæ erant de facto futura in aliqua temporis differentia, 330. VI. VII. &c.

Anima Christi per hanc scientiam aliqua futura conditionata, non tamen omnia & singula cognouit, 331. I.II

Anima Christi non cognoscit hæc contingentia per nudam reuelationem Dei, ibid. IV.V

Anima Christi non cognoscit vi & efficacia scientiæ per se infusæ hæc futura contingentia libera per speciem illorum & reuelationem Dei simul, vt manifestantem connexionem naturæ eorum cum sua existentia hoc & illo tempore, hoc & isto modo futura: sed purè & simpliciter per species sibi à Deo infusas determinatas ad repræsentandum etiam in particulari & quoad omnes suas circumstantias, eiusmodi futura contingentia & eorum futuritionem, 331. VI.VII.VIII. 332. I.II. *& seqq.* 333. I.II. *& seqq.*

Anima Christi statim à primo instanti, quo est hypostaticè vnita Verbo diuino cognouit libera futura contingentia, 334. III

Anima Christi cognoscit per scientiam per se infusam omnes res creatas supernaturales tam quoad entitatem & modum simul, quàm quoad modum solum modo quæ important habitualem ordinem ad diuinam essentiam etiam clare visam, 334. VII. 335. I.II. &c.

Anima Christi per scientiam per se infusam cognouit visionem beatificam, & modum illum substantialem quo ipsa humanitas Christi de facto vnitur hypostaticè Verbo, 336. II.III. &c. & hæc duo obiecta per scientiam per se infusam cognoscit intuitiua cognitione, ibid. V.VI. *& seqq.* 337. I.II

Anima Christi per scientiam per se infusam cognouit quædam obiecta supernaturalia quæ per ordinem ad omnipotentiam Dei sunt possibilia, non tamen ea omnia cognouit, 337. VIII 338. I.II

Anima Christi per scientiam per se infusam cognouit euidenter mysterium Trinitatis quoad quæstionem *an est*, id est, cognouit Deum esse vnum in essentia, & trinum in personis, ibid. VIII. 339. I.II. *& seqq.*

Anima Christi cognouit mysterium Trinitatis quoad quæstionem *an est* beneficio scientiæ per se infusæ per speciem repræsentantem ei lumen gloriæ, visionem beatificam, actus supernaturales qui exercentur à viatoribus, quatenus ista repræsentata euidenter cognita per tales species infusas per se dicunt essentialem & intrinsecum ordinem tendentiæ ad Deum, vt est vnus & trinus tanquam obiectum proprium 339. VII.VIII. 340. I.II. *& seqq.*

Anima Christi non potuit discurrere per scientiam infusam per se, 344. VII.VIII

Anima Christi potuit pro sua libertate vti scientia per se infusa cum conuersione ad phantasmata, si conuersio intelligentis ad phantasmata nihil aliud importet quàm concomitantiam operationum intellectus & phantasiæ, 349. VIII

Anima Christi non potest vti pro sua libertate scientia per se infusa, si intelligentem speculari phantasmata, & intelligere per conuersionem ad phantasmata sit intelligere dependenter à phantasmatibus, 350. VII.VIII

Anima Christi non potest pro sua libertate per scientiam per se infusam intelligere sua obiecta cum conuersione ad phantasmata, si intelligere per conuersionem ad phantasmata nihil sit aliud, quàm intellectum ita rem intelligere vt postulet concursum phantasiæ, 351. I.II

Anima Christi per scientiam beatam non impeditur quo minus possit exercere actus scientiæ per se infusæ circa illa eadem obiecta quæ videt in Verbo, ibid. V.VI.VII. &c.

Sanctus Anselmus.

S. Anselmi sententia asserentis Incarnationem debuisse fieri in vna tantùm persona explicatur, 161. IV.

Antichristus.

Antichristus licèt non sit caput omnium malorum hominum, qui ab initio mundi fuerunt & erunt vsque in finem mundi ratione influxus & suggestionis, est tamen omnium illorum caput per antonomasiam, 277. VIII. 278. I.II

Apelles.

Apelles hæreticus concessit Christo Domino veram carnem, sed docuit eam esse compositam ex quatuor elementis ad eum modum quo corpo-

pora quæ ipsi Angeli hominibus apparentes assumunt, 179. II

Apolinaris.

Apolinaris hæresis dicentis Verbum diuinum non assumpsisse intellectum seu mentem, sed Verbum esse loco illius, 187. VIII

Apolinaris censebat Verbum diuinum assumpsisse solum corpus nullomodò animam, 168. II

Appetitus.

Appetitus duplex, innatus & elicitus & quid vterque, 103. VIII

in Appetitu elicito, & innato tres distinguuntur actus, 104. I.II

Aptitudo.

Aptitudo passiua ad terminari in qualibet creata substantia, duplex, 178. III

Aqua.

Aqua Iordanis, qua Christus fuit baptizatus, si asseruata nunc esset & pro tali certò cognita ob eiusmodi contactum posset adorari, imò & pullus cui insedit loquendo metaphysicè; non autem moraliter, cætera tamen quæ communi vsui relicta sunt à Christo, non sunt adoranda, 582. VI.VII.VIII

Assumptio.

Assumptio quid, 90. VI. 175. VIII

Assumptio, quî differt ab vnione, 127. VI

in Assumptione partium humanitatis à Verbo anima non est medium colligantiæ vel necessitatis, quo caro est assumpta, nec econtrà, 196. VII

in Assumptione partium humanitatis à Verbo, anima est medium tam dignitatis quàm congruitatis respectu carnis assumptæ, est item comparatione illius *medium quod & quo* simul: item humana natura fuit medium tam dignitatis quam congruitatis assumendi corpus & animam, *ibid.* VIII

in Assumptione animæ à Verbo ipsa mens seu spiritus fuit medium tam dignitatis quàm congruitatis respectu animæ, 197. III

nulla datur vera pars humanitatis Christi quæ fuerit solummodò medium quo, *ibid.* IV

in Assumptione corporis & animæ à Verbo datur quidam ordo naturæ, 197. VIII

Assumptibilitas creaturæ non fundatur in aliqua ordinatione Dei sed in non repugnantia creaturæ ad subsistendum aliquâ diuinâ subsistentiâ, 168. VIII

Assumi aliquid potest duobus modis, 172. I

Assumptibilitas duplex in aliqua natura creata, vna secundum puram obedientialem potentiam præcisè consideratam: altera secundùm congruentiam, 168. VIII

Assumptibilitas congruentiæ duplex scil. congruentiæ secundum dignitatem naturæ, & congruentiæ secundùm dignitatem & indigentiam simul, 167. I

Assumptibilitas congruentiæ dignitatis naturæ solùm reperitur in natura angelica & humana *ibid.* Assumptibilitas autem dignitatis & indigentiæ simul tantùm reperitur in natura humana & quare, *ibid.* II

Angelica natura est assumptibilis ab aliqua diuina persona tam assumptibilitate secundùm puram obedientialem potentiam quàm assumptibilitate secundùm congruentiam puram, 167. III.IV.V

Assumere, duo includit in sua significatione & importat duplicem respectum, 133. IV. 142. I

Arca.

Arca veteris Testamenti præcipitur reuerenter portari, & qui eam temere tangit, punitur, 570. VII

Arius.

Arius existimauit Verbum diuinum solummodo assumpsisse carnem seu corpus & ipsum verbum fuisse corpori loco animæ, 187. VII

Ariani dicebant Christum non esse Deum, nó Deo patri consubstantialem & coæqualem, 471. I

Aries.

Artes quæ pendent ex vsu, quas tamen Christus nunquam exercuit, fuerunt in illo, 299. II

Attractio.

Attractio sumpta formaliter dicit intrinsecè motum localem, 193. V

Attributum.

Attributum vnumquodque Dei sumptum formaliter & vt virtualiter ab aliis distinctum, est infinitum in suo tantùm proprio genere, non autem in quolibet alio, 174. I.II

Attributum diuinæ immensitatis nullo modo fuit vi vnionis hypostaticæ communicatum humanitati Christi Domini, 403. III. IV.V. *& seqq.*

Audacia.

Audacia quid, 397. IV

Audacia fuit in Christo Domino, *ibid.*

B

Baptismus.

BAPTISMVS debet suscipi cum reuerentia, 583. I

Barba.

Barba fuit immediatè assumpta à Verbo diuino, 187. V.

Beati.

Beati non mouebunt se localiter in instanti sed solummodò in tempore, 194. III

Beati à primo instanti suæ beatitudinis vident ea quæ potissimum sunt promeriti, 301. VII.VIII

in Beatis duplex scientia, 294. VII

Beatitudinis æternæ prima radix, aliquid potest esse duobus modis, 229. I

Beatitudinis imminutatio seu interruptio de possibili multiplex, 248. VI.VIII

Beatus videt in Verbo ea omnia quæ spectant ad suum statum, 300. V.VI.VII

Beneficium.

Beneficij magnitudo seu infinitas penes quid attendatur, 40. VIII. 41. I

Beneficium quid, 41. I

Bonitas, Bonum.

Bonitas diuina prout distinguitur virtualiter à diuina essentia, & omnipotentia eius attributo, non est principium productiuum alicuius ad extra, 380. VI.VII

Bonum maius duobus modis referti potest ad minus, 8. II

Bonum cum eligitur præ alio, fit ex duplici motiuo, 139. VI.VII.VIII

Bruta.

Bruta cur non censentur habere aliquod dominium, 35. VI

C

Caluinus.

CALVINISTÆ dicunt beatam Virginem non fuisse immunem ab omni peccato actuali, 588. VII. VIII

Caluiniſtarum recentiorum opinio de nomine idoli & imaginis, 560. IV
Caluinus docet Dei gloriam corrumpi, eique valdè diſplicere quando aliqua imagine repræſentatur, 562. V
Caluinus non prohibet in totum ne aliquæ pingantur imagines, ſed tantùm ne quas faciamus, vel Dei vel adorandi cauſa, 563. II
Caluinus voluit Chriſtum aſſumpſiſſe pœnas damnatorum, 373. IV

Capilli.

Capilli ſunt immediatè aſſumpti à Verbo diuino, 187. IV.V

Caput.

Caput quí differt à membro, 266. IV.V.VI
Caput alicuius cenſetur quis eſſe duobus modis, 266. VII. 267. I.II
Caput metaphoricè ſumptum poteſt ſumi duobes modis, 258. VIII
ad rationem Capitis moralis & myſtici quid requiritur, 271. II.IV

Caro.

Caro pro omni homine & pro tota natura humana interdum ſumitur, 114. I.II.IV
Caro Chriſti Domini priùs natura quam aſſumeretur à Verbo fuit humana, 200. IV,V
Caro Chriſti duobus modis poteſt conſiderari, 372. III. IV. &c.
Caro ſimpliciter vt caro non eſt digna adoratione, 559. VII

Cerdon.

Cerdon tempore Apoſtolorum contendebat Chriſtum Dominum non habuiſſe verum corpus ſed ſolummodò phantaſticum, 178. VIII

Charitas.

Charitas non diſtinguitur realiter à gratia habituali, 253. IV

Chriſtus.

Chriſtus ſolus potuit reſtaurare totum genus humanum licet eſſet verè & propriè innocens, 7. VII. &c.
Chriſti Domini bona opera etiam accipiunt valorem ab ipſa perſonalitate Verbi vt condiſtincta ab eſſentia diuina, 23. III
Chriſti actiones vt conſideratæ per habitudinem ad ſuum ſuppoſitum habent valorem ex triplici titulo, 23. VII
Chriſti Domini valor ſatisfactionis & vniuſcuiuſque meriti illius eſt ex ſeipſo & intrinſecè infinitus, 24. VIII
Chriſti meritum eſt ſimpliciter infinitum in genere meriti, 30. III
Chriſtus nobis datus fuit non tantùm in Legiſlatorem & Doctorem, ſed etiam in Redemptorem totius humani generis, 32. I.II
Chriſti Domini ſatisfactio cur vocatur copioſa redemptio, 32. IV
Chriſti Domini ſatisfactio verè & propriè fuit ex propriis ipſius, 34. III
Chriſtus non ſatisfecit ſolummodò per ſuas actiones à Verbo diuino ſuſtentatas ſed per entitatem & ſubſtantiam illarum, 37. I.II
Chriſtus ſatisfecit pro nobis vt Deus & homo & quomodo, 39. I
Chriſtus nullum habet debitum gratitudinis gratias agendi Deo pro ſua naturali filiatione, 41. III.14
Chriſtus perfectè ſatisfecit Deo patri debito gratitudinis, debito autem iuſtitiæ potuit etiam ſatisfacere ſi actus eius ſatisfactorius ad id fuiſſet ordinatus, 41. IV.V.VI. &c.
Chriſtus vocatur mediator redemptionis noſtræ, 42. VIII
Chriſtus debuit habere corpus eo modo quo eſſet nobis exemplo pro exequendis actibus virtutum humanitatis, obedientiæ & patientiæ, 371. IV
Chriſtus abſque miraculo potuit facere vt haberet ſatis ſanguinis tam reſumendi pro ſtatu corporis glorioſi, quàm relinquendi in terris, 186. II
Chriſtus quo ſenſu dicitur alter à Deo, 43. VII. VIII. 44. I.II
Chriſtus meruit per actus amoris conſequentis ſcientiam per ſe infuſam, 452. VIII. 453. I.II. *& ſeqq.*
Chriſtus meruit per actus liberos ſanctificantis gratiæ habitualis item & dilectionis naturalis, 455. IV.V. &c.
Chriſtus adhuc viator meruit per omnes actus liberos omnium virtutum tam per accidens quàm per ſe infuſarum, 456. III. IV. V. VI.
Chriſtus datus eſt hominibus ob plures rationes obiectiuas etiam in ordine ad diuinam voluntatem, 58. VIII
Chriſtus fuit efficaciter intentus ante omnes creaturas determinatè & in particulari conſideratas, 60. VIII
Chriſtus eſt caput Angelorum & hominum quoad influxum gratiæ & gloriæ, 61. VIII. 62. I. II. *& ſeqq.*
Chriſtus eſt conſummator totius gloriæ quæ fuit in noſtris primis parentibus, 63. VI.VII
Chriſtus cauſa eſt finalis & exemplaris iuſtificationis omnium hominum, 64. VII.VIII
Chriſtus non eſt finis *Cui* prædeſtinationis, iuſtificationis & gloriæ hominum, 65. II.III
in Chriſto duplex neceſſitas vna antecedens, altera conſequens, 49. I
Chriſtus ſatisfecit non tantùm pro debito noſtro carendi omnibus auxilijs gratiæ ſupernaturalis, ſed etiam pro debito carendi redemptore, 50. III. IV. V. &c.
Chriſtus pro nobis ſatisfecit ex ſtricta iuſtitia, 51. II
Chriſtus ſatisfaciendo pro nobis diabolum vicit non potentiâ, ſed iuſtitiâ, 51. VII. VIII
Chriſtus licet beatus à primo inſtanti ſuæ conceptionis non deſtitit habere defectus communes toti naturæ humanæ, 373. III
Chriſtus fuit mediator Dei & hominum, 588. III. IV
Chriſtus fuit liber in exercendis bonis operibus, 446. II
Chriſtus habuit quoſdam actus meritorios, 448. VIII
potuit fieri per abſolutam Dei potentiam vt Chriſtus nihil de facto mereretur, 449. III. IV
Chriſtus cœpit mereri à primo inſtanti ſuæ conceptionis, *ibid.* V.VI
Chriſtus à primo inſtanti ſuæ conceptionis vſque ad finem vitæ ſemper meruit aliqua actu ſaltem interno, *ibid.* VIII
Chriſtus nihil promeruit ab inſtanti ſuæ mortis, 450. I. II. III
lateri Chriſti vulnus inflictum non fuit propriè meritorium, 450. III.IV

Christus non meruit per actus suæ diuinæ voluntatis, nec actus humanæ eius voluntatis habebant formaliter rationem meriti à diuina eius voluntate, *ibid.* VII.VIII
Christus non meruit per actus necessarios suæ voluntatis creatæ, 451. I.II
Christus adhuc mortalis meruit per aliquos actus amoris, *ibid.* III. *& seqq.*
Christus adhuc mortalis nullo modo meruit per actus amoris formaliter beatifici, siue illi spectentur vt tantum versantur circa proximum & bona ipsi Deo extrinseca, siue vt versantur circa ipsummet Deum, 452. I II.III
Christus tanquam aliquod compositum, eam habet relationem ad totam Trinitatem quam habet quoddam compositum ad suum componens effectiuè, 535. IV
in Christo sumpto ad æquatè tria possunt considerari, 535. VII
Christus fuit prædestinatus à Deo quoad actum Dei liberum & efficacem, quo ab æterno statuit se aliquid facturum in tempore, 535. VI
Christus, vel hic homo qui est Christus, non potest esse nec dici obiectum prædestinationis ad filiationem diuinam, 536. V.VI. *& seqq* 537. 538.
Christus quo sensu dicitur prædestinatus filius Dei à S. Paulo, 538. VII.VIII
Christus vnione humanitatis ad personalitatem Verbi factus fuit idoneus exercendis propriis muneribus Sacerdotij, vt habet actus tam perfectos, vt necessariò postulent esse à natura creata hypostaticè vnita alicui personæ diuinæ, 514. II.III. *& seqq.*
Christus habet à sanctificatione sui per diuinitatem sibi hypostaticè vnitam, quicquid confertur hominibus per omnes & singulas vnctiones externas, 516. II.III
Christus simul fuit Sacerdos & hostia, 519. VI.VII
Christus nobis promeruit redemptionem tam à macula quàm à reatu peccatorum, 517
Christus ita potuit Deo offerre sacrificium ex publico munere pro omnibus aliis quorum erat mediator, vt simul etiam ex proprio officio quatenus Deo subiectus illud offeret pro se, 518. VI
Christus fuit beatis Angelis superior in dignitate & munere Sacerdotis, 321. III
Christus quoad sacrificium cruentum quod obtulit pro nobis in cruce fuit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, *ibid.* V. VI. *& seqq.*
Christus non dicitur Sacerdos secundùm ordinem Aaronis, 522. I.II
Christus vt homo habuit spiritualem regiam potestatem, 522. IV
Christus ex vi hypostaticæ vnionis sumptæ, præcisè abstrahendo ab omni alia supernaturali deputatione seu ordinatione Dei, nullum habuit dominium temporale, siue in totum hoc vniuersum, siue in aliqua particularia regna, *ibid.* VI
Christus non fuit temporalis Iudæorum Rex ex vi generationis suæ temporalis secundùm quam descendebat à Dauide, *ibid.* VI.VII
Christus fuit causa exemplaris nostræ prædestinationis, 539. VI.VII.VIII
Christus fuit causa finalis & meritoria nostræ prædestinationis, 540. I
Christus quatenus homo seu vt subsistens in humanitate debet adorari vna & eadem adoratione latriæ qua Christi D. diuinitas & eius subsistentia diuina, 551. V.VI. *& seqq.* 552. I.II
Christus adoratur adoratione latriæ respectiuâ, Verbum autem in Christo adoratione latriæ absolutâ & per se, 552. III.IV. *& seqq.* 554. VI.VII
Christus quo sensu dicitur esse de Spiritu sancto, 180. III.
Christus post resurrectionem in cœlo orat pro nobis expressâ oratione siuè mentali, siuè vocali, 500. I.II.III. *& seqq.* 501. I.II. &c.
Christe ora pro nobis, an sit per se licitum sic orare Christum, 503. VII.VIII
Christus nunquam orauit secundùm sensualitatem, 503. VIII
Christus orauit pro se, 504. I
Christus est propriè Sacerdos & Pontifex, 504. V. VI. VII
Christus est Sacerdos non in quantum est Deus, sed in quantum est Deus seu homo Deus, *ibid.* VIII. 505. I.II. *& seqq.*
Christus exercuit actum sui Sacerdotij per humanitatem vt terminatam à Verbo diuino, 505. III.IV
Christus non semetipsum constituit in Sacerdotem, sed Deus pater, *ibid.* VI.VII
Christus quî differt ab aliis hominibus, & à martyribus in subeundo mortem, 506. VIII.507. I.
Christus si seipsum interfecisset pro nobis redimendis, sui ipsius occisio catuisset omni culpa, 507. VI.VII. VIII.
Christus nulli humanæ legi fuit subiectus, *ibid.* VIII
Christo vt homini conuenit dignitas Sacerdotis primariò ratione animæ eius, & consequenter seu denominatiuè toti eius humanitati, 508. II. III. *& seqq.*
Christus in triduo mortis non obstante dissolutione vnionis animæ à corpore potuisset sacrificare, 509. II.I
Christus non eadem præcisa formali ratione est Sacerdos, qua est victima sacrificij siuè cruenti in cruce, siuè incruenti in altari, 510. IV
Christus quî differt ab aliis iustis, *ibid.* VIII
Christus obtulit sacrificium crucis pro seipso, 517. V.VI. VII.
Christus in patria non solùm agit vitam contemplatiuam, sed etiam actiuam, quatenus circa nos & Angelos exercet munia veri capitis mystici, 258. V.VI.
Christus præter conditionem beati habuit conditionem viatoris, & fuit aliquo modo membrum Ecclesiæ militantis, 262. V
Christus in primo instanti suæ conceptionis accepit gratiam habitualem, & cætera dona gratiæ per se infusa, 263. I.II. *& seqq.*
Christus non habuit gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia gratiæ infusa per se, per aliquam emanationem verè & propriè physicam ab vnione hypostatica: sed per moralem tantùm quatenus Deus infudit hæc omnia animæ Christi in primo instanti eius conceptionis, ratione vnionis hypostaticæ, *ibid.* VII.VIII. 264. 265.
Christus habuit à primo instanti suæ conceptionis virtutes morales quæ natura sua possunt acquiri, per infusionem à primo instanti suæ conceptionis, 265. II III. *& seqq.*
Christus est caput Ecclesiæ, 266. I.II. *& seqq.*
Christus satisfecit quoad sufficientiam ex stricta iustitia pro pœnis temporalibus animarum in purgatorio existentium, 484. VIII

Christus omnes & singulas gratias, ipsam etiam gratiam iustificantem immediatè promeruit, 485. III. IV

Christus immediatè nobis promeruit ea omnia & singula dona, quæ simul cum gratia iustificante infunduntur hominibus, 485. VI

Christus promeruit ea dona quæ dantur hominibus post iustificationem, 485. VIII. 486. I. II. &c.

Christus vltra sufficientiam actualium gratiarum, quibus homo correspondendo potest consequi gratiam & gloriam, meruit efficacem suorum meritorum applicationem iis omnibus quibus de facto applicantur efficaciter seu cum aliquo effectu, 488. VII. 489

Christus efficacem suorum meritorum applicationem ita aliquibus iustificandis & bene operantibus ex gratia sanctificante singulariter meruit, vt eam illis meruerit etiam ad infallibiliter perseuerandum in gratia vsque ad finem vitæ: aliis verò efficaciter quidem ad iustificationem & ad benè operandum ex ea, non tamen ad infallibiliter perseuerandum in ea vsque in finem vitæ, 489. V.VI. & *seqq.* 490. I.II.III

Christus fuit subiectus patri, quatenus subiectio significat obedientiam præstandam alteri, tanquam præcipienti, 491. VI.VII.V.II

Christus vt homo potuit velle ex voto aliquid, 493. I.II

Christus quî differat ab aliis hominibus in necessitate moriendi, *ibid.* III

Christus non fuit capax præcepti aut nullum habuit præceptum, *ibid.* III.IV

Christus licet à nullo fuisset occisus senio aduenient absque vllo morbo fuisset mortuus, 374. VIII. 375. I

Christus nullum vnquam admisit peccatum etiam leuissimum, nec vnquam aliquod contraxit, 376. IV.V. & *seqq.*

Christus quo sensu dicitur à patre derelictus, 377. I

Christus non dicitur quotidie peccare ex eo quod Christiani peccent singulis diebus, 377. IV

Christus vi vnionis hypostaticæ ita est impeccabilis, vt si eius humanitas fuisset assumpta à Verbo cum solis suis perfectionibus adhuc fuisset vi vnionis hypostaticæ impeccabilis, 378. IV.V

Christus non fuit subiectus legibus iuris naturæ tàm ordinis naturalis, quàm supernaturalis, quæ tamen dignitati eius non disconuenie-bant, *ibid.* V.VI

Christus non fuit subiectus legibus humanis, *ibid.* VI. VII

Christus non fuit subiectus legibus positiuis, tam noui quam veteris Testamenti, *ibid.* VII

Christus quatenus homo est seruus Dei, 494. III

Christus spectatus secundùm diuinam naturam non orauit siue pro se siue pro aliis, 496. VIII. spectatus vero secundùm humanam naturam orauit patrem, 497. I.II. nec simulatè sed verè & propriè orauit, *ibid.* III

Christus vt homo orauit ex necessitate & indigentia eaque absoluta & simplici si natura humana spectetur nudè & absolutè secundùm ea quæ sunt illi propria, 497. VI.VII.VIII

Christus vt homo spectata natura eius humana iuxta illa quæ ex morali quadam congruentia illam consequuntur non orauit propriè ex aliqua necessitate, 498. I.II.III

Christus orauit ex hypothetica aliqua necessitate, *ibid.* VIII.

Christus existens in cœlo post suam resurrectionem orat pro nobis, 499. I

Christus existens in cœlo orat patrem oratione tantùm interpretatiua scilicet exhibendo seipsum præsentem patri, eique ostendendo vulnera quæ pro nobis sustulit, *ibid.* III.IV

Christus non orat pro nobis postascensum in cœlos exhibendo singularia quædam signa externa submissionis, *ibid.* V.VI

Christus appellatur & iustus & sanctus sanctorum, 211. III

Christus quo sensu intelligitur à SS. Patribus esse naturâ sanctus essentialiter sanctus, 228. VII. VIII.

Christus seclusâ habituali gratia potuit per absolutam potentiam Dei exercere actus supernaturales quoad substantiam, 136. III.IV

Christus seclusâ habituali gratia potuit etiam de *ii* potentia ordinaria Dei exercere aliquos actus meritorios de condigno bonorum supernaturalium, qui tamen actus essent secundùm suam entitatem ordinis tantùm naturalis, *ibid.* IV. VI. & *seqq.*

Christus rectè potest dici consummatè sanctus per receptionem gratiæ habitualis, 238. II. III. & *seqq.*

in Christo duplex principium meriti, 238. VIII. 239. I

in Christo fuit plenitudo gratiæ & hæc tam ex parte gratiæ iuxta potentiam ordinariam Dei quàm ex parte subiecti quoad illos effectus, qui nullam includunt imperfectionem, 239. VIII. 240. I. II. & *seqq.*

Christus est caput Ecclesiæ tam triumphantis quam militantis, summus Pontifex tantum militantis, 277. I.II

Christus à primo instanti suæ conceptionis cœpit habere actus creatæ intellectionis, 278. VIII

Christus habuit etiam à primo instanti suæ conceptionis habitus creatæ scientiæ & cognitionis, 279. I.II

Christus quî differt ab aliis hominibus, 285. II.III

Christus quo sensu intelligitur ante mortem nondum glorificatus, *ibid.* IV.V

Christus quomodo videtur postulare gloriam, *ibid.* VI

Christus cognouit diem & horam extremi Iudicij, & quo sensu dicitur nescuisse, 286. V

Christus carens visione beatifica fuisset ens in suo ordine & statu omnino completum, 289. I

Christus quî differt à ceteris prophetis, 290. II. III

Christus quo sensu dicitur constitutus hæres vniuersorum à Deo patre, III.IV. & *seqq.*

Christus vt homo, præcisè subsistens personalitate Verbi & omni gratia habituali seclusa ab illo potest exercere actiones valoris infiniti, & tantum promereri, imò longè amplius quam quilibet purus homo cum gratia habituali quantumuis magna, 292. VI

Christus D. habuit scientias acquisitas longè perfectiores quàm primus parens, 299. IV

Christus per scientias acquisitas perfectè cognouit res omnes naturales sublatis imperfectionibus erroris, dubitationis & aliis huiusmodi. 299. V

Christus est de facto & in actu exercito caput omnium hominum scilicet beatorum, existentium in purgatorio, & eorum omnium viatorum, qui actu & de facto habent charitatem, vel

saltem fidem, 267. III
Christus est tantùm in potentia caput viatorum carentium ipsâ fide, prout esse in potentia opponitur esse in actu secundo, 267. IV.V
Christus est caput in actu primo omnium viuentium, tam fidelium quàm adhuc existentium in vteris maternis, *ibid.* VII.VIII
Christus nec actu nec potentiâ est caput hominum damnatorum, 268. II
Christus tanquam caput influit in membra in genere causæ moralis, & per modum causæ efficientis etiam quodammodò principalis, *ibid.* III. IV
Christus ex sua parte est nostrum caput ratione suæ animæ & sui corporis, & ex parte nostri est etiam nostrum caput tum respectu animæ, tum respectu nostri corporis, *ibid.* VI.VII
Christus vt homo est caput Angelorum quoad dignitatem & excellentiam, 269. III
Christus vt homo est etiam caput Angelorum quoad dominationem, & gubernationem exteriorem, *ibid.* VII. VIII
Christus quatenus homo est caput bonorum Angelorum tam quoad interiorem influxum accidentalem, quàm quoad influxum interiorem vitæ spiritalis, 270. III. IV. & *seqq.*
in Christo duplex distinguitur officium circa Ecclesiam & membra eius, 271. VI
Christus nec aliquo iure successionis, nec belli, neque electione populi fuit Rex Iudæorum, 523. I. II
Christus vt homo non habuit dominium aliquod vulgare & humile, siuè quoad proprietatem, siuè quoad iurisdictionem in aliquo regno mundi, *ibidem* VII. VIII. 524. I. II. & *seqq.*
Christus habuit dominium altum tam quoad proprietatem quàm quoad iurisdictionem, 524. V. VI. & *seqq.* 525. 526. 527. 528.
Christus Dominus siue simpliciter enunciatus, siue cum hac limitatione, vt homo, secundum humanitatem, vel simili, non est Filius adoptiuus Dei, 530. V. VI. & *seqq.*
si hic terminus Christus, vel hic terminus homo sumatur personaliter, tunc Christus siue simpliciter enunciatus, siue cum ista limitatione, aut simili, quatenus homo est propriè naturalis Filius Dei, 531. II. III. & *seqq.*
Christus quatenus homo nullo modo propriè est naturalis Filius Dei sumendo hanc particulam, *quatenus* specificatiuè vel reduplicatiuè, 533. VIII. 534. I. II
Christus in infantia non se infantem simulauit, 357. III
Christus nihil vnquam didicit, propriè loquendo, ab hominibus vel Angelis, 357. IV. V. VI
Christus nunquam elicuit aliquos actus falsos aut dubios, 357. VII. VIII
Christus non videtur vsus potestate faciendi miracula in sua infantia, 361. IV
Christus quî differt ab aliis hominibus sanctissimis quoad potestatem faciendi miracula, *ibid.* VII. VIII
Christi prærogatiua faciendi miracula ad nutum suæ voluntatis fundatur in vnione hypostatica & perfectione Christi, 362. I. II
quomodo Christus sic operabatur vt potestas faciendi miracula videretur esse illi naturalis, 362. II. III
Christus vt homo potuit tanquam morale instrumentum Dei principalis agentis aliquid creare, & creatum annihilare, 363. VII
Christus per sui contactum siue mediatum siue immediatum conferebat miraculosè sanitatem ægris physicâ & verè reali efficientiâ, 364. IV V. & *seqq.* 365. 366. 367.
Christus solo tactu feretri filium viduæ resuscitauit, physicâ & reali efficientiâ, 366. I. II. III
Christus visum cæco nato restituit physicâ & reali efficientiâ, *ibid.* IV. V. VI. VII
Christus ita liberè operabatur miracula, vt hæc duobus modis possent ab eius humanitate in sua productione pendere, 368. VII. VIII
id per quod Christus fuit idoneus vt acciperet gratiam capitis duobus modis consideratur, 275. III
id, quo Christus est adæquatè idoneus qui accipiat gratiam capitis & actus eius exerceat, nec est sola gratia vnionis, nec sola gratia habituali animæ eius, sed vtraque simul sumpta, 275. VI. VII. VIII
Christus dum esset in terris fuit simul viator & comprehensor, 256. VIII
Christus non fecit ambulare sanctum Petrum supra mare solâ diuini concursus substractione per eius imperium facta, ne partes aquæ effluerent, quæ sanctum Petrum sistinebant, sed opus erat aliquo alio positiuo dante vim aquis sustentandi corpus graue, 369. III. IV
Christus cur non venit in exordio mundi, vel paulò post, 67. VIII. 68. I
Christus, etsi nullum fuisset peccatum, venisset in carne impassibili, 69. II. III. &c. 70. VI
Christus Dominus venit in carne passibili ad omnia omnium hominum peccata delenda, 73. IV
Christus venit in carne passibili principaliùs pro delendo peccato originali comparando illud cum actualibus, 73. VI. VII
Christus, solo existente peccato originali, venisset in carne passibili, 74. III. non existente peccato originali, sed multis actualibus non venisset in carne passibili, *ibid.* V. VI
Christus ante vnionem non fuit ex duabus naturis contra Eutychetem, 75. III. IV. 76. III. IV
Christus non assumpsit pœnas purgatorij, vel etiam inferni, nec id fuit conueniens, 373. V. VI
Christus vocatur vir dolorum, & quo sensu dicitur, 373. VIII
Christus quomodo intelligitur tentatus per omnia, 374. II
Christus quomodo descendit ad inferos, *ibid.* II. III
Christus habuit corpus humanum optimè temperatum naturâ, & formâ, VIII pulcherrimum, *ibid.* IV. V. VI
Christus non habuit corpus subiectum morbis, qui ei ex intemperantia, aut ex aliqua causa culpabili sui subiecti trahant originem, *ibid.* VII
Christus cognouit cogitationes cordium non tantùm vt Deus, sed etiam vt homo, & non tantùm per scientiam beatam, sed etiam vt viator extra Verbum, & per scientiam infusam per se, 328. VIII. 329. I. II
duplex causa assignari potest propter quam Christus cognoscat liberas hominum cogitationes, 329. IV. V. VI
Christi Domini de cælo descensus fuit solummodò metaphoricus, & sumitur pro ipsa exinanitione, 180. II
Christi humanitas vt Verbo diuino vnita non habet appetitum elicitum ad suam propriam sub-

sistentiam, 104. II. III. nec etiam appetitum innatum per modum desiderij, *ibid.* VI. VII. VIII. 105. I. II. *& seqq.*

Christus non meruit sibi dignitatem Sacerdotij, dominij & iudiciariæ potestatis, 469. I. II. *& seqq.*

Christus promeruit iudiciariam potestatem quoad illius exercitium, executionem & manifestationem, 470. I. II

Christus sua morte nostram meruit omnium redemptionem, 471. VIII

Christus Angelis meruit gratiam, & gloriam, 472. III. IV. *& seqq.* 473. I. II. *& seqq.* 474. I. II. *& seqq.*

Christus debuit esse eiusdem naturæ cum iis quos erat sanctificaturus, 475. IV. V

Christus quatenus homo, quo modo promeruit Angelis gratiam & gloriam, nondum existebat, 476. VI. VII

Christus meruit nobis remissionem debiti carendi omnibus auxiliis supernaturalibus, 479. II. III

Christus nobis meruit omnes gratias actuales quæ antecedunt iustificationem, 479. V. VII. VIII. 480. I. II. *& seqq.*

Christus non promeruit nobis ea quæ sunt purè naturalia, & quæ sunt necessaria ad viuendum iuxta rectam rationem in ordine purorum naturalium, 482. II

Christus plura nobis promeruit quàm de facto perdiderimus in Adamo, *ibid.* IV

Christus nobis promeruit remissionem omnium peccatorum, 482. VII. VIII

Christus meruit hominibus remissionem omnium pœnarum, 483. III. IV. V

Christus meruit gratiam sanctificantem & gloriam, 483. VII. VIII. 484. I. II. III

Christus resurrexit propter iustificationem nostram in genere causæ exemplaris, 484. IV. V

Christus est homo diuinus, ostenditur an hæc propositio sit vera, 411. III. IV. V

Christus, inquantum Deus est homo, hæc propositio est simpliciter falsa, 413. I

Christus inquantum Deus, seu inquantum Filius Dei est natus de beatissima Virgine, hæc propositio est falsa, *ibid.* II

Christus est persona composita, item persona Christi est composita, hæ propositiones possunt purè & simpliciter admitti, 112. II. hæ autem Filius Dei est compositus: Verbum diuinum est persona composita sine vllo alio addito non possunt purè & simpliciter concedi, *ibid.* III

Christus quo sensu dicitur sedere à dextris Dei, 404. V. VI

Christus Dominus licèt non potuerit obligari ad culpam, poterat tamen obligari ad exercendum hoc vel illo præcepto sibi impositio contentum, 441. III

Christus fuit impeccabilis ab intrinseco, 442. IV

Christus liberè obseruauit præcepta sibi à Deo Patre impositia. non tantùm quoad circumstantias, siue temporis, siue durationis, siue intentionis, sed etiam quoad circumstantiam, *ibid.*

Christus per opera vnionem hypostaticam subsequentia non meruit vnionem hypostaticam, 57. VI. VII

Christus non meruit sibi de facto continuationem vnionis hypostaticæ, vel etiam aliquas circumstantias per opera quæ post peractum hoc mysterium exercuit, 458. II. III. IV

Christus de absoluta Dei potentia potuit sibi promereri etiam de condigno vnionem hypostaticam per opera, quæ ab illa vim & efficaciam valoris infiniti haberent, si Deus ita cum eo pepigisset, & ille ad hoc præmium illa ordinasset, 460. VII. VIII. 461. I. II. *& seqq.*

Christus plura sibi vel aliis potuit mereri etiam de condigno quàm de facto sibi & aliis meruerit, 463. VI

Christus in rigore loquendo nec de facto sibi promeruit, nec potuit promereri vt liberi eius actus essent valoris infiniti, 464. I. II

Christus de potentia Dei absoluta potuit sibi mereri gratiam sanctificantem, gloriam animæ & habitus supernaturales sibi infusos, 464. VI. VII. VIII

Christus sua passione meruit gloriam corporis sui, 466. V. VI. *& seqq.*

Christus sua passione meruit ascensionem suam in cœlos, 468. I. II. III

Christus meruit exaltationem sui nominis, *ibid.* IV. V. VI. *& seqq.*

Christus totam gratiam habitualem habuit, siue quoad intensionem, siue quoad extensionem, 241. IV

Christus quomodo dicitur profecisse sapientiâ, ætate & gratiâ apud Deum & homines, 246. I. II

in Christo duplex reperitur gratia, 249. II. III

in Christo non fuit pia affectio, qua voluntas inclinat & determinat intellectum ad assensum fidei, 250. II. III

Christus est homo eiusdem speciei nobiscum, 102. II

Christus ponitur in categoria substantiæ, 102. VI

Christus est impeccabilis, & quare, 139. VI

Christus vt homo est hypostasis, hæc propositio quando est vera, 413. VI

Christus in quantum homo est persona humana, quo sensu est vera hæc propositio, 413. VII. VIII.

an Christus possit dici propriè creatura duobus modis inquiri potest, 422. I. II

Christus non potest dici creatura non tantùm ad vitandum errorem Arij, sed etiam ad vitandam falsitatem, *ibid.* III. IV. V. *& seqq.* 423. I. II. *& seqq.*

Christus absolutè & sine aliqua limitatione dicitur esse ab æterno, 425. VI. VII. &c.

Christus incœpit esse, hæc propositio est de rigore sermonis falsa, scandalosa, & hæretica, & per Fratrem Henricum Bancqueuille in Gymnasio Sorbonico, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio, secunda mensis Augusti fuit reuocata, 426. III. IV

Christus non vocatur simpliciter & absolutè temporalis, 426. VI. VII

Christus ita est vnus vt masculinè non possit dici duo, 428. II. III

Christus ita est vnum in neutro genere, vt non possit dici duo neutraliter, *ibid.* IV. V. VI. VII

Christus non est alius atque alius, neque aliud, æque aliud, *ibid.* VII. VIII

in Christo non fuit contrarietas voluntatũ, 435. III

in Christo quomodo vna tantùm voluntas fuerit, explicatur, *ibid.* IV

Christus non potuit moueri ad absolutè nolendum & efficaciter pati cruciatus, quos est passus propter cognitionem beatificam, 436. VI. VII

Christus per voluntatem sensualitatis voluit aliquid quod Deus non volebat, licèt per volun-

tatem vt voluntas est semper voluerit id quod omnino Deus volebat, 438. II
Christus Dominus quomodo dicitur factus secundum similitudinem hominum, 177. VIII. 180. I
Christus in vsu scientiæ per se infusæ siue circa obiecta naturalia, siue supernaturalis, non indiguit absolute ipsa conuersione ad phantasmata quomodocumque explicetur talis conuersio à philosophis, 348. I.II.III. & seqq.
in Christo facta fuit vnio animæ & corporis, 101. V. VI
in Christo conuenientius dicitur duas esse substantias, diuinitatem scilicet & humanitatem, quàm tres substantias scil. diuinitatem, corpus & animam, ibid. VIII
Christus cur reprehendit Pharisæos, qui ædificabant monumenta prophetarum, 387. III
Christus quomodo tempore passionis dicitur à patre derelictus, 82. II
Christus dicitur homo de cælo, & homo cælestis, & qua ratione, 77. VIII
Christus cur vnus dicatur & non duo, 78. IV
Christus dicitur esse ex semine Dauid, & qua ratione, 179. VII
Christus non potest dici Deus per participationem absolutè & simpliciter, 233. IV
Christi humanitas per sui vnitionem ad Verbum habuit aliquid ab ea aliqua ratione distinctum, 115. VIII. 116. I.II. & seqq.
Christi humanitas non dependet à Verbo in genere causæ formalis, 133. I
Christi generatio duplex, 82. I
in Christo vna tantùm fuit persona, 79. VIII. & fuit ipsa diuina persona Verbi, 80. IV
in Christo natura diuina per vnionem non fuit conuersa in humanam, nec humana in diuinam, 76. V.VI.&c.
in Christo fuerunt duæ naturæ integræ inconfusæ & impermixtæ per incarnationem, 77. I. II

Cogitatio.

Cogitationes cordis sunt in triplici differentia, & quid earum nomine intelligitur, 328. VI

Cognitio.

Cognitio beatifica perfectior est cognitione scientiæ infusæ per se, 352. III
Cognitio omnimoda eorum omnium singularium, quæ habent suam existentiam in aliqua temporis differentia, facit ad perfectionem vniuersalis eorum omnium Domini, qualis est Christus vt homo, 327. V. VI
Cognitio fit à potentia vitali, & ab obiecto vel specie gerente eius vicem, 322. VII
Cognitio præteritorum ante peractum mysterium Incarnationis respectu intellectus animæ Christi, non propriè appellatur memoria seu recordatio, 326. I
Cognitio sensitiua duplex, vna apprehensiua, altera iudicatiua, 395. IV
Cognitio cogitationum soli Deo conuenit, potest tamen singulari Dei beneficio communicari alicui intellectui creato, 330. I.II
Cognoscere aliquod obiectum intuitiuè, & illud cognoscere cõprehensiuè, quî differunt, 317. III
Cognitio quidditatis seu naturæ duplex abstractiua & intuitiua, 338. VI
vnum Cognoscere in alio, & vnum ita cognoscere ex alio, vt cognitio secundi propriè causetur ex cognitione primi, inter se distinguuntur, 342. IV
Cognoscere hunc effectum emanare ab hac causa, hanc proprietatem ab hac natura: item cognoscere hanc proprietatem vno actu, & eius naturam alio actu, & istud actualem illam cognitionem proprietatis verè & propriè causari ab actuali cognitione causæ distinguuntur inter se, 345. VI. VII

Communicatio.

Communicatio idiomatum quid & quotuplex, 399. VI. VII. VIII
Communicatio idiomatum in Christo datur aliqua vera & realis ratione vnionis hypostaticæ, 400. I.II.III. & seqq.
Communicatio idiomatum seu attributorum naturæ diuinæ facta humanitati assumptæ, non sequitur ad vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo, 401. VIII. 402. I.II. & seqq.
Communicatio idiomatum sequitur necessariò vnionem hypostaticam, 175. II
Communicatio idiomatum in quo consistit, 162. VII. 116. II. 185. III
Communicatio idiomatum consistit in eo, vt ratione vnionis hypostaticæ attributa diuina & humana dicantur de eadem persona Verbi sustentantis vtramque naturam, & verè ei attribuantur, 406. VIII. 407. I.II
Communicatio subsistentiæ creatæ potest fieri duobus modis, 146. III. & duo sunt modi exequendæ huius communicationis, ibid.

Comparatio.

Comparatio omnis debet fieri inter paria, 16. V

Complacere.

Complacere est placere cum alio, 534. VII

Compositio.

Compositio præcisè & in genere sumpta quid, 109. I. 110. I.
Compositio quotuplex, ibid.
Compositionis veræ & propriè dictæ conditiones quæ, 112. V.VI
Compositio in Christo duplex vna immediata, altera mediata, 113. II. III

Conceptio.

Conceptio corporis Christi quî differt à conceptione aliorum hominum, 195. IV

Concilium.

Concilij Eliberitani explicatio de prohibitione imaginum in Templis, 568. VI. VII. VIII
Concilij Senonensis testimonium circa cultum imaginum, 574. V
Concilij Nicæni secundi Act. 7. definitio circa adorationem imaginum cum prototypis, 577. III. IV
Concilij Alexandrini definitio contra Nestorium de adoratione Christi, 551. VIII
Concilij Tridentini defensio circa eas imagines quæ repræsentant mysterium Trinitatis sub tribus faciebus veluti Ianum trifrontem, 564. VII
Concilij V. Constantinopolitani condemnatio aduersus eos qui introducunt duas adorationes in Christo ad sensum Nestorij, 558. VI. VII
Concilium Eliberitanum cur damnat vsum cereorum accensorum coram reliquiis & sepulchris Martyrum, 587. IV

Congregatio.

Congregatio sanguinis ad locum generationis non fuit facta à Deo per motum localem in instanti, nec item ipsa organisatio, 192. IV
Congregatio sanguinis ad locum generationis & formatio corporis non est facta per

mutationem instantaneam quasi sanguis in vno & eodem momento transierit de suo loco ad locum generationis, non transeundo per medium, & pars sanguinis ad illum locum in quo membrum aliquod statim ex illo formandum debet esse, 193. II.III

Congregatio sanguinis & formatio corporis Christi, prout spectantur secundùm suum fieri, sunt facta in breuissimo tempore per motum localem, ac formatio omnium membrorum corporis Christi Domini terminatiuè & in suo facto esse considerata fuit simul & semel facta, 195. III

Consilium.

Consilium vt est donum Spiritus S. quid, 257. V

Contractus.

Contractus strictæ iustitiæ quando iniri potest inter patrem & filium, dominum & seruum, 44. III

Contradictio.

Contradictio aliqua duobus modis potest intelligi, 178. V

Contradictio comparatione Dei in ordine ad aliquid faciendum duplex, 380. IV.V. 387. II

Contritio.

Contritio an sit præceptum negatiuum vel positiuum, 54. V

Corpus & corpus Christi.

Corpus Christi in triduo mortis qua sanctitate appellatur sanctum, 169. VIII

Corpus Christi Domini priùs natur. fuit perfectum organizatum quàm assumptum à Verbo diuino, 206. IV

Corpus dupliciter sumitur, 184. VIII. 185. I

Corpus Christi debuit habere conditiones conuenientes fini & modo quo nos erat redempturus, 371. III. IV. V

Corpus Christi ex sua conditione purè naturali fuit ex intrinseca necessitate subiectum morti, 371. VIII

Corpus Christi Domini eodem instanti temporis fuit conceptum & vnitum Verbo diuino, 190. IV

Corpus Christi Domini in primo instanti suæ conceptionis habuit quantitatem, minimam quidem, sed suo statui sufficientem, 191. II.III

Corpus Christi fuit conceptum & formatum eo instanti temporis quo beatissima Virgo expressit suum consensum, 191. V.VI. VII. *& seqq.*

Corpus Christi Domini quo sensu dicitur cœleste, 180. IV. V. VI. *& seqq.*

in Conceptione Corporis duo possunt distingui, 192. II.III

Corpora Beatorum non mouebunt sese localiter in instanti, sed solummodo in tempore, 194. III

Corruptio.

Corruptio duplex, 370. VIII

Creatura.

Creatura rationalis est sola capax gratiæ habitualis, 208. III

Creatura perfecta quid, 166. VII

Creatura perfecta irrationalis, siue sensibilis, siue sensus expers, potest diuina virtute assumi ab aliqua diuina persona, assumptibilitate secundum puram obedientialem potentiam præcisè consideratam, 168. II.III. IV. *& seqq.*

Creatura irrationalis hypostaticè assumpta ab aliqua persona diuina quo modo sanctitatis dicitur sancta,

Creatura Angelica potuit assumi à diuina persona, & satisfacere Deo pro peccatis hominum ex perfecta iustitia, non autem irrationalis, 19. IV. V

Creaturam esse in omnibus spatiis realibus per diuinam potentiam nullam arguit perfectionem in tali subsantia nisi subiectionis & obedientiæ ad Deum, 162. I.II

Crux Christi.

de Cruce Christi tria possumus loqui, 580. IV

Crux vera & singulæ eius partes sunt adorandæ latriâ respectiuâ, 580. V. VI. *& seqq.* 581. I. II. *& seqq.*

adorationis veræ Crucis actus est opus de fide, 581. IV. V

vera Crux non fuit contempta tempore Apostolorum, 581. VI. VII

ad adorationem veræ Crucis sufficit moralis certitudo, vt quis noscat illam esse in qua Christus verè pependit, 581. VII. VIII

licèt partes veræ Crucis per vniuersum orbem circumferantur, non propterea maior vel minor fit, 582. I.II.III

imago veræ Crucis est capax adorationis, 583. IV

signum Crucis est adorandum eodem modo quo adoratur crucis imago expressa in materia solida, *ibid.* VIII

D

Dæmon.

DÆMON monet Monachum quendam vt desistat ab adoratione imaginis beatissimæ Virginis, 571. II

Defectus.

Defectus corporales sunt in duplici differentia, 370. VI

Defectus corporales sunt pœnæ peccati tantùm per accidens, 373. III

Defectus corporales in Christo quatuor modis comparantur, 375. IV

Definitio.

Definitio duplex, 540. III

Denominatio.

Denominatio diuina addita essentiæ & personalitatibus diuinis est substantialis, non accidentalis, 411. II.III

Denominatio duobus modis dici potest intrinseca, 108. VI

Dentes.

Dentes fuerunt immediatè assumpti à Verbo diuino, 186. VIII. 187. I

Desperatio.

Desperatio quo sensu dicitur fuisse in Christo, 397. IV

Deus.

Deus in sacris litteris ita dicitur tradidisse Christum pro nobis in mortem, vt tamen dicatur totum istud feciisse in bonum Christi hominis, 470. VII

Deum-hominem oportuit esse redemptorem hominum, 14. VIII

Deum immutare rerum naturas & Deum immutare seriem, quam res aliquæ seruant ordinariè ad inuicem quî differunt inter se, 214. III

Deus vt offensus non est æqualis dignitatis ac ipsa persona Verbi diuini vt satisfaciens, & qua ratione, 33. I.II

Deus ante consecrationem in Eucharistia duo conseruat in accidentibus, 175. III. IV

Deus B. Virgini maternitatem Dei primò decre-

uit efficaciter, 221. IV.V
Deus potest intelligi dupliciter dare alicui creaturæ rationali maiorem gratiam & ex consequenti gloriam quàm sit tota habitualis gratia animæ Christi, 248. VIII
Deus potentia sua absoluta potuit absque vlla iniustitia, aut aliqua imperfectione sibi & suis attributis repugnante, non accep are satisfactionem Christi Domini pro humano genere redimendo, 45. VII
Deus vult & facit vnico actu simplicissimo quod nos pluribus actibus & volumus & facimus, 59. I. II
Deus non vult res eo ordine intentionis quo illas demandat executioni, *ibid.* V
Deus absolute loquendo potest terminare humanitatem scilicet faciendo illam subsistere posita sua communi subsistentia, 154. IV
in Deo quæ sunt ad intra sunt purè & simpliciter necessaria, 155. III
Deus directè significat Deitatem & tantùm in confuso & indirectè ipsas personalitates, 164. VII
Deus potest assumere Angelicam naturam duobus modis, 167. VI.VII
Deus est in omnibus rebus per suam essentiam imò etiam in vilissimis & turpissimis, in illis tamen existens nullo modo inficitur, 170. II. III.
Deum assumere naturam irrationalem solitariè consideratam non decet: attamen rationes non desunt Deo quibus talis assumptio possit honestari, 170. III.IV
Deus quicquid efficaciter & independenter ab alio ordinat, illud infallibiliter euenit siue aliud particulare consequens, 61. I.II
Deus volens dare Adæ iustitiam originalem ex meritis Christi voluit efficaciter Christum ante præuisum Adæ peccatum, 62. II.III
Deus nullum reliquit bonum opus factum in charitate absque aliquo præmio illi proportionato in patria, 62. VIII
Deus cur non assumpsit naturam Angelicam, 67. VII. VIII
Deus quomodo dicitur dereliquisse Christum tempore passionis, 82. II
Deus potest conseruare subsantiam sine vlla subsistentia tam propria quàm aliena, 90. I. cáque potest operari sine subsistentia, *ibid.* II.III
Deus imposuit Christo Domino tam præceptum moriendi, quam alio modo rationabili & conformi ei quo solet etiam præcepta nobis imponere, 445. VII.VIII
Duæ sunt causæ, propter quas Deus communicat alicui potestatem faciendi miracula, 360. III. IV
Deo conuenit adoptare, 528. VII.VIII
Deus magis adoptat vnum hominem vel Angelum quàm vnus homo alium, 529. V
Deus est homo, hæc propositio est maxime propria, 415. III IV.&c.
Deus est homo, hæc propositio in qua est materia contingenti vel necessaria, 417. I.II.III. *& seqq.*
Deus est homo, hæc enunciatio est per se & in materia necessaria, 418. II. III. IV. *& seqq.*
Deus factus est homo, hæc propositio est vera etiam cum proprietate sermonis, 420. II. III. *& seqq.*
Deus potest si velit aliquam humanitatem conseruare absque vllo suppposito, eique gratiam sanctificantem infundere & facere vt ex illa meritorie operetur, 459. VIII
Deus est homo, quo sensu intelligitur hæc propositio, 409. VIII
Deus tam vita est per essentiam quàm est bonitas & sapientia per essentiam, 388. IV
Deus est author omnis mali pœnæ quandoque efficienter, quandoque permittue, 394. VII
in Dei operibus duplex conuenientia, externa & interna, & quid vtraque, 2. IV.
in Dei operibus duplex necessitas vna antecedens, altera consequens, 49. I
Deus potest creaturæ alicui communicare potentiam creandi aliquid ex nihilo, non tamen suam omnipotentiam, 359. III
Deus ita nos vocat ex benignitate sua gratuita, vt tamen specialem illam vocationis gratiam det nobis ex meritis Christi, 480. VIII

Diabolus.

Diabolus est caput omnium malorum secundùm extentiorem tantum impulsum, quatenus per suggestionem auertit omnes malos homines à Deo vt eos perducat ad damnationem, 277. IV.V. *& seqq.*

Dignitas.

Dignitas personalis duplex substantialis & accidentalis, 21. IV
Dignitas accidentalis confert valorem actui meritorio, ea tantum proportione quæ est per ordinem ad iudicium viri prudentis & ad ordinem prouidentiæ diuinæ substantialis proportione sibi correspondente, 21. VI.VII.&c.
Dignitas personæ Verbi diuini quî differt à dignitate gratiæ sanctificantis, 28. IV
in Dignitatibus & præfecturis duo possunt distingui, 275. VII.VIII

Dilectio.

Dilectio duobus modis dici potest maior, ex parte rei quam confert dilecto, & ex modo quo beneficium ei confertur, 7. IV

Discursus.

ad Discursus veri & propriè dicti rationem duæ requiruntur cognitiones, 345. V
Discurrere est vnum ex alio cognoscere, 345. V. 347. VI
Discursus duplex, 347. III.IV

Discretio.

Discretio spirituum quid, 261. VIII

Diuinitas Christi.

Diuinitas Christi nõ tantum cõmunicauit corpori assumpto, sed etiam fimbrijs vestimenti eius realem efficientiam sanitatis, 364. IV.V.VI
Diuinum quid proprie dicitur, 411. I.II

Dominium.

Dominium illud quo Christus nos sibi acquisiuit per redemptionem, est aliquid speciale, & aliquo modo distinctum ab ipsa eius dignitate capitis, 470. IV.V
Dominium creatum per proprietatem duplex, 523. III.IV
Dominium per iurisdictionem vt distinguitur à dominio per proprietatem, *ibid.* V.VI

Donum.

Dona supernaturalia animæ Christi sunt perfectiora donis pure naturalibus Angelorum,
Dona Spiritus sancti nullam habent repugnantiam cum vnione hypostatica in Christo, 257. VIII. 258. I. II. *& seqq.*
Dona Spiritus sancti manent in patria, 258. VIII
Dona Spiritus sancti vt exeunt in actum possunt

duobus modis considerari, 258. VIII. 259. I. II
Dona naturalia pertinent ad ordinem naturæ & creationis præcisè sumptæ, 477. III
Dona, quæ dantur hominibus post illorum iustificationem quænam sunt, 485. VII
Dona spiritus sancti quid & quomodo distinguantur à virtutibus, 256. V. VI
Dona spiritus sancti sunt septem, *ibid.* VII
Dona spiritus sancti quomodo fuerunt in Christo viatore, & adhuc remanent in illo puro comprehensore, 257. I. II
Donum timoris, etiam quoad actum, fuit & adhuc est in Christo, 259. VIII
Donum pietatis quid, 257. V

Dulia.

Dulia non est quid maius latriâ, 548. VIII. 549. I. nec tribuitur Deo soli, *ibid.* II
Dulia duobus modis sumi potest, 549. III. IV. *& seqq.*
Duliâ possunt coli tam sancti adhuc viuentes quam sancti iam vita functi, 550. IV
Dulia à latria est distinctio specifica, propriè & in rigore, 550. V. dulia verò & hyperdulia tantùm accidentalis, *ibid.*

E

Ebion.

EBIONIS hæresis dicentis Christum esse purum hominem ex beatissima Virgine & sancto Ioseph natum, nec vnionem esse factam in persona Verbi, 78. V

Ecclesia.

Ecclesiæ acceptio quotuplex, 266. I

Electio.

Electio est de rebus possibilibus, 139. VI

Eleemosyna.

Eleemosyna viduæ plus æstimata quàm diuitum, 7. V

Emanatio.

Emanatio duplex, 263. VII. VIII

Emptio.

Emptio duobus modis fieri potest, 463. I

Ens reale.

Ens reale duobus modis sumitur, 12. VI

Enunciatio.

Enunciationes sunt in duplici differentia, 407. III. IV

Esse & essentia.

Esse in se tribus modis dicitur, 108. II. III
Esse personale Christi duobus modis consideratur, 112. VIII
Esse vnitum duobus modis potest considerari, 119. IV. V. VI
Esse existentiæ in Christo duo sunt, 126. VIII
Esse rei quî distinguitur ab esse motis, 386. VI. VII
Essentia diuina & eius existentia possunt duobus modis considerari, 341. VIII
Essentia diuina clarè visa non potest cognosci cum conuersione ad phantasmata à beato existente in corpore glorioso, 350. II. III
Essentia diuina qui differt à proprietatibus personalibus, & potest adorari sine his & è contra, 15^a. II. III. IV
Essentia diuina duobus modis considerari potest, 138. VII. VIII
Essentia diuina nec generat nec generatur, 83. VIII. 84. I
Essentia diuina in ratione potentiæ generatiuæ completè sumptæ est in solo patre, & non in aliis personis diuinis, 152. I. II
Essentia diuina videri potest aliqua visione beatifica, non visis relatiuis eius attributis, 152. III
Essentia diuina est radix personalitatum relatiuarum, 155. II
Essentiæ diuinæ quare conuenit esse in tribus personis, 161. VI

Eucharistia.

Eucharistia in suo fieri postulat intrinsecè & essentialiter verba consecratoria debitè prolata suprà materiam debitam, quæ tamen verba vbi est in suo facto esse, secundùm quod est permanens, non postulat, 509. II
in Eucharistia instituta à Christo Domino duo considerantur, & quæ, 33. VII. VIII

Eutyches.

Eutychetis hæresis dicentis Christum ante vnionem duas habuisse naturas, post vnionem verò vnam tantùm, 75. III. IV. *& seqq.*

Existentia.

Existentia quid, 429. VI
Existentia considerata absolutè & simpliciter abstrahit ab esse in se, & esse in alio, *ibid.* VII
Existentiæ in Christo sunt duæ completæ & perfectæ, 431. I. II. &c.
Existentia non est proprietas personalitatis, 432. II
Existentiæ diuinæ infinitas non consistit in eo quod sit forma, dans formaliter esse actu omnibus rebus creatis, sed quod perfectè constituat diuinam essentiam in actu vt illa sit prima causa efficiens & independens, 158. VIII. 159. I
duo Entia, quorum quodlibet existit sua propria existentia possunt constituere vnum per se, 432. VI. VII
id quod prius Existit existere independenter à posteriori duobus modis intelligi potest, 463. IV

F

Facere & fieri.

FACERE & fieri non semper in substantia important conuersionem substantialem, 77. IV

Fides.

Fides, quatenus includit id, quod in illa sese tenet parte intellectus, nullo modo fuit in Christo siuè quoad actum, siuè quoad habitum, 249. VII. VIII
Fidei meritum esse in aliquo, & obedientiam ad assentiendum iis quæ fide creduntur à nobis esse in aliquo inter se distinguuntur, 250. V. VI

Filius & Filius Dei.

Filius Dei assumendo corpus humanum, simul etiam assumpsit omnes illos eius defectus, qui sunt communes toti humanæ naturæ, 370. VIII. 371. I. II. *& seqq.*
Filius Dei non assumpsit defectus corporales consequentes causas particulares, 374. IV
Filius in diuinis est vera Imago Patris, & quidem substantialis, 561. IV
Filij sola proprietas terminauit humanitatem Christi Domini, 156. V
Filius in diuinis incarnatus dicitur propriè missus, & quare, 160. II
Filius Dei non assumpsit naturam humanam ab omnibus suis individuis abstractam, 175. VIII
Filius Dei si assumpsisset singulas humanitates nullus diceretur redemptus, nullus propriè mediator Dei & hominum, 176. II
Filium Dei eandem specie humanitatem accepis-

se quam habent ij, pro quibus satisfacturus veniebat, fuit conueniens, 179. II.III
Filium Dei assumere ipsammet singularem naturam Adæ non fuit conueniens, *ibid.* III
Filius Dei non assumpsit personam, 176. V.VI
Filius Dei assumi sit verum & non phantasticum corpus, terrenum & ejusdem rationis cum nostris corporibus, II.III.IV. *& segq.*
Filiatio diuina adoptatiua non est primarius & formalis effectus gratiæ habitualis, 233. II.III
esse Filium, est proprietas personæ, non naturæ, 531. I
Filius naturalis alterius dicitur quis duobus modis, 533. IV.V
hic est Filius meus dilectus &c. quomodo intelligitur, 534. VII
licèt Pater vel Spiritus sanctus fuisset incarnatus, fuisset verè & propriè Filius Virginis, ex qua fuisset conceptus naturali filiatione fundata in generatione temporali, neuter tamen illorum sic incarnatus fuisset propriè naturalis Filius Dei, 535. I.II
Filium Dei vnicum incarnari non fuit inutile illi secundùm humanitatem consideratio, 470. VI

Finis.

Finis duplex scil. finis *Qui* & finis *Cui*, 64. VIII. 248. III.IV

Fœlix.

Fœlicis hæresis quæ fuit de Christi seruitute, 494. VIII
Fœlicis error de Christi adoptione, 530. IV

Fomes.

Fomes peccati quid, 388. VII.VIII
Fomes peccati duobus modis potest considerari, 389. I.II
Fomes peccati nec in actu primo, nec in actu secundo fuit in Christo Domino, *ibid.* II.III.IV. *& segq.*
Fomes peccati eodem modo & iisdem causis & principiis fuit extinctus in Christo, quo & quibus principiis & causis eius humanitas fuit facta impeccabilis, 390. III.IV
Fomes peccati duobus modis potest considerari, 391. III
Fomitis peccati tota deordinatio non consistit tantùm in actu secundo illius, sed etiam in actu primo, 391. VIII

Forma.

Forma dignificans dupliciter sumitur, 26. VIII

Fortitudo.

Fortitudo vt est donum Spiritus sancti quid, 257. V

Futura contingentia.

Futura contingentia sunt in duplici differentia, 338. V

A

G

Gaianus.

GAIANI hæresis dicentis corpus Christi non fuisse verè & propriè passibile, & cum sensu doloris vulnerabile, 370. VII

Generatio.

Generatio quid, 179. VI
Generatio Christi duplex æterna scil. & temporalis, 82. I
Generatio diuina quî differt ab ipsa terminatione, & virtus terminatiua à potentia generatiua, 151. VIII

Gloria.

Gloria corporis multas & varias continet perfectiones, 466. III.IV
Gloria corporis importat aliquid positiuum & reale humanitati Christi, & naturalibus eius perfectionibus superadditum, 467. VII
Gloria essentialis animæ Christi propriè non potest dici terminus alicuius prædestinationis Christi, 539. IV
Gloria est clara cum laude notitia, 541. VII
Gloria corporis non emanat physicè à gloria animæ, 285. I

Gnostici.

Gnosticorum hæresis existimantium Verbum diuinum assumpsisse tantùm corpus æthereum, 168. II

Gradus.

Gradus virtutis moralis duplex, 254. VI

Gratia.

Gratia tribus modis sumitur, 140. II.III.IV
Gratia & naturale possunt esse simul diuerso respectu, 141. III.IV
Gratia habitualis Christi non potuit augeri iuxta potentiam ordinariam Dei, 245. VIII
Gratia habitualis animæ Christi per absolutam Dei potentiam potest augeri, 246. IV. & quomodo, *ibid.* V.VI. *& segq.* 247. I.II. *& segq.*
quid nomine Gratiæ gratis datæ intelligunt Theologi, 260. VIII. 261. I
omnes Gratiæ gratis datæ fuerunt perfectissimæ in Christo, 261. II.III
Gratia sanitatum & virtutum quid, 261. VIII
Gratiæ gratis datæ quæ in aliis hominibus non habent rationem habitus, sed solùm consistunt in actu, fuerunt in Christo per modum habitus, 262. VIII.
Gratia vnionis præcisè & formaliter sumpta non est formaliter ipsa gratia capitis, 272. II. III. *& segq.*
Gratia habitualis Christi sumpta præcisè & formaliter, non est formaliter ipsa gratia capitis, 273. IV.V. *& segq.*
Gratia capitis potest duobus modis considerari, 274. I.II
Gratia vnionis hypostaticæ, & gratia habitualis simul sumptæ non sunt formaliter ipsa gratia capitis in Christo, *ibid.* III
Gratia capitis in Christo præcisè & formaliter sumpta est ipsa potestas ei à Deo collata, ad influendum in omnes Angelos & homines vitam spiritualem, & cætera id genus, *ibid.* V.VI. *& segq.*
Gratia capitis formaliter & præcisè sumpta non est aliquid reale physicum Christo, vel eius gratiæ siue vnionis, siue habituali vel etiam vtrique superadditum; sed aliquid morale scilicet moralis quædam potestas ad influendum in totam Ecclesiam, & eius membra, proueniens ex diuina ordinatione & deputatione, 275. I.II
Gratia habitualis ita constituit Christum idoneum ad recipiendam gratiam capitis & actus eius exercendos simul cum gratia vnionis, vt tamen comparata cum gratia vnionis, minus præcipuè illum constituat dignum, 276. I.II
Gratiam capitis esse eandem re cum habituali gratia animæ Christi, & tantum differre ratione, 276. III
Gratia habitualis non fuit de facto medium siue necessitatis siue decentiæ & congruitatis ad faciendam hypostaticam vnionem humanæ naturæ cum Verbo diuino, 208. III.IV
implicat Gratiam habitualem esse medium phy

ſicum vniendæ humanitatis hypoſtaticè cum Verbo diuino, 208. VII.VIII. 209. I.II

Gratia habitualis non fuit morale aliquod medium quo ex aliqua decentia humanitas Chriſti fuerit de facto diſpoſita ad vnionem ſui cum Verbo diuino, 210. V.VI

Gratia habitualis eſt ordinis longè inferioris ab vnione hypoſtatica, *ibid.* VII

Gratia habitualis non potuit eſſe medium morale præparans humanitatem ad vnionem hypoſtaticam, 212. I.II.III. *& ſeqq.*

Gratia habitualis potuit eſſe (ſi Deus voluiſſet) medium exornans animam Chriſti & dans ei proportionem aliquam maiorem cum ipſa vnione hypoſtatica, *ibid.* VII.VIII

Gratia habitualis fuit & eſt in anima Chriſti, 232. I.II. *& ſeqq.*

Gratiæ habitualis effectus formalis quis, 233. II

Gratia habitualis Chriſti poteſt ſpectari duobus modis, 233. VII

Gratia habitualis Chriſti phyſicè & ſecundùm ſuam naturam ſpectata, eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtra, *ibid.* VII.VIII. 234. I.II

Gratia ſanctificans eſt aliqua participatio diuinitatis, 411. VI

Gratia vnde dicta, 462. III

Gratia actualis & habitualis non ſunt aliquid imperfectum, 465. VII

Gratia habitualis vocatur ſemen vitæ æternæ, 289. III.

Gratia vnionis in genere moris & æſtimationis eſt longe potentior quam ſit quæcumque gratia habitualis, 292. VI

Gratia capitis eſt ſoli Chriſto D. propria, IV. V *& ſeqq.*

Gratia ſanctificans & gloria ſunt ordinis ſupernaturalis, 477. III

Gratia primo parenti conceſſa quî differat à gratia nobis conceſſa, 477. III

Gratia vocationis & aliæ quæcumque actuales noſtram iuſtificationem antecedentes duobus modis poſſunt conſiderari, 481. IV

Gratia habitualis Chriſti ſpectata in genere moris, & vt eſt gratia alterius perſonæ, eſt alterius & ſublimioris ſpeciei à noſtra, 234. III

Gratiam ſanctificantem, vt eſt donum quoddam creatum ſupernaturale, eſſe in anima Chriſti eſt de fide, 234. V.VI

licèt ſit proximum fidei Gratiam animæ Chriſti eſſe habitualem, non tamen adhuc eſt de fide illam eſſe habitualem, *ibid.* VII. 235. I.II. *& ſeqq.*

Gratia habitualis fuit animæ Chriſti vnitæ Verbo hypoſtaticè neceſſaria ad eleiendum connaturaliter actus dilectionis, & cæteros eiuſmodi ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſupernaturales, 237. V. VI

Gratiæ effectus poſſibiles ſunt in duplici differentia, 239. VII

Gratia habitualis Chriſti ſex modis intelligitur infiniti, 242. III.IV

Gratia habitualis Chriſti fuit de facto finita tam in ratione entis & qualitatis quàm intenſionis, *ibid.* IV.V. *& ſeqq.* 243. I.II

Gratia habitualis Chriſti non fuit infinita, ratione modi alicuius phyſici intrinſeci aduenientis tali gratiæ ex ipſa eius coniunctione ad Verbum, 243. III.IV

Gratia habitualis Chriſti præcisè ſecundùm ſe & in ſe ſumpta tantùm, non eſt infinita in ratione gratiæ reſpectu alicuius effectus infiniti, quem illa poſſit producere, *ibid.* VI

Gratia habitualis Chriſti non eſt infinita per veram tantùm extrinſecam acceptationem Dei, *ibid.* VII

Gratia habitualis Chriſti eſt infinita duobus modis, *ibid.* VIII

Gratia habitualis Chriſti quomodo differt à cæteris accidentibus quæ ſunt in eo, 244. II.III

Gratia habitualis Chriſti non debet eſſe infinita quoad entitatem & intenſionen, *ibid.* VII. VIII

Gratia habitualis animæ Chriſti poteſt dici ſimpliciter infinita in genere gratiæ, 245. V.VI

vnde prouenit quod nullus hominum poſſit peruenire ad tantam habitualem Gratiam, quanta eſt habitualis gratia animæ Chriſti, 245. IV

II

Habere & habitus.

HABERE potentiam qua peccatur, & habere potentiam peccandi inter ſe differunt, 377. VIII. 378. I

Habitudines in perſonalitate increata ſunt duæ, vna ad propriam ſuam naturam, alia ad alienam, 165. III.IV

Habitus eſt qualitas permanens, 208. VI

Habitus ſupernaturalis per ſe infuſus quî diſtinguitur ab acquiſito, 255. III.IV

Habitus cognoſcitiui ſunt in duplici differentia, 312. VIII

Habitus acquiſiti Theologiæ quî differunt ab habitu ſcientiæ per ſe infuſæ, 313. V.VI

Habitus ſcientiæ per ſe infuſæ animæ Chriſti eſt diſtinctus realiter à lumine gloriæ, 314. III. IV.V. *& ſeqq.*

nullus Habitus ſeſe extendit extra latitudinem adæquati ſui obiecti, & ſuæ rationis adæquatæ, 315. I

Hæmorroiſſa.

Hæmorroiſſa à Chriſto fuit ſanata propter ſuam fidem, 364. IV.V

modus ille quo Hæmorroiſſa apprehendit ſanitatem eſſe ſibi reſtituendam, fuit phyſica & realis actione corporis Chriſti, 365. I.II

Hæreſis.

Hæreſis nulla eſſet, ſi non & perperam ſcripturæ intelligi poſſent, 564. VI

Hæreſis Neſtorij admittentis duo ſuppoſita in Chriſto & duas adorationes, 558. VI

Hæreſis Arianorum dicentium Chriſtum non eſſe Deum, non Deo Patri conſubſtantialem & coæqualem, 471. I

Hæreſis Vvielefi dicentis humanitatem Chriſti ſpectatam præcisè ſine ordine ad perſonalitatem Verbi, 555. III.IV

Hæreſis Iuliani Gajani, Seueriani & Iuſtiniani Imperatoris dicentium corpus Chriſti non fuiſſe verè & propriè paſſibile, & cum ſenſu doloris vulnerabile, 370. VII

Hæreſis Caluini dicentis Chriſtum aſſumpſiſſe pœnas damnatorum, 373. IV

Hæreſis Monothelitarum dicentium vnicam eſſe in Chriſto voluntatem, 434. I.II. *& ſeqq.*

Hæreditas.

Hæreditas bonorum paternorum non debetur filiis iure naturæ, vt ius naturale diſtinguitur à iure gentium, 291. IV.V.VI. 292. IV.V

Helipandus.

Helipandi error dicentis Chriſtum eſſe Filium adoptiuum Dei, 530. IV

Helipandi error de seruitute Christi, 494. VIII
Helipandus hæresi Nestorianæ fauebat in adoptione Christi,

Homo.

Homo purus qui differt à non puro, 14. IV
nullus purus Homo solis naturæ donis exornatus potest Deo satisfacere tam pro suo quàm pro alieno peccato mortali, 14. IV.V
nullus purus Homo quantacumque gratia habituali exornatus, & quantumcunque perfectè operans ex illa, potuit Deo satisfacere ex perfecta iustitia pro lapsu humani generis, 14. VII. VIII. *& seqq.* non potest etiam pro suo veniali peccato Deo satisfacere *ex propriis*, 16.17. I.II. &c. & æquiualenter, 18. VI.VII
Homo purus absolutâ Dei potentiâ potuit Deo satisfacere ex imperfecta iustitia pro peccato totius generis humani, 19. I.II. &c.
Homo non significat in recto personam habentem naturam humanam, sed directè significat ipsam naturam tanquam in habente, 164. VII
Homo iuxta præscientiam Dei nunquam peccaturus & impeccabilis inter se distinguuntur, 384. VI. VII
Homo viator confirmatus in gratia non est propriè impeccabilis, sed tantùm immunis à peccato etiam committendo, *ibid.* VII
Homo est Deitas, hæc propositio non est vera, 407. VIII. 408. I.II. &c.
quicquid dicitur de Homine essentialiter vel necessariò, & quicquid etiam dicitur de hoc homine Christo, dicitur etiam de Filio Dei, 409. V. VI. *& seqq.*
Homo factus est Deus, hæc propositio est falsa de proprietate sermonis, 421. I.II. *& seqq.*
nullus purus Homo ante mortem Christi clarè & intuitiuè vidit Deum, 285. I.II. 286. VII
Homo non tam dicitur propriè imago Dei, quàm factus ad imaginem Dei, 575. VII
Homo non potest naturaliter subsistere sine sanguine, 182. VI
Homo quo sensu dicitur creatus ad imaginem & similitudinem Dei, 477. IV.V
Homines possunt reduci ad tres classes, 266. VIII

Honor.

Honor in quonam consistit, 541. VII

Hostia.

Hostia consecrata, licèt in locum immundum proiecta, vel à muribus accepta ad comedendum, non desinit tamen ibi esse corpus Christi Domini, 170. II

Humanitas, humanitas Christi.

Humanitas Christi vnita Verbo, non tamen sic apprehensa, sed nudè tantùm non adoratur decenter, sed est practicè adoranda simul cum Verbo, 558. II.III.IV
Humanitas Christi si esset derelicta à Verbo, & haberet dona supernaturalia gratiæ, esset adoranda adoratione hyperduliæ, *ibid.* V
Humanitas Christi ratione vnionis hypostaticè coadoratur eadem adoratione latriæ qua Deus, 559. IV. V
Humanitas Christi est magis adorabilis latria respectiuè quàm sint accidentia quæ in illa reperiuntur, 553. II.III
Humanitas Christi est adorabilis latriâ respectiua per habitudinem ad subsistentiam Verbi primario: secundario per habitudinem ad diuinam essentiam, 553. IV.V.VI.VII
quòd Humanitas Christi vt Verbo diuino coniuncta hypostaticè sit adoranda latriâ videtur de fide, 553. VIII. 554. I.II.III
Humanitas Christi in ordine ad adorationem tribus modis considerari potest. 554. VIII
Humanitas Christi vt est pura creatura, nec habet ordinem & habitudinem ad excellentiam aliquam increatam, non est adoranda latriâ absolutâ nec respectiuâ, 555. III. IV. V
Humanitas Christi vnita quidem Verbo, non tamen sic apprehensa, sed tantùm secundùm alia dona supernaturalia gratiæ est capax alicuius adorationis, hyperduliæ scilicet, 556. I.II. *& seqq.* 557. I.II. *& seqq.*
Humanitas Christi Domini non carnit propriâ suâ existentiâ, 429. VI.VII. *& seqq.* 430. I. II. *& seqq.*
Humanitas Christi non prius extitit tempore quàm fuerit assumpta à Verbo, 411. VI.VII
Humanitas Christi non est in Verbo sicut accidens in substantia, sed est in illo, tanquam in terminante & sustentante illam, 432. IV
Humanitas Christi in illo priori naturæ quo extitit antequam vniretur Verbo, non meruit de facto vnionem hypostaticam, 457. II.III.IV
Humanitas Christi prius quàm vniretur Verbo potuit absolutâ Dei potentiâ sibi de congruo promereri vnionem hypostaticam ad Verbum, 458. VII. VIII. 459. I.II
si Humanitas Christi priùs natura quàm vniretur Verbo extitisset existentia Verbi, eius meritum fuisset de condigno & valoris infiniti, 460. I. II. III. IV.
tota Humanitas secundùm ordinem intentionis prius naturâ fuit assumpta à Verbo quàm eius partes, 200. VIII. ordine verò executionis & existentiæ partes sunt prius naturâ assumptæ, 201. I
Humanitas Christi non est verè & realiter omnipotens omnipotentia ipsius Dei, 358. III. IV.V
Humanitas Christi rectè denominatur sancta ab essentiali attributo sanctitatis diuinæ naturæ, non autem omnipotens, 359. V.VI
Humanitas Christi accepit potestatem faciendi miracula à primo instanti suæ vnionis ad Verbum diuinum permanenter, seu ad modum habitus, eámque adhuc retinet in cælo, 361. II.III. *& seqq.* 362. IV.V
vt Humanitas hypostaticè vnita Verbo non possit peccare, & eius impeccabilitas demandetur executioni, aliquid aliud requiritur, quo mediante talis humanitas præseruetur à peccato committendo, 382. VI. VII. *& seqq.* 383 I. II. *& seqq.*
Humanitas Christi dicitur templum, 81. V.VI.VII
Humanitas Christi vt Verbo diuino vnita non habet appetitum elicitum ad suam propriam subsistentiam, 104. II. III. nec etiam per modum desiderij habet appetitum innatum, *ibid.* VI. VII.VIII. 105. I. II. *& seqq.*
Humanitas Christi potest dici simul templum & ara, respectu cruenti eius sacrificij, diuersa tamen consideratione, 516. VIII
respectu tamen eiusdem cruenti sacrificij Christi potest etiam assignari aliud templum & aliud altare omnino distinctum à Christi humanitate, 527. I
Humanitas Christi est prædestinata ad vnionem hypostaticam, 536
Humanitas, si daretur communis subsistentia in diuinis, ita esset immediatè vnita isti communi subsistentiæ, vt tamen omnes & singulæ personæ essent mediatè vnitæ humanitati; sic-

que vna quæq; persona diuina esset homo, 154. v
Humanitas in eo casu quo immediatè terminaretur ab illa absoluta subsistentia, non fieret incommunicabilis primò per se & præcisè ex vi talis subsistentiæ absolutæ, nec ex vi proprietatis suæ personalitatis, sed solummodò ex vi & efficacia diuinarum relatiuarum personalitatum quibus tunc vniretur mediatè, *ibid.* VII. VIII
Humanitas Christi per vnitionem sui ad Verbum fuit mutata, 115. VIII. 116. I. II. *& seqq.*
Humanitas Christi licèt sit eiusdem speciei cum nostra, quî differt tamen à nostra, 125. I. II
Humanitas Christi non dependet à personalitate diuina in genere causæ formalis, sed tantùm, tanquam ab vltimo suo complemento & termino substantiali, ad eum modum quo nostra natura habet dependentiam à propria sua subsistentia, sublatis tamen omnibus imperfectionibus, 133. I. II
non fuit congruum Humanitatem disponi ad vnionem hypostaticam per gratiam habitualem, 211. I. II
Humanitas Christi ad vnionem hypostaticam, & conceptio ac maternitas Dei-hominis in beatissima Virgine, quomodo differunt inter se respectu gratiæ habitualis, 211. II. III. IV
Humanitas Christi sanctificatur à personalitate Verbi, vt condistincta virtualiter ab essentia diuina, 226. VIII. 227. I. II. *& seqq.* & 228. I. II. III
Humanitas Christi etiam vt hypostaticè vnita Verbo exclusa omni gratia habituali, item omni alio illam supplente, non potuisset elicere actus supernaturales secundùm suam entitatem & substantiam, 237. I. II
Humanitas Christi ex se & ex suis principiis nudè considerata potuit peccare, 386. VII. VIII
Humanitas Christi, non fuit facta potentior ad operandum physicè per vnionem hypostaticam, sed tantùm moraliter, *ibid.* VIII
Humanitas Christi vi & efficacia vnionis hypostaticæ ita fuit eleuata, vt homo esset naturalis Filius Dei, 404. IV. V
Humanitas Christi existens in terris sese mouit de loco ad locum, non autem personalitas Verbi sibi vnita, 406. III
Humanitas Christi est primò adorabilis latriâ per habitudinem ad subsistentiam Verbi: secundariò per habitudinem ad essentiam diuinam, 553. IV. V
Humanitas Christi vt apprehensa Verbo vnita, imò vt apprehensa separata & derelicta à Verbo cum aliquo ordine ad suppositum Verbi est adoranda, 554. VIII. secluso tamen ordine ad suppositum Verbi, considerando tantùm illam ac si esset purus homo, non potest adorari adoratione latriæ, 555. III. IV. V
Humanitas Christi vnita quidem Verbo, non tamen sic apprehensa, sed tantùm secundum alia dona supernaturalia gratiæ adoratur adoratione hyperduliæ, *ibid.* &c.
tam ipsæ partes Humanitatis Christi quàm ipsa tota humanitas seruata proportione, fuerunt priùs natura infirmatæ propriis & naturalibus suis accidentibus quàm, sint assumptæ à Verbo diuino, 205. VII. VIII

Humidum & humores.

Humidum & calidum sunt qualitates sanguinis, 182. VI
tres reliqui Humores præter sanguinem sunt immediatè assumpti à Verbo diuino, 186. III. IV
tres hi Humores duobus modis possunt considerari, *ibid.* V. VI

Hyperdulia.

Hyperdulia differt accidentariò à dulia, 550. V. VI *& seqq.*
Hyperdulia est latriâ inferior, 556. I. II

Hypostasis.

Hypostatica vnio in quo consistit, 168. IV
Hypostasis seu persona Christi potest duobus modis considerari, 109. II. III

I.

Idea.

IDEA rerum in Deo est vna entitatiuè, multiplex autem ob pluralitatem rerum distinctarum quæ repræsentantur faciendæ, 109

Idem & identitas.

Idem potest esse causa & effectus respectu sui ipsius, sc. in diuerso genere causæ, 462
Identitas duplex attributi cum subiecto, 416. II. III

Idiomatum communicatio.

Idiomatum communicatio in quo consistit, 162. VII. 116. I

Idolum.

Idola gentium vocantur vmbræ, 561. I
Idola quo sensu dicuntur imagines mortuorum, 562. II
Idolum & simulachrum sunt synonyma, minimè autem Idolum & Imago, 560. V. VI. VII. vnde dictum, *ibid.*
Idolum repræsentat quod non est, vel quale non est, & non est merum cordis figmentum, 560. VII
Idolum ita opponitur Deo sicut mendacium veritati, *ibid.* VIII

Iesus.

Iesus quid significat, 32. II. 68. VII

Ignorantia.

Ignorantia duplex vna putæ negationis, altera prauæ affectionis quæ etiam duplex, 392. III. IV
Ignorantia inuincibilis licèt sit absque peccato, non fuit in Christo, 393. II

Imago.

Imago est nomen genericum respectu falsæ & veræ Imaginis, non tamen synonymum, 561. II. III
ratio formalis Imaginis abstrahendo à substantiali & accidentali, consistit in exprimenda similitudine rei repræsentatæ, 561. IV
in diuinis vera Imago Patris est Filius, *ibid.*
Imago & simulachrum quando dicuntur synonyma, *ibid.* V. VI
Imago ab imitatione seu ab imitando dicta, *ibid.* VI
Imago non idem significat ac simulachrum, nec eodem modo sumitur, *ibid.* VII. VIII
Imagines Dei & Angelorum quæ sunt apud nos, non repræsentant quales sunt in seipsis, nec quales eos credimus esse à parte rei, sed vel quales apparuerunt aliquando, vel quales fuerunt repræsentati in Templo Salomonis, 562. I
Imaginum collocatio est aliqua Apostolica traditio 568. I. II. III
in Imaginibus collocatis in Templo duo possunt considerari, 568. VI. VII
reprehensio Gnosticorum & Carpocratianorum circa Imaginem Christi, 568. VIII. 569. I
explicatur locus allatus ex sancto Augustino de Imaginibus, 569. II. III. IV
Templa condita non fuere sine Imaginibus ab Adriano Imperatore in gratiam Christiano-

rum, *ibid.* v
S. Epiphanius non scidit velum habens Imaginem cuiusdam hominis, vt assingunt hæretici, *ibid.* VI. VII. VIII
Imagines nostræ quî differunt à serpente æneo à Iudæis erecto in deserto, 570. IV.V
Imagines Christi & Sanctorum sunt dignæ aliqua adoratione & veneratione, *ibid.* VI.VII. VIII. 571. I.II
excellentia prototypi resunditur in eius Imaginem, 571. IV.V. *& seqq.* 572. I.II. *& seqq.* iniuria illata Imagini redundat in prototypum, 572. III. IV
miracula facta per Imagines Christi & Sanctorum, *ibid.* VIII
nullum est præceptũ siue naturale siue diuinũ, quo teneamur habere vel pingere Imagines, aut actu aliquo sese ad illas terminante adorare, 573. I.II
posito quòd sint sacræ Imagines, non tenemur iure naturali negatiuo illis inferre iniuriam, cáque ignominiosè tractare, *ibid.* III
Gentiles non colebant Deos suos in Imaginibus, 573. VIII. 574. I
de habendis & colendis Imaginibus est exemplum in veteri Testamento, 574. II
Patres explicantur qui condemnant cultum Imaginum, 575. I.II.III. *& seqq.*
Imagines sunt capaces honoris & iniuriæ propter prototypa, 575
omissis Imaginibus quæ sunt apud nos, possumus ad alias eiusdem sancti adorandas existentes in loco valdè distanti peregrinari absque superstitione, 576. II.III.IV
Imagines sacræ possunt adorari vt quo, non autem vt quod, 576. VII.VIII
Imagines vno & eodem actu adorationis adorantur cum suis prototypis adoratione tantùm respectiua, 577. I.II.III
Imago Christi colitur inferiori veneratione quàm Christus qui latriâ colitur, 577. VIII
Imagines Dei prohibentur fieri secundùm veritatem suæ naturæ, *ibid.* VII
Iudæi fuerunt vsi Imaginibus in Templo, 563. III
Imagines non in totum prohibentur à Caluino, nec reiiciuntur à Luthero, 563. II
Imagines rerum creatarum non prohibentur fieri absolutè & simpliciter à Deo, sed vt adorentur, *ibid.* VII. VIII. 564. I.II.III.
vsus Imaginum Dei aliquam eius perfectionem repræsentantium per analogiam est honestus & licitus, 564. IV.V. *& seqq.*
Imagines Angelorum approbantur ex septima Synodo, 365. II
Imagines Dei facere & retinere non est de fide, sed est ita certum vt contrarium censere sit ad minus temerarium, *ibid.* II.III. *& seqq.*
Imago Christi sub forma Agni approbatur, 565. V
non displicet, Deo quod Catholici in Templis & pro insigni Ædium priuatarum Imagines appendant, 565. VIII
loca scripturæ & testimonia Patrum explicantur, 566. I.II. *& seqq.* 567. I.II. *&c.*
Imagines Dei eum nobis referunt quoad cogitationem absentem, imò & iuxta formam illam sub qua nobis ilum exhibent reuera absentem, 567. IV.V
Imagines in Templis rectè collocantur, & est de fide, 567. VII.VIII
Imago Christi depicta in sacris calicibus, & in Ecclesia, 567. VIII
Imagines sine omni precatione & vnctione sunt adorabiles ratione figuræ, 583. VII. VIII
data aliqua occasione tenetur quis adorare sacras Imagines actu positiuo, 573. IV
anathema VII. Synodi Act. 5. & 7. contra eos qui venerandas Imagines idola vocant, 560. VII
circa vsum Imaginum tria quæri possunt, 562. IV
honestum est & licitum facere Imagines Dei, *ibid.* VI. 563. I.II. *& seqq.*
Imagines Dei fieri possunt tribus modis, *ibid.*
inter concionandum populo satis est illi explicare Imagines esse adorandas non propter se, sed propter sacras personas, quas repræsentant, 580. II.III
Imago veræ crucis est capax adorationis, 581. IV
Imagines clauorum, lanceæ & cæterorum instrumentorum, quæ Christum tetigerunt cur non adorantur sicut solæ Imagines Christi. *ibid.* V

Impeccabilitas.

Impeccabilitas est aliquid intrinsecum humanæ voluntati Christi Domini vt vnitæ Verbo diuino, 442. IV
Impeccabilitas Christi non subiacet eius libertati, & vt sic non manet amplius libera respectu obseruationis præcepti sibi impositi, *ibid.*
Impeccabilitas Christi vt hominis potest considerari quatuor modis, 377. VI.VII.VIII
Impeccabilitatis duplex causa, quæ est in humanitate Christi, 383. VI. VII. & plures aliæ possunt assignari, 385. I.II
Impeccabilitatis causa quænam vera & omnium prima in Christo, 390. VI.VII

Impossibilitas.

Impossibilitatis radix quî differt à radice indecentiæ, 170. III.IV

Incarnatio.

Incarnatio, est assumptio totius naturæ humanæ in vnitatem suppositi seu personæ, I.II
Incarnatio non potest appellari animatio Verbi diuini, & quare, I. V
Incarnationis mysterium visum est Gentilibus stultitia, 2. III
Incarnationis conuenientiæ attenditur penes tria, scilicet penes Deum, humanitatem & ipsum vniuersum, 2. VI
Incarnationis mysterium fuit conuenientissimum Deo, 2. VII.VIII
Incarnationis mysterium non fuit vtile Deo, nec ei aliquam attulit perfectionem, 3. VI
Incarnationis mysterium fuit conueniens & valdè vtile humanitati consideratæ secundùm potentiam suam obedientialem, imò totiuniuerso considerato iuxta supernaturalem ordinem, 3.4. VII. VIII. &c.
Incarnatio personæ diuinæ non fuit simpliciter & absolutè necessaria ad reparationem humani generis, 4. VIII. &c.
Incarnatio personæ diuinæ fuit valdè conueniens seu necessaria secundùm quid ad reparationem totius humani generis, 5. VII
Incarnatio vt nunc facta, est medium omnium conuenientius pro reparando genere humano, 5. VIII, 6. I.II
in Incarnatione tota Trinitas operata est effectiuè, secunda verò persona terminatiuè, 129. VII.VIII. 130. I.II. III. *& seqq.* 131. I.II. &c. 132.
Incarnationis mysterium factum à tota Trinitate, tribus hominibus, qui vnum ex se ipsis vestiant, & sono per citharam reddito comparatum, 135. IV.V
Incarnationis mysterium qua ratione dicitur singulare vel mirabile à SS. Patribus, 147. IV.V.VI

in Incarnationis mysterio tria possunt considerari, scilicet prædestinatio eius seu decretum efficax Dei de illo faciendo, ipsa executio, & circumstantiæ huius mysterij, quæ sunt in duplici differentia, 215. I. II

Incarnatio vocatur à sanctis Patribus mixtio, & mixtura, 109. VII

Incarnatio Verbi diuini absolutè & independenter à peccato Adæ fuit decreta, etiam quoad sui executionem, 65. V. VI. *& seqq.* 66. I. II

Incarnatio Verbi cur non fuit peracta in exordio mundi, vel paulò post, 67. VIII. 68. I

Incarnatio dicitur Sacramentum diuinæ voluntatis, 535. VI

Incommunicabilitas.

Incommunicabilitas diuersimodè considerata, 93. V. VI. VII

Incommunicabilitas duobus modis sumitur, 94. II. III

Indifferentia.

Indifferentia iudicij est quidem radix libertatis, non tamen formalis ratio eius, sed formalis ratio libertatis est actiua indifferentia, qua voluntas, suppositis omnibus ex parte principij ad agendum requisitis est sic disposita, vt possit seipsam determinare ad agendum & non agendum, ad volendum & nolendum, 441. V. VI. VII. *&c.*

Indifferens aliquid esse potest duobus modis, 96. V. VI

Individua.

Individua omnia specierum creatarum sunt certi & determinati numeri, qui est nobis incognitus, 327. VII

Infinitas & infinitum.

Infinitas diuinæ naturæ in eo consistit, quòd habeat omnem plenitudinem essendi, non autem quod sit formaliter quodlibet ens, vel possit esse, 158. VIII

Infinitas diuinæ existentiæ non cõsistit in eo quòd sit forma dans formaliter esse actu omnibus rebus creatis, sed quòd perfectè constituat diuinam essentiam in actu, vt illa sit prima causa efficiens & independens, *ibid.* 159. I

Infinitas duplex, 162. III

Infinitas passiua propriè non arguit aliquam perfectionem sese tenentem ex parte eius cui inest, *ibid.*

Infinitum simpliciter & absolutè superat infinitum secundùm quid, nec potest fieri ex pluribus infinitis secundùm quid, 32. VI

Influxus.

Influxus duplex moralis & physicus, 126. VIII. 128. I

Influxus proueniens à capite mystico duplex, 269. I

Influxus interior duplex, *ibid.*

Influxus Christi in Angelos fuit magis præcipuè per animam, 271. III

Infusum.

Infusum per se aliquid dici potest duobus modis, 309. IV

Intellectio & intellectus.

Intellectio actualis creata verè & propriè fuit in intellectu creato Christi, 278. IV. V. *& seqq.*

Intellectio est actio quædam vitalis, 281. III

Intellectus creatus animæ Christi non intelligit de facto per actualem intellectionem increatam Dei, 279. IV. V. *& seqq.*

Intellectus & mens possunt sumi duobus modis 187. VIII

Intellectus per absolutam Dei potentiam separari potest ab anima, 188. VII

Intellectus animæ Christi cognoscit propriam suam visionem beatificam per speciem sibi à Deo infusam illi vt per hanc scientiam cognoscendæ proportionatam, 337. VI. VII

Intellectui animæ Christi certitudo & euidentia quam habet de existentia Trinitatis prouenit ex penetratione veritatis determinatæ quæ de facto est in actibus sese terminantibus ad mysterium Trinitatis, 340. VI. VII

Intellectus animæ Christi licèt cognoscat mysterium Trinitatis quoad quæstionem *an est*, nullum tamen habet conceptum per scientiam per se infusam de propriâ illius quidditate, 342. VIII. 343. I. II

Intelligendi modus duplex, 341. VI

Intelligere per discursum, & intelligere per simplicem intuitum sibi inuicem apponuntur, 345. II. III

quòd Intelligendi modus connaturalis animæ rationalis sit cognoscere per discursum, duobus modis intelligi potest, 346. II. III

Intellectus agens in Christo non fuit otiosus, vel frustraneus, 356. IV. V. VI

Intellectus.

Intellectus animæ Christi Domini cognoscit per scientiam per se infusam omnes species rerum naturalium, quas Angeli per species sibi congenitas cognoscunt naturali cognitione, 324. III. IV. V. VI

Intellectus animæ Christi cognoscit per scientiam per se infusam omnia & singula individua tam immaterialia quàm materialia, pertinentia ad naturalem ordinem vniuersi, *ibid.* VIII. 325. I. II

Intellectus animæ Christi cognouit per scientiam per se infusam omnia individua, quæ ante peractum mysterium Incarnationis fuerant, & quæ post illud etiam extiterunt, seu præterita & futura individua, quæ pro tempore quo existunt, pertinent ad vniuersum ixta ordinem naturæ spectatum, 325. III. IV. V. *& seqq.*

Intellectus animæ Christi per scientiam per se infusam non cognouit omnia & singula possibilia, ad quæ res naturales se extendunt iuxta potentiam naturalem, sed ex istis possibilibus ea tantùm cognoscit per hanc scientiam, quæ possunt deduci ex rebus creatis, 326. IV. V

Intellectus animæ Christi à primo instanti conceptionis Christi clarè & intuitiuè vidit diuinam essentiam, 292. VIII. 293. I. II. *& seqq.*

Intellectus animæ Christi qui differt ab intellectu humano & angelico, 308. V

præter species infusas per se, per quas Intellectus animæ Christi Domini intelligit obiecta scientiæ per se infusæ datur aliquod lumen permanens in intellectu animæ Christi per quod eleuatur & corroboratur ad formandum assensum, & iudicium ferendum circa obiecta huius scientiæ, 308. VII. VIII

Intellectus duobus modis potest assentiri Conclusioni, 578

Intellectus vt est donum Spiritus sancti quid, 257. IV

Interpretatio.

Interpretatio sermonum quid, 262. I

Instans.

Instans temporis in quo forma sanguinis fuit expulsa, & anima rationalis introducta in Incar-

natione potest diuidi in tria instantia naturæ, 199. v

Instans temporis diuiditur in plura instantia naturæ, 465. III.IV

Sanctus Ioannes Baptista.

S. Ioannes Baptista dicitur plusquam Propheta, & intelligitur, 262. VI. VII

Ira.

Ira fuit in Christo Domino, 397. V

Iudæi.

Iudæi fuerunt idololatræ cùm adorarunt vitulum & non Deum in vitulo, 573. VI.VII

Iudæi & Ethnici vnam tantùm personam esse in Deo imaginantur, 155. VI

Ius.

Ius triplex, 287. II.III.IV

Iustificatio.

Iustificationis adultorum, & assumptionis humanæ naturæ ad subsistentiam Verbi diuini discrimen, quale, 211. V.VI

Iustinianus.

Iustinianus suo decreto stabiliuit corpus non fuisse verè & propriè passibile, & cum sensu doloris vulnerabile, 370. VII

Iustitia.

Iustitiæ propriè dictæ actus proprius quis, 52. III

Iustitia in vniuersum quotuplex, 55. III, IV

Iustitia commutatiua ex qua Christus strictè satisfecit Deo pro nobis est supernaturalis & infusa, 56. V

Iustitia commutatiua Christi est vnius & eiusdem speciei cum ea iustitia ex qua homo constitutus in gratia sanctificante, complacet in eo, quod satisfiat Deo ad æqualitatem, 56. VII.VIII

Iustitia qua de facto Christus satisfecit Deo est distincta specie, quâ homo in gratia sanctificante constitutus resarcit quantum potest diuinum ius læsum, & illud quantum potest seruat illæsum, 57. IV

Iustitia qua Christus satisfecit Deo non solùm fuit extrinsecè infinita, sed etiam intrinsecè, 58. III

Iustitia originalis fuit primum beneficium à Deo primis parentibus intentum, 62. IV

Iuuare.

Iuuare hominem, vt promptissimè operetur ex virtutibus Theologicis, est solummodo accidentarium, non essentiale, 259. IV

L

Lachryma

LACHRYMÆ non sunt immediatè assumptæ à Verbo diuino, 187. III

Lamina.

Lamina quæ erat in mitra Sacerdotis quare vocatur lamina sacræ venerationis, 570. VII

Latria.

Latria non est quid minus ipsa dulia, 548. VIII. 549. I

Latria differt à dulia specificè, dulia verò & hyperdulia accidentariò, 550. V.VI. *& seqq.*

Latriæ cultus est debitus vi solius hypostaticæ vnionis ad personalitatem Verbi, 288. V. VI. *&* VII

Laus.

Laus in quonam consistit, 541. V.VI

Leprosus.

Leprosus solo tactu fuit sanatus à Christo physica & reali efficientia, 365. VII.VIII

Lex.

Lex quid, 492. VII.VIII

Libertas.

Libertas voluntatis duplex, 439. I.II III

Libertas humanæ voluntatis Christi non est tantùm libertas à coactione, sed etiam à necessitate, 439. III. IV.V. *& seqq.*

Libertas ea contrarietatis quæ est in nobis ad faciendum malum, reiecto bono, non fuit in Christo Domino, 439. VII.VIII

Libertas consistit in indifferentia ad agendum vel non agendum, positis omnibus ex parte principij ad agendum, prærequisitis, 440. IV

Libertas humanæ voluntatis Christi in actiua indifferentia voluntatis ad obiecta opposita consistit, 443. II. III. *& seqq.*

Libertas comparatur discursui, *ibid.* VII.VIII

Libertas arbitrij est maior in Angelis quàm in nobis, 444. I.II

Liberalitas.

Liberalitatis proprium est ita dare, vt qui dat ordinet bonum in bonum finem, & præparet opportunitates, seu occasiones ad bene vtendum illo, 6. V

Lumen.

Lumen scientiæ duobus modis sumitur, 306. V. VI

Lumen aliquod infusum, sumptum pro qualitate solummodò manifestante obiectum datur intellectui animæ Christi, præter species sese tenentes, & ex parte obiectorum scientiæ per se infusæ, & præter habitum corroborantem illum ad ferendum iudicium de eiusmodi obiectis per tales species repræsentatis, 306. VI. VII. VIII

Lumen est distinctum à scientiâ infusâ per se, 309. VIII. 310. I. II. *& seqq.*

Lumen scientiæ per se infusæ, est vnum tantùm numero, seu habitus huius scientiæ infusæ per se animæ Christi, est tantùm numero vnus habitus, vna simplex qualitas eleuans, & corroborans intellectum animæ Christi, vt sit potens & expeditus in actu primo, cognoscere omnia obiecta huius scientiæ, 311. VI. VII

Lumen gloriæ duobus modis considerari potest in ordine ad Deum, 339. VIII

Lutherus.

Lutherus approbat Imagines collocari in Templis, 567. VII

Lutherani censent beatam Virginem non fuisse immunem ab omni peccato actuali, 588. VII. VIII

Lutheranorum Vbiquistarum hæresis, dicentium omnipotentiam diuinam fuisse communicatam humanitati assumptæ à Verbo, vi vnionis hypostaticæ, 358. II

M

Magnificentia.

MAGNIFICENTIA fuit in Christo secundùm actum exteriorem, 256. III

Magnificentiæ actus duplex, 256. II.III

Malitia.

Malitia peccati mortalis est infinita tantùm secundum quid, 32. VI

Malitia in peccato mortali, est duplex, 54. I. II. III

Manichæi.

Manichæi dicti, à Mane, qui censuit corpus Christi fuisse solummodò phantasticum, 178. VIII

Marcion.

Marcion dixit corpus Christi fuisse solummodò phantasticum, 178. VIII

Materia.

Materia habet inclinationem naturalem per modum desiderij ad omnes, & quaslibet formas naturales, 107. II

Mater. Maternitas.

Mater Christi est adoranda, 584. III. IV

Maternitas in beatissima Virgine duobus modis considerari potest, *ibid.* 584

Maternitatis titulus an maior titulo gratiæ in B. Virgine, 585. VIII

Medium.

Medium omne est aliqua ratione priùs eo, ad quod est medium, 196. IV

Medium quotuplex, *ibid.* IV. V. VI. 208. II

Medium duplex, 125. II

Medium morale duplex, 211. VIII

Melchisedech.

Melchisedech fuit figura Christi Domini,

Membrum.

Membrum quî distinguitur à capite, 266. IV. V. VI

Membrum Christi potest quis esse, duobus modis, 266. VIII

Mens.

Mens & intellectus possunt sumi duobus modis, 187. VIII

Mensura.

Mensura non semper est prior ipso mensurato, ordine executionis, & existentiæ, 214. II

Meritum.

Meritum duplex, 215. II

Merita mortificata reuiuiscunt, 218. IV

esse principium Meriti, & concomitari principium meriti distinguuntur, 218. IV

Meritum duobus modis sumitur, 219. III. IV

Mereri siue de condigno, siue de congruo, gradum illum perfectionis & sanctitatis, quo quis efficitur conueniens alicui dignitati, & promereri siue de condigno siue de congruo dignitatem illam distinguuntur, 219. IV. V

Meritum B. Virginis longè excedit meritum quorumcumque Patrum veteris Testamenti, 221. IV. V. VI

Meritum fidei esse in aliquo, & obedientiam ad assentiendum ijs, quæ fide creduntur à nobis esse in aliquo differunt, 250. V. VI

Meriti ratio in opere & modo, quo procedit à voluntate, consistit, 38. VII

Meritum & præmium sunt correlata, 21. I. 30. VII

Meritum quâ ratione dicitur conuenire personæ Verbi,

in Merito, & satisfactione Christi Domini duo distinguuntur, 28. VII

Meritum Christi secundùm totam suam condignitatem, est simpliciter infinitum in genere meriti, 30. III

Merita Christi duobus modis considerari possunt: vel secundùm valorem, vel secundùm applicationem, 31. VII

Mereri nemo potest, loquendo propriè, id quod est sibi debitum ex naturali quadam consecratione, 465. IV

Meritum boni operis inter alia à duobus dependet, 467. V. VI

Meritorium esse, & esse idoneum ad merendum differunt, 487. VII.

Meritum Christi, & eius applicatio differunt, 488. IV. V

ante Incarnationem Verbi efficax applicatio Meritorum Christi, facta fuit per aliquem actum creatæ eius voluntatis, tunc in foia præuisione Dei existentem: post peractum verò Incarnationis mysterium, facta fuit per aliquem actum de nouo elicitum ab illo vt homine, 490. IV. V. VI. & *seqq.*

Merces.

vt Merces, & præmium dicantur fieri per meritum, moralis sufficit efficientia, 462. VI. VII

Merces non est merentis, vt merens est illam, quo modo intelligitur, 462. VIII

S. Michaël.

S. Michaël, licèt totius Ecclesiæ defensor, in peculiari cura habuit aliquem locum propè Byzantium, & montem Garganum, 565. VIII

Miraculum.

potestas faciendi Miracula supernaturalis, seu propriè dicta, fuit communicata humanitati Christi, 360. IV. V. VI. & *seqq.*

Missio.

Missio inuisibilis Spiritus sancti per gratiam, non præsupponit visibilem missionem filij, 213. VII

Missio duplex, *ibid.* VI. VII

Missio alicuius personæ diuinæ, quid, 162. II

Mixtio.

Mixtio est tantùm inter res corporeas, quæ mutuò agunt & patiuntur, 77. III

Modus.

Modus aliquis potest dici, & esse accommodatus & connaturalis animæ Christi pro duplici statu, quem possumus considerare in illa, duobus modis, 323. III. IV

Modus operandi seu intelligendi animæ, sequitur modum eius existendi, 348. IV

Modus cognoscendi, duplex, 349. V. VI

Modus connaturalis intelligendi animæ inclusæ in corpore, est intelligere per conuersionem ad phantasmata necessariò, quando est illi subiecta, 356 VIII

Modus perfectior habendi scientias, est illas habere potiùs per infusionem ab alio, quàm à seipso per acquisitionem, 357. II

Modus modi non datur, quomodò intelligitur, 205. I. II

Modorum proprium quodnam est, 205. III

Modus perfectior accipiendi aliquod bonum à Deo, potest considerari duobus modis, 463. VII

Modus substantialis vnioris humanitatis cum Verbo, est medium consideratum in ratione termini formalis, 115. II. III

Modus iste partim est corporeus, partim spiritalis, 116. I. II

Modis omnibus est commune vnirì seipsis, nec postulare alios modos ad sui vnitionem: & vnde id prouenit, 125. IV

Modi sunt in duplici differentia, 99. I. II

plures Modi existendi in se, non sunt sibi inuicem oppositi, ita plures modi existendi in alio, 177. VIII. 178. I. II

Momentum.

Momentum sumitur pro breuissimâ temporis morâ, 194

Monothelitæ.

Monothelitæ dicebant vnicam esse in Christo voluntatem, 434. I. II. & *seqq.* & volitionem seu directionem voluntatis diuinæ vt in actu

exercito spectatam vocabant, operationem θεοδρικὴν Dei-virilem, ibid. vi

Moses.

Mosis corpus cur fuit absconditum, 587. ii

Motio.

Motio duplex potest distingui; vt Verbum non magis moueat humanitatem, quàm persona Patris aut Spiritus sancti, 387. vii. viii

verus Motus localis non datur in instanti, 192. iv

Mutatio

Mutationis ratio, in quo consistit, 100. i

Mysterium.

Mysterium Incarnationis, vnde dicitur singulare, & mirabile à sanctis Patribus, 147. iv. v. vi

Mysteria fidei nullâ ratione naturali positiuè demonstrari possunt, 1. vi

Mysterium Incarnationis latuit Angelos & homines, secundùm vim suam naturalem cognoscendi spectatos, 2. i

Mysterium Incarnationis non est aliquid per se, & naturâ suâ indecorum, 73. i. ii

Mysterium Incarnationis, est matrimonium spirituale inter Deum & naturam humanam, 191. vii

N

Natura.

NATVRA Angelica est assumptibilis ab aliquâ diuinâ personâ, 167. iii. iv. v

Natura Angelica, potest assumi duobus modis à Deo, 167. vi. vii

Natura irrationalis, est capax vnionis hypostaticæ, non autem visionis beatificæ, 169. iii. iv

Natura aliqua infecta peccato, si hypostaticè assumeretur, statim sanctificaretur, 169. viii

Natura irrationalis, vnita hypostaticè alicui ex personis diuinis, nullam in illa efficit indignitatem, 170. ii. iii. iv

Natura humana, abstracta ab omnibus suis indiuiduis, non fuit assumpta à Filio Dei, 175. viii

Natura diuina vt mediatè vnita humanitati, illam etiam mediatè sanctificat, 230. i. ii. & seqq.

Natura diuina, sanctificando humanitatem, quî differt ab Angelicâ, eam etiam sanctificando per gratiam habitualem, ibid. v

Natura diuina, cur non est incarnata humanitati, sed tantùm hypostasis Verbi, 83. iii. iv

Natura diuina, est propriè vnita humanitati, licèt non propriè incarnata, 153. iii. iv

Natura diuina, vt condistincta tam à subsistentiâ absolutâ, si detur, quàm à relatiuis subsistentiis, tribus modis potest considerari, 157. ii

Natura diuina, vt præscindit ab absolutâ suâ existentiâ non potest assumere aliquam substantiam creatam, & illam terminare seipsâ, ibid. vii. nec vt per absolutam existentiam actuata, ibid. viii. 158. i. i.

Naturæ diuinæ infinitas, in eo consistit; quod habeat omnem plenitudinem essendi, non autem quòd sit formaliter omne, & quodlibet ens, vel possit esse, 158. viii

Natura creata; licèt amplissimè, & perfectissimè terminata per vnam personam diuinam, adhuc tamen manet terminabilis per alienas subsistentias, 163. vi. vii

Natura diuina non fuit conuersa per vnionem in humanam, nec humana in diuinam, 76. v. vi. & seqq.

Natura in Christo duplex, 496. vii

Naturam diuinam in ratione virtutis actiuæ vniri immediatè humanitati non repugnat, 358.

vna Natura sumpta in concreto, prædicatur de aliâ similiter in concreto, 408. iv. v. & seqq.

vna Natura non potest prædicari de aliâ etiam in concreto denominatiuè, seu per modum nomicis adiectiui, 410. iii

Natura humana vt in Christo, potest duobus modis considerari vt vnita est Verbo, 497. v

Naturale quid, 477. vi. vii

Naturales qualitates possunt spectari dupliciter, 248. ii

Necessarium.

Necessarium duobus modis sumitur, simpliciter seu absolutè & secundùm quid, 4. vi

Necessitas in Deo, & Christo duplex: vna antecedens, altera consequens, 49. i

Necessarium duplex, 497. vi

Negare.

Negare aliquid, & eius non meminisse, inter se distinguuntur, 475. viii

Nestorius.

Nestorij error, qui admittendo duas in Christo personas, vnicuique illarum suam distinctam adorationem tribuebat, 553. viii. 554. iii

Nestorij hæresis insignis circa Verbi Incarnationem, & eius vnionem ad humanitatem, 78 vii. viii. 79. i. ii. & seqq. illius refutatio, ibid.

Nescientia.

Nescientia quî differt ab ignorantiâ, 301. ii

Nomen.

Nominum substantiuorum qualis conditio, 78. iv

O

Obiectum.

vt OBIECTVM, & scientia sint eiusdem ordinis, quid requiritur, 326. vii

Obiecta, dum actu existunt, cognoscuntur intuitiuè per scientiam infusam per se ab anima Christi, & quando non existunt abstractiuè tantùm, 335. iv. v

Obligatio.

Obligatio ad culpam non est de essentiâ legis purè pœnalis, 441. iii

Obligationes ad reddendum aliquid, sunt in duplici differentia, 10. vi

Occisio.

in Occisione duo distinguuntur, 507. iii. iv

Omnipotentia.

Omnipotentia, quæ est in anima Christi est tantùm instrumentaria, & dependet à Deo tanquam à causâ principali, 498. iv

Omnipotentiæ diuinæ proprium, est posse creare, 359. i

Opera, operari, operatio.

Opera Christi Domini magis placent Deo, quàm displiceant ei omnia omnium peccata; licèt sint in maiori numero, & cur, 33. iii. iv. v

Operari ex habitu, est perfectiùs quàm sine habitu, 52. viii

Opera bona per peccatum mortificata, reuiui-

scunt vi pœnitentiæ, 62. VII
Operum bonorum reuiuiſcentia, duobus modis ſpectari poteſt, 63. VI
Opus meritorium habet (præter valorem, qui oritur ex parte obiecti) aliquem alium ex dignitate perſonæ ſatisfacientis, 13. V
Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, 150. II. III
Operari ſequitur eſſe, quomodo intelligitur, 169. IV
Operatio poteſt dici vna, vel duplex, duobus modis, 448. II
duæ ſunt operationes in Chriſto, quemadmodum duæ ſunt naturæ, vna operatio humana, altera diuina, 448. III
vnica Operatio humana fuit in Chriſto, conſiderando operationem illam per comparationem ad principium morale, à quo actiones eius humanæ eliciebantur, vel imperabantur, vel cui ſubijciebantur, *ibid.* IV
multæ fuerunt Operationes, & non vna tantùm, aut duæ in Chriſto, ſi agatur de multiplicitate operationum ſpectatâ penes rationes ſuas genericas, ſpecificas, & indiuiduas, *ibid.* VI
Operis meritorij ad præmium, proportio duplex, 239. III
Opera virtutum appellantur nomine virtutum, 246. II. III
vt Opus aliquod ſit miraculoſum, tria requiruntur, 360. II. III
Opus miraculoſum à Chriſto factum eſt vtriuſq; naturæ, diuinæ vt cauſæ principalis, humanitatis tanquam organi ſeu inſtrumenti, 367. VIII. 368. I. II. *&c.*

Oratio.

Orandi duplex modus, 496. VII. & triplex, 499. II. III
Oratio quid, 496. VIII
Oratio vt fiat ex neceſſitate, & indigentiâ quid requiritur, 498. V
Oratio conuenit Sacerdotibus ex proprio eorum munere, ſicut & conuenit omnibus orare: ſacrificare autem non conuenit ſolummodò Sacerdotibus purè ſimpliciter abſolutè, & abſtrahendo à iure poſitiuo, 518. IV. V
Orationis neceſſitas, in quo fundatur, 502. I. II
an Oratio Chriſti fuerit ſemper exaudita, 504. I. II

Ordo.

Ordo naturæ duplex in aſſumptione humanitatis à Verbo, 197. VII
Ordo intentionis, & executionis vti ſe habent ad ſe inuicem, 198. IV. & vti differunt, 214. II

Organiſatio.

Organiſationem, ſeu omnium membrorum formationem fieri in inſtanti, duobus modis intelligi poteſt, 192. III
in Organiſatione alicuius corporis, duplex modus diſtingui poteſt, 195. VIII
Organiſatio fit per condenſationem & rarefactionem, 196

Origenes.

Origenes exiſtimauit animam Chriſti Domini fuiſſe creatam ab initio mundi, & aliquamdiu pòſt merito ſingularis ſuæ dilectionis, erga Deum, fuiſſe aſſumptam à Verbo diuino, tandem poſt aliquot annorum millia fuiſſe vnitam corpori, ſicque Verbum diuinum priùs tempore aſſumpſiſſe animam quàm corpus, 189. III

P

Pactum.

PACTVM fuit inter Deum, & Chriſtum de acceptandâ eius ſatisfactione pro nobis, 45. III. IV. *& ſeqq.*
Pactum inter Deum & Chriſtum, Deum-hominem pro ſatisfactione generis humani, duobus modis conſiderari poteſt, 47. III. IV
Pactum inter contrahentes duplex, 48. IV
Pactum in ſatisfactione Chriſti Domini nullo modo minuit rationem ſtrictæ iuſtitiæ, 49. IV. V
Pactum in ſatisfactione duplex, extrinſecum & intrinſecum, & quomodo inter ſe differunt, II. III. IV. 49. V

Pars.

Pars vt pars propriè ſumpta, eſt aliquid intrinſecè incompletum, 110. IV
Pars quatenus cum ſimili aliâ comparte, componit, vel integrat vnam totalem ſubſiſtentiam totalis naturæ, non poteſt aſſumi hypoſtaticè, 171. II. III
Pars vna ſiue eſſentialis, ſiue ſubſtantialis, ſiue integrans, ſumpto nomine ſubſiſtentiæ ſecundùm propriam, & præciſam ſuam rationem, non poteſt aſſumi hypoſtaticè ab aliquâ ex perſonis diuinis, toto non aſſumpto, ſeu non aſſumptis aliis partibus ipſum totum componentibus, ſiue exiſtant in compoſito, ſiue ſint extra illud, 170. VII
Pars vna ſiue eſſentialis, ſiue ſubſtantialis, ſiue integrans ſumpto nomine ſubſiſtentiæ minùs propriè pro ſubſtantiali modo, quo pars aliqua naturæ redditur apta conſtituere ſubſtantiam completam, poteſt aſſumi hypoſtaticè abſque eo quòd aliæ eius compartes aſſumantur, *ibid.* VIII. 171. I. II. III

Paſſio.

Paſſio facta in humana natura, nullo modo immutat perſonalitatem Verbi, 373. II
Pati, & dolere, ſunt pœnæ peccati tantùm per accidens, 373. III
Paſſio, & mors Chriſti Domini duobus modis conſideratur, 218. VII. VIII
Paſſionis nomine quid intelligitur, 395. VII
Paſſiones fuerunt in Chriſto Domino, 395. VII. VIII
Paſſiones, licèt ſpectatæ ſecundùm ſuam naturam, & entitatem, fuerint eiuſdem rationis in Chriſto Domino ac in nobis; attamen ſpectatæ tam quoad obiectum, quàm quoad effectum fuerunt aliter in eo quàm in nobis, 395. VIII. 396. I. II. III. *& ſeqq.*
Paſſiones, quas Philoſophi reponunt in appetitu concupiſcibili, fuerunt in Chriſto Domino, 396. VII. VIII
Paſſiones à Philoſophis & Theologis communiter admiſſæ in appetitu iraſcibili, fuerunt in Chriſto Domino, 397. III. IV. *& ſeqq.*

Pater.

Pater in diuinis ſi incarnatus eſſet, non poſſet dici propriè miſſus, & quare, 166. II
Patres veteris Teſtamenti, fuerunt filij adoptiui Dei, 530. II. III
Patres antiqui non meruerunt de condigno ipſam Incarnationem, nec eius executionem, 215. IV. V
Patres veteris Teſtamenti, vel aliquæ aliæ puræ

creaturæ, siue haberent gratiam fundatam in meritis Christi, siue sine illis eam haberent, non potuerunt mereri de condigno incarnationem, nec eius executionem, *ibid.* VII. VIII

Patres veteris Testamenti non meruerunt de congruo ipsam Incarnationem, nec eius executionem, 216. II. III. *& seqq.* neque de condigno, neque de congruo meruerunt etiam circumstantias Incarnationis per se, & necessariò requisitas, siue illæ spectentur secundùm executionem, siue secundùm intentionem, 217. IV. V. VI

Patres antiqui meruerunt de congruo eas circumstantias, quæ per accidens & non necessariò requiruntur in Incarnatione, 217. VIII. 218. I. II

Patres antiqui non meruerunt de congruo passionem, & mortem Christi Domini, 218. VI. VII

Patropassiani.

Patropassianorum hæresis quæ, 101. III

Peccatum.

Peccatum Adæ non tantùm fuit inobedientiæ & intemperantiæ, sed etiam iniustitiæ erga Deum, 55. II

Peccatum Adæ quâ ratione dicitur necessarium, 70. I. II

Peccatum originale quâ ratione maius, & minus actuali, 74. II

si Peccatum originale solùm fuisset, Christus venisset in carne passibili ad redimendum genus humanum, *ibid.* III

Peccatum veniale, licet leuissimum, non potuit committi ab humanitate vt vnita Verbo diuino, 385. III. IV. *& seqq.*

Peccatum vel est originale, vel actuale, vel habituale, remanens *post* actuale commissum, 376. VI. VII

Peccatum sumitur pro reatu, & pœna peccati, 377. II. III

Perfectus.

Perfectus in subsistentia non est formaliter pura negatio, V. VI

Persona.

Persona quid, 92. V

Persona infinita ad satisfaciendum Deo pro peccato mortali, duobus modis intelligi debet, 17. V. VI

Personam aliquam diuinam vniri alicui creaturæ rationali hypostaticè fuit necessarium absolutè, 19. IV

Personalitas ad aliquam actionem satisfactoriam, duobus modis se habere potest, 20. II. III

Persona Christi dat valorem suo actui meritorio, & satisfactorio ob dignitatem suam, 20. VIII. 21. I. II

Personalis dignitas duplex, substantialis, & accidentalis, 21. IV

Persona Verbi quomodo dicitur subiectionis seruitutis, & meriti capax, 27. III

Persona Christi duobus modis considerari potest, 109. II. III

Persona diuina in Christo spectata secundùm munus quod exercet, est virtute duplex, 109. IV. 113. VI. VII

Persona Christi quatenus includit subsistentiam Verbi diuini, & ipsam humanitatem, est verè & propriè composita, & hic homo Christus tanquam huius compositionis terminus resultans, existit propriè compositus, 109. VI. VII.

Persona Christi ve-reipsa includit subsistentiam Verbi, & humanitatem, non est composita compositione ex partibus propriè dicta, sed compositione aliquamodò ad modum numeti,

Personam Christi D. esse compositam non est de fide, neque emerarium id negare, III. II

Personalitas Verbi diuini nullo alio ei addito, quo significetur sustentare actu naturam humanam Christi, non potest dici persona humana, III. V. & alioquo sensu potest dici, *ibid.* VI

esse Personale Christi, duobus modis consideratur, 112. VIII

Personæ diuinæ sunt quid vnum in essentiâ diuinâ, non per aliquam vnionem, sed verè & propriè per identitatem, 113. VI

Persona diuinæ Patris & Spiritus sancti, licèt nullam habeant vnionem etiam mediatam cum humanitate assumptâ à Verbo; nihilominus ex vi huius vnionis sunt triplici titulo in Christo Domino, 153. VIII. 154. I. II

in Persona Verbi duo sunt consideranda, & quæ, 150. II. III

Persona diuina vna, vel quælibet potest assumere naturam creatam, sine alia persona, 159. VI. VII

Personam assumere aliquam naturam quid, 141.

Persona creata potest virtute diuinâ alienam substantiam sustentare mediante propriâ suâ naturâ; ita vt aliena substantia vntatur immediatè propriæ substantiæ, à cuius subsistentiâ terminetur, & sustentetur mediatè, 148. III. IV. V. *& seqq.*

Personæ diuinæ constant essentiâ diuinâ tanquam aliquo communi, & suis proprietatibus personalibus tanquam ratione constitutiuâ, & distinctiuâ illarum, 149. VI

Persona alteri satisfaciens, non tantùm suam actionem, sed & seipsum submittit in obsequium ei, cui satisfacit, 13. V

Persona satisfaciens est pars aliqua intrinseca satisfactionis, & quomodo, 13. VI

Persona Verbi diuini non terminat naturam humanam per aliquid absolutum, & essentiale, scilicet per absolutam & communem subsistentiam, contra Durandum, 149. VII

Personæ diuinæ simul sumptæ quomodo non sint maius bonum quàm sit vnica, 30. I

si plures Personæ diuinæ assumerent naturam humanam, essent vnus homo, 164. V

vna Persona diuina potest assumere duas naturas, vel etiam plures, 164. VIII. 165. I. II

Personalitas increata duas habet habitudines, vnam ad propriam suam naturam, aliam ad alienam. 165. III. IV

vna Persona diuina potest assumere plures naturas diuersæ rationis, exempli gratia corpus viuum, & cadauer, 165. VII. VIII. immò etiam si proprietates vnius naturæ attribuerentur alteri prout enunciantur in concreto, 166. I. II. tamen non ita inter se coniungerentur sicut vniuntur cum diuina natura, *ibid.* III

vna Persona diuina assumens plures humanitates, esset vnus homo, 166. IV. V

vna Persona diuina potest assumere perfectam creaturam irrationalem, siue sensibilem, siue sensus expertem assumptibilitate secundùm puram obedientialem potentiam præcisè consideratam, 168. II. III. IV. *& seqq.*

Personalitas Verbi vt condistincta virtualiter ab essentiâ diuinâ, sanctificat humanitatem Christi, 216. VIII. 217. I. II. *& seqq.* & 218. I. II. III

Personalitas quælibet diuina, quo sensu dicitur sancta, 229. III
Personalitas Verbi diuini secundùm quod importat aliquod esse diuinum personale in suo conceptu præciso, ipsâ sui communicatione factâ humanitati assumptæ, illam sanctificat, 229. VIII
Personalitas nullo modo est efficienter actiua, 223. VI
si plures Personæ assumerent vnam numero naturam, essent tot vniones, quot personalitates communicarentur isti vni & eidem naturæ, 162. VI. VIII
Personæ diuinæ assumendo vnam, & eandem naturam humanam, non sese mutuò impediunt 162. VI. VII
vna Persona fuit tantùm in Christo, 79. VIII
& est ipsa diuina Persona Verbi, 80. IV
plures Personæ diuinæ possunt tam successiuè quàm simul, assumere vnam & eandem numero substantiam creatam, 160. IV
Personæ diuinæ non excludunt sese mutuò ab aliquo absoluto, 160. VIII
Personalitas diuina non potest cognosci intuitiuè & quidditatiuè sine aliâ, & quare, 159. VIII
si quælibet Persona diuina incarnaretur, quodnam esset discrimen, 160. II
Personalitas creata non est immediatè assumptibilis, 176. VII
Personalitas, propriè loquendo, non vnitur humanitati Christi per modum alicuius actus secundi, 282. IV. V. VI. &c.
Personalitas Patris, & Spiritus sancti identificantur cum diuinâ essentiâ, non tamen dicuntur esse vnitæ mediatè humanitati, sed ipsa tantùm diuina natura, 153. V. VI. VII
Personalitas Verbo diuino subiectiuè & possessiuè propria, nullo modo subest dominio Patris diuini, & quare, 38. III

Plenitudo.

Plenitudo gratiæ dupliciter sumitur in scripturis, 239. V. VI
Plenitudo gratiæ duplex ex S. Thoma, *ibid.* VII
Plenitudo gratiæ ex parte subiecti, duplex, 241. VI. VII
Plenitudo gratiæ in Sanctis vna est aliâ maior & amplior, *ibid.* VIII. 242. I

Potentia.

Potentia obedientialis non pura quî differt à purâ, 174. V
Potentia obedientialis quasi passiua, quæ reperitur in subitantiâ creatâ, vt per alienam subsistentiam terminetur est solummodò non pura, 174. II. IV. V. nec aliquid ei debet superaddi, *ibid.* VI
Potentia obedientialis humanitatis vt terminetur hypostaticè ab aliquâ personâ diuinâ tam est respectu vnius personæ quàm aliarum, & econtra, 161. II. III

Præceptum.

Præcepta tam diuina quàm humana absolutè & simpliciter facta obligant tantùm ad illum interiorem actum, & illas circumstantias, quæ sufficiunt ad ponendum id quod per modum substantiæ exprimitur eiusmodi præceptis & legibus, 445. II. III. IV
Præceptum negatiuum semper, pro semper, & ad semper obligat, 54. IV
Præceptum de morte subeundâ pro toto genere humano fuit impositum Christo dependenter à liberâ eius acceptatione, sicque executio illius ei tantùm necessaria ex aliqua suppositione liberè per eum posita, 441. IV

Prædestinatio.

in prædestinatione tria considerantur, 535. V. VI
Prædestinatio quid, 535. VII
Prædestinatio est primò & principaliter circa bonum vltimum, 536. III
Prædestinatio propriè importat ordinationem obiecti ad donum aliquod gratiæ sibi collatum, quo perficiatur, 539. II

Prædicatum.

Prædicata quæ non dicuntur præcisè de solâ naturâ humanâ vel solâ diuinâ, sed tantùm dicuntur de Christo quatenus est verus Deus, & simul verus homo, non dicuntur de Christo Domino cum reduplicatione termini tantùm humani, vel termini tantùm diuini, sed vtriusque simul, 413. VIII. 414. I. II. III
Prædicata illa esse meriti infiniti, esse mediatorem, esse redemptorem, possunt rectè tribui Christo vt homini sumptâ hac particulâ *vt*, vel simili specificatiuè, non autem Christo vt Deo, 414. IV. V. VI.
Prædicata essentialia hominis, sunt in duplici differentia, 424. V. VI. &c.
nullum Prædicatum proprium naturæ humanæ sumptum etiam in concreto, potest attribui Christo Domino cum reduplicatione deitatis; nullum item prædicatum proprium naturæ diuinæ sumptum etiam in concreto, potest attribui Christo Domino cum reduplicatione humanitatis, seu alicuius attributi naturæ humanæ, 412. IV. V. VI

Præmium.

Præmium adæquatum meriti Christi Domini secundùm totam suam condignitatem consideratum, potest spectari duobus modis, 30. I
Præmium, & meritum sunt correlata, 21. I
vt Præmium, & merces dicantur fieri per meritum, sufficit moralis efficientia, 462. VI. VII

Præmonstratensis.

Præmonstratensis quidam apostata asseruit Christum desperasse, cùm in cruce pendens diceret, *Deus, Deus meus quare dereliquisti me*, & hoc nomine condemnatum, 376. II. III

Principium.

Principium rerum omnium, est vnum, 180. VIII
Principium morale impeccabilitatis, & principium formale, & effectiuum, inter se differunt, 379. III. IV

Prioritas.

Prioritatum variæ species, 189. II

Priscillianistæ.

Priscillianistæ dicti à Priscilliano, dicente Christum Dominum habuisse solummodò corpus phantasticum, 179. I

Prophetia.

Prophetia fuit in Christo, 262. II. III
Propheta est actu, vel potentiâ membrum Ecclesiæ militantis, 262. V. VI
Prophetiæ actus post fidem mundi nullus, & quare, 262. VII

Proprietates.

Proprietates vnius naturæ non prædicantur de aliâ naturâ sumptâ in abstracto, nec vna natura sumpta in abstracto prædicatur de alterâ, etiam sumpta in abstracto, neque attributum diuinitatis in concreto, dicitur de humanitate sumptâ in abstracto, 407. IV. V. VI
Proprietates vnius naturæ sumptæ in concreto, prædicantur de proprietatibus alterius naturæ

sumptæ etiam in concreto, 408. IV.V. & seqq.

Q

Qualitates.

QVALITATES naturales possunt spectari dupliciter, 248. II

Quatenus.

Quæenus, in quantum, & similes notæ duobus modis sumuntur, 412. II.III

R

Radix.

RADIX impossibilitatis, quid differt à radice indecentiæ, 170. III.IV

Redemptio.

Redemptio nostra per humanitatem instrumentaliter causata, quid differt à beneficio creationis, 555. VI.VII

Redemptio nostra, cur speciali titulo tribuitur passioni & morti Christi Domini, 29. V

Relatio.

datur Relatio realis humanitatis ad Verbum: Verbi autem ad humanitatem sibi inexistentem relatio est tantùm rationis, 127. IV.V. huius relationis proximum fundamentum, est modus substantialis vnionis humanitatis, cum Verbo, *ibid.* III.

Relationes diuinæ non sunt aliquæ formæ informantes, sed sunt substantiales, nec faciunt referre diuinam naturam, sed solummodò suppositum illud, quod constituunt, 152. VIII

Relatiuum potest supplere aliquod absolutum, quando conuenit cum illo pœnes aliquod munus exercendum, 153. I.II

Relationes in duplici differentia, secundum Scotum, 122. III.IV

Reliquiæ.

Reliquiarum nomine quid intelligitur, 586. II

Reliquiæ Sanctorum sunt adorandæ, *ibid.* III. IV. & seqq.

Reliquiæ possunt circumferri collo, *ibid.* VIII

Reliquiæ sunt adorandæ cultu respectiuo propter Sanctos, 587. I

de exhibendo cultu Reliquiis Sanctorum, non est præceptum positiuum, sed negatiuũ, 587. III

Reliquiæ, quæ exponuntur populo, prius sunt graui testimonio diligenter recognitæ pro veris Reliquiis Sanctorum, 587. VII.VIII

Reprobi.

Reprobi quamdiu sunt in gratia, sunt verè Filij adoptiui Dei, 530. I

Repugnare.

Repugnare aliquid hypostasi, & aliquid repugnare naturæ alienæ inter se differunt, 379. V.VI

Res.

Res quælibet est capax proprij sui modi, 168. V

Res quæ cognoscuntur per scientiam per se infusam, possunt reuocari ad tria genera, 324. I.II

Res quædam possunt considerari vel in suo fieri, vel in suo esse facto, 509. IV

Res significata per tres species adorationis, scil. latriam, duliam, & hyperduliam datur, 546. VIII. 547. I.II. & seqq.

Res magis perfectæ melius cognoscuntur viâ negationis, quàm viâ affirmationis, 89. V

Res creatæ supernaturales sunt in duplici differentia, 334. VII

Res creatæ supernaturales quoad substantiam, sunt itertùm in duplici genere, *ibid.* VIII

Restitutio.

Restitutio quid differt à satisfactione, 18. VII.VIII. 48. II. III

Restitutio an sit præceptum negatiuum, vel positiuum, 54. IV.V

Reuelatio.

Reuelatio mysterij incarnationis Adæ fuit facta in extasi, 477. II

Reuiuiscentia.

Reuiuiscentia bonorum operum, duobus modis consideratur, 63. VI

S

SACERDOTES cur non adorantur propter contactum Christi, 583. II

Sacerdotalis actio duobus constat partialibus, 508. I. II

Sacerdotis dignitas Christo conuenit & homini, primariò ratione animæ eius, & consequenter toti eius humanitati, seu composito ex anima & corpore inter se vnitis, 508. II. III, & seqq.

Sacerdotium.

Sacerdotium Christi quid differt à Sacerdotio veteris legis, 509. VI. & est sempiternum, *ibid.* 515. III.IV.V. & seqq.

Sacerdotium Christi non fuit Aaronicum, 518. VII. VIII

Sacerdotium Christi fuit perfectius Aaronico, 519. I.II.III

Sacerdotium Christi non fuit Sacerdotium aliquod legis naturę, sed illis omnibus & singulis perfectius, *ibid.* IV.V.VI.VII

Sacerdotium duplex, & quid vtrunque, 504. V

Sacerdotium Christi non eo sensu fuit secundùm ordinem Melchisedech, quòd Christus fuerit ab illo in Sacerdotem institutus, nec quod Christi Sacerdotium fuerit eiusdem omninò rationis cum Sacerdotio Melchisedecis, 520. I. II

Sacerdotium Christi eo tantùm sensu fuit secundùm ordinem Melchisedech, quod excellentia Sacerdotij eius fuit perfectè repræsentata per Sacerdotium Melchisedecis, 420. II.III

Sacerdotij Christi repræsentatio cum Sacerdotio Melchisedecis, in quo consistit, 520. VI. VII. VIII. 521. I. II.

Sacerdotalis dignitas nouæ legis manet in Sacerdotibus, etiam dum illorum animæ sunt separatæ à corporibus, 509. VIII

si Sacerdos nouæ legis mortuus miraculosè resuscitaretur, non opus esset nouâ consecratione in Sacerdotem, 510. I

Sacerdotij dignitas quid differt à dignitate Regis, 510. V. VI

Sacerdotis dignitas non fuit collata Christo, loquendo præcisè per sanctificationem humanitatis eius, per diuinitatem ei mediatè vnitam, vel etiam per vnionem Verbi cum eius humanitate; sed præcisè loquendo per externam Dei voluntatem, quâ deputauit Christum hominem in talem Sacerdotem, eique tantam, & tam speciali modo perfectam Sacerdotij dignitatem contulit, 511. II. III. & seqq. 512. I.II. & seqq. 513. I. II. & seqq.

Sacerdotes nouæ legis quid differant à Leuiticis, 516. I

Sacerdotij & sacrificij Christi effectus vnicus, & adæquatus, non est peccatorum expiatio, 517. III. IV

Sacerdos vt offert sacrificium est inferior eo, cui sacrificat, 505. III
Sacerdotium Christi quî differt ab Aaronico, 506. II. III

Sacrificium.

Sacrificium Christi non fuit duplex, sed habuit duos effectendi modos, vnum incruentè, alterum cruentè, 521. VIII
Sacrificium Christi fuit etiam oblatum pro bonis Angelis, 478. VI
Sacrificium duplex, & quid vtrumque, 504. III. IV
ad Sacrificij propriè dicti rationem quid requiritur, 506. VI
à Sacrificante circa rem sacrificatam fieri realem immutationem, duobus modis intelligi potest, 506. VI
Sacrificia in veteri Lege erant multiplicia, 517. IV
Sacrificium crucis Christus obtulit pro seipso, 517. V.VI.VII
Sacrificium pro postulatione alicuius doni, potest offerri sine intentione placandi Deum, 517. VIII. 518. I.II

Salus.

Salus quot modis sumitur in sacrâ Scripturâ, 69. I. II

Sanctitas.

Sanctitas duplex, vna consistit in gratiâ habituali, altera in intimâ, eâque singulari vnione præsentiâ vel habitudine ad aliquam personam diuinam, 169. VII. 223. VII.VIII
Sanctitas increata quid ex sancto Dionysio, 226. II
Sanctitas humanitatis à naturâ diuinâ vt illi mediatè vnita, non est loquendo propriè formalis, seu à naturâ diuinâ, tanquâm formâ propriè dictâ, 230. VI. VII
Sanctitas increata, quæ est attributum Dei, prout est moralis sanctitas & rectitudo diuinæ voluntatis, non sanctificat formaliter in tali genere sanctitatis humanitatem Christi, 231. III. IV. *& seqq.*
Sanctitas essentialis longè est potentior ad sanctificandum sanctitate participatâ, 230. V

Sancti.

Sanctorum orationes possunt sibi inuicem esse oppositæ, & quare, 30. V

Sanguis.

Sanguis Abel iusti ipsâ sui effusione iniustâ interpretatiuâ tantùm petitione clamat de terra pro vindictâ, eiúsque comparatio cum sanguine Christi, 499. IV
Sanguis est quid inanimatum, 168. VI
Sanguis totus qui fuit in corpore Christi fuit immediatè assumptus à Verbo diuino, 181. IV.V. *& seqq.*
Sanguinis vnica gutta Christi Domini fuit sufficiens pro redemptione generis humani, & quare, 181. V. VI
Sanguis Christi Domini non tantùm habet suum valorem infinitum à persona Christi Domini vt effundentis illum in passione, sed etiam ab ipsâ vnione hypostaticâ, 182. II.III.IV
Sanguinis qualitates sunt humidum, & calidum, 182. VI
Sanguis est pars corporis secundùm Aristotelem, *ibid.* 184. VI
Sanguis erit in corporibus resurgentium, *ibid.*
Sanguis nutrimentalis & perfectè decoctus non differunt, nisi tantùm ac identatiò, 183. II. III
Sanguis Christi pro nobis effusus, vocatur pretium, & eius satisfactio emptio, 51. IV

Sapientia.

Sapientia vt est donum Spiritus sancti, quid, 257. IV. 261. VI. VII

Satisfactio.

Satisfactio Christi Domini est actus iustitiæ commutatiuæ propriè & strictè sumptæ, 55. VIII
in Satisfactione Christi Domini datum fuit plusquàm æquiualens, 32. VI. VII
Satisfactio Christi Domini verè & propriè fuit ex propriis ipsius, 34. III. IV. *&c.*
Satisfactio de rigore iuris duplex, 34. I.II
Satisfacere ex propriis, quid, 34. VIII
Satisfactio Christi fuit ex indebitis, 39. II
Satisfactio Christi facta fuit Deo primariò, & ex consequenti tribus personis quantum ratio iustitiæ postulat, 42. I.II.III
Satisfactio Christi cur vocetur ab Apostolo iustitia, 51. III
Satisfactio Christi Domini vocatur copiosa redemptio, & quare, 32. IV
Satisfactio Christi ad nostra peccata est instar maris immensi ad minimam guttam aquæ, 32. V
Satisfactio duobus modis sumitur, 8. IV. V
Satisfactio latè sumpta, est redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti ex propriis aliàs non debitis, 8.9.10. VI.VII. *&c.*
Satisfactio strictè sumpta est voluntaria redditio honoris & reuerentiæ æquiualentis ex propriis, & aliàs non debitis ad compensandam iniuriam alicui per peccatum illatam, 9. IV
Satisfactio duplex, vna perfecta, altera imperfecta, 11. I
in Satisfactione intercedit duplex pactum extrinsecum & intrinsecum, & quomodo inter se differunt, 11. III.IV. *&c.*
in Satisfactione maximè attenditur conditio personæ satisfacientis, 18. VII
Satisfactio quî differt à restitutione, 18. VII.VIII 48. II.III
Satisfactio Christi Domini plus habuit valoris quàm peccata omnium hominum possint habere malitiæ, 25. II
in Satisfactione & merito Christi Domini duo considerantur, 28. VII

Scient. Scientia.

Sciens quis propriè dicitur, 354. I.II
Scientia infusa per se Christi Domini duobus modis comparari potest cum perfectissimâ scientiâ perfectissimis, Angelis possibilis, 321. I. II. III
vt Scientia & obiectum sint eiusdem ordinis, quid requiritur, 316. VII
Scientia per se infusa animæ Christi Domini non est per se, seu ex suâ propriâ naturâ, discursiuâ, sed per modum simplicis intelligentiæ percipit suum obiectum causas, effectus in causis, principia & conclusiones in illis, essentias rerum, & earum proprietates in illis, 343. VII. VIII. 344. I.II.III.IV
Scientia conditionata non est in Deo, 64. I
Scientia infusa per se quî differt à Beatâ, 354 II. III
Scientia experimentalis in Christo potuit augeri alio & alio experimento superueniente, & quoad manifestationem maiorum operationum, 356. III
Scientia multiplex in Christo, 398. VI
Scientia quid, 261. VII
Scientia per se infusa præter cognitionem beati-

ficam fuit in intellectu animæ Christi, 294. IV. V. VI. & seqq.
Scientia in beatis est duplex, matutina & vespertina, 294. VII
Scientia acquisita duobus modis sumitur, 297. III
Scientia acquisita fuit in animâ Christi adhuc viatoris, ibid. V. VI. VII
Scientiæ naturales seu acquisitæ non habent aliquam oppositionem cum beatitudine supernaturali, 298. II. III
Scientia, quæ naturâ suâ potest acquiri, & respicit ex suâ ratione intrinsecâ solummodò obiecta sensibilia nullam importat imperfectionem ad statum gloriæ, 298. V. VI
Scientia & eius species quoad vsum suum non dependent essentialiter ab ipso concursu phantasmatum, ibid. VII
Scientia acquisita seu naturalis, & scientia per se infusa distinguuntur specie, 299. I
Scientiæ acquisitæ fuerunt in intellectu animæ Christi æquales aliis scientiis, quæ reperiuntur in aliis hominibus quoad perfectionem essentialem: quoad verò perfectionem accidentalem fuerunt perfectiores, 299. III
Scientia experimentalis fuit in Christo Domino, 299. VI. VII. VIII
Scientia in Verbo duplex, vna visionis, alia simplicis intelligentiæ, 302. VI. VII
Scientia in Verbo quî differt à gratiâ, & cur non est infinita, 305. II. III
Scientia infusa per se animæ Christi est habitus per se infusus, & habet vnam rationem communem omnibus suis obiectis secundùm quam attingit illa omnia, & quare, 313. III. IV

Scriptura.

Scriptura est genus quoddam picturæ, 563. III
si Scripturæ non perperam intelligi possent, nulla esset hæresis, 564. VI

Sermo.

Sermonum interpretatio quid, 262. I

Seruitus.

Seruitus quadruplex, 494. IV. V. VI. VII. 495. I. II. III
Serui ratio formalis in quonam consistit, 496. III. IV
Seruitus quî differt ab adoptione, 532. VI. VII

Sessio.

Sessionis Christi ad dexteram Patris nomine, quæ significantur, 559. IV. V. VI

Signum.

Signum quid, & quotuplex, 544. IV
Signum externum quî differt à corporeo, ibid. V

Similitudo.

Similitudo duplex inter Christum, & nos, 67. IV

Spes.

Spes quid, 397. III
Spes fuit in Christo Domino, ibid.

Species.

Species scientiæ per se infusæ, quo sensu dicuntur subiacere libertati animæ Christi, 346. V. VI
Species scientiæ per se infusæ, siue illæ sint multiplices, siue vna tantùm, siue sint obiectorum naturalium, siue supernaturalium, sunt propriè supernaturales quoad suam entitatem, 318. IV
Species scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini sunt in certo & determinato numero, qui tamen numerus nobis est incognitus, 321. VIII 322. I
Species scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini sunt de facto vniuersaliores ipsis speciebus, quibus Angeli cognoscunt res naturales, 322. III. IV. V. & seqq.
quòd vna Species altera vniuersalior dicatur, quid est, 322. II
Species per se infusæ non emanant physicè à beatitudine supernaturali, sed aliquo modo moraliter, 319. I. II. III
Species scientiæ per se infusæ quò sensu dicantur debitæ humanæ naturæ Christi Domini, ibidem VII
Species, quibus anima Christi Domini cognoscit obiecta scientiæ per se infusæ, quomodo differunt à speciebus, quæ nobis repræsentant obiecta supernaturalia per habitum fidei per se infusæ, ibid. IV
dantur plures Species in anima Christi deseruientes scientiæ per se infusæ, per quas cognoscit omnia & singula obiecta huius scientiæ, 320. III. IV. V. & seqq.
Species infusa duobus modis intelligitur esse habere indifferenter ad rem existentem & non existentem, 327. I. II
Species infusa duobus modis potest spectari, ibid. III
Species infusæ animæ Christi pro cognoscendis futuris liberè contingentibus videnam sunt determinatæ ad sic repræsentandum illa, 334. I. II

Spiritus.

Spirituum discretio quid, 261. VIII
Spiritus sanctus si incarnatus fuisset, diceretur propriè missus, 160. II
Spiritus tam animales quàm vitales sunt immediatè assumpti à Verbo diuino, 186. VI. VII
Spiritus sanctus non orat pro nobis, 502. VI

Status.

Status beatificus, seu comprehensoris duobus modis potest considerari, 319. II. III

Subiectio.

Subiectio, seruitus, & meritum quâ ratione dicuntur conuenire personæ Verbi, 27. II
Subiectio triplex, 491. V. VI

Substantia.

Substantia quâ ratione dependet à suâ propriâ subsistentiâ, 98. III. IV. V
Substantia aliqua destituta tam propriâ quàm alienâ subsistentiâ, potest operari per absolutam Dei potentiam, 459. V. VI
Substantia creata à Deo posita per reproductionem in duobus locis, in quorum vno habeat propriam suam subsistentiam, & in altero alienam, potest assumi, 176. VIII. 177. I. II
Substantia creata subsistens propriâ personalitate, eâmque retinens, non potest absolutâ Dei potentiâ assumi ab alieno supposito etiam increato, 177. III. IV
Substantiæ alicui esse in pluribus personis, duobus modis intelligitur, 161. VII. VIII
Substantia individua quî differt ab accidente, 96. III
Substantia priùs subsistit quàm operatur, 199. II
Substantiam facere subsistere, & illam reddere incommunicabilem, quâ ratione distinguuntur, 154. III
Substantia creata non propriè pendet à suâ subsistentiâ in aliquo vero genere causæ, sed tantùm in ratione termini, 159. II. III
Substantialis modus, quem addit subsistentia creata substantiæ, distinguitur ab eâ, distinctione minori, seu ex naturâ rei, 91. VIII
Substantialis modus, quem subsistentia addit substantiæ, est vltimum complementum illius in ratione substantiæ, 92. II

Subsistentia.

Subsistentiâ duobus modis considerari potest, 170. VI

Subsistentia est complementum suæ substantiæ secundùm rationem existentiæ, 92. VIII

Subsistentiæ qualis effectus formalis, 93. I.II

Subsistere per se duobus modis consideratur, 95. VI. VII

Subsistentia fundat in substantiâ negationem tam aptitudinalis, quàm actualis inexistentiæ in alio tanquam subiecto inhæsionis, 96. I

Subsistentia creata quod addit reale supra naturam, non est aliquod accidens, nec aliqua multitudo accidentium, nec aliqua substantia formaliter derivata ex ipsis accidentibus vt vnitis in substantia, 87. IV. V. VI. *&c.* nec est substantialis eius existentia, nec habitudo ipsius naturæ seu substantiæ creatæ ad suam existentiam actualem, 88. III. IV. V. *&c.* sed modus quidam substantialis seu modalis quædam entitas substantialis, *ibid.* VIII. 89. I.II

Subsistentia non est pura negatio, 95. V

quod Subsistentia excludat à propriâ suâ substantiâ alienam subsistentiam vnde id prouenit, 163. VIII. 164. I.

Subsistentia increata, & creata quî differant in assumptione plurium naturarum, 164. VIII. 165. I.II

Subsistentia Angeli distinguitur à suâ naturâ, 167. IV.V.VI

Subsistentiæ desitio facta per vnitionem naturæ Angelicæ ad aliquam personalitatem diuinam, non est annihilatio, & quare, 167. VII

Subsistentia est proprius modus substantiæ, 168. V

Subsistentiæ perfectio duobus modis consideratur, vel secundùm suum esse materiale tantùm, vel secundùm suum esse formale, 106. V. VI. *& seqq.*

Subsistentia Verbi diuini, licèt terminet humanitatem Christi secundùm potentiam tantùm obedientialem, non propterea desinit complere naturalem eius appetitum ad propriam suam subsistentiam, 107. VIII

Subsistentia propria quî differt ab alienâ, 120. VI. 163. I.II

Subsistentia creata terminat, & facit subsistere alienam substantiam creatam duobus modis, 142. III

Subsistentia creata per absolutam Dei potentiam potest terminare aliquam substantiam creatam sibi alienam, 142. VI. VII. VIII. 143. I. II. *& seqq.*

Subsistentia creata & increata in ratione subsistendi non sunt dispares, 143. VI. VII

Subsistentia diuina præcisè & loquendo propriè, non continet in scipsâ omnes subsistentias creatas, 144. I.II

Subsistentia propria & aliena sunt modi incompossibles, 144. VIII

Subsistentia nullo modo habet rationem veræ alicuius causæ, sed tantùm complementi, & termini, 144. VIII. 146. VI

Subsistentia creata potest esse in propriâ suâ substantiâ, eámque modificare per suam naturalem potentiam, & simul & semel poni in pluribus alienis terminatiuè per absolutam Dei potentiam eas faciendo subsistere, 145. II. III. 147. I.II

Subsistentia est realis, & positiua aliqua entitas substantiæ singulari superaddita, 86. IV. V. VI. *&c.* 87. I.II

Subsistentia creata est participatio quædam diuinarum subsistentiarum, *ibid.*

in Subsistentia creata, prout reddit substantiam incommunicabilem, duo possunt distingui, 96. VIII. 97. I. II

Subsistentiæ creatæ communicatio duobus modis fieri potest, & duo sunt modi huius exequendæ communicationis, 146. III. IV

Subsistentiæ propriæ quatenus propriæ formalis ratio importat actualem exclusionem alienæ subsistentiæ ab eadem numero substantiâ, 177. VII. VIII

Sudor.

Sudores non sunt assumpti immediatè à Verbo diuino, 187. III

Supernaturale.

Supernaturale quoad entitatem quid, 318. V. VI

Suppositum.

Suppositum, Verbi diuini influit infinitè moraliter in liberas actiones per humanitatem exercitas, 27. I.II

Suppositum Verbi diuini duobus modis considerari potest, 84. V

Syndereſis.

Syndereſis quid, 265. V

T

Tempus.

TEMPVS totius vitæ Christi est duplex, 496. VII

Tentatio.

Tentationes sunt in duplici differentia, 389. VIII

Terminatio, Terminus.

Terminatio hypostatica quî differt à cognitione intuitiuâ & quidditatiuâ vnius diuinæ personalitatis & aliûs, 159. VIII

Terminatio hypostatica non est in genere cognitionis, sed in genere coniunctionis realis, *ibid.*

Terminorum reiad se inuicem connexionem percipere, similiter & connexionem principiorum cum suis conclusionibus, & præbere assensum rei per speciem repræsentatæ iudicando rem ita esse, inter se distinguuntur, 307. II

Terminus formalis in qualibet mutatione quâ aliquid communicatur, dupliciter distinguitur, 116. IV

Terminus formalis à quo actionis vnitiuæ humanitatis cum Verbo est entitia inexistentiæ humanitatis in Verbo: totalis autem terminus à quo, est non Deus homo, seu Verbum non esse hominem, 126. VI

Totalis terminus huius actionis simpliciter & absolutè loquendo, sine vlla distinctione non potest dici quid creatum, *ibid.* VII. potest tamen dici partim quid increatum, partim creatum, *ibid.* VII

hic Terminus totalis ad quem, consideratus in ratione termini, & loquendo de illo, cum hac limitatione potest dici aliquo modo quid creatum, 127. I

Timor.

Timor duplex, 259. VI

Timor vt est donum Spiritus sancti etiam quoad actum fuit, & adhuc est in Christo, *ibid.* VIII

Timoris filialis actus in nobis sunt duo, 260. II. III. *& seqq.*

Timor fuit in Christo Domino, 397. VII

Timor fuit in Christo, prout sonat auersionem à malo imminenti, & futuro, 398. II

Totum.

Totum non distinguitur realiter à suis partibus, sed solummodò ratione, 202. II

Trinitas.

Trinitatis mysterium per scientiam per se infusam ab anima Christi cognitum continetur obscurè & ineuidenter in habitu & actu fidei ea tantùm obscuritate &, ineuidentiâ, quæ se tenet ex parte obiecti, non autem illâ, quæ se tenet ex parte modi quo intellectus animæ Christi cognoscit illud in habitu & actu fidei, 341. V. VI

Trinitas tota non est incarnata contra Durandum, & quare, 149. IV.V.VI. *& seqq.* 150. I. II. III. *&c.*

V

Valentinianus.

VALENTINIANVS docuit Christum Dominum non habuisse corpus terreum, sed cœleste, 179. I

Valentiniani dicebant Verbum diuinum assumpsisse tantùm corpus æthereum, 168. II

Valor.

Valor in bono opere meritorio, seu satisfactorio, est ens aliquod reale, non quidem physicum, sed morale duntaxat, 12. VI

Valor adueniens operi meritorio ex dignitate personæ duobus modis consideratur, 21. V

Valor satisfactionis Christi Domini ex seipso, & intrinsecè est infinitus, 24. VIII

Vbiquistæ.

Vbiquistæ dicebant humanitatem Christi vi vnionis hypostaticæ esse vbique, 403. II. III

Verbum.

Verbo diuino nihil reale intrinsecum per vnionem ad naturam humanam accessit, sed conditio requisita ad causandum valorem infinitum in ipsis actionibus humanitatis, 19. VI. VII

in Verbo incarnato quatuor sunt consideranda, 226. I

in Verbo incarnato tres possunt concipi sanctitates, *ibid.* II. III

quicquid dicitur de Verbo diuino personaliter, vel essentialiter, illud etiam propriè enunciatur de Christo homine mortali, in recto casu per terminos concretos, 409. III.IV

Verbum debet dirigere tantùm naturam assumptam modo ei consentaneo, & debito, 388. III

Verbum contradictione morali implicat assumere naturam humanam cum fomite peccati, quatenus dicit inclinationem in bonum sensibile contra, vel præter dictamen rectæ rationis, 391. IV

Verbum diuinum potuit assumere naturam alicuius bruti, & appetitum eius sentitiuum cum ea inclinatione ad bonum sensibile, quæ communiter reperitur in brutis, non tamen fomitem peccati, 392. I. II

Verbum diuinum non potuit assumere naturam humanam cum ignorantiâ practicâ prauæ dispositionis, 393. I. II

Verbum diuinum non potuit assumere naturam humanam cum ignorantiâ aliquâ speculatiuâ prauæ dispositionis, *ibid.* IV

Verbum diuinum non potest permittere in humanitate assumptâ id quod contrariatur eius perfectioni, quatenus est intellectualis & rationis cuius est creata ad imaginem Dei, 394. IV

Verbum caro factum, idem est ac secundam Trinitatis personam incarnari, seu fieri hominem, I. I

Verbum dum assumpsit humanitatem passibilem, vt nos redimeret promeruit vt homo suæ humanitati aliquod bonum, 471. IV. V. VI. *&c.*

Verbum diuinum in Christo præcisè consideratum non potest esse obiectum prædestinationis, nec potest esse, vel dici prædestinatum, 535. VIII

Verbum non supplenit existentiam humanitatis in Christo, 429. VIII. 430. I. II. *& seqq.*

Verbum diuinum Adamo non peccante fuisset incarnatum, 59. VIII. 60. I. II. III. *&c.*

Verbum incarnatum fuit efficaciter intentum ante quamcumque creaturam determinatè & in particulari consideratam, 90. VIII

Verbum diuinum non propriè dicitur factum creatura per Incarnationem, 72. IV

Verbum diuinum quomodo dicitur se exinanisse, & humiliasse per Incarnationem, *ibid.* V

Verbum diuinum habuit aliquem influxum moralem in humanitatem à se assumptam, ad quem tamen vt sic duæ aliæ diuinæ personæ non concurrunt, 117. VIII. 128. I

Verbum diuinum nullum habet realem influxum in genere causæ efficientis propriè dictæ in humanitatem à se ipso assumptam, qui non sit etiam ab aliis duabus personis diuinis, *ibid.* VI. VII. *& seqq.* 129. 130. 131.

Verbum diuinum, licèt habeat aliquem specialem influxum in humanitatem assumptam, siue ille vocaretur illapsus, siue esset alius in genere causæ efficientis; ipsa tamen ratio vnionis hypostaticæ præcisè & formaliter, non consisteret in illo, 132. III. IV. *& seqq.* nec etiam in genere causæ conseruantis, *ibid.* VI. VII

Verbum diuinum propriè loquendo non est potentia operatiua Patris quasi sit formale principium quo Pater producit aliquid ad extra, 133. VIII

Verbum diuinum non immediatè assumpsit sudores & lachrymas, 187. III

Verbum diuinum assumpsit immediatè animam rationalem, 188. I. II

Verbum diuinum assumpsit intellectum, voluntatem, & omnes facultates tam corporis quàm animæ, 188. IV

Verbum diuinum assumpsit immediatè intellectum, & alias animæ potentias, si non distinguantur realiter ab anima: si autem distinguantur, eas tantùm assumpsit mediatè, 188. VIII

Verbum diuinum non assumpsit animam priùs tempore quàm carnem, nec econtrà, 189. IV

Verbum quod semel assumpsit nunquam dimisit, quomodo intelligitur, 201. VI

id per quod Verbum diuinum immediatè terminat, & sustentat humanam naturam non potest esse aliquid absolutum, & essentiale, sed est aliquid relatiuum, 150. I. II

Verbum diuinum assumendo humanitatem, simul etiam assumpsit perfectiones eius, quæ nullam habent indecentiam, vel oppositionem cum mysterio Incarnationis, vel eius fine, 438. VII. VIII

Verbum diuinum assumpsit immediatè totum sanguinem, qui fuit in corpore Christi Domini quomodocumque sanguis ille vocetur, siue nutrimentalis, siue perfectè decoctus, 181.

IV. V. VI *& seqq.*

Verbum diuinum assumpsit immediatè quicquid est necessarium ad constitutionem veri, integri, & perfecti corporis humani, 182. V. VI. 184. VI

Verbum diuinum immediatè assumpsit tres reliquos humores præter sanguinem, 186. III. IV.

Verbum diuinum immediatè assumpsit spiritus tam animales quàm vitales, *ibid.* V. VII

Verbum diuinum immediatè assumpsit dentes, vngues, capillos, & barbam, *ibid.* I. II. III. *&c.*

Verbum diuinum per Incarnationem non est mutatum, 99. IV. V. VI. *& seqq.*

Verbum diuinum pati & dolere non dedecet in naturâ à se assumptâ, 373. *& seqq.*

Verbum diuinum fuit conuenientius assumere sexum virilem, quàm sexum fœmineum, 375. II. III. IV. V. *& seqq.*

Verbum diuinum non assumpsit humanitatem suâ personalitate subsistentem, 176. V. VI.

Verbum assumpsit existentiam creatam humanitatis, quo alia propria humanitatis assumpsit, 433. IV

Verbum caro factum est quomodo intelligitur, 77. IV. V

Veritas.

Veritates naturales possunt reduci ad duas classes, 395. I. II

B. Virgo

B. Virgo propriè meruit de condigno gradum illum gratiæ & sanctitatis, quo est facta decens Mater Dei, 219. VII. VIII. 220. I. II

B. Virgo nec de condigno nec de congruo promeruit de facto maternitatem Dei, sumpto nomine meriti in propriâ suâ significatione, 220. IV. V. *& seqq.* 221. I. II.

B. Virgo in illo primo instanti rationis, quo fuit electa in Matrem Dei, non erat indigna, sed tantùm non digna, *ibid.* VII. VIII

B. Virgo non promeruit maternitatem quoad exercit onem; licet meruerit suis meritis gradum illum sanctitatis, quo constituebatur digna, qua esset Mater Dei, 222. IV. V

B. Virgo potuit promereri maternitatem Dei de condigno, posito quòd eadem habuisset merita, quæ de facto habuit, *ibid.* VI. VII. *& seqq.* 223. I. II

B. Virgo, in rigore loquendo, est capax respectiuæ adorationis latreuticæ ob contactum eius ad Christum, 582. IV. V. 574. VI. VII. licet loquendo metaphysicè posset sic adorari, loquendo tamen moraliter non debet sic adorari, *ibid.* VIII

B. Virgo Deipara est adoranda hyperdulià, ob singularem eius animæ sanctitatem, tam publicè, quàm priuatim, 585. I. II

B. Virgo ob maternitatem consideratam metaphysicè, ob contactum & instrumentum nostræ redemptionis, est caput adorationis hyperdulìæ, minoris tamen quàm ob maternitatem eius moraliter consideratam, *ibid.* III. IV. V

B. Virgo quo sensu dicatur mediatrix hominum, & aduocata, 588. IV. V

vt B. Virgo sit propriè Mater Dei quid requiritur, 413. III. IV. V.

B. Virgo cur non dicitur generare diuinitatem, 84. V

B. Virgo est & propriè dicitur Mater Dei, *ibid.* VI. VII. 85. I. II. *& seqq.*

B. Virgo non fuit reprehensa à Christo Domino, cùm ei hæc verba dixit, *Quid mihi & tibi mulier*, 589. I

B. Virgo non fuit ambitiosa, & inanis gloriæ cupida, *ibid.*

B. Virgo non fuit passa scandalum in morte Christi, *ibid.* II

B. Virgo de facto fuit immunis à peccato originali, *ibid.* III. IV. V. *& seqq.* 590. I. II. *& seqq.*

quòd B. Virgo fuerit exempta à peccato originali, id potuit fieri duobus modis, 590. VIII. 591. I. II. III.

B. Virgo non fuit incredula, 588. VIII

B. Virgo non fuit negligens, dum reliquit Christum adhuc puerum in Templo, *ibid.*

B. Virgo licet priùs fuerit naturâ persona, quàm receperit gratiam habitualem, non tamen dicitur fuisse in aliquo priori in statu peccati, 592. VI. VII

Virtus.

Virtus faciendi miracula communicata alicui animali irrationali, & alicui enti cuiuslibet vitæ incapaci, qui differt à virtute faciendi miracula communicata Christo per vnionem hypostaticam, 370. IV. V

plures Virtutes morales per se infusæ distinctæ à se inuicem specie dantur in voluntate, non tamen plures dantur habitus infusi per se respectu scientiæ per se infusæ animæ Christi Domini, 314. I

Virtutes morales acquisitæ fuerunt in Christo secundùm gradum heroicum, quæ non pugnant cum statu Christi, 254. II. III. *& seqq.*

Virtutis moralis duplex gradus, 254. VI

Virtutes morales acquisitæ non fuerunt in Christo supersluæ, 255. III

Virtutis ratio non consistit in exercitio actus studiosi, 256. II

Virtutes morales per se infusæ, & theologicæ qui differant à donis Spiritus sancti, 256. V. VI

Virtutes quæ dicuntur per se infusæ, 253. IV

Virtutes morales infusæ per se sunt in duplici differentia, *ibid.* V. VI

Virtutes morales infusæ per se quæ nullam includunt, vel connotant imperfectionem in habente illas, fuerunt in Christo, *ibid.* VII. non autem quæ includunt, *ibid.* VIII. 254. I

Visio.

Visio beatifica, quâ à primo instanti suæ creationis nouit Christus omnia & singula, quæ toto vitæ suæ decursu facturus erat, non impediuit libertatem eius circa illa facienda, 447. VI

Visio beatifica duobus modis considerata, potest in ordine ad Deum, 339. VIII

Visio beatifica vocatur gratia consummata, 289. III. merces, 292. V

ad Visionem beatificam plura requiruntur quàm ad vnionem hypostaticam, 169. III

Vita, Viuere.

Vita consistit in calido & humido, 182. VI

Viuere aliquid, quid est propriè, 280. I. II. 281. III.

Vmbra S. Petri.

Vmbra S. Petri quâ ratione sanabat ægrotos, 369. VI. VII

Vngues.

Vngues assumpti sunt immediatè à Verbo diuino, 187. II

Vnio.

Vnio hypostatica quâ ratione fuit naturalis Chri-

sto Domino, 140.v.vi.vii.&c.141.i.ii
Vnio quâ substantia creata carens propriâ subsistent â vi' etur alteri vt subsisteret per eius subsistentiam, foret subsistabilis, 148.vii.viii
Vnio in Christo duplex, immediata & mediata, 135.vii.273 i.ii
Vnio tribus modis dici potest maxima, *ibid.* item duobus modis dici potest maxima, *ibid.* viii
Vnio Verbi cum humanitate penes suam tendentiam, & indissolubilitatem est omnium maxima, 136.vii.viii.&c.137.iv.v.&c.
Vnio Verbi cum humanitate ratione dignitatis & excellentiæ, est omnium maxima, 137.viii. 138.i.ii.iii.&c. *seqq.*
Vnio hypostatica est nobilioris, & perfectioris dignitatis in ternitate Dei, & quare, 139.iv
Vnio Incarnationis facta est per gratiam, provt sumitur pro voluntate Dei gratuita, seu dante aliquid gratis, & absque debito, 140.ii. gratia verò sumpta pro dono & beneficio gratuito Dei, hæc vnio est maxima gratia, *ibid.* iii.
Vnio hypostatica non est facta per gratiam, si sumatur gratia pro quadam qualitate disponente humanitatem ad vnionem cum personalitate Verbi, vel causante talem vnionem, 140.iv
Vnio diuinitatis cum humanitate datur in Christo Domino, 100.viii.101.i.ii
Vnio humanitatis cum personalitate Verbi diuini, est proximior & immediatior illâ alhâ vnione humanitatis cum natura diuina in personalitate Verbi, *ibid.* ii.iii
Vnio animæ & corporis facta fuit in Christo, 101.v.vi
Vnio mediata duarum naturarum diuinæ & humanæ in vna & eadem personalitate Verbi diuini, est vera quædam compositio, 113.i.ii
Vnio animæ & corporis in Christo Domino est vera quædam & propriè dicta compositio, 115.ii
Vnio hypostatica tribus modis sumi potest, *ibid.* iv
Vnio animæ & corporis comparata cum vnione hypostatica probatur ex sancto Thoma & Patribus, & quâ ratione, 118.viii.119.i
Vnio diuinæ naturæ cum humana in Christo Domino non fuit facta per conuersionem diuinitatis in carnem, vel naturæ humanæ in diuinitatem, 76 v.vi
Vnio animæ cum Verbo est alia ab vnione corporis cum Verbo, 201.iv
Vnio immediata naturæ humanæ cum personalitate Verbi est propriè ad modum vnionis naturæ cuiuscumque nostrûm cum sua propria subsistentia, sublatis tamen imperfectionibus, quæ in hac nostra vnione reperiuntur, 97.vii
Vnio diuinæ essentiæ facta intellectui beato in ratione obiecti cogniti, quî differt ab vnione facta ratione absolutæ suæ subsistentiæ, omnibus personis diuinis communis iuxta Durandum, 152.iv.v
Vnio hypostatica est vltimum & supremum bonum ad quod humanitas ordinatur, & propter quod cætera beneficia ei conferuntur, 536.iii
Vnio humanitatis ad subsistentiam Verbi est prior origine vnione eiusdem humanitatis ad naturam diuinam, 553.vi
Vnio hypostatica in quo consistit, 168.iv
omnis Vnio mediata fundatur in aliqua immediata, 153.iv
Vnio facta fuit immmediatè in personalitate Verbi, non autem immediatè in essentia diuina, aut aliquo communi, vt ad personalitatem Filij contracto, 156 iii
Vnio hypostatica non est aliquod principium, vel efficiens, vel formale, vel elicitiuum visionis beatificæ, 169.iv
Vnio hypostatica est perfectior visione beatificâ, *ibid.* v
Vnio hypostatica Verbi cum humanitate, & peccatum non habent physicam repugnantiam, quasi humanitas per hanc solam vnionem hypostaticam impediatur formaliter, vel efficienter habere aliquod peccatum, 381.viii. 382.i.ii.&c. *seqq.*
Vnio supponit membra vnienda esse actu, 430.ii
Vnio hypostatica sumpta formaliter non consistit in communicatione idiomatum, seu proprietatum naturæ diuinæ facta humanitati assumptæ à Verbo, 401.iii.iv
Vnio Verbi eo modo sese habet ad corpus, quo ad animam, 388.viii
Vnio hypostatica Verbi cum humanitate habet moralem repugnantiam tam cum peccato quolibet, quàm cum procliuitate humanitatis sic assumptæ ad peccandum, 381.i.ii.iii
Vnio hypostatica reddit Christum sanctum & gratum Deo, 225.ii
an Vnio humanitatis cum Verbo sine vllo medio sit facta, 135.ii
Vnio quî differt ab assumptione, 127.vi
Vnio hypostatica est tantum causa moralis gratiæ habitualis quæ est in Christo, 215.viii
ad Vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo non sequitur communicatio idiomatum, seu attributorum naturæ diuinæ facta humanitati assumptæ, 401.viii.402 i.ii &c. *seqq.*
in Vnione hypostatica duo considerantur, 40. viii.
ex Vnione animæ ad corpus producitur quidam modus substantialis secundùm plurimorum sententiam, 119.i.ii
Vniones quæ sunt in Christo sunt verè & propriè substantiales, 103.i.ii
Vniones distinguuntur penes subiecta, quibus suo modo insunt, & penes ea ad quæ sese terminant, 201.v
præter duas partiales Vniones Verbi cum corpore & anima datur alia tertia vnio eiusdem Verbi cum tota humanitate, suppositò quòd totum distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis, sibique inuicem vnitis, 202.iii. suppositâ verò indistinctione realitotius à suis partibus, vt vnitis seu includentibus vnionem ad se inuicem, alia vnio immediata Verbi ad totam humanitatem non datur vltra prædictas duas partiales vniones ad corpus & animam, *ibid.* v
præter duas immediatas Vniones partiales Verbi ad corpus & animam datur & alia immediata vnio eiusdem Verbi ad totam humanitatem, 203.i.iii.&c. *seqq.*
Vniones diuinæ seu supernaturales creaturæ rationalis cum Deo sunt in duplici differentia, 209.v.vi.&c. *seqq*
Vnionum neutra quæ sunt in Christo, est maxima vnionum secundum ipsam identitatem extremorum, siue vnio sumatur propriè, siue minùs propriè, 136.i.ii.&c.

Vnitio.

Vnitio sumpta pro actione qua humanitas fuit vnita personæ Verbi, est tota à Trinitate, 115.iv

Vnitio humanitatis cum Verbo duobus modis potest considerari, 213.IV
quòd per Vnitionem de nouo producitur in humanitate ad personalitatem Verbi non est aliqua supernaturalis qualitas, 121. III.IV. & seqq. non aliqua relatio, 122.III.IV. & seqq. non aliquod accidens absolutum, 143.II.III. sed est modus subitantialis indistinctus realiter ab humanitate, sed solummodò ex natura rei ab ea distinctus, non omninò & simpliciter absolutus, sed relatiuus, 123.IV.v. explicantur singulæ partes propositionis, *ibid.* VI.VII.VIII. & 124.I.II. & seqq.
Vnitum esse duobus modis sumitur, 119.IV.v
Vnire sibi immediatè & subsantialiter aliquam substantiam tantùm, & illam sibi hypostaticè vnire quî differunt inter se, 157.IV

Vnum.

Vnum potest dici attingere immediatè aliud duobus modis, 120.v
Vnum quando postulat, vel habet necessariò concomitantiam alicuius alterius, non benè infertur illud esse formaliter tale, & illustratur exemplo, 36.VI.VII

Vniuocatio.

Vniuocatio substantiarum attenditur solùm penes identitatem specificam principiorum essentialium, & constitutiuorum substantiæ, quæ in Christo vt homine sunt eadem ac in nobis, non autem penes personalitatem, quæ est alterius conditionis in Christo, quàm in nobis, 153.I

Volitio, Voluntas.

Volitio creata Christi absoluta & efficax semper fuit conformis diuinæ volitioni, tam in volito, quàm in formali, 436.IV.v
Volitio humana inefficax Christi fuit difformis diuinæ volitioni in volito materiali, seu in re volita, 437.II.III
Volitio efficax animæ Christi fuit semper conformis volitioni diuinæ, 447.II
Volitiones sunt in duplici differentia, 436.II
Volitiones tam absolutæ & efficaces, quàm inefficaces fuerunt quædam in Christo, *ibid.* III.IV
Voluntas humana Christi non fuit minùs libera, quàm voluntates purorum hominum, 440.I.II
Voluntas animæ Christi non fuit propriè libera circa vnumquodque præceptum sibi impositum etiam in particulari sumptum, *ibid.* V.VI
Voluntas animæ Christi ita fuit determinata ad benè & honestè operandum, vt tamen semper retinuerit actualem indifferentiam ad exercendum hoc & illud bonum etiam morale specie distinctum, 444.III
Voluntas Dei facientis est pro ratione, 213.III
Voluntas tripartitam sumitur, 435.VII
Voluntas humana Christi, licèt in plerisque non esset conformis diuinæ voluntati in volito materiali quoad actus inefficaces, nihilominùs tamen actus isti inefficaces erant semper conformes voluntati diuinæ in formali volito, *ibid.* III.IV
Voluntas sensualitatis fuit in Christo, quatenùs hoc nomine appetitus sensitiuus, vt tendens in bonum sensibile, & refugiens contrarium, *ibid.* VII
Voluntas animæ Christi, licèt sit vnica in ratione potentiæ, attamen in ratione actus fuit duplex, *ibid.* VIII
Voluntas humana Christi in iis actibus, in quibus ipse operatus est nostram salutem fuit maximè libera, 438.VI
quomodo vna tantùm Voluntas fuerit in Christo explicatur, 435.IV
sumpto nomine Voluntatis pro actu volendi, duæ sunt voluntates in Christo Domino, 435.I.II
Voluntatis actus duobus modis intelligitur elici à voluntate, 433.VIII
Voluntatis sumpto nomine pro facultate, seu principio volendi, duæ sunt in Christo voluntates, 434.VII.VIII
Voluntatis creatæ conformitas cum diuina ex parte obiecti, 436.II
Voluntatis humanæ Christi quilibet actus perfectissimè efficax fuit semper adimpletus, 438.III.IV
Voluntatum contrarietas propriè sumpta non est in Christo, 435.III
Voluntatum contrarietatem nullam fuisse in Christo est de fide, 438.II.III

Vvicleſus.

Vvicleſus existimauit humanitatem, secluso omni ordine ad suppositum Verbi, esse adorandam adoratione latriæ, 555.III

FINIS.

208.8
Y89

59682

Ysambert, Nicolas

AUTHOR

Disputationes in Tertiam Partem

TITLE

S. Thomae Tomus Primus.

DATE DUE	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBEL

59682